BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — N
3

Digitized by Google

R. P. STEPHANI

FAGVNDEZ,

VIANNENSIS,

è Prouincia Interamni,

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI LVSITANI,

IN


QVINQVE POSTERIORA

PRÆCEPTA DECALOGI

TOMVS SECVNDVS.

Cum SVMMARIIS, *& duplici* INDICE, *vno Capitum, altero Rerum, & Verborum locupleto.*

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,

Sumpt. Laurentij Aniſſon, & Hæred. Gabr. Boiſſat.

M. DC. XL.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRIS^MO AC REVERENDIS^MO DOMINO

D. RODERICO DE ACVNHA,

ARCHIEPISCOPO VLYSSIPONENSI,

P. STEPHANVS FAGVNDEZ, è *Societate* IESV, *S. P.*

ILLVSTRISSIME DOMINE, cùm diuina præcepta Decalogi explicarem, ac percurrerem, recreandi animi cauſa, intermiſſo aliquantulum ſeueriori diuinorum præceptorum ſtudio, fortè incidi in eum locum Pſalmi 83. verſic. 7. *Etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* quem verſiculum, referente Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino, ad eum Pſalmi locum ſic D. Hieronymus ex Hebræo aptiſſimè ad noſtram rem interpretatur. *Etenim benedictionibus cæleſtibus amicietur doctor, & explicator diuinorum præceptorum.* Ibunt de virtute in virtutem, id eſt, vt explicat *ibidem* Bellarminus, *Accepta gratia cæleſtium benedictionum, proficient quotidie in melius, ibúntque de opere in opus ſtudioſum.* Quis negabit compoſitionem voluminum opus eſſe ſtudioſum? Rectè igitur interpretabimur, *ibunt de volumine in volumen.* Quòd ſi Scriptores & Explanatores diuinorum præceptorum cœleſtibus benedictionibus gratiarum amiciuntur: at quanto gratiarum cumulo amicientur illorum tutores, ac defen-

ſores. Tibi, Archipræſul Illuſtriſſime, tamquam Patri, ac fauitori litterarum, in quibus adoleuiſti, & conſenuiſti, primum volumen, in prima quinque Decalogi præcepta, dicaui. Cui ergo, niſi eidem patrono digniſſimo debetur iſtud ſecundum?

Sub tuo igitur ſidere fecundiſſimo, ſub tua luce, lucem vtrumque aſpiciat, vt eiſdem auſpiciis, quibus primum eſt feliciter vſum, vtatur & ſecundum. Sub tanto enim ſidere, ſub tanto ſole, nec repulſæ timida addubitant in lucem prodire, nec inuidiæ tela pertimeſcunt.

Accipe igitur hoc qualecumque mei in te deuicti animi obſequium. Exiguum planè, ſi rem ipſam, & magnitudinem tuam ſpectes: at certè maximum, & ampliſſimum, ſi gratificantis affectum, ac propenſionem conſideres.

Olim Moyſes cùm ſæuientis populi tela in ſe per iracundiam coniecta deuitaret, ad tabernaculum Dei humiliter confugit, quem Deus Opt. Max nube protectionis ſuæ à populo diuiſit, vt tela tandem furentium, ac debacchantium incaſſum abirent. En, Præſul Illuſtriſſime, meus iſte labor, inuidorum telis (vt ſæpe fit) impetitus ad nubem authoritatis tuæ confugit; eſto illi inſtar Dei. Inueniat in te illud confugium, quod inuenit Moyſes in vmbra Dei; noſti enim, & optimè noſti, cùm nullus ſacræ paginæ te curioſiùs indulſerit æternæ mentis Oraculum, atque conſilium, quo Deus Eccleſiæ ſuæ promiſit, ſic olim intonante Iſaïa c. 62. n. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, qui tota die, ac tota nocte, in perpetuum non tacebunt.* Per muros mandata, ac præcepta diuina accipe. per cœleſtem Ieruſalem Eccleſiæ ſtructuram, murorum inſtar ambientem. Conſtituit Cuſtodes, Epiſcopos, ac Prælatos vigilantiſſimos, ſpirituali præfectura magnificos, qui pro vigilantiſſimo paſtorum more, pertinacíque diligentia, quod eſt tota die, ac nocte in perpetuum non tacebunt. Diſtricto ſcilicet oris gladio, ac ſpiritus, vt pro muris, pro præceptis excubantes, ſacrorum præceptorum enucleatores, ab inuidorum tueantur curſibus, & latè incolumes ad probandam iterum induſtriæ ſuæ operam iubeant ſupereſſe.

Vides iam quantis de cauſis, hæc diuinorum præceptorum commentatio, ac dilucidatio, te, pro meo ingeniolo, defenſorem ambiat, & ad te tamquam ad ſacram anchoram, & firmiſſimum aſylum accurrat, præſertim cùm Archiepiſcopum impleas totius Portugalliæ Metropolitanum, canis & annis venerabilem, morum integritate inſignem, vitæ ſanctimonia præſtantem, omnigeno ſcientiarum ſplendore conſpicuum. Laudatum quod Hiſpaniarum Primatem Bracharæ Auguſtæ Principem egeris. Laudatiſſimum, quòd relicto hoc titulorum faſtigio Vlyſſiponenſem

tandem

tandem ſedem acceperis. Et, quod maximum eſt, ſemper ab ouibus, quas inuitus relinquebas, amatus, ſemper deſideratus. Te Præſulem Amienſis ſedes fidelibus deſideriis ita ſuſpirat. Te Portuenſis ciuitas paſtorem peramanter ſuſpexit, & quod diuturnum non meruit, acerbè dolet. Tuâ vigilantiâ, cùm fidei Quæſitorem ageres, effectum eſt, ne vitiorum labes in dies ſerpſerit, quæ omnia efficiunt, vt hoc opus paſtoralem tuam, ac protectricem dextram vehementer exoptet.

Duo præceptorum genera lex a Deo per Moyſem data continebat. Deum reſpiciebat alterum: alterum ad proximum ſpectabat. Duabus igitur Moyſes tabulis, duplicem amoris legem expreſſit. Haſce fideli manu exaratas Deus ipſe tamquam vindex aſſeruit, ne improborum audaciæ, ac temeritati ſubiacerent. Si quis obſtreperet, pœnas dabat, & ictu fulminis de cælo tactus peribat. Duplici hoc volumine, ſicut duabus Moyſes tabulis, omnia diuina præcepta incluſi. Hæc ad te ſupplex defero, obſeruantię causâ, & amoris ergò, tuo incumbit muneri illorum tutela. A cuneo diceris Acuneus, quæ tua eſt familia, & inter primas Luſitaniæ eminet, velut inter ſtellas Luna minores. Cunei vi rupes franguntur, ſuæ nomenclaturæ vires liuor maleuolorum ſentiat, Præſul ampliſſime, illius ope fac, vt improborum conatus inanis excidat. VALE Vlyſſipone die primo Octobris, anno 1639.

Ad Lectorem.

EN habes, ſtudioſe Lector, operis, quo totam doctrinam Decalogi abſoluimus, volumen ſecundum. Illud tamen primùm te monitum velim, noſtrum laborem, in hac re, duplici Tomo, nos ideo diuiſiſſe, ne opus tantum excreſceret in volumen, vt præ magnitudine parum tractabile fuerit, aut Theſpis plauſtro, aut Iouis pegmate indiguerit: ac inſuper, vt hinc colligas, quanti rerum diuiſionem, ac rectam, quæ ex illa ſequitur, diſpoſitionem, faciamus. Faciliùs enim reperiuntur, ac firmiùs memoriæ, quæ rectè ſunt diuiſa, ac diſpoſita, affiguntur. Quid enim tuo ingenio laudi vertes, niſi, quæ diligenter inueneris, eadem ipſe mente tractans, colloces diligentiùs, rectiùs diſponas? Nam ſicut prudentis ducis virtus non magis in vnoquoque milite ad bellum deligendo, quàm in inſtruenda ad pugnam acie, & ſuo in ordine, ac ſtatione quemquam diſponendo, ſpectatur; ita authorum iudicium, operis maturitas, & diſpoſitio, non magis in meliori opinionum delectu, quàm in rerum diuiſione, ac collocatione eluceſcit. Inſeruiat igitur tibi, amice Lector, huius operis in duos Tomos diuiſio, & commodo, & diſpoſitioni; commodo, vt faciliùs manu tractes: diſpoſitioni, vt quæ auidè quæſieris, in non amplo, ſed iuſto opere inuenias, & quæ inueneris, & legas, ſine moleſtia, & firmiùs memoriæ adhæreſcant. Nam mihi quidem illa mens, illa ratio, ac conſilium fuit, quòd licèt opus diuiderem, ac partirer, ſic tandem meliùs illius diſpoſitioni conſulerem. Iſtud autem poſtremum volumen conſultò diſtulimus, cùm ſimul poſſet cum primo lucem aſpicere, vt illius politioni ac emendationi magis, magíſque incumberemus. Scio enim huius quàm amans eſſe debeat negotij, qui librum aliquem in lucem emittit, & poſteritati commendat. Laudo quippe Quintiliani ſententiam, qua affirmauit ingenuè, emendationem videri ſtudiorum partem longè vtiliſſimam. Enimuerò ſi non plus laudis, & gloriæ in corrigendo, quàm in ſcribendo, at certè non inferior conſtituitur. Quocirca non defuit author, qui teſtamento ſuo iuſſerit, vt opus poſthumum ipſius, igni potius, quàm typis traderetur; maluit enim prudens author ſuum opus non extare, quàm malè politum apparere. Nos igitur, amice Lector, poliuimus, emendauimus, limauimus, quæ potuimus, & tamen videbitur alicui multum poſteris de iſtis fuiſſe relictum. Non dubito quòd diſpliceant multa multis, ſed dapes omnes, etiamſi exquiſitæ, conditæ apprimè, & elaboratæ, omnium ſaporibus nequeunt ſatisfacere, ſufficit quòd aliquibus ſatisfaciant: quæ enim vni videbitur iucundiſſima, alteri inſipidiſſima cenſebitur. Conuerte mihi omnium palata in vnum. Reddam tibi omnes, & ſingulas dapes omnium ſaporibus aptiſſi

aptiſſimas. At quia hoc fieri non poteſt, illud velim memineris, fortè id, quod tibi in conuiuio videtur inſipidum, aliis videri poſſe ſapidiſſimum. Sic in noſtro opere, ſi quid tibi diſplicuerit, iudicare debes aliis fortè, placere poſſe mirabiliter. Quare nec facilè reprobes, nec facilè laudes. Si quid tamen tibi placuerit, Deo Optimo Maximo velim tribuas, & noſtro labori, quas volueris, ſolue grates, eo quòd in tuam gratiam id laboris ſuſceperimus. Sudauimus enim, & multum laboris poſuimus in inquirenda veritate quæſtionum, quæ in hoc opere continentur, vt tibi nuda ipſa veritate placeremus, & tamen patet adhuc omnibus veritas, nondum eſt occupata, nondum exhauſta. nam quanuis multum temporis, & ſtudij in illius requiſitione, & indagine contulerimus, multùm adhuc de illa etiam futuris authoribus, & temporibus relictum eſt, quæ vna cauſa eſt, cur tot libri paſſim in orbe inſcribantur. VALE, Lector amantiſſime.

INDEX

Præceptorum Decalogi, Librorum item, & Capitum, hoc ſecundo Tomo contentorum.

PRÆCEPTVM VI.

LIBER VI.

Cap. 1. QVID ſit fornicatio, quatenus peccatum, quomodo in ſimplicem, & non ſimplicem diuidatur. pag. 3

2 De concubinatu quid ſit, ad quam ſpeciem luxuriæ reducatur, quæ illius pœna, an concubinarius ſit ipſo iure ſuſpenſus, & excommunicatus, & an Epiſcopi poſſint laicos punire ob huiuſmodi crimen. 8

3 Quibus modis in vſu matrimonij peccatum fornicationis contra ſextum præceptum poſſit contingere. 14

4 De ſtupro quid ſit, quale peccatum, cuius fori, in quo conſiſtat, quas pœnas habeat. 25

5 De ſtupro commiſſo cum promiſſione, & ſine promiſſione coniugij in virgines, & viduas ſponte, & non ſponte conſentientes. 31

6 De inceſtu quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quid ſit, quale peccatum, cuius fori, quas pœnas habeat, vſque ad quem gradum committatur. 36

7 De adulterio quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quid ſit, & quæ eius pœna. 47

8 De ſacrilegio in quantum eſt ſpecies luxuriæ; quid ſit, quale peccatum, & quas pœnas habeat in iure. 51

9 De peccato luxuriæ contra naturam, quibus modis contingere poſſit, quas pœnas habeat. 54

10 De raptu quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quid ſit, quale peccatum, quas pœnas habeat in vtroque iure. 63

11 Vtrùm detur verus raptus, ſi fœmina rapta raptui conſentiat, parentes verò, vel tutores diſſentiant, & quid ſi parentes conſentiant, fœmina verò diſſentiat. 67

12 Datur notitia omnium conſtitutionum, quæ fuerunt expeditæ contra ſolicitantes in confeſſione; notantur aliqua, quæ de nouo aucta ſunt in vltima conſtitutione Gregorij XV. 73

PRÆCEPTVM VII.

LIBER VII.

Cap. 1. QVID ſit furtum, quale peccatum, & quæ quantitas ad mortale ſufficiat. 84

2 Vtrùm ex aliqua circunſtantia res parua poſſit eſſe mortalis culpa in furto, & res magna venialis. 88

3 De furtis filiorum, quando præſumendum eſt peccare mortaliter, & quando non, ſi bona furentur parentum, & in qua quantitate. 92

4 Quid poſſint filij abſque furto, & obligatione reſtitutionis faciendæ parentibus, vel alijs fratribus circa bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, profectitia, & aduentitia. 95

5 De furtis Religioſorum, quid poſſint, vel non poſſint efficere Religioſi abſque furto. 102

6 An religioſi, & moniales poſt profeſſionem habere poſſint annuos redditus, & quantum poſſint ſuperiores donare de bonis Religionis, aut dare licentiam ſubditis ad donandum pro pijs operibus, & eleemoſynis. 110

7 Expediuntur alia dubia circa danda, & accipienda à Religioſis, quæritur an poſſint acquirere externis permiſſas, & miniſteria ſpiritualia, & quatenus poſſint acceptare ſine peccato, & damno Religionis. 117

8 De

8 *De furtis vxorum in maritos, ſoluuntur multa dubia circa hanc rem.* 121

9 *De furtis maritorum in vxores, expediuntur multa dubia.* 124

10 *De furtis vaſallorum in Principes.* 127

11 *De furtis famulorum in dominos, & excommunicatione illorum.* 128

12 *De furtis mancipiorum erga dominos, an mancipia poſſint fugere, & teneantur ſe dominis reſtituere. Quid de mancipijs Angolæ & Guineæ, an licitè inde ad ſeruitutem extrahantur.* 129

13 *Vtrùm ille, qui minima ab vno, eodémque paulatim furatur, peccet mortaliter, & reſtituere teneatur, & quid ſi ea furetur à diuerſis.* 134

14 *An quando plures furantur ab eodem notabilem quantitatem, aut ſinguli modicum, mortaliter peccent quando vt vna cauſa concurrunt, & quid ſi non vt illa concurrant, ſed alter alterum furantem ignorat. Agitur de excommunicatione furtorum minimorum.* 138

15 *De reſtitutione furtorum.* 142

16 *Vtrùm fur, & poſſeſſor malæ fidei teneantur in conſcientia omnes fructus perceptos ex re furtiua domino reſtituere, licèt dominus eos ex ea non percepiſſet, & an etiam omnes non perceptos, quos tamen dominus ſi rem haberet, percepturus eſſet.* 146

17 *Vtrùm ad reſtitutionem teneatur fur, ſi res furtiua in eius manu abſque culpa illius pereat eodem vel diuerſo modo, quo in manu domini erat peritura, & quid ſi culpa illius pereat, etiam apud dominum peritura.* 153

18 *An depoſitarij, commodatarij, & conductores teneantur ad reſtitutionem, ſi res depoſitæ, & commodatæ, apud illos illorum culpa pereant.* 158

19 *De emente à fure malæ fidei cui reſtitutio facienda ſit, furi ne, an domino rei, & quando facienda ſit.* 162

20 *De emente à fure bona fide, an teneatur rem domino reddere, an furi, vt contractum reſcindat, & pretium accipiat, ſciens poſtea eſſe furtiuam, & quid de fructibus illius.* 165

21 *Vtrùm poſſeſſor bonorum incertorum, teneatur illa reſtituere, quo iure, quibus perſonis, & qua diligentia præmiſſa, vt dominus illorum inueniatur.* 176

22 *Agitur de bonis inuentis, quæ nunquam dominum habuerunt, & quæ dominum habuerunt, de theſauris & inuentis ordinarijs.* 183

23 *An debitor ſatisfaciat tradendo ſolutionem perſonæ fideli, vt Confeſſario, vel alteri cui creditor debet.* 192

24 *Quo tempore, & loco facienda eſt reſtitutio furti, & cuius expenſis, creditoris ne, an furis, vel debitoris.* 196

25 *Qualis ignorantia, & impotentia excuſent à reſtitutione furtorum, & debitorum, & quid de extrema neceſſitate.* 205

26 *Vtrùm accepta in extrema neceſſitate, ſint poſtea meliori fortuna redeunte, reſtituenda.* 209

27 *Vtrùm deiectio ſtatus, & neceſſitas grauis, quandiu duret, à reſtitutione excuſet.* 214

28 *Vtrùm graue detrimentum in proprijs bonis temporalibus, famæ, ingreſſus Religionis, & ceſſio bonorum ſit cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.* 220

29 *Vtrùm profitente debitore cum magnis debitis, ijs non ſolutis, profeſſio ſit valida, & teneatur Monaſterium ea ſoluere.* 225

30 *Vtrùm compenſatio, remiſſio, excommunicatio, & graue damnum, quod ſequitur creditori, vel alteri tertio ex reſtitutione, pro tunc ab illa excuſet.* 228

31 *Vtrùm, qui impedit, vel extrahit aliquem à Religionis ingreſſu, teneatur aliquid reſtituere, cui, & quomodo.* 236

32 *Vtrùm, qui extrahit profeſſum à Religione teneatur aliquid ipſi Religioni reſtituere, & quantum.* 241

33 *Soluuntur alia dubia tam ad reſtitutionem furti, quàm ad modum, & ordinem reſtituendi ſpectantia.* 245

34 *Soluuntur alia dubia. Agitur de creditore, cui totum debitum prætermiſſis alijs creditoribus datum eſt.* 251

35 *Agitur de creditoribus hypothecarijs, quæritur vtrùm, & quomodo inter ſe comparati præferantur.* 256

PRÆCEPTVM VIII.

LIBER VIII.

CAP. 1. *QVID ſit fama, & infamia, detractio, & contumelia, honor & dedecus, quomodo inter ſe diſtinguantur, & an ex ſua natura huiuſmodi vitia peccata ſint mortifera, & quàm grauia.* 261

2 Vtrùm

Index Præceptorum,

2 *Vtrùm Chriſtianus teneatur contumeliam ſuſtinere; an poſſit contumelia contumeliam, & detractionem detractione repellere, & quando detractores, auditores, & zelatores peccent mortaliter, vel non peccent.* 264

3 *An liceat aliquando alterum infamare, falſum ei crimen imponendo, aut verum ſed occultum aperiendo, ſoluuntur aliqua dubia; agitur de libellis famoſis.* 270

4 *Vtrùm liceat crimen proximi, quod publicum eſt in vna parte, in alia vbi ignoratur, reuelare.* 275

5 *Soluuntur aliqua dubia; quæritur an ad vitanda tormenta in tortura, poſſimus crimen falſum alicui imponere; agitur de apertione literarum.* 279

6 *An nobis liceat ad vitandum graue damnum noſtrum, v.c. torturam in tormentis, vel aliud proximi temporale, vel ſpirituale detegere crimen alterius occultum, nobis ſub ſecretò reuelatum.* 282

7 *Vtrùm peccata occulta reuelari poſſint ſuperioribus cum ſubditorum infamia, non præmiſſa correctione fraterna.* 284

8 *Vtrùm ſit peccatum mortale ſe ipſum infamare, & grauius quàm alium infamare.* 288

9 *Vtrùm peccatum mortale ſit falſum ſibi crimen ex quo mors ſequatur imponere in iudicio.* 292

10 *Vtrùm in diſpenſationibus, quæ petuntur à Summo Pontifice ad matrimonium contrahendum, teneatur quis ſe infamare, manifeſtando copulam occultam cum conſanguinea, vel affine.* 296

11 *De iudicio temerario.* 300

12 *De inſuſurratione, irriſione, & maledictione.* 306

13 *Vtrùm fama cum periculo vitæ ſit reſtituenda, & an debeat pecunia compenſari, ſi reſtitui non poſſit.* 311

14 *An infamator teneatur ad reſtitutionem famæ Infamato, ſi ille ſuis virtutibus eam recuperauit, & an ad damnum temporale, quod illi tunc dedit; quæritur vtrùm fieri poſſit compenſatio damni famæ cum damno in bonis temporalibus.* 314

15 *Vtrùm teneatur infamator reſtituere famam cum iactura propriæ famæ, & vitæ; ſoluuntur alia dubia.* 316

16 *An qui ſe mutuò infamarunt, poſſint vti compenſatione; & an ad reſtitutionem famæ teneatur ille, qui bona fide alium infamauit: quæritur an diffamatus per reuelationem ſui criminis occulti, illud ſub iuramento negans, teneatur infamanti famam reſtituere.* 318

17 *Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ, & an honor ſit etiam reſtituendus, & quomodo, & quid à reſtitutione illius ſimiliter excuſet.* 321

18 *Quam iuriſdictionem iudex requirat, & an ex defectu illius teneatur ad reſtitutionem.* 323

19 *An acta iudicis non habentis titulum verum, ſed coloratum tantùm, ſeu putatiuum, ſint valida, ita vt non peccet vſurpatione iudicij, nec ad reſtitutionem partibus teneatur.* 330

20 *An tyrannus peccet vſurpatione iudicij, & eius ſententiæ ſint validæ, & an iudex poſſit aliquem non citatum, & non auditum damnare.* 335

21 *Quibus caſibus teneatur iudex ad reſtitutionem reos ſine iuris ordine condemnans, & ab illis crimen extorquens.* 340

22 *Vtrùm Papa poſſit pro libito beneficia dare, & auferre ab ijs, qui ea poſſident.* 345

23 *An Reges, & Principes poſſint pro ſuo arbitrio, abſque vlla cauſa, & recompenſatione officia publica auferre, & reuocare, ab ijs, qui ea actu poſſident.* 351

24 *Vtrùm Reges, & Principes poſſint in conſcientia ea officia, quæ ſuis vaſallis propter obſequiorum merita contulerunt, ab illis abſque ſatisfactione auferre.* 356

25 *An iudex poſſit ius ſcriptum non ſequi, & pœnas illius remittere abſque iniuſtitia, & quatenus ignorantia excuſet à pœna legis.* 358

26 *Quouſque iudices, teſtes, & tabelliones peccent contra iuſtitiam aliquid accipiendo, & ad reſtitutionem teneantur, & an pro fauore adnexo iuſtitiæ poſſint pretium accipere.* 363

27 *An iudices munera aliqua vltra xenia ex mera liberalitate data poſſint accipere, & cui ſit reſtituendum id, quod pro iniuſta ſententia ferenda eis datur. Agitur de rebus promiſſis ob turpem cauſam. Quæritur an Confeſſarius indoctus non obligans ad reſtitutionem debiti pœnitentem, teneatur illud reſtituere.* 372

28 *An peccent iudices excommunicati vſurpatione iudicij, & teneantur ad reſtitutionem, ſi iuriſdictionem exerceant.* 376

29 *An iudices, qui propter crimen lege aliqua ipſo facto priuantur, peccent vſurpatione*

patione iudicij iudicando ita vt illorum ſententiæ, & acta ſint irrita. Agitur de pœnis, quæ requirunt, vel non requirunt iudicis ſententiam vt incurrantur, & de pœna inhabilitatis ad aliquid. 380
30 An reus de crimine accuſatus ob quod pœna pecuniaria damnandus erat, falsò ſe defendens teneatur ad illam, ad quam niſi ſe falsò defenderet, damnandus erat. 385
31 An reo ſit licitum occulta teſtium crimina detegere, ad infirmanda illorum dicta; an à iudice interrogatus teneatur contra ſe ipſum fateri veritatem, & an ad ſui defenſionem poſſit impingere accuſatori ſuo crimen mendacij. 386
32 An reus innocens, damnatus tamen ſecundùm allegata, & probata teneatur obedire ſententiæ, & poſſit ſe vi defendere, & an retinens officium, & cathedram ab altero ſe authore & ſciente iniuſtè ablatam teneatur reſtitutionem facere. 389
33 An reis vinctis poſſimus licitè auxilium ad fugam dare, radere catenam, claues adulterinas præbere, & an illi poſſint fugere, & corrumpere cuſtodes pecunia ad fugiendum. 391
34 Soluuntur dubia circa obligationem reorum in reſpondendo ad iudicis interrogationem. 396
35 An reus renunciare poſſit defenſioni ſuæ in cauſis criminalibus, ſoluuntur alia dubia. 400
36 Soluuntur alia dubia ad reos, & iudices ſpectantia. 405
37 De reo, qui præſtitit iuramentum redeundi ad carcerem, an ad illud teneatur, ſi ex reditione mortem timeat, infamiam, vel grauem pœnam. 409
38 Ad quid teneatur aduocatus ex officio erga illos, quos defendit, & quatenus lethaliter cum obligatione reſtituendi peccet, vel non peccet. 412
39 De teſtibus, quot teſtes in cauſis criminalibus, & ciuilibus requirantur. 418
40 Quomodo teſtes plenè probent, & quæ conditiones requirantur ad hanc probationem. 421
41 An, & in quibus caſibus attendatur primum, & ſecundum dictum teſtis varij in iudicio; agitur de ijs, qui dicunt ſe ob metum in tribunali ſanctæ Inquiſitionis alios accuſaſſe. 427
42 De obligatione teſtium in ferendo teſtimonio, & quatenus obligetur, vel non obligetur ad reſtitutionem pro ferendo vero, vel falſo teſtimonio. 432
43 Quæ pœna ſtatuta ſit in iure falſis teſtibus, quis iudex illam poſſit infligere, an ille iudex coram quo falſum teſtimonium dicitur, etiamſi ſit laicus, & teſtis Eccleſiaſticus. 441
44 De Tabellionibus, & Notarijs ad quid teneantur ratione ſui muneris. 445
45 De denunciatione, & denunciatore, & quatenus tenemur denunciare. 448
46 Quotuplex ſit Inquiſitio, & quid ſit; agitur de Inquiſitione generali, & particulari, ſoluuntur multa dubia. 452
47 De accuſatore, & accuſatione, quid ſit accuſatio, quas ſolennitates requirat, an ſemper debeat præcedere fraterna monitio. 460
48 Quis poſſit, vel non poſſit accuſare in criminalibus, & an iudex poſſit abſque accuſatore delicta punire. 466
49 Quatenus quis teneatur ex charitatis præcepto, aut ex officio accuſare, & an poſſit pretium iuſtè accipere, ne accuſet. 475
50 Soluuntur aliqua dubia circa accuſationem delictorum & reorum. 479
51 Quomodo & quando obligent monitoria, & edicta ſuperiorum ad denunciandum, vel accuſandum. 485
52 Quanto tempore durent præcepta viſitationum, & an monitoria incipiant obligare à die publicationis, an à die notitiæ illorum. 490

PRÆCEPTVM IX.

LIBER IX.

CAP. 1. QVID ſit delectatio moroſa, quomodo fiat, in quo conſiſtat, quanta eius mora requiratur. 513
2 An omnis conſenſus, & delectatio moroſa, de opere mortaliter malo ſit peccatum mortale, & quid de delectatione, & conſenſu interpretatiuo & negatiuo dicendum ſit? 517
3 An deſiderium conditionale, quo quis aliquid voluntate efficaci vult, ſi eſſet licitum, ſit mortale, & an delectatio præſens orta ex tali deſiderio ſit licita, vel illicita. 521
4 Vtrùm ſponſis de futuro liceat delectatio de copula habenda tempore matrimonij, & viduis, & coniugibus abſentibus. Soluuntur alia dubia. 524
5 Vtrùm delectatio venerea capta ex tactibus, & aſpectibus inter ſponſos, & inter conni

coniugatos, & ſolutos, ſit mortalis. 524

6 *An delectatio moroſa liceat coniugibus, quando ob aliquam circunſtantiam extrinſecam voti, valetudinis, affinitatis, aut dubij valoris matrimonij copula non eſt licita.* 533

7 *An actus externi, veluti tactus, & amplexus illiciti, habeant aliquam malitiam ex ſe, an totam accipiant ab actionibus internis.* 535

8 *Vtrùm bonitas vel malitia actus externi addat aliquid ad bonitatem, vel malitiam interioris, & an effectus ex actu externo ſecutus aliquid addat ad bonitatem, vel malitiam illius, quæritur vtrùm idem actus externus poſſit ſimul eſſe bonus, & malus.* 538

9 *Explicantur proprietates, & paſsiones, quæ ex actibus bonis, vel malis oriuntur.* 542

PRÆCEPTVM X.

LIBER X.

CAP. 1 *QVID ſit inuidia, quatenus mortale, vel veniale ſit rebus alienis inuidere, illáſque concupiſcere.* 545

2 *De peccatis, quæ ex inuidia oriuntur, & inuidiæ ſoboles appellantur.* 548

AD

AD SEXTVM PRÆCEPTVM DECALOGI

ANIMADVERSIO.

AD primum huius præcepti exordium, ac veſtibulum, animus veluti in biuio hæſit, & ancipiti cogitatione diſtractus, me non mediocriter anxit. Illa etenim cura formidantem pupugit, quòd honeſtas, ac religioſas aures in ipſo huius tomi limine viderer modo aliquo contaminare, dum iiſdem nullum aliud prius præceptum inſtillauerim, præter illud, quod nonnihil turpitudinis, atque obſcœnitatis præ ſe ferat. Cùm enim Deus Opt. Max. homines ad pulcherrimam honeſtatis normam, & ad ſuauiſſimas pudicitiæ leges vellet inuitare, indomitum libidinis appetitum, illis verbis ita frænat, *Non mœchaberis*. Et verò cœleſtis ille Agnus niueos amat flores, paſcitur inter lilia candentia, & amœniſſimo virginitatis prato ita delectatur, vt nullas alias maiores delicias in terris habere videatur. Neque illud immortale cœleſtis curiæ domicilium aliquid in ſe recipit, aut admittit coinquinatum, ſed omni fæce liberum, omni ſorde alienum, nulla incontinentiæ macula deformatum. Dum igitur à ſexto præcepto laborioſam huius libri telam exordimur, inſtituto noſtro, & ſcribendi officio ſatisfacimus, & id tandem facimus, tum, vt diuinum Agnum, noxiis luxuriæ herbis eradicatis, puriori hoſpitio excipiamus; tum, vt hic ſecundus Tomus primum magnitudine exæquet; tum denique ne aliquid à nobis indictum, & in diuina lege inexplicatum ſit; nobis quippe illud Plinianum dictum ſatis notum eſt, *Aliquando ex ſtercore gemmas erui, & aurum in luto inueniri.* Tu ergo, Lector humaniſſime, noſtram hanc mentem, noſtrum inſtitutum æqui, boníque conſulito. Ea enim modeſtia, qua poterimus, dubia, quæ ad hoc præceptum ſpectant, tractabimus, non enim nobis hanc tractationem omittendam iudicauimus, tum ne opus mutilum relinqueremus; tum quia ſanctiſſimi Patres, necnon Summi Pontifices illam non omiſerunt, vt videre eſt in toto titulo *de frigidis, & maleficiatis*, vbi Doctores Canoniſtæ dubia ad hanc rem ſpectantia ſatis minutatim explicant, ibi enim inquirunt ex quibus rebus prouenire poſſit impotentia coëundi, agunt etiam de ſignis, & probatione huius criminis per partium

verendarum inſpectionem, de apertione earum ob fœminarum arctitudinem, déque ſignis quibus per illarum aſpectum poteſt probari malitiâ ſuppleri ætatem, déque aliis rebus, quas horrent pudicæ & caſtæ aures, quas tamen opus eſt paſtores animarum ſcire, vt ſciant, quid in hac re ſit mortale, quid veniale, quid licitum, quid illicitum, & quomodo ſe in confeſſionibus audiendis gerere & gubernare debeant; quaſque D. Thomas *in 4. diſtinct.* 31. *in fine*, in expoſitione litteræ, cùm vir eſſet ſanctiſſimus, & pudiciſſimus, noluit intactas relinquere, vt ſuo officio ſatisfaceret; quod idipſum fecit Gerſon, vir planè ſpiritualis, *2. part. in Compendio Theologiæ, alphabeto 26. litera J.* Quare his exemplis innixi nos tanta modeſtia dubia illa, quæ ad hoc præceptum attinent, tractabimus, vt & noſtro officio ſatisfaciamus, & aurium pudicitiæ conſulamus.

LIBER SEXTVS

In ſextum Præceptum Decalogi.

ABSOLVTO *quinto Decalogi precepto, ratio poſtulat, vt tractationem ſexti inſtituamus, in quo negotio breuitatem præ oculis habebimus, & quia res eſt valde lubrica & faſtidioſa, & quia nos vocat ſeptimum in quo latiùs aliquantulum ſpatiabimur; nullam tamen in hoc ſexto difficultatem, quæ non enodetur, explicatione dignam relinquemus. Habetur hoc ſextum præceptum* Exod. 20. *illis verbis,* Non mœchaberis. *& in hoc prohibetur non ſolùm adulterium viri, quod propriè* mœchia *dicitur, ſed etiam fœminæ, & quicumque alius actus illicitus, ad rem veneream, & voluptatem libidinis ſpectans; ad hoc etiam præceptum reducitur nonum præceptum, de non concupiſcenda muliere, & marito alieno. nam quando obiectum prohibetur, quia de ſe malum eſt, conſequenter etiam deſiderium illius prohibetur; quamobrem cùm hîc prohibeantur vniuerſim omnes actus illiciti venerei, tanquam ex natura ſua mali, planè conſequens eſt fornicationem etiam ſimplicem, & omnes illius actus, & ſpecies vetari: ſciendum ergo eſt, quid ſit fornicatio ſimplex, abſolutè loquendo, & quæ illius ſpecies, vt ſciamus quid in hoc præcepto cauere debeamus.*

CAPVT I.

Quid ſit fornicatio, quatenus peccatum, & quomodo in ſimplicem, & non ſimplicem, diuidatur.

SVMMARIVM.

Fornicatio ſimplex eſt ſpecies luxuriæ, num. 1. quæ ſint luxuriæ ſpecies. ibid.
Fornicatio ſimplex vnde dicta, illius etymologia, num 2.
Quid ſit fornicatio ſimplex, & non ſimplex. num. 3.
Prohibita fornicatione ſimplici, illius conſenſus & deſiderium etiam prohibetur: num. 4.
Eſt peccatum mortiferum, iure naturæ, & diuino, & humano prohibitum. num. 5.
Ex fornicatione ſimplici oritur luxuria, ex luxuria multa peccata, & quæ. num. 6.
In fornicatione ſimplici magis peccat vir, quàm fœmina, ſecus in adulterio. num. 7.
Extra matrimonium non datur conueniens educatio filiorum ex natura ſua. num. 8.
Fornicatio ſimplex in mare, & fœmina ſenibus non coniugatis eſt peccatum mortale, quamuis generare non poſſint. num 9.
Ex natura ſua eſt peccatum mortale, ideo prohibitum, quia malum. num. 10.
Refutatur opinio Durandi aſſerentis, eſſe ſolum veniale, ſecluſa Dei prohibitione. ibid.
Reſoluitur obiectio facta pro Durando. num. 11.
In nullo caſu vitæ, ſi voluntaria ſit, eſt licita, neque etiam de conſilio Medicorum ad tuendam vitam. num. 12.
An detur ignorantia inuincibilis illius. ibid.
Non eſt peccatum inter ebrios, & amentes, num. 13.
Ad illam reducitur copula habita à Chriſtiano cum fœmina infideli. num. 14.
Copula habita cum ſponſo alterius an ſit fornicatio ſimplex, & an circunſtantia neceſſariò confitenda. num. 15.
Peccat quis accedendo ad meretrices, aut eas ad id inuitando toties, quoties, etiamſi paratæ ſint, numero 16.
Lenones, qui inducunt alios ad concubitum, ratione ſui, & aliorum peccant, & vtrumque confiteri tenentur. num. 17.
Fœmina, quæ vi comprehenditur, ſi in copula non conſentit, non peccat. num. 18.
Quid ſit virginitas, & an per copulam vi extortam abſque interno conſenſu amittatur. num. 19.
Fornicatio ſimplex, an ſit grauiſſimum omnium peccatum. num. 20.
An grauius homicidio. ibid.
An grauius furto. num. 21.

1\. FORNICATIO ſimplex eſt ſpecies luxuriæ, habet enim luxuria ſex ſpecies, & hæ ſunt, fornicatio ſimplex, ſtuprum, inceſtus, raptus, adulterium, peccatum contra naturam. Species appellantur moraliter, non philoſophicè: luxuriam autem ſic definit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 153. *art.* 3. in concluſione. *Eſt peccatum capitale, quo aliquis modum & ordinem rationis circa vene-*

Quid ſit luxuria.

D. Thom.

rea & voluptatem carnis excedit. Dicitur capitale, quia ex illius appetitu procedit homo ad multa peccata perpetranda, quæ ex illo tanquam ex fonte oriuntur. Finis luxuriæ eſt delectatio venereorum, quæ paſſio eſt vehementiſſima, propter appetitum ſenſitiuum, in quo reſidet. Hinc eſt, quòd Apoſtolus ait, 1. *ad Corinthios*, *ad finem*, contra luxuriam loquens, *Empti eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in nobis eſt.* Quia ex eo quòd quis inordinatè vtitur ſuo corpore, iniuriam infert Deo, & Spiritui ſancto, qui eſt principalis dominus illius; ſicut itaque caſtitas propriè ſumpta, eſt virtus moderatrix actuum venereorum, & voluptatum carnis, ita è contrario luxuria eſt vitium diſſipans hanc moderationem, & inducens omnem inordinationem, & intemperantiam circa venerea.

Quid ſit caſtitas.

2. *Fornicatio vnde dicta.*

Fornicatio venit à verbo *fornicor*; &, ſi vim vocabuli, & principiũ illius ſcruteris, fornicari idem eſt, ac meretricari, eo quòd meretrices in fornicibus olim, & locis obſcuris, ac concameratis ſe ponere ſolebant, vt turpi quæſtui operam darent, teſte Tolet. *lib. 5. ſummæ cap.* 10. & Farinacio *tomo* 4. *in praxi quæſt.* 137. *de delictis carnis, num.* 4. Menochio *de arbitr quæſt. caſu* 289. *n.* 6. in additionibus. Bermon. *in tractatu de publico concubinatu, rub. de fornicatione, num.* 2. & quamuis *ibi* ab eodem Bermon. alia etymologia addatur, vt ſcilicet fornicatio dicatur. quaſi formæ necatio, id eſt, animæ rationalis formatæ ad imaginem, & ſimilitudinem Creatoris, tamen illa prima germana eſt, & medullata vocis ſignificatio, vt patet.

Tolet. Farinacius. Menochius. Bermon.

3. *Quid ſit fornicatio ſimplex, quid duplex.*

Accipitur fornicatio largè, & ſtrictè, largè pro quocumque coitu illicito venereo; ſtrictè pro copula ſoluti cum ſoluta; vnde in tota ſua ſignificatione diuiditur fornicatio in ſimplicem, & duplicem, ſeu non ſimplicem: fornicatio ſimplex eſt concubitus, ſeu copula ſoluti cum ſoluta. Fornicatio duplex, ſeu non ſimplex, eſt copula ſoluti cum non ſoluta, aut non ſolutæ cum ſoluto, aut non ſoluti cum non ſoluta, aut non ſolutæ cum non ſoluto. Solutos autem appellamus illos, qui nullum vinculum matrimonij, conſanguinitatis, affinitatis, Ordinis ſacri, religionis, aut voti habent; non ſolutos verò illos, qui vinculum aliquod iſtorum habent, ita docent D. Thom. *in* 4 *diſt.* 41. Turrecrem. *in cap. ſic, num.* 1. 31. *quæſt.* 4. Tolet. *lib. 5. ſummæ cap.* 10. Menoch. *de arbitr. quæſtionib. in addit. ad caſum* 289. Bermon. *in rub. de fornicat. num.* 7. Farinacius allegatus, *num.* 7. & alij inter quos eſt etiam Syluester *verb. luxuria, verſu fornicatio.*

D. Thom. Turrecrem. Tolet. Menoch. Bermon. Sylueſter.

4. Prohibita autem fornicatione ſimplici, neceſſariò cenſetur etiam prohiberi deſiderium, & conſenſus illius, quia deſiderium, & conſenſus participant eandem malitiam ſui obiecti; vnde conſtat voluntatem, & conſenſum deliberatum ſine actu externo peccatum inducere lethiferum, & dari peccatum cogitationis, & conſenſus ſicut & operis, quod bene expreſſit Chriſtus Dominus *Matthæi* 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt in corde ſuo*, & refertur *in cap. qui viderit* 32. *quæſt.* 5. *& in cap. vnum, § criminis* 25. *diſt. & in cap. omnis, de pænit. diſt.* 1. Vnde non ſatis eſt dicere in confeſſione peccaſſe abſolutè, aut voluiſſe peccare, & conſenſiſſe in peccato luxuriæ contra ſextum præceptum; ſed oportet explicare ſtatum perſonæ, quem quis habet, & cum qua peccauit, aut voluit peccare, quia ſi erat coniugata, eſt adulterium: & ſi ipſe quoque erat coniugatus, eſt duplex adulterium, ac proinde duplex numero peccatum; ſi vidua, aut quæcumque alia ſoluta, & ipſe quoque eſt viduus, aut ſolutus, eſt ſimplex fornicatio, ſi conſanguinea, aut affinis carnalis. vel ſpiritualis, eſt inceſtus; ſi Monialis, aut, quæcumque alia perſona votum habens caſtitatis, ſimplex, vel ſolemne ſacrilegium. Si virgo, & cum illa ea renitente peccauit, vel voluit peccare, ſtuprum; dixi *ea renitente*, quia ſi illa conſenſerit ſponte ſua, fortè non erit pluſquam fornicatio ſimplex, vt patebit infrà *cap.* 4. ſi cum quacumque fœmina, ea inuita per violentiam è domo parentis abducta, eſt raptus; ſi fœmina cum fœmina, aut vir cum viro, aut vir cum fœmina extra vas naturæ, etiamſi ſit propria vxor, eſt peccatum contra naturam, & Sodomiæ; ſi cum brutis, eſt peccatum beſtialitatis, & ad peccatum contra naturam reducitur. Hæ omnes circumſtantiæ, vt dixi neceſſariò ſunt confitendæ, quia mutant ſpeciem peccati, patet enim ex Concilio Tridentino *ſeſſione* 14 *canone* 7. circumſtantias mutantes ſpecies peccatorum eſſe de neceſſitate confeſſionis, & nos id ſatis docuimus *in* 2 *præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ*, vbi de circumſtantiis confeſſionis latè egimus.

Conc. Trid.

5. *Simplex fornicatio eſt peccatum mortale.*

Eſt igitur fornicatio ſimplex peccatum mortiferum, iure naturali, & diuino, & humano prohibitum & non ſolum malum, quia prohibitum, ſed prohibitum, quia malum. Eſt doctrina de fide certa, patet ex *Clementin. ad noſtram, de hæreticis*, & habetur 1. *Corinth.* 6. ibi, *neque fornicarij regnum Dei poſſidebunt*, & ad *Galatas* 5. vbi fornicatio numeratur inter opera carnis, & adiungitur, *qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* & *ad Epheſeos* 5. *Omnis fornicator non habet partem in regno Dei*, idque confirmatur ex illo *Pſalmi* 72. *Perdes omnes, qui fornicantur, abs te*; & ex Leone X. in Bulla de concordatis, quæ eſt 116 in 1. parte Bullarij, *verſ. & cum omne*, ibi, *& cum omne fornicationis crimen lege diuina, & ſub pœna peccati mortalis prohibitum ſit*, & idem docent omnes Patres, & D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 153. *&* 154 Toletus *lib ſummæ cap.* 10. §. *Huius ſeptem ſunt.* Caietanus *ad locum D. Thomæ*, Valentia *diſput* 9. *q.* 3. *puncto* 3. Leſſius *tom.* 1 *lib.* 4. *de iuſt. cap.* 4. *dub.* 5. *&* 7. Azor *tom.* 3. *lib.* 3. Iulius Clarus *in practica*, §. *Fornicatio, num.* 1. Farinacius *tom.* 4. *diſp.* 137. *de delictis carnis, num.* 12. *&* 13. Menochius *lib.* 2. *de quæſt. arbitr. caſu* 189. *num.* 1. *& ibi in addit. ad numerum* 16. Anton. Gomez *ad legem Tauri* 80. *num.* 4. & hi alios citant. Quòd verò prohibita ſit etiam de iure Canonico, & humano, patet ex textu *in cap. nemo* 32. *quæſt.* 4. *& in cap. audire* 34. *& in cap. iubendi* 27. *quæſt.* 9. *& in cap. fornicari, diſt.* 80. & ex gloſſa *in Clem ad noſtrum, verſ. non eſt, extrà de hæreticis* Et probatur rationibus,

D Thomas. Toletus. Caietan. Valentia. Leſſius. Azor. Iul Clarus. Farinacius. Menoch. Anton. Gomez.

Primò, quia fornicatio opponitur virtuti temperantiæ per grauem exceſſum, qui exceſſus cùm ſit grauis deuiatio à regula rectæ rationis, neceſſariò erit peccatum mortiferum: grauitas autem, & malitia huius peccati in eo ſita eſt, quòd fornicatio directè deſtruit, & opponitur fini, ob quem Deus humanum coitum conceſſit; conceſſit autem non ſolùm ob multiplicationem filiorum, ſed etiam ob eorum rectam inſtitutionem, & educationem, quæ fieri ex rei natura non poteſt, niſi certum, ac determinatum patrem habeant, ſicut & matrem, quod per ſolum matrimonium

fit,

fit, in fornicatione enim ſimplici, imò & non ſimplici, nec mater, nec pater eſt determinatus, & ideo in ea non poteſt dari ex natura rei hæc bona educatio, & filiorum ſuſtentatio, quia ad hoc non ſolùm materna, ſed etiam paterna cura eſt neceſſaria. Eſt autem hoc adeò naturę conſonum, vt inter aliqua etiam bruta. cùm filiis generandis operam dant, videamus ſimilitudinem quandam matrimonij certi maris, & fœminæ; nunquam enim fœmina cum pluribus, ſed cum vno tantùm coit, & niſi hic inſtinctus eis à natura eſſet indultus, non fuiſſet illis ſatis ab ipſa natura prouiſum ad propagationem ſuæ ſpeciei, cùm ferè ſemper proles morerentur, neque enim ſola mater ad creandam, & ſuo modo educandam prolem ſufficeret. Simili ergo modo in genere humano, niſi eſſet matrimonij vinculum, rarò ex natura ſua proles bene educaretur, & ad ſtatum hominis perfecti perueniret, vt patet.

6. Secundò, quia ex fornicatione ſimplici, & vago coitu oritur luxuria: luxuria autem eſt graue peccatum, ex ea enim velut è capite, & fonte vnico, octo pullulant vitia grauiſſima, vt docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 153 *art.* 5. Cæcitas mentis, præcipitatio rationis, inconſideratio iudicij, inconſtantia in agibilibus, quæ quatuor vitia ad euerſionem rationis ſpectant; amor ſui, odium Dei, affectus vitæ præſentis, obliuio futuræ. quæ quatuor voluntatem euertunt, & hæc vitia ſunt interna, & velut genuinæ filiæ ipſius luxuriæ. nam ex ea vltra hæc octo vitia prominant etiam alia quatuor, teſte eodem D. Thom. D.Thom. & Leſſ. *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4 *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ dub.* 5. *n.* 44. quæ ſũt velut externæ, & nothæ filiæ, videlicet turpiloquia, ſcurrilia, ludrica, ſtultiloquia. Ex abundantia enim cordis, vt inquit Chriſtus Dominus *Matthæi* 12. *os loquitur*; vnde cùm voluntas & cor hominis luxurioſi plenum ſit turpitudine, neceſſe eſt, vt in hæc vitia erumpat. Eſt enim vitium carnis adeò vehemens, vt totum cor illius ad venereas actiones, & voluptates trahat, vnde fit, vt omnes ſuas curas, & ſtudia in eis conſequendis luxurioſus collocet, & vt ex eo ſtudio amor ſui, & odium Dei oriatur quia tam ſeuerè has voluptates cauet, vt ſub interdictione vitæ æternæ prohibeat. Vides quanta mala, & quàm maxima ex hoc fonte proueniant, non poteſt aqua turbida ex bono fonte emanare, verè capitale vitium eſt luxuria. Hinc luxurioſus homo, quaſi luxatus, & ſolutus dicitur in omnes voluptates, ac proinde ſolutus à lege Dei, quaſi eum non timeat.

7. *Quis magis peccet in fornicatione, fœmina, an mas.* In fornicatione autem ſimplici grauius peccat, iuxta D. Thomam. *in* 4 *diſt.* 35. *art.* 4. mas, quàm fœmina, cùm homines maiori vſu rationis polleant, quàm fœminæ, quamuis aliunde in adulterio magis peccet fœmina, quàm mas ratione maioris damni, quod infert; nam fœmina adultera ſupponit filios adulteros, qui damnum inferunt legitimis, quod non cernitur in viro, cum D. Thoma, idipſum tenet Toletus *libr.* 5. *ſummæ, cap.* 10.

8. *Refertur opinio Martini à Magiſtris.* Nec refert quòd extra matrimonium poſſit conueniens aliquando educatio prolis haberi, conducto optimo pædagogo, bono ſtipendio, quæ fuit ratio ob quam, vt refert Caietanus 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 2. Martinus à Magiſtris auſus eſt dicere, fornicationem ſimplicem, ſecluſa Dei prohibitione, ex natura ſua non eſſe peccatum mortiferum; tum quia non impediebat bonam prolis educationem; tum quia non erat contra dilectionem Dei, neque contra proximi amorem, quæ omnia falſa omnino ſunt. Nam quòd poſſit bonus pueri regens, ac educator quæri bono ſtipendio, id per accidens eſt, ſemper enim ex natura ſua non bene conſuleretur, naturaliter loquendo, prolis educationi, ſicut neceſſarium erat ex grauiſſima neceſſitate educandæ, ac perficiendæ prolis humanæ, cùm id ſolum locum habere poſſit in diuitibus, non in pauperibus, & ita ſi hoc verum eſſet in ſolis diuitibus non eſſet mortifera, ſimplex fornicatio, & quo quis eſſet ditior, eo cum pluribus licitè fornicari poſſit, ſecluſa Dei prohibitione; quo quid abſurdius. Præterea id non tollit inordinationem illam, quam actus fornicationis per ſe, & ex natura ſua habet, quatenus in eo prætermittitur conditio matrimonij, quam natura requirit ad perfectam, & connaturalem prolis educationem, quæ prætermiſſio cùm ſit rei grauis, & mortalis, mortale quoque peccatum neceſſariò inducit. De fide falſum eſt hanc fornicationem non eſſe contra charitatem Dei, & proximi; eſt enim directè contra charitatem proximi, cùm ſit contra bonum prolis naſcituræ, & indirectè, ac mediatè, contra charitatem Dei, vt optimè animaduertit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 4. & 5. D.Thom.

9. Nec etiam refert quòd illi, qui matrimonium contrahunt, ſint ſenectute ſteriles, vt dicamus in ſenibus non coniugatis, ſecluſa Dei prohibitione, eſſe licitam fornicationem ſimplicem, cùm generare prolem non poſſint, cuius educationis perfectio per eam impediatur: nam quod ob ſenectutem generari proles non poſſit, id per accidens eſt, cùm actus, & coitus copulæ, inter marem, & fœminam extra matrimonium ex natura ſua ſit aptus ad generationem prolis, & ad malam illius educationem, ſiue ex eo proles enaſcatur, ſiue non enaſcatur.

10. *Refutatur opinio Durandi.* Et ex dictis contra Martinum de Magiſtris obiecer refutata manet opinio Durandi *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 2. *num.* 10. qui aſſerit fornicationem ſimplicem iure naturæ, ſecluſa Dei prohibitione, *non mœchaberis*, eſſe malam, non tamen habere malitiam, & inordinationem mortalem, ſed venialem; mortalem verò habere ſolùm à iure diuino, quo prohibetur, & fundamentum illius erat, quia fornicatio ſimplex non meretur mortem æternam, ſecundùm legem naturalem, quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat de morte æterna, & ideo totam malitiam mortalem habet ex iure diuino plurimis locis expreſſo. Sed hoc fundamentum Durandi (quod illius verbis retulimus) futile omnino eſt, ſatis enim oſtendimus hanc inordinationem ex naturæ ductu eſſe grauem, & mortiferam, cùm ſit directè contra finem generationis humanæ, qui eſt intra ſpeciem ſuam generare prolem perfectam; perfecta autem eſſe non poteſt proles humana, niſi ex matrimonio oriatur, & planè ſi leuis eſſet ex natura ſua, ius diuinum ſuperueniens grauitatem illi non adderet, ſed relinqueret in ſuo gradu, nam Deus prohibens aliquid iure diuino, non facit illud grauius, quàm erat, ſed grauitatem indicat. non enim ideo malum eſt, quia grauiter prohibet, ſed ideo grauiter prohibetur, quia de ſe, & ex ſua natura graue eſt. Deinde ex fundamento Durandi ſequeretur, neq; homicidium, neque adulterium, neque ſodomiam eſſe peccata mortifera natura ſua, ſecluſa prohibitione diuina, cùm lex naturalis nihil dicat, nec nominet de morte æterna, quod omnino

abſurdum eſt: videmus enim nonnullos barbaros, in quibus lumen naturale videtur conſopitum, ſeueriſſimè furta, homicidia, adulteria, & ſodomiam punire, eo ſolùm, quia lumen naturæ dictat hæc eſſe grauiſſima mala, digna, quæ ſeueriſſimis ſupplicijs puniantur.

11. Dices melius eſſe proli generari, quàm non generari, melius enim eſt eſſe, quàm non eſſe; ſed in poteſtate parentum erat non eſſe, abſtinendo à fornicatione ſimplici. Ergo non videbuntur proli, abſolutè loquendo, nocuiſſe ſi ex fornicatione ſimplici illam generarent. Reſpondeo parum referre melius eſſe proli eſſe, quàm non eſſe, quia ſi parentes volunt dare operam generationi illius, debent ex lumine naturæ eo modo id facere, vt actio conuenientem ordinem habeat, non ſolùm ad generationem, ſed etiam ad perfectionem generationis, quæ eſt conueniens prolis educatio, quod in ſolo matrimonio fieri poteſt: vnde ſi actio generandi careat matrimonio, priuant ipſi parentes quantum eſt ex ſe, & ex vi actus, ipſam prolem naſcituram hoc bono, vt patet.

12. *Fornicatio ſimplex in nullo vitæ caſu licita eſt.* Ex dictis ſequitur fornicationem ſimplicem in nullo vitæ caſu poſſe eſſe licitam, ſi libera, & voluntaria ſit, quia eſt intrinſecè mala, & peccatum de ſe, & ex natura ſua graue, vt hactenus probauimus, & id patet inductione, quia non eſt licita de conſilio Medicorum ad tuendam vitam, & conſeruandam corporis valetudinem. Sicut enim nunquam eſt licitum mentiri, nec peierare, quia eſt intrinſecè malum, ita nec fornicari, quia ſimiliter eſt intrinſecè malum; deinde, quia tale medium, ac remedium non eſt ex natura ordinatum ad conſeruandam vitam, imò contrarium illi eſt, & ſi aliquo vitæ caſu eſſet neceſſarium, id eſſet per accidens, vt patet.

An detur ignorantia inuincibilis illius. Neque etiam eſt licita ob ignorantiam, quia lumen naturæ dictat ſemper eſſe illicitam ſaltem apud bene inſtitutos Chriſtianos: poteſt tamen eſſe tam barbarus ac incultus populus, vt apud illum detur ignorantia inuincibilis huius rei, quia quamuis omnia præcepta Decalogi naturalia ſint, & ex principijs per ſe notis deducta, vt, bonum eſt amplectendum, malum fugiendum; attamen quia non ita euidenter deducuntur, poterit aliqua ignorantia probabilis, & inuincibilis in talia præcepta cadere. Quid enim fornicatio ſimplex obſit proli naſcituræ, non ita perſpicuè cognoſcitur apud omnes homines, ſed apud pios, & bene inſtitutos tantùm, vt optimè docet Azor *tomo 1. inſt. moralium lib. 1. cap. 13. quæſ. 1. & tom. 3. lib. 3. cap. 4 quæſ. 1.*

Dixi, *apud bene inſtitutos tantùm*, quia in vrbibus, & oppidis, in quibus frequentes fiunt conciones, & pueri catecheſi Chriſtiana inſtruuntur, & viſitationes Epiſcoporum frequenter habentur, rarò inuenietur talis ignorantia; facilius enim in his oppidis ignorabitur flagitium eſſe fornicari cum ſolutis meretricibus expoſitis, quàm cum vaga fœmina non expoſita, quia ſunt multi in bene etiam inſtituto populo, qui neſciunt diſtinctionem facere inter peccata permiſſa, & non prohibita, quoad pœnam, & quoad culpam; ex eo enim quòd meretrices non puniantur, ſed publicè permittantur, putant non eſſe peccatũ fornicationem ſimplicẽ cum illis habere, imò putãt ad illas accedere, eſſe licitũ, vt ij, qui confeſſiones excipiũt, benè experiuntur, quos oportet erudire, ne fœdè, & indignè errent.

13. *In quibus caſibus fornicatio ſimplex non ſit peccatum ſi libera non eſt.* Sunt tamen aliqui caſus, in quibus fornicatio ſimplex poteſt non eſſe peccatum, quando ſcilicet non eſt libera, nec voluntaria. Primus eſt cùm deficit vſus rationis, & ſit inter amentes: ſecundus eſt inter ebrios, & ſic propter ebrietatem à peccato excuſatur Loth *Geneſeos 16.* qui ebrius cum duabus filiabus cum decipientibus concubuit, qui ſi ante ebrietatem periculum peccandi, aut ſe inebriandi præuidiſſet, & nihilominus à vino nõ abſtinuiſſet, nullo modo à peccato excuſaretur; ideo enim excuſatur Loth, quia antea nullam vini experientiam habebat, nec tale peccatum præuidit, eſt communis ſententia, ita Nauarrus *in manuali Lat. cap. 16. num. 2.* & habetur *in cap. meritò 15. quæſt. 1. & cap. ita ne 32. quæſt. 5.* Nauarrus

14. *Coitus cum infideli ſoluta reducitur ad fornicationem ſimplicem.* Ad peccatum fornicationis ſimplicis reducitur copula à Chriſtiano habita cum infideli fœmina ſoluta voluntariè ſe tradente, potius enim ad hanc ſpeciem luxuriæ reducetur, quàm ad alias numeratas, quia ſecluſo publico ſcandalo, & periculo ſubuerſionis, vel contemptus religionis Chriſtianæ, nõ adeſt malitia, niſi ſimplicis fornicationis in eo actu; grauior tamen eſſet culpa ad illam accedere, quàm ad aliam eiuſdem religionis Chriſtianæ, vt optimè docet Filliucius *tom. 2. tract. 3. in 6. Decalogi precepto cap. 2. num. 52. quæſ. 8.* licèt Nauarrus *in manuali Latino cap. 16 num. 13.* videatur aſſerere non eſſe ſimplicem fornicationem, ſed grauius peccatum, ſacrilegij ſcilicet, aut alterius naturæ, quia tam leges ciuiles, quàm canonicæ grauiùs hoc peccatum puniunt; quod tamen non arguit malitiam ſpecie diſtinctam ab ipſa ſimplici fornicatione, ſed arguit intra eandem ſpeciem grauiorem peccati circunſtantiam, & verò Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 4. de ſpeciebus luxuriæ, cap. 3. dub. 6. num. 45.* hoc peccatum ad ſacrilegium reducit expreſsè; tale tamen reuera non eſt, neque enim Chriſtianus eo, quia Chriſtianus eſt, votum habet non accedendi ad fœminam infidelem, neque etiam illa non accedendi ad illum, vt patet. Filliucius. Nauar. Leſſius.

15. *Copula cum ſponſa alterius de futuro an ſit fornicatio ſimplex.* Sed iam dubium hîc oritur, an copula habita cum alterius ſponſa ad fornicationem ſimplicem, an ad adulterium reducatur. Cui breuiter reſpondeo, ſi fuerit cum ſponſa de futuro, eſſe fornicationem ſimplicem; adulterium verò, ſi fuerit cum ſponſa de præſenti; eſt enim matrimonium de præſenti ratum, licèt non conſummatum, verum matrimonium, vnde ſponſus de præſenti habet ius accuſandi vxorem propter adulterium, quod non habet ſponſus de futuro; neque enim inter ſponſos de futuro datur verum matrimonium, licèt vera detur promiſſio futuri matrimonij: eſt tamen in ſponſis de futuro ex parte tantùm ſponſæ, ea ipſa circunſtantia neceſſariò confitenda, non ex parte ſponſi, non quia mutet ſpeciem peccati, & de ſimplici fornicatione fiat adulterium, quemadmodum fit in ſponſis de præſenti, ſed quia ea circunſtantia ex parte ſponſę reſpectu ſponſi eſt grauis iniuria: non ita verò ex parte ſponſi reſpectu ſponſæ de futuro, quia non tanta honeſtas requiritur in ſponſo, quanta in ſponſa, ita expreſsè docet Sanctius *lib. 5. de matrimonio diſp. 2. num. 6.* & Filliucius *tract. 30. in ſextum præceptum, cap. 2. num. 53.* licèt Filliucius videatur aſſerere ex vtraque parte eſſe circunſtantiam notabiliter aggrauantem, & neceſſariò confitẽdam; ſed ſi hoc vult, fallitur, quia, vt dixi, non tanta honeſtas requiritur in viris, quanta in fœminis. Sanctius. Filliucius.

Cùm verò fornicatio ſimplex ſit de ſe, & ex natura ſua, peccatum lethiferum, 16.

Sequitur primò non ſolùm eſſe peccatũ lethale accedere ad meretrices toties, quoties; verùm etiam

etiam inducere eas, & inuitare ad talem acceſſum, ſiue paratæ ſint, ſiue non paratæ, quia hîc, & nunc datur inuitatio, & cooperatio ad indiuidualem actum, quem licitè facere non poſſunt, & quem non facerent, niſi ad illum inuitarentur; & ſimiliter dare etiam pecuniam vel dono, vel mutuo, tam volentibus, quàm nolentibus, id ſcelus admittere, ea intentione, vt peccent, eſt etiam peccatum mortiferum, quia eſt cooperari ad malum, vt patet, & docet Syluester *verb. concubinarius*, *quæſt.* 3. Filliucius *tract.* 30. *in* 6. *præceptum Decalogi cap.* 2. *num.* 48. & communiter omnes.

Filliucius. Syluester.

17. Sequitur ſecundò illos, qui inducunt alios ad fornicarios actus, non ſolùm peccare mortaliter ratione proprij peccati, ſed etiam cooperatores eſſe, & participes peccatorum ſecum concumbentium, & ideo in foro etiam externo grauiſſimè puniuntur; prima enim vice flagellis à tergo cæduntur, ſecunda ſignantur Romæ in fronte. apud alias nationes variè puniuntur, ſed grauiter.

18. Sequitur tertiò cùm peccatum in voluntate conſiſtat, ſi fœmina aliqua comprehendatur in loco obſcuro, & ad turpem actum cogatur, non peccare ipſam fœminam dummodo interiùs non conſentiat tali actui: ita docet Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 10. *num.* 4. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 2. D. Antonin. 3. *part. titulo* 8. §. 6. *ſub finem.* Si verò ipſa conſentiat, non excuſabitur à culpa mortali, etiam ſi talis conſenſus vi extorqueatur; vnde tenetur potius mille mortes pati, quàm taliter conſentire, & neque minæ, neque metus mortis, neque periculum infamiæ, vociferationem impediens à graui culpa conſenſus fœminam vi comprehenſam excuſabunt, quamuis hæc illam ex parte minuant, vt egregiè notauit Nauarrus *loco allegato*, & habetur *in cap. merito*, 15. *quæſt.* 1. *& cap. ita ne* 32. *quæſt.* 5.

Toletus. Nauarrus. D. Antonin. Nauarrus.

19. *Quid ſit virginitas, an per vim abſque conſenſu vt eſt virtus amittatur.*

Hinc ſi talis fœmina vi comprehenſa virgo ſit, ſi nequaquam conſentiat in ſui defloratione, non amittet virginitatem, etiamſi illi violetur virginale clauſtrum; licèt enim virginitas tunc naturaliter amittatur, vt eſt ſtatus naturalis ipſius fœminæ; non amittitur tamen, vt eſt moraliter virtus, etiamſi per vim corrumpatur, & generet, quia virginitas, vt eſt virtus animi, non niſi per voluntarium conſenſum amittitur, vnde ſi ſit inuoluntarius, violabitur quidem virginale clauſtrum, non tamen amittetur virtus virginalis; & ratio eſt, quia virginitas duobus modis ſumitur.

Primò naturaliter pro integritate ſignaculi, & clauſtri virginalis, & pro inexperientia actus per quem fiat, aut fieri poſſit ſeminis reſolutio.

Secundò pro voluntate, & propoſito illius integritatis ſeruandæ ab omni libidinoſa contagione libero.

Primo modo virginitas non eſt virtus, ſed eſt quid naturale, conſtituens ſtatum quendam naturalem in fœminis, qui ſtatus abſque peccato amitti poteſt inuoluntariè.

Secundo modo eſt virtus intendens, & proponens ſeruare ſuam integritatem immunem ab omni libidinis contagio, vel vſque ad finem vitæ, vel ad tempus tantùm, vſque ad matrimonium; & hoc modo non amittitur, niſi per voluntarium conſenſum in actu turpi, cùm enim quatenus virtus in deliberato, & libero conſenſu, & propoſito conſiſtat, ſequitur euidenter, vt non amittatur niſi per contrarium conſenſum voluntarium, non inuitum, nec coactum. Ita colligitur ex D. Augu-ſtino *lib. de virginitate, cap.* 13. docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 1. Caietanus *ibi*, Valentia *diſput.* 9. *quæſt.* 1. *puncto* 2. Filliucius *tract.* 30. *in ſextum præceptum Decalogi*, *cap.* 1. *num.* 22. & alij communiter.

D August. D Thom. Caietan. Valentia. Filliucius.

20. Inquires ad finem huius capitis, an peccatum fornicationis ſimplicis ſit omnium grauiſſimum, quæ in Decalogo prohibentur? Reſpondeo negatiuè.

Primò enim grauiora ſunt illa tria, quæ continentur in prima tabula, & quæ ad Deum, & illius honorem pertinent immediatè; vnde non eſt grauius peccatum iis, quæ ſunt contra Deum, aut contra honorem, vel cultum Dei immediatè, vt optimè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 3. *in concluſione*, ibi, *quamquam fornicatio grauior ſit peccatis quæ fiunt contra externa hominis bona; minus tamen peccatum eſt, quàm vitia contra Deum, & quàm homicidium*; hæc ille. Et ratio eſt, quia grauitas peccati deſumitur ex magnitudine boni, cui opponitur: maius autem eſt bonum diuinum, quàm humanum; vnde grauiora ſunt peccata, quæ Deo, vel honori Dei immediatè opponuntur, & quæ committuntur contra virtutes theologicas fidei, ſpei, & charitatis, quàm peccatum ſimplicis fornicationis.

D.Thom.

An grauius homicidio.

Secundò non eſt grauius peccatum ex genere ſuo, quàm omnia quæ fiunt contra homines; grauiora enim ſunt ea, quæ fiunt contra hominum vitam. hinc homicidium grauius peccatum eſt ipſa fornicatione ſimplici, quia opponitur meliori bono, nempe vitæ hominis iam nati; fornicatio verò opponitur educationi bonæ hominis naſcituri.

An grauius furto.

An grauius ſit furto addubitant aliqui, D. Thomas citatus videtur affirmare, quia quo maius eſt bonum cui vitium opponitur, maior eſt grauitas ipſius vitij: fornicatio autem opponitur bonæ educationi hominis; furtum verò opponitur bonis externis ipſius hominis: minus autem ex genere ſuo bonum eſt habere bona fortunæ, quàm carere educatione perfecta. Martinus tamen à Magiſtris apud Caietanum 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 3. id negat.

Martinus à Magiſtris.

Primò, quia furtum eſt contra iuſtitiam; fornicatio verò ſimplex in ordine ad damnum prolis naſcituræ, eſt contra charitatem: præſtantior autem eſt virtus iuſtitiæ, quàm charitatis.

Secundò, quia per furtum læditur homo iam exiſtens: per fornicationem autem ſimplicem nemo propriè læditur, ſed læditur proles naſcitura, ſi fortè naſcitura eſt, quia fortè non naſcetur, & quamuis naſcitura ſit, melius illi eſt abſolutè eſſe, & non bene educari, quàm non eſſe. Sic ſe habet opinio Martini à Magiſtris, quæ non eſt improbabilis; opinio tamen D. Thomæ præualet, quia, abſolutè loquendo, fornicatio ſimplex eſt contra bonum vitæ, quia eſt contra bonum vitæ futuræ: maius autem eſt, abſolutè loquendo, bonum vitæ, quàm bonum fortunarum.

Ad rationes verò Martini à Magiſtris reſpondebis, fornicationem ſimplicem etiam eſſe ſuo modo contra iuſtitiam quatenus abſolutè nocet perfectæ vitæ hominis.

Ad ſecundam dices maius peccatum eſſe, quàm furtum, quia opponitur meliori bono hominis, nempe vitæ, & hoc modo conſiderata ipſa fornicatio eſt peccatum contra iuſtitiam, lædit enim vitam hominis, abſolutè loquendo, ſed imperfectiori modo, quia non lædit vitam exiſtentis hominis,

minis, ſed futuri: at furtum lædit hominem iam exiſtentem, non in vita, neque in perfectione illius, ſed in bonis externis, ex quo fit, vt maius peccatum ſit fornicatio ſimplex, quàm ſimplex furtum.

Capvt II.

De concubinatu, quid ſit, ad quam ſpeciem luxuriæ reducatur, quæ illius pœnæ, an concubinarius ſit ipſo iure ſuſpenſus, & excommunicatus, & an Epiſcopi poſſint punire laicos ob illum.

SVMMARIVM.

Quid ſit concubinatus de iure ciuili. num. 1.
Quid ſit de iure Canonico. num. 2.
Eſt graue & periculoſum peccatum. num. 3.
An ſint abſoluendi concubinarij, & quatenus, & quid in articulo mortis, ſi non poſſint eycere concubinas. num. 4. & 3.
Contra laicos nullæ ſunt pœnæ iure Canonico in concubinarios ſtatutæ, poſſunt puniri arbitrio Epiſcopi, num. 5. *Quid Concilium Tridentinum contra eos ſtatuat.* ibidem.
Concilium Tridentinum non excommunicat ipſo facto concubinarios, num. 6. *Poſſunt illi ab Epiſcopis excommunicari, ibidem verſu Notabis ſecundò.*
Qui ſint publici concubinarij, ſiue Clerici, ſiue laici, num. 7.
Concilium Tridentinum non ſolùm interdicit Clericis habere concubinas; ſed etiam mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio. num. 8.
An publici concubinarij ſint ipſo facto de iure ſuſpenſi. Refertur prima ſententia affirmans, & fieri irregulares ſi in ea ſuſpenſione ſacros Ordines ſolemniter exerceant. num. 9.
Aſtruitur ſecunda, & verior ſententia negans eſſe ipſo facto de iure ſuſpenſos. num. 10.
Explicatur Concilium Tridentinum, quatenus huic ſententiæ videtur obſtare. num. 11.
Iura ſi quæ erant in quibus ſuſpenſio ipſo facto publicis concubinariis imponebatur, non ſunt hodie in vſu, abierunt in deſuetudinem. num. 12.
Explicatur declaratio Cardinalium allata pro prima opinione. num. 13.
An Miſſas audire, & Sacramenta recipere, & petere poſſimus à concubinariis publicis. num. 14.
Quid de publicis fornicatoribus. num. 15.
An in prima opinione pœna ſuſpenſionis locum habeat in Clericis, in minoribus. num. 16.
An Clerici publici concubinarij ſint ipſo iure excommunicati. num. 17.
Concubinæ olim apud Hebræos, quæ, num. 18. & 25.
Erant licitæ, an diuina diſpenſatione, ibidem ad finem.
Laicis concubinariis de iure ciuili nullæ ſunt pœnæ decretæ, num. 19. & 26. *Nec etiam de iure Luſitano, aut Gallico, aut Caſtellano, & quibus concubinariis.* num. 26.
An crimen concubinatus puniri poſſit ex officio à iudicibus ſecularibus, & ſit merè ſeculare, num. 20.
Quoad culpam præteritam, & punitionem illius, eſt merè ſeculare; quoad emendationem futuram, eſt merè Eccleſiaſticum. num. 21.
Quid de iure Luſitano. num. 22.
Concubinæ Eccleſiaſticorum, an puniri poſſint à iudicibus ſecularibus. num. 23.
Quid ſi ſint occultæ. num. 24.
Concubinatus eſt iure naturæ illicitus, olim tamen apud Romanos permittebatur, & quare, num. 25.

1\. Ad peccatum ſimplicis fornicationis reducitur concubinatus; & verò concubinatus ſumitur latè, & preſsè. Latè ſumitur pro concubitu, & contubernio viri cum fœmina ſoluta, ſiue in domo propria, ſiue in aliena, velut vxor habeatur, ad quam quis frequenter ex conſuetudine accedat, & hoc modo ſumitur in iure Canonico; recole autem quæ ſit fœmina ſoluta ex iis, quæ diximus *in cap.* 1. *num.* 3. eſt enim fœmina ſoluta illa, quæ vinculo caret matrimonij, conſanguinitatis, affinitatis, voti, ſimiliter de viris: non ſolutos verò, & non ſolutas illas eſſe conſtat, quæ aliquod iſtorum vinculum habent. *Quid ſit concubinatus latè.* Preſsè, & iure ciuili antiquo ſumebatur olim pro concubitu viri ſoluti cum fœmina ſoluta in domo propria, vt propria vxore retenta & tractata: hodie verò ſumitur ex conſenſu omnium pro concubitu cum fœmina ſoluta in domo propria, vt propria vxore retenta, tractata, & alta, & non eſt opus, vt vir ſit ſolutus. *Quid ſit preſsè.* Fuit ergo olim concubinatus de iure ciuili antiquo apud Romanos nihil aliud, quàm diuturnum contubernium ſoluti cum ſoluta, qui nullo vinculo matrimonij, nulla ſanguinis, aut affinitatis neceſſitudine erant coniuncti in eadem domo retenta, & inibi in eodem affectu commorantium. *Olim quid erat de iure ciuili.* Hodie verò nihil aliud eſt, quàm concubitus viri cum fœmina ſoluta, quam quis domi propriè velut propriam vxorem publicè retinet, tractat, & alit, ita paſſim Doctores apud Farinacium *tom.* 4. *quæſt.* 138. *num.* 3. & 10. & apud Toletum *lib.* 5. *ſummæ cap.* 10. & Nauarrum *in ſumma Lat. cap.* 16. *à num.* 1. & etiam Bern. Diaz *in pract. apud Salzedum, cap.* 73. & 79. dicitur quam quis retinet, quia illa particula, *quis*, denotat quemcumque virum ſiue ſit ſolutus, ſiue coniugatus, ſiue ſacris initiatus, ſiue Religioſus, ſiue quicumque alius. *Quid hodie. Farin. Toletus. Nauarrus. Diaz.* Hæ igitur requiruntur conditiones ad concubinatum de iure ciuili, vt docet Farin. allegatus *num.* 8.

Prima, vt mulier, & vir ſimul cohabitent.

Secunda, vt retineatur in domo propria velut propria vxor. nam ſi extra domum retineatur, non dicetur de iure ciuili concubina, ſed Canonico; per propriam domum, locatam etiam intellige.

Tertia, vt carnaliter frequenter commiſceantur, cùm vnicus concubitus non ſufficiat ad concubinatum, nec illius pœnas producat, vt docet Farinacius citatus, *num.* 9. & Bernardus Diaz *cap.* 79.

Quarta, vt mulier, quæ domi retinetur, ſit ſoluta.

Quinta, vt ſit vnica, & non plures, quia in concubinatu requiritur indubitatus affectus, ſicut & in vxore, & marito; ſi enim loco vxoris habetur, neceſſe eſt, vt ſit vna, non plures, cùm vxores non poſſint eſſe plures.

Sexta, vt publicè retenta ſit tractata, vel alta, & vt vxor propria, & reputata tanquam concubina, & tanquam talis omnibus nota, non tanquam pediſſequa cognita, aut affinis; quia ſi cognationis, aut affinitatis titulo habeatur, dicetur inceſtùs, ſi titulo

titulo pediſſequæ, non dicetur retineri vt vxor, nec vt talis tractabitur. plures conditiones vide apud Farinacium,multas enim alias numerat, ſed omnes ad has reducuntur.

2. *Quid ſit concubinatus de iure Canonico.*

De iure verò Canonico ſic deſcribitur: *Eſt concubitus viri cum fœmina ſoluta,quam quis vel in domo propria,vel extrà retinet,& ad quam frequenter, vel ex conſuetudine accedit, ſiue retineat, vt concubinam, ſiue vt pediſſequam, ſiue quocumque alio titulo*; quare, vt Clericus concubinarius dicatur, ſatis eſt quòd concubinam domi habeat tanquam pediſſequam ſororis,vel matris,modò conſtet eſſe concubinam, & vt talis publicè habeatur,vt egregiè notauit Filliucius *tractatu 3.in ſextum præceptum Decalogi,cap.2.num.55. ad finem*, & Bernard. Diaz *in pract. cap.73. in prima editione*.

Filliucius. Diaz.

3. *An concubinarij teneantur eijcere concubinas, & ſint abſoluendi ſi non eijciant.*

Ex dictis conſtat concubinatum eſſe graue, & periculoſum peccatum,non enim ſolùm concubinarius peccat, ſed etiam continuò manet in ſtatu peccati, & propoſito ſaltem virtuali perſeuerandi in illo,& ideo tales non ſunt abſoluendi,niſi priùs ipſam concubinam eiiciant,quia ad ſui veram pœnitentiam exigunt,non ſolùm omiſſionem & ceſſationem ab actu carnali, ſed etiam receſſum à tali ſtatu, qui non datur,niſi per veram eiectionem concubinæ, quod intelligendum eſt in articulo etiam mortis,ſi tempus datur eiiciendi,& non detur ſcandalum nam ſi detur,ſufficiet firmum propoſitum eiiciendi. Ita Toletus *lib.5.ſummæ,§.alter caſus,cap.10.* Nauarrus *in ſumma Lat.cap.6. à num.1.* Filliucius *citatus num.56.*

Toletus. Nauarrus. Filliuc.

4. Quòd ſi domi concubina non habeatur, differenda eſt abſolutio concubinariis arbitrio prudentis Confeſſarij,quoad vſque videantur ab ſtatu,& cōſuetudine peccandi deceſſiſſe,idque præſertim, ſi ſæpe emendationem vitæ propoſuerunt,& non continuerunt ſeſe, nec tam perfecta contritio in eis appareat.nam tam potens, ac vehemens poteſt eſſe contritio,& tam efficax propoſitum eiiciendi illam, vel ab ea conſuetudine recedendi, vt moraliter iudicet Confeſſarius conueniens eſſe,vt eis abſolutio conferatur, in quo negotio maxima prudentia Confeſſarij neceſſaria eſt.

5. *Pœnæ nullæ ſunt iure Canonico ſtatutæ contra laicos concubinarios, puniuntur arbitrio Epiſcopi.*

De pœnis concubinatus, quæ in iure Canonico contra Clericos ſunt ſtatutæ, ſtatim dicemus *à num.9.*Contra laicos nullę ſunt in eodem iure decretæ, niſi quas Epiſcopi eis voluerint infligere poſt trinam admonitionem, vt docet Filliucius *tractatu 33. in ſextum præceptum Decalogi, cap.2. num.58.*Farinacius *tom.4.quæſt.138.de delictis carnis,n.76* Menochius *de arbitrariis quæſt.caſu 289. num.17.in additionibus.*Iulius Clarus *in practica,§. Fornicatio, num.6.* Ignatius Lopez *in additionibus ad Bernardum Diaz in pract.crim.cap.79.in verb. concubinarij,litera B.verſic Laicus verò.* Videatur Concilium *de Reformat.ſeſſ.24 cap.8.* vbi ſtatuit, vt concubinarij cuiuſcumque ſtatus & dignitatis ter admoneantur, & niſi reſipuerint, excommunicentur, & ſi in excommunicatione per annum permanſerint,puniantur arbitrio Epiſcopi ex officio,nullo etiam requirente: concubina autem ter quoque admoneatur, & niſi reſipuerit, eiiciatur è ciuitate, & ſi videbitur Epiſcopo, etiam extra Diœceſim,inuocato ad id brachio ſeculari,ſi opus fuerit: ibi, *Graue peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere, grauiſſimum verò vxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu viuere; quare, vt huic malo ſancta Synodus opportunis remediis prouideat,ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quàm vxoratos,cuiuſcumque ſtatus,dignitatis,& conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiicerent, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint,excommunicatione feriendos eſſe, à qua non abſoluantur,donec re ipſa admonitioni factæ paruerint; quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur; mulieres verò ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, quæ cum concubinariis publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, & Diœceſim, ſi id ordinariis videbitur, inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, eijciantur; aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios in ſuo robore permanentibus.* Hæc Concil.Trid

6. *Concilium nullam ponit excommunicationem laicis concubinariis,ſed iubet poni. Solùm imponi poteſt publicis concubinariis. Sufficit trina admonitio generalis.*

Notabis primò nullam excommunicationem poni concubinariis à Concilio, ſolùm enim iubet ac præcipit, vt ab ordinariis, ſi id illis viſum fuerit, excommunicentur.

Notabis ſecundò, hanc excommunicationem ſolùm preſsè imponi publicis concubinariis, non occultis,vt patet ex Concilio,ibi, *qui cum concubinis publicè viuunt*; & ratio eſt, quia cùm excommunicatio ſit pœna publica, publicum etiam peccatum requirit, vt optimè notauit Farinacius allegatus *num.85*.

Notabis tertiò, ſufficere generalem admonitionem, quòd omnes concubinarij concubinas dimittant, & non eſſe opus, vt vnicuique illorum hæc trina monitio peculiariter intimetur, vt docet idem Farinacius allegatus *num.84. & 83.* & alij quos *ibi* citat.

7. *Qui ſint publici concubinarij.*

Publici autem concubinarij, ſiue Clerici, ſiue laici ſint, ſunt illi, quorum concubinatus notorij ſunt, vel per ſententiam, aut confeſſionem iure factam, vel per euidentiam rei, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari. Exemplum ponit Toletus *lib.1.ſummæ cap.47. num.1.* & Syluester *verb.concubinarius, num.1.* & Abbas *in cap Veſtra,num.7. de cohabitatione Clericorum, & mulier.* in Clerico, qui retinet concubinam domi, vti vxorem, itavt ipſe id non audiat diffiteri. Notorium etiam & publicum concubinarium appellat Farinacius citatus *num 83.* illum,qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & diffamatam domi tenet, & per ſuum ſuperiorem admonitus,vt ipſam cum effectu eiiciat, non eiicit; quando autem dicatur Clericus publicus,& notorius concubinarius,videndus omnino eſt Bernardus Diaz *in pract. criminali, cap.79. in vltima editione,in verb.concubinarij,n.1. ad finem, verſu. quando autem dicatur Clericus publicus concubinarius*, vbi id latè, & benè explicat, & quæ de Clerico publicè concubinario ibi dicta ſunt, de laico etiam intellige.

Toletus. Syluester. Abbas. Farin. Diaz.

8. Quare idem Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. de Reform. c.14* interdicit etiam Clericis non ſolùm retinere concubinas, ſed mulieres etiam, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extrà, alioqui ſi à ſuperioribus moniti ab illis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum,obuentionum, & prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcumque,& penſionum,ipſo facto ſint priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi applicetur, vbi illos quoque, qui has ſuſpectas mulieres domi vel extrà retinent,publicos concubinarios reputat idem Concilium. Ex quo id ipſum ſumpſit Farinacius. Nam priuatio tertiæ partis fructuum per ſententiam, eſt publicum ſupplicium, quod non niſi in publicum, ac noto-

rium

rium crimen cadere poteſt; & quamuis Concilium addat, *ipſo facto ſint priuati*, hoc intelligendum eſt ipſo facto poſt ſententiam latam, quòd noluerint parere admonitioni ſuperioris, vt ſæpe dictum, ac repetitum manet ſuperiùs.

9\. *Refertur opinio aſſerendo publicos concubinarios eſſe ipſo facto ſuſpenſos, & fieri irregulares ſi celebrent.*

Dubium ergò eſt, quænam pœnæ ſint iure Canonico contra Clericos publicos concubinarios impoſitæ. Quidam enim putant pœnam ſuſpenſionis ipſo facto illis imponi, & hac de re partita eſt ſententia, & vtraque valde eſt probabilis.

Prima abſolutè docet publicos, & notorios concubinarios eſſe ipſo facto de iure ſuſpenſos, & irregulares fieri, ſi in eadem ſuſpenſione celebrent, aut actum ſacri Ordinis exerceant, quia ſuſpenſi ſunt ipſo iure ab officio & beneficio quoad ſe, & quo ad alios. ita docet expreſsè Toletus *lib. 1. ſummæ cap. 47. num. 1.* Syluester *verb. concubinarius §. 1.* Nauarrus *in Manuali Lat. cap. 25. n. 76. verſu 15. peccat.* Bernardo Diaz *cap. 33* apud Salzedum, Panormit. *in cap. veſtra, de cohabitatione Clericorum, & mulier.* Iulius Clarus *§. Fornicatio, num. 4. & lib. 5 quæſt. 75. num. 3.* Maiolus *de irregularitate, lib. 5. cap. 37.* Fumus *verb. concubinarius, num. 5. & verb. Clericus, num. 13.* Viualdus *in candelabro aureo, tit. de ſuſpenſione, num. 19.* Veiga *in ſumma 2. parte. cap 108 caſu 3* Azor *lib. 6. cap. 7. quæſ 5* Rebuffus *in Concordatis, titulo de publicis concubin. in prima, tertia, & nona pœna* Villadiego *de irregularitate, cap 3. num. 15.* Guido Papæ *deciſione 558.* Farinacius *tom. 4. quæſt 138. de delictis carnis, num 55* Innocent Hoſtienſis, Butrius, Archidiaconus *in cap. veſtra, de cohabitatione Clericorum, & mulier.* Decian. *in tractatu crimin. lib. 6. cap. 21. num 10 & num. 14.* Viuius *opinione 123. n. 1. & 2.* Ludouicus Lopez *2. part. inſtruct. cap. 23. num. 5* vbi ait id etiam procedere quo ad Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, in Clericis enim Minoribus aſſerit non inueniri ius in quo ea prædicta ſuſpenſio ſtabilimentum habeat.

Toletus. Syluester. Nauarrus. Diaz. Panorm. Iul Clar. Maiolus. Fumus. Viualdus. Veiga. Azor. Rebuff. Villadieg. Guido. Farinac. Innocent. Hoſtienſ. Butrius. Archidiac. Decianus. Viuius. Lud Lopez.

Probatur primò *ex cap. veſtra, de cohabitat. Clericor. & mulier. & ex cap. quæſitum, eodem tit.* vbi dicitur huiuſmodi concubinarios publicos eſſe ſuſpenſos, & quoad ſe, & quo ad alios.

Probatur ſecundò ex declaratione Cardinalium Concilij Trid. *ſuper cap. 14. ſeſſ. 25. de Reform.* quæ ita ait, *Clerici concubinarij ſunt etiam hodie, ſi notorij ſint, ipſo iure ſuſpenſi à diuinis, prout etiam in vetere iure ſunt.*

Probatur tertiò, quia prædictum Concilium *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 8* non imminuit, ſed innouat & relinquit in ſuo robore pœnas iuris antiqui contra concubinarios in ipſo iure ſtatutas, ibi, *aliis pœnis contra concubinarios in ſuo robore permanentibus.* Quod idipſum intelligendum eſt de *cap 14. ſeſſ. 25.*

10\. *Statuitur ſecunda ſententia negans.*

Secunda ſententia, meo iudicio probabilior, docet notorios concubinarios non eſſe hodie ipſo iure ſuſpenſos, nec fieri irregulares, ſi in peccato publici concubinatus exiſtentes celebrent, aut ſacros Ordines exerceát publicè, & ſolemniter, poſſe tamen ſuſpendi à iudice, vel Epiſcopo, ſi poſtquam ter moniti fuerint, vt à concubinatu recedant, & concubinas eiiciant, non paruerint, aut ſi paruerint, ſtatim ipſas, vel alias de nouo auſi fuerint admittere, ad eundem publicum concubinatum, vt docet Concil. Tridentinum *ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 8. & ſeſſ. 25 ibidem, cap. 14.* eam docet expreſsè Suarius *tom. 5. de cenſuris diſput. 31. ſect. 4. à num. 4.* & præcipuè *n. 10. & tom. 3. de ſacrament. diſp. 18. ſect. 1. § ſecundo, litera C.* Saytus *de cenſuris, lib 4. cap. 16 num. 24.* Auila *3. part. diſp. 5. dub. 2.* Garcia *de beneficiis, 7. part. cap. 14. n. 32.* Sotus *in 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. circa ſecundum argumentum Diui Thomæ, & diſt. 13. quæſt. 1 art. 9.* Rodrig. *in ſumma tom. 2. cap. 67. n. 1.* Medina *in ſumma lib. 1. cap. 11. §. 8.* Veiga *ſecunda part. ſummæ cap. 108. caſu 5.* Henriquez *lib 9. de excomm. cap. 25 §. 13. ad marginem litera P.* Oldradus *conſilio 288. num. 1.* Innocent. *in cap. ſi celebrat. de Clericis excomm. miniſtrant. n. 3.* Archidiaconus *in cap. 1. de re iud. in 6.* Imola *in cap. ſicut, de cohabit. Clericorum & mulier. col. 1. in fine.* Couarruuias *in Clem. ſi furioſus, 1. p. §. 1. num. 5.* Guttier. *lib. 1. quæſt. canon. cap. 7. n. 85.* Vela *de pœnis delict. cap. 6. verſ. ſed eorum ſententiam.* Vgolinus *de irregularitate, cap. 43. §. 3.* & alij plures.

Suarius. Saytus. Auila. Garcia. Sotus. Rodrig. Medina. Veiga. Henriquez. Oldradus. Innocent. Archidiac. Imola. Couarr. Guttier. Vela. Vgolinus.

Probant primò, quia ſuſpenſio, irregularitas, & excommunicatio ſunt quædam pœnæ, quæ non incurruntur ipſo facto, niſi in iure ſint euidenter, & indubitanter expreſſæ, vt omnes fatentur: at nullibi in iure expreſſum eſt, publicos concubinarios eſſe ipſo iure, & facto ſuſpenſos; ergo non ſunt ipſo facto ſuſpenſi. Maior eſt certa; minor probatur, quia *in cap. Clerici, de cohabit. Cler. & mulier.* quod aduerſarij pro ſe adducunt, non imponitur ſuſpenſio ipſo facto publicis concubinariis, & fornicatoribus; ſed præcipitur imponenda ab Epiſcopis, ſi ipſis videbitur ibi, *verùm ipſos per ſuſpenſionis, & interdicti pœnas debes arctiùs cogere, vt mulieres ipſas à ſe ita remoueant, quòd de illis ſiniſtra ſuſpicio non poſſit haberi, & ſi qui eorum ad ipſas redire vel alias accipere præſumpſerint, in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis ſententiam proferre.* Neque etiam *in cap. quæſitum, eodem titulo*, in quo præcipuè fundantur contrarij authores, id dicitur expreſsè, ita enim *ibi* Summus Pontifex ait, *Quæſitum eſt de Clericis in fornicationem prolapſis, an eorum officia ſint audienda. Verùm etſi quemlibet pro mortali peccato quoad ſe ipſum conſtet eſſe ſuſpenſum, non debet tamen in officiis diuinis euitari, niſi peccatum huiuſmodi ſit notorium per ſententiam, vel confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poſſit*; in quibus verbis non imponitur expreſsè ipſo facto ſuſpenſio prædictis publicis concubinariis, æquiparatur enim *ibi* publicus concubinarius occulto peccatori, & ſicut occultus peccator impropriè eſt ipſo facto ſuſpenſus, quatenus non poteſt licitè, dum eſt in peccato, diuina Officia exercere, ita neque etiam publicus concubinarius poteſt quoad alios diuina Officia exercere, neque illi poſſunt licitè illa ab illis petere, non quia ipſo iure ſuſpenſi ſunt, ſed ne illis præbeant occaſionem publicè peccandi cum maximo, & publico populi ſcandalo, quod inſinuare videtur gloſſator in titulo huius capitis, dum dicit, *à Clerico fornicario quandiu toleretur, nec habet operis euidentiam, licitè audiuntur diuina, & percipiuntur Eccleſiaſtica ſacramenta: à notorio verò abſtinendum eſt, non quia in ſacramento ſit defectus, ſed ad ipſorum fornicatorum emendationem.* ac ſi diceret, non licet à notoriis fornicariis & concubinariis hæc petere, audire, & recipere, non quia illi ſint ipſo iure ſuſpenſi, ſed propter ſcandalum, & vt ipſi ea vexatione, & pœna à publico, & nefario ſcelere emendentur.

Nec *in cap. veſtra, de* prædicta *cohabit. Clericorum & mulierum*, in quo etiam magnum ſtabilimentum ſuæ opinionis ſe putant habere contrarij DD. in illis verbis illius ad finem, *ſine dubitatione*

teneatis

venialis, quod à Clericis, & Presbyteris, quanquam fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina myſteria audiantur, & recipiantur ſacramenta; nam hæc verba iſtius capitis eandem excipiunt interpretationem, quam præcedens caput, ideò enim hîc dicitur non eſſe licitum diuina Officia, & ſacramenta audire, & recipere ab huiuſmodi publicis concubinariis, quia id eſſet maximum ſcandalum, & quia eadem petitione, & receptione non emendarentur à delictis, imò quaſi animarentur ad permanendum in eodem ſtatu, vt patet; conſtat igitur euidenter non eſſe iure expreſſam talem ſuſpenſionem, ac proinde non eſſe ipſos notorios concubinarios ipſo facto, & iure ſuſpenſos, vt contrarij authores aſſerebant, innixi iuribus explicatis.

Probatur deinde hæc ſecunda opinio egregiè validéque ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25.cap.14.* vbi loquens de Clericis notoriis concubinariis præcipit, vt præmiſſa trina admonitione ſuſpendantur, niſi reſipuerint; non ergo erant ipſo facto ſuſpenſi, alioquin fruſtrà iuberentur ſuſpendi, ibi, *quoad ordinarius etiam vti Sedis Apoſtolicæ delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur, & ſi ita ſuſpenſi eam non expellant, quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, portionibus, penſionibus, ac officiis priuentur.* & id ipſum præcipit *ſeſſ.24.cap.8.*& *ſeſſ.21.cap.1.* ibi, *& ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerent, eos beneficiis iuxta canonum conſtitutiones exemptione, & appellatione quacumque remota priuandi facultatem habeant Epiſcopi.*

11. Nec refert quòd Concilium in dicta *ſeſſione* 24. *cap.*8. addat ad finem, *cæteris iuris pœnis in ſuo robore permanentibus*, quia, vt vidimus, nulla in iure pœna ſuſpenſionis ipſo facto eſt impoſita talibus concubinariis, & quia ea verba ſunt intelligenda de iure conſtitutionum cuiuſcumque diœceſis, in qua fortè per conſtitutiones, aut per ſolitam conſuetudinem ipſius diœceſis ſint ipſo iure ſuſpenſi, eas enim pœnas relinquit Concilium Tridentinum in ſuo robore, & de illis intelligendum erit quod euidenter patet ex ipſis verbis Concilij *ſeſſione* 25.*cap.*14 ibi, *alioquin pœnis à ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur.*

12. *Iura ſi quæ erant in quibus ſuſpenſio ipſo facto concubinariis imponebatur, hodie non ſunt in vſu.*

Probatur tertiò, quia ſi quæ iura erant in iure communi, in quibus continebatur, & ex quibus illa educebatur, iam per non vſum ſunt abrogata, ſicut enim leges, & ſtatuta conſuetudine firmantur & conſtituuntur, ita & per non vſum, & diſſuetudinem tolluntur, & abrogantur, & verò ſupponit Concilium illa iam eſſe non vſu ſublata, dum dicit à iudice eſſe hanc ſuſpenſionem imponendam, & per iudices, & Epiſcopos hoc peccatum puniendum priuatione etiam beneficiorum, ſi id etiam eis viſum fuerit, & ipſi incorrigibiles fuerint.

13. Nec obſtat declaratio illuſtriſſimorum Cardinalium, quæ magnum præſidium primæ opinioni afferebat. Nam ad illam reſpondet Garcia 7.*part. de beneficiis, cap* 14 *num.*35 *fol.mihi* 79.*col.*2. illuſtriſſimos Cardinales locutos fuiſſe de iure, in quo fundabatur prima opinio, quæ ſatis probabilis eſt, noluiſſe tamen tollere conſuetudinem, in qua maximè ſtabilior ſecunda opinio, dum aſſerit illam ſuſpenſionem, ſi qua in iure erat fundata, propter non vſum in diſſuetudinem omnino abiiſſe, quod ſupponit Concilium, aſſerens poſſe huiuſmodi ſuſpenſionem ab Epiſcopis ipſis publicis concubinariis imponi, ſi ipſis viſum fuerit, quid- Garcia.

quid dubitet Ludouicus Lopez *tom.* 2. *cap.* 31. dum aſſerit dubium ſibi eſſe an in omnibus prouinciis antiquata & ſublata ſit per non vſum huiuſmodi ſuſpenſio. Lud. Lopez.

Et ex hac ſecunda ſententia quam probabiliorem iudicamus, clarum manet, non teneri nos, ſecluſo ſcandalo, vitare ipſos notorios concubinarios, dum ab Epiſcopis ipſo facto non declarantur excommunicati, & ſuſpenſi, & poſſe nos illorum Miſſas audire, ſacramenta ab illis petere, & recipere etiam ſacramentum Pœnitentiæ, quia reuera non ſunt ſuſpenſi, nec in aliquo ſunt vitandi; ita docet expreſsè Bellanus *de ſacramentis, quæſt.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. *num.*45. §. *Putant aliqui, fol.*61.*col.penultima.* Nauarrus *in Manuali Latino, cap.*25.*num.*79.& Suarius *tom.*3.*in* 3.*part.diſp.*88. *ſect.*6. §.*ſextum caput.* quod intelligendum eſt ex vi ſuſpenſionis. nam aliunde cùm ſint in publico peccato, nec Miſſas, nec ſacramenta ab illis petere poſſumus, niſi magna nobis ſit neceſſitas, aut vtilitas petendi, quia tunc cum tanto noſtro detrimento non tenemur peccatum alterius deuitare, maximè cùm illi poſſint facere illum actum licitè, abſolutè loquendo, & ex nequitia ſua non efficiant; vnde id ſibi peccatum tribuant, cùm in illorum manu ſit, ſe in gratia conſtituere, vel per confeſſionem, ſi copia Confeſſarij adſit, vel per veram contritionem, ſi non adſit; ſi tamen adſint alij Sacerdotes, à publicis concubinariis hoc petere non poſſumus, tum propter ſcandalum, ſi detur, tum ex charitate, ne illos exponamus occaſione peccandi actualiter, abſque vlla noſtra neceſſitate; poſſumus tamen Miſſas audire, & Euchariſtiam, & alia ſacramenta ab eis accipere, ſi illa actu conferant, cùm tunc nullo modo illorum peccato cooperemur, aut ad illud illos inducamus, ſed ſuppoſito peccato quòd illi faciebant, bonum actum exerceamus. 14. *An Miſſas poſſimus audire, & ſacramenta petere à publicis concubinariis.* Bellanus. Nauarrus. Suarius.

Et idem, quod dictum eſt de publicis concubinariis, dicendum etiam eſt de publicis fornicariis, vt docet Toletus *lib.*1.*ſummæ cap.*47. *num.*1. Syluester *verb.concubinarius.*§.1. & patet ex *cap. quæſitum, de cohabitatione Cleric. & mulier.* & ex *cap. veſtra, eodem titulo*, cùm eadem ſit ratio de iſtis, atque de illis, & iura eodem modo de vtriſque loquantur, vt etiam ex Concilio Trid. *ſeſſ.*24. *c.*8 *de Reform.* Fornicator autem publicus ille eſt, qui vagatur abutens, modò hac, modò illac, & in eo diſtinguitur à publico concubinario, quòd publicus concubinarius ſemper vna abutatur, & authores primæ opinionis conſequenter etiam aſſerebant illos eſſe ipſo iure ſuſpenſos, quemadmodum & publici concubinarij. & id ipſum de huiuſmodi publicis fornicariis docet etiam cum illis Menochius *de arbitr.quæſt.lib.*2.*caſu* 289.*num.*16. & Farinacius *tom.*4.*quæſt.*138. *num.*58. & Guido Papæ *deciſione* 78. & Bern. Diaz *num. ſequenti allegandus.* 15. *Idem dicendum eſt de fornicatore publico.* Toletus. Sylueſter. Menoch. Farinac. Guido. Diaz.

Si tamen retineatur prima opinio, dubium eſt in illa, an pœna ſuſpenſionis ipſo facto locum habeat dumtaxat in Sacerdotibus, Diaconis & Subdiaconis, ſacris initiatis; an etiam in aliis Clericis in minoribus Ordinibus conſtitutis; ita vt maneant etiam ipſi ipſo facto ſuſpenſi ab vſu ſuorum Ordinum, ſi publici concubinarij, aut fornicarij ſint, & irregulares fiant, ſi in eis miniſtrent. Affirmat Proſper Farinacius *tom.* 4. *dicta quæſt.* 138. *num.*71. Bernardus Diaz, quem *ibi* allegat in practica criminali, *cap.*79. *in vlt.edit.verb.concubinarij, num.*2.*verſu, & hanc ſententiam*, D.Anton.3.*p.* 16. *An pœna ſuſpenſionis locum habeat in Clericis in minoribus.* Farinac. Diaz. D Anton.

*cap.*3.

Viuius.

*cap.*3.*tit.*17. & Viuius *opinione* 123.*num.*2. Negandum tamen omnino eſt cum Ludouico Lopez 2.*part.inſtit.cap* 23.& 31 qui id ſolum in Sacerdotibus,& Diaconis,& Subdiaconis ſacris initiatis aſſerit locum habere, non autem in Clericis in minoribus,& quia,quo ad illos,nullibi inuenitur in iure fundamentum iſtius ſuſpenſionis, & quia irregularitas non incurritur, niſi ſuſpenſi ſolemniter exerceant actum Ordinis in quo ſuſpenſi ſunt, in minoribus autem Ordinibus, non inuenitur in iure, in quo ſolemnitas Ordinis conſiſtat, vt patet ex materia excommunicationis: poſſunt tamen illi à ſuis Epiſcopis, ſi in habitu, & tonſura exiſtant, & foro gaudeant Eccleſiaſtico, carceris pœnis,aut aliter puniri,vt ipſis videbitur, ſi poſt trinam admonitionem ſe emendare noluerint,iuxta Concilium Trid. *ſeſſ.* 25.*cap.*14. *de Reformat.* ibi, ad finem. *Clerici verò beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perſeuerantiam & qualitatem ab Epiſcopis carceris pœnis, ſuſpenſione ab Ordine, & inhabilitate ad beneficia obtinenda, iuxta ſacros Canones puniantur*, vbi illa verba, *Clerici carceris pœnis, & inhabilitate ad beneficia obtinenda*, comprehendere etiam videntur Clericos in minoribus.

17\. *An ſint excommunicati ipſo facto in iure.* Farinacius. Bermon. Decianus.

Dubium etiam eſt, an Clerici publici concubinarij ſint de iure ipſo facto excommunicati? Affirmat expreſsè prædictus Farinacius citatus *n.*42. Bermon. *de publicis concubin. verb. alios non publicos, num.*3.*verſu Præterea eſt excommunicatus.* Decianus *tractatu crim. lib.*6. *cap.*21. *num.* 8. idque probant ex *cap. Clericus, de cohabit. Cler. & mulier.* & ex *cap.* 1.*de conſanguinitate, & affinitate* Sed miror certè hos authores tam propenſos eſſe ad augendas, & extendendas pœnas, cùm tamen ſint reſtringendæ. nam in prædictis capitibus nulla prorſus mentio fit de excommunicatione,ſed fortè illi ipſam ſuſpenſionem, cùm ſit cenſuræ, excommunicationem vocant,cùm tamen ſuſpenſio, & excommunicatio inter ſe differant, & diuerſos habeant effectus, & cuique ſui ſint peculiares, vt patet ex materia de excommunicatione, & præterea nos iam ſatis probauimus, neque etiam publicos excommunicatos eſſe in iure ipſo facto ſuſpenſos; poterunt tamen ipſi excommunicari ab Epiſcopis, niſi admoniti emendentur, vt diximus *num.*6.quia pœnæ,quibus ad emendationem puniri poſſunt prædicti excommunicati tam Clerici, quàm laici, penes arbitrium Epiſcoporum ſunt, modò ſint iuxta ſacros Canones,vt patet ex Concilio Trid. *de Reform. ſeſſ.*24.*c.*81.& *ſeſſ.*25. *cap.*14.& in prædicto *cap.*8.exprimitur etiam pœna excommunicationis.

18\. *Concubinæ olim erant vxores minus principales.*

Notabis verò hîc incidenter ad intelligentiam multorum locorum ſacræ paginæ concubinas olim apud Hebræos dictas eſſe legitimas vxores minus principales,ſed ſine publica ſolemnitate,& ritu ductas,& non admiſſas ad domeſticam gubernationem.illæ enim ſolùm,quæ cum ritu ſolemni ducebantur, vxores propriè dicebantur, vt bene notauit Filliucius *tract.* 30. *in ſextum præceptum Decalogi, cap.*2.*num.*57. ſed hac de re ſermo iterum redibit *num.*25.

Filliucius.

19\. *Adminiſtratio bonorum interdici poteſt publicis concubinariis.*

Iure ciuili nullæ pœnæ certæ decretæ ſunt in publicos concubinarios,poſſunt tamen illis interdici bonorum ſuorum adminiſtrationes à iudicibus ſæcularibus, ſicut etiam hæ ipſæ interdici poſſunt fœminis luxurioſè viuentibus, patet ex *l. mulieri, ff. de curator. furioſ.* Et ratio eſt,quia luxurioſè viuens dicitur prodigus morum, gloſſa *in l. ſi quis cùm iure, ff. de vſucap. pro empt.* Baldus *in l. ea lege, ad finem, C. de condict. ob cauſ.* & maior eſt prodigalitas morum,quàm rerum, *l.*1.*ad finem, C. de his qui potent.* Ferrat *cautela* 6. & hoc ipſum docet Rebuff. *in concordia ad Bullam Leonis decimi, pœna* 28.Decianus *in tract. crim. lib.*6.*cap.*21.*de concubin. Clerico, num.* 24. & meritò hæc adminiſtratio illis interdici poteſt ad cohibendas concubinarum,& concubinorum ex laſciuia prouenientes ineſcationes, quibus miſerè, & in maximam Reipublicæ perniciem homines depauperantur.

20\. *An crimen concubinatus ſit merè Eccleſiaſticum, & an iudices ſeculares ex officio illud punire poſſint.*

Dubium tamen eſt, an hoc crimen concubinatus ſit merè Eccleſiaſticum,an ciuile, & an iudices ſeculares ex officio illud punire poſſint; & certè crimen eſſe merè Eccleſiaſticum,atque ideò in iudicio tantùm Eccleſiaſtico puniri poſſe, affirmat Iulius Clar. *in practica criminali, quæſt.*37. *num.*6. ſequitur Portius *conſilio* 21. *num.* 26.*lib.*1. Tuſchus *de viſitatione lib.*2. *cap.*21. *num.*26. Ancharran. *ad cap. cùm ſit, de foro compet. num.* 9. Abbas *ibi num.*25. Soc.*num.*24.Aretinus *num.*15. Commune huius ſententiæ fundamentum eſt, quòd crimen concubinatus nulla lege ciuili prohibetur, nulla punitur, quinimo modo aliquo videtur ſi non approbari, at ſaltem diſſimulari, *l. item legato* 47.§.1.*verſu parui, ff. de legat.*3. *Authen licet, C. de naturalibus lib. Auth. de triente, & ſemiſſe, §. conſideremus, ad med. collat.*9. Alexander *in l. ex facto, §. ſi quis rogatus, num.*13. *ff. ad Trebellian.* Iulius Clar. §. *Fornicatio num.*6. prohibetur autem, & punitur ſola lege Eccleſiaſtica *in cap. nemo* 32.*quæſt.*4.& in Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *de Reformat. cap.*8. Ergo merè Eccleſiaſticum eſt. nam crimina,quæ ſola lege Canonica,non ciuili, prohibentur, merè Eccleſiaſtica cenſenda ſunt, iuxta communem Doctorum ſententiam, quam probat Nauarrus *in cap. nouit, de iud. notab.*6. aſſerens eſſe communem omnium Doctorum.

Iul. Clar. Portius. Tuſchus. Anchar. Abbas. Socinus. Aretin. Alexand. Iul. Clar. Nauarr.

Si de punitione concubinatus pro culpa præterita agamus, punitio illius ad iudices ſeculares ſpectat; ad Eccleſiaſticos verò ſi de emendatione in futurum tractemus.

Nihilominus re bene conſiderata iuris principiis inhærentes,diſtinguendum iudicamus. nam ſi de hoc crimine agatur principaliter ad pœnam,& caſtigationem præteritæ culpæ, ſolus iudex ſæcularis,iudex eſt competens, & ſeculares poteſt punire: ſi autem de correctione,& futura emendatione agatur, præuiis admonitionibus, poterunt huiuſmodi ſeculares ab Eccleſiaſticis Prælatis compelli, vt à peccato recedant, & concubinas eiiciant cum effectu. Probatur hæc ſententia ex *cap. penultimo, de cohabitatione Cler. & mulier.* & ex Concil. Trid. *de Reformat. ſeſſ.*24.*cap.*8. & *ſeſſ.*25.*cap.*14.Nam primo loco expreſsè loquitur de concubinariis ſecularibus ſolutis, & vxoratis, ibi, *tam ſolutos, quàm vxoratos cuiuſcumque ſtatus*, &c. & ad illorum emendationem præcipit, vt ter admoneantur, quòd ſi ter admoniti concubinas non eiecerint,ſeque ab illorum conſuetudine non ſeiunxerint, præcipit, vt excommunicatione feriantur,& ſi cenſuris neglectis per annum in concubinatu permanſerint,præcipit vt ſeuerè puniantur, non iam propter concubinatus crimen, ſed propter neglectionem cenſurarum, & de concubinis ſecularium, quæ ideo merè ſeculares ſunt, præcipit, vt etiam admoneantur, & ſi admonitæ non reſipiſcant, præcipit, vt ab illarum ordinariis eiiciantur extra ciuitatem, inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, ad eum finem, vt cum effectu emendentur, ac reſipiſcant,& à tam graui crimine recedant: in *cap.* autem 14. loquitur de ſolis Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis, quas non

ſolùm

ſolùm ob futuram emendationem, ſed etiam ob præteritam culpam vult punire, & ideo illis prohibet retentionem fœminarum, de quibus ſuſpicio haberi poteſt, *& in cap. penult. de cohabitatione clericor. & mulier.* ſimiliter præcipitur, vt admoneantur Clerici concubinarij; conſtat igitur ius Eccleſiaſticum, cùm ſermo inſtituitur, & tractatur de concubinatu perſonarum ſæcularium, ſolùm agere ad futuram emendationem; cùm verò agitur de concubinatu perſonarum Eccleſiaſticarum, non ſolùm agere de futura emendatione, ſed etiam de culpæ punitione. Quamobrē cùm à ſæcularibus committitur, nulla ratione merè Eccleſiaſticum crimen dici poteſt, ſi agamus de punitione, & mera vindicta illius, prout Doctores allegati putabant, nec illorum fundamentum valet: nam licèt nullibi in iure ciuili expreſsè puniatur concubinatus ſæcularium, de iure communi loquendo, punitur tamen ac prohibetur ſub adulterio, quod conſtat crimen eſſe merè ſæculare, non Eccleſiaſticum, & ſic non approbatur tam nefarium crimen iure ciuili, ſed ſeuerè, vt par eſt, punitur.

21. *Crimen concubinatus quoad culpā præteritā eſt merè ſæculare.*

Quamuis autem crimen hoc ſit merè ſæculare, quoad præteritam culpam, non poſſunt tamen iudices ſæculares ex officio, & abſque ſpeciali reſcripto Principis illud punire, & hoc quidem non, quia crimen merè Eccleſiaſticum ſit, ſed quia in foro ſæculari nullibi per leges punitur expreſsè, nec vllam certam, & determinatam pœnam habet in iure ciuili expreſſam; quandoque tamen per ſpeciale reſcriptum & mandatum Principis ſæcularis de hoc crimine ſæculares magiſtratus inquirunt, & criminoſos puniunt arbitrariè, quod reſcriptum expedire poſſunt ſæculares Principes contra ſuos ſubditos, vt conſtat ex *l. cum qui 19. C. de Epiſcopis & clericis, & Auth. de monachis, §. ſi quis autem monaſticam, collat. 1. & Authentica de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. Presbyteris, collat. 9.* & ideo receptum eſt apud omnes, laicos in foro ſæculari, Clericos verò in foro Eccleſiaſtico iudicari, & puniri debere pro culpa præterita concubinatus publici, vt cum communi reſoluit Nauarrus *in dict. cap. nouit, de iudic. notabili 42.* Couar. *lib. 3. variarum reſolut. cap. 3. num. 1.* hæc de iure communi.

Iudices ſæculares an de illo poſſint in iure communi ex officio inquirere.

Nauar. Couar.

22. *Quid de iure Luſitano.*

Nam de iure Luſitano *lib. 5. noua recopil. tit. 28.* initio ſtatuūtur certæ pœnæ, quibus concubinatus publici crimen puniendum eſt, quoad præteritam culpam. nam ſi concubinarius fuerit coniugatus, pro prima vice, mittitur ad triennium in Africæ exilium, & multatur inſuper in quadrageſima parte ſuorum bonorum, deducta parte mulieri contingente; pro ſecunda verò vice, ſi cum ipſa, vel alia in concubinatu vixerit, punitur in duplo, & ſic aggrauantur pœnæ pro ratione delicti; concubina verò hominis coniugati fuſtibus à tergo cæditur per oppidum, & in caſtrum marinum in exilium pellitur; non poſſunt tamen de hoc crimine iudices ordinarij ordinariè inquirere, nec aliter cognoſcere, niſi per viam querelæ, quam recipere non poterunt ſi conſtiterit illos eſſe emendatos, & ſex menſes iam eſſe præteritos ab emendatione, quia hoc ſpatium ſufficit ad perfectam emendationem indicandam.

23. *Concubinæ Clericorū an à iudice ſæculari puniātur.*

Ex dictis conſtat non eſſe audiendos Doctores illos, qui dicunt concubinas Clericorum in foro, & iudicio ſæculari iudicari non poſſe, nec pro crimine præterito caſtigari, & non valere ſtatuta ſæcularia, quæ in ipſas pœnas decernant, ſic enim poſt alios placuit Abbati *in cap. cùm ſit generale, num. 25. de foro competenti*; ſequitur Iaſon *in l. penultima, in principio, num. 17. ff. de iuriſd. omn. iud.* Palatios *de repetit. rubricæ, §. 39. num. 7.* quia præter quàm quòd legibus Romanorum totius Hiſpaniæ *in l. 21. partita 4.* Galliæ, & etiam Luſitaniæ in concubinas pœnæ decretæ ſint, omni iuris fundamento caret denegare ſæcularibus iudicibus poteſtatem puniendi temporale crimen à ſæculari perſona commiſſum.

Abbas. Iaſon. Palat.

24. Nec etiam probabilis eſt aliorum diſtinctio affirmantium poſſe à ſæcularibus iudicibus puniri publicas Clericorum concubinas, non occultas, ne hac occaſione in foro ſæculari perſonæ Eccleſiaſticæ infamentur, & ſic quodammodo puniantur, vt poſt alios probat Ananias *ad rubricam de adulterijs, num. 4.* Felinus *in cap. cùm ſit generale, num. 24. de foro competenti, & in cap. Eccleſia, num. 102. de conſt.* Boërius *deciſ. 72.* Peres ad leges Caſtellæ *lib. 1. titul. 2. l. 21.* Iulius Clarus *in pract. crimin. quæſt. 27. num. 4.* Eorum enim diſtinctio eodem argumento, & ratione confunditur; deinde, quia ſi crimen per ſe, & ratione perſonæ ad forum ſæculare pertinet, parui refert ad mutandum forum, vtrùm occultum ſit, an publicum. nam infamia illa Clerici complicis, & ſocij criminis, quam Doctores conſiderant, per accidens ſequitur, & non intenditur in iudicio, vbi concubina merè ſæcularis accuſatur, & velint, nolint, in illa conſenſerunt virtualiter, quando crimen voluntariè commiſerunt, atque adeò voluntariè ſe huic periculo expoſuerunt; tandem, quia huiuſmodi Doctores ſupponunt hìc occultam concubinam accuſari poſſe, quod iure non probatur, imò contrarium probatur in iure, ex generali regula *cap. qualiter 2. de accuſatoribus*, quæ prohibet aduersùs non infamatos inquiſitionem fieri; tum denique, quia omnes leges, tam ciuiles, quàm canonicæ pœnas ſuas in publicos tantùm concubinarios, & concubinas decernunt, vt conſtat ex *toto tit. de cohabit. cleric. & mulier.* & ex iure Luſitano *lib. 5. tit. 28. nouæ ordinationis, num. 22.* allegato, & ex ratione, quia occulta crimina ſoli Deo reſeruantur, nec pœna publica delictum ſecretum poteſt reſpicere, aut cum illo proportionem habere.

Anan. Felin. Boërius. Peres. Clarus.

25. *Cōcubinatus eſt iure naturæ illicitus; olim tamen fuit permiſſus, quia non puniebatur.*

Sunt aliqui Doctores, qui auſi ſunt aſſerere concubinatum non eſſe improbatum iure ciuili, imò approbatum omnino eſſe, & conſequenter non eſſe peccatum & fundamentum, accipiunt ex *l. 3 ff. de concubinis*, ibi: *Extra legis pœnam eſt*; & ex ſacra pagina *Iudic. 19. Geneſeos 21. & 22. & lib 3. Regum, cap. 11.* vbi Abraham, & alij ſancti Patres concubinas leguntur habuiſſe, & ex iure Pontificio *cap. 15. cum ſequentib. diſtinct. 34.* ad quorum intelligentiam notabis concubinæ, & concubinatus nomen tribus modis olim ſumi ſtrictè, ſeu propriè, latè, & latiſſimè.

Quæ concubina olim apud ſanctos Patres veteris Teſtamenti.

Primo modo accipitur concubinatus in iure ciuili propriè, in quo ſic definitur. *Eſt contubernium inter ſolutum, & ſolutam, qui nulla ſanguinitatis, aut affinitatis neceſſitudine ſunt coniuncti publico affectu commorantium.*

Secundò modo ſumitur in iure canonico pro omni illicito contubernio, ſiue laicorum, ſiue Clericorum, qui cum eadem per temporis continuationem habent publicam conſuetudinem.

Tertio modo appellantur concubinæ vxores quædam minus principales, quæ abſque conſuetis ſolemnitatibus nuptiarum, & dotalibus in-

ſtrumentis recipiebantur; olim antiquiſſimis temporibus ad generandam prolem inter Hebræos, quarum filij non ſuccedebant cum aliis, nec ius primogenituræ habere poterant, vt bene docet D. Auguſtinus *lib.16. de ciuitate Dei, cap.25. &* 34. & D Thom. *in 4. diſt.33. queſt.1. art.3 ad 3.* olim apud Romanos fuit permiſſus concubinatus.

D Aug. D.Thom.

Primo modo acceptus, non quoad culpam, ſed quoad pœnam, non puniebatur enim, vt Reſpublica Romana ex illo bonum illud prolis, ex quo fierent milites, haberet; permittebatur itaque non quod fuiſſet iure naturali licitum, ſed tanquam malum, quod non oportebat punire propter bonum, quod ex illo ſequebatur, quod quidem etiam hodie videmus in lupanaribus; permittuntur enim meretrices, & non puniuntur ad euitanda maiora ſcandala, & peccata adulteriorum, & ſodomiæ in Republica, & ideo leges, & textus canonum antiquiſſimorum, qui videntur approbare concubinatum, non ita intelligendi ſunt, vt illum approbent tanquam licitum, ſed vt permittant tanquam malum, quod punire non expedit.

Secundo modo etiam eſt illicitum, & ſemper fuit illicitum, etſi fortè olim tolerabatur propter bonum ſuſcipiendæ prolis: hodie non toleratur; ſicut non toleratur etiam concubinatus primo modo.

Concubinæ olim apud ſanctos Patres ex diuina diſpenſatione licitæ erant.

Tertio modo concubinæ omni iure licitæ fuerunt olim, ſed illud intereſt, inter antiquiſſima tempora ſanctorum Patrum veteris legis, & noſtra, quòd eo tempore licebat ex diuina diſpenſatione cum principali vxore concubinas, ſeu minus principales vxores ſimul habere, vt conſtat ex *cap. gaudemus, de diuortijs*; vigebat enim olim illa Dei diſpenſatio, *Creſcite, & multiplicamini*; at poſtea nunquam amplius licuit, nec talis erat diſpenſatio neceſſaria.

26. Quando ergo dicimus nullibi in iure ciuili puniri concubinatum, id intelligendum eſt de concubinatu inter ſolutos; quem leges ciuiles Cæſareæ permittebant, nec etiam hodie punitur hoc crimen in noſtro Regno Luſitaniæ, certis, & determinatis pœnis expreſſis, nec in Regno Caſtellæ, aut Galliæ. nam in omnibus his regnis puniuntur tantùm concubinæ coniugatorum hominum, & Clericorum, vt patet ex iure noſtro Luſitano *lib.5. tit.28.* & ex iure Regni Caſtellæ, ex *l.1. tit.14 part.4.* ex iure Cæſareo, ex iis quæ hactenus diximus, & hoc bene explicant Hiſpani Doctores *ad legem 11. Tauri*, & Guilliel. *in cap. Raynutius, verb. Vxorem 5. num.146.* Cùm autem crimen concubinatus eſt publicum & notorium, itavt neque ipſi concubinarij audeant diffiteri, neque illud poſſint vlla tergiuerſatione celare, in tali notorietate ſi iudices agant de punitione præteritæ culpæ, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue ſæculares, nulla requiritur citatio, neque monitio, vt optimè docet Tolet. *lib.1. ſumm. c.57. n.1.* licèt ita de conſuetudine fiat, vt docet Couar. 1. *part. relect. §.1.*

***

Capvt III.

Quibus modis in vſu matrimonij peccatum fornicationis ad ſextum præceptum attinens contingat.

SVMMARIVM.

Vſus matrimonij debitè exerciti confert gratiam. num.1. & 2. Si aliquis coniugum in eo vſu intendat finem aliquem mortalem, mortaliter peccabit. ibid.

Vſus matrimonij ob ſolius incontinentiæ periculi vitationem in ſe, vel in altero coniuge eſt licitus, & licitum contrahere de nouo, ob eundem finem. num.3.

Petere debitum ob ſolam voluptatem veneream veniale tantùm eſt, reddere autem nec veniale quidem. num.5.

Vſus matrimonij petendo, & reddendo ob ſolam corporis ſanitatem eſt licitus. num.4.

An licitus ſit vſus matrimonij in diebus magni feſti, & an in diebus etiam communionis ante ſumptionem Euchariſtiæ, remiſſiuè ad num.51. Quid in hebdomada ſancta. num.6. & 7.

Reſpondetur argumentis primæ opinionis, quæ aſſerebat veniale tantùm eſſe his diebus commiſceri, & confirmatur opinio docens ne veniale tantùm eſſe. num.8.

Vſus matrimonij in Eccleſia, an ſit peccatum ſacrilegij mortiferi. Refertur opinio affirmans. numero 9.

Refertur ſecunda, dicens nullum eſſe ſacrilegium mortale. num.10.

Præfertur tertia, aſſerens ſine iuſta cauſa eſſe ſacrilegium mortiferum, cum iuſta cauſa veniale tantùm eſſe ex parte petentis; ex parte verò reddentis, nec veniale quidem. num.11.

Quæ ſint iuſtæ cauſæ petendi, & reddendi. num.12.

Tactus, aſpectus, confabulationes turpes in Eccleſia ſiue inter coniuges, ſiue inter ſolutos, an ſint ſacrilegia, & loci circunſtantia an ſit confitenda. num.13.

Exiſtens in Eccleſia non committit ſacrilegium, ſi extra illam fornicari deſideret, ſecus ſi exiſtens extra illam, intra illam id efficere exoptet. n.14.

Quid nomine Eccleſiæ intelligatur. num.15. Et quomodo purificetur, & à quo ſi polluatur. ibid.

Quæ loca ipſius Eccleſiæ dicantur ſacra, vel non ſacra quoad pollutionem per copulam. num.16.

Maritus qui vxorem extra vas naturale polluit, peccat mortaliter. num.17.

Inchoatio culpæ ſodomiticæ, vt maritus ſe ad legitimam copulam habendam excitet, eſt peccatum mortiferum. num. 18. Et à pijs auribus abolendum. ibid.

Quid ſi vir iuxta vas præpoſterum vxoris ſe ad legitimam copulam habendam velit excitare. n.19. Quid ſi intra os vxoris virgam introducat. ibid.

Eſt peccatum mortiferum ſemen effundere extra vas naturale vxoris. num.20.

An poſtquam vir ſeminauit intra vas vxoris, & ceſſauit, licitum ſit vxori non ſeminanti ſe ad ſeminationem tactibus incitare. num.23.

An fœmina teneatur calidiſſimum viri ſemen cum labore retinere. num.24. Quid ſi potu aquæ mitiget, vel eijciat. ibid.

Mutatis

Maſtatio ſiue quatenus liceat, vel non liceat, numero 23.24.25.

1\. AD peccatum fornicationis reducitur etiam inordinatus vſus matrimonij, ſeu potiùs abuſus illius; huiuſmodi autem abuſus modis octo poteſt contingere, nempe ex parte finis, ex parte temporis, ex parte loci, ex parte ſitus, ex parte aborſus, ex parte incitamentorum, ex parte menſtrui, ex parte debiti; & ideo de his omnibus ſigillatim agendum eſt. Oro tamen lectores, vt caſtas aures his fœdiſſimis rebus neceſſariò tractandis adhibeant.

Ex parte finis.

2\. *Vſus matrimonij debitè exerciti confert gratiam.*

Suppono igitur in primis vſum legitimi matrimonij, niſi ex aliquo malo fine, vel circumſtantia vitietur, eſſe licitum, & meritorium, ſi debitè exerceatur ab exiſtente in gratia; eſt enim vſus ſacramenti, & omne ſacramentum ritè & debitè exercitum confert gratiam.

Suppono etiam tanquam certam & indubitatam rem, ſi in matrimonio de nouo contrahendo, vel in exercendo vſu iam contracti finis mortalis, vel venialis intendatur, peccatum eſſe mortale, vel veniale; ſic connubium contrahere, vel iam contractum exercere; pro ratione enim finis erit mortalis culpa, vel venialis, & licitus, vel illicitus vſus matrimonij v.c. ſi quis accederet ad ſuam, eo animo, vt ad illam accederet ſi eſſet nō ſua, & ſi quis dum rem agit cum ſua, cogitat de aliena, & deliberatè cum illa deſiderat rem habere, & re vera haberet, ſi poſſet, & per illum non ſtar, peccat lethaliter, ita communiter Doctores. Rebellus 2. *parte, de obligat. iuſtitia, lib.* 3. *de imped. matrim. quæſt.* 19. *ſect.* 1. *num.* 3. & D. Thomas, quem citat Rebellus.

Rebellus.

Animaduertendum eſt etiam, alium eſſe finem veluti proximum & principalem matrimonij, vt, prolis ſuſceptio, multiplicatio ſpeciei, ſeu generis humani, filiorum educatio; alium velut remotum, & ſecundarium, vt fornicationis & pollutionis voluntariæ euitatio, mutua debiti præſtatio, & ſimilia; adde alium velut remotiſſimum à contrahentibus intentum, v.c. ſanitas corporis, diuitiarum acquiſitio ex filiorum ſucceſſione hæreditaria, & id genus alia. His poſitis,

3\. *Prima concluſio. Matrimonij vſus eſt licitus inter coniuges propter ſolam vitationē periculi incontinentiæ, & pollutionis in ſe, vel in altero coniuge.* Rebellus. D. Auguſt. Caietan. Sotus.

Dico primò, non ſolùm licitus eſt vſus connubij contracti propter ſuſceptionem, & educationem prolis, ſed etiam propter ſolius incontinentiæ vitationem in ſe, vel in altero coniuge, & periculum illius, etiam ſi nullus alius finis intendatur; eſt communis omnium ſententia: eam docet Rebellus 2. *part. de obligat. inſt. lib* 3 *de imped matr. quæſt.* 19 *ſect.* 1. *n.* 3. vbi allegat D. Auguſt. *lib.* 1. *de bono coniug. cap.* 49 *art.* 6. Caietanus *in ſumma verb. matrimonij vſus, initio*, vbi dicit, licitum eſſe matrimonij iam contracti vſum in remedium concupiſcentiæ: Sotus *in* 4. *diſt.* 32. *art.* 4. pluribus amplioribus probationibus ex authoritate Doctorum. Probatur facilè rationibus.

Primò, quia ex charitate tenemur vitare periculum peccandi cuiuſque proximi, quando illud facile & ſine magno detrimento vitare poſſumus; ergo ſi alter coniux præſentit periculum incontinentiæ, aut pollutionis in altero, tenetur illud vitare ei reddendo, & ſi illud in ſe etiam præſentit, tenetur illud petere, & licitè petit, non enim minus obligat charitas erga ſe ipſam, quàm erga alium: nemo enim alteri magis eſt proximus, quàm quiſque ſibi.

Secundò, quia licitum eſt cuique contrahere de nouo, & votum facere de contrahendo ſolùm propter vitandum in ſe periculum incontinentiæ, quamuis ad id remediis aliis poſſit vti, vt eſt communior reſolutio in materia voti, & probauimus in ſecundo præcepto huius operis; quanto ergo magis licitus erit vſus matrimonij iam contracti, propter eundem finem.

Tertiò, quia matrimonium non ſolùm inſtitutum fuit à Chriſto Domino propter ſuſceptionem liberorum, ſed etiam propter vitationem incontinentiæ, & in remedium concupiſcentiæ, aliter enim illicitum eſſet contrahere inter ſenes, qui generare filios non poſſent: at quantum abſurdum eſt propter finem illicitum dicere Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum.

4\. *Secunda concluſio. Ita ob ſolam corporis ſanitatem.* Rebellus. Caietan. Henriq.

Dico ſecundò, licitus eſt etiam matrimonij vſus ob ſolam, & præciſam ſanitatem corporis, aliamve honeſtam cauſam, etiamſi actualiter non intendatur, nec ſuſceptio, nec prolis educatio, nec pollutionis, aut incontinentiæ euitatio, ita docet Rebellus *dicta* 2. *parte de obligationib iuſtitia, lib.* 3. *q.* 19. *ſect.* 1. *n.* 4. Caietanus *tom.* 1. *opuſculorum tract.* 12. *quæſt.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 17. *num.* 7. poſt medium. Probatur

Primò, quia ob ſanitatem & valetudinem corporis ſimileſve effectus, & fines licitum eſt contrahere de nouo, vt probat Caietanus allegatus; ergo licitum erit etiam ob eoſdem fines vti matrimonio iam contracto petendo, & reddendo.

Secundò, quia ſi vir infirmus & parum valens ad ſeminandum, præſciat corporali ipſius ſaluti & valetudini ſeminationem nimium nocere, & poſt inchoatum ante propriam, & coniugis ſeminationem illum reprimat, aut ab actu ceſſet, non intentione impediendæ prolis generationis, ſed procurandæ ſalutis, non peccat mortaliter, imò nec venialiter, quia debitum coniugis intelligitur, ſalua ſanitate, & valetudine corporali, vt optimè docet Henriquez allegatus, & Caietan. *in ſumma verb. matrimonij vſus, §. Primus eſt.* Quanto ergo magis non peccabit, & licitus erit vſus matrimonij petendo, & reddendo, propter eandem corporis ſanitatem.

Dixi *ante propriam, & coniugis ſeminationem*, quia ſi coniux iam ſeminauit, debet vir procurare ſeminis cōmixtionem, & non reprimere propriam iam inchoatam. quod verum eſt etiamſi fœmina non ſeminet, cùm ſola ſeminatio viri ſufficiat ad generationem, ne impediatur prolis generatio incipiente iam generationis via.

5\. *Tertia concluſio. Petere ob ſolam delectationem ſenſitiuam, veniale tantùm eſt, reddere autem nec veniale.* D. Auguſt. Rebellus. Caietan.

Dico tertiò, vſus matrimonij iam contracti per petitionem debiti ob ſolam & præciſam delectationem ſenſitiuam venialis tantùm eſt culpa, reddere autem petenti, quantumuis eo fine reddat, nullum peccatum eſt, nec veniale, nec mortale; ita docet D. Auguſtinus *lib.* 1. *de nuptiis, num.* 4. Rebellus 2. *pars. de obligat. iuſt. lib.* 3. *de imped. quæſt.* 19. *ſect.* 1. *num.* 5. *concluſione* 4. Caietanus *in ſumma, verb. matrimonij vſus, in principio*, vbi tamen dicit, veniale eſſe reddere ob ſolam delectationem veneream, quæ ſentitur in actu: ſed in hoc non placet. Ratio eſt, quia bonitas delectationis ſenſitiuæ non cohoneſtat actum de ſe ſordidum, ac proinde opus eſt honeſta alia cauſa quæ ipſum actum cohoneſtet, hanc habet qui reddit, cùm debeat, & teneatur ad eam redditionem, ex iuſtitia, petens

petens enim ex iuſtitia, petit etiam ſi venialiter peccet, ob ſenſitiuam tantùm carnis delectationem, petendo; ergo alter ex iuſtitia reddit. Cùm ergo ex iuſtitia debitum reddat, actum facit ex ſua parte licitum, neque proinde dicetur cooperari peccato alterius veniali; ſi tamen in petente delectatio ſenſitiua eſſet cauſa motiua, ſine qua non peteret, & adhuc haberet intentum formaliter, vel virtualiter finem aliquem honeſtum, v.c. ſuſceptionem filiorum, remedium concupiſcentiæ, corporis ſanitatem, vel alium ſimilem, tunc nullo modo peccaret petens, neque venialiter, quia finis ille vltimus à ſe intentus actum petendi cohoneſtaret.

Et ex dictis colliges obiter, quas ob cauſas licitum, & illicitum ſit contrahere matrimonium: nam ille finis, quicumque ille ſit, qui reddit vſum matrimonij licitum, reddit etiam licitam contractionem illius, ſi de nouo fiat.

Ex parte temporis.

6. *An licitus ſit vſus matrimonij in diebus feſtis, & in die communionis, ſententia negatiua.*

Circa temporis circumſtantiam diuiduntur authores, quidam enim dicunt, non eſſe peccatum petere diebus feſtis, niſi ſint celeberrimi; veluti Natalis Chriſti Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, feria quinta, & ſexta hebdomadæ, dies proceſſionis publicæ, ob publicam, & communem vtilitatem indictus, in quibus aſſerunt veniale tantùm peccatum eſſe debitum petere, niſi fiat ad vitandum periculum incontinentiæ, & pollutionis, vel in ſe, vel in altero coniuge: reddere autem aſſerunt nullum eſſe peccatum, nec veniale quidem, etiamſi Euchariſtia ſumenda ſit. Exorandum tamen eſſe coniugem ſeriò, non tamen precibus importunis, vt deſiſtat à petitione his diebus; ita docet Henriquez *lib.11. de matrim. cap.17. num.5.* Sotus *in 4. diſt.32. quæſt. vnica, art.3. concl.2.* Rebellus *2. p. oblig. iuſt. lib.3. de imp. q.19. ſect.1. n.6.* Ledeſm. *2. 4. quæſt.6. art.1.* Magiſter *in 4. diſt.32. num.3.* vbi D. Thom *quæſt. vnica, art.1. quæſtiuncula 2.* citatur Armilla pro hac parte, *verb. Debitum, §.10.* Sed ille ſolum dicit, bonum eſſe ab huiuſmodi actione in his diebus abſtinere, non tamen dicit eſſe peccatum veniale non abſtinere. Nauarrus *in manuali Latino, cap.6. num.10.* & omnes qui dicunt, circumſtantiam diei feſti non eſſe aggrauantem, ſunt enim multi quos citauimus in ſecundo præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de circumſtantiis peccatorum egimus, inter quos eſt Medina *in ſumma lib.1. cap.9. §.1.* Couarr. *in cap. alma Mater 1. part. §.5. num.3.* Probant, quia hi dies magni ſunt, & ſpecialiſſimè diuino cultui dicati ad vacandum Deo, & orationi, & hi actus valde hebetant mentem; quare non carebit culpa ſaltem veniali ille coniux, qui debitum petendo tantæ diſtractionis ſibi impedimentum apponit, probant etiam ex decretis iuris Canonici antiqui in multis capitibus, & maximè ex *cap. ſi cauſa 33. quæſt.4.* vbi ſic; *Si cauſa filiorum procreandorum ducitur vxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum vſum matrimonij; quia & dies feſti proceſſioniſque ceſſare temporibus his debere demonſtrant.*

Henriq. Sotus. Rebellus. Ledeſma. Magiſter. D. Thom. Armilla. Nauarrus. Medina. Couarr.

7. *Aſtruitur affirmatiua.*

Alij, & melius, dicunt conſilium tantùm eſſe diebus feſtis à copula vacare, & nullum eſſe peccatum, nec veniale quidem ſiue petant, ſiue reddant coniuges his diebus. Ita Sanchez *lib 9 de matrim. diſp. 12. num.5.* Gloſſa *in cap. propoſuiſti, diſt.82. verb. Præcepit.* Caietanus *in ſumma verb. Matrimonium, verſu, Septimum caput eſt.* Armilla *verb. Debitum, §.10.* Sà *verb. Debitum, num.6.* Angelus *ibi, num.29.* Viualdus *in candelabr. aureo,* vbi de confeſſione, *num.44.* Syluester *verb. circumſtantia, num.3. & verb. Dominica, §.6.* D. Bonauentura *diſt.32. art.3. quæſt.2.* Quamuis enim in principio videatur aſſerere eſſe culpam venialem, tamen in fine concludit, neque venialem eſſe, ſed tantùm ſalubre conſilium; probant

Sanchez. Gloſſa. Caietan. Armilla. Sà. Angelus. Viualdus. Syluester. D. Bonau.

Primò, quia præceptum diuinum de diebus feſtis colendis, non prohibet petitionem debiti coniugalis, nec ſpecialiter prohibet aliud, quàm ſola opera externa ſeruilia, & aliunde non datur aliud præceptũ, aut ius Canonicum id prohibens; nam *cap. ſi cauſa, 33. quæſt.4.* quod adducitur, & alia, quæ adduci poſſunt, loquuntur de conſilio, non de præcepto; accedit quia pauciſſimi ſe accuſant hac de re, & rariſſimi etiam Confeſſores, quamuis doctiſſimi, de hoc pœnitentes interrogant; ſignum ergo eſt, nullum eſſe peccatum.

Secundò, quia circumſtantia diei feſti etiamſi ſit dies ſolemniſſimus, aut Hebdomadæ ſanctæ, non aggrauat peccatum, nec eſt de neceſſitate confeſſionis, vt latè probauimus *in 2. præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ*: compertum tamen eſt apud omnes, eſſe culpam mortalem petere, & reddere in contemptum diei feſti, vt optimè fatetur Sanchez citatus *n.6.* vtraque ſententia eſt probabilis; ſed iſta ſecunda meo iudicio eſt probabilior.

De die quo Euchariſtia ſumenda eſt, agemus *num. vlt. huius cap. tertij.*

Ad argumenta primæ opinionis reſpondeo non eſſe peccatum veniale apponere impedimentum diſtractionis, quia præceptum de colendis feſtis ſolùm obligat ad abſtinendum ab operibus ſeruilibus, & finis iſtius præcepti eſt, vt mens Deo vacet: poteſt autem quis ceſſare ab huiuſmodi operibus, & ſeruare præceptum, & Deo non vacare, ac proinde non peccare contra præceptum de colendo Deo, quia finis præcepti non cadit ſub præceptum, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.96. art.5. ad 3.* 8.

Ex parte loci ſacri.

Recepta eſt omnium Doctorum ſententia, obligationem reddendi debiti pertinere ad præceptum affirmatiuum, quod non obligat ſine debitis circunſtantiis loci, & temporis; multæ enim res ſunt de ſe & ex natura ſua licitæ, quæ ratione temporis, & loci redduntur illicitæ; & talis eſt vſus matrimonij, petitio, & redditio illius; quatenus autem reddatur illicitus ratione temporis, diximus ſuprà *à n.6.* quatenus verò reſpectu loci ſacri, vel Eccleſiæ, variant authores, qua de re triſpartita eſt opinio. 9.

Refertur opinio aſſerens vſum matrimonij in Eccleſia eſſe mortale.

Prima docet communiter loquendo ſemper eſſe mortiferum peccatum vſum matrimonij in loco ſacro (nomine autem loci ſacri Eccleſia intelligitur) ſiue petendo, ſiue reddendo; hanc tenent expreſsè Nauar. *in manuali Lat. cap.57. num.252. & cap.16. num.32.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.16. num.4.* Caietan. *in ſumm. verb. Matrimonij vſus, verſu, Secundus eſt.* gloſſa *in cap. 1. de conſecrat. & in cap. Eccleſijs, diſt 68.* Angelus *verb. Conſecratio Eccleſiæ, §.8. & 9.* Palud. *in 4. diſt.32. quæſt. vnica, art.5.* D. Anton *3. part. tit.1. cap.20. §.2.* Turrecrem. *§. ſed cùm naturale; art.2. diſt.5.* & addit Nauarr. *ibid. cap.16. num.32.* ſemper id eſſe peccatum mortiferum, ſiue copula in Eccleſia inter coniuges habeatur voluptatis cauſa, ſiue

Nauarr. Henriq. Caietan. Gloſſa. Angel. Palludan. D. Anton. Turrecrem.

cauſa

cauſa procreandi liberos, ſiue in remedium concupiſcentiæ, ad vitandam incontinentiam, & pollutionem in ſe, vel in altero coniuge, ſiue ad multum tempus exiſtant in Eccleſiam incluſi, vt tempore belli, ſiue ad modicum, quod idipſum docuit Caietanus citatus ex eo fundamento, quia tenentur ad continentiam ex magna etiam abſentia per multos annos, viro alibi per mercaturam, vel in re militari occupato; quantò ergo magis ex reuerentia debita loco ſacro, deinde quia per hanc copulam fit magna, & notabilis iniuria loco ſacro in eo, ad quod ſacer eſt, fuit enim ſacer ad officia diuina, & ſacra myſteria in eo ritè peragenda, non ad hos fœdos vſus; nomine autem Eccleſiæ, ſeu loci ſacri intelligitur Eccleſia conſecrata, vel benedicta, vt infrà dicemus *num. 16.*

10. *Refertur ſecunda negans.* Secunda opinio è regione huic oppoſita abſolutè docet illicitum id eſſe, ſed non eſſe peccatum mortale vſum debiti matrimonij inter coniuges in loco ſacro, ſiue petant, ſiue redeant, ſiue ad multum tempus, ſiue ad exiguum in eo exiſtant, ſed tantùm veniale, eam tenet gloſſa quædam *in cap. Eccleſiis, de conſecrat. diſt. 1.* quam citat, ſed non ſequitur Nauar. *cap. 27. num. 252.* & non diſplicet Soto *in 4. diſt. 32. art. 3. quæſt. vnica*, quia non videtur fieri notabilis iniuria loco ſacro in eo quòd ſacer eſt, ac proinde ſi qua iniuria eſt, leuis tantùm, non grauis eſt, & fortè nulla, ſi in remedium fiat concupiſcentiæ; ſed hæc opinio quoad primam partem, non eſt probabilis.

11. *Aſtruitur tertia.* Tertia opinio probabilior docet vſum matrimonij in Eccleſia petendo, vel reddendo, ſi fiat ſine iuſta cauſa, ſemper eſſe ſacrilegium mortale, ac proinde circunſtantiam loci neceſſariò eſſe confitendam; quia mutat ſpeciem, & de actu licito alioqui facit illicitum, & ita illicitum, vt reddatur ſacrilegium, non tamen manere Eccleſiam pollutam, nec egere purificatione, quandiu acceſſus eſt occultus, & non incipit publicari; indigere verò, ſi publicari incipiat: data autem iuſtâ cauſâ docet hæc opinio, licitum eſſe talem acceſſum, & nullum eſſe peccatum: ac proinde nulla egere purificatione Eccleſiam, etiamſi incipiat publicari; hanc tenet Sylueſter *verb. Conſecratio 2. § 5.* Sà *verb. Debitum coniugale, num. 12.* Rebellus *2. part. lib. 3. num. 5. ſect. 1.* Couar. *2. part. de ſponſalibus, cap. 7. §. 2. num. 3.* Leſſius *tom. 1. lib. 4. cap. 3. de ſpeciebus luxuriæ, dub. 10. num. 85.* Toletus *lib. 5. cap. 12.* Caſtro *lib. 1. de poteſtate legis pœnalis, cap. 3. documento 2.* (Syluest. Sa. Rebel. Couar. Leſſius. Tol. Caſtro.)

Addunt tamen huiuſmodi Authores ſi talis acceſſus fiat publicè, & publicè cocant vir, & vxor in loco ſacro, etiamſi factum fuiſſe conſtet ex iuſta cauſa, & ad vitandum periculum incontinentiæ in ſe, vel in altero coniuge, neque coniuges excuſari à mortali, neque Eccleſia à reconciliatione; & vt publicè fiat aſſerunt ſufficere, quòd aliquis videat ipſos coniuges in Eccleſia decumbere in eodem lecto, & non eſſe opus coitionis actum videre, aut quòd publicè lectum ipſum erectum in Eccleſia habuerint, & viſus fuerit, etiamſi in eo coniuges decumbere non ſint viſi. Probatur, quia iuſta cauſa quando actus eſt occultus, poteſt illum cohoneſtare, ita vt non fiat irreuerentia loco ſacro; ſecus quando eſt publicus, & hoc bene addunt.

12. *Quæ ſint, vel non ſint iuſta cauſa petendi in loco ſacro.* Non eſt autem iuſta cauſa prolis ſuſceptio; nec delectatio ſenſitiua ex eo actu proueniens; ita Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 12.* & Sylueſter *verb. Debitum coniugale, num 5. & verb. Conſecratio 2. num. 5.* & ideo ſemper erit peccatum mortale ex parte petentis, non reddentis, ſi ſobolis ſuſcipiendæ, aut ſi ſenſitiuæ voluptatis cauſa tantùm capiendæ in loco ſacro debitum petatur, iuxta Authores præcitatos, & ſpeciatim iuxta Leſſium *tom. 1. de iuſtitia lib. 4. cap. 3. de ſpeciebus luxuriæ, dub. 12. num. 85.* Et ratio eſt, quia faciliùs excuſatur reddens, quàm petens; nam petens licèt cum peccato petat, actum tamen ſibi debitum ex iuſtitia petit, & ſuum petit, vnde reddens coöperatur actui iuſtitiæ, non peccato illius, debet tamen modeſtè petentem ex charitate monere, ne petat, quòd ſi noluerit ab eo actu petitionis deſiſtere, reddat, quia licitè reddit. vide quæ dicemus *num. 27.* (Tolet. Syluest. Leſſius.)

Cauſa verò iuſtè petendi, & reddendi in eodem loco ſacro, eſt vitatio incontinentiæ, & periculi pollutionis vel in ſe, vel in altero coniuge, cùm enim id tunc fiat ad tuendam vitam ſpiritualem, propriam, vel alterius coniugis, non cedit in irreuerentiam loci, ſicut non cedit occiſio, aut mutilatio, vel effuſio ſanguinis cum debito moderamine ad tuendam vitam corporalem, vt in materia de homicidio latè probauimus in quinto præcepto.

Item longa, & diuturna obſeſſio in eodem loco ſacro, præſertim apud homines rudes, qui non tam facilè continentiæ aſſueti ſunt, ſecus in politioribus hominibus, & in negotiatoribus, qui diu abeſſe ſolent, hi enim citra periculum incontinentiæ, & pollutionis in ſe, vel altero coniuge, non videntur licitè petere, cùm huiuſmodi continentiæ aſſueti ſint, vt ſpeciatim notauit Leſſius allegatus.

13. *Tactus in Eccleſia an ſint ſacrilegia per partes etiam inhoneſtas.* Præcipua hîc dubitatio eſt, an ſolæ cogitationes, deſideria, confabulationes, nutus, aſpectus, tactus turpes, oculorum intorſiones, fictioneſque ſiue inter ſolutos, ſiue inter coniugatos abſque copula, ita ſint ſacrilegia, vt loci circunſtantia neceſſariò ſit in confeſſione aperienda. Sanchez *lib. 9. de debito coniugali, diſp. 15. num. 11.* Caietan. *tom. 1. opuſculorum, tract. 17. opuſc. 3. reſponſione 12. dub. 4.* Nauar. *in cap. conſideret, in principio, num. 20. de pœnit. diſt. 5.* Alcocer *in ſumma, cap. 20. fol. 74. colum. 2. §. los tocamientos*, docent tactus quantumcumque turpes in loco ſacro abſque pollutionis periculo non habere circunſtantiam ſacrilegij neceſſariò in confeſſione dicendam, ſiue fiant inter coniuges, ſiue inter ſolutos, & à fortiori idem dicent de aſpectibus, confabulationibus, & nutibus, & deſideriis. Probant, quia inter coniuges huiuſmodi actiones ſunt licitæ in ordine ad copulam ſi ſine periculo pollutionis contingant; inter ſolutos verò quamuis non ſint licitæ, tamen per illas non fit irreuerentia notabilis loco ſacro; deinde, quia tunc loci circunſtantia ſacrilegium conſtituit, & in confeſſione aperienda eſt, quando actus in eo exercitus aduerſatur directè ſanctitati, aut immunitati loci, id eſt, illis ad quæ locus ſanctificatus eſt, vt ſi impediat poſſe ibi celebrari, mortuos ſepeliri, diuina exerceri, aut ab eo loco immunitatem auferat, aut ſecuritatem rerum ibi ad cuſtodiam depoſitarum; ſed huiuſmodi tactibus quantumuis turpibus, & per partes inhoneſtas, non violatur Eccleſia, cùm ceſſat pollutio, & eius periculum, vt ſupponimus; ergo non impediuntur huiuſmodi tactibus officia diuina, nec mortuorum ſepulturæ; non ergo ſacrilegi ſunt, nec loci circunſtantia eſt neceſſariò confitenda. (Sanch. Caiet. Nauar. Alcocer.)

Quid de confabulationibus, aſpectibus, &c.

Quòd ſi hæc dicuntur in tactibus, idem etiam à fortiori dicendum erit de aſpectibus, confabulationibus, & oculorum fictionibus, quando ſine prædicta pollutione contingunt, & quòd huiuſmodi res non ſint ſacrilegia, ſi in Eccleſia citra pollutionem contingant, neque loci circunſtantia neceſſariò ſit aperienda, docet expreſsè Ludouic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 33. §. 2. Canus *in relectione de pœnit.* quem *ibi* citat Rodrig. *tom.* 1. *ſumma in* 2. *editione cap.* 207. *num.* 1. Ledeſma *in ſumma in ſacramento de pœnit. cap.* 19. §. *Acerca deſta concluſion.* Limitat tamen Ledeſma, niſi huiuſmodi verba inhoneſta altiori proferantur voce, tunc enim erit ſacrilegium, & circunſtantia loci ſacri neceſſariò detegenda; ſed minimè id credo cum Sancio allegato *num.* 18. & hæc doctrina verior eſt, quidquid dicat Syluester *verb. Confeſſio*, §. 1. vbi tenet oculorum fictiones in Eccleſia habitas habere circunſtantiam ſacrilegij in confeſſione neceſſariò explicandam.

Lopez. Canus. Rodrig. Ledeſm.

14\. *Exiſtens in Eccleſia non committit ſacrilegium ſi extra illam fornicari deſideret, ſecus ſi exiſtens foris id intra efficere cupiat.*

Sanchez. Rodrig. Canus. Nauar. Viuald. Lopez. Alcocer.

Notabis tamen, ſi quis in Eccleſia exiſtens deſideret habere copulam extra illam, non eſſe ſacrilegium, nec loci circunſtantiam vbi tale deſiderium habitum fuit, eſſe de neceſſitate confeſſionis; ſecus ſi ibidem appetat talem copulam fornicariam exercere, aut ſi exiſtens extra Eccleſiam, & locum ſacrum, in loco ſacro, & Eccleſia copulam habere deſideret, ita docet Sanchez *lib.* 9. *de debito coniugali, diſp.* 11. *num.* 28. Rodrig. *tom.* 1. *ſumme in* 2. *edit. cap.* 207. *num.* 1. Canus *in relect. de pœnit. part.* 5. Nauarrus *cap. conſideret, in principio, num.* 21. *de pœnit. diſt.* 5. *& in ſumma, cap.* 6. Hiſpanica *num.* 10. Latina 12. Viualdus 1. *part. in candelabr. ſacrament. de confeſſione, num.* 46. Ludouic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 33. §. *cæterùm, quia de copula*, Alcocer. *in ſumm. cap.* 20. *fol.* 74. *col.* 1. Et ratio eſt, quia ad conſtituendum peccatum ſacrilegij non attenditur locus vbi deſiderium committendi prædictum ſacrilegium concipitur; ſed vbi actus ſacrilegij conſummatur, vel deſideratur conſummari; ſic ſi in Eccleſia exiſtens deſideres extra illam furari, ſemen per pollutionem, aut ſanguinem per occiſionem, aut vulnerationem effundere, loci circunſtantia vbi id deſideraſti, non eſt de neceſſitate confeſſionis; ſecus ſi extrà exiſtens deſideres intra illam hæc efficere, vel ibi hæc in eodem loco deliberatè perpetrare, iuxta hos Doctores.

Henriq.

Vnde falſa eſt omnino doctrina Henriq. *lib* 9. *de matrim. cap.* 17. *num.* 4. *ad finem*, vbi dicit, non violari Eccleſiam à iudice, qui emiſſo iaculo extra Eccleſiam exiſtens perturbatorem Reipublicæ intra illam exiſtentem occidit, quem capere non poteſt, & fundamentum illius eſt, quia actum debitum exercet, & ſibi iure conceſſum, vtiturque iure ſuo; at hoc falſum eſt, quia licèt iudex iure poſſit latrones, & ſceleratos occidere, non tamen in Eccleſia, id enim ſibi iure Canonico vetitum eſt, propter reuerentiam loci, ſed de his latè egimus *in ſecundo precepto ſanctæ Matris Eccleſiæ*, vbi de circunſtantiis confeſſionis latè tractauimus; quamobrem ad eum locum te remittimus.

15\. *Quid nomine Eccleſiæ intelligatur, & à quo illa reconcilietur.*

Locus ſacer intelligitur Eccleſia conſecrata, aut benedicta, quia ante conſecrationem, aut benedictionem non eſt locus ſacer; eſt tamen magnum diſcrimen inter Eccleſiam conſecratam, & benedictam, quia ſi fuerit conſecrata, non poterit niſi ab Epiſcopo loci purificari, aut de eius licentia per alium Epiſcopum. *cap. aqua, de conſecrat. Eccleſia.* Graphis *lib.* 2. *de ſpeciebus ſacrilegij, cap.* 48. *n.* 10. & communiter omnes: ſimplici autem Sacerdoti committi id non poteſt, niſi ſolùm à Summo Pontifice ſecundùm eundem, & ſecundùm gloſſam in dicto *cap. aqua*, & Sylueſtrum *verb. conſecratio* 2. *quæſt.* 8. & debet reconciliari per aquam cum vino, & cinere benedictam, iuxta formam Ceremonialis Romani. Si verò Eccleſia non fuerit conſecrata, poteſt à ſimplici Sacerdote per aſperſionem aquæ benedictæ purificari, iuxta citatos DD. ſequitur Nauarrus *in manuali Latino, cap.* 27. *num.* 151. & hæc eſt cauſa, ob quam Eccleſiæ non tam frequenter conſecrantur, ſed benedicuntur tantùm de mandato Epiſcopi per aliquem Sacerdotem, vt facilior ſit illarum purificatio, ſi violentur.

Violata autem Eccleſia, violatur etiam Cœmeterium, quia acceſſorium ſequitur principale; violato verò Cœmeterio, non violatur Eccleſia.

16\. *Quæ loca ipſius Eccleſiæ ad illam pertineant, vel non.*

Non omnis tamen locus Eccleſiæ dicitur ſacer, ſed ille tantùm, qui pertinet ad corpus Eccleſiæ internum à parte interna portæ, vſque ad vltimum parietem Capellæ maioris, & à tecto vſque ad pauimentum, per tectum autem intelligimus ipſum tabulatum quo tectum veſtiri ſolet. Nam ſi quod ſpatium vacuum manet inter ipſum tabulatum, & ſimplex tectum, ad Eccleſiam, & locum ſacrum non pertinebit; quare etiam non manebit Eccleſia polluta, ſi copula habeatur ſupra tectum, nec intra illud vacuum, nec ſi habeatur ſubter pauimentum, ſi inibi ſit ſpelunca aliqua. Excipe tamen fornices illos, in quibus ſepeliuntur mortui, quia cùm ſint loca deputata, & benedicta ad fidelium ſepulturam, partes Eccleſiæ dicuntur, nec ſi habeatur in Sacriſtia, quia diuiditur pariete ab Eccleſia; nec in tribunis, quia à parte externa Eccleſiæ continentur; nec in confeſſionariis, ſi pariete aliquo, vel tabulato, aut panno cerato fixo ab Eccleſia diuidantur, tunc enim ſi copula, vel pollutio habeatur à parte externa Eccleſiæ, quam diuidit tabulatum, vel pannus, cùm ea pars non ſpectet ad Eccleſiam, non manebit illa polluta; manebit autem ſi à parte interna Eccleſiæ habeatur, quia tunc ea pars ad illam ſpectat. Chorus vel eſt locus quidam intra Eccleſiam ſcabellis diſtinctus, & tunc non eſt dubium eſſe partem Eccleſiæ, & ad illam pertinere; vel eſt locus à terra eleuatus arcubus, vel columnis; & tunc dubium eſt, an ad Eccleſiam pertineat? pertinere affirmandum cum Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, diſp.* 15. *num.* 33. idémque docet D. Anton. 2. *part. titul.* 2. *cap.* 21. §. 1. *circa medium*, & idem addit Sanchez, dicendum eſt de loco organorum, & quia intra parietes Eccleſiæ ſunt organa, & quia ille ſonus pars eſt diuini cultus; quare ſi copula, vel pollutio inibi habeatur, manebit Eccleſia polluta, & circumſtantia loci in confeſſione erit aperienda neceſſariò. Prophilæa, ſeu cornigiæ, ſunt intra Eccleſiam, & ad illam pertinent. Oratoria, quæ domi habentur, licèt in eis Miſſa de licentia Epiſcopi celebretur, nec ſunt Eccleſiæ, nec ad illam ſpectant, cùm ad prophanos vſus redire poſſint arbitrio domini; quare ea loci circumſtantia non eſt confitenda, vide Sancium *lib.* 9. *de matrimonio, diſp.* 15. *à num.* 25. vbi pulchrè per huiuſmodi diſcurrit loca, illius tamen doctrina tota hìc breuiter comprehenditur; latiùs illam diſputamus *precepto* 2. *de quinque Eccleſiæ preceptis*, vbi eam videre poteris, ſi lubet.

Sanch. D. Anton.

Ex parte ſitus, & innaturalis vſus.

Vxores extra vas naturale polluere eſt peccatum mort.

D. Thomas. Caietanus. Nauarr. Henriq. Sanchez.

17. Seruandus eſt modus naturalis inter ipſos coniuges, vt ſit thorus immaculatus, & talis, qualem Deus inſtituit; eſt enim graue peccatum ſiquis vxorem polluat ſodomiticè, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1. Caietanus *ibi art.* 11. Henriq *lib.* 11. *de matrim. cap.* 17. *num* 6. Nauarrus *in manuali Latino, cap.* 16. *num.* 42. Sotus *diſt.* 31. *art.* 4. *ad finem.*, vel inter crura, vel aliter ſemen effundendo extra naturale vas, & id ipſum docet etiam Sanchez *lib.* 9. *de debito coniugali, diſp.* 27. *num.* 2. quia aduerſatur fini naturali illius copulæ, qui eſt prolis generatio, propter quem matrimonium inſtitutum eſt, & quamuis aliqui inſinuare videantur id illicitum eſſe in viro agenti, non in vxore patienti, vt refert Abulenſis *cap.* 1. *in Matth. quæſt.* 224. quia non habet ſui corporis poteſtatem, ſed ſolus vir illam habet. Deinde quia ſtat, petentem reum eſſe culpæ, non reddentem. At tenendum omnino eſt, nullo modo licere vxori pati copulam ſodomiticam, aut effuſionem ſeminis extra vas, etiamſi ſibi mors intentetur à viro, quia ea copula eſt intrinſecè mala, peiorque fornicatione ſimplici, quæ nullo modo poteſt cohoneſtari, & à qua timor præſentis mortis non excuſat; ſola enim copula matrimonialis naturalis, non contra naturam, licita eſt: ita Alenſis 2. *parte quæſt.* 166. *memb.* 5. *ad* 2. Abulenſis *cap.* 5. *in Matthæum, quæſt.* 224. D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 20. §. 3. Sylueſter *verb. Debitum, quæſt.* 4. *initio.* Tabiena *verb. matrim.* 3. *quæſt. penultima*, Ledeſma 2. *part. quæſt.* 51. *art.* 6. *propoſitione*; Margarita Confeſſorum *in* 6. *præcepto, fol.* 16. *parte* 1. Graphis 1. *part. deciſion. aurear. lib.* 2. *cap.* 82. *num.* 13. Nec obſtat ratio à contrariis allata, quoniam vir non habet poteſtatem corporis vxoris ad illicitos, & innaturales vſus, ſed ſolùm ad naturales.

Alenſis. Abulenſis. D Anton. Sylueſter. Tabiena. Ledeſma. Margarita. Graphis.

18. Si vir volens legitimam copulam cum vxore habere, & vt ſe ad eam excitet, illam inchoat ſodomiticè, non animo conſummandi illegitimè, ſed animo tantùm ſic ſe exercitandi ad conſummandum copulam legitimam, quidam inſinuare videntur, id tantum eſſe veniale peccatum, non mortale, dummodo abſit periculum effundendi ſemen, inter quos eſt Nauarrus *lib.* 5. *conſilior. tit. de pœnit. & remiſſionib. num.* 7. vbi aſſerit id tantùm eſſe peccatum cuiuſdam tactus illiciti, nec teneri virum confiteri circumſtantiam ſodomiæ; vnde apertè ſupponit veniale tantùm peccatum eſſe, & fauere videtur Ouandus *in* 4. *diſt.* 31 *quæſt. vnica, propoſitione* 3. dum ait, omnem actum libidinoſum excuſari poſſe inter coniuges, ſi abſit periculum pollutionis. At quàm ingens abſurdum hoc ſit, quàm alienum à piis auribus, & à ſana doctrina peritorum hominum, nemo non videt, quia ille tactus nec ex ſe, nec natura ſua, nec ex tangentis recta, & bene ordinata intentione poteſt ad naturalem copulam referri, eſt enim actus ille contra naturam, & medium omninò improportionatum ad copulam legitimam, & naturalem, & alterius ordinis luxuria; quare ſemper eſt peccatum mortale, & graue quidem contra eandem naturam, vt optimè docet Sanchez *lib.* 9 *de matrimonio, diſput.* 17. *num.* 5. & eſt ſodomia inchoata, vt de ſe patet.

Nauarr. Ouandus. Sanchez.

19. Si tamen vir ſuperficie tenus circa vas præpoſterum vxoris ſuæ, aut circa illius os membrum virile refricaret in ordine ad copulam legitimam habendam, ceſſante omni pollutionis periculo, exiſtimat Sanchez modò allegatus, veniale tantùm peccatum eſſe, licèt ſit grauius. At ego mortiferum omnino peccatum eſſe credo, quia neutrum membrum, ſeu partem natura ordinauit ad copulam legitimam, nec proximè, nec remotè; ſicut ordinauit manus, crura, & ſimilia; & quia periculum eſt, ne homo carnis pruritu irritatus, in eam partem ſemen effundat luxurioſè. Iam verò ſi membrum virile in os immittatur, mihi ſine dubio peccatum mortiferum videtur, cùm ſit inaudita ſpecies luxuriæ, & pluſquam contra naturam, ſi ſic dicere fas eſt; deinde, quia eſt proximum periculum conſummandi præpoſterum, & innaturalem coitum in ore, quare non veniales tantùm huiuſmodi tactus eſſe exiſtimo inter coniuges matrimonio copulatos, ſed mortales omninò; horret enim natura ſimiles libidinis modos, etiam inter ipſos coniuges, cùm nec inter animantes fiant.

Sed quæſtiò hîc incidenter oritur, an ſit culpa lethalis, ſi vir ſemen extra legitimum vxoris vas effundat. 20. Et verò multis modis id poteſt contingere; vel caſu; & ſine aduertentia; vel cum aduertentia ſine repreſſione, & ſine conſummatione copulæ, quæ poteſt ſtatim licitè haberi; vel ſi à propoſito, & à parte ante de induſtria id à viro procuretur, ne generatio filiorum detur. Si contingat primo modo, conſtat non eſſe peccatum, quia non eſt actus voluntarius, vbi enim voluntas non datur, peccatum non committitur: ſi ſecundo modo, non excuſarem eam effuſionem à peccato mortali; quia ſi animaduertit, & noluit reprimere cùm facilè poſſit; nec voluit copulam legitimam cum vxore ſtatim conſummare, conſequenter voluit ſe voluntariè polluere, quod peccatum mortale eſt: ſi tertio modo contingat, fatentur omnes culpam eſſe mortalem; & quia impeditur finis ad quem Deus matrimonium præcipuè inſtituit, & quia tunc perinde eſt, imò nihil aliud eſt, quàm ſe extra vas polluere, quod peccatum eſſe mortiferum, nemo dubitat.

Dubium graue eſt, an ſeminante viro, & poſt ſeminationem intra vas vxoris à copula ceſſante, 21. liceat vxori, quæ nondum ſeminauit, ſe tactibus ad ſeminandum incitare? & videtur id ſibi non licere.

Primò, quia actus ille iam videtur conſummatus ex parte finis ad generationem, cùm fœmineum ſemen ad illam non requiratur.

Secundò, quia nihil aliud id videtur, quàm ſe polluere propriis manibus, quod omnino eſt illicitum, licere tamen id ipſi fœminæ, docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 17. *num.* 12. quia illa prouocatio fœminæ eſt perfectio præcedentis copulæ, & conſummatio illius, & moraliter loquendo, eſt idem actus; quamuis enim ad generationem non deſideretur vxorium ſemen, valde tamen ad illam confert, vt hactenus diximus; deinde quia alioquin relinquerentur vxores in euidentiſſimo periculo peccandi lethaliter, cùm frequentiùs viri, quia robuſtiores, præmaturiùs ſeminant, & illico recedant manenti in fœminis valdè irritata, & commota libidine. Ego Sancio aſſentior.

An fœmina teneatur præferuidum viri ſemen retinere.

Fœmina non tenetur cum anxietate magna, 22. & labore diu manens in lecto conſeruare præferuidum ſemen viri, eſt enim huiuſmodi ſemen aliquando iam præferuidum, ac calidum, vt vix illud retinere poſſint fœminæ; ita docet expreſsè

Henriquez. Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 6. *num* 8. *initio*, & Recentiores hac de re conſulti: peccat tamen lethiferè ſi cùm poſſit illud conſeruare, ſtatim eiiciat, vel potu aquæ frigidæ eneruet, vel alio remedio excutiat, quia impedit generationem, & damnum naſcituræ ſoboli infert. ita Henriq. allegatus, & communiter omnes.

23. 24. 25. *Mutatio ſitus, an ſit peccatum mortale.* Mutatio ſitus, ita vt fœmina ſit incuba, & vir ſuccubus, probabilius eſt non excedere grauem culpam venialem, quia non ſolet impedire generationem prolis; matrix enim fœminæ vim habet attractiuam, & retentiuam ſeminis virilis, ſicut ſtomachus reſpectu cibi, & ſi fortè aliqua guttula effundatur, id præter intentionem eſt, id docet Henriq. allegatus *in* 6. *poſt med.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Syluester *verb. Debitum coniugale*, § 6. Nauarr. *in man. Latino, cap.* 16. *num* 42. Rebellus 2. *part. de obligat. iuſtitia, lib.* 3. *de imped. quæſt.* 16. *ſect.* 4. *num.* 11. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 16. *num.* 3. *iuncto* 2. Albert. Magnus *in* 4. *diſt.* 31. *art.* 24. vbi ſupplementum Gabrielis *quæſt. vnica, art.* 2. *concluſ.* 6. Ioannes de Friburgo *in ſumma confeſſorum, lib.* 4. *tit.* 2. *q.* 47. Ioan. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 2. § 3. Victoria *in ſumma de matrim.* § *finem ſequitur modus*, Sotus *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt. vnica, art.* 4 *ad finem*, ibi Ouandus *quæſt. vnica, propoſitione* 3. Sà *in ſumma verb. Debitum coniugale, verſ. nullus modus*, Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 87. *in fine, & cap.* 82. *verſ. igitur loquendo*, Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *ſummæ in* 2. *edit. cap.* 143. *ad finem.* Viualdus *in Candelabr. aureo*, 1. *part. de matrimon. num* 261 Veiga *tom.* 1. *ſummæ, cap.* 78. *caſu* 2. Matienzo *lib* 5. *Recopilat. tit.* 1. gloſſa *num.* 108. Graphis 1 *part. deciſ. aurear. lib.* 2. *cap.* 82. *num.* 17. Roſella *verb. Debitum, num.* 11. Petrus de Ledeſma *de matrim. quæſt.* 49. *art.* 6. Tabiena *verb. Matrimonium* 3. *quæſt. penultima* Medina *lib.* 1 *Summæ. c.* 16. § 13. *fol. mihi* 132. *verſ.* 2. & aliis probatur.

(Margin: Henriq. Caietan. Syluester. Nauarr. Rebellus. Sanchez. Albert. Mag. Gabriel. Friburg. Ioan. Anan. Victoria. Sotus. Ouandus. Sà. Lopez. Rodrig. Viualdus. Veiga. Matienzo. Gloſſa. Graphis. Roſella. Ledeſma. Tabiena. Medina.)

Primò, quia ſemen non recipitur in matricem fœminæ per infuſionem, ſeu deſcenſum, ſed per attractionem; eſt enim in ea virtus attrahens, ſicut eſt in ſtomacho ad attrahendum cibũ, quod patet in eo caſu, quem refert D. Thom. *quodlibeto* 6. *art.* 18. de filia in eodem lecto cum patre accumbente, quæ vi attractiua matricis, ſemen paternum per lectum noctu effuſum attraxit, & inde effecta eſt grauida ſine patris culpa, & id non ſemel accidiſſe in balneis teſtantur Doctores graues; ergo nullus corporis ſitus, modò intra vas naturale fiat receptio in concubitu, obſtat generationi, ac proinde non conſtituet peccatum lethale cùm ſeruetur finis legitimus matrimonij, qui eſt poſſe ſobolem concipi, nam ſi matrix diſtans ſemen attrahit, à fortiori ſibi contiguum attrahet.

Secundò, quia mutatio ſitus, eſt quidam abuſus, & naturalis ordinis peruerſio in ſolis accidentalibus contingens, cùm vas legitimum ſeruetur, ac proinde cùm id non impediat generationem, non excedet culpam venialem, vt diximus *num.* 5. quod ſemper eſt intelligendum, ſublato ſcandalo, & modò non ſit periculum effundendi ſemen virile extra vas naturale fœminæ, quod idem, vt bene animaduertit Henriquez *loco allegato*, cætera inuenies Summario ſequenti.

SVMMARIVM.

Mutatio ſitus inter coniuges ex iuſta cauſa, nec venialis eſt culpa. num. 26.
Non tenetur coniux petenti reddere, quando datur periculum effuſionis extra vas naturale, num. 27.
Nulla culpa eſt, nec venialis, petere, & reddere cum continuo fluxu, quem vxor patitur. num. 28.
Si fluxus ſit menſtruus, veniale tantum eſt petere, & reddere, excuſatur tamen reddendo à veniali, ſi maritum amicè monuit, ne peteret. num. 29.
Peccat lethaliter, qui ad grauidam accedit cum periculo aborſus, num. 30. *Et qui vel medicamento, vel venæ inciſione illum procurat, num.* 31. *Et an prægnans cauſa valetudinis illum poſſit procurare fœtu non animato, num.* 32. *Quid ſi fœtus iam ſit animatus, num.* 33. & 34. *Quid de ea, quæ ſtrictè ſe cingit, vt aborſum faciat, num.* 35. *Quid de iis qui in lectulo puerum collocant cum periculo ſuffocationis.* num. 36.
Tactus in ordine ad copulam per partes inhoneſtas inter coniuges, ſunt liciti, num. 37. *Quid quando vir verenda vxoris poſt ſeminationem adlambit, aut vxor verenda viri deoſculatur, ibid. An hi tactus inter ſolutos ſint mortaliter illiciti, n.* 38.
Quid ſi coniuges velint tantùm ſiſtere in delectatione quæ in illis ſentitur, num. 39. *Quid ſi nihil de pollutione futura cogitent, gaudeant tamen cùm aduenerit.* num. 40.
An licita ſit copula inter coniuges, qui ob impotentiam ſuperuenientem perfectè coire non poſſunt propter viri caſtrationem. num. 41. & 42.
An ſint liciti inter coniuges impotentes. num. 43.
Quid ſi impotentia adueniat matrimonio rato, non conſummato. num. 44.
Quid ſi ſit probabilis ſpes ſeminandi. num. 45.
An liceat ſe irritare ad copulam cibis præcliduis quatenus, & quomodo. num. 46.
Quæ ſit cauſa iuſta negandi debitum, & ſeparandi thorum. num. 47.
An coniugi amenti teneatur coniux ſanus reddere, num. 48.
An ſæpiſſimè, & moleſtiſſimè petenti negari poſſit, num. 49.
An negari poſſit coniugi ebrio, aut furioſo, num. 50.
An peccet mulier, quæ ſtatim poſt copulam ſemen eiicit. ibid.
An liceat accedere ad Euchariſtiam poſt copulam eodem die habitam, vel nocte antecedenti, numero 51.

Sciendum eſt aliquando nullam eſſe culpam, nec venialem quidem, mutare ſitum; ita vt vxor incubet viro, quando non captandæ voluptatis gratia accidit, ſed aliqua iuſta cauſa intercedente, v. c. quia mala affectio corporis alium coitum non patitur vel ob viri pinguedinem, vel ad vitandum periculum aborſus in muliere prægnante, vel quauis alia iuſta cauſa occurrente. ita D. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *ad finem, in expoſitione literæ, aliàs* 31. Caietanus *in ſumma verb. Matrimonium cap. vlt. verſ. ſecundum caput, &* 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *quæſt.* 4. § *pro prima tamen obiectione, & art.* 1. *circa ſolutionem ad* 4. § *ad* 2. *de modo.* Sanchez *lib.* 9. *de debito coniugali, diſp.* 16. *num.* 6. & præcipuè *num.* 7. Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 51. *num.* 17. Ludou. Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 87. *ad finem*, Graphis 1 *part. deciſ. aur. lib.* 2. *cap.* 82. *num.* 17. 26. *Mutatio ſitus ex iuſta cauſa nec veniale eſt.* D Thom. Caietan. Sanchez. Ledeſma. Lud. Lopez Graphis.

27. Dubitabis tamen, an coniugi petenti modo indebito quoad ſitum teneatur alter coniux reddere? Reſpondeo breuiter, quando ſic concumbere fuerit peccatum lethale propter periculum effuſionis ſeminis extra vas naturale, aut propter periculum eiiciendi foras ſemen iam receptum ratione modi extraordinarij concũbendi nó teneri coniugem

coniugem reddere petenti, talis enim concubitus eſt prohibitus ratione circumſtantiæ ipſi actui inhærentis, eſt enim contra finem generationis humanæ prolis, & perinde ac ſi vir peteret, vt vxor cooperaretur ad pollutionem; quare nullus timor, grauis etiam, reddentem excuſat, ita docet

Sanchez. Lud. Lopez.

Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſput. 16. num.* 8. Ludou. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 82. §. *igitur loquendo.* Quando verò nulla eſt culpa in petente, vt diximus *num. præcedenti*, tenetur vxor reddere, vt patet, non eſt enim cauſa ob quam excuſetur, quando autem ſola eſt culpa venialis in petente, quidam ex iis, qui cenſent eſſe culpam venialem variare ſitum, aſſerunt non teneri vxorem reddere, quia non petitur debitum, modo debito; ſic

Armilla. Pallac. D. Anton. Henriq.

Armilla *verb. Debitum, num.* 7. Pallac. *in* 4. *diſt.* 32. *diſp.* 1. *fol.* 712. *caſu* 10. licèt non omnino apertè, D. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 20. §. 7. vnde optimè dixit Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. *num.* 6. non teneri vxorem reddere viro ſuccubanti, propter probabilem opinionem, quæ docet hanc mutationem ſitus eſſe grauem culpam lethalem. Nihilominus probabilius eſt teneri reddere, vt ſuprà

Sanchez. P. Soto. Caietanus.

dixi, ita expreſsè Sanchez allegatus modò. Petrus Soto *de matrim. lect.* 16. §. *finem ſequitur modus.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 1. *circa ſolution. ad* 4. §. *ad* 2. *de modo.* Et ratio eſt, quia vxor tenetur reddere petenti in omni actu qui mortalem culpam excludat, ex quo ſequi poteſt generatio, & in quo nō datur periculum vertendi ſemen; vnde cùm in eo concumbendi modo ſequi poſſit generatio, nec periculum ſeminis eiiciendi detur, ſequitur, vt teneatur reddere, & non cooperetur peccato veniali petentis, cùm debitum ſoluat, tenetur tamen ſub veniali amicè rogare petentem, vt eo modo non petat, quod ſi noluerit tunc ab eo actu deſiſtere, reddat, quia licitè reddit, ſi tamen eam admonitionem non præmittat, venialis tantùm culpa erit, vt dixi.

Ex parte menſtruorum.

28. Menſtruus eſt ille fluxus, qui ſingulis menſibus fœminis ſolet euenire: fluxus autem mulieris, abſolutè loquendo, vel eſt morboſus, & præternaturalis; vel eſt ordinarius, qualis ille eſt, quem fœminæ (vt dixi) ſingulis menſibus pati ſolent: ſi eſt morboſus, & continuus, omnes concedunt, nullum eſſe peccatum petere, & reddere, alioquin cogerentur coniuges vti rarò iure ſuo, & multa paterentur libidinis incendia, multáſque & graues tentationes carnis cum graui pollutionis periculo incontinentiæque; quod oneroſiſſimum illis eſſet, & conſcientiis pernicioſiſſimum. Nec obſtat proles ſuſcipienda, quæ ſola in hoc caſu obſtare poſſet, quia vel illa, quod certius eſt, nulla tunc naſceretur, vel rarò naſceretur monſtroſa; vel ſi monſtroſa naſcatur, melius erit ei ſic eſſe, quàm

Nauarr.

non eſſe, & ita docet Nauarrus *in manuali Latino, cap.* 16. *num.* 32. vbi dicit non peccare coniugem, nec etiam venialiter, qui eo fine petit, aut reddit, ne coniugi ſuo ſit odioſus, aut vt periculum incontinentiæ illius, vel proprium euitet: lethaliter autem nunquam peccare, etiamſi credat ex eo coitu monſtroſam prolem naſcituram, &

Palud. D Anton. Caſtro. Rebellus.

hanc opinionem ſequitur Paludan. *in* 4. *diſt.* 32. *quæſt.* 1. *col.* 4. & D. Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 20. §. 5. Caſtro *lib* 1. *de lege pœnali, cap.* 12. Rebellus 8. *part. de obligat. iuſtitiæ, lib.* 3. *de imped. quæſt.* 16. *ſection.* 1.

Quid ſi fluxus ſit menſtruus.

29. Cùm verò fluxus eſt menſtruus ordinarius, & naturalis, communis ſententia docet peccatum eſſe veniale tantùm tunc petere, & reddere, etiamſi ſcienter abſque vlla iuſta cauſa petatur: reddendo autem excuſari fœminam à veniali, ſi maritum

Caietan.

moneat amicè, ne petat: ita docet Caietan. *in ſum. verb. matrimonij vſus, poſt initium*; non debet tamen mulier dum maritum monet, ne petat, ſuum menſtruum ſignificare, ne maritus ab illa abhorreat, niſi alioqui tam probatæ virtutis ſit, vt contrarium de illo ſperetur; idem tenet etiam D. Thom.

D. Thom.

in 4. *quæſt.* 32. & omnes citati *num. præcedenti*, nulli enim facit iniuriam, qui vtitur iure ſuo, & quia tunc vel non concipitur proles, vel ſi concipitur, non concipitur monſtroſa.

Olim in lege veteri huic præcepto adiecta erat pœna mortis, vt habetur *Leuitico* 18. ſed quia hoc præceptum cæremoniale erat, ideo cum ea lege expirauit.

Ex parte aborſus.

Peccat mort. qui ad grauidam accedit cum periculo aborſus.

30. Ex parte aborſus lethale peccatum committit in genere homicidij maritus, (& idem de ſoluto) qui ad mulierem grauidam accedit cum periculo aborſus, quando ſciebat illam eſſe grauidam, & nihilominus cum eo periculo ad illam voluit accedere, idque etiamſi aborſus non ſequatur, quia iam ſciens ſe tali periculo expoſuit: è contrario verò ſi ſine eo probabili periculo accedat, quamuis poſtea ſequatur aborſus, non ideo erit mortale, & ratio eſt, quia vita prolis, bonum eſt non lædendum, & ex parte ſua lædit quantum poteſt, qui periculum præuidet, & ſe illi libenter exponit.

Caietan. Nauar. D Anton. Panorm.

ita docet Caietanus *in ſumma, verb. matrimonium*, §. 1. *ad finem, de vſu matrimonij.* Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 15. *num.* 14. D. Anton. 2. *part. tit.* 7. *cap.* 8. §. 1. & Panormitanus *in cap. ſicut ex literarum, de homicidio.*

Et qui medicamento procurat aborſũ.

31. Similiter peccat lethaliter mulier, quæ medicamento, aut phlebotomia, id eſt, venæ pedis inciſione vtitur, etiam ante prolis animationem, & quia impedit generationem, & quia viam impedit, qua Deus vt Auctor naturæ humanæ, cum naturali pacto vitam hominibus dedit, ne ſcilicet viam naſcendi aliis impedirent, ita præter auctores

Henriq. Rebell.

modò allegatos Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. *num.* 8. & Rebellus 2. *part. de oblig. iuſtitiæ, lib.* 3. *ſect.* 1. *num.* 13. *quæſt.* 16.

Prægnans, an in morbo poſſit ob valetudinẽ procurare aborſum.

32. Excuſatur tamen à peccato ſi prægnans ob grauem, & periculoſum morbum de iudicio Medicorum medicamentum ſumat ad corporalem ſalutem neceſſarium, ex intentione, etiam ſecundaria, expellendi fœtum nondum animatum; habet enim mater ius præferendi vitam ſuam ſpei vitæ futuræ alienæ; quod tamen intelligendum eſt, modò fiat ex præcipua intentione curandæ matris, non occidendæ, aut præoccupandæ prolis nondum animatæ; habet enim mater antequam fœtum concipiat, ius vtendi remediis ad ſalutem corporis neceſſariis, quod ius non amiſit per conceptionem illius; deinde, quia aborſus non cenſetur tunc procuratus, ſed permiſſus, & præter intentionem

Henriq. Nauarr. Sylueſt. D Anton. Leſſius. Petr. Nau. Couar.

ſecutus. ita docet Henriquez *lib.* 11. *de matrimon. cap.* 6. *num.* 8. Nauarr. *in manuali Latino cap.* 25. *num.* 62. Sylueſter *verb. Medicus, quæſt.* 4. D. Anton. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *de iniurijs in corpus proximi, dub.* 10. *num.* 61. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reb. cap.* 3. *num.* 140. Couarr. *in Clement. ſi furioſus,* 2. *part.* §. 3. *num.* 1. *verſ. hinc omnino,*

Sayrus.

omnino. Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 12. num.* 19. Vide quæ diximus *in quinto præcepto, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 19.

Quid ſi fœtus ſit animatus.

33. Si tamen conſtet fœtum iam eſſe animatum (animatur autem ſi maſculus ſit ad dies 40. ſi fœmineus ad 80. vt diximus *in quinto præcepto huius operis, loco allegato, num.* 32.) partita eſt opinio; quidam enim dicunt non licere matri vti remediis ad procurandam vitam, & ſalutem corporis ex intentione expellendi, vel occidendi fœtum iam animatum; licere tamen illis vti animo expellendi noxios humores, licèt per accidens ſequatur aborſus quem omnino non intendit, & conſequenter licere Medicis hoc conſulere, ita docet expreſsè Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 16. *num.* 8 *ad finem*, & citat Peñam, Mantium, Coſtam, & alios, ſed loca non allegat, & fundamentum illius eſt, quia habemus iuſtum bellum contrà noxios humores, qui nobis vitam auferre volunt: at in iuſto bello licet hoſtem perſequi, etiamſi per accidens mors ſequatur alicuius innocentis; ſic licet Principi, qui iuſtum bellum gerit, tormenta bellica in turrem dirigere, in qua ſcit conſtitutum eſſe puerum innocentem; cuique enim licitum eſt perſequi ius ſuum, vt patet. Eſt probabilis hæc opinio.

Henriq.

34. Secunda tamen, & communior hodie opinio docet poſt fœtum animatum non licere matri medicamentum ſumere ex directa, & poſitiua intentione expellendi noxios humores, & curandi ſeſe cum periculo vitæ fœtus animati, & conſequenter non licere etiam Medicis id conſulere.

Primò, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona: malum autem eſt prolem occidere.

Secundò, quia tenemur noſtram vitam temporalem periculo exponere pro vita ſpirituali proximi, vti probauimus *in quinto præcepto huius operis, lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. Ergo ſi abſtinente matre à tali medicamento proles viua ſeruari poteſt ad Baptiſmum, tenetur ex charitate cum vitæ periculo eo medicamento abſtinere: ſi tamen proles probabiliter putetur iam emortua, tunc id licebit, nec eſt ſimilis caſus de bello iuſto aduerſus hoſtes iniuſtos, quia nec proles antecedenter, nec noxij humores nobis velut hoſtes per noſtram iniuriam, cauſam belli illis indicendi præbuerunt, vt patet, ita docent Leſſius *lib.* 2. *de iniuriis in corpus proximi, dub.* 10. *num.* 67. D. Anton. 3. *part. tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. Sayrus *in claui regia, lib.* 7. *cap.* 62. *n.* 22. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *de reſt. cap.* 3. *num.* 138. & 143. Aragonius 2. 2. *quæſt* 64. *art.* 7. & alij.

Leſſius. D Anton. Sayrus. Nauarr. Aragonius.

35. Peccat etiam lethaliter in genere homicidij mulier grauida, quæ procurat aborſum, ſe nimio labore fatigando, ſtrictè ea intentione cingendo, vel quouis alio modo opprimendo, vt fœtum eiiciat, & quæ cum eodem periculo graue onus ſuſtinet, vel tripudiis, & choreis nimiis exultat, præuidens periculum futuri aborſus; ita D. Anton. 2. *part. tit.* 17. *cap.* 8. §. 1. & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 15. *num.* 14. qui enim amat periculum, peribit in illo; ſi tamen iocus eſt leuis, & moderatus, & periculo carens, non committitur peccatum etiamſi ſequatur aborſus.

D. Anton. Nauarr.

36. Sic etiam peccant mortiferè illi, qui in ſuo lecto puerum ita collocant, vt periculum ſuffocationis illius immineat, ſiue puer ſuffocetur, ſiue non, modò præuiderint periculum impendens. ſecus ſi illud præuiderunt, aut credebant, moraliter loquendo, abeſſe, vt quia lectus erat capax, & puerum à longè collocarunt, ſi dormientes non ſolebant mutare ſitum, ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. & alij communiter. Caietan.

Ex parte incitamentorum tactuum, & ciborum.

Tactus in ordine ad copulam per partes etiam inhoneſtas sũt liciti inter coniuges.

Incitamenta inter coniugatos vel ſumi poſſunt ex parte tactuum, vel ex parte aſpectuum, & verborum, vel ex parte ciborum: his enim modis & aliis ſimilibus ſe ſolent coniuges ad copulam incitare, & de his tactibus iam ſatis dictum manet à *num.* 21. ſunt enim tactus inter coniugatos in triplici differentia. 37.

Primò enim accipiuntur in ordine ad coitum matrimonialem, & ſic liciti omnino ſunt, quantumcumque per partes inhoneſtas fiant, modò fiant abſque præuiſione periculi futuræ pollutionis, aut ſeminationis extra vas. Nam ſi hoc periculum præuideatur, non excuſantur à peccato mortifero, quemadmodum & ipſa pollutio ſimiliter non excuſatur. Ita Caietanus *in ſumma verb. Matrimonium*, vbi de vſu illius, *verſu, duodecimum eſt*; hinc deducitur, nihil eorum, quæ coniuges in ordine ad legitimam copulam per tactus efficiunt, eſſe peccatum mortale, modò ſodomiticè ſe vir ad hunc legitimum coitum non excitet, & modò etiam non ſe ad eam copulam maritalem excitet per introductionem virgæ in os vxoris, iuxta ea, quæ diximus *num.* 18. ita docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 16. *num.* 4. & *diſput.* 17. *num.* 22.

Caietan.

Si tamen ipſi tactus ſint valde improportionati ad hanc copulam, vt cùm oſculis circa pudenda affixis ſe coniuges excitant, tunc impudicitia eſt, quæ venialem culpam non excederet; ſicut non auderem etiam condemnare, niſi grauis culpæ venialis maritum illum, qui poſt copulam cum vxore, & ſeminationem intra vas factam lingua ſua vxoris pudenda adlamberet.

Quid inter ſolutos.

Extra matrimonium verò contactus partium verendarum ſi fiant inter ſolutos cauſa captandæ voluptatis, quæ in illis ſentitur, & ſiſtendi in ea voluptate citra pollutionis periculum mortalia eſſe ſine dubio tenendum eſt. ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154 *art.* 4. Caietanus *ibi* Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dubitatione* 8. *num.* 60. *verſu, dico* 4. & Nauarr. *in Enchiridio, cap.* 16. *num.* 13. Ratio eſt, quia huiuſmodi tactus proximè ad ſeminis effuſionem, & pollutionem diſponunt, pertinéntque proinde ad eam ſpeciem luxuriæ moralem, tanquam diſpoſitiones, & cauſæ propinquæ. 38.

D. Thom. Caietan. Leſſius. Nauarr.

Secundò ſi coniugati nihil aliud intendant quàm ſiſtere in huiuſmodi tactibus, ſi ſine pollutionis periculo contingant in vtroque coniuge, venialis tantùm culpa erit, quia id nihil aliud eſt, quàm quædã ſuperfluitas inordinata, quæ neque ad copulam ex intentione coniugum dirigitur, neque ad fouendum mutuum amorem, ſed ſolùm ad captandam veneream voluptatem intra terminos matrimonij; quare à mortali excuſantur, ſi ſine pollutione contingant, vt docent communiter Doctores, Caietanus *in ſumma verb. Matrim.* vbi de vſu matrimonij, § *duodecimum eſt* Sanchez expreſsè *lib* 9. *de matrim. diſput.* 11. *num* 4. & omnes citati infrà *num.* 51. quos vide omnino ad initium. 39.

Caietan. Sanchez.

Quid ſi fiant ex quaſi intentione polluendi ſe ſe.

Tertiò fieri poſſunt huiuſmodi tactus inter coniugatos ex quaſi intentione, vt polluantur, & tunc mortifera peccata erunt. Diximus, *ex quaſi intentione*, 40.

intentione, propter eos, qui in huiuſmodi tactibus delectationis ſenſitiuæ cauſa ſe implicant, nihil de pollutione futura quod poſſit aut non poſſit euenire, cogitando, gauderent tamen, ſi eueniret, de quibus affirmat Caietan. *in ſumma, verb. matrimonium*, vbi de matrimonij vſu, *verſu, duodecimum eſt* peccare lethaliter, quia dant operam cauſæ propinquæ pollutionis, & ideo dum ſic affecti ſunt, vt contenti ſint, ſi eueniat, illam virtualiter intendunt, vnde ſi eueniat, meritò illis imputatur; cùm enim hi tactus tunc fiant ex intentione quaſi formali, vt actus pollutionis eueniat, & pollutio ſit mortalis culpa, mortaliter ſine dubio peccabunt, qui illam ſic intenderent, ſi tamen ipſi coniuges nihil cogitarent de pollutionis euentu, nec contenti eſſent, vt eueniret, ſed ſolùm in capranda ea voluptate ſiſterent, & tactu nec formaliter, nec venialiter ad copulam ordinarent, aliúmve finem honeſtum, venialiter tantùm peccarent, iuxta ea quæ diximus *num.* 39. ſi verò gauderent illis tanquam mediis ad copulam, licitè gauderent, quia ſunt media ſuapte natura ad illum finem ordinata, & cùm finis licitum eſt, media quoque de ſe apta, & ordinata ad talem finem, licita etiam neceſſariò eſſe debent, vt diximus *num.* 38.

Caietan.

41. Si poſt matrimonium ratum, & non conſummatum ſuperueniat impotentia perpetua coëundi per viri caſtrationem, aut maleficium, non ſoluitur matrimonium, cùm ſoli profeſſioni Religionis approbatæ conceſſum ſit priuilegium ſoluendi matrimonium ratum, non conſummatum. An verò id etiam conceſſum ſit votis poſt biennium nouitiatus expletum in Societate IESV emiſſis, tractat Suarez *tom.* 4. *de Religione lib.* 4. *cap.* 2. vbi id pro parte negatiua reſoluit, quem omnino vide, cùm tamen certum ſit ex Bulla Gregorij XIII. *Aſcendente Domino*, huiuſmodi vota poſt prædictum biennium emiſſa inducere impedimentum dirimens matrimonium futurum: & ratio Suarij eſt, quia plus requiritur ad deſtruendum matrimonium ratum, quàm ad impediendum futurum: concedunt autem iura duos menſes ſponſis habentibus matrimonium ratum, & non conſummatum ad ingrediendam Religionem, ſi voluerint; elapſis tamen his duobus menſibus, imò intermiſſo etiam magno tempore, ſi poſtea Religionem illorum alter ingrediatur, & in ea profiteatur, inuito etiam altero coniuge, valet profeſſio, vt patet ex *cap.* 6. & 7. & 14. *de conuerſ. coniugat.* & docet Ægidius Conink *de vnitate, & indiſſolub. matrim. diſput.* 26. *dub.* 4. *num* 49. quod intelligendum eſt de quolibet coniuge, ſiue potentia, ſiue impotentia coëundi illi ſit, quocumque enim modo in Religione profiteatur ante conſummationem matrimonij, etiam poſt duos menſes à iure conceſſos valebit profeſſio; ſi tamen illorum alteri ſuperueniat prædicta impotentia, vt dixi, videtur habere iuſtam, & idoneam cauſam, vt cum altero Summus Pontifex benignè diſpenſet ad contrahendum de nouo matrimonium cum alio, vt docet Henriquez *lib* 11. *de matrim. cap.* 16. *n.* 7. & Sylueſter *verb. matrim.* 8. *num.* 16. *verſ.* 8. vbi citat Richardum, & alios.

Suarez. Conink. Henriq. Sylueſt.

42. An autem tunc poſſint licitè vti tactibus, dicam ſtatim *num.* 44.

An liceat copula inter coniuges qui intra vas ſeminare non poſſunt.

Sed dubium eſt, an quando viro poſt matrimonium ratum & conſummatum ſuperuenit impotentia talis, vt intra vas naturale vxoris ſeminare non poſſit, vel ex imbecillitate naturæ, vel quouis alio modo, aut quia virilia illi amputata ſunt, vel quia in illis habet foramen à parte ſuperiori, qua vrina & ſemen exeant, & ſimiliter an quando poſt verum matrimonium ratum & conſummatum vxor ita arcta effecta eſt morbo, aut maleficio, vt ſemen virile intra vas recipere non poſſit, vel receptum retinere, licita ſit inter eos copula, cum illius ſeminationis externæ periculo, & an etiam licitum ſit illis cum eodem periculo ſe tactibus ad eam incitare. Negat omnino Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 17. *num.* 20. quia copula ſolùm inter coniuges eſt permiſſa & licita intra legitimum vas, & in ordine ad hanc naturalem copulam licita quæque ſunt irritamenta tactuum; quare vbi copula eſt impoſſibilis, dum eſt impoſſibilis nec illa, nec tactus ad illam licebunt, quod idem colligitur ex Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 1. *circa ſolutionem ad quartum*, §. *ad ſecundum verò caſum*, vbi hoc licere tantùm admittit, vbi impotentia eſt temporalis, & ſpes datur ſeminandi intra vas, & ſublata ea ſpe, id non admittit, & ex Soto *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt. vnica, art.* 2. *ad finem corporis*, & Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *num.* 4 *in commento litera V.* & tenet etiam Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 79. *ad finem*, & Rodriguez *tomo* 1. *ſumma edit.* 2. *cap.* 243. *num.* 9. *ad finem*, Veiga *tomo* 1. *ſummæ cap.* 78. *caſu* 7. idem videtur expreſsè tenere Maior *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt.* 1. *col.* 3. vbi dicit licere petere & reddere, dum impotentia coëundi intra vas naturale eſt dubia, quaſi diceret, id non licere, ſi eſſet indubia.

Sanch. Caietan. Sotus. Henriq. Lopez. Rodrig. Veiga. Maior.

43. *Tactus ſunt liciti inter coniuges impotentes ad copulam, & quomodo.*

Inter coniuges tamen huiuſmodi, & ſic perpetuò impotentes ad copulam intra vas naturale liciti erunt tactus, etiam per pudenda, ſi periculum omnino abſit pollutionis externæ, ſi in illorum velint ſenſitiua delectatione conſiſtere, & eum ordinare ad fouendum mutuum amorem, vt docet expreſsè Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, cap.* 17 *num.* 21. & colligitur ex Soto *num. præcedenti allegato*, & ex iis, qui hos tactus ſolùm damnant, quando adeſt pollutionis periculum, & id docent, aut docere videntur illi qui dicunt, fœminam arctam, cui per inciſionem ſubueniri poteſt, quam ipſa renuit, poſſe huiuſmodi tactibus licitè frui, ſecluſo pollutionis periculo, dum talem inciſionem refugit, & hi ſunt Angles *in floribus* 1. *part. de matrimon. quæſt.* 8. *de impedim. matrim. artic.* 1. *poſt primam difficultatem*, *dub.* 9. Ludouicus Lopez & Veiga allegati *ſuprà*, & Canedo *in ſumma*, *vbi de matrimonio cap.* 5. *num.* 37. Et fundamentum eſt, quia ſunt verè coniuges, & habent legitimum matrimonium, & honeſtum finem, quo illos honeſtare poſſunt, qui eſt fouere mutuum, ac coniugalem amorem. Hinc

Sanch. Angles. Lopez. Veiga. Canedo.

44. Sequitur primò, ex eodem fundamento licitos quoque eſſe huiuſmodi tactus inter eos coniuges, qui ratum habent matrimonium, non tamen conſummatum, ſecluſo eodem pollutionis periculo, ſi eis, aut alteri eorum adueniat perpetua, vel temporalis impotentia coëundi intra legitimum vas, quia ſunt veri coniuges, & habent verum & legitimum matrimonium, & hi tactus inſeruire poterunt ad fouendum, & retinendum mutuum amorem veri coniugij.

45. Sequitur ſecundò, vbi probabilis ſpes eſt ſeminandi intra vas naturale, licitum eſſe coniugibus id conari, & ſe tactibus ad id incitare, quamuis per accidens, & præter intentionem ſemen extra vas effundatur.

Primò

Primò, quia coniux ille operam dat rei licitæ, procurans copulam ſibi poſſibilem,& permiſſam, & ſic vtitur iure ſuo, & præter intentionem ſequitur extra vas talis effuſio.

Secundò, quia *in cap. laudabilem, de frigid. & maleficiatis*, conceditur coniugibus triennalis experientia ad cognoſcendum, an impotentia ſit perpetua, & tamen illo ſpatio aut ſemper, aut ferè ſemper extra vas vxoris effunditur ſemen, ſi impotentia ex arctitudine illius proueniat.

Tertiò, quia in dubio, an impotentia ſit, vel non ſit perpetua, detúrque, vel non detur, ius habent coniuges ad perſeuerandum in matrimonio, & inueſtigandum impedimentum, quod fieri conuenienter non poteſt, niſi copulæ coniugali operam ſtrenuè dando; cur ergo etiam in noſtro caſu id non licebit vbi valor matrimonij certus eſt, quia poſt legitimam conſummationem illius ſemper venit dubium, an impotentia ad ſeminandum intra vas perpetua, vel non perpetua ſit, & hanc ſequelam docent Sanchez citatus *num.22.* Henriq. *lib.11. de matrim. cap.16. num.7. & cap.15. num.4.* Nauarr. *in manuali Latino, cap.22. num.60.* Manuel Rodriguez, Lopez, & Veiga *allegati.*

Sanchez. Henriq. Nauarrus. Rodrig. Lopez. Veiga.

Et certè illud triennale ſpatium ſufficiet ad experiendum, an hæc impotentia ſit perpetua, vel non perpetua, vt optimè animaduertit Sanchez *num. 26.*

46. *Prima concluſio.*

Et verò de irritamentis ciborum ſic ſtatuo. Licitum eſt coniugatis vti calidis cibis, modò ordinentur ad copulam habendam gratia ſuſcipiendæ prolis, fugiendæ incontinentiæ in quolibet coniuge procurandæ ſalutis corporis, aut propter alium quemcumque honeſtum finem, qui ab illis intendi poteſt, veluti ad fouendum amorem coniugalem, aut quid ſimile, cùm enim copula illius ſit licita, licita erunt quoque media ordinata ad illam; ſi tamen hæc ciborum incitamenta ſolius libidinis cauſa fiant, non erunt, niſi venialia; modò abſit periculum pollutionis voluntariæ; mortale verò ſi detur tale periculum. Fundamentum eſt, quia ſola copula inter legitimum vas eſt licita inter coniugatos; pollutio autem voluntaria cùm ſit extra vas naturale, illis eſt mortaliter illicita; vnde ſi hæc incitamenta ſumantur per ordinem ad licitam copulam, licita erunt; ſi per ordinem ad pollutionem, illicita; media enim redduntur licita, vel illicita ex fine ad quem ordinantur; ita docet Syluester *verb. Debitum coniugale, §.9.* Fumus *ibi §.8.* Caietanus *in ſumma*, vbi de vſu matrimonij, *verſu, Duodecimum eſt.* Nauarr. *in manuali Lat. cap.16. num.42.* Rebellus *2. part. de obligat. iuſt. lib.3. de imped. quæſt.16. num.19. ſect.1.* & conſtat ex dictis.

Syluester. Fumus. Caietan. Nauarr. Rebellus.

Idem cum proportione dicendum eſt de aſpectibus, & confabulationibus, vt patet.

Ex parte puræ negationis debiti coniugalis.

47. Certum eſt apud omnes Doctores, mortaliter peccare coniuges contra iuſtitiam, & charitatem, negantes ſibi adinuicem debitum coniugale abſque legitima cauſa, ſiue expreſsè, ſiue tacitè petant, v.c. per nutus, aut leuia ſigna, vide Sà *verb. Debitum, num.10.* Dixi *abſque legitima cauſa*, quia ea data, à peccato excuſabuntur. Cauſa autem iuſta negandi, erit periculum morbi, imò ſi detur periculũ phthiſis, vel lepræ, aut alterius morbi contagioſi, licebit thorum ſeparare; ita Sà *verb. Debitum, num.15.* Syluester *verb. Debitum, num.10.* & eſt communis.

Sà. Syluester.

Coniugi autem amenti poteſt alter reddere ſi velit, non tamen tenetur, quia non liberè petit, neque actu humano formato ratione, Sà citatus *num. 16.* quamuis Graphis *lib.2. deciſion. aurear. cap.84. num.4.* dicat teneri, & citat pro ſe Syluestrum *verb. Debitum, 2. verſus finem*; ſed opinio Sà videtur probabilior, moleſtiſſimum enim eſſet ſano coniugi reddere amenti. 48.

Sà. Graphis. Syluest.

Non eſt autem mortale aliquando negare debitum ſæpiſſimè, & moleſtiſſimè coniugi petenti; moderatè enim petendum eſt, neque eſt etiam mortale negare, quando coniux in petitione moderata non intendit obligare ad mortale, neque etiam quando plures iam ſunt liberi, quàm ſuſtentari poſſint. Excipe tamen in omnibus his caſibus ſecluſo periculo incontinentiæ. nam ſi hoc detur, vel in ſe, vel in altero coniuge, mortale erit non reddere, vt notat Sà *verb. Debitum coniugale, num.19.* Syluester *verb. Debitum, num.10.* Graphis citatus *num.4.* 49.

Sà. Syluest. Graphis.

Mortale quoque eſt ſi vir à debito abſtineat, vt prolem ex vxore non ſuſcipiat, vel vxor, ne ex viro illo concipiat, vt quia vir duxit vxorem ignobilem, vel ſibi indignam ex Hebræorum genere, aut vxor viro nubit ſibi indigno, & ex eodem genere, Graphis *lib.2. deciſion. aurear cap.84. num.8.* Sotus *in 4. diſt.32. quæſt.1. art.1. col.2.*

Graphis. Sotus.

Idem, quod diximus de coniuge amente, dicendum eſt de ebrio & furioſo, dum tales ſunt; ſi tamen periculum ſit, quòd ebrius extra ebrietatem, aut furioſus extra furorem effundant ſemen, vel in aliud incontinentiæ peccatum elabantur, tenetur alter coniux in ipſa ebrietate, & furore reddere. ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſput.25. num. 12.* Veiga *1. part. Summæ, cap.18. caſu 12.* Quamuis id mihi durum videatur propter ingentem moleſtiam, & grauem odorem, & ea obligatio in eo caſu ſolùm videtur eſſe de charitate ad vitandum peccatum alterius coniugis, quod non tenetur vitare cum tanto detrimento ſuo. 50.

Sanchez. Veiga.

Vxor denique, vel quæcumque alia fœmina, ſtatim poſt copulam ſe inuertens, vt ſemen emittat, ne concipiat, & generet, peccatum lethiferum admittit ex natura ſua, niſi aliqua cauſa rationabilis excuſet, v.c. periculum mortis in partu, aut labor magnus, & magnum detrimentum, in illo retinendo, vt diximus *num.24.*

51. *An peccatum veniale ſit poſt copulam coniugalem ad Euchariſtiam accedere.*

Debitum petere, & coire die, qua Sacramentum Euchariſtiæ ſumendum eſt, vel nocte antecedente, quando cauſa ſolius voluptatis, & captandæ venereæ delectationis petitur, venialis tantùm eſt culpa, vt docet Sanchez *lib.9. de matrim. diſp.13. num.7* Sotus *in 4. diſt.12. quæſt.1. art.7. col.7. ad finem, & diſt.32. quæſt. vnica, art.3. poſt ſecundam concluſionem, verſu vnum tamen.* Veracruz *3. part. ſpeculi, art.17. concluſ.2.* Lud. Lopez *1. part. inſtruct. cap.11. §. Inſuper propter, & cap.80. §. verum licèt.* Viuald. *in Candelabr. aureo, 1. part. de matrimon. num.263.* Rod. *tom.1. ſummæ in 2. editione, cap.65. num.2.* vbi dicit ſolam redditionem eſſe meritoriam. Sà *verb. Debitum coniugale, in fine.* Caietanus *in ſumma verb. Communio, cap.1.* Tabiena *verb. Communicare, quæſt.3.* Armilla *verb. Communio,* & alij multi, quos Sanchez allegat, & ratio eſt, quia debitum petere, ratione tantùm voluptatis, eſt ſuperfluitas quædam venialis intra terminos veri coniugij toleranda: culpa autem venialis non impe dit

Sanchez. Sotus. Veracruz. Lopez. Viualdus. Rodrig. Sà. Caietan. Tabiena. Armilla.

impedit meritoriam Euchariſtiæ ſumptionem, quia peccatum veniale non tollit gratiam, & ſic cum gratia acceditur ad Euchariſtiam.

Baſſolis. Angel. Victoria. Capua. Nauarr. Philiarch.

Alij cenſent nullam eſſe culpam, nec venialem quidem, & hi ſunt Baſſolis *in 4. diſt. 31. q. vnica, art. 3.* Angel. *verb. Euchariſtia 3. n. 30.* aſſerens non eſſe culpam venialem accedere ad Euchariſtiam poſt debiti petitionem, quamuis fortè ſit culpa venialis illud petere. Victoria *in ſumma de Euchariſtia.* Capua *1. p. deciſ. aurear. lib. 2. cap. 83. n. 9.* & fauent multum huic opinioni Nauar. *in manuali Lat. c. 21. n. 51.* & Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. c. vlt. ad finem*, vbi dicunt de ſola honeſtate debere abſtinere, nec peccare ſaltem plus quàm venialiter.

Quæ cauſæ excuſent ab ea culpa veniali.

Prima tamen opinio videbitur communior, ab eo verò peccato veniali poſſunt multis de cauſis petentes excuſari, & ſic licitè, & ſine veniali poſt petitionem ad Euchariſtiam accedere.

Prima eſt ſi petat ob vitandam incontinentiam in ſe, vel in altero coniuge.

Secunda ſi petat ad fouendum mutuum amorem ad ſuſcipiendam prolem, vel ob alium honeſtum finem; ita docet Sanchez citatus *num. 5.* vbi optimè animaduertit, nullam culpam eſſe ad Euchariſtiam accedere, nec venialem quidem poſt debiti eo die petitionem ſi debitum petitum fuit iuſta de cauſa, vt cauſa prolis ſuſcipiendæ, & *n. 7. & 8.* aſſerit, etiam ſi petitum fuerit cum peccato veniali, ob delectationis concupiſcentiam, poſſe licitè & ſine veniali accedere, data cauſa iuſta accedendi, vt ſi eſſet dies iubilæi, aut ſolemnitas magni feſti, quod id ipſum docuit Tabiena *verb. communio, q. 37. §. 43.* & Henriq. *lib. 8. de Euchariſtia, c. 51. n. 3.* Deinde ſpecialis deuotio, aut nota aliqua ex eo quòd communio omittatur, vt docet Armilla *verb. Communio, n. 5.* Medina *lib. 1. ſumma, c. 14. n. 42.* Syluest. *verb. Euchariſtia, 3. q. 11. §. 13.* Roſella *verb. Communicare, n. 8.* & tandem concludit Sanch. *n. 8. ad finẽ*, cùm in perceptione Euchariſtiæ poſt talem culpam, ſit ad ſummum culpa venialis, & adhuc ſub iudice ſit, an in ea interſit, non nimis eſt reſtringenda Euchariſtia, nec vrgentiſſima cauſa expectanda, ſed mediocris ſufficit, quo coniux communicans à veniali excuſetur.

Tabiena. Henriq. Armilla. Medina. Syluest. Roſella. Sanchez.

52. Nec eximitur coniux à debiti reddendi obligatione, eo quòd illa die Euchariſtiam ſit recepturus; quare antequam reddat, moneat modeſtè coniugem, vt à petitione deſiſtat, quòd ſi noluerit, reddat, & ad Euchariſtiam accedat, niſi aliud impedimentum habuerit, ſic idem Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 13. n. 9.* poſt multos, quos allegat.

Sanch.

Caput IV.

De ſtupro, quid ſit, cuius fori, in quo conſiſtat, quas pœnas habeat.

SVMMARIVM.

Stuprum quot modis accipiatur. num. 1.

Quid ſit propriè ſtuprum. num. 2.

Quid ſit propriiſſimè. num. 3.

An erga viduam detur propriè ſtuprum, & an emiſſo ſemine, à viro intra vas virginis eo minimè penetrato. num. 4.

An committatur ſtuprum in virginem in ſua defloratione liberè conſentiente, & an tunc circumſtantia virginitatis ſit de neceſſitate confeſſionis, refertur opinio affirmans. num. 5.

An ſaltem ſtuprum virginis ſpontè conſentientis differat à fornicatione ſimplici, ſi ſub patris poteſtate ſit ratione iniuria patris. num. 6.

Reſolutio ſit, ſi virgo liberè conſentiat, illius deflorationem non differre à fornicatione ſimplici, habere tamen circumſtantiam peccatum aggrauantem, non ſpeciem mutantem. num. 7.

An tunc aliquid reſtituendum ſit ſponſo, qui ſi ſciret virginem eſſe defloratam, non niſi maiori dote ſibi conſtituta eam duceret. num. 8.

Et an patri, qui ob eius deflorationem maiorem dotem ei dedit. num. 9.

Virgo eſt domina, & non cuſtos ſignaculi virginitalis, num. 10.

Quamuis maritus, & vxor in adulteriis ad inuicem commiſſis liberè conſentiant, adhuc graue eſt adulterium, & non ſimplex fornicatio. num. 11.

Natura conceſſit ſignaculum virginale virginibus ad vſum copulæ licitæ, non illicitæ; vnde ſi illicitam admittant ſponte ſua peccant contra ſextum præceptum, peccatum tamen non diſtinguitur à ſimplici fornicatione. num. 12.

Quomodo intelligendi ſint Authores qui dicunt ſtuprum committi in viduam etiam ſponte conſentientem, num. 13. & 14.

An quando virgo ſponte in ſua defloratione conſentit, teneatur deflorator circumſtantiam virginitatis in confeſſione aperire. num. 15.

Quid ſi, inuita, & renitente ea, eam defloret. n. 16.

STuprum accipitur latiſſimè, ſtrictè, & ſtrictiſſimè in vera, ac propria ſignificatione. 1.

Stuprum latiſſimè, quid.

Latiſſimè accipitur apud legis peritos pro quocumque coitu damnato lege aliqua, ſic apud illos adulterium, inceſtus, ſodomia, & raptus ſtupra vocantur *l. inter lib. §. lex Iulia, & l. ſtuprũ, ff. ad l. Iuliã de adult. l. inter ſtupr. ff. de verb. ſignif.* ſed hæc ſtupri acceptio eſt valde impropria.

Quid ſit propriè. D Thom. Caietan. Henriq. Farin. Petr. Greg. Guttier.

Strictè, & propriè ſic definitur, ſtuprum *eſt concubitus viri cum fœmina virgine, quo eius clauſtrum virginale rũpitur, & virgo defloratur.* Ita D. Th. *2. 2. q. 154. art. 7.* Caiet. *ibid.* Tolet. *lib. 5. c. 18. n. 2.* Henriq. *lib. 2. de pœnit. c. 8. in 2. medio, & n. 3. fine.* Farin. *tom. 4. q. 147. §. ſtuprum, n. 4.* Petr. Greg. *in ſyntagm. iuris, lib. 36. c. 9. rub. de ſtupro, n. 5.* Gutt. *in qq. Canon. tom. 1. c. 37. n. 2.* & alij, quos citabimus infrà *n. 5.* Dicitur, *cum fœmina virgine,* quia non eſt ſtuprum ſi fiat cum mare. Dicitur, *quo eius integritas corrumpitur,* ad excludendũ præpoſterũ, & ſodomiticum concubitũ, ſiue cum fœmina virgine, ſiue cũ mare habeatur, & quia nõ ſufficit ſi extra vas polluatur, vel alia libidine aliis in mẽbris exercita, ſed debet omnino virginale clauſtrũ rumpi, & violari, hanc enim conditionẽ omnes DD. requirunt, & ponunt in definitione ſtupri, eorũ quiſque in ſua, definitiones enim variæ ponuntur pro variatione illorum, nos hanc poſuimus, vtpote accommodatiorem.

Quid ſit propriiſſimè. Nauarra. Sotus. Vaſq. Leſſius. Sanch.

Strictiſſimè, & in veriſſima acceptione ſic definitur ſtuprũ, *eſt concubitus viri cum fœmina virgine, quo eius integritas per vim, & iniuriam illius violatur, defloraturque.* Dicitur *per vim,* id eſt, per iniuriam illius, quia non dicetur propriiſſimè ſtuprum ſi virgo ſpõte, & citra iniuriã conſenſerit, vt docet Petr. Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 3. n. 433.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4.* Vaſq. *1. 2. diſp. 112. c. 2.* Leſſ. *lib. 2. c. 10. dub. 1.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſput. 14 fuſiſſimè;* ſed hac de re peculiarẽ quæſtionẽ ſtatim dabimus. 3.

Diſtinguitur raptus ab ſtupro, quia raptus ſolam violentiam, & iniuriam conſiderat, qua fœmina à domo, vel paterna, vel mariti extrahitur, nam ſiue fœmina ſit virgo, ſiue corrupta, vidua, vel non

vidua, coniugata, vel etiam meretrix; ſi tamen per vim è domo, in qua eſt, abſtrahatur, erit raptus; vnde qui virginem rapit, & per vim corrumpit, illa minimè in ſua defloratione conſentiente, duplicem malitiam committit neceſſariò confitendam, alteram ſtupri, alteram raptus; quia raptus, vt dixi, ſolam violentiam ob iniuriam in extrahenda fœmina, ſtuprum verò ſolam iniuriam in defloranda virgine conſiderat.

4. *Ad ſtuprum neceſſariò debet violari caro ac rumpi.*

Itaque violari debet integritas carnis ad verum ſtuprũ, vnde, non erit ſtuprum propriè, illud, quo fœmina vidua honeſtæ famæ corrumpitur, nec etiam ſi vir intra vas fœminæ virginis ſemen immittat, vaſe, & clauſtro minimè penetrato: carnis enim ruptionem omnes Doctores requirunt ad ſtuprum, vt dixi.

5. *An committatur ſtuprũ in virginem liberè conſentientem.*

Sed præcipuum hîc dubium eſt, an ſi virgo liberè, & ſponte in ſui defloratione conſentiat, ſtuprum dicatur, & ſpecies luxuriæ diſtincta à fornicatione ſimplici, ita vt teneatur deflorator eam circumſtantiam tanquam ſpecie diſtinctam in confeſſione neceſſariò ad valorem confeſſionis aperire. Hac de re triplex eſt opinio.

Prima opinio. D Thom. Caietan.

Prima affirmat; eam docet D. Thom. 2.2. *q.* 194. *art.* 4 & omnium optimè explicat Caietan. *q.* 154. *art.* 6. aſſerens deflorationem virginis comittere per ſe ſpecialem deformitatem, atque adeò ſpecialem iniuriam in ipſam puellam, & in parentem eius, etiamſi illa conſentiat, ſub cuius cuſtodia manet, quia violatur clauſtrum virginale, cui per ſe debetur vigilans parentum cuſtodia, tenet etiam Henriq. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 8. *num* 2. *medio, & num.* 3. *in fine.* Filliucius *tract.* 3. *in* 6. *præcept. cap.* 3. *de ſtupro, n.* 66. Azor *cap.* 11. *quæſ.* 5. Toletus *lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 2. Eman. Rodrig *tom.* 1. *ſumma, c.* 28. *concl.* 2. *n.* 1. *in* 2. *edit.* Guttier *lib.* 1. *qq. canon. c.* 37. *n.* 2. Farin. *tom.* 4. *q.* 146. *n.* 10. & alij multi Eſt communiſſima hæc opinio. Ratio eſt, quia reperitur ſpecialis ratio iniuſtitiæ, & iniuriæ nõ contra virginẽ quia voluit, & conſentit, imò fortè inuitauit, & volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, ſed contra illius parentes, ad quorum cuſtodiam pertinet, donec in matrimonio collocatur, eam integram ſeruare, & grauiſſimum damnum illis infertur, quia coguntur ei dotem augere neceſſariò, vt patet; minor enim dos virgini, quàm defloratæ ſolet ſtatui, & contra naturalem finem ad quem natura ipſa conceſſit clauſtrum virginale, cui ſignaculo, & ſi velit virgo non poteſt renuntiare, cùm non ſit illius domina, ſed cuſtos, ſicut ſi tu præbeas alteri tuam manum præſcindendam libenter, ille adhuc peccabit mortaliter abſcindendo, quia non es dominus tuorum membrorum, ſed cuſtos, nec natura tibi conceſſit cuſtodiam ad illos vſus illicitos, ſed ad alios licitos; vnde cùm natura concedat clauſtrum virginale puellis ad matrimonium, vt aptiores ſeruentur, & vt abſtineant ab actibus venereis, etſi ipſæ velint, & conſentiant, ſemper committetur ſpecialis iniuria contra ipſam naturam, & contra parentes illarum, & quia eis datur occaſio manifeſta ſe proſtituendi, & reincidendi in peccatum; & tandem quia communis æſtimatio eſt, eum, qui cognoſcit virginem, ipſa etiam volente, & conſentiente, peculiarẽ, ac diſtinctã ſpeciem peccati committere à fornicatione ſimplici. Tandem quia quiſque ſibi ſcrupulum facit malitiæ diuerſæ, dum virginem ſponte volentem & conſentientem corrumpit, putatque ſe teneri ad reſarciendum damnum vel dotando, vel ducendo illam in vxorem; ergo ſecundùm moralẽ omniũ ęſtimationẽ ſtuprũ illud, in quo virgo cõſẽtit, eſt diſtincta ſpecies luxuriæ à peccato ſimplicis fornicationis, ac proinde de neceſſitate cõfeſſionis.

Henriq. Filliuc. Azor. Tolet. Rodrig. Guttier. Farin.

Secunda opnio docet tunc ſolùm committere ſpecialem deformitatem ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione, quando virgo eſt ſub poteſtate parentum, vel tutorum, aut eorum qui loco parentum ſunt, ſecus ſi extra hanc poteſtatem ſit, & ſit velut ſui iuris, quia ſi ſub parentum cuſtodia eſt, etiamſi ipſa liberè, & ſponte conſentiat, ſpecialis iniuria in parentes committitur; læduntur enim tunc, non ſolùm in honore vehementer, ſe etiam in facultatibus, quia coguntur vel dotem augere, ſi eas apud maritos velint collocare, vel tota vita innuptas alere; neque enim illæ poſſunt cedere iure ſuo, dum ſub poteſtate parentum ſunt, cum tanto illorum præiudicio, cùm ſui iuris non ſint, atque ita non ſatis erit illarum conſenſus. Hanc opinionem tenent omnes, quos citauimus pro opinione præcedenti, & ſpeciatim eã tenet D. Th. 2.2. *q.* 64. *art.* 6 *initio.* D. Anton. 2. *p. tit.* 5. *cap.* 2. *initio,* Angel. *verb. ſtuprum, initio,* Syluester *verb. luxuria, q* 1. *verſu, ſtuprum,* Tabiena *verb. ſtuprum, num. vnico,* & alij paſſim, & pro iſta opinione accedit ſpecialis iniuria, & nocumentum, quod infertur marito futuro, ille enim ſi ſciret vxorem eſſe defloratam, vel nullo modo eam acciperet in vxorẽ, vel cum maiori dote acciperet, ac proinde tenetur deflorator in conſcientia ei reficere damnum illatum; ſicut ſi quis daret numum falſum, aut minus habentem alteri pro pretio rei ab eo emptæ, teneretur ſine dubio in conſcientia ei damnum illud reſtituere. Contra has duas opiniones eſt alia

6. *Secunda opinio. An quando eſt ſub poteſtate paterna.*

D. Thom. D. Anton. Angel. Sylueſter. Tabiena.

7. *Tertia opinio. Si virgo conſentiet non differt à fornicatione ſimplici.*

Tertia hodie communior, ea docet peccatum illud, quod committitur in defloratione virginis, ea volente, & liberè conſentiente, non eſſe ſtuprum, nec eſſe ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione, quamuis virgo ſub cura parentum, aut eorum, qui loco parentum ſunt, conſtituta ſit, & tunc ſolùm aſſerit peccatum ſtupri dari cùm virgo inuoluntariè, & diſſentiens defloratur, ſiue ſit ſub cura parentum, ſiue non ſit; hanc docet Sanchez *lib* 7. *de matr. diſp.* 14. *n.* 5. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4 *col.* 13. Petr. Nauar. *lib.* 2. *de reſt. c.* 3. *n.* 419. *in noua edit.* Vaſq. 1.2. *q.* 74. *art.* 8 *diſp.* 112. *n.* 1. *&* 3. Leſſ *tom.* 1. *de Iuſt. lib.* 2 *de iniuriis per ſtuprum & adult. cap.* 10. *dub.* 1. *n.* 5. Suar. *de pænit. diſp.* 22. *tom.* 4. *ſect.* 4. *n.* 4. 5. *&* 6. Quamuis Sotus ſubobſcurè loquatur, dicens, ſe non videre clarè nouam fornicationis ſpeciem, ſi virgo ſponte conſentiat, & ideo addit, (& bene) non eſſe interrogandam puellam de circumſtantia virginitatis, quando ipſa fatetur carnis deſiderium, vel copulam; eſſe tamen id ſalubre conſilium, ſi prudenter fiat, quæ omnia ſtare non poſſunt, niſi ſentiendo circumſtantiam virginitatis non mutare ſpeciem peccati; hæc opinio ex triplici fundamento ſatis firmo ſtabilitur.

Sanchez. Sotus. P Nauarr. Vaſq. Leſſius. Suar.

Primò, quia hîc non datur iniuria in parentes, neque in ſponſos futuros, neque damnum vllum, quia virgo eſt domina ſui corporis, non parentes illius, neque illius futurus ſponſus, quiſquis ille erit, & violator virginis non lædit honorem parentis, aut ſponſi futuri immediatè, & directè, ſed mediatè, & indirectè, volente ſcilicet, & conſentiente virgine; nam ſi quod ius habet pater, vel ſponſus futurus, vt ſeruetur filia, & ſponſa integra, id quidem eſt dependenter à voluntate illius, quæ tanquã domina ſui corporis poteſt liberè, licèt non licitè, abſque iniuria patris, vel ſponſi futuri vti ſuo corpore. Neque etiam parentes vel futuri

futuri ſponſi accipiunt damnum in facultatibus ſuis, vel in re pretio æſtimabili, quia ſi ſtuprum eſt occultum filiæ, non tenentur illud manifeſtare, & ſe infamare, & poſſunt nubere, ac ſi virgines eſſent, quia ſufficit, ſi publicè tales reputentur; ſi verò eſt publicum, ipſæ ſibi imputent; potuerunt enim cedere iuri ſuæ famæ, & de facto implicitè per admiſſionem voluntariam ipſius peccati ceſſerunt, nec tenebantur ſeruare ſe integras ad matrimonium, quia ſi abſque viri coitu carnis impetu inſtrumento aliquo, vel digito proprio ruptionem ſignaculi virginalis efficiant, nemo dicet, eas tunc intuliſſe ſpeciale damnum, aut iniuriam parentibus, aut ſponſis futuris, vt patet. Neque etiam tenentur ſe ſeruare nubiles, & habiles ad matrimonium, quia alioquin non poſſent licitè caſtitatem vouere, aut innuptæ manere; & denique, quia nulla ratio probat habere patres maius dominium in filias virgines, quàm in ſolutas. Cùm ergo nō ſit ſpeciale peccatum cognoſcere ſolutam ſub poteſtate paterna conſtitutam, ita nec virginem, ſi ſponte conſentiat, & hoc fundamentum deſtruit omnino totale fundamentum ſecundæ opinionis.

8. Nec refert, quòd ſponſus eam non niſi ſibi maiori dote conſtituta duceret in vxorem, ſi ſciret defloratam eſſe, quia etiam quando ipſa ſibi ſuum clauſtrum vehementi tentatione perrupit, ſi ſponſus ſciret eam eſſe defloratam, vel non duceret, vel non, niſi maiori dote ſibi conſtituta duceret; deinde quia nulla iniuria illata fuit ſponſo, cùm ille nullum ius in eam habuerit, niſi poſt ipſum matrimonium & verò ſi illam non niſi meliùs dotatam acciperet, ſi ſciret deflorationem, id per accidens eſt, & ſuæ infelicitati tribuat Nec exemplum numi fallacis conuincit, licèt aliquam ſimilitudinem habere videatur, quia venditor eſt dominus rei, quam vendit, & conſequenter habet ius, vt per fraudem ſibi læſio in pretio non inferatur, quam de iuſtitia tenetur fraudator reficere, & pretium damni reſtituere: at ſponſus nullum ius habet in ſponſam futuram, vt patet, nec dominus corporis illius eſt.

9. Secundum fundamentum, quo nititur hæc tertia opinio eſt, quia ſi læduntur facultates parentis quando defloratio eſt publica, id quidem fit volente, & conſentiente filia, quæ tanquam ſui corporis domina ius habet, vt abſque iniuria patris tale damnum per accidens inferat, illicitè vtendo corpore ſuo; ſic qui in ſuo agro puteum fodit, non tenetur damnum reficere vicino, cuius venas in ſuum puteum decurrentes incidit, quia iſte vſus fuit iure ſuo, & per accidens eſt, quod inde vicino damnum obueniat, ſic etiam cuſtoditus in carcere iniuſtè poteſt fugere cum damno carcerarij, quia vtitur iure ſuo.

10. Tertium fundamentum eſt, & fortè in aliud iam tactum recidit, quia fœmina eſt domina illius membri & ſignaculi, & non tantùm cuſtos, & volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, & natura conceſſit fœminis illud membrum ſignatum, & ſignaculum illud primariò ad vſum copulæ licitum, non vt aptiores fierent ad matrimonium, & vt peccatum cauerent, vt prima opinio aſſumebat, quamuis non negemus ad hoc etiam illud conceſſiſſe, ſed ſecundariò; vnde cùm ab ipſa natura ſignaculum illius membri in vſum licitum copulæ accipiant, ſi illicitè illud rumpendum tradant, peccatū erit contra ſextum ſimplicis fornicationis, non ſtupri, & ſolum dicetur ſtuprum propriè, non propriiſſimè, quia ſtuprum propriiſſimè non datur, niſi vbi datur iniuria virginis defloratæ. nam cùm virgines habeant verum dominium vſus illius ſignaculi, & membri, ſicut habent aliorum membrorum ſui corporis, & talis vſus non ſit ſine ruptione ſignaculi illius mēbri, non peccant contra iuſtitiam in parentes, vel ſponſos futuros ſi extra matrimonium virginitatem amittant, cùm poſſint cedere iure ſuo, & ex hoc fundamento, fundamentum primæ opinionis euertitur.

Oppones, ſi ſtuprum non habet ſpecialem malitiam quando virgo in ſui defloratione conſentit, 11.
imò ſi tunc non datur peccatum ſtupri, ſed ſimplicis fornicationis tantùm, nec etiam dabitur peccatum adulterij in matrimonio, ſi maritus, & vxor conſentiant. Reſpondeo eſſe diuerſam rationem vtrobique, quia in matrimonio ex natura illius, talis contractus reſultat, vt vterque coniux ſolùm ſit dominus corporis alterius coniugis ad ſolum vſum proprium, non ad alios vſus aliorum, vt optimè docet Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 14. *n.* 16. & Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *de iniuriis per ſtuprum, cap.* 10. *dub.* 1. quod patet ex D Paulo 1. *ad Corinth.* 7. *Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro, reuertimini in idipſum*, id eſt, inter vos ipſos; tantùm enim vobis conceſſum eſt hoc dominium ad vſus proprios, non alienos; quare adulterium committetur etiam ſi vterque conſentiat in illicito vſu ſui corporis, & copula adulterina extra matrimonium.

Sanchez. Leſſius.

Exemplum de manu, quam quis alteri præſcindendam offert, quod aſſerebat prima opinio, non 12.
venit ad rem; eſt enim diuerſa ratio in iſto membri ſignaculo, & in aliis membris corporis humani, quia natura conceſſit hoc membrum primariò ad vſum copulæ: non conceſſit autem vſum manus, aut aliorum membrorum corporis ad vſum abſciſſionis, ac proinde eſt diuerſa ratio vtrobique. Dices, conceſſit natura illud membrum virginibus ad vſum copulæ licitæ, non illicitæ. Verum eſt; ſed inde ſolum ſequitur eſſe peccatum ſimplicis fornicationis contra ſextum præceptum, non ſtupri, quia ſtuprum, vt ſæpiſſimè dictum manet, non datur, niſi vbi datur iniuria; at volenti & conſentienti nulla fit iniuria.

Deinde ſignaculum virginale conſiſtit in tenuiſſima quadam membrana, & ſaltem ratione prauitatis materiæ, non committerent virgines graue peccatum iniuſtitiæ in parentes ſuos, nec defloratores illarum, ſicut non peccat ille grauiter, qui patitur ruptionem tantillæ carnis; non negamus tamen peccare illas grauiter contra charitatem in ſe ipſas, & contra temperantiam, eo quòd deinceps exponantur ad faciliùs peccandum, ſed ſibi imputent, ſi id volunt. nam omnia peccata, quæ facimus, ſunt contra charitatem in nos ipſos, & ſic conſiderata, omnia dici poſſunt eiuſdem ſpeciei.

Omnes hæ tres opiniones ſunt probabiles. Prima, & ſecunda ſunt communiſſimæ; tertia tamen 13.
verior in rigore videtur, & ideo illi adhæremus, in omnibus enim rebus ſemper veritas inquirenda eſt, & illi adhærendum nec refert, quòd omnes exiſtiment ſe peccatum alterius ſpeciei committere, & ad dotem conſtituendam, aut illam in vxorem ducendam teneri, ſi virginem ſponte etiam conſentientem corrumpant, ac deflorent, id enim ex ignorantia iuris, & rei prouenit, quæ nulli præiudicio eſſe debet.

Iudicium Authoris.

Solùm animaduerto eſſe nonnullos authores, qui dicūt ſtuprum committi nō ſolùm in virginē, ſiue 14.
ſponte conſentiat, ſiue non conſentiat, ſed etiam in-

Stuprum propriè non committitur in viduam.

Farin. Innoc. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Butrius. Marianus. Abbas. Zabarel. Salicet.

viduam honeſtam, & hi ſunt Farin. *tom.4.q.147. §. ſtuprum, num* 10. & Innocent. & Hoſtienſis *in cap.2. num.1. verſu, lex tantum dicit de adulteris,* & *ibi* Ioannes Andreas *num.1. verſu, in gloſſa 2.* & Butrius *num.4.* Marianus *num.2. & 10.* Abbas *n.5. fine* Zabarella *num.2.* Salicetus *in l. eum qui duos, ad finem num. 2. C. ad legem Iuliam de adult.* & id probant ex textu *in §. item, l. Iulia, de adulteriis.* ſed hi Authores, & textus loquuntur de ſtupro latiſſimo modo, non de ſtupro propriiſſimè, vt diximus *num. 1. 2. & 3.* & deinceps; propriiſſimè enim ſolùm datur ſtuprum quando virgo defloratur renitente illa, ac diſſentiente. Hinc hæc colliguntur corollaria:

15. *Si virgo conſentit, non tenetur deflorator illius aperire in confeſſione circumſtantiam virginitatis.*

Primum, vbi virgo ſponte conſentit, non teneri defloratorem illius aperire in confeſſione circumſtantiam virginitatis, quia nec mutat ſpeciem peccati, nec multum aggrauat, cùm ea defloratio conſiſtat in ruptione tenuiſſimæ pelliculæ & membranæ, nec poſſe Confeſſarios rogare fœminas an virgines ſint, ſiue ſolo deſiderio, ſiue opere ſponte peccauerint, ſiquidem circumſtantia illa virginitatis ſi ſponte conſentiant, nec mutat ſpeciem, nec notabiliter aggrauat. Ita Sotus, Nauarra, Leſſius, Sanchez, & omnes pro tertia opinione allegati: nec mœror & infamia parentum hîc conſideranda eſt, quia hæc incommoda ſunt extrinſeca, & per accidens ſequuntur, ex euulgatione peccati, quia circumſtantia mœroris nec mutat ſpeciem, nec aggrauat notabiliter.

16. *Secus ſi non conſentiat.*

Secundum, teneri ſolùm confiteri circumſtantiam virginitatis ipſum defloratorem, quando vel copulam habuit, vel deſiderauit habere cum aliqua virgine, ea inuita.

Tertium eſt teneri etiam ipſum defloratorem aperire in confeſſione circumſtantiam virginitatis, ſi dolo & fraude virginem decepit, fraus enim, & dolus violentiæ æquipollent, & iniuriam continent.

Quartum non eſſe ſtuprum, propriè loquendo, ſed ſimplicem fornicationem reſpectu puellæ, quando illa libens è domo patris rapitur, & abducitur; quamuis enim ſit raptus reſpectu parentum, quibus vis infertur, vt videbimus infrà, non tamen eſt ſtuprum reſpectu illius, & ideo illa circumſtantia raptus reſpectu parentum, erit neceſſariò confitenda, non iſta reſpectu illius, vt optimè animaduertit Sanchez citatus *lib.7. de matrimonio, diſp.14. num.10.* Sanch.

Quintum eſt, eum, qui deflorauit virginem ſponte conſentientem, ſi nihil ei promiſit, ad nihil teneri pro virginitate ablata; ſed de hac re iterum ſermonem intexemus.

17. Hactenus explicauimus quid ſit ſtuprum, in quo conſiſtat, & quale peccatum, & in quo à ſimplici fornicatione diſtinguatur; nunc explicandum eſt, cuius fori ſit, & quas pœnas habeat, quod in ſequenti Summario meliùs explicabimus.

SVMMARIVM.

De ſtupro, cuius fori ſit, & quas pœnas habeat in iure.

Crimen ſtupri, de iure eſt mixti fori. num.18.

De conſuetudine ad iudicem ſecularem eiuſmodi punitio ſpectat, & quando ad iudicem Eccleſiaſticum. num.19.

Quid quando agitur de ſtupro commiſſo à perſona Eccleſiaſtica. num 18.

Pœna ſtupri in vtroque iudicio de conſuetudine eſt hodie arbitraria iuxta omnes, conſtituta tamen dote pro qualitate perſonæ defloratæ. num.20.

De iure Canonico tenetur ſtuprator virginem dotare, & ſimul ducere, & ſi ducere non vult, conſtituta illi dote, virgis caditur. num.21.

Quidam cenſent non eſſe cogendum eam dotare, & ſimul verberum pœnas ſuſtinere, num. 22. *Etſi vult eam dotare, excuſandum eſſe à verberibus, ibidem.*

Si ſtuprator velit ſtupratam in vxorem ducere, & illa, vel pater illius nolint, ſed velint dotem, optio erit penes ſtupratam. num.23.

Si ſtuprator fuerit vxoratus, cogitur eam dotare, & verberum pœnas, vel exilium arbitrio iudicis ſuſtinebit. num.24.

Quid quando vxoratus ſtuprator eſt inops, num.25.

Quid quando eſt Clericus. num.26.

Pœna iuris Canonici contra ſtupratores ſtatuta, de qua num.21. eſt hodie in conſuetudine, & vſu omnium tribunalium, etiam ſecularium, quando ſtuprum committitur volente, & conſentiente ſtuprata. num.27.

Stuprum commiſſum per vim & violentiam renitente virgine punitur in iure ciuili pœna mortis naturalis. num.28.

Si ſine vi, & ea volente committatur, de iure ciuili punitur ſtuprator nobilis amiſſione dimidietatis ſuorũ omnium bonorum, ſi ſit humilis, fuſtigatione, & exilio; ſed hæc pœna non eſt in vſu, & tantum eſt in vſu pœna iuris Canonici, de qua num 21. n.29.

Nomine violentiæ intelliguntur etiam preces importunæ, quæ tales cenſeantur, num.30. *& remiſſiuè ad caput 5. num.11.*

Quid de ſtupro commiſſo in viduam, ea renitente, qua pœna puniatur, num.31. *Quid ſi ſit vidua inhoneſta, ibi verſu,* Nec obſtat contra hanc reſolutionem. *Quid ſi ſit vidua honeſta fama, ſed ſponte conſentiat in copulam, ibi verſu,* & verò, *& verſu,* huiuſmodi tamen.

18. *Crimen ſtupri eſt mixti fori.* Farin.

CRimen ſtupri eſſe mixti fori, & propterea tam à ſæculari, quàm ab Eccleſiaſtico iudice puniri poſſe, docet Farinacius *tom.4. quæſt.147. § ſtuprum, num.53.* dummodo tamen abſit vis illata ſtupratæ perſonæ, tunc enim non eſt mixti fori, ſed ad forum ciuilem ſpectare cenſet idem Farinacius *ibidem*, ſequitur Ghirlandus *de pœnis omnifariam coitus, quæſt.3.* Iodoc. *in practica criminali, cap.92. rubrica de ſtupro, num.5.* Conrad. *rub. de ſtupratoribus, num.16. verſu, & ex dictis patet iſtud crimen eſſe mixti fori.* Menoch. *de arbitrariis qq. lib.2. caſu 288. num. 22.* & Bermon. *de publico concubinatu in rubrica de ſtupro, num.48. verſu, vlterius poſſet dubitari,* vbi diſtinguit, & aſſerit de ſtupro commiſſo à Clerico, cognoſcere iudicem Eccleſiaſticum tantùm, quia vbi interuenit perſona Eccleſiaſtica, iudex ſæcularis nullatenus ſe poteſt intromittere: de ſtupro verò commiſſo à perſona ſæculari, ſi cum vi committatur, & renitente virgine ſtuprata aſſerit agnoſcere tantùm iudicem ſæcularem; ſi abſque vi, & ea conſentiente, ait poſſe cognoſcere vtrumque iudicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem: poteſt probari hæc opinio ex communi fundamento, quia quando crimen vtroque iure & ciuili, & Canonico punitur, eſt mixti fori, & ad vtrumque iudicem ſpectat eius punitio, ad eum primò, qui primò iuriſdictionem præuenit; ſtuprum

Idem. Ghirland. Iodoc. Conrad. Menoch. Bermon.

autem

autem æquè à iure Canonico, & ciuili punitur, vt de iure ciuili conſtat ex *l. inter liberos, §. lex Iulia, & l. ſtuprum, ff. ad legem Iuliam de adulteriis*, & ex *l. etiam ſtuprum, ff. de verborum ſignificatione*, & ex iure Canonico id ipſum conſtat, ex *cap. 2. de adulteriis*, & ex *cap. 1. eodem titulo*, vbi in pœnam ſtupri cogitur ſtuprator, ac deflorator virginis virginem dotare, & eam in vxorem ducere, aut dotare, & fuſtibus cædi, ſi in vxorem ducere noluerit, vt patet ex *dicto cap. 2. de adulteriis*, & docet Nauarr. *in manuali Latino, cap. 16. num. 16.* & loquitur Nauarrus *de ſtupro*, in quo decipitur virgo vel vi, vel importunis precibus, & addit hanc pœnam illi eſſe iniungendam, quamuis eam corruptam iam inueniſſet, quia ſufficit, quòd vt virgo tractetur, & vt talis reputetur, nec ipſi virgini incumbit probare ſe eſſe virginē, & illi incūbit probare, eam nō eſſe in poſſeſſione famæ virginitatis. [Nauarr.]

19\. [*Vbi agitur de defloratione virginis ſub ſpecie matrimonij, cognitio ſtupri ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectat.*] Hæc de iure; de conſuetudine tamen puto meram vindictam, & punitionem huius criminis ad iudicem merè ſæcularem ſpectare, non verò ad iudicem Eccleſiaſticum; vbi tamen agitur de defloratione virginis ſub ſpe matrimonij futuri, tunc quidem ad Eccleſiaſticum iudicem cognitionem cauſæ, & punitionem delicti pertinere exiſtimo, quod idem colligitur ex *cap. 2. de adulteriis*, vbi ſi deflorator non vult defloratam ducere, vltra dotem fuſtibus cæditur; agitur ergo *ibi* de pœna ſtupri ſub ſpecie futuri matrimonij commiſſi, & tunc ratione ſacramenti cognitio criminis ad iudicium Eccleſiaſticum ſpectabit.

20\. De pœnis, quæ in iure ſtatuantur, non ita conſtat apud authores. nam Farinacius diligentiſſimus pœnarum enumerator, poſtquam multa de huiuſmodi pœnis dixit *tom. 4. tota quæſt. 147. §. ſtuprum tandem. num 96.* reſoluit pœnam ſtupri eſſe hodie arbitrariam & ſic modò grauiorem, modò leuiorem, prout ex circumſtantiis criminis & qualitate deflorantis & defloratæ iudicibus viſum fuerit, arbitrio eorum pœnam eſſe infligendam arbitratur, & id ipſum docet Menochius *lib. 2. de qq. arb. caſu 288. num. 6. & caſu 410. num. 110* vbi in vtroque foro pœnam arbitrariam eſſe teſtatur, conſtituta tamen dote ſemper arbitrio iudicis pro qualitate puellæ defloratæ, & facultatibus defloratoris, cum Menochio conſentit Ioſephus Lud. *deciſ. Lucenſi 61. num. 16.* Guttier. *de qq. Canonicis, c. 37. num. 5. ad finem, verſu, Ego vtroque caſu.* Cardinalis Tuſchus *concl. 790. n. 10. ad finem voluminis ſeptimi*, & alij multi, quos non opus eſt referre. [Menoch. Ioſ. Ludou. Guttier. Tuſchus.]

21\. [*Hæ pœnæ ſunt hodie in vſu.*] Dicam tamen, quæ pœnæ in ſtupratores, tam iure Canonico, quàm ciuili contineantur. De iure igitur Canonico cogitur ſtuprator primò virginē defloratam dotare, & inſuper eam ſibi in vxorem ducere, & ſi non vult ducere, poſt conſtitutionem dotis virgis cæditur; ita patet ex *cap. 2. de adult.* docet Nauarrus *in ſum. Lat. cap. 16. n. 16.* Socinus *ibi n. 6.* Conrad. *in pract. rubr. de ſtupr. n. 17.* Anton. Gomez *ad legem 80. Tauri, n. 6.* Iul. Clar. *in §. ſtuprum, ſub n. 3. verſu, Laicus autem,* Theſaurus *deciſ. Pedem. dec. 3. n. 2. & 3.* Tuſch. *concl. 709. n. 26. col. 7.* [Nauarr. Socin. Conrad. Gomez. Iul. Clar. Theſaur. Tuſchus.]

22\. Quidam tamen authores aſſerunt non eſſe cogendum defloratorem eam dotare, ſi vult verberum pœnas ſuſtinere: ita Anchar. *in c. 2. de adult. n. 4. & 5.* & ſi vult eam dotare, etiamſi non ducat in vxorem, non debere pœnas verberum ſuſtinenere, docet Innocent. *in cap. peruenit, de adult. ad finem.* Hoſtienſ. *ibi n. 4. in verb. corporaliter, & n. 5.* Ioan. Andreas *n. 5. in verb. retrudatur.* Butrius *n. 2.* Henr. Bohic. *n. 4.* opinio tamen num. præcedentis eſt communior, & communiter ſeruatur in praxi; ſi enim ſtuprator non vult defloratam puellam in vxorem ducere, vltra dotem, vel pœna verberum, iuxta authores *in n. 21.* præcedenti allegatos; vel ex illis, aut pecuniaria, aut alia ſimili arbitrio iudicis punitur, iuxta Doctores *num. 20.* citatos. [Innocent. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Butrius. Bohicius.]

Si tamen pater puellæ ſtupratæ noluerit, vt ſtuprator eam in vxorem ducat, aut illa ei nubere recuſauerit, non poſſunt ad id cogi, ſed adhuc tenebitur eam dotare, vt patet ex *cap. 1. de adult. verſu, ſi pater*, & gloſſa *ibi verb. dotabit*, patet ex Farinacio *tom. 4. quæſt. 147. n. 105.* & ex Menochio *lib. 2. de arbitrariis, qq. caſu 288 n. 19. verſu, ſecundus eſt caſus.* Salicet. *ad leg. eum qui duas, n. 3. C. ad legem Iuliam de adult.* quod idem docet Guttier. *in qq. Canonicis, cap. 37. n. 28.* & Iul. Clar. *in §. ſtuprum, n. 3. verſu, ſed quæro, quæ ſit pœna,* licèt contrarium teneat Henricus Bohicius *in cap. 2. n. 3. de adult.* vbi dicit non teneri defloratorem dotare defloratam, ſi illa eum nolit in maritum accipere, ſed communiter reprobatur. 23. [Farin. Menoch. Salicet. Guttier. Iul. Clar. Bohicius.]

Quando verò deflorator vxoratus fuerit, cùm non poſſit eam ducere, tenebitur eam dotare, & ad id cogitur à iudice, vt optimè docet, ac probat idem Farin. *cit. n. 110.* & inſuper vel cædetur fuſtibus, vel mulcta aliqua pecuniaria, vel extraordinaria alia pœna arbitrio iudicis punietur; ſic docet Conrad. *in pract. rub. de ſtupratorib. n. 16* Baiard. ad Iul. Clar. *in § ſtuprum, n. 10. in verb. laicus autem*, & Proſper allegatus, *num. 111.* 24. [Farin. Conrad. Baiard à Iul. Clar.]

Si verò deflorator ita eſt inops, vt dotem conſtituere non poſſit puellæ ſtupratæ, tunc flagellis cæditur, & exilio damnabitur, iuxta communem Doctorum ſenſum, quod ipſum probat Petrus Gregorius *ſyntagmat. iuris, lib. 36. cap. 9. rubr. de ſtupr. n. 5. ad finem, verſu, inops fuſtibus cæditur;* & Proſper Farin. *tom. 4. quæſt. 147. num. 109.* 25. [Petr Greg. Farin.]

Si autem ſtuprator fuerit Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, qui non poteſt defloratam ducere, non ideo excuſabitur à præſtatione dotis iuxta qualitatem puellæ defloratæ, & redditus, ac facultates ipſius, & vltra dotis conſtitutionem alias pœnas neceſſarias ſuſtinebit arbitrio iudicis imponēdas, velut ſuſpenſionis, depoſitionis, priuationis ſacrorum Ordinum, exilij, aut mulctam aliquam pecuniariā, vt iudici meliùs ad aliorum exemplum & illius emendationem viſum fuerit, ita docent communiter authores, Bernardus Diaz *in pract. criminali, cap. 83. in verb. ſtuprum, n. 2.* Farinacius *tom. 4. quæſt. 147. § dos, n. 107. & 108.* Conrad. *in pract. in rub. de ſtupratoribus, n. 5.* Bermon. *de publico concubinatu, rub. de ſtupro, n. 5018.* Marian. Soc. *in cap. peruenit, de adult. n. 7.* Zabarella *ibi n. 1. ad finem, verſ. quæro, Quod ſi eſt Clericus.* Ghirlandus *de pœnis omnifariam coitus, quæſt. 7. n. 13. verſu, ſi verò nollet*, & alij. 26. [*Quid ſi ſtuprator ſit Clericus.* Bern. Diaz. Farin. Conrad. Bermon. Marian. Zabarel. Ghirland.]

Hæc quæ hactenus dicta ſunt, intelliguntur de ſtupro non violento. nam de ſtupro, quod cū vi & violentia fit, ſtatim dicemus *à n. 28.* & quidem hæc pœna iuris Canonici, iuxta quod tenetur ſtuprator defloratam ducere, & dotare, & ſi non vult ducere, vltra conſtitutionem dotis, fuſtibus cæditur, eſt hodie in vſu omnium tribunalium vtriuſque fori ciuilis, & Canonici, & ideo in tribunalibus etiam ciuilibus, & ſecularibus ſola hæc pœna iuris Canonici attenditur, non ciuilis, vt optimè animaduertit Iulius Clarus *in pract. criminali, §. ſtuprum, num. 3.* & Farinacius allegatus *num. 11.* & Ludouicus Peguer. *deciſion. criminal 42. n. 3. & 4.* Et quamuis nonnulli authores, quos citat, ſed non ſequitur, 27. [Iul. Clar. Farin. Peguer.]

idem Farin. *num.* 114. exiſtiment diſpoſitionem, & pœnam iuris Canonici in ſtupratores decretam ſolùm habere locum in terris Eccleſiæ, non verò in terris Imperij, aut aliorum Regnorum, inter quos eſt Butrius *in cap. peruenit, de adulteriis, num.* 1. Socin. *num 4 notabili* 3. Abb. *num.* 2. *notabili* 2. & Anton. Gom. *in l. Tauri* 80. *num.* 7. Guttier. *in quæſt. Canon. cap.* 37. *num.* 6. tamen in practica ſeruatur contrarium, quidquid ſit de iure ciuili: omnes enim ferè iudices, tam in terris Imperij, quàm aliorum Regum pœnas iure Canonico contra ſtupratores ſeruant, vt, ſcilicet, defloratot nulla alia pœna teneatur, quàm ſtupratam ducere, & dotare, & ſi nolit ducere, teneatur eam dotare, & virgis, ac flagellis cædatur à tergo per vias publicas, vt optimè notarunt Farin. *num.* 16. Iulius Clar. modò allegatus. Menoch. *de arbitrariis, lib.* 2. *caſu* 288. *num.* 15. Theſaurus *deciſ. Pedem. deciſ* 3. *num.* 3. *concluſ.* 5. *verſu tamen hodie.* & de hac conſuetudine id ipſum teſtatur Cabal. *reſolut. crimin. caſu* 196. *num* 12. Tuſchus Card. *concluſione* 709 *num.* 27. *volum.* 7. & tandem id ipſum de hac conſuetudine totius orbis teſtatur Gutierrez allegatus *dicto num.* 6 *in fine.*

Butrius. Socin. Abb. Gomez. Guttier. Farin. Iul. Clar. Menoch. Theſaurus. Dec. Pedem. Cabal. Tuſchus. Gutier.

28. In iure etiam ciuili, & communi pro variatione ſtupri, variè punitur. nam aut ſtuprum committitur cum vi, & violentia perſonæ ſtupratæ; aut ea volente, & conſentiente, ſeu, vt iure ciuili periti loquuntur, ſine vi, ſi cum violentia & per iniuriam perſonæ ſtupratæ committatur, pœna punitur capitali: patet ex *l.* 1. *§. finali, ff. de extraord. criminib.* ibi enim *in §. qui puero,* æquiparatur ſtuprum in puerum, & in puellam commiſſum, & virumque ſi perfectum fuerit, & violentia perpetratum, pœna capitis damnatur, & ita docent communiter Doctores, quos videre poteris apud Farinacium *tom.* 4. *quæſt.* 147. *§. ſtuprum, num* 9 *&* *num.* 12. vbi etiam concordat leges, quæ videntur variè hac de re loqui, inter quos eſt Menoch. *de arbitr. qq. lib.* 2. *caſu* 288. *num.* 10. Guttier. *in quæſtionibus Canonicis, cap.* 37. *num.* 2. *verſu, ſi verò ſtuprum committatur,* Cardinalis Tuſchus *concl.* 209. *num.* 9 *volum.* 7. Conrad. *in practica rubrica de ſtupratoribus, num.* 9. *verſu, ſimiliter pœna gladij.* Alexander *conſil.* 209. *in initio lib.* 6. *& concluſ.* 710. *num. eodem,* ſeptimo volumine. Iodocus *in practica criminali, cap* 92. *rubr. de ſtupro, num.* 5. Bern. Diaz *ibidem cap.* 83. *in verb. ſtuprum, n.* 3. & alij.

Farin. Menoch. Guttier. Tuſchus. Conrad. Alexand. Iodoc. Diaz.

29. Si ſine vi ſtuprum committatur volente, & conſentiente ſtuprata, tunc locum non habet pœna capitis; ſed ſi ſtuprator fuerit perſona nobilis, damnatur publicatione dimidietatis omnium bonorum ſuorum: ſi humilis, virgis cæditur, & exilio plectitur, iuxta textum *in § item lex Iulia, verſu, ſed eadem lex Iulia, Inſtit. de public. iudic.* & ibi gloſſa in figuratione caſus, & *in verb. humiles,* vbi pulchrè declarat, quæ nobiles, quæ humiles perſonæ dicantur, iuxta textum *in l. humilem, C. de inceſt. nuptiis.* Aretinus *in dicto §. item lex Iulia, num.* 2. Ioannes de Platea *colum.* 4. *ad medium, verſu, pœna ſtupri, & verſu, & hac coërctio,* vbi doctè explicat coërctionem corporis, de qua in dicto textu, intelligendam eſſe corporis fuſtigationem, & virgarum læſionem, aut aliam corporalem pœná, prout melius iudici viſum fuerit; communiter DD. flagellationem intelligunt, vt docet Farin. *tom.* 4. *dicta quæſt.* 147. *§. ſtuprum, num.* 6. & idipſum docet Anchiaranus *in cap.* 1. *de adult. num.* 1. *verſu, vbi autem, ſine violentia,* gloſſa *in cap.* 2. *in verb. plectendus, eodem titulo,* & alij communiter. Sed, vt diximus *num.* 27. hæc pœna iuris ciuilis decreta in ſtuprum quod ſine violentia & iniuria ſtupratæ committitur, iam hodie non eſt in vſu, & conſuetudine omnium tribunalium totius ferè orbis, & loco illius ſucceſſit pœna iuris Canonici, de qua *ibidem* egimus, vt *ibi* videre poteris, manente tamen alia pœna mortis in eos, qui per vim, & iniuriam fœminam ſtuprantur.

Aretin. Platea. Farin. Anchar.

Nomine autem violentiæ, & iniuriæ intelliguntur etiam preces importunæ iuxta omnes Doctores, & Nauarrum *in ſumma Lat. cap.* 16. *n.* 26. & Farinacium *tom.* 4. *quæſt.* 147. *§. ſtuprum num.* 34. æquiparantur enim preces importunæ violentiæ, & coactioni in iure; quæ autem dicantur preces importunæ, dicemus infrà *cap.* 5. *num.* 11. 30.

Nomine violentiæ intelliguntur preces importunæ, & quæ illæ ſint.

Quod diximus de ſtupro virginis, quo ad pœnam mortis naturalis, quando per vim, ac violentiam committitur, intelligitur etiam de ſtupro viduę honeſtæ famæ: nam illius ſtuprator ſi per vim, & violentiam illam cognoſcat eadem pœna mortis naturalis punitur; ita Farin. *tom.* 4. *quæſt.* 147. *§. ſtuprum, num.* 10. & eſt textus expreſſus *in §. item l. Iulia, de adulteriis, verſu, ſed eadem l. inſtituta, de publicis iud.* & *ibi* gloſſa *in figuratione caſus, in verb. viduam,* & alius textus *in l. inter ſtuprum, ff. de verborum ſignificatione,* & *ibi* gloſſa *in verb. etiam viduam.* Butrius *in cap.* 2. *de adult. n.* 4. *verſu, dicit gloſſa.* Socinus *num.* 10. Abbas *num.* 5. *fine.* Zabarella *num.* 2. Salicetus *in l. eum qui duas, ſub n.* 2. *verſu, & non iuratur,* an mulier ſit virgo, vel ſi vidua, Conrad. *in pract. crim. rubr. de ſtupr. num.* 3. *&* 5. Iul. Clar. *in practica § ſtuprum, num* 1. Guttier. *de qq. Canonicis, cap.* 37 *num* 2. & nouiſſimè Tuſchus *concluſ.* 709 *num.* 2. *&* 3. *volum.* 7. Antonius Gomez *ad legem* 80. *Tauri num.* 5. *poſt initium, & num.* 14 Iodoc. *in pract. cap* 91. *rubr. de ſtupro, num.* 3. & alij multi, quos videre poteris apud Farin. *loco, & num. allegatis*; conſiderat enim ius ſtuprum lato modo, & non ſtrictiſſimo, vt animaduertimus *à num.* 1. *huius capitis,* quo ad has pœnas, vt ſeruetur pax in Republica. 31.

Farin. Butrius. Socin. Abbas. Zabarel. Salicet. Conrad. Iul. Clar. Guttier. Tuſchus. Gomez. Iodoc. Farin.

Nec obſtat contra hanc reſolutionem textus *in l. ſi vxor, §.* 1 *ff. de adult.* ibi, *Quamuis ſi vidua eſſet, impunè in eam ſtuprum committeretur,* quia ille textus loquitur de vidua inhoneſta, & quæ ſponte conſentit, vt bene notat Farin. *tom.* 4. *quæſt.* 147. *§ ſtuprum, num.* 12. Quo caſu impropriiſſimè & latiſſimo modo hæc copula vocatur ſtuprum: antecedentia enim verba huius textus clarè demonſtrant de vidua inhoneſta ſponte conſentiente, ibi eſſe ſermonem.

Farin.

Et verò quòd ſtuprator viduæ honeſtæ ſponte conſentientis pecuniaria pœna arbitrio iudicis ſit puniendus iuxta qualitatem facti, & conditionem perſonarum, docuit Ghirlandus olim *de pœnis omnifariam coitus, quæſt.* 7. *num.* 3. *in fine, verſu, ſi verò cum vidua* Bermo. *de publico concubinatu, rubrica, de ſtupro, num.* 17. *verſu, Tenebitur autem.*

Ghirland. Bermo.

Huiuſmodi tamen ſtuprum, in viduam honeſtæ famæ ſponte conſentientem, impunibile omnino eſſe, de conſuetudine teſtatur Ignatius Lopez *in practica criminali, cap.* 83. *in verb. ſtupri, litera A. verſu. & nota, quòd hæc pœna,* & ideo infert Clericum committentem ſtuprum cum vidua ſponte ac liberè conſentiente, non eſſe puniendum pœna ſtupri, ſed pœna arbitraria ſimplicis fornicationis; & id ipſum docent Anton. Gomez *in l.* 8. *Tauri, num* 14 *verſu, Hodie tamen.* Iulius Clarus *in §. ſtuprum, num* 4. *verſu, Cæterum,* vbi teſtatur, ſe nunquam vidiſſe aliquem puniri pro ſtupro commiſſo in

Lopez. Gomez. Iul. Clar.

in viduam conſenſum liberè, & ſpontaneè dantem. Iulium ſequitur Ioſeph. Ludouic. *deciſione Lucenſi* 61. *num.* 12. & Farinacius allegatus *n.* 14. & Cardinalis Tuſchus *in concluſione* 209. *num.* 12. & 13. *volum.* 7. vbi etiam teſtantur de hac conſuetudine generali, & affirmant, ſe neminem etiam vidiſſe pro ſtupro viduæ punitum. Quamobrem immeritò hanc conſuetudinem improbat Claudius *ad Bertrand. conſil.* 495. *litera A. verſ. ſed quaro*, ex eo fundamento, quòd delicta impunita manerent: at quàm ſine fundamento dictum, nemini non patet, punietur enim delictum pœna debita ſimplici fornicationi, non ſtupro. Sequitur vt agamus de ſtupro commiſſo ſine vi cum promiſſione & ſine promiſſione matrimonij, quod in capite ſequenti tractabitur.

Ioſeph. Farinac. Tuſchus.

CAPVT V.

De ſtupro commiſſo cum promiſſione, & ſine promiſſione coniugij in virginem & viduam ſponte, & non ſponte conſentientes.

SVMMARIVM.

Corruptor virginis ſponte conſentientis ad nihil ei tenetur in foro poli, neque parentibus illius, ſi nihil ei promiſit. num. 1.

Nec honorem læſum tenetur reſtituere parentibus, num. 2.

Nec augmentum dotis quo indiget, vt competens inueniat matrimonium. num. 3.

At quid teneatur in foro conſcientiæ deſlorator ſi virginem vi, vel precibus importunis deſlorauit, etiamſi nihil ei promiſerit. num 4.

Eadem ſatisfactione qua illi ſatisfacit, ſatisfacit etiam parentibus illius. num. 5.

In foro conſcientiæ non tenetur puella deſloratorem in maritum accipere paratum illam ducere, ſed poterit dotem poſtulare, & optio penes illam eſt, num. 6.

An ad aliquid teneatur deſlorator vi, & fraude, quando deſlorata æquè commodas nuptias inuenit, num. 8.

Quid quando maritus poſtea deprehendit deſlorationem, & propterea vxorẽ deſerit, an ſaltem tunc ad aliquid ei teneatur deſlorator, vi & fraude deſlorans. num 9.

Ad quid teneatur ille, qui acccedit ad eam, quæ iam eſt ab alio corrupta, putatur tamen virgo incorrupta, ſi illa ſponte conſentiat; & quid ſi vi, aut dolo illa potiatur. num. 10.

Quæ ſint preces importunæ, quæ æquipollent violentiæ. num. 11.

Qui virginem deſlorauit ſub ſpe & promiſſione matrimonij, copula aſſecuta tenetur in conſcientia eam ducere ſi ſunt æquales. num. 12.

Quid ſi ſint diſpares nobilitate, vel diuitiis, licèt nobilitate ſint pares. num. 13.

Quid ſi illa eius diſparitatem ignorabat. num. 14.

Si poſt promiſſionem coniugij, & deſlorationem illa cum alio fornicata fuerit, ad nihil ei tenetur, num. 15.

Si dicenti ſe eſſe virginem promiſiſti nuptias, & in copula, vel extra illam inuenias non eſſe talem, non teneris eam ducere, etiamſi ſeriò promiſeris, num. 16. & 17.

An ſaltem tunc ad aliquid ei tenearis ratione copulæ, num. 17. *Et quid ſi fictè promiſiſti, & illa fictè dixit ſe eſſe virginem, cum talis non eſſet,* ibidem.

Si putabas illam eſſe virginem, & talem non inueniſti, non teneris eam ducere, etiam ſi illi nuptias promiſeris. num. 18.

In omnibus caſibus, in quibus fictè, vel non fictè promittens nuptias non tenetur puellam ducere, poteſt iurare coram iudice Eccleſiaſtico, vel ſeculari nihil ei promiſiſſe. num 19.

An ille, qui promiſit nuptias fœminæ, quam ſciebat eſſe iam corruptam, vt illius copulam aſſequeretur, illa aſſecuta, teneatur eam ducere, num. 20. *refertur opinio affirmans.* ibid.

Aſtruitur negans, num. 21. *Quid ſi ſit vidua bonæ famæ.* ibid.

An strictè promittens nuptias, teneatur ex iuſtitia ad illas quando non eſt aſſecuta copula, nec damnum aliquod reſultauit. num 22.

AGAMVS in primis de eo, qui ſtuprum commiſit cum virgine, aut cum ea, quæ iudicio omnium putatur virgo, & inquiramus, ad quid ei teneatur, quando cum ea rem habuit, ea liberè conſentiente, nihil ei promittendo. 1.

Corruptor virginis ſponte conſentientis ad nihil ei tenetur, neque parentibus illius, ſi ei nihil promiſit.

Prima concluſio, ſi virgo liberè conſentiat, & corruptor nihil illi promittat, non ei tenetur de virginitate ablata, vel fama, ſi forè inde illius iacturam paſſa eſt, & non ſolùm ad nihil ei tenetur in foro conſcientiæ (de quo loquimur) ſed nec eius parentibus, aut tutoribus, ſi ſub illorum cura erat; ita docet Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. de iniuria per ſtuprum, cap. 10. dub. 2 num 9* Nauarr. *in ſumma Latin. cap. 16. num. 16.* Sotus *lib. 4 de iuſtit. quæſt. 7. art. 1. ad 2.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 14. num. 11. in medio.* Sayrus *in claui regia lib. 11. cap 1. de reſtit. in bon. corp. num. 26.* vbi citat alios. P. Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 423. dub. 2. in 2 edit. verſ. mulier.* Veracruz 3. *part. ſpecul. artic. 19. in fine.* Bañez 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 7. concluſ. 1.* Salon. *ibidem art. 2. controuerſ. 5. concl. 1.* (ſed hi duo Salon & Bañez apponunt limitationem, de qua ſtatim *num. 2.*) Capua 1 *part. deciſion. aurear. lib. 2. cap. 79. num. 13. verſ. ſed dubium eſt.* Suar. *de pœn diſp. 22 ſect. 4. n. 6. in 2. circũſt.* Quid? Vaſquez 2. 2. *quæſt. 74. art. 8. diſput. 112. & num. 3.* Llamas 3. *part. methodi cap 8 §. 28. in fine.* Ratio eſt, quia neque illi, neque eius parentibus fecit iniuriam. Non illi, quia illa eſt domina ſuæ famæ & ſignaculi virginalis, & volenti, & conſentienti nulla fit iniuria; non parentibus illius, quia parentes illius ſi aliquod ius habent in ſignaculo virginali, aut fama illius eſt dependenter à voluntate ipſius filiæ, ac proinde valde indirectè; & per accidens lædit deſlorator honorem, & ius parentum ipſius: ex læſione autem honoris facta per accidens, nulla reſultat obligatio iuſtitiæ in conſcientia, ſicut ſi filia nuberet inferiori viro contra voluntatem patris, nec ipſa, nec maritus illius teneretur reſtituere aliquid patri ipſius, quanuis illius honor ab ipſo marito per accidens læderetur.

Leſſius. Nauar. Sotus. Sanch. Sayrus. Petr. Nau. Veracruz. Bañez. Salon. Capua. Suarez. Vaſquez. Llamas.

2. Ex dictis refutantur Salon, & Bañez allegati, quatenus dicunt deſloratorem teneri reſtituere parenti deſloratæ ſponte, etiam conſentientis honorem læſum, quibus minimè aſſentior, tum quia vſus id non habet, tum quia filia volens potuit id ipſum damnum pati, nihil de honore pa-

rentis curans abſque iniuſtitia illius; ſicut poteſt quilibet alius abſque iniuſtitia parentis ſui aliud quodcumque ſcelus committere, quanuis inde toti familiæ dedecus ſequatur; nemo enim tenetur de iuſtitia ſe ab eo ſcelere abſtinere, quod ſibi, & toti familiæ detrimentoſum eſt, vt pulchrè notat Sanchez allegatus.

3. Hæc opinio mihi videtur valde probabilis, & ſecura: ſunt tamen multi Doctores, qui docent teneri defloratorem virginis ſponte conſentientis, in conſcientia reſtituere parentibus illius damnum inde illis reſultans, ſupplendo augmentum dotis maioris, quo indiget fœmina deflorata, quia tenera in eo damnificati ſunt ab ipſo defloratore, & qui alteri iniuſta eſt cauſa damni, tenetur illud reſtituere, & hanc opinionem videtur tenere D.Thom. 2.2.*quæſt.*154. *art.6.* & *ibi* Caietan. & Abulenſ. *in cap.5. Matth. quæſt.*201. & eam tenet expreſsè Guilelm. quem refert, ac ſequitur D.Anton. 2.*part tit.5.cap.6.§.1.* Bernard. Diaz *in practica in noua editione, cap.83.num.6.* & *ibi* Salzedo *in additione, verb. non debeat.* Corduba *lib.1. quæſtionarij, quæſt.13.col.4.§.vbi iſti.* Gutierr. *lib.1. quæſt. Canonic. cap.37.num.24.* Valentia 2.2. *diſp 9. quæſt.3 punct.3.§.an, & quando.* Lopez 1.*part. inſtruct cap.77. §. ſed hæc quæſtio, & cap.76.§. ſed miror.* & Rodriguez 1. *tom. ſummæ, in 2.edition. cap. 208. concluſ. 3. num. 3.* Sed ego nullum video ſolidum fundamentum huiuſmodi auctoribus, & quia ipſa voluit ſponte pati illam nuptiarum iacturam, vt patet; quare non tenetur pater ei dotem augere, vt dignè, & competenter nubat; & quia ipſa poteſt inuito patre inferiori nubere, quin nec ipſa, nec inferior ille cui nubit teneantur patri ſuo aliquid reſtituere, ratione iniuriæ præciſæ à damno, & denique, quia ſi ipſa conſentiens deflorationi ſuæ haberet pecunias, quibus poſſit patri iniuriam compenſare, non teneretur ex illis ſatisfacere, cùm tamen ſit cauſa principalis iniuriæ; minus igitur tenebitur deflorator, qui eam deflorauit illa volente, & liberè conſentiente.

D.Thom. Caietan. Abul. D.Anton. B.Diaz. Corduba. Valent. Lopez. Rodrig.

Dices teneri ſaltem aliquid reſtituere marito, ſi iam ſit nupta, quia ſi maritus ſciret eam eſſe ſtupratam, non niſi cum maiori dote eam in vxorem acciperet; ſed ad hanc inſtantiam iam reſpondimus *num.8.cap.praeced.* quem vide.

4. *Ad quid teneatur deflorator, ſi virginē vi, precibus importunis deflorauit, ſi nihil ei promiſit.*

Secunda concluſio, quanuis corruptor nihil promiſerit, ſi tamen dolo, vi, fraude, aut precibus importunis virginem deflorauit, tenetur in conſcientia vel illam ducere, vel damnum reparare faciendo id, quo illa maneat contenta; ſufficit tamen, ſi ei reſtituat tantum maioris dotis, quanto maioris eget, quo talem inueniat maritum, qualem inueniret manens in flore virginitatis ſuæ, iuxta arbitrium prudentis viri. Quod etiam reſtituendum erit, quando virgo ſui iuris fuerit, & parentes non habuerit. Ita docet expreſsè Nauarr. *in ſumma Latin. cap.16.num.17.* addens, non obligari ad eam omnino dotandam, quia id pœna eſt, quæ in foro conſcientiæ non debetur, donec à iudice poſt latam ſententiam infligatur. Sanchez allegatus *in 1.concl. num.12. & lib.4 de matrimonio, diſput.7. num.5. & 7. ad finem.* Leſſius *ibi* allegatus *num.*10. Syluester *verb. luxuria, quæſt.5.* D. Anton. 2.*part.tit.5.cap 6.§.1.* Sayrus allegatus *d.1. concluſ. num. 29.* Addit tamen adhuc Nauarrus teneri ei reſtituere aliquid amplius pro verecundia, in qua tota vita manſura eſt, & pro contumeliis, quas ob id à ſuo marito accipiet; ſed hæc reſtitutio ob has contumelias tunc fortè habebit locum, quando ſtuprum manifeſtum fuerit: at non opus erit reſtituere aliquid pro fama, quia iam totum damnum manet reſtitutum, & pro ablatione famæ nihil in conſcientia debetur, niſi petitio veniæ, aut publica retractatio, ſi ſecluſa ſit à damno; fama enim nullam recipit æſtimationem, iuxta illud, *Melior eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, vt ſæpe alibi diximus.

Nauarr. Sanch. Leſſius. Syluester. D Anton. Sayrus.

5. *Eadē reſtitutione qua illi ſatisfecit, ſatisfacit etiā parēti illius.*

Maior eſt dubitatio, an parentibus illius teneatur etiam corruptor aliquid reſtituere pro iniuria illata, ſunt enim multi, qui id affirmant, inter quos eſt Petrus Ledeſma *quæſt. 45. de matrim. artic. 4. dub. 1.* in ſolutione ad confirmationem Bañez, & Llamas allegati, Philiarchus *de officio Sacerdotis tom.1. part. 2. lib. 4. cap. 17. ad finem.* Carbo *de reſtitutione quæſt.26. concluſ.9.* At non ſunt audiendi, nec illorum ſententia placet Sancio allegato *d. lib 7. de matrim. diſput.14.num.12. ad finem.* Nec mihi etiam placet, & ratio eſt, quia ea ſatisfactione, qua ſtuprator ſatisfacit virgini ſtupratæ, ſatisfacit etiam parenti illius; quare eo ſupplemento dotis reſtituto ſatisfactum manet patri, ſi tamen ex ingreſſu ad illam rupta eſt domus parentis, vel aliud damnum rebus illius illatum, nemo dubitat teneri ſtupratorem illud ei in conſcientia reſtituere.

6. *Puella vi deflorata non tenetur defloratorem acceptare in maritum, ſi paratus ſit eam ducere, ſed poterit dotem poſtulare.*

Si deflorator, qui dolo, vi, aut precibus importunis virginem corrumpit per iniuriam illius, paratus ſit eam ducere, & nec ipſa, nec parentes illius velint, ſed poſtulent augmentum dotis, vel valorem damni illati; quidam exiſtimant teneri puellam illum acceptare in maritum, ſi ipſe ei conditione, & qualitate reſpondeat, & aliter manere in conſcientia ab ea reſtitutione liberum; ita docent Couarr. 2 *part. de ſponſal. cap.6. § 8. num.19.* & eſt valde probabile; verius tamen eſt id, quod docet Leſſius *tomo 1. de iuſtit. lib.2. de iniurijs per ſtuprum, cap.10. dub.2. num.12.* quia ratione iniuriæ ab illo eis illatæ optio apud illam, & parentem eius manet; addit etiam *ibi* Leſſius, ſi è contra ſtuprator velit recompenſare pecuniis, & illa nolit niſi matrimonium, non teneri eam ducere in foro conſcientiæ ante ſententiam latam, ſed ſufficere damnum pretio reparare. At probabilius credo in vtroque caſu opinionem penes defloratam manere propter iniuriam illi illatam, & huius opinionis videntur eſſe omnes authores, quos citaui *num.23. in capite præcedenti*; nam quanuis illi loquantur in foro ſoli, non poli, & in foro ſoli poſt ſententiam latam ad maiorem pœnam delicti leges videantur fauere virgini per vim ſtupratæ, & ei opinionem concedere, & electionem pecuniæ, vel matrimonij, tamen non eſt negandum, congruum eſſe, vt hoc etiam locum habeat in ipſo foro poli.

7. Hoc tamen non habet locum, quando ille eam, ea volente, & conſentiente, deflorauit, quia tunc ſi nihil ei promiſit, ad nullam ei reſtitutionem tenetur, vt probauimus *in 1.concl. num.1.*

8. Sed quid ſi puella, vi & fraude, aut precibus importunis fuit deflorata, & poſtea æquè commodas nuptias inueniat, ita vt nullius damni illius defloratio ei cauſa fuerit, quod punctum graue eſt, & in eo diuiduntur authores, & opiniones.

Prima docet teneri ei damnum pretio reſtituere, quia illud damnum datum illi fuit per iniuſtitiam, & iniuriam, & erat de ſe pretio æſtimabile,

&

& per accidens fuit, quod æquè commodas nuptias inuenerit, & maritus iniuriam non deprehenderit. Ita docet Sayrus *in claui regia lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 19. & Valentia *tom* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 3. & Salon 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *controuerſia* 5. & Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 13. Victoria, & alij, quos citat Sayrus; addunt tamen illi non teneri defloratorem ante iudicis ſententiam dotem integram illi reſtituere; ſed aliquid arbitrio prudentis viri. quia dare totam dotem, eſt pœna à lege impoſita, quæ non debetur, niſi poſt latam ſententiam.

Sayrus. Valent. Salon. Corduba. Victoria.

Secunda opinio docet nihil ei teneri reſtituere: ita Leſſius allegatus *num.* 15. & ſolet pro hac opinione citari Nauar. *in ſumma Lat. cap.* 16. *num.* 15. ſed illius opinionem ſtatim referemus. Fundamentum iſtius opinionis eſt, quia reſtitutio fit pro damno tantùm ſecuto, & dato, & non pro ipſa ablatione virginitatis, aut amiſſione famæ, fama enim, & ablatio virginitatis non recipiunt æſtimationem; hîc autem nullum fuit damnum ſecutum, aut datum, quia æquè commodas nuptias inuenit, & quamuis ſtuprator puellam conſtituit in periculo patiendi damnum, parum refert, quia conſtituere aliquem in periculo amiſſionis bonorum non obligat ad reſtitutionem, niſi reuera damnum ſequatur. Dices, ergo puella, quæ iam aliquid accepit pro reſtitutione deflorationis, ſi æquè bene nubat tenebitur illud reſtituere; reſpondeo non teneri, quia poterat antecedenter expreſsè paciſci cum illo de damno quod probabiliter timebatur, & ratione huius pacti ſi fuiſſet celebratum expreſsè, potuiſſet retinere illud pretium, quamuis nullum damnum ſecutum fuiſſet, quia iam ſe expoſuit periculo illius, quod periculũ eſt pretio æſtimabile; & quamuis hîc nullum antecesſerit pactum expreſſum, attamen vbi illi poſt commiſſum ſtuprum, aliquid in ſatisfactionem illius dedit, aut illa ante commiſſionem illius aliquid accepit, ea intentione datum, vt illa conſentiret, aut vt maneret pro recompenſatione, cernitur pactum implicitum, vel donatio quædam remuneratoria; quare in neutro caſu illa tenebitur reſtituere id, quod accepit vel ante commiſſum ſtuprum, vt conſentiret, vel poſt commiſſionem in donationem remuneratoriam, & quaſi pretium laboris, & periculi, cui ſe expoſuit. Ita reſpondet Leſſius *tom.* 1. *de iuſtitia lib.* 2. *cap.* 10. *de iniurijs per ſtuprum, dub.* 2. *num.* 17.

Leſſius.

Idem.

Vtraque opinio eſt probabilis, iſta tamen Leſſij mihi videtur probabilior, & tenenda omnino.

9. Nauarrus tamen *in manuali Latino cap.* 16. *numer.* 19. tertiam inducit opinionem, nempe tunc ſolùm teneri ad hanc reſtitutionem, quando illius maritus poſtea deprehendit illius ſtuprationem, & propterea eam dimittit, ab eaque diſcedit, & aliò proficiſcitur, aut eam ob id aſperè, ſeuereque tractat, ſecus ſi maritus putat illam eſſe virginem, aut id diſſimulat & patitur; verùm ego dicerem ex charitate teneri ei tunc aliquid dare arbitrio boni viri; at ex iuſtitia non credo, quia iam damnum reparatum eſt per æquas nuptias, quas inuenit, quamuis opinio Nauarri mihi etiam videatur valde probabilis, quia cenſetur adhuc durare iniuria, & per illam eſſe cauſam damni, quod patitur, quod tenetur reſtituere.

Nauarrus.

An ſaltē deflorator ad aliquid teneatur quando maritus eam ob id deſeit.

Idem.

10. Sed quid etiam ſi quis ſine dolo, fraude, aut precibus importunis accedat ad eam, quæ iam eſt ab alio corrupta, pro virgine tamen communiter habetur, & reputatur. Reſpondent multi ſi ob hoc illa infamatur, & res deuulgatur, licèt ad nihilum ei pro virginitate erepta teneatur, teneri tamen ei damnum reſtituere ob famam ereptam. Ita Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 16. *num.* 19. Maior *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt.* 33. *col pen.*

Dicendum tamen eſt, ſi ipſa voluntariè conſenſit, vel ſe obtulit, non teneri ex iuſtitia ei aliquid reſtituere, etiamſi res (ſine culpa tamen illius, qui ad illam acceſſit) diuulgetur, cùm nec famam, nec matrimonium futurum ei per vim abſtulerit; volenti enim, & conſentienti nulla fit vis, nulla iniuria; ſi tamen culpa viri ad illam accedentis illa pariatur eam infamiam, quia, v. c. illa tutè, & in loco tuto conſenſit, aliter non conſenſura; ille verò publicè ſe iactans, vel alia via manifeſtans infamauit, tunc equidem iniuſtus eſt damnificator, poſſidebat enim illa citra iniuriam ſuam bonam opinionẽ & famam, quam ipſe poſtea iniuſtè id manifeſtando, ei abſtulit; quare tenetur eam dotare, vel via alia ei ſatisfacere. Ita Sayrus *in claui regia lib.* 11. *cap.* 1. *de reſtitutione in bonis corporalibus, num.* 66. & Petrus Nauarra *lib.* 2 *de reſtitutione cap.* 3 *num.* 449. & eſt doctrina communis. Si verò abſque culpa viri res in publicum venerit, quia videlicet ipſius fœminæ culpa, & cauſa ſcitur, non video cauſam ob quam illum obligemus ad reſtitutionem; non enim ei fecit iniuriam, illa fruendo, quia ipſa voluit, non infamando, quia ſine culpa illius id euenit. Nec refert ſi dicas, ſi ad illam non accederet, non infamaretur; quia illa acceſſus conditio fuit ſine qua non, & occaſio mirè per accidens, vt patet, ex qua non oritur obligatio reſtitutionis, vt optimè animaduertit Petrus Nauarra allegatus.

Sayrus. Nauarr.

Si verò illa voluntariè non conſenſit, ſed per vim, fraudem, dolum, aut preces importunas ad illam quis acceſſit, quam putabat eſſe virginem, ab alio tamen corruptam inuenit, & communiter habita, & reputata erat pro virgine honeſta, & ſua cauſa infamata eſt, tenetur eam dotare, vel aliter damnum illatum ei reſtituere, quia illa iuſtè, & ſine iniuria illius in poſſeſſione erat bonæ famæ, à qua per iniuriam, & violentiam eam priuauit, & ob eam priuationem damnum illi magnum intulit, quod ſine dubio tenetur in conſcientia reſtituere, vt optimè docet Nauarrus allegatus.

Poteſt tamen contingere, vt per vim, fraudem, vel preces importunas illius copiam aſſecutus ſit, in loco tamen occulto, & ſecreto, & poſtea res culpa defloratoris, & non ſua euulgetur, & in hoc caſu tenetur etiam ei damnum illatum reſtituere, eam dotando ea dote, qua nuberet, ſi res non euulgaretur, non verò iuxta augmentum maioris dotis, qua nunc indiget, vt in matrimonio collocetur, & hæc omnia intelliguntur, quando nihil ei tunc promiſſum eſt, nam ſi ei aliquid promiſſum eſt, ſtatim dicemus.

Inquires tamen, quæ ſint preces importunæ, quæ æquipolleant violentiæ, & per quas conſenſus per vim extortus cenſeatur; multi enim exiſtimant, preces importunas eſſe illas, quæ fiunt per crebras, & repetitas rogationes, deambulationes per munuſcula crebrò etiam repetita & miſſa; quia hæc reſpectu leuium puellarum coactionis vim habent, ſic videtur ſentire Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 16. *num.* 16. Corduba *lib* 1. *quæſtion. quæſt.* 13 *dict.* 4. & 7. Syluester *verb. luxuria, quæſt.* 5. Caietanus 2.2. *quæſt.* 154. & probari 11.

Nauarr. Cordub. Syluest. Caietan.

bari poteſt ex gloſſa *in cap. ſcienti, de regulis iuris, in 6.*

Alij dicunt hæc non ſufficere, vt preces importunæ dicantur, ſed requiri etiam metum aliquem ſaltem reuerentialem, vel leues minas, vel promiſſionem, aut aſſertionem aliquam doloſam, vt ſi ipſe fingeret ſe eſſe nobiliſſimum, affirmaret ſe eſſe ditiſſimum, cùm tamen id falſum ſit, vel ſi ipſe eſſet dominus, ſuperior, aut vir magnæ auctoritatis, cui fœmina ob reuerentiam non audeat contradicere: ita docent Petr. Nauarra *lib. 2. de reſtitutione cap. 3. num. 45.* Ledeſma 2 *part. quæſt. 18. art. 2.* & Leſſius *tom. 1. de iuſtitia lib. 2. cap. 10. de iniurijs per ſtuprum dub. 2. num. 17.* quia ſecluſo hoc dolo preces crebræ, & repetitæ, & repetita etiam munuſcula voluntatem potius augent, quàm auferunt, vt optimè etiam animaduertit D. Thomas 1. 2. *quæſt. 6. artic. 7.* aliàs enim qui aſſiduis precibus, ac muneribus beneficium impetraret, iniuſtitiam committeret, & teneretur illud reſtituere, & mulier accipiens aliquid per crebras blanditias à ſuo amatore, teneretur illud reſtituere, & ille, qui precibus, & ſuaſionibus aliquem ad ludum traxit, teneretur ei ad reſtitutionem, quod non ita eſt; quare opus eſt, vt ad has preces accedat metus aliquis reuerentialis, vel timor, vel dolus, cùm alioquin hæ preces voluntatem augeant, non auferant.

Nauar.
Ledeſm.
Leſſius.

Fieri tamen poteſt, vt importunitas tanta ſit, vt ratione illius ſecluſo omni metu & fictione preces importunæ cenſeantur. v. c. ſi adeò importunè eam ſolicitet, vt malit ipſa detrimentum virginitatis pati, quàm ſic moleſtari illis precibus; ſed hoc rariſſimum erit, moleſtiam enim illam plerumque excutere poterunt fœminæ, concepta ira, & quia quamuis initio videantur repugnare, poſtea liberè conſentiunt, vt animaduertit Leſſius allegatus *num. 14.* Quare iuxta Menochium *de arbitrarijs queſtionibus, lib. 2 caſu 288. num. 10. ad finem, & caſu 420. num. 110.* & Cardinalem Tuſchum *concluſione 10. num. 2. volum. 7.* & Sancium *lib. 4. de matrim. diſput. 7. à num. 8.* illæ dicentur preces importunæ, ob quas aliquis magis vult in repetita conſentire, quàm talibus, & tam vehementibus precibus, & ſuaſionibus affligi, & moleſtari, in hoc enim caſu videtur conſenſus eligi tamquam minus malum reſpectu prædictarum precum, ac ſuaſionum. Sed quia fœminæ ſolicitatæ facilè (vt dixi) concepta ira eas preces poſſunt declinare, ac propellere, & quia aliquando ſolent eam afflictionem, & moleſtiam diſſimulare, cùm tamen liberè conſentiant, quando dentur, vel non dentur prædictæ preces, prudens iudex arbitrabitur, totum enim hoc negotium ex arbitrio illius pendet.

Si verò primò præcedant minæ aſperæ, & verbera, & poſtea tempore aliquo elapſo ſequantur blanditiæ, & preces, tales preces importunæ cenſentur, quia præſumitur tunc ſecutis blanditiis durare adhuc metus antecedens, vt optimè docet Bartolus *in l. fin. ff. ſi quis aliq. teſtar. probib.* Doctores *in l. 1. §. quæ oneranda, ff. quarum rerum act.* Phœbus *tomo 1. deciſ. 25. num. 9.* Menochius *conſil. 631. à num. 42.* & alij, quos *ibi* citat Phœbus, quem vide.

12. *Quid ſi quis virginē corrupit ſub ſpe matrimonij.*

Hactenus egimus de obligatione corruptoris, quando virginem corrumpit ſine vlla promiſſione, ſed quid ſi ſub ſpe, & promiſſione coniugij corrupit.

Dico in primis, ſi promiſit matrimonium, & ſub ea ſpe virginem deflorauit, etiam ſi fictè promiſiſſet, tenetur eam ducere, modò diſparitas tanta non ſit, vt contrarium ſuadeat; ita docent D. Thomas *in 4 diſtinct. 28 quæſt. vnica, art. 2. ad 4.* & Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 10. de iniurijs per ſtuprum, dub. 3. num. 2.* & Sanchez *lib. 1. de matrim. diſput. 10. num. 6. & 3.* Saytus *in claui regia lib. 11. cap. 1. de reſtitutione damni in bonis corp. num. 34.* Sotus *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 3. dub. vlt.* Nauarr. *in ſumma Latin. cap. 16. num. 18.* Ricard. *in 4. diſt. 28. art. 1. quæſt. 3. ad finem.* Paludanus *quæſt. 1. art. 2. concluſ. 4. & 5. num. 14.* D. Anton. 2. *part. tit. 5. cap. 6. §. 1.* Roſella *verb. matrimonium 4. n. 2.* Angel. *verb. ſtuprum, num. 1.* Syluester *verb. luxuria, quæſt. 5.* Tabiena *verb. reſtitutio, quæſt. 22. n. 23.* Armilla *ibi num. 22.* Victor *in ſumma de matrim. num. 266.* Ledeſma 2. *part. 4 quæſt. 18. art. 2. ante dubium 2. fol. 241. col. 1.* Veracrux 3. *part. ſpeculi, art. 19. concluſ. 5.* Corduba *in ſumma, quæſt 50. & lib. 1. quæſtionarij, quæſt. 13. dicto 2.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 11. num. 2.* Beja *in ſumma, caſu 18.* Ludouic. Lopez 1. *part. inſtructo. cap. 76. fol. 189. col. 1. edit. 2.* Rodriquez *in ſumma tom. 1. in 2. editione cap. 208. num. 8* Capua *lib. 2. deciſion. cap. 78. num. 3.* Spino *ſpecul. teſtam. gloſſ. 15. princ. num 73.* Probatur

D Thom.
Leſſius.

Primò, quia hæc promiſſio facta eſt per modum contractus, & cum ipſa ex parte ſua contractum, ſui copiam illi faciendo, impleuerit, tenetur ille ex iuſtitia ipſum contractum ex parte etiam ſua implere, prout externa verba ſonant, alioquin infinitis fraudibus humana commercia paterent.

Secundò, quia illa, ſecuta copula, acquiſiuit ius ad matrimonium futurum, vnde ſequitur non ſatis eſſe dotare eam, aut pecuniis damnum reficere ſi ipſa nolit acquieſcere, ſed teneri eam ducere, quia promiſſio facta fuit de corpore, & matrimonio, non de dote, nec de pecunia.

Dixi, *modò diſparitas tanta non ſit, vt contrarium ſuadeat*, vt ſi ipſa fœmina ſit pauperis agriculæ, aut mechanici filia, ille verò Nobilis, quia tunc non tenetur eam ducere, vt docet Sanchez citatus *num. 6.* Nauarr. *in cap. 16. num. 18.* D. Anton. 2 *part. tit. 5. cap. 6. §. 1.* Corduba *in quæſtionario lib. 1. quæſt. 13. dicto 1.* Capua *lib. 2. deciſion. aur. cap. 78. num. 6.* Rodriquez *tom. 1. ſummæ in 2. edit. cap. 208. num. 8. diſt...* 13.

13. *Si ſint diſpares nobilitate, vel diuitijs, quid?*

Nec item quando genere ſunt pares, illa verò pauper, & ille diues: ita Sanchez, & Nauarr. allegati, & Syluester *verb. Matrimonium 4. num. 8.* Veracruz 3. *part. ſpeculi, art. 19. concl. 3.* Cordub. *dubitatione 2.* Beia *caſu 18.* Lud. Lopez *num. ſuperiori allegatus, num. 14* quia in his caſibus ſi illa non ignorabat eam generis, aut diuitiarum diſparitatem, ſed optimè id ſciebat, probabiliter præſumi poteſt, ipſam ab eo non fuiſſe deceptam, ſed deceptam ſe finxiſſe, & ſic libenter, & ſponte conſenſiſſe.

Et idem dicendum eſt, vt ait Syluester allegatus, quoties aliunde aliud ſignum euidentis fraudis apparuerit, quia tunc facile illa poteſt ſuſpicari ficto animo ſibi nuptias ab eo fuiſſe promiſſas; vnde ſi conſenſit in ſui defloratione liberè, & ſponte conſentit, & fingit ſe fuiſſe deceptam; an verò teneatur in his caſibus deflorator eam ſaltem dotare, eſt dubium? Syluester citatus *num. 8.* expreſsè affirmat non teneri, & pro hac parte ſtant etiam D. Thom. *in 4. diſt. 28. art. 2. ad 4.* Leſſius citatus *num. 25.* Tabiena *verb. Matrimonium. 2. quæſt. 7.* Funius *verb. reſtitutio, num. 22.* & id ſupponunt

ponunt omnes Doctores allegati, & colligitur ex iis quæ diximus *num.* 1. quia perinde eſt tunc ac ſi liberè, & ſponte conſentiat vt de facto conſenſit.

Hæc in foro conſcientiæ, in foro tamen externo præcipiet iudex, vt eam dotet, & poſt ſententiam latam tenebitur eam dotare.

14. *Si diſparitas ignorata, quid.* Si tamen illa eam diſparitatem ignorabat, & nullam habuit externam cauſam ſuſpicandæ fraudis, tenebitur deflorator in conſcientia ipſam ducere; niſi velit dote acquieſcere; & ratio eſt, quia ille tenetur ex parte ſua implere contractum, ne detrimentum puella patiatur, ſecutâ enim copulâ acquiſiuit illa ius, quod poteſt vrgere, fuit enim pactum corpus pro corpore, & perſona pro perſona; quare illa nullam ei facit iniuriam promiſſum exigendo, & ius ſuum vrgendo, ita Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 10. *de iniuriis per ſtuprum, dub.* 3. *num.* 23. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſtitutione, cap.* 3. *à num.* 444. Sanchez ſtatim *num.* 16. allegandus.

Leſſius. Nauarr. Sanchez.

15. *Quid ſi cum alio rem habuit.* Similiter ſi contingat illam poſtea cum alio fornicari, non tenetur in conſcientia ſtuprator eam poſtea ducere, aut dotare, quamuis ſeriò nuptias promiſiſſet. ita Leſſius allegatus, & eſt communis *num.* 28 ratio eſt, quia in promiſſione ſponſalium hæc conditio ſimpliciter intelligebatur, ſcilicet, *ſi cum alio fornicata non fueris*, & ex vi ipſius promiſſionis ſolùm tenebatur eam ducere, & non dotare, nec aliter ſatisfacere, quæ obligatio ducendi extincta fuit per ſuperuenientem fornicationem, atque adeò culpa illius; & culpa nocet ei per quem fit, vt eſt communis doctrina.

16. *Si corrupta, quid.* Ruſus ſi dicenti ſe eſſe virginem promiſiſti nuptias, vt ea fruereris; & poſtea talem non inueniſti, non teneris ſtare promiſſis, aut eam ducere, ita Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 10. *num.* 10. Leſſius citatus *in* 1. *concluſ. num.* 29. Corduba *in ſumma quæſt.* 49. *& in quæſtionario, lib.* 1. *quæſt.* 13. *dicto* 3 Lud Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 76. *fol.* 190. *colum.* 1. Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt.* 45. *art.* 4. *dub.* 1. *ad confirmationem* 3. Rod *tom.* 1. *ſumma in* 2. *edit. cap.* 208. *num* 8. Probatur, quia hæc eſt vera cauſa diſſoluendi vera ſponſalia, deinde, quia fortè eam decepiſti, fictè promittendo; ita te illa viciſſim decepit, fictè fingendo ſe eſſe virginem, & ſic fiet compenſatio mutuæ iniuriæ ex vtraque parte.

Sanchez. Leſſius. Corduba. Lopez. Ledeſm. Rodrig.

17. An autem tenearis tunc ei aliquid reſtituere ratione copulæ, eſt dubium; cui ſic reſpondeo, ſi te decepit, fingendo ſe eſſe virginem, nihil ei teneris reſtituere; ita docet Sanchez allegatus *dicto num.* 11. & Leſſius item citatus; tantùm enim ex vi promiſſionis tenebaris ducere, niſi te deciperet, ſi virginem inueniſſes, & ipſa ſua deceptione cauſa fuit, vt ab ea obligatione eximereris. Si te non decepit, ſtatim dicemus *num. ſeq.*

18. Item ſi putabas illam eſſe virginem, & illa non affirmauit ſe eſſe virginem, ſed tacuit, & non te decepit, poſtea tamen in copula, aut alia via reperiſti, non eſſe talem, non teneris eam ducere, ſic Corduba *cit. lib.* 1. *quæſt.* 13. *dicto* 3. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *de iniur. per ſtuprum, dub.* 3. *num.* 30. Sanchez *cit. num.* 11. Et ratio eſt, quia illa cauſa ſufficiens eſt, abſoluendi ſponſalia, & quia communiter homines non ſolent ducere corruptas, & tua promiſſio quando aliter de tua intentione expreſsè non conſtat, intelligenda eſt ſecundùm communem vſum, & conſuetudinem promittendi hominum. An autem tunc tenearis ei dare aliquid, ratione copulæ? eſt dubium. Affirmat Corduba *cit.* & Rodriguez *tom.* 1. *ſummæ*. *in* 2. *edit. cap.* 28. *num.* 8. & videtur id ſupponere Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio*, *diſput.* 10. *num.* 11. quia illa non te decepit, nec iniuriam intulit, quæ compenſetur per ſimilem iniuriam. Sed verius credo, te ad nihilum ei teneri; quia ſi ſeriò promiſiſſes, putando eſſe virginem, & tamen poſtea non inueniſſes eſſe talem, non teneris eam ducere, ſed nec etiam eam dotare, nam ex vi promiſſionis ſolùm tenebaris eam ducere, quæ obligatio ceſſat, ſi virginem non inuenias, & ideo mihi videtur hæc opinio probabilior, quamuis alia ſuos habeat authores, quam probabilem etiam appellat Leſſius citatus.

Cordub. Leſſius. Sanchez.

19. *Si quis fictè promiſerit, quid.* Animaduerto tamen in omnibus caſibus, in quibus fictè promittens non tenetur fœminam ducere, poſſe illum tuta conſcientia iurare coram iudice eum ſub iuramento interrogante, an ei matrimonium promiſerit, ſe illud ei non promiſiſſe, quia ſenſus interrogationis eſt: *Promiſiſti huic fœminæ matrimonium, ita vt tenearis*; ac proinde verè reſpondet, *Non promiſi, ita vt tenear*, & ita docet expreſsè Sanchez *lib.* 1. *diſput.* 10. *de matrim. num.* 27. & Nauarr. *in cap. humanæ aures* 22. *q.* 5. *in* 1. *quæſtione finali*. Rodriguez *tom.* 1. *ſumma in* 2. *editione*, *cap.* 245. *num.* 12. & colligitur ex doctrina Couarr. *lib.* 5. *variarum cap.* 12. *num.* 4. & idem dicendum eſt iuxta Sancium, quoties aliquis à principio ſeriò promiſit matrimonium, quod non tenetur ob aliquam cauſam poſtea implere puta quia fœmina fornicata eſt, poteſt enim coram iudice iuramento rogatus negare promiſſionem illius, intelligendo: Non promiſi, ita vt tenear; quod non ſolùm verum eſt, quoties eſt certa cauſa non implendi, ſed etiam quoties iudicio prudentum probabile eſt non teneri, quia qui nititur opinioni probabili, poteſt ſe non obligatum exiſtimare, vt optimè animaduertit idem Sanchez *loco & num. allegato*.

Sanchez. Nauarr. Rodrig. Couar.

20. Dubium etiam eſt, an quando aliquis fictè promittit nuptias fœminæ, quam re vera ſciebat eſſe corruptam (modò non ſit vidua bonæ famæ) vt illius copulam aſſequatur, ea aſſecuta, teneatur eam ducere, ſi aliunde non ſint conditione diſpares, & hac de re partita eſt opinio.

Prima affirmat, quia fuit contractus ex vtraque parte oneroſus, nec eſt diſparitas inter contrahentes, nec fraus aliqua ex parte fœminæ interceſſit, & illa non aliter, nec alio modo conſentiret in tali copula, & ea ſecuta, acquiſiuit ius ad nuptias, & ad corpus alterius; fuit enim pactum corpus pro corpore, vt patet. Quare cùm contractus impletus ſit ex parte fœminæ, tenetur ille ex ſua illum implere: ita docent Paludanus *in* 4. *diſtinct.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 4. *num.* 14. Corduba *in ſumma*, *quæſt.* 49. Ludou. Lopez 1. *part. inſtruct. in* 2. *edit. cap.* 76. *fol.* 189. Rodriguez 1. *tom. ſummæ*, *in* 2. *edit. cap.* 208. falsò allegans Sotum, & Nauarrum. eſt probabilis iſta ſententia.

Palud. Cordub. Lopez. Rodrig.

21. Secunda tamen probabilior docet non teneri; eam docent expreſsè Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 10. *num.* 23. Sylueſter *verb. matrimonium* 4. *quæſt.* 8. quem citant aliqui pro iſta opinione; ſed verius pro alia citaretur. Paludanus *diſtinct.* 28. *quæſt.* 1. *art* 2. *concluſ.* 4. vbi ſupponit hanc non eſſe improbabilem, quamuis ille contrariam ſequatur. Henriquez etiam expreſsè *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 11. *num.* 2. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 77. *§. hinc emergit*. Veracrux 3. *part. ſpeculi*, *art.* 19. *concluſ.* 6. Et

Sanchez. Sylueſter. Henriq. Lopez. Veracrux.

Et fundamentum eſt, quia ducere corruptam, non eſt quid æquale valori copulæ habitæ cum corrupta, ſed longè maius; quare non tenebitur eam ducere, licèt fortè teneatur id aliter compenſare.

Eſt tamen prima ſententia vera, & omnino tenenda, quando eſſet vidua bonæ famæ, infamiæque labem ex ea copula contraheret, ob quam inepta matrimonio redderetur, quia non videtur poſſe aliter recompenſari tale damnum, ita docent Nauarr. *lib* 4. *conſiliorum, tit. de ſponſal.* in prima edit. *conſil.* 48. in ſecunda *conſil.* 7. Ludouic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 77. § *hinc etiam liquet.* Petrus de Ledeſma *de matrim. quaſt.* 45. *art.* 4. *dub.* 1. *in ſolut. ad confirm. tertij.*

Nauarr. Lopez. Ledeſma.

Veracrux. Vnde communiter reprobatur Veracrux 3. *p. ſpeculi art.* 19. *concluſ.* 6. aſſerens fictum promiſſorem non teneri ducere corruptam, cuiuſcunque conditionis ſit, tenetur enim, ſi vidua ſit famæ honeſtæ, iuxta omnes authores ſecundæ opinionis.

22. *An ficte promittens nuptias, teneatur ex iuſtitia ad illas.* Vltimum dubium eſt, an quando contrahentes ſunt æquales, aut quaſi æquales, parum enim pro nihilo reputatur, & non fuit copula ſecuta, nec vllum damnum præter violatam fidem ſequitur, & vnus fictè promiſit, & ſine intentione ſe obligandi; alter verò ſctiò, teneatur fictus promiſſor contrahere in conſcientiæ foro (dico *in conſcientia foro,*) quia in foro externo clarum eſt poſſe obligari, & poſt ſententiam latam ad id teneri, pauci affirmant, inter quos eſt Petrus de Ledeſma *de matrim. quaſt.* 43 *art.* 1. *dub.* 4. Fundamentum illius eſt, quia ille ex iuſtitia tenebatur adhibere verum conſenſum, quare violauit iuſtitiam ficto conſenſu; ergo vt iniuſtitiam auferat, tenetur habere verum conſenſum, & ſic tenetur ex iuſtitia contrahere, nec poterit dotare, aut pecuniis ſatisfacere, quia non ſatisfacit in ſpecie debita, & promiſſa.

Ledeſm.

Dicendum tamen eſt non teneri, quia reuera & coram Deo non ſe obligauit, & aliunde nullum damnum ſecutum eſt ex tali fictione, vt supponimus; ſolùm ergo peccatum illud iniuſtitiæ manſit in intentione quoad Deum, & coram Deo.

Exemplo res clara euadet. Si ego tibi fictè promitterem centum aureos ſi Romam peteres, & tu acceptaſſes illam promiſſionem, & antequam illos à me peteres, ego diſſoluo contractum, tibi nihil debeo, neque iniuſtitiam erga te committo; nam ratione promiſſionis nihil tibi debeo, quia ficta fuit; ratione iniuriæ nihil tibi etiam debeo, quia tu nihil mihi dediſti, nec amiſiſti, & ſic ſi peccaui contra iuſtitiam fuit quoad intentionem ficto conſenſu, quia non habuit effectum, cùm nullum damnum tibi inde ſequatur; ita docet Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, diſput.* 10. *num.* 26. Veracrux 3 *part. ſpeculi art.* 19. *concluſ.* 5. Corduba *in quaſtionario lib.* 1. *quaſt.* 13. *verſu ſecundum dictum,* Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 11. *num.* 2. *in commento littera L. & cap.* 3. *num.* 2. P. Molina *tom.* 2. *de iuſtit. tractat.* 2. *diſput.* 352. *fol.* 591. *ante verſiculum, illud eſt obſeruandum*; & hæc opinio fiet clarior apud illos, qui dicunt promiſſionem gratuitam & liberalem, etiam acceptatam, non obligare ex iuſtitia, ſed ex fidelitate: at tunc nec ex fidelitate obligabit, quando promittens nullam habuit intentionem ſe obligandi. Cætera vide apud Sancium allegatum.

Sanchez. Veracrux. Corduba. Henriq. P. Molina.

CAPVT VI.

De inceſtu, quatenus eſt tertia ſpecies luxuriæ. Quid ſit, quale peccatum, cuius fori, quas pœnas habeat, vſque ad quem gradum committatur.

SVMMARIVM.

Quid ſit inceſtus, quæ eius origo, vnde veniat vocabulum. num. 1.

Qui ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis iure naturæ, & Eccleſiaſtico, ita prohibiti, vt irritent matrimonia. num. 2.

An ſecundus gradus conſanguinitatis aſcendentium, & deſcendentium in recta linea irritet matrimonium, hoc eſt, inter auum, & neptem iure naturæ? refertur opinio affirmatiua. num. 3.

Refertur, & aſtruitur opinio aſſerens ſolum primum gradum conſanguinitatis inter matrem, & filium, & inter patrem, & filiam matrimonium irritare. num. 4.

Qui gradus de iure Eccleſiaſtico affinitatis, & conſanguinitatis matrimonium irritent. num. 5. & 6.

De iure naturæ ſolus primus gradus lineæ tranſuerſæ, hoc èſt, inter fratrem, & ſororem matrimonium irritat. num. 6.

Quid de ſecundo gradu lineæ tranſuerſæ, vt inter patruum, & filiam fratris, aut auunculum, & filiam ſororis, & inter materteram, & filium fratris, & inter amitam, & filium ſororis. num. 7. *Et quid in linea recta inter auum & neptem.* ibid.

An Sara fuerit vera vxor Abraham. num. 8.

Nulla affinitas ex copula fornicaria conſurgens iure naturali matrimonium irritat. num 9.

An affinitas in aliquo gradu iure naturæ irritet matrimonium: refertur prima opinio aſſerens ſolùm in primo gradu, vt inter nouercam, & priuignum in linea recta dirimere. num. 10.

Aſtruitur opinio aſſerens, non irritare. num. 11.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis. num. 12.

Contraria ſententia eſt valde probabilis. num. 13.

Quid dicendum ſit de primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ. num. 14. 15.

Iure naturæ non poteſt homo habere duas ſorores in vxores ſimul viuentes. num. 16.

Iacob duas habuit ex diſpenſatione diuina. num. 17.

Quid de gradibus affinitatis in lege veteri. num. 18.

Magis eſt contra ius naturæ vnam habere plures maritos, quàm vnum plures vxores. num. 19.

Quid importet clauſula appoſita in diſpenſatione inceſtus, vt ea mortua careat ſpe ducendi aliam. num. 20.

HIc non agemus ex profeſſo de inceſtu quatenus eſt impedimentum matrimonij, ſed quatenus eſt ſpecies luxuriæ, ne confundamus materias, & tractationes illarum; non prætermittemus tamen ea, quæ ad perfectam intelligentiam præſentis tractationis neceſſaria erunt. 1. *Inceſtus quid,*

Venit itaque hoc nomen inceſtus à vocabulo *ceſtus*, quod erat cingulum, ſeu cinctorium Veneris, quo, vt referunt Poëtæ, Venus Martem alligabat, ne alienos amaret amplexus, vt ex bonis authoribus *& vnde ſit.*

Sotus. Couar. thotibus refert Sotus *in 4. diſt. 37. quæſt. vnica, art.2. in principio*, & Couarr. *de ſponſal. 2. part. cap 6. §.8. num.1.* & ita accipitur à Iuriſconſulto *in l. ſororis 39. in fine, ff. de ritu nuptiarum*; vſus tamen, & conſuetudo Eccleſiæ obtinuit, vt peculiari nomine appelletur inceſtus coitus illicitus inter conſanguineos, vel affines. *Eſt igitur inceſtus illicita copula inter conſanguineos, vel affines, inter quos matrimonium exiſtere non poteſt*; ſeu, vt Theologi aſſerunt, *Eſt peccatum luxuriæ, & congreſſus cum conſanguinea, vel affine intra gradus prohibitos*, quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis & affinitatis contractæ ex copula matrimonij vſque ad quartum gradum, ex copula fornicaria vſque ad ſecundum tantùm, non tertium, vt patet expreſsè ex Concilio Tridentino *ſeſſione 24. cap.4. de Reformatione matrimonij.* Extra hos gradus peccatum erit luxuriæ commiſceri; at non inceſtus, ſed vel ſimpliciter fornicationis, vel ad alias luxuriæ ſpecies pertinebit, iuxta delicti qualitatem.

2. *Gradus conſanguinitatis & affinitatis qui irritant matrimonia.*

Ex his autem gradibus numeratis, & prohibitis non omnes ſunt iure naturali prohibiti, ſed quidam prohibiti iure naturæ, alij iure Eccleſiaſtico, & Canonico; omnes tamen dirimentes. Recole autem ex materia matrimonij, qui ſint gradus conſanguinitatis & affinitatis de iure naturæ, & Eccleſiaſtico prohibiti. conſtat enim apud omnes Sanchez. Doctores, vt docet Sanchez *lib.7. de matrimon. diſt.51. num.7.* in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ aſcendentium, & deſcendentium, vt inter patrem, & filiam, & inter filium, & matrem, matrimonium eſt irritum iure naturæ; ratio eſt, quia carnis copula, ad quam ordinatur matrimonium, habet coniunctam quandam naturalem turpitudinem pudendam, & fit cum quadam irreuerentia repugnante paternæ reuerentiæ iure naturali parentibus debitis; vnde *Leuitico* 18. dicitur: *turpitudinem matris tuæ, vel patris tui, ne diſcooperias, nec reueles; mater enim tua eſt.* Deinde, quia cùm iure naturali ſubiectio parentibus debeatur, & è contrario per matrimonium alter alteri ad inuicem ſint obligati, iuxta Apoſtolum 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier, & iterum reuertimini ad inuicem*, &c. Videtur hoc priori iuri ſubiectionis repugnare, & multo magis ſi filius matrem duceret, cùm vir caput ſit mulieris, ſuperiorque illa fiat; & denique, quia eſt naturalis horror omnium gentium, & interdum belluarum circa huiuſmodi coitus, & coniunctiones.

3. *An ſecundus gradus conſanguinitatis aſcendentium & deſcendentium in recta linea irritet matrimonium.*

Olim in lege vetere *Leuitico* 18. vetabatur non ſolùm primus, ſed etiam ſecundus conſanguinitatis gradus inter aſcendentes, & deſcendentes in linea recta, vt parentum cum filiis, & auorum cum nepotibus, quia tamen in lege Euangelica nulla de hoc habetur diſpoſitio, & vetus ceſſauit, conſentiunt omnes Doctores in dicto primo gradu lineæ rectæ, hoc eſt, inter filios & parentes, eſſe matrimonium iure naturæ irritum. An etiam ſic in ſecundo inter auum, & nepotem, ſub iudice lis eſt; nam quidam affirmant matrimonium in recta linea aſcendentium, & deſcendentium iure naturæ eſſe irritum in quocumque gradu vſque in infinitum; vnde colligunt Enoch, cùm redierit, cum nulla poſſe fœmina validè contrahere, cùm omnes ab eo per Noëmum deſcendant, & eorum opinio eſt probabilis, & ratio illorum eſt, quia omnibus aſcendentibus, vt auis, proauis, attauis, &c. quaſi parentibus deſcendentes naturalem reuerentiam, & ſubiectionem debent, cui actus coniugales multum præiudicant; nam deſcendentes, quantumuis longiſſimè diſtent, filij aſcendentium dicuntur, vt Chriſtus filius Dauid, & Abrahæ; deinde, quia maior coniunctio, & neceſſitudo videtur intercedere inter eos, quorum vnus ab alio deſcendit etiam remotiſſimè, quàm inter duos, quorum neuter ab alio, ſed vterque à quodam tertio venit, vt ſunt duo fratres: at matrimonium inter fratrem, & ſororem iure naturæ eſt irritum; ergo & inter omnes aſcendentes, & deſcendentes, etiamſi hi ab illis remotiſſimè diſtent. Hæc opinio eſt ſatis probabilis; eam docent D. Antonin. *3. part. titulo 1. cap. 14 §.2.* D. Anton. Victoria *in ſumma de matrimon. num.295.* Tolet. Toletus *lib. 7. ſumma cap. 5. ad finem.* Vaſq. Vaſquez *1. 2. quæſt. 74. art.8. diſp. 112. num. 7.* Viuald. Viuald. *in candelabr. 1. part.* vbi de matrim. *num.193.* & alij multi, quos citat, ſed non ſequitur Sanchez *lib.3. de matrim. diſp.51. num.12.* Sanch.

4. *Solum primũ gradum conſanguinitatis irritare matrimonium.*

Alij, & eſt ſecunda opinio, nullum gradum in iure naturæ in recta linea prohibitum eſſe, & matrimonium irritare præter primum matris cum filio, aut filiæ cum patre arbitrantur; ita Caietanus *2. 2. quæſt. 154. art. 9. & opuſculo de matrimon. Regis Angliæ ad Clementem VII.* & Sanch. Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſput. 51. num. 19.* Palud. Paludanus *in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 4. ad finem, num. 54.* Ledeſma. Ledeſma *1. 4. quæſt. 56. art. 4. colum. 3. propoſitione 1. & 2.* Rodrig. Rodriguez *in ſumma verb. Matrimonium*, vbi de impedimentis dirimentibus, *num. 4. verſu, Cum parentibus.* Veracruz. Veracruz *1. part. ſpeculi, art. 43. concluſ. 1.* & clariùs *concluſ. vlt.* Llamas. Llamas *in method. 3. part. cap. 8. §. 19.* & alij, quos citat, ac ſequitur Sanchez *dict. num. 19.* Vnde infert (& bene) Sanchez infideles matrimonio coniunctos cum quocumque aſcendẽte dempris patre, & matre, dummodo non contra leges ſuas, vel conſuetudines matrimonium irritantes illud inierint, ad fidem conuerſos non eſſe ſeparandos, quia in lege naturæ, qua ſolæ aſtringebantur, & iuxta leges ſuas patrias contractus matrimonij erat validus; non negant tamen in aliis gradibus remotioribus præter hunc primum, matrimonium hoc dici modo aliquo contra ius naturæ, quando non intercedit aliqua cauſa iuſta contrahendi, quia indecentiam quandam naturalem præſeferre videtur, quæ requirit cauſam iuſtam, qua cohoneſtetur; fundamentum horum Doctorum, & iſtius opinionis eſt, quia aui, proaui, attaui, & cæteri aſcendentes non ſunt principium nepotum immediatum, & per ſe, ſed mediantibus filiis, & per accidens, nec illi dicuntur propriè patres, ſed per accidens; ad rationem enim filij ſolùm requiritur, vt à patre originem trahat, & per accidens eſt, vt illius pater alium patrem habeat, filij enim Adami caruerunt auo, & tamen veri filij fuerunt, vnde reuerentia debita auis, & proauis, non eſt debita per ſe, ſed per accidens; reuerentia verò debita patri eſt debita per ſe tanquam principio coniuncto, à quo filius & eſſe, & naturam accepit; deinde, quia ratio conſanguinitatis eo debilior eſt, quo magis recedit à ſuo principio coniuncto, à quo filius eſſe, & naturam accepit; vnde in auis, & proauis iam tantum diſtat, quantum ſufficit, vt iure naturæ non irritetur matrimonium, non ita verò inter fratres, quia quamuis vnus ab alio non procedat,

procedunt tamen immediatè ab eodem patre, & principio, & eſt veluti eadem ipſa natura in vtroque immediatè, eadémque ratio: at ratio conſanguinitatis in auo, & nepotibus eſt per accidens, & mediante patre, & mirum eſt hanc participationem conſanguinitatis durare in tam remotiſſimis fœminis deſcendentibus ab Enocho, vt cum nulla poſſit validè contrahere, cùm redierit, vt dicebat opinio contraria.

5. *Gradus qui de iure Eccleſiaſtico affinitatis, & conſanguinitatis irritent matrimonii.*

Hæc de iure naturæ. nam de iure Eccleſiaſtico prohibetur & irritum eſt matrimonium contractum inter gradus conſanguinitatis, & affinitatis contractæ ex copula licita matrimonij vſque ad quartum gradum; ex copula verò illicita, & extra matrimonium vſque ad ſecundum tantùm, vt ſæpè diximus; & ideo matrimonium contractum extra hos gradus conſanguinitatis, & affinitatis valet, ſic Concil. Trident. *ſeſſione 24. de Reformat. & cap. non debet, de conſanguinit.* & Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 51. num. 22.* Hactenus de gradibus lineæ rectæ, nunc de gradibus lineæ tranſuerſæ.

6. *De iure naturæ ſolus primus gradus lineæ tranſuerſæ matrimonii irritat.* Sanchez. Caſtro. Caiet.

De iure ergo naturæ idem dicendum eſt in linea tranſuerſa, quod dictum manet in recta, & ſic ſolus primus gradus conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, id eſt, inter fratrem, & ſororem, irritat matrimonium; in cæteris verò gradibus collateralibus præter iſtum primum, non ita prohibetur, vt ſit de iure naturæ irritum; hanc probat egregiè Sanchez *de matrimonio, lib 7. diſput. 52. num. 11.* Caſtro *lib. 1. de lege pœnali cap. vltim.* Caietan. 2. 2. *quæſt. 154. art. 9. & opuſculo de matrimonio Regis Angliæ, ad Clementem VII.* Cæteros vide apud Sanctium, vbi ſatis plurimos refert, & deducitur ex dictis, ſi enim ſolus primus gradus lineæ rectæ inter filiam, & patrem matrimonium iure naturæ irritat, vt diximus, conſequens eſt, vt in linea tranſuerſa non vltrà extendatur, cùm maior coniunctio illius ſit lineæ, quàm iſtius, aut ſaltem intimior. Vnde etiam ſequitur infideles matrimonio coniunctos extra hunc primum gradum tranſuerſæ lineæ, ad fidem conuerſos, non eſſe ſeparandos, quia non contraxerunt contra ius naturæ, vt habetur *in cap. gaudemus, de diuortijs.*

7. *Quid de ſecundo gradu lineæ tranſuerſæ.*

Etſi verò ſtando in primæuo, & rigoroſo iure naturæ ſolùm in primo gradu conſanguinitatis vtriuſque lineæ rectæ, & tranſuerſæ irritum ſit matrimonium, & extra illud non ſit; tamen inter patruum, & filiam fratris, & inter auunculum, & filiam ſororis, & inter amitam, materteràmve, & filium fratris, in ſecundo gradu lineæ tranſuerſæ, & multo maiori cum ratione inter auum & proauum, & neptem; qui eſt ſecundus gradus lineæ rectæ, talis inhoneſtas, & turpitudo apparet, vt non niſi ex graui cauſa poſſit Summus Pontifex diſpenſare cum illis, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſput. 52. num. 11.* Toletus *lib. 7. ſumma cap. 7. num. 2.* Viualdus *1. part.* vbi de matrimonio, *num. 192. in candelabr. aur.* Couar. *in 4. decretalium 2 part. cap. 6. §. 10. num. 5. & 9.* Bellarminus *lib. 1. de matrimonio cap. 28. ſtatim in principio, §. quartum eſt.* Et denique id patet ex Concil. Trident. *ſeſſione 24. de matrimonio cap. 5. ad finem.* ibi, *In ſecundo autem gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*; & non diſtinguit de gradu recto, ac tranſuerſo. Quare de vtroque intelligitur; & paſſim videmus Pontificias diſpenſationes in hoc ſecundo gradu lineæ rectæ, & tranſuerſalis in linea æquali ex vtroque latere, & in æquali ex vno tantùm, vt inter patruum, & filiam ſororis, & inter materteram, & filium fratris, ſiue frater ſit ex vtroque, ſiue ex vno tantùm latere, vel parente, & hoc quidem non ſolùm inter nobiliſſimos viros, & magnos Principes, ſed etiam inter ordinariè nobiles: nam ego vidi diſpenſationem quandam inter materteram, & ſobrinum filium fratris, ex vno tantùm parente, & erant perſonæ nobiles ex primaria nobilitate ſui oppidi, non tamen magni Principes, & quod magis eſt, cum expreſſione copulæ præhabitæ; & ſcio aliam fuiſſe viſam eiuſdem generis Olyſipone inter perſonas mediocriter nobiles, cuius tenor fuit præſentatus Summo Pontifici, vt diſpenſationem illam faciliùs concederet.

Et quid in linea recta inter auum & neptem. Sanchez. Tolet. Viuald. Couar. Bellarm.

8. *An Sara fuerit verè vxor Abrahæ.*

Nec contra hanc reſolutionem obſtat, quòd Abraham duxerit in vxorem propriam ſororem Saram, iuxta illud ſacræ Paginæ, *verè ſoror mea eſt*; quia vel ex diſpenſatione Dei contraxerunt in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, vt vult Clemens Alexandrinus *2. ſtromat. ad initium*, vel, quod magis credo, non fuit ipſius germana ſoror, ſed filia Aram fratris ipſius Abrahami germana Loth; & dicitur ſoror, non ſecus ac Loth dicitur eius frater, *Geneſeos 13.* & dum dixit, *filia patris mei es*, ideo dixit, quia neptis, ſeu ſobrina: filiæ enim de more ſacræ Scripturæ ſobrinæ appellantur; quod verò etiam Abraham addidit, *& non matris meæ*, indicat ipſum Aram non fuiſſe ſibi fratrem vterinum, ſed ex alia matre ſuſceptum à Thare patre vtriuſque, & hanc ſententiam tenet Ioſeph. *lib. 1. antiquitatum, cap. 14.* & D. Auguſtinus *lib. 16. de ciuitate Dei cap. 12.*

9. *Nulla affinitas ex copula fornicaria conſurgens iure naturali matrimonii irritat.*

Egimus hactenus de gradibus conſanguinitatis iure naturali matrimonium irritantibus, & diximus ſolo in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, & tranſuerſæ matrimonium eſſe iure naturæ irritum. Nunc videndum eſt, an aliquis gradus affinitatis in linea recta etiam, & tranſuerſa ſit ita iure naturæ prohibitus, vt eo attento & conſiderato, connubium ſit inualidum; & hac de re certiſſima eſt reſolutio, quæ ita docet, quando affinitas oritur ex copula fornicaria, ſeu extra matrimonium habita, in nullo cuiuſque lineæ gradu, ſiue rectæ, ſiue tranſuerſæ, matrimonium iure naturæ eſt irritum; & ratio eſt, quia hæc affinitas ex ſolo iure Eccleſiaſtico conſurgit, & non à iure naturæ; ita docet Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſput. 65. num. 9. & diſput. 66. num. 3.* Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt. 55. art. 6. difficult. 2. concluſ. 3.* Nauarrus *lib. 4. conſiliorum in editione prima, tit. de ſponſalib. conſil. 7. num. 3. in 2. edit. in 2. tit. de conſanguinitate, conſil. 12. num. 3. 4. & 5.* Victoria *in ſumma*, vbi de matrimonio, *num. 296.* Henriquez *lib. 12. de matrimonio cap... num. 2.* Cæteros vide apud iſtos, multos enim citat Sanchez & Henriquez. Ratio eſt, quia filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reuerentiam fœminæ extra legitimum matrimonium à ſuo patre cognitæ, imò inclinatur ad eam perſequendam, nam odia veluti deprauatæ naturæ ſponte prorumpunt.

Sanchez. Ledeſm. Nauarr. Victoria. Henriq.

10. *An affinitas in aliquo gradu iure naturæ irritet matrimonium.*

Difficultas ergo in eo ſita eſt, an affinitas dirimat matrimonium iure naturæ quando oritur ex copula matrimoniali, & in quo, in primo ne, an in ſecundo, an in tertio, vel in quarto gradu, & hac de re duplex eſt opinio.

Opinio prima.

Prima docet ſolo in primo gradu affinitatis lineæ

lineæ rectæ irritum, ac prohibitum eſſe matrimonium iure naturæ, vt inter priuignum, & nouercam, aut inter vitricum, & priuignam; hanc tenent multi & grauiſſimi Doctores, quos citat, ſed non ſequitur, Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 66. num. 6.* Paludanus *in 4. diſtinct. 41. art. 5. concluſ. 2. num. 27.* D. Anton. *3 part. tit. 1. cap. 11. §. 1. initio.* Syluester *verb. matrimonium 8. quæſt. 15. dicto 6. & verb. Papa, quæſt. 17.* Couar. *in 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 6.* Sotus *in lib. 1. de matrim. cap. 28. notabili 2.* Valentia *4 part. diſput. 10. quæſt. 5. puncto 3.* & multi alij, quos videre poteris apud Sancium allegatum: & magnum præſidium habet hæc opinio,

Sanchez. Paludan. D. Anton. Syluest. Couar. Sotus. Vaſquez. Bellarm. Valent.

Primò in illo Pauli 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat;* ſi ergo Gentiles legem Moſaïcam non ſequentes loco naturæ ductu putabant nefas eſſe nouercam ſuam ducere, aut cognoſcere, id quidem eodem iure interdictum erit.

Secundò in illo Geneſeos 49. *Ruben primogenitus meus*, &c. vbi maledictionem impertiuit Iacob Ruben primogenito ſuo, quòd cum nouerca ſua vxore patentis ſui dormierit, & ſenilem thorum macularit; cùm tamen aliis filiis grauioribus ſceleribus infectis eam non impertiuerit; ſignum ergo euidens eſt, eum concubitum habere ſpecialem deformitatem iure naturæ aduersùs reuerentiam patri debitam, & *Amos 2.* inter alia nefanda ſcelera, ob quæ Deus populum illum ſeuerè admodum puniebat, præcipuum eſt, quòd pater, & filius cum maximo ſcandalo Gentilium cum eadem puella concubuerint: ſi ergo Gentiles inde ſcandalizabantur, ſignum profectò eſt, ſpectato ſolo lumine ac iure naturæ peccatum illud ipſi naturæ iuri aduerſari.

Tertiò ratione probatur, quia eo modo abſtinendum eſt ab affinibus, quo abſtinemus à conſanguineis, *cap. 1. de conſanguinitate, & cap. æqualiter 35. quæſt. 3.* Sed primus gradus conſanguinitatis iuxta omnes irritat matrimonium iure naturæ; ergo & primus gradus affinitatis illud irritabit, nam filius eandem ferè reuerentiam debet nouercæ, & vitrico, quam parentibus; cùm pater, & nouerca, vitricus, & mater per copulam matrimonialem facti ſint vna caro; & nurus ſocero ſuo eandem debet reuerentiam, quam debet ipſius vir, qui eſt filius ſui ſoceri, cum ipſa, & vir eius facti etiam ſint vna caro. Demum, quia nunquam hactenus viſum eſt in Eccleſia, vt Summus Pontifex diſpenſarit in hoc affinitatis gradu; ergo ſignum eſt illum eſſe in iure naturæ prohibitum, & denique huic opinioni fauet D. Auguſtinus *lib. 12. contra Fauſtum, cap. 61* relatus *in cap. ſi vir & uxor, 35. quæſt. 3.* vbi ſic ait: *Si vir & vxor non duo, ſed vna caro ſint, non aliter eſt nurus deputanda, quàm filia;* & valde probabilis eſt hæc ſententia.

11. *Aſtruitur opinio aſſerēs, non irritare.*

Secunda tamen probabilior docet affinitatem ex matrimonio ortam, in nullo gradu lineæ rectæ matrimonium irritare, ſolo iure naturæ ſpectato; ac proinde ſecluſo iure Eccleſiaſtico in quocumque gradu affinitatis, etiamſi ſit primus, matrimonium contrahatur, eo iure eſſe validum. Hanc ſententiam videtur habere D. Thom. 2. 2. *quæſt. 154. art. 9. in ſolutione ad tertium*, vbi inter ſolos parentes, & filios apertè dicit, iure naturæ prohibitum eſſe matrimonium; tenet expreſsè Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 66. num. 7.* Alenſis *2. part. quæſt. 169. in 2. & 3. part. quæſt. 27. in 4. art. 3. §. 2.* Caietanus *2. 2. quæſt. 154. artic. 9. circa ſolutionem ad tertium.* Abulenſis *lib. 1. Regum cap. 8. quæſt. 176. 149. 151. 152.* Henriquez *lib. 12. de matrimonio cap. 1. num. 2. & in cap. 9. num. 5.* Loazes *de matrimonio Regis Angliæ, dub. 2. in ſolutione ad ſecundum fundamentum partis negantis, à num. 1. vſque ad 19.* Armilla *verb. diſpenſare, num. 9. & 10.* Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 56. art. 3. dub. concluſione 1.* Veracrux *2. part. ſpeculi art. 25. concluſ. 3.* Saa *verb. matrimonium*, vbi de impedimentis dirimentibus, *num. 4.* & alij, quos citat Sanctius, ex quo deducitur retenta hac opinione infideles baptizatos, & ad fidem conuerſos matrimonio copulatos in hoc primo affinitatis gradu lineæ rectæ non eſſe ſeparandos, niſi legibus, aut conſuetudinibus eorum matrimonium irritetur; quia iure naturæ non eſt irritum, ſed ſolo Eccleſiaſtico, cui ipſi ante Baptiſmum non ſubduntur. Probatur ergo hæc opinio

D. Thom. Sanchez. Alenſis. Caietan. Abul. Henriq. Loazes. Armilla. Ledeſma. Veracrux. Sà.

Primò, quia 3. *Regum* 2. Adonias filius Dauid petiit Abiſac Sunamitidem nouercam ſuam in vxorem, quæ quidem fuerat vxor Dauid parentis ſui, vt expreſsè conſtat ex *2. Regum cap. vltim.* ſignum ergo eſt id matrimonium non eſſe iure naturæ irritum.

Secundò, quia matrimonium hoc nullo modo, nec primariò, nec ſecundariò opponitur ipſius matrimonij fini, cùm poſſit ordinari ad liberorum procreationem, ad remedium concupiſcentiæ, ad fouendum mutuum amorem, & ad domeſticum domus, & familiæ regimen, nec in eo violatur naturalis reuerentia erga patrem, non enim datur aliqua relatio ſuperioritatis, vel in nouerca reſpectu priuigni, vel in vitrico reſpectu priuignæ, vt aduerſetur huic reuerentiæ de iure naturali debitæ; nam relatio ſuperioritatis fundatur in illis tantùm perſonis, quæ dant, & accipiunt eſſe naturale per naturalem generationem, quales ſunt veri patres, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ, veluti vitricus, & nouerca.

Nec fundamenta primæ opinionis multum vrgent. 12.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis.

Ad primum enim dicimus D. Paulum loqui de vxore patris adhuc viuentis, & nolentis, vt teſtatur Caietanus, & Sedulius, & Patres communiter ad eum locum; aliàs non dixiſſet Paulus tale peccatum nunquam eſſe auditum inter Gentiles, cùm Seleucus tradidiſſet filio ſuo Antiocho Stratonidem propriam vxorem in matrimonium, vt refert Plutarchus *in vita Demetrij*, & Valerius Maximus *lib. 5. cap. 7.* & ille volente patre adhuc viuo eam in vxorem duxiſſet.

Ad ſecundum dic peccatum Ruben fuiſſe grauiſſimum, & contra ius naturæ, quia fuit peccatum adulterij, & ideo multis maledictionibus cumulatum fuiſſe à patre, propter adulterium iuri naturæ contrarium, quamuis eo iure attento, & conſiderato, non eſſet inceſtus, & eodem modo reſpondendum eſt ad locum Amos, propter adulterium enim, quod erat maximum ſcandalum Gentilibus, id peccatum exaggerauit Amos.

Ad tertium dices iure Eccleſiaſtico attento & conſiderato, eodem modo abſtinendum eſſe à nuptiis in gradibus affinitatis prohibitis, atque in gradibus conſanguinitatis, non attento iure naturali. Ad confirmationem dic, non eandem

reuerentiam debere priuignum nouercæ, aut priuignam vitrico, quam debet verus filius matri, & vera filia parenti ſuo, cùm reuerentia filiorum in patres ſit iure naturæ debita, & fundata in coniunctione ſanguinis, & participatione ſubſtantiæ communicatæ per veram generationem. reuerentia verò debita nouercis, & vitricis ſit fundata in reſpectu quodam politico, & externo, vnde illa naturalis, hæc politica dici ſolet.

Ad D. Auguſtinum reſpondebis iure Eccleſiaſtico ſpectato priuignam filiam eſſe putandam, & nouercam matrem, & nurum filiam; non verò iure naturali.

13. *Contraria ſententia eſt valdè probabilis.* Non eſt tamen negandum contrariam ſententiam eſſe valde probabilem, & habere indecentiam maximam huiuſmodi matrimonia, ſpectato iure naturæ, niſi cauſa aliqua iuſta eam indecentiam cohoneſtet, nam tam iuſta poteſt eſſe cauſa, iure naturali ſpectato, vt decentia ipſius cauſæ præponderet indecentiæ partis aduerſæ, & conuenientiæ iſtius, illius vincat inconuenientiam; quod iudex prudens arbitrabitur; & ideo adhuc noluerunt Pontifices in hoc gradu diſpenſare, quia noluerunt hoc ferre iudicium, non quia ita ſit iure naturæ vetitum tale matrimonium, vt eo ſpectato ſit irritum, vt optimè animaduertit Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 66. num. 9. fine.*

14. *De primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ quid. Sententia prima.* Ex dictis deducitur, quid dicendum ſit in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ: nam hac etiam de re duplex eſt ſententia.

Prima docet, primum gradum huius affinitatis iure naturæ irritare matrimonia, & ſic eo iure ſpectato irritum eſſe matrimonium, quo quis duceret vxorem fratris ſui, eo demortuo, aut ſi fœmina nuberet viro ſororis ſuæ, ſorore demortua, quia hoc matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ tranſuerſæ continetur, & rationes, & Authores ſunt ferè omnes quos citauimus, & fecimus pro prima opinione *num.* 11. explicata: nam inter fratrem, & ſororem ſpectato iure naturæ matrimonium eſt irritum, vt probauimus *num.* 6. & vxor fratris reputatur, ac ſoror; quia per matrimonium effecta eſt vna caro cum fratre; ſed hoc argumentum iam ſolutum eſt, reputatur enim pro ſorore, & effecta eſt vna caro cum fratre non verè, & propriè, ſed conſiderato iure Eccleſiaſtico, non naturæ.

Additur etiam pro hac parte, quia D. Ioannes Baptiſta *Marci 6. & Matthæi* 14. vehementer excanduit in Herodem, quòd vxorem fratris ſui duxiſſet: at ad hoc etiam reſpondetur Herodem viuente fratre ſuo Philippo, vxorem illius contra omne ius duxiſſe, vt teſtatur D. Thomas *in hunc locum*, & Beda *in locum Marci 6.* & Ioſeph. *lib. 18. antiquitatum cap. 6.* vel certè dicendum eſt Herodem tanquam filium cuiuſdam Iudæi obſtrictum fuiſſe legi Moyſi, quæ tunc nondum expirauerat, & id matrimonium vetabat, viuente fratre, vel emortuo, ſi liberos reliquiſſet, vt Philippus reliquerat. nam, vt patet ex *Deuteronom.* 25. mortuo fratre ſine liberis, poterat eius frater accipere vxorem defuncti fratris in vxorem ad ſuſcitandum ſemen, ac genus fratris, & ſimiliter mortua vxore ſine liberis, poterat maritus defunctæ accipere ſororem illius in vxorem, iuxta illud Leuitici 18. *Sororem vxoris ſuæ in pellicatu illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc ea viuente*; vbi indicatur poſt mortem non

D. Thom.
Beda.
Ioſeph.

eſſe impedimentum, vt optimè animaduertit Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 4. de ſpeciebus luxuriæ, cap. 3. dub. 11. num. 77. ad finem.* Leſſius.

15. *Sententia ſecunda.* Secunda ergo ſententia verior docet nullum gradum affinitatis (nec primum etiam) lineæ tranſuerſæ iure naturæ matrimonium irritare; quamuis aliquam habeat naturalem indecentiam, quæ oporteat cauſa iuſta cohoneſtari; hunc tenent viri doctiſſimi; qui varios tractatus edidere in fauorem matrimonij Catherinæ Reginæ Angliæ cum Henrico VIII. qui Rex contendebat matrimonium ſuum cum Regina, fuiſſe naturæ iure inualidum, nec potuiſſe Summum Pontificem diſpenſare, eo quòd Regina priùs nupſiſſet fratri ipſius Henrici; & matrimonium cum duobus fratribus ſit iure naturæ irritum: Regina verò aſſerebat ſe priùs matrimonio fuiſſe copulatam cum Eduardo fratre ipſius Henrici, ex quo nullum filium ſuſceperat, & poſtea diſpenſante Iulio II. ipſi Henrico nupſiſſe, & ideo matrimonium fuiſſe validum, quia Summus Pontifex poterat licitè, & validè in primo gradu affinitatis lineæ tranſuerſæ diſpenſare; & iudicatum fuit pro Regina in Curia Romana; expreſsè etiam tenet hanc opinionem Caietanus *tom. 1. opuſculor. tract.* 13. & *tract.* 14. *de coniugio Regis Angliæ, ad Clementem VII.* Victoria *in relect. de matrimonio 2. part. partis ſecundæ, num. 6. & 8.* Couarr. *in 4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 7. 8. 9. & 10.* Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 56. *art.* 4. *fol. mihi* 488. *column.* 1. Bellarmin. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 28. *notabili 2. ſtatim in principio capitis.* Valentia 4. *part. diſputat.* 10. *quæſtion.* 5. *puncto* 3. *verſu, in aliis autem gradibus*, Sotus *in 4. diſt.* 41. *quæſtion. vnica, art. 3. concluſ.* 2. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 66. num.* 11. Barthol. Ledeſma *de matrimonio, quæſt. 55. art. 6. difficultate* 3. Lud. Lopez 2. *part. inſtructorij, cap. 50. fol.* 1148. Rodrig. *tom. 1. ſumma in 2. edit. cap. 228. num.* 3.

Caiet.
Victor.
Couar.
Ledeſma.
Bellarm.
Valentia.
Sotus.
Sanchez.
Barthol.
Ledeſm.
Lopez.
Rodrig.

Probatur primò, ex multis diſpenſationibus, quæ à Sede Apoſtolica ſuper hanc rem emanarunt. nam Innocentius III. *in cap. finali, de diuortiis*, cum omnibus infidelibus recenter conuerſis diſpenſauit, vt vtantur matrimoniis contractis cum relictis vxoribus à fratribus, iis demortuis. Alexander VI. cum Rege Emanuele Luſitaniæ in eodem gradu diſpenſauit; is enim duas ſorores ſucceſſiuè, vnam poſt obitum alterius, Regis Caſtellæ filias in vxores duxit, conſummato matrimonio cum prima, ex illa tamen liberos non ſuſcipiente, referente Caietano 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 9 Iulius ſecundus diſpenſauit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, vt contraheret cum Catherina relicta à fratre ſuo demortuo, cum quo matrimonium conſummauerat, iuxta Caietanum allegatum, quam diſpenſationem legitimam fuiſſe confirmauit poſtea Clemens VII. conſultis totius orbis Vniuerſitatibus, & Iureconſultis famoſiſſimis, quod decretum refert ad integrum Caſtro *lib. 1. de lege pœnali, cap.* 12.

Probatur ſecundò, quia Iacob vir ſanctiſſimus duxit Liam, & Rachel ſorores ambas in vxores ſimul viuentes, *Geneſeos* 29. Iudas dedit eidem mulieri duos fratres in viros, vnum poſt obitum alterius, *Geneſeos* 38. & ex præſcripto legis Moſaicæ, *Deut. 17. n.* 17. Mortuo ſine liberis fratre poterat viuus frater in vxorem ducere vxorem fratris.

Tertiò rationibus.

Primò,

Primò, quia arctius eſt vinculum inter conſanguineos in ſecundo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, quàm inter affines in primo gradu eiuſdem lineæ, illi enim ab intrinſeco, & vnione naturali, iſti ab extrinſeco, & vnione voluntaria coniuncti ſunt illi vnione immediata, iſti mediata; ſed ſecundus gradus conſanguinitatis non irritat matrimonium iure naturæ, vt patet ex *cap. gaudemus, de diuort.* ergo neque irritabit primus affinitatis lineæ tranſuerſæ.

Secundò, quia omnes rationes, quibus probauimus *num.* 11. primum gradum affinitatis in linea recta non irritare matrimonium iure naturæ, conſequenter, & à fortiori probant, nec etiam in linea tranſuerſa illud irritare.

16. *Non poteſt homo habere duas vxores ſimul viuentes iure naturæ.*

Obiicies, ſi primus gradus affinitatis tam in linea recta, quàm tranſuerſa conſiderato iure naturæ non irritat matrimonium, ſequitur in eodem iure poſſe vnum habere duas ſorores, & vnam duos fratres in viros ſimul viuentes, qui eſt primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa; & quod magis eſt, poſſe nouercam contrahere cum patre, & priuigno ſimul, & ſic habere patrem, & filium in marito, vtrumque viuentem, & poſſe vitricum matrem, & priuignum ducere viuentes ſimul, qui eſt primus gradus eiuſdem affinitatis in linea recta. At hoc abſurdum horrent profectò Chriſtianæ aures audire? Reſpondeo abſolutè loquendo, hoc non ſequi ſpectato iure naturæ; nam, vt diximus *num.* 13. ſemper in huiuſmodi matrimonis datur iure naturali quædam indecentia, & inhoneſtas contra finem ipſius matrimonij ſaltem ſecundariò, quæ niſi decentia aliqua, & honeſtate graui ex alia parte cohoneſtetur, matrimonia hæc irrita manebunt; oportet enim, vt decentia, & honeſtas cauſæ, quæ datur ad contrahendum, talis ſit iure naturali ſpectato, vt vincat indecentiam, & inhoneſtatem illam, quæ eodem iure talibus matrimoniis ineſt, alioquin eodem iure irrita manebunt. nam licèt ſecundùm aliquam conſiderationem iuris naturalis præfatæ conſequentiæ ſequantur, tamen in tota latitudine illius non ſequuntur; iudex autem legitimus decentiæ, & honeſtatis ex parte cauſæ ad contrahendum allegatæ in huiuſmodi gradibus ſolus Summus Pontifex eſſe poteſt, & adhuc nullus Pontifex diſpenſauit cum aliquo, nec Rege, aut Imperatore, vt vna viuente ſorore alteram duceret in vxorem; imò Clemens VII. conſtantiſſimus Pontifex, totum regnum Angliæ in fide nutans, & ad hæreſim inclinans periculo permiſit exponi, ne declararet matrimonium Henrici fuiſſe nullum, quia inde ſequebatur vt viuente vna legitima vxore aliam duceret fortè non affinem, nec conſanguineam, nec dum duas ſibi affines in primo gradu ſimul viuentes.

17. *Iacob duas ſorores habuit ex diſpenſatione diuina.*

Nec obſtat Iacob virum ſanctiſſimum duas duxiſſe ſorores inſimul viuentes, nam id factum fuit diſpenſante Deo in inhoneſtate, quæ inerat tali matrimonio ob aliam cauſam, & honeſtatem, quæ illam cohoneſtaret, & quia tunc durabat illa communis diſpenſatio, *Creſcite & multiplicamini*, quam poſtea in lege noua Chriſtus reuocauit, vt patet ex Matthæo 19. *Et erunt duo in carne vna*, ad quem pertinebat, inquit D. Paulus ad Epheſios 1. num. 10. *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo*, hoc eſt, vt Tertullianus *lib. de monogamia cap. 5.* interpretatur, omnia ad initium reuocare, & ad primæuum innocentiæ ſtatum reducere, in quo non niſi vnio data fuit vni, hoc eſt, Adamo, & hæc eſt prima ratio illius diſpenſationis reuocandæ: altera eſt, quia iam non erat neceſſaria ad populum Dei propagandum, vt optimè docet Beda ad cap. 1. Lucæ: *Iam enim*, inquit, *modò non carnalis ſucceſſio, ſed ſpiritualis perfectio requiritur.* Tertul. Beda.

Nec obſtat quòd Seleucus dedit filio ſuo Stratonidem vxorem ſuam ipſo adhuc viuente in vxorem, nam id vel per ſummam iniquitatem fecit, vel quia ſecundùm leges patrias, & communem conſuetudinem matrimonium ſuum cum ea irritum iudicauit.

Accedit, quòd in lege vetere diſpenſauit Deus, vt frater, mortuo fratre eius vxorem duceret ad propagandum genus illius, *Deuter.* 25. & vt mortua vxore eius maritus ſororem aliam eiuſdem demortuæ in vxorem acciperet, vtriſque tamen ſine liberis diſcedentibus, ita vt nec vna duos fratres ſimul viuos in maritos, nec vnus duas ſorores inſimul viuentes haberet in vxores, *Deut.* 18. Et verò cùm Principes ſint amiciſſimi extendendi poteſtatem ſuam, & adhuc nullus Summorum Pontificum in lege nouæ gratiæ cum aliquo Rege, aut Principe diſpenſauerit, vt viuente propria vxore poſſit cum alia illius ſorore matrimonium contrahere, ſignum eſt euidentiſſimum id ita eſſe de rigore iuris naturæ, vt in eo nec etiam ex grauiſſima cauſa diſpenſari poſſit. 18. *De gradibus affinitatis in lege veteri, quid.*

Solùm animaduerto polygamiam ſimultaneam, ſeu pluralitatem virorum cum vna vxore magis repugnare iuri naturali, quàm pluralitatem vxorum. Et ratio eſt, quia habere plures maritos repugnat tam primario, quàm ſecundario fini matrimonij, quorum vterque eſt à natura inſtitutus, nam primarius finis matrimonij eſt prolis generatio, qui à virorum polygamia, & pluralitate ob commixtionem ſeminum impeditur; ſecundarius gubernatio familiæ, educatio filiorum, & ſucceſſio hæreditatum, & ſimiles; atqui vna familia commodè gubernari nequit per plures viros; nam vir eſt caput mulieris, 1. *Corinth.* 11. *num.* 13. plura autem capita gubernationem impediunt, omnis enim poteſtas impatiens conſortis eſt, nec bona educatio filiorum haberi poteſt, ſi plures parentes eſſent, quia nec patres filios agnoſcerent, nec filij parentes; iam verò hæreditatum ſucceſſio nullo modo firmiter ſtabiliri poſſet, quia nullos certos filios parentes inuenirent, ad quos eorum hæreditas deuolueretur. Eſt igitur hæc virorum multitudo, naturali iuri adeò inimica, vt nunquam in lege veteri diſpenſatum ſit, nec in ea hodie diſpenſari poteſt, vt probat egregiè noſter Mendoça *in lib.* 1. *Regum cap.* 11. *fol. mihi* 223. *col.* 1. vbi egregiè etiam reprobat execrandam licentiam Lacedæmoniorum, Parthorum, Anglorum, & hæreticorum, qui contra omne ius naturæ hanc turpitudinem plurium maritorum vel admiſerunt, vel inuenerunt. 19. *Magis repugnat habere vnam plures maritos, quæ vnum plures vxores.* Mendoça.

Et verò etiam pluralitatem vxorum cum vno viro naturali quoque iuri aduerſari poteſt, licèt hoc non tam certum, ac firmum ſit, Durandus enim *in 4. diſtinct. 33. quæſt.* 1. Gerſon 2. *part. in regulis moralibus Alphabeto* 25. *litera I.* Caietan. *Geneſ.* 19. *& Marci* 10. Catherinus *lib.* 5. *contra Caietanum.* Abulenſis 1. *Regum* 1. *quæſt.* 4. & nonnulli alij iuri tantùm poſitiuo, non naturali hoc aduerſari arbitrantur. Tamen probabilius eſt hoc etiam iuri naturæ aduerſari, vt ferè omnes Theologi, duce D. Thoma, docent *in 4. diſtinct.* 33. quos re- 20. Durand. Gerſon. Caietan. Catherin. Abul. D. Thom.

Bellarm. Valent. Henric. Azor. Sanchez. Pereira. Mendoça

ſerunt & ſequuntur ex noſtris Bellarminus *lib. 1. de matrimonio*, *cap. 11.* Valentia *4. part. diſp. 10. quæſt. 1. puncto 3.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap 6.* Azor *1. part. inſtitutionum moralium lib. 6. cap. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſput. 80. num. 2.* Pereira *in cap. 6. Geneſ. num. 22.* Mendoça citatus, & alij, quod probatur

Primò, ex *cap. gaudemus, de diuortijs*, vbi Ethnici plures vxores habentes, ſi ad fidem conuertantur, iubentur priori retenta alias dimittere; ergo matrimonio cum illis contracta erant inualida iure naturæ, nam lex Eccleſiaſtica valida matrimonia non irritat.

Secundò, quia licèt pluralitas vxorum non repugnet iuri naturali quod habet vir in vxorem, repugnat tamen iuri naturali quod habet vxor in virum, nam cùm vir in matrimonio corpus ſuum tradat vxori; non poteſt totius alteri illud tradere, quin priùs lædat.

Tandem quia licèt hæc vxorum pluralitas non repugnet generationi, & primario fini matrimonij, vt repugnat pluralitas virorum, repugnat tamen ſecundario in primis gubernationi familiæ, quæ rarò pacificè gubernari poterit pluribus vxoribus eam gubernantibus. Deinde ſucceſſionis hæreditati, quia in ea pluralitate vxorum in diuerſa tendentium vix conſtare poterit de iure primogenituræ, tandem quia ob inclinationem viri ad vnam, non ad alias, rixæ, odia, inimicitiæ, &, quod caput eſt, falſa teſtimonia, & occiſiones multæ ſæpe orirentur.

Et hinc deducitur ratio non contemnenda, ob quam pluralitas vxorum ſit abſolutè diſpenſabilis, non autem virorum, licèt vtraque naturæ legi aduerſetur. nam multitudo virorum eſt contra primum finem matrimonij, & contra maiora principia naturæ: at verò pluralitas vxorum eſt contra finem ſecundarium dumtaxat, & contra principia naturæ minus communia, quæ cùm poſſint mutatis circunſtantiis mutari, poterit quoque illa vxorum pluralitas, ex illicita reddi licita, & ideo olim Deus diſpenſauit cum Patribus illis antiquis, ob multas cauſas.

Prima, vt ſignificaretur Chriſtus Dominus fore ſponſus & maritus multis nationibus, & præcipuè Iudæorum, & gentium copulandus.

Secunda, ad propagandum diuinum cultum, qui ſolus in illis ſanctiſſimis hominibus erat, qui ſuos filios illum poterant edocere, & hi alios poſteros venturos.

Tertia, ad multiplicationem generis humani, quod tunc non ita propagatum erat ad excolendum orbem. Hanc autem diſpenſationem ſolus Deus potuit concedere, non homo; homo enim nihil poteſt in lege naturæ, nec Summus Pontifex. Nec obſtant caſus qui referuntur *in c. propoſuiſti 32. quæſt. 7.* quòd ſcilicet Gregorius III. conceſſerit cuidam ducere ſecundam vxorem viuente prima; ob ægritudinem primæ, nam prima non fuit legitima, ob impedimentum perpetuum, idque tantùm in ea conceſſione Summus Pontifex declarauit, vt gloſſa ad idem caput, & communiter Doctores animaduertunt, nam cùm lex naturæ prohibens pluralitatem vxorum, diuinitus fuerit Adamo inſpirata, iuxta illud *Geneſeos 3. num. 24. Erunt duo in carne vna*; in ea nullus hominum diſpenſare poteſt, vt viuente ſcilicet legitima vxore, maritus aliam in vxorem, & viuente legitimo marito, vxor alium in virum habeat. quæ verba licèt in Geneſi referantur, vt dicta ab Adamo, tamen *Matth. 19. num. 5.* referuntur, vt dicta à Deo, & vt refert D. Auguſtinus *lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 19.* Adamus diuinitus inſpiratus tanquam Propheta hoc dicit; prophetauit enim Chriſtum venturum, qui orbem reformaturus erat, & matrimonia ad hunc primæuum ius naturæ, & innocentiæ ſtatum vnius ad vnum, & vnius ad vnam reducturus, iuxta ea, quæ diximus *num. 17.* & ideo, vt *ibidem* etiam diximus, tempore legis nouæ, ſeu gratiæ non ſolùm nunquam facta fuit à Chriſto hæc diſputatio, ſed quæ olim facta fuerat, ob rationes tactas reuocauit; vnde Tertullianus *lib. de exhortatione ad caſtitatem. Nunc verò*, inquit, *compreſſit quod indulſerat, non ſine ratione propagationis in primordio & repaſtinationis*, hoc eſt, reformationis, *in vltimo.* idem habet D. Chryſoſtomus *homilia 56. in Geneſim*, ibi, *Vt humanum*, inquit, *genus propagaretur, pluralitatem vxorum conceſſit; nunc verò, quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum eſt, & pietas incrementum accepit, & adueniens Chriſtus, & virtutem in hominibus plantans, Angeloſque ex hominibus faciens, omnem illam veterem conſuetudinem aboleuit.* D. Auguſt. Tertull. D. Chryſoſt.

Animaduerto tandem ſolere ſæpe Summos Pontifices cum inceſtuoſis diſpenſare, appoſita in diſpenſatione hac clauſula, vt ea vxore vel marito mortuis, cum nulla alia contrahere poſſint, quæ pœna non irritat matrimonium, ſi fortè ea mortua cum alia abſque noua diſpenſatione contrahatur, ſed impedit tantùm, & tantùm importat hæc clauſula obligationem peccati mortalis contra obedientiam; validè tamen contrahitur, ſi contra illam contrahitur, & poſt contractum matrimonium licitè petitur, ac redditur, modò nullum aliud impedimentum detur ex parte contrahentium, præter hoc huiuſmodi clauſulæ in diſpenſatione appoſita; ſed de hac re redibit ſermo *num. 35.* quem vide omnino.

SVMMARIVM.

Quomodo definiatur inceſtus, & quid ſit. num. 21.

Grauior eſt inceſtus cum conſanguineis, quàm cum affinibus. num. 22.

Primi gradus conſanguinitatis vtriuſque lineæ rectæ, & tranſuerſæ ſi comparentur inter ſe, non diſtinguuntur ſpecie; ſi verò comparentur cum omnibus alijs gradibus tam conſanguinitatis, quàm affinitatis ſpecie diſtinguuntur. num. 23.

Quid de gradibus affinitatis inter ſe, & cum alijs comparatis. num. 24.

Qui committunt inceſtum in primo gradu conſanguinitatis, tenentur id declarare in confeſſione, imò tenentur dicere, ſe commiſiſſe illum in linea recta, vel tranſuerſa. num. 25.

Opus eſt declarare inceſtum fuiſſe commiſſum cum affinibus, vel conſanguineis, & in quo gradu, & linea. num. 26. 27.

An copula cum conſanguinea vxoris in matrimonio rato, & non conſummato ſit inceſtus neceſſariò in confeſſione explicandus. num. 28. *Talis inceſtuoſus non poteſt poſtea conſummare petendo, poteſt autem reddendo. ibi, verſ. vidè Sancium ad finem numeri.*

Inter tutorem, & pupillam non datur propriè inceſtus, datur tamen ſpecialis circunſtantia neceſſariò in confeſſione explicanda. num. 29.

Inter Confeſſarium, & filiam ſpiritualem non datur inceſtus, ſed ſacrilegium. num. 30.

In

In pollutionibus & peccatis contra naturam inter conſanguineos, vel affines non datur propriè inceſtus. *num.* 31.

Inceſtus cum affinibus habet effectus quos non habet inceſtus cum conſanguineis. Primus eſt, quòd impediat petitionem debiti, non redditionem, numero 32.

Secundus eſt quòd non poſſit coniux vxore mortua aliam ducere, & ſi ducat, non poteſt petere, poteſt reddere; hic tamen effectus non eſt in vſu in Luſitania, neque in Hiſpania. *num.* 33.

Inceſtus commiſſus cum propria conſanguinea, nullum inducit horum impedimentorum. *num.* 34.

Inceſtus crimen eſt mixti fori, num. 36. *ſi commiſſus ſit in figura matrimonij, pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum.* *ibid.*

Iure Canonico excommunicantur inceſtuoſi, ſi ſcienter nuptias contraxerint abſque diſpenſatione in gradibus prohibitis quis poſſit ab ea excommunicatione abſoluere. *num.* 37.

Quæ pœnæ ſint inceſtus de iure ciuili communi, num. 38. 39. 40. 41.

Quæ pœnæ ſint eiuſdem criminis in iure Luſitano, num. 42.

21. *Inceſtus quid ſit.*

HÆc quaſi incidenter dicta accipienda ſint; erant enim neceſſaria ad intelligentiam peccati inceſtus. Definitur ergo inceſtus in hunc modum, vt dixi *n.* 1. huius capitis. *Eſt peccatũ luxuriæ, & congreſſus cum conſanguineâ, vel affine inter gradus prohibitos*, & hoc peccatum eſt ſpecie diſtinctum à peccato fornicationis ſimplicis; patet ex 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes, vt vxorem patris ſui quis habeat.* quod D. Paul. non ſolùm ob adulterium, ſed etiam ob inceſtum dixit, eo quòd viuente adhuc fratre vxorem illius ſibi in vxorem filius acceperat; patet ex *Leuit.* 17. *&* 18 docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 9. & Caiet. *ibi*, Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxur. dub.* 11. *n.* 78. Filliucius *tract.* 3. *in* 6. *præceptum Decalogi, cap.* 5. *num.* 93. & alij paſſim. Probatur rationibus.

D Thom. Caietan. Leſſius. Filliuc.

Primò, quia hoc peccatum inceſtus continet malitiam totam fornicationis, & præter eam aliam iniuriam, & deformitatem ſpecialem erga conſanguineos, & affines, talem, quæ reddat irritum matrimonium in gradibus prohibitis; ergo eſt peccatum ſpecie diuerſum à peccato ſimplicis fornicationis: hæc autem malitia in eo ſita eſt, quòd ſit contra debitũ honorem propinquorũ, nam homo naturaliter debet quandam honorificentiã parentibus & fratribus, & per conſequens affinibus, cùm affines ob commixtionem copulæ vnum fiunt, ſeu vna caro cum illis contra debitam fidelitatem, nam cùm conſanguinei, & affines naturaliter ſoleant conuerſari familiariter, opus eſt, vt hæc fidelitas inter ipſos obſeruetur ad conſeruandam amicitiam, & pacem inter omnes, contra moderationem, & temperantiam amoris venerei, nam cùm naturaliter homo diligat conſanguineas, ſi adderetur alius amor venereus, ex commixtione fieret ardor libidinis, & boni mores corrumperentur, quod repugnat caſtitati etiam coniugali.

22. *Inceſtus cum conſanguineis, quàm cum affinibus, peccatum grauius.*

Grauior autem multo eſt inceſtus cum conſanguineis in gradibus prohibitis, quàm cum affinibus in eodem gradu, quia licèt affines ob copulam in gradibus prohibitis vna caro fiunt cum noſtris conſangeineis, & ſic in eodem quaſi gradu conſanguinitatis nobiſcum maneant, tamen vinculum conſanguinitatis eſt multo arctius, quàm vinculũ affinitatis; vnde multo grauius peccat, qui cum ſorore peccat, quàm qui peccat cum ſorore vxoris ſuæ, & qui cum matre ſua, quàm qui cum matre vxoris ſuæ commiſcetur, quia vinculum conſanguinitatis eſt vinculum intrinſecum, & magis intimum, quàm vinculum affinitatis, quod eſt vinculum quoddam externum, & non neceſſarium.

23. *An gradus conſanguinitatis inter ſe diſtinguantur.*

Dubium ergo eſt, an omnes gradus conſanguinitatis differant inter ſe ſpecie, & quid ſi comparentur cum gradibus affinitatis. Breuiter reſpondeo. Primi gradus conſanguinitatis in linea recta, & tranſuerſa ſi comparentur inter ſe, non diſtinguuntur ſpecie; ſi verò comparentur cum reliquis omnibus gradibus, ſiue conſanguinitatis, ſiue affinitatis, ſpecie diſtinguuntur. Ita Leſſius & Filliucius ſtatim citandi. Ratio eſt, quia primus gradus conſanguinitatis tam lineæ rectæ, quàm tranſuerſæ matrimonium iure naturæ irritat, vt probatum eſt in ſuperioribus, & nullus alius gradus conſanguinitatis illud irritat; ſignum ergo eſt, quòd primi gradus prædictæ conſanguinitatis vtriuſque lineæ rectæ, & tranſuerſæ inter ſe cõparati ſpecie non differunt; differant verò ſi comparentur cum omnibus aliis gradibus eiuſdem conſanguinitatis.

Leſſius. Filliuc.

Deinde ſi comparentur omnes gradus conſanguinitatis cum omnibus gradibus affinitatis, clarum eſt omnes illos ſpecie diſtingui ab iſtis; ratio eſt, quia ſunt vincula ſpeciei diuerſæ, nam vinculum, quo conſanguinei vniuntur, eſt vinculum intrinſecum, & naturale; vinculum verò, quo affines vniuntur, eſt vinculum extrinſecum, & voluntarium: eſſe autem vnitum, & coniunctum alicui ab intrinſeco à principiis neceſſariis naturæ. & ab extrinſeco, à principiis voluntatis arguit euidenter diſtinctam ſpecie coniunctionem, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art* 3 Nauarr. *in ſumma Lat. cap* 16. *num* 7. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib* 4. *c.* 3. de ſpeciebus luxuriæ *dub.* 11. *num.* 79. vbi dicit vincula conſanguinitatis, & affinitatis ſpecie inter ſe differre, ſicut vnio mediata, & immediata, naturalis. & voluntaria differunt, idem docet Filliuc. *tract.* 30. *in* 6. *præceptum Decalogi, cap.* 5. *num.* 9. Valentia 2. 2. *quæſt.* 3. *puncto* 3. Azor *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 9. *quæſ.* 1.

D Thom. Nauarr. Leſſius. Filliuc. Valentia. Azor.

24. Rurſus ſi comparentur gradus affinitatis inter ſe ipſos, dubium eſt, an omnes ſpecie differant? Reſpondeo etiam breuiſſimè; omnes gradus affinitatis, in quibus iure naturæ matrimonium eſt initum, ſpecie diſtingui à reliquis gradibus eiuſdem affinitatis, in quibus eodem iure matrimonium non eſt irritum; vnde in opinione, quæ affirmat primum gradum affinitatis lineæ rectæ, & tranſuerſæ irritare matrimonium, neceſſariò dicendum eſt huiuſmodi gradum à reliquis omnibus affinitatis gradibus, qui iure naturæ matrimonium non irritant, ſpecie diſtingui; cùm tamen *num.* 11. *&* 15. in opinione, quam ſequimur, probatum maneat, nullum gradum affinitatis, nec etiam primum, ſiue ſit lineæ rectæ, ſiue tranſuerſæ, matrimonium iure naturæ irritare, ſequitur euidenter, omnes huiuſmodi gradus inter ſe comparatos eſſe eiuſdem ſpeciei (vt dixi *numero præcedenti.*) Ratio eſt, quia nullus gradus affinitatis iure naturæ matrimonium irritat; irritat verò primus gradus conſanguinitatis, tam lineæ rectæ, quàm tranſuerſæ, vt dixi; ergo ſpecie diſtinguuntur omnes gradus affinitatis ab huiuſmodi primo gradu conſanguinitatis ex hoc principio, & aliunde ex alio principio: diſtinguuntur etiã ſpecie omnes gradus

affinitatis ab omnibus gradibus conſanguinitatis, tam ab iſto primo, quàm à reliquis omnibus ratione (vt dixi) diuerſatum vnionum, quia vnio conſanguinitatis eſt naturalis, & vnio affinitatis eſt voluntaria, voluntarium autem à naturali, ſeu neceſſariò, ſpecie neceſſariò diſtinguitur, vt optimè aſſerit Leſſius citatus *num.* 8. Hinc ſequitur

Naturale & voluntarium diſtinguũtur ſpecie.

25. Primò eos, qui committunt inceſtum in primo conſanguinitatis gradu, veluti cum matre, aut cum ſorore, aut cum filia, aut filius cum matre, teneri hanc circumſtantiam primi gradus conſanguinitatis in vtraque linea recta, & tranſuerſa in confeſſione explicare, quia eſt peccatum diſtinctum ſpecie à reliquis omnibus gradibus, & non ſufficit dicere, Commiſi inceſtum in gradu prohibito; ſed opus eſt declarare, in primo gradu conſanguinitatis. imò non ſufficit dicere, Commiſi inceſtum in gradu primo conſanguinitatis, ſed opus eſt explicare lineam, in qua commiſſus fuit, rectam, vel tranſuerſam, quia licèt primus gradus conſanguinitatis non diſtinguatur ſpecie, ſi ſit lineæ rectæ à primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, habet tamen primus gradus conſanguinitatis lineæ rectæ ſpecialem deformitatem, quæ notabiliter aggrauat peccatum: circumſtantiæ autem notabiliter aggrauantes ſunt de neceſſitate confeſſionis, iuxta meliorem opinionem, quam ſecuti ſumus in ſecundo præcepto, ac mandato ſanctæ Matris Eccleſiæ in primo noſtro tomo: nam parentes debent filiis bonam educationem, morum informationem, ac diſciplinam, & filij parentibus naturalem ſubiectionem, & reuerentiam, & hæc adinuicem violantur, ſi adinuicem commiſceantur; deinde frater debet ſorori, & ſoror fratri naturalem quandam, ac mutuam fidelitatem, quæ etiam contra omne ius naturæ violatur adinuicem, ſi adinuicem nefariè copulentur; quare opus eſt etiam explicare primum hunc gradum conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ, dicendo, Peccaui in primo gradu conſanguinitatis lineæ tranſuerſæ.

26. Et rurſus cùm omnes gradus conſanguinitatis ſpecie diſtinguantur à gradibus affinitatis, opus eſt etiam declarare ſit ne inceſtus commiſſus in ſpecie affinitatis, vel cõſanguinitatis. Deinde licèt omnes huiuſmodi conſanguinitatis gradus (excepto primo) tã lineæ rectæ, quàm tranſuerſæ qui à reliquis ſpecie diſtinguitur, non diſtinguãtur ſpecie ſi inter ſe comparentur, habent tamen circũſtantias notabiliter aggrauantes, & minuentes, quæ neceſſariò ſunt explicandæ nam quamuis omnes conſanguinitatis gradus lineæ rectæ ſint contra eamdem virtutem pietatis, & reuerentiæ, quam iure naturali filij, & filiæ parentibus, auis, & proauis debent; & licèt etiam omnes gradus lineæ tranſuerſæ ſint contra eandem virtutẽ fidelitatis, & cuſtodiæ qua fratres in ſorores, & ſororibus in fratres aſtringuntur, tamen hæc pietas, & reuerentia graduum lineæ rectæ, & hæc fidelitas graduum lineæ tranſuerſæ eſt maior, aut minor, prout in propinquiori, aut remotiori gradu coniunguntur, & ſic, quo propinquor eſt gradus in vtraque linea, eo grauior eſt circumſtantia, & magis aggrauans; quare tenetur etiam inceſtuoſus in confeſſione explicare gradum conſanguinitatis, in quo inceſtum commiſit, dicendo, Peccaui in primo, ſecundo, tertio, vel quarto gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, vel tranſuerſæ, vt patet.

27. Et idem cum proportione quadam dicendum eſt de gradibus affinitatis, cùm enim illi diſtinguantur ſpecie à gradibus conſanguinitatis, opus eſt in primis declarare inceſtum fuiſſe commiſſum in gradibus affinitatis, non conſanguinitatis. Rurſus cùm omnes ſint eiuſdem ſpeciei, nec etiam primo vtriuſque lineæ excepto, & ex hoc capite non ſit neceſſe explicare peccatum inceſtus fuiſſe commiſſum in primo, ſecundo, tertio, vel quarto gradu affinitatis; datur tanta, ac talis latitudo deformitatis, vt reſultent circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, quo enim gradu quis eſt propinquior, eo grauior eſt circumſtantia inceſtus, & propter huiuſmodi circumſtantias notabiliter, vel non notabiliter aggrauantes prædicti etiam gradus ſunt neceſſariò explicandi, dicendo, Peccaui in primo, ſecundo, vel tertio, aut quarto gradu affinitatis; ſed de his circumſtantiis ſufficit id, quod diximus in primo tomo de præceptis, ac mandatis ſanctæ Matris Eccleſiæ in ſecundo præcepto, vbi latè de circumſtantiis confeſſionis egimus.

28. *An ex matrimonio rato oriatur affinitas.*

Dubium hîc oriri poteſt, an commixtio cum conſanguinea vxoris in matrimonio tantùm rato, & non conſummato, ſit inceſtus neceſſariò explicandus. Debent affirmare omnes, qui dicunt, ex matrimonio rato oriri affinitatem, & hi ſunt D. Thom. *in 4 diſt* 41. Sotus *ibi quæſt.* 1. *art.* 2. *ad finem.* Syluester *verb. Matrimonium* 8. *quæſt.* 14. quos omnes citat, ſed non ſequitur, Filliucius *tract.* 30. *in 6 præceptum Decalogi, cap.* 5. *num.* 103.

D. Thom. Sotus. Syluester. Filliuc.

Dicendum tamen eſt affinitatem in foro conſcientiæ non oriri niſi ex matrimonio copula conſummato, id eſt, ſeminante viro intra vas naturale fœminæ, & non ſufficit ſeminare extrà. ita Toletus *lib* 7. *ſummæ cap* 11, *num.* 7. & in additionibus illius; author illarum *ad lib.* 5. *cap.* 13. *ad finem:* Ledeſma *de matrim. quæſt.* 55. *art.* 4, Conradus *quæſt.* 151. Henriq *lib.* 12. *de matrim cap.* 16. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput* 64. *à num.* 10. Dixi, *in foro conſcientiæ,* quia in foro externo ſufficit probare copulam, vt præſumatur ortam fuiſſe affinitatem, ex copula enim ſatis præſumitur effuſio ſeminis intra vas naturale fœminæ; quapropter cùm inceſtus affinitatis non detur, niſi vbi datur & contrahitur vera affinitas, & affinitas verè, & propriè non contrahitur per matrimonium quocumque modo conſummatum, ſed per matrimonium conſummatum ea copula, in qua vir ſeminet intra vas fœminæ naturale, ſequitur euidenter non eſſe hanc commixtionem inceſtuoſam, nec teneri illum, qui cognoſcit ſororem vxoris ſuæ matrimonio rato, non conſummato, confiteri circumſtantiam inceſtus ex hoc capite, teneri tamen eam circumſtantiam in confeſſione explicare aliunde, quia eſt ſpeciale quoddam peccatum ob impedimentum publicæ honeſtatis vſque ad quartum gradum, dirimens quod impropriè reducitur ad inceſtum, vt optimè animaduertit Filliucius allegatus *num.* 103. vide Sancium *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 15. *num.* 6. vbi dicit ex hoc inceſtu improprio oriri impedimentum perpetuum publicæ honeſtatis, & ita accedenti ad conſanguineam ſponſæ de præſenti ante conſummationem matrimonij interdici petitionem debiti, quod æquè fit ante, & poſt conſummationem matrimonij, & id ipſum docet Couar. *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 7. §. 2. *num.* 6. Guttier. *lib.* 1. *quæſt. Canonic cap.* 23 *n.* 15. Syluester *verb. Matrimonium,* 8. *quæſt.* 15. *dicto* 7. Viualdus *in Candelabr.* 1. *part.* vbi de matrimonio, *num.* 307. & alij. Hinc

Tolet. Ledeſm. Conrad. Henriq. Sanchez. Filliuc. Sancius. Couar. Guttier. Syluester. Viuald.

29. Sequitur primò, non dari propriè inceſtum inter tutorem, & pupillam, quia nulla eſt ſpecialis con

coniunctio inter illos, vnde etiam matrimonium inter eos validè poteſt conſiſtere; eſt tamen ſpecialis quædam deformitas, & circumſtantia tam notabiliter aggrauans, vt neceſſariò in confeſſione ſit explicanda, gerit enim tutor perſonam patris, & violat illā fidelitatem, & morum informationem, qua iure quodammodo naturæ patres erga filios obſtringuntur, & quia gerit perſonam patris, impropriè reduci poteſt hoc peccatum ad inceſtum, non propriè.

30. Sequitur ſecundò, nec etiam inter Confeſſarium & fœminam pœnitentem eſſe propriè inceſtum, ſed potiùs ſacrilegium quoddam, quia datur occaſio maritis, ac parentibus retrahendi vxores & filias à confeſſionis Sacramento; atque adeò peccatur in ipſum Sacramentum, vt rectè docet [Filliuc. Azor.] Filliucius *tract.* 30. *in 6. præceptum Decalogi, cap.* 5. *num* 105. vbi citat Azor *quæſ.* 5. Dici tamen poteſt impropriè, & metaphoricè inceſtus, quatenus Confeſſarius appellatur Pater ſpiritualis pœnitentis, vt patet.

31. Sequitur tertiò, non eſſe propriè inceſtum in peccatis contra naturam, v. c. quando quis cognoſcit conſanguineam, vel affinem, & extra vas naturale polluitur. nam licèt [Caietan.] Caietanus 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 12. aſſerat eſſe inceſtum quoad malitiam, & ob peculiarem deformitatem, & repugnantiam cum ratione, quia eo peccato violatur naturalis reuerentia conſanguineis, & affinibus debita; tamen reuera non eſt inceſtus, neque in ordine ad impedimentum matrimonij, vt dixi *num.* 28. quia hic vt impediat debet eſſe in vaſe naturali ſeminante in eo viro, neque in ordine ad pœnas legales, tam ciuiles, quàm Canonicas, vt ſtatim dicemus; quare hoc propriè non dicetur inceſtus, ſed peccatum contra naturam, ſeu peccatum pollutionis; impropriè tamen reducetur ad inceſtum.

32. [*Effectus inceſtus conſanguinitatis & affinitatis, quales.* Leſſius. Toletus. Sanchez.] Notandum tamen eſt, licèt inceſtus cum conſanguinea propria ſit grauior, quàm cum conſanguinea vxoris, ſeu cum affine, cæteris paribus, tamen hic inceſtus affinitatis binos habet effectus peculiares. quos non habet inceſtus conſanguinitatis propriæ, vt optimè notauit Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 11. *n.* 81. & 82.

[*Primus effectus affinitatis.*] Primus eſt, quòd impediat petitionem debiti, eo quòd cognoſcendo conſanguineam vxoris factus ſit vxoris affinis in eo gradu, in quo ipſa erat vxori conſanguinea: ita præter Leſſium docent communiter Doctores, Toletus *lib.* 7. *ſummæ, cap.* 17 Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 27. *num.* 1. & alij communiter.

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi ignoraret eſſe affinem, quia tunc non eſt formaliter inceſtus, ſed ſimplex fornicatio: vnde nec pœnam inceſtus, quæ eſt non poſſe petere debitum, inducet, vt optimè animaduertit Leſſius citatus *n.* 81. licèt autē non poſſit petere inceſtuoſus, qui inceſtum ſcienter committit cum affine ſua, conſanguinea vxoris propriæ, tenetur tamen reddere, vt latè probat idem Sanchez *dicto lib* 9. *de matrim. diſp* 27. *num.* 1. & *lib* 9? *diſp.* 15. *num.* 1. & patet ex *cap. tranſmiſſæ.* & ex *cap.* 1. *de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ*; in hac autem debiti petitione diſpenſare poteſt Epiſcopus, & ex priuilegio Mendicantes.

33. [*Secundus.*] Secundus eſt, quòd mortua vxore non poſſit aliam vxorem ducere, & ſi duxerit, non poterit exigere debitum abſque diſpenſatione, poteſt tamen reddere, inducit enim hoc peccatum impedimentum, non quidem dirimens, ſed impediens, vt patet ex *dicto cap. tranſmiſſæ, de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ*, & docet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 34. *quæſt. vnica, art.* 5. & Leſſius allegatus *num.* 81. & Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſp.* 15. *num.* 1. Richard. *in* 4. *diſt.* 34. *art. etiam* 4 *quæſt.* 2. *ad* 1. Turrecremata *in cap quadam cum fratre, diſt.* 32, *q.* 7. *num.* 2. *ad* 3. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154 *num* 9 & rationem reddit Caietanus *ibi*; quia cùm huiuſmodi inceſtuoſi non puniantur plenè indebiti petitione, ideo puniuntur in ipſo matrimonio, contra quod peccauerunt, vt non poſſint ampliùs aliam vxorem ducere; aut alteri viro nubere mortuo coniuge, niſi de diſpenſatione Summi Pōtificis; ſed hoc intelligendum eſt in locis, vbi conſuetudo eſt petere talem diſpenſationem, vt animaduertit Graphis *in deciſion. aur. lib.* 2. *de inceſt. cap.* 80. *num.* 11. & in tota Luſitania id in more poſitum non eſt, vt docet Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 22. *num.* 75. Nauarrus enim *ibi* dicit hoc impedimentum conſuetudine non ſeruari. Graphis ſolùm aſſerit ſeruandum eſſe, vbi conſuetudo viget, in Luſitania autem nunquam vidimus, neque audiuimus vllum inceſtuoſum petiiſſe diſpenſationem à Papa ad contrahendum abſolutè, ſed ad contrahendum tantùm cum ea, cum qua viuente propria vxore inceſtum commiſit, vel cum eius conſanguinea intra gradus prohibitos ob affinitatem inde ortam. [D. Thom. Leſſius. Sanchez. Richard. Turrecrem. Caietan. Graphis. Nauarr. *In Luſitania & Hiſpania, hic effectus non eſt in vſu.*]

34. [*Inceſtus cum propria conſanguinea.*] Vtrùm verò ſimile impedimentum non petendi, & carendi omni ſpe coniugij mortua coniuge inducat inceſtus commiſſus cum propria conſanguinea, eſt dubium inter Doctores, qua de re eſt duplex opinio; quidam affirmant. Ita [Nauarrus.] Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 22. *num.* 74. & plerique Canoniſtæ cum [Panorm.] Panormitano *in cap.* 1. & 2. *de eo qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ*, & ita docet etiam [Sotus.] Sotus *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt. vnica, art.* 1. & multi alij, quos citat, ſed illos non ſequitur, [Sanchez.] Sanchez *lib* 7. *de matr. diſput.* 17. *num.* 15. & fundamentum huius opinionis deducunt hi authores,

Primò ex *cap. ſi quis viduam* 32. *quæſt.* 7. & ex *cap. ſi duo* 36. quibus capitibus videtur ſtatui ne inceſtuoſi cum propriis conſanguineis poſſint mortua vxore ampliùs contrahere, & ſic ſpe contrahendi priuati maneant.

Secundò ex vſu, & ſtylo Curiæ Romanæ, quia quando diſpenſatur cum conſanguineis, vt poſſint contrahere, ſi inter eos præceſſit copula additur clauſula, vt mortuo coniuge alter maneat cælebs, & omni ſpe priuatus contrahendi ampliùs in futurum.

Alij verò in meliori opinione docent, ex huiuſmodi inceſtu cum conſanguineis propriis nullum omnino reſultare impedimentum, quamuis ſit de ſe grauius peccatum, quàm inceſtus, qui committitur cum conſanguineis propriæ vxoris; ita docet D. Thom. *in* 4 *diſt.* 34. *quæſt. vnica, num.* 5. Turrecrem. *in cap. quadam* 36. *quæſt.* 7. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 17. *num.* 15. & 16. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *ad* 2. Henriq. *lib.* 12. *de matrim cap.* 12. *num.* 4. Toletus *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 4. Couarr. *in epitome in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 16. *num* 4. *initio.* Syluester *verb. Matrimonium.* 7. *num.* 6. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 11. *num* 82. & hanc opinionem ſequuntur communiter Theologi cum D. Thoma; fundamentum illorum eſt, [D. Thom. Turrecrem. Sanchez. Caietan. Henriq. Toletus. Couarr. Syluester. Leſſius.]

Primò, quia hoc impedimentum eſt grauiſſima pœna, quæ non incurritur, niſi ſit in iure manifeſtè expreſſa. nam *cap. ſi quis viduam*, ex quo contrarij

Docto

Doctores ſuam opinionem probant, loquitur de ſolo coniugio inceſtuoſo inter ſponſos cognoſcentes vtriuſque conſanguineas, ac proinde nihil ad nos, ſiquidem loquimur de ſponſo cognoſcente conſanguineas ſponſæ ſuæ, non proprias, & de ſponſa cognoſcente conſanguineos ſui ſponſi, non proprios, vt optimè animaduertit Sanchez allegatus *num.* 17. Caput verò *ſi duo* contrahere permittit, ibi enim ita dicitur, *qui iuuenes ſunt, aliàs matrimonia contrahere non prohibeantur*; vbi, vt bene notant Caietan. & Leſſius citati contra gloſſam eiuſdem capitis, non diſponitur, vt ſi non ſint iuuenes, prohibeantur; ſed aſſignatur cauſa, ob quam illi in futurum non ſint prohibendi contrahere.

Secundò, quia licèt inceſtus commiſſus cum propriis conſanguineis ſit multo grauius peccatum, quàm inceſtus, qui committitur cum conſanguineis propriæ vxoris, ſeu cum affinibus; tamen hoc peccato, & inceſtu non ita offenditur matrimonium, quia non violatur affinitas: at inceſtu commiſſo cum conſanguineis propriæ vxoris affinitas violatur, ac proinde magis iſto, quàm illo matrimonium offenditur.

Ad ſtylum curiæ Romanæ reſpondeo. Olim inceſtuoſis cum propriis conſanguineis, ſi quando cum eis diſpenſabatur, vt contraherent, prohibebatur in diſpenſationibus, ne tranſirent ad ſecundas nuptias, ſicut & aliis, qui pœnitentiam publicam egerant, quod videtur adhuc ſeruari in Curia Romana. nam quando diſpenſatur inter conſanguineos, vt poſſint contrahere, ſolent Summi Pontifices in diſpenſationibus huiuſmodi grauamen apponere, vt ſoluto matrimonio, ſi præceſſit copula, ad ſecundas nuptias non tranſeat ſuperſtes coniux; quod tamen non obſtat in foro conſcientiæ, vt quidam arbitrantur, quia ea clauſula eſt ordinaria, quæ ibi ſolet apponi, vt homines ab inceſtu temperent. Alij dicunt, eam clauſulam, quia res eſt grauis, importare fortè peccatum lethale; ſi tamen contra illam contrahant, validè contrahere, & poſſe petere, & reddere, niſi aliunde adſit aliud impedimentum, & fortaſſe, nec etiam ad lethale obligabit, quia eſt clauſula generalis, & de more poſita generaliter, per quam Pontifices volunt indicare temperantiam, quam in hominibus tanquam patres ſpirituales deſiderant, & nolunt imponere præceptum, aut inuehere impedimentum impediens, vt optimè notarunt Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 11. *num.* 82. & Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 15. *num.* 17. *ad finem.*

Leſſius.
Sanchez.

36\. Inceſtus crimen eſt mixti fori, vt docent Farin. *in praxi tom.* 4 *quæſt.* 149. *de delictis carnis, c.* 1. *num.* 117. Ghirlandus *de pœnis omnifariam coitus, quæſt.* 3. *num.* 4. *ad finem.* Iodocus *in pract. criminali cap.* 94. *rubr. de inceſtu, num.* 9. Bermon. *de publico concubinatu, rub. de inceſtu, num.* 33. nam cùm crimen hoc tam legibus ciuilibus, quàm Canonicis prohibeatur: at puniatur ſecundùm receptam Doctorum ſententiam *in cap. cùm ſit generale, de foro competenti*, quam probat *ibi* Abbas *num.* 3. & ſequitur Couarr. *lib.* 3. *variar. de reſolut. cap.* 3. *in principio*, neceſſariò ſequitur dicendum, crimen hoc eſſe mixti fori; vnde ſi agatur de punitione tantùm huius criminis, & perſona inceſtuoſa fuerit Eccleſiaſtica, punitio illius ad iudicem tantùm Eccleſiaſticum ſpectabit; vbi enim de perſona agitur Eccleſiaſtica, iudex ciuilis non intromittitur; ſi verò perſona inceſtuoſa fuerit laica, de iure mera vindicta, & punitio huius criminis ad vtrumque iudicem ciuilem, vel Eccleſiaſticum ſpectabit; etſi inceſtus commiſſus fuerit in figura matrimonij, ad Eccleſiaſticum iudicē tātùm cognitio illius pertinebit, quia videtur iniuria fieri ſacramento; ſi verò agatur, vt recedatur ab eo crimine, & de peccati emendatione in futurum ad eundem Eccleſiaſticum iudicem idipſum pertinebit, & in hoc caſu iudex Eccleſiaſticus contra laicum pœna etiam excommunicationis procedet, iuxta Farinacium, Iodocum, & Ghirlandum allegatos.

Farin.
Ghirland.
Iodocus.
Bermon.
Abbas.
Couarr.

Si autem inceſtus commiſſus ſit cum adulterio, punitio illius, & mera vindicta ratione grauitatis pœnæ ad iudicem tantùm ciuilem pertinere docent communiùs Authores, ita Farin. allegatus, Theſaurus *deciſ. Pedem. deciſ.* 100. *num.* 6. vbi aſſerit de inceſtu commiſſo cum commatre iudicem laicum cognoſcere non poſſe, niſi concurrat ſimul adulterium, vel ſtuprum. Afflictis *in cap.* 1. *in gloſſa bona contrahentium, num.* 10. *titul. quæ ſint regalia.* Menoch. *de arbitrariis quæſtionibus, lib.* 2 *caſu* 200. *num.* 107. Petr. Cabal. *reſolut. crimin. cap.* 200. *num.* 70. *&* *num.* 154.

Farin.
Deciſ. Ped.
Afflict.
Menoch.
Cabal.

Pœnæ inceſtus, quæ, & quales.

Iure Canonico præter pœnam impedimentorum, de qua egimus *num.* 1. huius capitis, contrahentes ſcienter inceſtuoſas nuptias in gradibus prohibitis, ipſo facto excommunicantur. Conſtat ex *Clementina* 1, *de conſanguin. & affinit.* incipit, *Hos, qui*; docet Iulius Clarus *lib.* 5. *ſententiarum, §. inceſtus, num.* 5. Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 22. *num.* 43. Ab hac autem excommunicatione cùm ſit per modum ſtatuti, abſoluere poſſunt mendicantes, imò abſoluere poſſunt Parochi ordinarij; quia non reſeruatur, & quando excommunicationes non ſeruantur, Parochi ab illis poſſunt abſoluere, in ea tamen non comprehenduntur illi, qui in gradibus prohibitis ſponſalia de futuro contrahunt, quia ſponſalia non ſunt nuptiæ, propriè loquendo, & pœnæ reſtringendæ ſunt, non ampliandæ; ita docet Nauarr. citatus *dicto numero* 43. Nec comprehenduntur contrahentes nuptias ante legitimam ætatem, iuxta eandem Nauarrum, quia in effectu non contrahunt nuptias, ſed tantùm ſponſalia de futuro, *cap.* 1. *§.* 1. *de ſponſalibus, lib.* 6. Non comprehenduntur etiam ij, qui contraxerunt illas per ignorantiam, ignorando ſcilicet, ſe eſſe conſanguineos; comprehendi autem illos, qui contraxerunt credentes ſe eſſe cognatos, affines, vel conſanguineos intra gradus prohibitos, cùm reuera non ſint, quia formaliter voluntariè, & inceſtuosè contraxerunt, putat Nauarrus allegatus, & *cap.* 27. *num.* 141. Syluester *verb. Matrimonium,* 7. *quæſt.* 13. *dicto* 5. De hac tamen re contrarium iudico, re enim vera nullum à parte rei inceſtum commiſerunt, & huiuſmodi excommunicationis pœna non imponitur in iure, niſi iis, qui in rei veritate inceſtum committunt. 37.

Contrahentes inceſtuoſas nuptias ſcienter, ipſo facto excommunicantur.
Iul. Clar.
Nauarr.
Quis poſſit ab illa abſoluere.
Nauarr.
Syluest.

De iure etiam Canonico in Clericum propter crimen inceſtus eſt etiam pœna depoſitionis, vt docet Couar. *in* 4. *decretal. fol. mihi* 91. Iulius Clarus §. *inceſtus, num.* 1. Farin. *in praxi tom.* 4. *quæſt.* 149 *de delictis carnis, n.* 54 *&* 55. Decianus poſt alios, quos allegat *in tractatu criminum, lib.* 6. *cap.* 23. *n.* 10. vbi aſſerit, Clericum cognoſcentem carnaliter ſuam commatrem poſſe deponi. 38.

Pœna Clerici inceſtuoſi quæ.
Couarr.
Iul. Clar.
Farin.
Decian.

De iure ciuili communi pœna inceſtus non eſt pœna mortis, ſed deportationis tantùm, vel exilij 39.

De iure ciuili quæ pœna ſit inceſtuosè contrahentibus. Bald. Gomez. Cabal. Iul. Clar. Menoch.

ad inſulas, vt probat textus *in l. ſi quis viduam, ff. de quæſt.* & quia pœna deportationis ad inſulas hodie non eſt in vſu; ideo pœnam hanc arbitrariam eſſe aiunt Bald. *conſil.* 429. *ad fin. lib.* 5. Anton. Gomez *in l. Tauri*, 80. *num.* 2. Petrus Cabal. *in reſolut. crimin. cap.* 200. *num.* 23. & alij, inter quos eſt etiam Iul. Clar. *lib.* 5. *ſententiar.* §. *inceſtus, n.* 3. *verſu, ſed quæro, quæ ſit pœna*, & Menoch. *de arbitr. quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 502. *num.* 38.

40\. *Gloſſa. Iul. Clar. Menoch.* Si tamen inceſtus coniunctus ſit cum adulterio, tunc inceſtuoſus pœnam mortis incurret, quæ in iure ciuili adulteris decreta eſt: ita gloſſa *in l. ſi adulterium cum inceſtu, in verb. ſi adulterium. ff. ad legem Iuliam de adult.* Iul. Clar. allegatus *n.* 3. Menoch *de arbitrariis quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 502. *num.* 40. & alij, quos ipſi citant.

41\. *Quid de iure Luſitano.* De iure Luſitano ſeuerius punitur inceſtus ſine adulterio commiſſus. nam qui inceſtum committunt cum filia, nepte, vel alia deſcendente, aut cum matre, auia, vel alia aſcendente, iubentur ſimul comburi, & per ignem in puluerem redigi; qui verò commiſerit inceſtum cum ſorore propria, nuru, vel nouerca, quamuis viduæ ſint, vel cum priuigna, quamuis mortua ſit mater illius, vel cum ſocru ſua, quamuis vxor iam ſit emortua, ſi illæ ſponte conſenſerint, puniuntur ambo pœna mortis naturalis: alias pœnas in aliis gradibus remotioribus, vide *in noua Recopilatione lib.* 5. *titulo* 19. *per totum.*

42\. *An bona amittant. Iul. Clar. Sanchez.* De iure etiam ciuili communi ipſo iure, & facto publicantur, & fiſco applicata manent bona omnia eorum, qui ſcienter nuptias contrahunt in gradibus prohibitis patet ex *Authent. de inceſtuoſis nupt. C. de nupt.* & Iul. Clar. *in* §. *inceſtus, num.* 2. dicit ipſo facto amittere dominium ſuorum bonorum omnium. Verùm meliùs Sanchez *lib.* 7. *de matr. diſput.* 9. *num.* 11. aſſerit ex multis iuribus, & Doctoribus requiri priùs declaratoriam iudicis ſententiam, vt dominium amittant.

Primò, quia pœna grauiſſimæ, qualis iſta eſt, non debentur niſi poſt iudicis ſententiam declaratoriam criminis.

Couar. Secundò, quia licèt iura dicant pœnas incurri ſtatim ipſo facto, intelligi debent ipſo facto poſt latam ſententiam criminis abſque declaratione pœnæ; vnde adhuc requiritur ipſa ſententia declaratoria criminis, & hanc etiam opinionem tenet Couarruuias *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 10. *verſu* 3. & alij, quos citat, & ſequitur idem Couarruuias.

CAPVT VII.

De adulterio quatenus eſt ſpecies luxuriæ, & quæ eius pœna.

SVMMARIVM.

Quid ſit adulterium, quatenus eſt ſpecies luxuriæ, num. 1. & 2.

Vnde veniat eius etymologia, num. 3. *Eſt graue peccatum, ibid. verſu, eſt graue. Eſt diſtinctum ſpecie à ſimplici fornicatione, ibi. verſu, eſt diſtinctum in quo conſiſtat ius, quo vnus coniux habet in corpus alterius.* *ibid. ad finem.*

An detur peccatum adulterij quando vnus coniux conſentit in peccato alterius. *num.* 4.

Quibus modis poſſit committi adulterium, an quando duo coniuges coniugati adulterium committunt, teneantur confiteri circumſtantiam coniugij amborum. *num.* 5. & 6.

Grauius eſt peccatum, ſi coniugata cum ſoluto, quàm ſi ſolutus cum coniugata miſceatur, num. 7. *Filij Clericorum, cur malè morati ſint.* *ibid.*

Solutus, ſi cum coniugata miſceatur, tenetur explicare circumſtantiam coniugij ſui complicis, numero 8.

An ſit verum adulterium ſi aliquis miſceatur cum coniugata matrimonio rato, non conſummato, & quid ſi cum ſponſa de futuro. *num.* 9 & 10.

Quatenus adulter per adulterium amittat ius petendi, vel non admittat. *num.* 11.

Quid ſi coniux innocens, qui à principio iure negauit debitum, poſtea ſimile adulterium committat, num. 12.

An adulterium ſit grauius peccatum ſtupro, numero 13.

An grauius ſit inceſtu. *num.* 14.

An coniux, qui ſodomiticè, vel contra naturam cum mare, vel fœmina miſcetur, teneatur in confeſſione aperire ſtatum coniugij. *num.* 15.

De iure communi ciuili crimen adulterij pœna mortis punitur. *num.* 16.

Quid ſi vxor illud committat ob ſæuitiam mariti ob famis neceſſitatem, aut ob paupertatem, num. 17.

Quid ſi matrimonium ſit nullum, putetur tamen communiter verum, num. 18. *Et quid ſi ſit nullum ob defectum conſenſus, eo quòd vi, vel minori ætate fuerit contractum.* *ibid.*

Adulteri præter pœnam mortis infames de iure ſunt, num. 19.

Clerici qua pœna puniantur ob adulterium, num. 20.

Punitio & vindicta huius criminis ad quem iudicem ſpectet. *num.* 21.

Quid ſi agatur de receſſu ab illo, & emendatione in futurum. *ibid.*

Præmitto in primis, tripartito modo poſſe hîc de adulterio agi; primò quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quo violatur matrimonij fides per acceſſum ad aliam; ſecundò, quatenus ex eo reſultat obligatio reſtitutionis damnum datum legitimis filiis: tertiò, quatenus ex eo licitum ſit coniugi innocenti diuertere, & ſe ſeparare à coniuge adultero. hîc autem ſolùm agemus de primo modo, quatenus ſcilicet eſt ſpecies luxuriæ. nam de aliis duobus ſatis egimus *in* 4. & 5. *præcepto huius operis.* 1.

Adulterium igitur quatenus eſt ſpecies luxuriæ, ſic definitur. *Eſt peccatum luxuriæ, quo violatur fides coniugalis, & fit acceſſus ad thorum alienum.* Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 8. Caietanus ibi. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 10. *num.* 71. Nauarr. *in manuali Lat. cap.* 16. *num.* 15. Syluester, & Armilla *verb. adulterium, initio.* Farinacius *tom.* 4 *in praxi quæſt.* 141. *num.* 1. & alij: iuris verò conſulti, inter quos eſt etiam Menoch. *lib.* 3. *conſil.* 149. *num.* 1. & Conradus *in practica, rub. de adulterio, num.* 1. aliter definiunt, nempe, *Adulterium eſt elicitus coitus cum vxore, ſponſave aliena perpetratus*; ſed huiuſmodi deſcriptiones in idem recidunt. Dicitur eſſe peccatum luxuriæ, vt indicetur ſub quo genere collocandum ſit tanquam eius ſpecies. Dicitur, *quo violatur fides coniugalis*, vt indicetur adulterium fieri contra id, quod promittitur in matrimonio, quæ eſt fidelitas, & fides inuiolata. 2. *Quid ſit adulterium.* D. Thom. Caietan. Leſſius. Nauarr. Syluester. Armilla. Farin. Menoch. Conrad.

3. Vox autem & vocabulum *adulterij*, ſignificat quaſi tranſitum ad aliam; *Ad* enim tranſitum ſignificat, inde adulterium, quaſi tranſitus ad alteram, ſeu ad aliam alienam, aut ad alienum thorum; ita D. Thom. Leſſius, Farin. *locis allegatis*. Ita etiam Hoſtienſis *in ſum. in rub. de adulterio*, §. *Quid ſit adulterium*. Angel. *in l. 1. ad finem, C. de adulter.* Berm. *de publico concubinatu, rub. de adulterio, n. 1.* Menochius *conſilio 249. num. 1. ad finem, lib. 3.* Vnde ab adulterio venit adulter, quaſi tendens ad aliam; ſeu, vt ait Bermonius, quaſi alienum vterum terens.

D. Thom. Leſſius. Farin. Angel. Bermon. Menoch.

Eſt graue peccatum adulterium, & ex genere ſuo mortiferum, quod patet ex plurimis ſacræ paginæ locis. 1. *Corinth. 6.* apertè dicitur, *Nolite errare, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*. Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriatur, & mœchus, & adultera*. Oſeas 4. *Non eſt veritas, non eſt miſericordia in terris, furtum, homicidium, adulterium inundauerunt*.

Eſt diſtinctum ſpecie à ſimplici fornicatione. Probatur, quia continet totam malitiam ſimplicis fornicationis, & prætetea vltra eam malitiam, grauiſſimam continet iniuriam in coniugem, contra quem committitur: violatur enim in adulterio ius coniugis offenſi in re graui contra omnem iuſtitiam nam, vt docet D. Paulus 1. *ad Corinth. 7.* vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vxor; neque vxor habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir. ius autem hoc, & poteſtas, quam vnus coniux habet in corpus alterius, in hoc conſiſtit,

Primò, quòd vnuſquiſque tenetur à coitu extraneo abſtinere.

Secundò, quòd alter teneatur alteri petenti reddere; vnde non ſolùm coniux grauem facit iniuriam coniugi, quando ei debitum negat, ſed etiam quando cum altero copulatur; tunc enim id, quod eſt coniugis, quoad vſum tribuit alteri, & cum coniux vna caro ſit cum coniuge, carnem coniugis alteri miſcet quoties cum altero copulatur; quàm grauis autem hæc ſit iniuria, patet, & ex diuortio perpetuo, & morte, qua vindicari impunè poteſt, & ſolet; vnde Iob 31. *Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima: ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*; & loquitur de adulterio, & de iniuria illius, quam vocat ignem mordentem, & vrentem, quaſi ſemper excitet ad vindictam.

In quo conſiſtat ius & poteſtas quam vnus coniux habet in corpus alterius.

4. Nec obſtat, quòd coniux conſentiat in adulterio coniugis, & cedat iuri ſuo, & quòd fiat propriæ vxoris leno, vt ſit particeps pretij, aut commodi alterius. nam quamuis iniuria non ſit facta perſonæ coniugis (volenti enim, & conſentienti nulla fit iniuria) adhuc eſt proprium & verum adulterium, fit enim iniuria ſtatui matrimoniali, & toti ordini coniugatorum, vt egregiè docent Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib 4. cap. 3. de ſpeciebus luxuriæ, dubio 10. num. 73.* Filliucius *tract. 29. in 6 præceptum, cap 4 num. 84.* & alij communiter; ſic ſi Clericus cedat iure exemptionis, quo non poteſt ad tribunal ſæculare trahi, & ſponte ſinat ſe ad illud pertrahi, non fiet ei propriè iniuria, ſed ſtatui clericali, & toti Ordini Eccleſiaſtico, quia hoc priuilegium non competit Clerico in ordine ad bonum proprium, & priuatum, ſed in ordine ad bonum ſtatus communis clericalis: ita in matrimonio, quamuis coniux cedat iuri ſuo, adhuc manet in eo actu duplex malitia; altera contra caſtitatem; altera cõtra ſtatum matrimonialem, & ius coniugij, quod ius non competit coniugi cedenti in ordine ad bonum priuatum, ſed in ordine ad bonũ communis ſtatus matrimonialis, ne proles impediatur, ne ſucceſſio hæreditatis perturbetur, &c. Vnde quamuis cedenti, & conſentienti coniugi nulla fiat iniuria, nec aliqua reſtitutio, aut ſatisfactio facienda ſit, fit tamen iniuria ſtatui matrimoniali, vt dixi, & adhuc adulterium committitur contra iuſtitiam ſtatus matrimonij, modo explicato.

Leſſius, Filliuc.

Tribus autem modis poteſt committi adulterium. 5.

Primò, quando ſolutus cum coniugatà miſcetur.

Secundò, quando coniugatus cum ſoluta.

Tertiò, quando coniugatus cum coniugata: duobus primis modis ſi coniugatus ſolutæ copuletur, eſt graue peccatum, graueque adulterium, minus tamen graue, quàm ſi coniugatus cum coniugata miſceatur, quia eſt ſimplex tantùm adulterium; in hoc verò vltimo modo duplex numero adulterium cernitur neceſſariò explicandum in confeſſione. quando enim vterque coniux adulterans matrimonij vinculo adſtrictus eſt, duorum matrimoniorum iura violantur, & duobus coniugibus iniuria illata cernitur; vnde in ſacramento Confeſſionis non ſufficit, vt quis ſe accuſet de ſuo adulterio; ſed tenetur explicare circumſtantiam coniugis ſui complicis, ratione cuius & adulterium, & iniuria duplicatur; ita docent communiter Doctores, Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 4. cap. 3. dub. 10. num. 74. verſu, Grauiſſimum autem*. Filliucius *tract. 29. in ſextum præceptum, cap. 4. num. 88.* & plurimi alij, quos citauimus *in ſecundo præcepto*, & mandato ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de circumſtantiis, & de circumſtantia egimus adulterij.

Leſſius. Filliuc.

6. Nec refert, quòd illæ iniuriæ ſint eiuſdem ſpeciei, quia ſatis eſt, quòd ſint numero diſtinctæ. nam non ſolùm ſpecies peccatorum, ſed etiam numerus illorum neceſſariò in confeſſione eſt explicandus, vt docet Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* hinc ſiquis vno ictu duos homines occidat; ſiquis duobus maledicat, detrahat, aut conuicietur, tenetur numerum perſonarum in confeſſione explicare, propter diuerſa numero peccata, iuxta Authores allegatos, & eſt communis doctrina.

7. Iam verò grauius eſt peccatum adulterij, ſi coniugata cum ſoluto copuletur, quàm ſi coniugatus cum ſoluta miſceatur. Ratio eſt in promptu, quia longè magis repugnat, vt vna fœmina iungatur duobus viris, quàm vt vnus vir duabus fœminis miſceatur, vnde olim in lege vetere multitudo vxorum conceſſa fuit, nunquam tamen multitudo virorum, vt *cap. præcedenti* ſæpe diximus; fit enim peculiaris iniuria marito, dum ei aliena proles ſupponitur, & ſaltem ipſa adultera per adulterium ſe conſtituit in periculo id faciendi. Tandem, quia fit iniuria proli legitimæ, adducta à matre in portionem hæreditatis prole extranea; quæ incommoda non ſequuntur ex adulterio viri cum ſoluta. Hinc fit, vt meritò, atque optimo iure in foro externo adulterium coniugatæ ordinariè morte vindicetur, propter hæc incommoda, quæ ſequuntur, coniugati verò nunquam; licèt in lege vetere vterque morte afficeretur, vt patet ex *Leuitico 20. & Deut. 22.*

8. Tenetur etiam ſolutus ſi miſceatur cum coniugata cõfiteri, circumſtantiam coniugij complicis. nam

nam licèt ille in tali actu nihil agat contra fidem datam in matrimonio,cùm ſit ſolutus, ſufficit tamen quòd iungatur fœminæ coniugatæ, illique comparetur in violanda fide thori alieni, cùm ipſa ſine dubio illam violet: ita Leſſius *tom.1. de iuſt. lib 4. cap.3. de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 10. *num.*74. Filliucius allegatus *num.49 fine.*

Leſſius. Filliuc.

9. Reſtat inquiſitionem facere de nonnullis dubiis.

Primum eſt, an ſit verum adulterium, ſi aliquis cum coniugata per matrimonium tantùm ratum commiſceatur. Cui reſpondeo affirmatiuè.

Primò, quia talis eſt vera vxor alterius. nam per matrimonium ratum coniuges acquirunt,verùm ius ac dominium in corpus alterius adinuicem, vnde veram infert iniuriam ſuo coniugi ille,qui matrimonio rato non conſummato corpus ſuum alteri ad peccandum tradit.

Secundò, quia quamuis coitus cum alterius ſponſa de futuro non diſtinguatur à fornicatione ſimplici, & ad illam pertineat, vt diximus *cap.* 1. *huius libri*, *num.* 15. tamen poſtquam matrimonium per verba de præſenti contrahitur, iam datur perfecta traditio corporis vnius in alterum; ſolùm enim in fauorem Religionis vtrique ſponſo, & ſponſæ conceduntur duo menſes ad ingreſſum Religionis ſi voluerint illam ingredi;in perfecta autem traditione datur perfecta iniuria,ſi alteri tradatur corpus alienum, vt patet. ita docet Filliucius *tract.29. in ſextum præceptum,cap.4.numero* 86. vbi citat Azor. tenet Sanchez *lib.1. de matrim.diſput.2.num.2.* vbi probat ex Gelaſio Papa, & ex definitione adulterij ante matrimonium de præſenti, non dari verè adulterium, dari verò poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, ſeu poſt matrimonium ratum,non conſummatum,quia antè non datur alieni tori violatio, in in qua conſiſtit deformitas adulterij, & pòſt datur, & idipſum docet etiam gloſſa *in cap. quidem deſponſauit 27.quæſt.2.*Couarr *in 4.decretalium*,1. *part. cap.1. num.8.* & alij communiter, & patet expreſsè ex *lib.4. titul 20. & lib. 8. noua Recopilationis Regni Caſtellæ*, ibi, *Si alguna muger eſtando caſada, o deſpoſada por palabras de preſente cometiere adulterio*, vbi vides verum, & proprium adulterium committi, non ſolùm poſt matrimonium ratum, & conſummatum, ſed etiam poſt matrimonium ratum & non conſummatum, quod idem eſt, atque eſſe contractum per verba de præſenti.

Filliuc. Azor. Sanchez. Couarr.

10. Ex quo ſequitur non committi verum adulterium, ſi aliquis commiſceatur cum ſponſa alterius de futuro, quia non eſt verum matrimonium, ſed tantùm promiſſio futuri matrimonij; & ſic ea fornicatio pertinet ad peccatum ſimplicis fornicationis, quia tamen ea circumſtantia ex parte ſponſæ reſpectu ſponſi de futuro reputatur grauis iniuria, tenetur illa eam circumſtantiam ſponſalitatis de futuro explicare in confeſſione, non tenetur verò ſponſus de futuro, ſi cum aliqua commiſceatur circumſtantiam ſponſalitatis in confeſſione declarare, quia non cenſetur ſponſus grauem iniuriam ſuæ ſponſæ inferre, ſi aliis commiſceatur, cùm non tanta honeſtas requiratur in ſponſo, quanta in ſponſa, nec tanta in viris, quanta in fœminis, vt probat Sanchez *lib.* 1. *de matrimon. diſput.* 2. *num.* 6. & nos iam diximus *cap.* 1. *num.* 15. quod vide.

Sanchez.

11. Secundum eſt, an adulter per adulterium amittat ius petendi debitum? Reſpondeo hac de re eſſe partitam opinionem. Quidam enim aiunt cum Nauarro *in ſumma Latin. cap.* 22. *num.* 25. coniugem adulterum non poſſe exigere debitum de iuſtitia à coniuge innocente, tanquam iure debitum; ſed poſſe petere licitè, amicè, ſiue publicum ſit adulterium, ſiue occultum, & ſiue coniux innocens illud ſciat, ſiue neſciat, quia licèt coniux adulterans ipſo iure perdat ius exigendi, non tamen perdit ius rogandi, vt ſibi concedat, alter ſi voluerit, quia matrimonium quoad vinculum durat, non obſtante adulterio, ex quo ſequitur poſſe coniugem innocentem negare debitum adulteranti abſque vlla iudicis auctoritate, & quia adulterans ipſo facto perdit ius de iuſtitia exigendi, & quia frangenti fidem, fides ei frangi poteſt, *l. cùm proponas, C. de pactis, cap. peruenit, de iureiurando*; hanc opinionem cum Nauarro tenet Caietanus *in tractatu* 17. *reſponſionum, reſponſione* 14. *tom.*1. & alij.

Nauarr. Caiet.

Alij verò in ſecunda opinione meliùs dicunt poſſe coniugem adulterium perpetrantem de iuſtitia debitum exigere à coniuge innocente, cùm nec à coniuge innocente priuatus eſt eo iure, nec à iudice; ſi autem priuetur vel à iudice, vel à coniuge, poſſe amicè deinceps petere, & rogare, non verò de iure, nec obligare: cenſetur autem illum priuari à coniuge innocente, ſi cùm petit, ei neget, ſciens illum adulterium commiſiſſe; ita docent Sotus *in* 4. *diſtinct.* 36. *quæſt. vnica*, *num.* 3. Sanchez *lib.* 10. *de matrimonio*, *diſput.* 12. *num.* 8. *& lib.* 1. *diſput.* 68. *num.* 4. Petrus Soto *de matrim. lectione* 16. *§. penult.* Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio*, *cap.*15. *num.*16. Palatios *in* 4. *diſt.*35. *diſp.*1. *fol. mihi* 786. *colum.* 1. Matienzo *lib.* 5. *Recopilat. titul.* 1. *rubricæ*, *gloſſa* 2. *num.* 101. & alij plurimi, quos citat Sancius allegatus, & ratio eſt

Sotus. Sanchez. Henriq. Palat. Matienz. Sancius.

Primò, quia matrimonium eſt quædam ſocietas & contractus, cui tacitè apponitur pœna priuationis iure petendi debitum: in aliis autem contractibus reus non eſt ipſo iure priuatus, ſed priuandus, vt filius qui occultum crimen in patrem commiſit exheredatione dignum.

Secundò, quia hæc eſt veluti pœna conuentionalis iure diuino & naturali impoſita inter omnes contrahentes, vt frangenti fidem fides non ſeruetur: pœna autem conuentionalis non debetur, in conſcientia ante ſententiam iudicis, vel ſaltem antequam pars ipſa illam petat.

Pœna conuentionalis non debetur in conſcientia antequam petatur.

12. Si tamen coniux innocens, qui à principio cœpit debitum negare adulteranti, poſtea ſimile adulterium committat, & alter velit obligare illum ad reddendum, & iure exigat, tenetur ei reddere, quia per ſimilem adulterij iniuriam tollitur ius negandi, vt docet Sanchez *vltimo loco* allegatus, & Nauarrus item citatus, & Filliucius *tract.* 29. *in ſextum præceptum Decalogi*, *cap.* 4. *num.* 87. & conſtat ex *cap. intelleximus*, *de adulteriis*, quod, vt ait Nauarrus (& optimè) animaduertunt Confeſſarij, vt obligent maritos, qui propter adulterium vxorum verum, vel præſumptum vxores deſerunt, vt redeant ad illas, ſi ipſi quoque adulterium commiſerunt, quia tunc per mutuam compenſationem iniuria eſt abolita, & ſi id recuſent, non ſunt abſoluendi, niſi priùs debitum

Sanchez. Nauarr. Filliuc.

reddant vxoribus illud petentibus, vel ſaltem concipiant votum, & efficax propoſitum reddendi illud primo quoque tempore, argumento *cap. peccatum, de regulis iuris in 6.*

13. Tertium eſt, an adulterium ſit grauius inceſtu, & ſtupro? Reſpondeo abſolutè loquendo adulterium grauius eſſe ſtupro, & inceſtum grauiorem adulterio; ratio eſt, quia per adulterium violatur propriè, & immediatè iuſtitia alterius coniugis innocentis, & illi fit iniuria talis, vt non, niſi morte vindicetur legibus ciuilibus, & vt corrodat animum vſque ad perditionem, iuxta illud Iob 31. *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans*; per ſtuprum verò non læditur honor immediatè parentis ſtupratæ virginis, ſed mediante virginis voluntate, & conſenſu, quæ domina ſui corporis eſt ad bonos, & malos vſus, licèt grauiter illa peccet corpore ſuo abutendo, ac proinde non infertur iniuria patri proximè, ſed remotè, & mediante filiæ voluntate, & quod adulterium ſit grauius ſtupro, cæteris paribus, docet expreſsè Alexander *conſil.* 13. *num.* 9. *lib.* 7. Rolandus *conſil.* 86. *num.* 25. *lib.* 2: Farinacius cum multis, quos citat, ac ſequitur *tom.* 4. *quæſt.* 141. *num.* 7. *fol. mihi* 471. *colum.* 1.

Alexand. Roland. Farinac.

14. Si verò comparetur adulterium cum inceſtu, dico, abſolutè etiam loquendo, grauiorem eſſe inceſtum adulterio.

Primò, quia inter inceſtus ſunt quidam gradus multo grauiores quolibet adulterio, vt illi, qui ſunt prohibiti iure naturæ, vt cum matre, ſorore, filia, ſocru, nouerca, priuigna; quamuis aliqui etiam inceſtus minus graues ſint adulterio, vt illi, qui tantùm iure poſitiuo humano prohibiti ſunt; inceſtus etiam in ſecundo gradu aſcendentium, vt cum auis, vel neptibus, videntur grauiores adulterio, valde enim repugnant pietati & naturali propenſioni, qua inclinamur in parentes, & filios, aui autem loco parentum, & velut parentes ſunt. Demum inceſtus cum affinibus (excepto primo gradu, qui ſi non eſt prohibitus in primo rigore iuris naturæ, ita tamen illi repugnat, vt ad illum proximè accedat) minus grauis eſt adulterio, vt patet, quia reſpectus pietatis erga affines in ſecundo, & tertio gradu affinitatis non eſt tam euidens, nec iniuſtitia talium inceſtuum tam euidens eſt, quàm euidens eſt iniuſtitia adulterij.

15. Quartum dubium eſt, an coniux qui ſodomiticè, & contra naturam cum mare, vel fœmina miſcetur, teneatur in confeſſione aperire circumſtantiam ſtatus coniugij; & videtur affirmandum, licèt enim proprium adulterium in maritum, vel coniugem non committat, attamen modo ſuo diuidit carnem ſuam cum altero, & ſic grauem iniuriam infert ſuo coniugi, vt optimè notauit Filliucius *tract.* 39: *col.* 1. & ratione huius iniuriæ ſemper in confeſſione debet exprimere ſtatum coniugij.

Filliuc.

16. Sequitur, vt de pœnis adulterij agamus; ſed hæc pertinent ad forum externum: certum tamen eſt crimen adulterij de iure ciuili pœna mortis vindicari; patet ex *l. quamuis 2. in fin. C. ad legem Iuliam de adulterijs*, ibi, *ſacrilegos autem nuptiarum gladio vindicari oportet*, vbi ad execrandum delictum adulterij ſacrilegi nuptiarum vocantur adulteri. Conſtat etiam *Inſtit. de publicis iudiciis, §. item lex Iulia de adulteriis*, & *ibi* gloſſa *in verb. gladio*, & id communiter docent Auctores, quos videre poteris apud Farinacium allegatum *tom.* 4. *quæſt.* 141. *num.* 17. *fol. mihi* 466. *colum.* 1. Neque enim fas eſt illos omnes recenſere.

Pœna adulterij.

Farin.

Quod adeò verum eſt, vt vxor nullo modo ab adulterij pœna excuſetur propter viri ſæuitiam, famis neceſſitatem, aut propter paupertatem, *l. palam, §. non eſt ignoſcendum, ff. de ritu nuptiarum, cap. ex literis*, cum *ibi* notatis *de diuortio*. Menochius *conſil.* 31. *num.* 30. *&* 32. *lib.* 2. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſententiar. §. adulterium, num.* 75. Pariſius *conſil.* 23. *num.* 45. *&* 60. *lib.* 4. & communiter omnes. 17.

Menoch. Iul. Clar. Pariſius.

Imò tam ſeuerè leges ciuiles in adulteros animaduertunt, vt pœna mortis naturalis puniant tam adulterum, quàm adulteram, quando etiam matrimonium eſt nullum; ſufficit enim, quòd ſit putatiuum, & quòd communiter putetur validum, vt conſtat ex textu *in l. ſi vxor, §. Diuus, verſ. ſi ea, ff. ad legem Iuliam*, & idipſum *ibi* notant Bartolus, Albericus, & Angelus, quos refert, & ſequitur Antonius Gomez *ad legem* 80. *Tauri, num.* 48. 18.

Ibi tamen ante finem in verſu, *quam tamen legem*, explicat id procedere, quando matrimonium eſt nullum ob impedimenti, vel conſanguinitatis, vel affinitatis ignorantiam; ſecus ſi ex defectu conſenſus, & voluntatis, aut ætatis, vt cùm matrimonium vi, aut in minori ætate contrahitur; argumento textus, *ad diſſoluendum, de ſponſalibus*, & *ibi* Abbas, & communiter Doctores; & idipſum docent etiam Iul. Clarus *§. adulterium, num.* 14. *verſu, ſed quid ſi aliquis*, & Baiard. *ad ipſum Iulium Clarum, num.* 67. & Farinacius *tom.* 4 *in praxi, quæſt.* 141. *num* 62. *folio mihi* 470. *colum.* 2. *& quæſt.* 142. *num.* 16. Hæc de iure communi, de iure autem Luſitano non eleuantur pœnæ, imò aggrauantur, augenturque. Vide *lib.* 5. *nouæ editionis, toto titulo* 38.

Abbas. Iul. Clar. Baiard. Farin.

Vltra prædictam pœnam capitis adulteri, & adulteræ, pœnam infamiæ incurrunt, vt patet ex textu egregio *in leg.* 2. *§. miles, ff. de his qui notant. infamia*, & *ibi* gloſſa *in verb. Infamem, & in l. qui cum vno, §. adulterij*, & *ibi* etiam gloſſa, *ff. de re militari, & in l. palam, §. quæ in adultero, ff. de ritu nuptiarum*, & ita docet poſt multos, quos refert ac ſequitur Farinacius *dicta quæſtion.* 141. *num.* 25. Et per hæc iura hanc etiam reſolutionem firmauit Tiraquel. *de legibus connubial. in l.* 13. *num.* 19. 19.

Adulter de adulterio damnatus fit infamis.

Farin. Tiraquel.

Vnde damnatus de crimine adulterij, non poteſt eſſe teſtis in iudicio, ſi ad mortem non fuerit condemnatus, vt docet idem Farinacius *ibi*, iuxta textum allegatum *in l. ſcio quidem, D. de teſtibus*; & Bernardus Diaz *in practica criminali, in verb. adulteri, cap.* 85. *num.* 4. vbi etiam aſſerit Clericum de adulterio damnatum effici infamem: cum Farinacio conſentit etiam Menochius *de arbitrariis quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 419. *num.* 60. *ad finem*. Decianus *in tractatu criminum, lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 14. *verſ. Efficitur etiam infamis*. Baiardus *ad Iul. Clarum in §. adulterium, num.* 7. vbi de muliere adultera.

Farin. Diaz. Menoch. Decianus. Baiard.

Clericus de iure Canonico pro adulterio deponitur, *cap. ſi quis Clericus, cap. Romanus* 81. *diſtinct.* 50. Bermon. *de publico concubin. rubr. de adulterio, num.* 24. 25. *&* 26. Ghirlandus *de pœnis omnifariam coitus, quæſt.* 6. *num.* 1. Farinacius allegatus *dicta quæſt.* 141. *n.* 29. & multi alij quos allegat, & idpſum docet Bernard. Diaz *in practica. verb. adulteri, n.* 2. & inſuper præſcribitur in textibus allegatis, vt præter depoſitionem 20.

Bermon. Ghirland. Farin. Diaz.

detru

detrudantur in Monaſterium perpetuò, quæ pœna detruſionis non eſt hodie in vſu, vt docet Diaz *in pract. criminali, cap.* 128. Menochius *de arbitrariis quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 419. *num.* 6. Decianus *in tract. crimin lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 14.

Itaque Clerico de adulterio infamato in primis debet iudex purgationem canonicè indicere, in qua ſi defecerit, debet illum iudex pro prima vice ab ordinibus ſuſpendere; & ſi plenè probatum ſit delictum, & ſcandaloſum fuerit, poterit illum deponere, & pro hoc modo procedendi in Clericorum adulteriis facit optimus textus *in cap. ſignificaſti, de adulteriis*, & id confirmant Bermon. *de publico concubinatu, in rub. de adulteriis, num.* 26. Paulus Ghirlandus *de pœnis omnifariam coitus, quæſt.* 6. *num.* 1. Farin. *tom.* 4. *quæſt.* 141. *num.* 31. *fol. mihi* 468. *colum.* 1.

Bermon. Ghirland. Farinacius.

Vindicta, & punitio huius criminis pertinet ad iudicem ciuilem; ſi tamen perſona fuerit Eccleſiaſtica, ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectabit; vbi enim de perſonis agitur Eccleſiaſticis, non intromittitur iudex ſæcularis. Si tamen agatur de ceſſatione ab adulterio, & peccato, & de emendatione in futurum, poteſt iudex Eccleſiaſticus ſæculares homines cenſuris & excommunicationibus cogere, vt à peccato adulterij deſiſtant: quod conſtat ex *cap. cùm ſit generale, de foro compet.* & ex variis Doctoribus, quos refert ac ſequitur Couarruuias *lib.* 3. *var. reſolut. cap.* 3.

CAPVT VIII.

De ſacrilegio quatenus eſt ſpecies luxuriæ. Quid ſit, quale peccatum, quas pœnas habeat in iure.

SVMMARIVM.

Quid ſit ſacrilegium quatenus eſt ſpecies luxuriæ, num. 1. *&* 2.

Quibus modis contingat ſacrilegium, tam ratione perſonæ ſacræ votum habentis caſtitatis, quam ratione loci ſacri. num 3 4 5. 6. 7.

An is qui peccat contra caſtitatem, ſi ſit Sacerdos ſimul, & Religioſus, vel ſit Religioſus ſimul, & ſacros Ordines habeat, teneatur vtramque circumſtantiam in confeſſione explicare, num. 8. *Refertur prima opinio aſſerens teneri.* ibid.

Refertur ſecunda. num. 9.

Refertur tertia. num. 10.

Omnes hæ opiniones ſunt valdè probabiles, num. 11.

Opinio Authoris. num. 12. *&* 13.

An ſi perſona peccans contra caſtitatem votum habeat ſolemne, & ſimplex caſtitatis ſimul, teneatur vtramque circumſtantiam voti ſimplicis, & ſolemnis in confeſſione aperire. num. 14.

An ſit ſacrilegium fornicatio cum geſtatione reliquiarum, & hæc quoque circumſtantia explicanda ſit. num. 15.

Quid ſi res ſacra detur in pretiũ pro fornicatione, n. 16

Pœnæ ſacrilegij quæ. num 17.

Quot delicta committat ille, qui cum Moniali rem habet. num. 18.

An priuetur ob id crimen, & ſacrilegium bonis omnibus. num. 19.

Pœnæ ſacrilegij huiuſmodi quæ ſint de iure Canonico. num. 20.

SACRILEGIVM prout eſt ſpecies luxuriæ ita definitur: *Eſt peccatum luxuriæ, quo perſona ſacra, vel locus ſacer violatur* ita ſumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 10. ex Caietano *ibi*, ex Filliucio *tract.* 30. *in ſextum præceptum, cap.* 7. *num.* 119. ex Leſſio *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 12. *à num* 83. & ex Summiſtis *verb. Sacrilegium*, & ex aliis paſſim. Ponitur hîc luxuria tanquam verbum commune ad ſacrilegium, ſtuprum, adulterium, fornicationem, & alias ſpecies: Dicitur, *quo perſona ſacra, vel locus ſacer violatur*, quia ſacrilegium committi poteſt, 1.

Sacrilegium quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quid ſit. D. Thom. Caietan. Filliuc. Leſſius. Summiſt.

Primò ratione tantùm perſonæ ſacræ, & voto Deo dicatæ.

Secundò ratione tantùm loci ſacri in quo fit.

Tertiò ratione perſonæ, & loci ſimul.

Primo modo contingit cùm quis ſiue vir, ſiue fœmina votum ſimplex, vel ſolemne caſtitatis habens in luxuria contra votum peccat, ſiue ſe polluendo, ſiue cum alio, vel copula carnali, vel contra naturam peccando, vel oſculis, vel amplexibus impudicis, & libidinoſis.

Secundo modo cùm quis ſiue votum caſtitatis habeat, ſiue non habeat in templo, vel cœmeterio ſacro, vel benedicto ſe polluit voluntariè, vel quando habet copulam carnalem in iiſdem locis, ſiue licitam, ſiue illicitam, vt cum propria vxore, vel aliena, vt infrà latiùs explicabimus.

Tertio modo, cùm perſona ſacra in loco ſacro modo explicato peccat.

Hæc eſt melior, & explicatior definitio ſacrilegij. Aliqui enim, inter quos eſt etiam Leſſius, & Caietanus allegatus, ſacrilegium quatenus eſt ſpecies luxuriæ, ita explicant, & definiunt: *Eſt rei ſacræ violatio*, & per rem ſacram, perſonam Deo voto dicatam, vel locum ſacrum, aut benedictum intelligunt, iuxta modum explicatum, & in poſterum explicandum. 2.

Hæc autem violatio rei ſacræ ſeu perſonæ violatio quinque modis poteſt contingere. 3.

Quibus modis contingat ſacrilegium.

Primò, ſi perſona ſacra (qualis eſt illa, vt dixi, quæ habet votum ſimplex, vel ſolemne caſtitatis) in fornicationem, vel delectationem illius internam, vel externam conſentiat, violat enim ſanctitatem propriæ perſonæ, Deo per votum caſtitatis conſecratæ; quo pacto ſacrilegium committunt omnes Religioſi, & Religioſæ, & Clerici ſacris Ordinibus initiati, & qui votum habent caſtitatis ſimplex, quando contra ſextum præceptum peccant, & tenentur circumſtantiam voti ſimplicis, vel ſolemnis explicare, quando Confeſſarius non cognoſcit perſonam voto caſtitatis eſſe Deo dicatam, aliter erit confeſſio inualida, & ſacrilega, niſi ignorantia excuſet, quia ea voti circumſtantia mutat ſpeciem peccati; tale enim peccatum continet malitiam peccati fornicationis ſimplicis, & vltra eam malitiam continet etiam malitiam aliam contra votum, & virtutem Religionis, & fidem Deo præſtitam per votum, atque adeò malitiam ſacrilegij. Quamobrem hæc ſacrilegij & voti circumſtantia neceſſariò erit in confeſſione explicanda, quia mutat ſpeciem peccati; ita communiter DD. Leſſius citatus *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 84. Filliucius *tract.* 30. *in ſextum præceptum Decalogi, cap.* 7. *n.* 122. Syluester *verb. Sacrilegium*, §. 1. & multi alij, quos citauimus, *in ſecundo Eccleſiæ præcepto*, vbi de circumſtantiis confeſſionis egimus.

Leſſius. Filliuc. Syluest.

Secundò ſi perſona non ſacra conſentiat in turpem actum mortalẽ circa perſonã ſacram, tenetur enim tũc propter ſacrilegiũ explicare in cõfeſſione 4.

circumſtantiam perſonæ ſacræ, cum qua vel actu peccauit, vel peccare deſiderauit, iuxta Authores allegatos,& omnes communiter.

5. Tertiò ſi vtraque perſona ſit ſacra,tenetur manifeſtare in ſacramento Pœnitentiæ vtramque circumſtantiam perſonę vtriuſque;tunc enim duplex eſt ſacrilegium;ſicut duplex eſt adulterium,quando vterque adulter,& adultera eſt coniugatus, in quo caſu vtraque etiam circumſtantia adulterij in confeſſione neceſſariò eſt aperienda; ita Authores allegati, & communiter omnes.

6. Quartò cùm fit in loco ſacro, etiam inter coniuges abſque neceſſitate; quid autem intelligatur nomine, & appellatione loci ſacri,diximus *cap.3. num.5.* nam certum eſt apud omnes per copulam carnalem illicitam, & extra matrimonium etiam occultam in Eccleſia;ſeu loco ſacro habitam committi ſacrilegium, & violari locum ſacrum, quatenus ſcilicet peccatum committitur contra ſanctitatem loci;& in eo violatur,& ei fit iniuria, ad quod ſacer factus eſt, non tamen indigere purificatione, dum eſt occulta, indigere autem poſtquam incepit publicari ita Toletus *lib. 5. ſumma cap.12* Rebellus *2. p. de oblig. iuſt. quæſt. 19 ſect. 1. n. 7.* Sà *verb. Debitum coniugale, num. 12.* Filliucius *tract. 3. in ſextum præceptum Decalogi, cap.7. n.131.* Sylueſter *verb. Conſecratio 2. §. 5.*

Tolet. Rebellus. Sà. Filliuc. Sylueſter.

7. An autem per copulam carnalem licitam inter coniugatos, ſi in Eccleſia habeatur, committatur ſacrilegium,& locus ſacer indigeat purificatione, quando vel publica fuit, vel publicari incepit, etiamſi fuerit occulta, eſt dubium, de quo diximus *cap.3. à num.9.*

8. Dubium autem præcipuum hîc eſt,an ille, qui peccat contra ſextum præceptum, ſi ſit Sacerdos ſimul, & Religioſus Profeſſus, duo ſacrilegia committat, alterum contra Ordines ſacros; alterum contra votum ſolemne caſtitatis,& an hoc teneatur explicare in confeſſione: qua de re tripartita eſt ſententia.

An is qui peccat contra caſtitatē, teneatur vtrā que circumſtantiam in confeſſione explicare. Opinio prima.

Prima docet,duplex eſſe ſacrilegium,quia ſunt duæ circumſtantiæ ſpecie diuerſæ, altera ratione Ordinis ſacri, ſiue ſit ordo ſacerdotalis, ſiue Diaconatus, ſiue Subdiaconatus; altera ratione voti ſolemnis:illa prior circumſtantia ex præcepto Eccleſiæ adnexo ſacris Ordinibus, quæ ob honorem & ſanctitatem ſacrorum Ordinum prohibet ſub præcepto actum venereum, & contra caſtitatem iis, qui ſacris Ordinibus initiantur. Hæc poſterior ex obligatione voti ſolemnis, quæ eſt ſpecie diuerſa ab illa Priori, ſicut obligatio audiendi ſacri ex voto, & ex præcepto Eccleſiæ, ſpecie inter ſe diſtinguuntur, & duplex peccatum eſt illatum violatio, & quòd illa ſit ſacris Ordinibus ex præcepto Eccleſiæ adnexa,patet, quia ſi ita non eſſet, ille, qui vellet ſacros Ordines ſuſcipere, & nollet ſe obligare ex voto ad caſtitatem, non teneretur illam ſeruare, quod eſt abſurdum; ac proinde,ne hoc ſequatur, Eccleſia ſpeciali præcepto Clericis ſacris Ordinibus initiandis ob ſanctitatem ſacrorum Ordinum præcipit obſeruationem caſtitatis, & ſic conſtituit Eccleſia hoc præceptum intra ſpeciem ſacrilegij ob violationem ſanctitatis,quæ ſacris Ordinibus debetur. Ita docet Petrus Ledeſma *de Sacramentis*, vbi de ſacramento Pœnit. *cap.10. num.1. & 2.* Palæotus *de ſpuriis, cap.16.* Paludanus *in 4. diſt. 36. quæſt.4 art.1. num.14.* Sotus *lib.8. de iuſt. & iure, quæſt. 2. art. 5. in reſponſione ad primum argumentum principale, & in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4. concl. 7.* vbi aſſerit votum caſtitatis in Religioſo eſſe diſtinctum ſpecie à voto caſtitatis Sacerdotis ſæcularis, quia iſte tenetur ſeruare caſtitatem ex præcepto, ille ex voto, quæ vincula ſunt ſpecie diuerſa, & hanc opinionem debent etiam neceſſariò tenere omnes, qui dicunt obligationem caſtitatis in ſacris Ordinibus oriri ex præcepto, non ex voto,& hi ſunt Valentia *4. part. tract. de ſacramento Ord. diſp. 9. quæſt. 5. poſt initium, puncto 5. §. primo, & in controuerſiis, lib. de cælibatu, cap. 2. initio.* Guttierrez *lib. 1. quæſt. canon. c. 7. num. 45.* Turrecremata *cap. placuit, art. 1. num. 16. in ſolut. ad 5. diſt. 32.* & alij, quos refert, ſed non ſequitur, Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 27. n. 9.*

Ledeſma. Palæotus. Palud. Sotus. Valentia. Guttier. Turrecrem. Sanchez.

9. Secunda ſententia aſſerit, eſſe vnum quidem ſacrilegium,ſed cum circumſtantia notabiliter aggrauante,atque adeò neceſſariò in confeſſione exprimenda hanc tenent Azor *cap. 27. quæſt. 9.* & alij quos citat, vtraque eſt probabilis, & pro hac opinione citabimus plures *num. 13.*

Opinio ſecunda. Azor.

10. Tertia docet eſſe vnum ſpecie ſacrilegium, & ideo Sacerdotem,& Religioſum Profeſſum ſatisfacere confeſſioni, ſi tantùm dicat ſe eſſe Sacerdotem, tacendo ſe eſſe Religioſum Profeſſum; aut ſi dicat ſe eſſe Religioſum Profeſſum, tacendo ſe eſſe Sacerdotem,quia ſufficit alterum explicare ſimiliter mulier, quæ peccauit cum Religioſo habente ſacros Ordines,ſufficiet horum alterum explicare, dicendo ſcilicet,Peccaui cum habente ſacros Ordines,tacendo ſtatum Religioſi, aut, Peccaui cum Religioſo, tacendo ſacros Ordines: ita docet Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 27. num. 28.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 4. cap. 3. dub 11. num. 87* Corduba *in ſumma, quæſt. 3.* Caietanus *2. 2. quæſt. 186. art. 9. dub. 1.* videtur etiam idem ſentire, expreſsè verò idem ſentit Lud. Lopez *1. part. inſtruct. c. 29. col. 9* Ouandus *in 4. diſt. 25. quæſt. vnica poſt 9 concluſionem, corollario 2.* Rodriguez *tom. 1. ſumma in ſecunda edit. cap. 53. num. 5.* Medina *lib. 1. inſtr. conſcient. cap. 14 §. 18.* Fundamentum eſt, primò quia huiuſmodi obligationes ſunt eiuſdem ſpeciei; obligatio enim caſtitatis in ſacris Ordinibus oritur ex voto implicito caſtitatis, & non ex præcepto: votum autem ſolemne caſtitatis in ſacris Ordinibus, & votum profeſſionis ſunt eiuſdem ſpeciei,nam Eccleſia imponit præceptum caſtitatis iis, qui initiantur ſacris Ordinibus mediatè, id eſt, mediante voto implicito caſtitatis, & ſic intendit obligare illos ex voto,quòd ſi fortè expreſsè noluerint caſtitatem implicitè vouere, & ſe ad illam obligare ex voto, ne euadant, tunc quidem mediante voto, imponit illis præceptum ſeruandi illam; & per hæc manent explicata fundamenta aliarum opinionum.

Opinio tertia. Sanchez. Leſſius. Corduba. Caietan. Lopez. Ouandus. Rodrig. Medina.

11. Omnes hæ opiniones ſunt valdè probabiles. Ex hac vltima opinione

Sequitur primò, ſi Sacerdos, vel alius Religioſus ſacris Ordinibus initiatus ſit profeſſus, ſatisfacere confeſſioni, dicendo ſe eſſe profeſſum, & tacendo ſe eſſe Sacerdotem.

Sequitur ſecundò Sacerdotem non profeſſum ſatisfacere, dicendo ſe habere ſacros Ordines, vel votum caſtitatis, tacendo ſe eſſe Sacerdotem.

Sequitur tertiò Epiſcopum ſatisfacere, dicendo ſe eſſe ſacris initiatum, vel ſe eſſe Sacerdotem, vel votum caſtitatis habere.

Sequitur quartò, profeſſum Religioſum fornicantem ſatisfacere ſi dicat ſe violaſſe votū caſtitatis per fornicationē, non explicando ſe eſſe religioſū. has omnes ſequelas deducit, & approbat Filliucius *tractatu 30. in ſextum præceptum Decalogi, cap. 7.*

cap.7. num. 125. folio mihi 39. colum.1. & Sanchez *lib.7. de matrim. diſput.27. à num.27. vſque ad 98.* Sanchez.

12. *Opinio Authoris.* Sed de hac vltima ſequela ſpecialiter dubitatur, an profeſſus fornicans carens ſacris Ordinibus ſatisfaciat confeſſioni, dicendo ſe habere votum caſtitatis, non declarando eſſe ſolemne, & tacendo ſe eſſe profeſſum; quidam enim aſſerunt ſatisfacere, ita Sanchez *dicto lib. 7. de matrim. diſput.27.* Henriquez *lib.2. de pœnit.cap.5.num.6. cum commento litera G.* Corduba *in ſumma quæſt.3.* & ratio illorum eſt, quia votum ſolemne caſtitatis non diſtinguitur eſſentialiter à voto ſimplici, ſed accidentaliter tantùm. nam eſſentia voti ſolemnis in Religione in eo conſiſtit, quòd per illud tradat vouens vſum ſui corporis Deo, & per eam traditionem reddatur ipſe ex ſtatuto Eccleſiæ inhabilis ad contrahendum matrimonium, & ſi contrahat, nulliter contrahat. Eſſentia autem voti ſimplicis in eo etiam ſita eſt, vt vouens quantum eſt ex parte ſua tradat vſum ſui corporis Deo, noluit tamen adhuc Eccleſia, vt ipſe vouens, ſi ſæcularis ſit, per eam traditionem redderetur inhabilis ad contrahendum, vnde votum ſolemne caſtitatis ſiue ſit votum Profeſſorum, & Religioſorum, ſiue ſit ſacris initiatorum non regularium, differt extrinſecè, & accidentaliter à voto ſimplici caſtitatis per ſolam Eccleſiæ conſtitutionem decernentis, vt hæc vota matrimonium, non illa hominum ſæcularium, vt optimè animaduertit Sanchez *lib.7. de matr.diſp.27.num.18.* (Sanchez. Henriq. Corduba. Sanchez.)

13. Alij dicunt, quamuis votum caſtitatis ſolemne Profeſſorum regularium, vel eorum non regularium, qui ſacris Ordinibus initiantur, non diſtinguatur ſpecie, & eſſentialiter à voto ſimplici eiuſdem caſtitatis, tamen circumſtantiam religioſi ſtatùs, & circumſtantiam ſacrorum Ordinum (per ſacros enim Ordines deputatur quis ſpecialiter miniſteriis diuinis) eſſe notabiliter aggrauantem, & ſic ſaltem ratione huius circumſtantiæ notabiliter aggrauantis teneri profeſſum ſacris Ordinibus carentem explicare in confeſſione ſe eſſe Religioſum, & aliter confeſſioni non ſatisfacere, quia circumſtantiæ notabiliter aggrauantes ſunt de neceſſitate confeſſionis; ſicut ille qui furatur mille aureos, tenetur hanc circumſtantiam magni furti explicare in confeſſione, & non ſufficit dicere, Furatus ſum quantitatem peccati mortalis, licèt furtum magnum, & paruum ſpecie non diſtinguatur, & hanc opinionem ſecuti fuimus in ſecundo præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de circumſtantiis egimus, & illi iterum adhæremus, non poteſt enim negari, circumſtantiam religioſi ſtatus, & circumſtantiam ſacrorum Ordinum eſſe ſaltem circumſtantias notabiliter aggrauantes; ſicut enim per ſacros Ordines ſpecialiter deputatur quis altioribus Eccleſiæ, & diuinioribus myſteriis, ita & ratione religioſi ſtatus iiſdem deputatur. Sed reſpondent alij circumſtantiam religioſi ſtatus non eſſe notabiliter aggrauantem, quia ſemper relinquit peccatum intra eandem ſpeciem, & non mutat ſpeciem illius; nam hic ſolum peccatum committitur contra Deum, qui tantum offenditur in violatione voti ſimplicis, quantum in violatione voti ſolemnis. Nec eſt, inquiunt, eadem ratio in furto magno, & paruo, nam in furto magno, multo plus, & grauius offenditur proximus, quàm in paruo, & eò plus, quò grauius eſt furtum, & damnum, quo proximus damnificatur, & ideo ratione huius maioris damni, & maioris obligationis datur in furto circumſtantia maioris damni, quod damnum notabiliter furtum aggrauat, quæ circumſtantia neceſſariò eſt confitenda, & hæc reſponſio deducitur etiam ex Sancio, & ex aliis authoribus, quos non oportet modò allegare. At noſtra opinio ſtat; non poteſt enim negari ſicut circumſtantia multo maioris, & grauioris furti notabiliter furtum aggrauat, & eſt de neceſſitate confeſſionis, ita circumſtantiam religioſi ſtatus, & circumſtantiam ſacrorum Ordinum, cùm per illas quis diuino ſeruitio, & ſacratioribus myſteriis ſpecialius deputetur fornicationis peccatum notabiliter aggrauare, & ideo eſſe huiuſmodi circumſtantias de neceſſitate confeſſionis, in opinione meliori, quæ hodie docet has circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe de neceſſitate confeſſionis; quamobrem non negat Sanchez eſſe valdè probabilem opinionem iſtam, quæ docet vtramque circumſtantiam religioſi ſtatus, & ſacrorum Ordinum eſſe confitendam, ideo ſolum, quod notabiliter peccatum aggrauat, & id fatetur etiam Azor citatus *in 2. opinione*, & docet Cardinalis Palæotus *de nothis, & ſpuriis, cap.16. num.15.* & Medina *lib.6 ſummæ cap.12.§ 8 fol.19.* Emanuel Rodriguez *tom.1. ſummæ, in ſecunda editione, cap.5. num.5.* & alij, & hanc etiam ſecuti ſumus, vt dixi in ſecundo ſanctæ Eccleſiæ, vbi de circumſtantiis egimus confeſſionis, vtpote valdè probabilem. (Azor. Palæotus. Medina. Rodrig.)

Dubitabis verò hîc, an ſi perſona habeat votum ſolemne, & ſimplex, teneatur vtrumque in confeſſione explicare? Reſpondeo hîc etiam eſſe triplicem ſententiam. 14. *An vtraque circumſtantia voti ſimplicis & ſolemnis quando concurrit, explicanda ſit neceſſariò in confeſſione.*

Prima eorum, qui aiunt eſſe explicandam, quia votum ſolemne, & ſimplex differunt ſpecie, ita Sotus *lib.7. de iuſtitia, quæſt.2. art.5.* Medina *inſtruct.cap.14.§.18.*

Secunda eſt eſſe quidem eiuſdem ſpeciei, ſed votum ſolemne addere circumſtantiam notabiliter aggrauantem, ideoque exprimendam. ita Azor *cap. 19. queſ. 10.* Petrus Ledeſma *de Sacrament.* vbi de ſacramento Pœnitentiæ, *cap.19.* (Sotus. Medina. Azor. Ledeſm.)

Tertia docet eſſe tantùm circumſtantiam non aggrauantem, & ideo non neceſſariò confitendam; ita docet Sanchez *lib.7. de matrimonio, diſput.27.num.31.* Henriq. *lib.5.de pœnit.cap.5.n.6. in commento litera G.* Ludouicus Lopez *1.part.inſtruct.cap.29 col.9. §. Præterea*, huic affinis Filliucius *tract. 30. in ſextum præceptum Decalogi, cap.8. num.127.* Omnes ſunt probabiles, ſecunda probabilior eſt prima, tertia eſt probabilior prima & ſecunda. nam votum ſolemne & ſimplex differunt tantùm accidentaliter, & circumſtantia ſolemnitatis licèt aliquantulum culpam augeat, non multum auget, ſicut nec etiam multum auget ſi fornicans ſit Doctor, vel ſanctior, cæteris paribus, vel maximis beneficiis à Deo affectus. (Sanchez. Henriq. Lopez. Filliuc.)

Sed quid ſi geſtentur reliquiæ dum fornicationi opera datur, aut agnus benedictus, vel globuli cum Indulgentiis? Reſpondeo, non eſſe ſpeciale ſacrilegium, nec circumſtantiam neceſſariò exprimendam, quia non agitur ſpecialiter contra rem illam ſacram, vt ſacra eſt, ſed tantùm caſu ſe habet ad actum venereum; ſecus ſi ſpecialis intentio habeatur agendi contra res ſacras. vt res ſacra polluatur per actum venereum, ita Filliucius citatus *num. 129.* & nos ſatis id docuimus *in 1. tomo de mandatis ac præceptis ſanctæ Matris Eccleſiæ.* 15. (Filliuc.)

Sed quid ſi res ſacra detur in pretium actus venerei, non autem ex gratitudine, aut beneuolentia 16.

tantummodo? Reſpondeo eſſe ſimoniam, & ſacrilegium ſimul, ſicut ſi quis conferret beneficium, vel eligeret, vel præſentaret aliquem tanquam pretium actus venerei habiti cum ſorore electi, vel præſentati: ita Filliucius allegatus *n.* 130. (Filliuc.)

Notandum verò, ſacrilegium poſſe ſimul inueniri cum aliis peccatis luxuriæ, poteſt enim inueniri cum inceſtu, ſi inceſtus committatur in loco ſacro, & poteſt inueniri in eadem perſona, ſi cognoſcatur Monialis perſona, conſanguinea vel affinis; item poteſt inueniri cum ſtupro, ſi virgo Deo ſacrata voto ſimplicis caſtitatis, vel ſolemni violetur, ſed hæc de ſe patent.

17. *Pœna ſacrilegij quatenus ſpecies luxuriæ, quæ.* Pœnæ ſacrilegij ſunt grauiſſimæ, cognoſcens carnaliter Monialem pœna mortis naturalis plectitur; patet ex textu *in Authentico de ſanctiſſ. Epiſcopis, §. penultimo*, vbi ſtatuitur capitale ſupplicium iis, qui aut Diaconiſſam, aut Monialem, aut quamlibet aliam venerabilem habitum habentem corruperit, & ex textu *in l. ſi quis in hoc genus, in principio, C. de Epiſcopis & Clericis, & ex cap. ſi quis rapuerit 27. quæſt.* 1. docet Farinacius (Farin.) *quæſt.* 146. *tom.* 4. *§. ſacrilegium, num.* 3. Paulus Ghirlandus *de pœnis omniſariam coitus, quæſt.* 1. *num.* 18. *verſ. de iure autem ciuili*, Iulius Clarus §. *fornicatio, num.* 14 *verſ. cum Moniali.* Menoch. *de arbitr. quæſt. num.* 2. *caſu* 389. *n.* 24. *verſ. iure ciuili*, & intelligunt hoc de pœna mortis naturalis, quamuis Anchatranus, & Decianus *in tract. criminali, lib. 6. cap.* 20. *n.* 6. *ante finem, verſ. lege autem Longobardorum*, velint hanc pœnam intelligendam eſſe de pœna deportationis, aut pecuniaria, non de pœna mortis naturalis, grauitas autem huius pœnæ ſumitur ex grauitate criminis; deteſtabile enim eſt hoc crimen ſacrilegij cum Moniali, huius enim criminis reos filios perditionis appellat Apoſtolus, vt expreſsè deciſum eſt in Concilio Arelatenſi, de quo *in cap. ſciendum 27. quæſt.* 1. (Ghirland. Iul. Clar. Menoch. Anchatr. Decian.)

18. *Quot delicta committat ille, qui cum Moniali rem habet.* Imò qui carnaliter cognoſcit Monialem, committit tria delicta grauiſſima, nempe adulteriũ, quia eſt ſponſa Chriſti; ſacrilegiũ, quia eſt perſona ſacra; & ſtuprum ſecundùm aliquos, quia eſt virgo, & deflorata, ita idẽ Farin. allegatus *n.* 6. & Bern. Diaz *in pract. Canon. in verb. Monialibus, cap.* 81. *num.* 1. & *ibi* Ignatius Lopez *litera A. in prima dictione.* Menochius *de arbitrariis quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 389 *num.* 22. *& ſequentibus, & caſu* 502. *num.* 26. *centuria* 6. Vnde cognoſcens Monialem, licèt deberet puniri multiplici pœna, quia multa in vno committit delicta, nempe, ſacrilegij, ſtupri, adulterij, vnica tamen mortis pœna hoc vindicatur delictum, quia in hac omnes includuntur, vt bene animaduertunt Marſilius *in lib.* 1. *n.* 33. *& ſequentibus. cap. de raptu virginis.* Farinacius *quæſt.* 146. *tom.* 4 *§ ſacrilegium, num.* 7. Ghirlandus *de pœnis omniſariam coitus, quæſt.* 1. *num.* 22. Iulius Clarus §. *fornicatio, in verb. Cum Monialibus, litera B. verſ. ſed quoad pœnitentiam.* (Diaz. Lopez. Menoch. Marſil. Farinac. Ghirland. Iul. Clar.)

19. *An priuetur ob id crimen, & ſacrilegium bonis omnibus.* Præterea bona omnia illius, qui Monialem carnaliter agnoſcit, Monaſterio applicantur, in quo permanebat dicta Monialis, vt latè probat idem Farinacius citatus per multos, & multa iura *n.* 9. hæc de iure communi.

De iure Luſitano quid. De iure autem Luſitano, qui cum Moniali rem habet punitur etiam capite, vt patet ex *lib.* 5 *Nouæ ordinationis, tit.* 15. *num.* 1. Modò intra Monaſterium id fiat, & inſuper ſoluit Monaſterio centum aureos. Cæteras pœnas vide *ibi.*

20. *De iure Canonico quid.* Nec de iure canonico hoc crimen manet impunitum, laicus enim pro eo excommunicatur, vt conſtat *ex cap. Si qua monacharum 27. quæſt.* 1. non eſt tamen hæc excommunicatio ipſo facto, nec eſt Epiſcopo reſeruata, niſi poſt ſententiam latam, quicquid velint aliqui cum Farinacio *tom.* 4. *quæſt.* 146. *num.* 25. vbi dicit ab hac excommunicatione, excepto caſu neceſſitatis, neminem poſſe abſolui, niſi ab Epiſcopo: quos inter numerat Farinacius, Ignatium Lopez *in additione ad Bernardum Diaz in practica criminali, cap.* 81. *in verb. Monialibus, in ſecunda editione, verſ. Et in anima iudicio*; ſed hoc eſt contra textum, textus enim nemini hanc excommunicationem reſeruat, nec illam ponit ipſo facto, ſed poſtquam aſſeruit prædictam Monialem in aliud ſtrictius Monaſterium, vt inibi pœnitentiam agat, eſſe transferendam: addit, *Is autem, qui cum huiuſmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, communione priuetur, ſi laicus eſt; ſi verò Clericus, à ſuo quoque remotus officio prorſus continuò lugendis exceſſibus, in Monaſterium detrudatur*, vbi in illis verbis, *communione priuetur*, inſinuatur poſſe excommunicari, non tamen eſſe ipſo facto excommunicatum, & ibi etiam dicitur Clericum ob hoc crimen poſſe deponi, beneficio priuari, & in Monaſterium detrudi, vt ſuum continuò lugeat exceſſum; quod notauit etiam Couarr. *in Clem. ſi furioſus, initio, parte* 2. *num.* 8. *in fine.* Vide Farinacium allegatum, vbi de his pœnis multa miſcet, & addit quæ ad nos parum ſpectant. (Farin. Diaz. Couarr.)

Caput IX.

De peccato luxuriæ, quod eſt contra naturam, quibus modis contingere poteſt, quid ſit, quas pœnas habeat in iure.

SVMMARIVM.

Peccatum contra naturam quid ſit, traditur eius definitio. *num.* 1.
Cur contra naturam dicatur. *num.* 2.
Quas ſpecies habeat peccatum contra naturam, numero 3. *&* 4.
An omnes ſpecies peccati contra naturam ſint peccata mortalia. *num.* 5.
An omnes inter ſe comparatæ diſtinguantur ſpecie. *num.* 6.
Sodomia quid, & an cenſeatur ſodomia cùm vir coit præpoſterè cum propria vxore. *num.* 7.
An omnis coitus præpoſter, ſiue maſculi cum fœmina, ſiue fœmina cum fœmina, ſit ſodomia, num. 8.
Quæ pœnæ de iure communi ciuili imponantur ſodomiæ. *num.* 9.
An pœna mortis ordinaria, vel arbitraria iudicis puniendus ſit ille, qui in manibus, vel inter onera complicis ſe polluit. *num.* 10.
Quid ſi quis penetrato vaſe præpoſtero membrum extrahit, & extra illud ſeminat, an tunc pœna ordinariæ mortis ſit puniendus. *num.* 11.
Sodomitæ poſt mortem cremantur, 12. *idem de iure Luſitano.* *ibid.*
Sodomitarum bona de iure communi, & Luſitano fiſco applicantur, *num.* 13. *Quid de conſuetudine.* *ibid.*
Sodomitæ ſunt inteſtabiles poſt mortis ſententiam, num. 14.
Crimen ſodomiæ eſt mixti fori. *num.* 15.

Clericus

Clericus ſodomita degradatur, & morti, ac flammis traditur. num. 16.
Clericus ſodomita occultus ante ſententiam iudicis an ſit ipſo iure ſuſpenſus, ita vt irregularitatem incurrat ſacros Ordines exercens. num. 17.
Quid de iure nouo Pij V. num. 18. 19.
An vnicus ſodomiæ actus ſufficiat, vt Clericis iuxta ius nouum Pij V. ſodomiæ pœnam incurrat. num. 20. 21.
Conſtitutio Pij V. ſolum comprehendit vitium ſodomiæ, non luxuriæ contra naturam. num. 22.
Beſtialitatis peccatum quid ſit, quanta eius grauitas, quæ eius pœna, de iure Luſitano. n. 23. & 24.
Omnium ſceleratiſſima ſpecies peccati contra naturam eſt congreſſus cum dæmone, & quare. numero 25.
Pertinet hoc iudicium ad Inquiſitores fidei. ibid.
An dæmones poſſint generare. ibid. & num. 26.

1. *Peccatũ contra naturam, quid ſit.* INQVIRENDVM in primis eſt, quid ſit peccatum contra naturam, & breuiter ſic definiri poteſt. *Eſt peccatum luxuriæ, quo peruertitur ordo quem natura cætera animalia docuit, & quo prolis conceptio fieri nequit.* Ita ſumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. *num.* 12. Caietan. *ibi*, & ex Leſſio *tom.* 1. *de iuſtitia*, *lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub* 13. & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 16. *à num.* 2. ex Medina *lib.* 1. *inſtruct. cap.* 14. §. 18. ex Toleto *lib.* 5. *cap.* 13. ex Summiſtis *verb. Sodomia*, *verb. Pollutio, & impudicitia*, & denique ex Filliucio *tom.* 2. *tract.* 30 *in ſextum præceptum Decalogi, cap.* 8. *num.* 137. *init.* (D. Thom. Caiet. Leſſius. Nauar. Medin. Tolet. Filliuc.)

2. *Cur contra naturam dicatur.* Dicitur peccatum contra naturam, non ſolùm quia eſt contra dictamen naturale rectæ rationis, quo pacto generaliter omnia peccata contra naturam, id eſt, contra naturalem rationem appellari poſſunt, ſed etiam ſpecialiter, quia repugnat ordini naturali, quem natura inſtituit ad generationem, & propagationem humanæ ſpeciei, iuxta Authores citatos.

3. *Quas ſpecies habeat cōtra naturam.* Peccatum autem luxuriæ contra naturam quinque habet ſpecies.
Prima eſt ſodomia.
Secunda pollutio, ſeu mollities.
Tertia beſtialitas.
Quarta congreſſus cum dæmone.
Quinta modus præternaturalis cum fœmina, ex quo non poſſit ſequi generatio; nam natura actus venerei ordinati ad humanam generationem quinque poſtulat.

Primò, vt ſit coniunctio diuerſi ſexus maris, & fœminæ in vaſe congruo, ex cuius defectu oritur ſodomia; ſi enim detur coniunctio maris cum mare, aut maris cum fœmina, ſed non in vaſe congruo, & naturali, ſodomia eſt.

Secundò, vt ſit coniunctio duorum, & ex defectu iſtius oritur pollutio, ſeu mollities habita ſecum propriè.

Tertiò, vt ſit coniunctio duorum eiuſdem ſpeciei humanæ; nam ſi ſit cum animali, erit beſtialitas, ſeu peccatum beſtialitatis; ſi cum dæmone, erit congreſſus dæmoniacus.

Quartò, vt ſint vaſa, & organa congrua, & ex defectu huius quarti, non ſeruato debito vaſe, inter marem, & fœminam erit imperfecta ſodomia, vt diximus.

Quintò, vt ſeruetur debitus modus requiſitus ad hoc, vt poſſit ſequi generatio, & ex defectu huius debiti modi inter marem & fœminam oritur innaturalitas.

Aliter, & breuiùs has quinque ſpecies colligunt Caietanus & Leſſius allegati in hunc modum. Multa dantur motiua, & multi modi, ac fides explendæ venereæ voluptatis; ergo ſunt multæ ſpecies illius: hæc autem motiua ad quinque reduci poſſunt in peccato contra naturam. 4.

Primum eſt, ſi quæratur voluptas carnalis per corruptionem abſque coniunctione fœminæ, & hoc vocatur mollities, ſeu pollutio.

Secundum, ſi quæratur in coniunctione cum re alterius naturæ. v. c. cum beſtia, & hoc vocatur beſtialitas, aut cum dæmone, & vocatur congreſſus cum dæmone.

Tertium ſi quæratur cum perſona indebiti ſexus in vaſe indebito, & eſt propriè ſodomia.

Quartum ſi quæratur per coniunctionem cum fœmina, non ſeruato naturali modo, & eſt innaturalitas.

Quintum ſi quæratur ſine inſtrumentis, & organis à natura ad hunc finem inditis, & erit congreſſus fœminæ cum fœmina, qui ad ſodomiam imperfectam, vel pollutionem perfectam reducetur, iuxta modum concubendi, & explendæ libidinis illorum.

Omnes huiuſmodi modi, & ſpecies ſunt peccata lethifera de ſe, vt iam ſuprà probauimus in multis; nam de ſodomia conſtat ex *Leuitico* 18. & 20. vbi illi conſtituitur pœna mortis, & ex Paulo *ad Rom.* 1. vbi exaggerat grauitatem & malitiam ipſius peccati, & illos naturæ, & maſculorum corruptores, & concubitores appellat, eo quòd proni eſſent ad vitium ſodomiticum, & ad *Galatas* 5. ibi: *Opera carnis ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia*, &c. Et infrà, *Prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*, vbi in vocabulo, *immunditia* omnes illas prædictas ſpecies peccati contra naturam comprehendit Apoſtolus; concubitus verò cum bruto & dæmone eſſe peccatum mortiferum, nemo dubitat; ſunt enim hæc grauiora ex natura ſua, quàm ſodomia, cùm diuerſitas ſpeciei magis repugnet congreſſui naturali ordinato ad generationem, quàm cæteri inordinati modi captandæ libidinis. 5. *An omnes ſpecies peccati contra naturam ſint peccata mortalia.*

Inordinatus autem coitus cum fœmina, imò & cum vxore propria, ex quo generatio ſequi non poteſt, peccatum etiam eſſe lethiferum conſtat, quia impeditur generatio & fruſtratur finis, ad quem Deus matrimonia inſtituit, & natura, vt ſæpe diximus.

Omnes hi modi contra naturam inter ſe comparati ſunt diuerſæ ſpeciei, vt docent expreſsè Leſſius *tom.* 1. *de iuſtitia*, *lib.* 4. *cap.* 3. *de ſpeciebus luxuriæ, dub.* 13. *num.* 90. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 30. *in ſextum præceptum Decalogi, cap.* 8. *num.* 142. *verſ. Dico ſecundò*, & ratio eſt, 6. *An omnes inter ſe comparata diſtinguantur ſpecie.* Leſſius. Filliuc.

Primò, quia illorum ſinguli malitiam continent, ac turpitudinem luxuriæ peculiarem repugnantem caſtitati.

Secundò, quia quilibet ex iis ſuo modo, & ſpeciali malitia priuat bono aliquo ordinato à natura ad finem generationis humanæ. nam mollities priuat bono coniunctionis inter marem, & fœminam, & principio agenti quod natura ad generationem propriè ordinauit: ſodomia priuat bono proportionis inter media naturalia ad eandem generationem ab Auctore naturæ inſtituta; beſtialitas priuat identitate ſpecifica perſonarum, quæ etiam in omni congreſſu animalium naturaliter reperitur: ſodomia imperfecta priuat bono

coniunctionis proximorum principiorum, quæ ad generationis finem requiruntur; idem de congreſſu cum dæmone, vt patet. priuat enim principio neceſſariò ad generationem humanam, cùm dæmon corpus non habeat. quare huiuſmodi ſpecies peccati contra naturam propter proprias malitias ſpeciei inter ſe diuerſas, ſpecie diſtinguuntur, vel ſi non ita rigoroſè diſtinguuntur, ita ſunt ſaltem aggrauantes, vt neceſſariò ſint confitendæ.

Sodomia.

7. *Sodom. quid & an cenſeatur ſodomia cùm vir, coit præpoſterè cũ propria vxore.* Iul. Clar. Decius. Sanchez.

Sodomia eſt grauiſſimum peccatum, & eſt coitus contra naturam; dubitant ergo Doctores aliqui, an cenſeatur propriè ſodomia cùm vir cum muliere etiam propria rem habet in vaſe præpoſtero. Affirmat Iulius Clarus *lib. 5. ſententiarum, §. ſodomia, num. 2.* Decius *in l. ſi qua mulier, n. 9. C. de ſecundis nuptijs*, & idem videtur affirmare Sanchez *lib. 10. de matrimonio. diſp. 4. num. 7. & 5.* vbi dicit ſodomiam cum propria vxore illa minimè conſentiente eſſe cauſam diuortij, vbi præpoſterum coitum appellat ſodomiam, & non dicit eſſe imperfectam, vel perfectam, tenet etiam D. Thom. *2. 2. quæſt. 154 art. 15.* vbi aſſerit dari veram ſodomiam inter duas fœminas, ſi ſe tentent modo virili ordine præpoſtero, & idem diceret à fortiori de ſodomia, quæ committitur inter virum, & fœminam, etiam propriam; & tandem videtur Sanchez eſſe huius opinionis *dict. lib. 10. diſt. 4 num. 4.* vbi ait ſodomiam eſſe cauſam diuortij ſiue ſit actiua, ſiue paſſiua.

D. Thom.

Sanchez.

8. *An omnis coitus præpoſterus ſit ſodomia.*

Hinc ſequitur, omnẽ præpoſterum coitum vaſe habitum præpoſtero, ſiue ſit fœminæ cum fœmina, ſiue fœminæ cum viro, aut viri cum fœmina, aut etiam cum beſtia, ſodomiam eſſe impropriam, quia ſolùm vera, & propria ſodomia datur inter duos viros, quando vnus alterum vaſe præpoſtero polluit, licet omnes huiuſmodi actus ſodomitici æqualibus pœnis puniantur, & licèt etiam quoad pœnam diuortij ſint æquales, nam ſeparatio tori conceditur, non ſolùm propter ſodomiam commiſſam cum viro, ſed etiam cum fœmina, & cum vxore etiam propria, ea nolente, & minimè conſentiente, & cum beſtiis; quamuis enim matrimonium non diſſoluatur: at in pœnam tanti criminis ſeparatio tori conceditur; non conceditur verò ex eo, quòd vir, aut fœmina ſe propriis manibus polluant, vt docet Sanchez *lib. 10. de matrimonio, diſp. 4. à num. 5. vſque ad 14.* & Farinacius *tom. 4. quæſt. 14 . num. 93. 94. & 95.* & ratio quam affert Sanchez *num. 13. ad medium huius rei*, legitima ea eſt, quia matrimonium eò tendit, vt efficiantur coniuges vna caro, iuxta illud Geneſeos 2. *Erunt duo in carne vna*; diuidit autem carnem ſuam perfectè ille coniux qui quocumque coitu, ſiue naturali, ſiue ſodomitico, ſiue beſtiali ſe alteri miſcet. Ex diuiſione autem carnis cum altero vera cauſa ſeparationis reſultat; vnde Chriſtus Dominus *Matth. 5. & 19.* declarans diuortium licere ratione fornicationis; nomine *fornicationis*, omnem illum concubitum, per quem caro coniugis diuiditur, voluit comprehendere, quod non obſcurè ſignificauit D. Hieronymus *in cap. 19. D. Matthæi*, explicans quo pacto liceat ratione fornicationis vxorem dimittere; & refertur *in cap. dixit Dominus 32. quæſt. 1.* dum dixit, *Cùm illa vnam carnem in aliam diuiſerit, & ſe fornicatione à marito ſeparauerit, non debet teneri.* quam ſententiam cum Sanctio, & Farinac. tenent communiter Theologi cum D. Thom. *in 4. diſt. 35. quæſt. vnic. art. 1. ad 4.* & *ibi* D. Bonauent. *quæſt. 1. ad finem.* Sotus *in 4. diſt. 36. quæſt. vnic. art. 1. verſ. vtrùm verò* Ludouicus Lopez *2. part. inſtruct. de matrim. cap. 14.* vbi de diuortio, Graphis *1. part. deciſionum aur. lib. 2. c. 84. num. 15.* D. Anton. *3. part. titul. 2. cap. 21. §. 5.* & alij plures, quos citat Sanchez *dict. num. 3.*

Sanch. Farin.

D. Thom. D. Bonau. Sotus. Lopez. Graphis. D. Anton. Sanch.

9. *Pœna ſodomiæ quæ.*

Pœnæ ſodomiæ ſunt grauiſſimæ, de iure enim ciuili communi gladio vindicatur hoc crimen, & pœna mortis naturalis tam in agentes, quàm in patientes decreta eſt, ex *leg. cùm vir nubit in fœminam, C. de adulter. ad legem Iuliam*, ibi, *Armari iura gladio vltore*, & ex textu *in Auth. vt non luxurietur contra naturam, §. propterea*, & *ibi* Gloſſa *in verb. legibus, & in verb. ſupplicij*, & Angelus *in ſummario.* Odofred. *in l. 1. §. remouet, num. 5. verb. paſſus eſt, ff. de poſtulando.* docet Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. ſodomia, num. 2.* Gomez *lege 8. Tauri, num. 32.* Farin. *tom. 4. quæſt. 148. num. 4. fol. mihi 568 col. 1* Bermon. *de concub. fol. mihi 123. n. 27.* Menoch. *de arbitrarijs quæſtionibus, lib. 2. caſu 286. num. 1.* Bernard. Diaz *in practica crimin. canonica, cap. 86. litera A. in verb. deteſtanda.*

Gloſſa. Angel. Odofred. Iul. Clar. Gomez. Farin. Bermon. Menoch. Diaz.

Imò & propter criminis deteſtationem illo etiam non conſummato eadem pœna puniendum eſſe voluerunt quidam, dummodo ventum ſit ad actus propinquos, veluti ad pudendorum tactus, inter quos eſt Paris *conſil. 163. num. 2. lib. 4.* Qui tamen qualis debeat tunc eſſe pœna non expreſſit, expreſſè tamen pœnam mortis eſſe debere ſcripſit Barbatius *conſilio 64. num. 10. lib. 1.* & addit hîc propter criminis deformitatem, & malitiam execrandam, non valere communem conſuetudinem, quæ non fuerit eadem pœna conatum, crimine non conſummato: mitiùs tamen loquuntur, & eſt vera illorum opinio, qui dicunt crimen hoc non completum non pœna mortis, ſed alia mitiori, & arbitraria eſſe puniendum, & hi ſunt idem Farinacius allegatus *num. 61.* Iulius Clarus *in pract. crimin. §. ſodomia, num. 8.* Menochius *de arbitrarijs, qq. lib. 2. caſu 286. num. 7.* Ceuallos *com. contra communem, quæſt. 140. num. 17.* & id probat egregiè textus *in l. 1. §. finali, ff. de extraordinarijs criminibus*, ibi, *Perfecto flagitio punitur capite; imperfecto, in inſulam deportatur*, & eſt laudatus textus *in cap. ſolicitatores, §. qui puero 33 quæſt. 3.*

Barbat. Clarus. Menoch.

10. Hinc quando quis ſemen emittit extra vas præpoſterum ſui complicis, vel in manibus, aut inter crura illius, non ordinaria mortis pœna, ſed arbitraria iudicis puniendus eſt, vt poſt multos probat Farinacius allegatus *num. 64.* & Menochius *de arbitrariis quæſtionibus, lib. 2. caſu 286. num. 18.* & Petrus Caball. *in reſolut. crimin. caſu 16.* vbi ponit exemplum in quodam Medico, qui pluries ſe polluere conſueſcebat cum puero ſeptennij, propria virilia in manibus pueri, & intra crura illius refricando, & quod grauius eſt, in ore illius exugenda præbendo, qui poſt multas conſultationes, tandem ſententia Senatus ad triremes fuit condemnatus.

Menoch. Caball.

11. Si quis tamen membrum impoſuiſſet intra vas præpoſterum, vel pueri vel fœminæ, & poſtea illo extracto ſemen emiſiſſet, non propterea ab ordinaria mortis pœna excuſaretur, vt docet Afflictis *in 3. parte conſtitutionis regni, rubr. 42. initio, poſt numerum 15.* Petrus Caball. *in reſolut. criminum caſu 16. num. 11. in fine*; & Farinacius *dicto tom. 4. quæſt. 148. num. 65. folio mihi 575. col. 2.*

Afflict. Cabal. Farin.

quia

quia iam crimen ſatis perfectum & completum cenſetur in genere ſodomiæ.

12. Nec ſolùm crimen execrabile ſodomiæ morte, & gladio iure ciuili, & communi vindicatur, ſed etiam poſt mortem igne delinquentes concremantur, iuxta prædictos Authores, & iuxta Albertinum *de cognoſc. aſſert. catholicis, & hæret. quæſt.* 23. *num.* 23. & Ignatium Lopez *in additionibus ad Bernardum Diaz in practica, cap.* 86. *litera A. in verb. deteſtanda, verſ. hæc quidem mortis pœna.*

Albert. Lopez.

Quid de iure Luſitano. Et idem eſt dicendum de iure Luſitano, eo enim iure hoc crimen morte etiam vindicatur, & poſt mortem iubentur comburi, & publicantur illorum bona, manentque filij eorum infames, qui de hoc crimine in iudicio conuicti condemnantur, vt patet ex *noua recopilatione lib.* 5. *tit.* 13. & *ibid.* etiam dicitur hoc crimen ſimiliter committi, quando mulieres inter ſe modo virili, ſiue recto, ſiue præpoſtero vaſe commiſcentur.

13. Nec ſolùm de iure Luſitano ſodomitarum hominum bona publicantur, ſed etiam de iure communi, vt docent Bermon. *de publico concubinatu, rubr. de peccato ſodomiæ; num.* 17. Anton. Gomez *in l. Tauri* 80. *poſt num.* 82. *verſ. & imprimis dico,* Iulius Clarus *in practica, § ſodomia, num.* 6. Menochius *de arbitrarijs quæſtionibus, lib.* 2. *caſu* 286. *num.* 26. *in additionibus*, vbi hanc opinionem veriorem credit de iure canonico; ſecus de iure ciuili; ſed non video, quo iure poſſit Menochius moueri vt hanc diſtinctionem introducat vtriuſque iuris.

Bermon. Gomez. Clarus. Menoch.

Quamuis autem hoc ſit de iure; tamen de conſuetudine non ſolent bona illorum qui ob crimen ſodomiæ flammis, & morti traduntur, confiſcari, vt latè probat Farinacius *tom.* 4. *quæſt.* 148. *num.* 55. Baiard. *in addit. ad Iulium Clarum in § ſodomia, num* 18. & latiſſimè defendit Plot. *in conſilio crimin. diuerſor.* 132. *lib* 1. *num.* 20. vbi aſſerit ita ſæpe ſenatum Mediolanenſem declaraſſe. Apud nos verò in Luſitania ſodomitarum bona confiſcantur, vt dicemus *num.* 16.

Farin. Baiard. Plot.

14. Sunt etiam inteſtabiles ſodomitæ poſt mortis ſententiam, in pœnam tanti delicti, vt probat Farin. *in reſponſorio, in verb. ſodomia, verſic* 4. Carrer. *in practica criminali, tract.* 3. *de homicidio, & aſſaſſinio, num.* 22. *§. circa igitur quartum.* Ignat. Lopez *in addit. ad Diaz in pract. cap.* 86. *litera A. in verb. deteſtanda, verſ. punitur etiam,* & alij plures, quos refert ac ſequitur idem Farinacius allegatus *num.* 19.

Farin. Carrer. Lopez.

15. Crimen ſodomiæ eſt mixti fori, vt probat Iulius Clarus *lib.* 5. *ſententiarum; §. ſodomia, num.* 3. & Farinac. *tom.* 4. *quæſt.* 148. *num.* 55. vbi dicit poſſe etiam puniri laicum reum huius criminis pœna excommunicationis; ſed hoc intelligendum eſt, ſi in eo perſeueret, & vt ab eo recedat ad emendationem in futurum; nam mera vindicta, & punitio huius criminis ad iudices ſæculares tantùm ſpectat, & ex peculiari conceſſione in Luſitania ad fidei etiam Inquiſitores, vt paſſim videmus; ſi tamen perſona fuerit Eccleſiaſtica punitio & vindicta illius, ob præteritam culpam ad Eccleſiaſticum iudicem pertinebit, quia vbi agitur de perſona Eccleſiaſtica, iudex ciuilis intromitti non poteſt. Poteſt tamen iudex Eccleſiaſticus cenſuris, & excōmunicationibus ſæculares homines compellere, vt ab hoc crimine recedant, argumento textus *in cap. clerici, de exceſſibus Prælatorum*; vbi Canoniſtæ, & Firmanus *in Repertorio, in verb. ſodomia, verſ.* 6. & idem docet practica Monteleon. *part* 4. *fol.* 199. *num* 486. Ignat. Lopez *in addit. ad Diaz in pract. cap* 86. *lit. R.* & alij, quos citat Farin. allegatus *num.* 23.

Crimen ſodomia eſt mixti fori. Clarus. Farin. Montel. Lopez.

16. Clericus de hoc crimine conuictus beneficio priuatur, deponitur, & in monaſterium detruditur, iuxta textum *in cap. clerici, de exceſſibus Prælator.* imò pro hoc crimine clericos degradari poſſe realiter, & morti, & flammis, & poteſtati ſæculari tradi, docet Viuianus *opinione* 727. *num.* 1. *in fine.* Menoch. *de arbitrarijs quæſtionibus* 286. *num.* 3. Bermon. *de publico concubinatu, rubr. de peccato ſodomitico, num.* 29. & aliquando fuiſſe obſeruatum in Viennenſi Concilio, teſtatur Petrus Crinitus *in loco à Menochio relato*, & ita inuiolabiliter obſeruatur in noſtra Luſitania, ſeruatur enim in hoc regno noua conſtitutio Pij V, de qua agemus *num.* 18. *& ſequentibus*, quæ clericos ſodomitas prius degradatos iubet iudicibus ſæcularibus ad mortem tradi tanquam alios ſæculares, & fortaſſe ob deteſtationem criminis in huiuſmodi perſonis Eccleſiaſticis iam de foro ſæculari poſt gradationem affectis, quæ ob ſanctitatem ſacrorum Ordinum puriores eſſe debebant, voluerunt iudices pœnam iuris Luſitani *lib.* 5. *tit.* 13. *nouæ Ordin.* in vſum & conſuetudinem introducere, ibi enim ſodomitarum bona fiſco Regio poſt latam ſententiam applicantur, & eorum corpora flammis traduntur.

Clericus ſodomita degradatur. Viuian. Menoch. Bermon. Crinit.

17. Dubitari tamen ſolet, an clericus ob crimen ſodomiæ occultum ſit ipſo iure ſuſpenſus ab ordinis executione, peracta etiam pœnitentia in foro conſcientiæ data. Affirmant communiter periti iuris ciuilis, & canonici, & hi ſunt Iulius Clarus *lib.* 5. *ſent. § ſodomia, num.* 5. vbi ait ipſos clericos eſſe ipſo iure ſuſpenſos, quamuis in foro pœnitentiæ abſoluantur, & fieri irregulares, ſi in ea ſuſpenſione celebrent, in qua irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt, & Salzedus *in pract. criminali, cap.* 86. *§. illud etiam*, & id ipſum cum ipſis tenet etiam Couarr. *in Clement. ſi furioſus* 1. *part. §. num.* 6. Butrius *in cap. niſi pridem, §.* 1. *de renunt. & in cap. vlt. de temporibus ordin.* Bertachin. *in tract. de iure patronatus* 1. *part. lib.* 2. *q.* 9. *art.* 18. *num.* 4. Menoch. *de arbitrarijs, lib* 2. *caſu* 286. *num.* 31. & fundamentum accipiunt huiuſmodi Authores ex atrocitate criminis, & fatetur Couarruuias non eſſe de iure expreſſum.

De clerico ſodomita occulto quid. Salzed. Couarr. Butrius. Bertach. Menoch.

Contraria tamen opinio quæ aſſerit clericos vitio occulto ſodomiæ laborantes non eſſe ipſo iure ſuſpenſos, neque fieri irregulares celebrando. Eſt verior; eam docet Nauar. *in man. Latin. cap.* 17. *num.* 248. & Aretinus *in cap. cùm non ab homine, de iudicijs, col.* 13. *& duabus ſequentibus*; quem allegat, ſed non ſequitur Farinacius *tom.* 4. *quæſt.* 148. *num.* 27. & ratio eſt, quia neque ſuſpenſio, neque irregularitas aliqua incurritur, niſi in iure ſit expreſſa, vt optimè probat Suar. *tom.* 5. *de cenſuris in* 3. *part. diſput.* 4. *ſect.* 5. *num.* 4. quod patet ex *cap. is, qui, de irregularitate*; declarauit enim Gregorius Nonus *in cap. finali, de temporibus ordinand.* nulla crimina occulta, etiam enormia, præter homicidium facere aliquem irregularem; & ita tenet etiam Barbol. *in additionibus gloſſæ prædicti capitis finalis, diſt.* 25.

Nauarr. Aretin. Farin. Suar. Greg IX. Barbol.

18. Maius dubium eſt, an clericus ſodomita occultus incurrat irregularitatem, ſuſpenſionem, aut priuationem beneficij ipſo facto iure nouo Extrauagantis felicis recordationis Pij V. cuius tenor quoad hoc eſt, *Omnes, & quoſcumque Presbyteros,*

&

& alios clericos ſæculares & regulares, cuiuſcumque gradus, & dignitatis tam, dirum nefas (id eſt, ſodomiæ) *exercentes omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico præſentis canonis authoritate priuamus, ita quòd per iudicem Eccleſiaſticum degradati poteſtati ſtatim ſæculari tradantur.* Vbi illa verba, *omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico priuamus,* ſuſpenſionem importent ab officio & beneficio, & ſunt multi Doctores, qui aſſerunt hanc ſuſpenſionem ipſo facto incurri per criminis commiſſionem abſque vlla ſententia iudicis, quæ crimen illos commiſiſſe declaret; & inſuper aſſerunt eos in hac ſuſpenſione celebrantes fieri irregulares, & hi ſunt Nauar. Nauarrus *in manuali Latin. cap. 27. num. 249.* vbi aſſerit illa verba, *præſentis canonis authoritate priuamus,* cùm ſint præſentis temporis, inducere ipſo iure pœnam *cap. excommunicamus, de hæreticis,* & Felin. Felinus *in cap. Rodulphus, de reſcriptis, num. 33.* & gloſſa communiter recepta *in cap. pœnis, de regulis iuris, in 6.*

Dicendum tamen eſt requiri priùs ſententiam declaratoriam criminis, ſola enim pœna excommunicationis ſecum trahit ſuam executionem criminis, vt ipſo facto incurratur, abſque vlla ſententia declaratoria criminis, ſeu facti; reliquæ verò pœnæ requirunt ſententiam declaratoriam criminum, vt incurrantur, quamuis addatur *ipſo facto incurrantur,* quia id tunc intelligendum eſt ipſo facto poſt declaratoriam ſententiam, & ita Suarius. docet Suarius *tom. 5. de cenſuris, diſput. 30. ſect. 1. num. 14.* vbi dicit ſuſpenſionem ab officio, & beneficio, quamuis in iure ipſo facto imponatur, ſemper requiri declaratoriam criminis ſententiam; Gabriel. quod idem docet Hieronymus Gabriel *conſil. 196. num. 4. fine, & conſilio 187. num. 7. lib. 2.* & Syluester. expreſsè Syluester *verb. aſſaſſinus, num. 4.* ibi, *Omnia iura mundi, quæ dicunt ipſo facto, vel ipſo iure pœnam imponi, debent intelligi, dummodo ſecuta ſit ſententia declaratoria per quam declaratum ſit, fuiſſe commiſſum crimen. propter quod illa pœna, ipſo facto imponitur.* Hæc ille. Quod intelligendum eſt, excepta pœna excommunicationis, quæ ſecum trahit ſuam executionem, & ſolùm requiritur ſententia, vt vitetur excommunicatus, non vt excommunicationem incurrat; & quamuis ſuſpenſio inter cenſuras etiam numeretur, id quidem eſt quoad aliquos effectus, non quoad iſtum, vt in materia excommunicationis ſolet explicari. Vide quæ diximus *lib. 1. quinti præcepti Decalogi, cap. 2. num. 9.* vbi iam hoc latè explicauimus.

19. Ex dictis conſequenter conſtat non effici clericos occulto vitio ſodomiæ laborantes irregulares, ſi in eo celebrent, niſi celebrent poſt latam ſententiam, qua declaretur, illos contraxiſſe tale vitium; quicquid in contrarium dicat Farin. Farinacius *tom. 4. quæſt. 148. num. 27.* Lopez. poſt Ignatium Lopez *in addit. ad Bernardum Diaz, cap. 86. litera R.* & alios, quos *ibi* allegat.

20. Non comprehendit autem hæc conſtitutio Pij V. quemcumque clericum ſodomiticum, ſed ſolum ſodomiam exercentem; ideoque tantùm comprehendit eos, qui quaſi ex vſu continuò id exercent, vt optimè docet Nauarr. Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 27. num. 249. litera A.* argumento *leg. ſciendum, §. illud ff. de ædilitio edict.* & id ipſum docet etiam cum Nauarro Rodrig. Rodriguez *qq. regul. lib. 1. quæſt. 19. art. 12.* per quem textum Bartol. Bartol. *in proœmio ff. num. 10.* & Panorm. Panormitan. *in cap. 1. de iudic. num. 14.* dicunt, neque mercatorem, neque artificem, neque citharœdum dici illum, qui ſemel, aut iterum artem, vel mercaturam exercet, ſed indigere frequentiam & exercitium, vſumque talem, vt opinione vulgi mercator habeatur, & ideo non benè omnino aſſerit Farinacius citatus *n. 30.* Farin. ſecutus Salzedum *in practica criminali, cap. 86. §. verum,* Salzed. poſſe clericum illum, qui ſemel tantùm hoc vitium commiſit, tradi curiæ ſæculari, & ad mortem ob illud condemnari, repugnat enim id verbis conſtitutionis Pij V. ibi, *tam dirum nefas exercentes,* quod verbum de induſtria ibi fuiſſe appoſitum à ſanctiſſimo Pontifice, ait Nauarrus, vt aliqua frequentia, & actuum repetitio ſignificaretur; & addit, ſe id quæſiſſe à Summo Pontifice, & ita ſibi ab eo per Datarium Rotæ reſponſum fuiſſe. Nec obſtat conſtitutio alia eius Pontificis edita anno 1566. quam refert Salzedus ad ſuam ſententiam adſtruendam, vbi non ponitur verbum hoc *exercentes,* ſed loco illius ponitur *perpetrantes,* vel *committentes,* quia conſtitutio noſtra fuit edita ab eodem Pontifice anno 1568. & ſic eſt poſterior illa alia; vnde videtur in hac poſteriori antiquiorem temperare, antiquæ enim leges, & conſtitutiones trahendæ ſunt ad ſenſum recentiorum legum, vt communiter aſſerunt omnes Iuriſperiti cùm ea de re loquuntur.

Neque etiam obſtat *Inſt. de publ. iud. §. item lex Iulia,* vbi gladio puniuntur illi, qui cum maſculis nefandam libidinem exercent, & tamen pœnam hanc à iudicibus imponi pro vna tantùm vice teſtatur Farinacius *dicto tom. 4. quæſt. 148. num. 30.* & affirmat hanc eſſe communem praxim; de qua valde dubito, nam rarò in manibus curiæ cadunt huiuſmodi criminis rei, niſi poſtquam pluries hoc tam nefandum crimen commiſerunt, & præterea non laudo hos iudices, qui pœnas tam acerbas tam laxè ampliant contra mentem iuris, ſi illas ampliant. 21.

Et optimè animaduertit Nauarrus hanc conſtitutionem non comprehendere omnes clericos exercentes peccatum luxuriæ contra naturam, quę comprehendit omnem pollutionem extraordinariam ſecundùm Diuum Thomam *2. 2. quæſt. 154. art. 11.* neque exercentem omnem actum ſodomiticum qui includit omnem pollutionem habitam cum alio, vel alia extra vas ordinarium; ſed comprehendere ſolum exercentem actum ſodomiticum perfectum & completum, iuxta ea, quæ diximus *n. 10. & 11.* valde tamē probabilis eſt ſententia Salzedi, & Farinacij, quam etiam ſequitur Cherubinus *in recopilatione prædictæ conſtitutionis Pij V.* incipit, *Horrendum illud ſcelus, ſcholia 2.* aſſerentium vnica tantùm vice clericum ſodomiticè delinquentem puniendum eſſe ſupplicio capitali. 22.

Primò, quia illud verbum *exercentes,* poſitum in lege punitiua ſodomiæ propriè intelligitur de primo actu, iuxta textum *in §. item lex Iulia, de adulterijs, & Inſtitut. tit. de publicis iudic.* quam intelligentiam communem eſſe ait Farinacius *dict. quæſt. 148. num. 30.*

Secundò, quia Epiſcopus Septimacenſis *in ſuo tract. de diſceptationib. cap. 33.* aſſerit eundemmet Pium V. de prima vice hanc bullam intellexiſſe, quem ipſemet Epiſcopus pro ipſius prædictæ bullæ impetratione, ac expeditione rogauerat, & à quo id accepit; quamobrē ipſius Papæ legiſlatoris intentio attendenda eſt, non Datarij Compilatoris.

Tertiò, quia vt quis dicatur latro, ſufficit vnum furtum, & vnum adulterium, vt dicatur adulter, & tanquam talis puniatur; ergo etiam,

vt

vt quis dicatur ſodomita, tamquam talis puniatur, ſufficit vnus actus ſodomiticus, licèt vt quis dicatur citharœdus, & mercator, non ſufficiat vnus actus negotiandi, aut citharizandi, quia verbalia in bilis, quæ important vitia per vnum actum, denominant aliquem vitioſum; quæ verò important artem honeſtam, plures requirunt actus. Prima tamen opinio videtur verior propter illud verbum *exercentes*, quod plures actus ſignificat.

Beſtialitas.

23. *Beſtialitatis peccatũ quid ſit. Quanta eius grauitas.* Altera ſpecies, ſeu velut ſpecies peccati contra naturam, eſt beſtialitas. Eſt autem beſtialitas peccatum luxuriæ commiſſum cum bruto, vnde peccatum beſtialitatis dicitur, & eſt grauiſſimum omnium, quæ committi poſſunt contra ſextum præceptum, & materiam temperantiæ (excepto congreſſu cum dæmone) nec humana malitia vltrà aſcendere poterat, teſtante Toleto *lib. 5. ſummæ cap. 13. num. 7.* & *Quæ eius pœna.* pœna mortis & flammarum poſt mortem, crimen hoc in iure vindicatur, & meritò; nec enim viuere debet homo, qui cùm ſit homo, non viuit vt homo, ſed vt beſtia.

Quæ pœna de iure Luſitano. Iure etiam Luſitano *nouæ recopilationis, lib. 5. tit. 13. num. 2.* ille, qui carnaliter copulatur cum beſtia, poſt naturalem ſtrangulationis mortem crematur cum illa; non confiſcantur tamen illius bona, nec illius filij, aut nepotes inhabiles fiunt, aut infames ad honores, officia, aut beneficia Reipublicæ; volunt etiam non multi Authores in hoc crimine ob atrocitatem illius non requiri conſummationem, & complementum perfecti delicti, ſed ſufficere ad pœnam mortis ſubeundam imperfectionem illius, inter quos eſt Boërius *decifione 316. à num. 1. vſque ad 5.* vbi teſtatur fuiſſe punitum ad mortem quendam, qui cum bellua ſe immiſcens, confeſſus fuit ſe aliquid ſeminis emiſiſſe extra illius vas, non tamen perfeciſſe delictum impeditum aliorum acceſſu. Boërium ſecuti ſunt Rolandus *conſilio 7. num. 4. lib. 1.* Iulius Clarus *in practica criminali, §. fornicatio, num. 22. verſ. cum animali bruto.* Menoch. *de arbitrarijs quæſtionibus, lib. 2. caſu 186. num. 44. in additionibus.* Petrus Gregorius *ſyntagmate iuris, lib. 36. cap. 14. num. 1.*

Boërius. Iul. Clar. Menoch. Gregor.

24. Verùm quòd effectu non ſecuto, & crimine non completo, non pœna mortis, ſed alia mitior, & arbitraria imponenda ſit, diximus *num. 9. & ſequentib.* probatque id egregiè textus inſignis, qui cauillari non poteſt, *in l. 1. §. finali ff. de extraord. criminibus*, ibi, *perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in inſulam reus deportatur*, iuxta ea, quæ diximus *num. 9.* quem vide omnino.

Congreſſus cum dæmone.

25. *Copula cum dæmone quibus fieri poſſit.* Omnium ſceleratiſſima ſpecies peccati contra naturam eſt copula cum dæmone, quæ diuerſis modis fieri poteſt, vel dæmone comparente in forma capri, hirci, hominis, vel in forma dearum, aut deorum alicuius, quos olim colebat gentilitas, v. c. Iouis, Martis, Saturni, vt olim quibuſdam fœminis, Iunonis, Veneris, vt quibuſdam viris apparuit. Item vel in vaſe naturali, vel contra naturam, quod peccatum grauiſſimum eſt omnium, quæ in hac materia committi poſſint; eſt enim multo grauius, quàm ſodomia cum homine, & cum bruto; cùm diuerſitas ſpeciei eo magis repugnet carnali congreſſui, quo ſpecies magis diuerſæ ſunt inter ſeſe; nihil autem magis diuerſum eſt, quàm corpus & ſpiritus, & quàm corpus verum, & corpus apparens, & non verum; dæmon autem ſpiritus eſt, & quoties in forma hominis, aut mulieris, aut animalis apparet, ex aëre, aut quolibet alio elemento phantaſticum corpus efformat, ſed ita aſperum tactu, & inſipidum, vt ſtatim falſum appareat. nam licèt Platonicorum fuerit ſententia, vt docet Curſus Conimbricenſis *de generatione, lib. 1. cap. 4. quæſ. 10. art. 3.* dæmones natura ſua præditos fuiſſe aëreo corpore, & perturbationibus, atque venereis voluptatibus, vt homines affectos, quod non diſplicuit omnino aliis Authoribus, qui ad illum locum Geneſeos 6. *Ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt*; exiſtimarunt dæmones, vel Angelos ob id nimirum dignitate, & gratia fuiſſe deiectos, quòd proprijs corporibus fœminarum amores amplexi liberos procrearint, inter quos eſt Philo *in lib. de gigantibus*, & Ioſephus *lib. 1. antiquitatum, cap. 5.* tamen hæc illorum opinatio falſiſſima eſt, & fidei dogmatibus repugnans; ſunt enim dæmones ſpiritus, & ſubſtantiæ corporis expertes, & nequeunt virtute propria ex concubitu fœminarum filios generare; conſtat enim ex *Lucæ* 8 fuiſſe in vno homine dæmonum legionem 6666. at ſi corporei eſſent, non poſſent in eodem corpore ſimul conſiſtere naturaliter, cùm corporum penetratio ſola diuina virtute dari poſſit; ſi ergo aliquando concumbunt cum fœminis, id efficiunt corpore extrinſecus ex aëre aſſumpto, & ad humanam effigiem efformato, & ſic nec virtutem ſeminalem habent, nec habere poſſunt, nec liberos procreare. nam iuxta Ariſtotelem *lib. 2. de anima, cap. 4. textu 34.* omne generatiuum ſupponit negatiuum, & nutritiuum; vbi autem vegetatio, & nutritio datur, corruptio quoque neceſſe eſt detur, ac proinde haud dubiè dæmones eſſent corruptibiles, quod falſum eſt, & ideo meritò Innocentius Papa VIII. epiſtola decretali præcipit fidei quæſitoribus, vt in maledicas mulieres cum dæmonibus conſuetudinem turpiter habentes vti par eſt animaduertant, quia non poteſt fœda libido altius aſcendere, quàm ad hunc fœdum dæmonum concubitum deſcendere; nam vltra malitiam peccati contra naturam, adeſt etiam ibi in illo actu venereo vitium irreligioſitatis, & ſuperſtitionis, quando dæmon pro dæmone habetur, & agnoſcitur, & nihilominus cum eo concumbitur, vt optimè notat Caiet. *2. 2. quæſt. 154. art. 11. ad 3.* & Filliucius *tract. 30. in ſextum præceptum Decalogi, cap. 8. n. 162. tom. 2.*

Conimbr. Philo. Ioſeph. Ariſtot. Caiet. Filliuc.

26. *An dæmones poſſint generare.* Non negamus tamen poſſe dæmones humanum ſemen virile aliunde aſcitum applicando actiua paſſiuis ita aptum, fotum, ac temperatum deferre, & tempore, quo ipſi cum aliquâ in phantaſtica hominum effigie copulantur intra vas fœminæ emittere, & vt ex illo vera generatio detur; ſed tunc non erit generatio dæmonis, ſed hominis, cùm dæmon ſolùm deciſum ſemen ab homine deportet, & in vas fœminæ intromittat, qua de re vide Durandum *in 2. diſt. 8. quæſt. 2.* & D. Thomam *ibid. quæſt. 1. art. 4. ad 3.* qua ratione Merlinus, vates in Anglia celebris, fuit generatus, vt refert Curſus Conimbricenſis *dict. art. 3.* ex aliorum opinione. Idemque de Homero Poëta refert *in illius vita*, Plutarchus ex Ariſtotele *lib. 3. Poëtica*, & Angelus Politianus *in ſua Præfatione in Homerum*, quod verum videtur; illud certum, hos,

Durand. D. Thom.

hos, qui eo modo fuerint generati, non filios dæmonum, ſed hominum dicendos eſſe, vt patet, & eodem modo Lutherum procreatum fuiſſe ſcribunt multi, & præcipuè Genebrard. *lib.4. canonic. cap.9.*

De pollutione.

SVMMARIVM.

Pollutio quid ſit. *num.27.*
Pollutio partim eſt in ſomno, partim in vigilia. numero 28. & 29. & quatenus peccatum ſi in plena, aut ſemiplena vigilia contingat, ibid. Patiens ſeminis fluxum, & non conſentiens, non peccat. ibid. fine, & num.40.
Qui in vigilia deſiderat, vt ſibi in ſomno pollutio contingat ob delectationem veneream peccat lethaliter. *num.30.*
An licitum ſit deſiderare in vigilia, vt ſibi, vel alteri pollutio contingat in ſomno citra culpam ob ſanitatem corporis. *num.31.*
An licitum ſit illam tunc procurare ob eundem, vel alium bonum finem. *num.32.*
Aſſignatur vera ratio, ob quam non liceat procurare pollutionem, etiam ob ſanitatem, nec etiam liceat Medicis procurationem illius, aut remedia conſulere, vel applicare. *num.33.*
An peccent mortaliter illi, qui non remouent cauſam futuræ pollutionis præuiſæ, quomodo, & quatenus peccent. *num.34.*
An confeſſarius teneatur relinquere confeſſiones, magiſter lectiones, & chirurgus officium curandi ob periculum pollutionis præuiſæ citra periculum conſentiendi, & quid de curſore equeſtri. *num.35.*
An qui complacet in tranſacta pollutione ob delectationem carnalem, quam ſentit, peccet mortaliter, & quid ſi complaceat ob corporis ſanitatem. num.36. & 37.
Agitur de pollutione voluntaria, quæ contingit in vigilia, quæritur quatenus, & quale peccatum ſit. num.38.
Quid de pollutione, quæ committitur cum complice. num.39.
Quæ pœna ſit mollitiei de iure Luſitano impoſita. num.40.

27\. *Pollutio quid ſit.*

SEquitur, vt de pollutione agamus. *Pollutio igitur, ſiue mollities, eſt voluntaria ſeminis effuſio abſque copula.* Et autem nocturna, & diurna eſſe poteſt; id eſt, voluntaria, & peccaminoſa, & inuoluntaria, quæ citra peccatum. Nocturna aliquando tota eſt in ſomno, & tunc non eſt peccatum, quia non eſt inuoluntaria; ita docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 154. art. 5.* Caietanus *ibi, & tom. 1. opuſc. 22.* Nauarr. *cap. 16. num. 7. & 8.* Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 13.* Azor. *tom. 3. cap. 24. quæſ. 1.* quod intelligendum eſt modò antea in vigilia non fuerit procurata, nec poſtea in eadem vigilia conſecutias.

D. Thom. Caiet. Nauar. Tolet. Azor.

28\. *Pollutio partim eſt in ſomno, partim in vigilia.*

Aliquando partim eſt in ſomno, partim in vigilia, vt ſi commotio carnis, & deciſio ſeminis caleſcentibus ſpiritibus contingat in ſomno; effuſio verò ſeminis in vigilia, & in vigilia plena, in qua homo plenam poteſtatem, & libertatem habet cohibendi; aut ſemiplena, in qua homo imperfectè euigilet, & non plenam habeat libertatem cohibendi; ſi commotio carnis, & deciſio ſeminis contingat in ſomno, effuſio verò illius accidat in vigilia ſemiplena; in qua quis perfectam non habet libertatem ſe cohibendi, nullum eſt peccatum, nec veniale quidem, vt ſtatim patebit, quamuis Toletus citatus dicat eſſe veniale; ſed nullum video illius fundamentum. Si accidat in plena vigilia, in qua quis effuſionem illam poteſt reprimere, partita eſt opinio.

Quid ſi deciſio ſeminis contingat in ſomno, & emiſſio in vigilia, an mort. ſit non reprimere.

Prima aſſerit non eſſe veniale, nec teneri vigilantem ſemen reprimere, ſed ſufficere non complacere, quia iudicanda eſt pollutio magis ſecundùm principium, quàm ſecundùm finem: principium autem illius fuit in ſomno, & ſine libertate factum; poſtea verò cum ſemen iam è lumbis ſit deciſum in ſomno, eſt in via naturali ad erumpendum foras, & ideo difficillimum eſt illud cohibere in vigilia, cùm illa expulſio ſit veluti naturalis, veluti ſi quis vulnus alicui ſomno conſopitus & citra libertatem infligeret, ex quo magna copia ſanguinis in vigilia poſtea effunderetur, nullum daretur peccatum in ipſa effuſione cùm ſit naturalis, & naturaliter ex vulnere effluat: daretur tamen in percuſſione, ſi extra ſomnum & in libertate fieret; ita docet expreſsè Sà *verb. luxuria, num. 11.* & Filliucius *tom. 2. tract. 30 in ſextum præceptum Decalogi, cap 8. num. 147.* Nauar. *in ſumma cap. 16. num. 7.* Graphis *lib. 2. deciſion. aur. cap. 81. num. 14.* Azor. *tom. 3. cap. 24.* Corduba *quæſt. 23. in fine, lib. 2.* Soto *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 17. num. 17.* & quos citabimus *num. 34.*

Sà. Filliuc. Nauar. Graphis. Azor. Cordub. Soto. Sanchez.

Secunda docet eſſe peccatum mortale illam non reprimere, ita expreſsè Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 13. ad initium.* Fundamentum illius eſſe debet, quia datur periculum conſentiendi, & qui amat periculum, peribit in illo; ſed illud periculum eſt extrinſecum, & de illo non loquimur; ſecluſo ergo illo periculo, inclino in primam, quia non ſufficit potentia, quam habet plenè euigilans reprimendi illam naturalem ſeminis effuſionem, niſi adſit aliunde obligatio id faciendi: nulla autem datur talis obligatio, ſicut nec etiam datur in confeſſore, neque in Doctore, qui dum docet, aut confeſſiones turpes audit citra conſenſum, pollutionem ſentit, vt ſtatim dicemus. Sic ſi inuito alicui ſeminis fluxum patienti ea effuſio contingeret abſque conſenſu illius, nullum eſſet peccatum, nec teneretur illam reprimere, vt optimè docet Nauarrus allegatus, & id patebit *num. 42.*

Tolet.

Poteſt etiam eadem effuſio ſeminis partim contingere in ſomno, partim in vigilia, & tunc multo minus habet rationem aliquam peccati, nec etiam venialis; vt patet ex dictis, & docent Nauarrus, Filliucius, Graphis, Azor allegati. 29.

Dixi *num. 27.* modò antea in vigilia pollutio nocturna non ſit procurata, quia in cauſa, & in antecedentibus poteſt eſſe peccatum. Et quidem tunc tripliciter poteſt eſſe peccatum. 30.

De pollutione in vigilia.

Primo modo in deſiderio.

Secundò in procuratione.

Tertiò in non remouendo cauſam præuiſam.

In deſiderio, vt ſiquis in vigilia plena & deliberatè deſideret, vt pollutio de nocte ſibi contingat ob veneream voluptatem, & carnalem delectationem, & tunc quidē eſt graue peccatum mortale, quia deſiderium delectationis carnalis eſt eiuſdem malitiæ cum pollutione, & quod non licet procurare, non licet planè, & deliberatè deſiderare: non licet autem procurare pollutionem ob delectationem carnalem, vt dicemus ſtatim; ergo neque illam deſiderare, & ſic docet expreſsè loquendo de deſiderio Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 4. cap. 3. dubit. 14. num. 104. §. Dico primò.*

Leſſius.

cauſa

Sotus. Filliuc. Lopez. Sanch.

cauſa voluptatis. Sotus *in 4. diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 7. & Filliucius citatus *num.* 144. §. *prima, quia,* Lud. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 74. vbi citat Cordubam, & Metinam, Sanchez *lib.* 1. *Decalog. cap.* 2. *num.* 18. & alij communiter.

31. An autem licitum ſit optare, & deliberatè in vigilia deſiderare, vt tibi, vel alteri pollutio contingat in ſomno ſine tua, vel illius culpa, ob aliquem finem bonum & honeſtum, v. c. ob corporis ſanitatem, ob mitigationem libidinis & tentationum, quibus frequenter affligeris, vel ob aliquam honeſtam cauſam, non eſt illicitum, ſed licitum; ita docet Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 16. *num.* 7. Angelus *verb. pollutio, num.* 2. Syluester *ibidem.* Sà *verb. luxuria, num.* 12. Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 13. *num.* 2. D. Anton. 2. *part. tit.* 6. *cap.* 5. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 115. *cap.* 3. Sanchez *lib.* 1. *de præceptis cap.* 2. *num.* 18. Filliuc. allegatus *dict. n.* 144. & ratio eſt, quia deſiderare ſimplici affectu cauſam aliquam & effectum indifferentem, non eſt peccatum, non enim deſideratur effectus peccaminoſus, nec peccatum, ſed indifferens: pollutio autē facta, via, & modo naturali per cauſas à natura conſtitutas ſine omni libera cooperatione, eſt indifferens ad bonum, & malum, & finis ob quem deſideratur eſt bonus, & per ſe optabilis, & appetibilis; ergo in deſiderio talis pollutionis ob talem finem nullum erit peccatum. Vnde non placet Sotus *in 4. diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 7. vbi dicit eſſe mortale illam deſiderare ob talem finem, ſed communiter reiicitur ab omnibus; non negamus tamen ſecurius eſſe caſtitatis amatoribus, & ad maiorem illorum perfectionem eam, nec etiam ob honeſtum finem deſiderare, ſed agimus de obligatione vitandi peccatum, non quærendi maiorem perfectionem in hoc negotio.

Nauar. Angel. Syluest. Sà. Tolet. D. Anton. Vaſq. Sanch. Sotus.

32. In procuratione ſemper eſt peccatum mortiferum, pollutionem procurare ob bonum etiam finem, ob ſanitatem, & ſedandas carnis tentationes, nulla enim cauſa, quantumuis iuſta, & honeſta, talis procuratio cohoneſtari poteſt, ita docet Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 13. *num.* 2. §. *ſecundò poteſt eſſe*, & omnes numero præcedenti allegati, Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, diſputat.* 17. *num.* 16. & 17. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 7. Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 23. *fine.* Lud. Lopez 1. *part. inſtructorij, cap.* 74 §. *accedit ad hoc,* & omnes communiter: in reddenda autem huius rei ratione laborant Authores; nam ſi licitum eſt procurare vitam temporalem per membrorum abſciſſionem, & manum, pedem, vel etiam teſticulos amputare ob corporis ſanitatem, & ad vitam temporalem conſeruandam, cur non licebit etiam procurare amputationem, ſeu deciſionem, & expulſionem ſeminis, ob eandem corporis ſanitatem; deinde ſic poteſt argumentum formari: licitum eſt pollutionem deſiderio ſimplici deſiderare ob corporis ſanitatem, vt ſuprà diximus; ergo licitum erit illam procurare. Reſpondent nonnulli rationem diuerſitatis eſſe, quia natura deſtinauit cætera membra ad conſeruationem indiuidui, & ideo illi plenam adminiſtrationem, & dominium illorum dedit, & inde euenire vt nobis liceat quodlibet membrum exponere ad conſeruandam vitam temporalem: at ſemen, & virtutem ſeminalem non nobis conceſſit primò, & per ſe ad indiuidui conſeruationem, ſed ad conſeruationem ſpeciei, & inde oriri, vt periclitante indiuidui ſanitate ſeminis è lumbis deciſionem, & effuſionem procurare non poſſimus, & hæc

Tolet. Sanch. Sotus. Cordub. Lopez.

eſt communis ratio, quæ ab authoribus aſſignatur. Sed hæc ratio non conuincit,

Primò, quia nemo obligatur deſeruire generationi, & conſeruationi ſpeciei cum notabili detrimēto propriæ ſalutis, nec dum cum propriæ vitæ periculo, altero coniuge debitum petente, vt ſuprà probauimus, & latè docet Sanchez *lib.* 9. *de matrimonio, diſp.* 24. *num.* 2. & *diſp.* 17. *num.* 16. 33.

Secundò, quia magis accedit ad generationem, & conſeruationem ſpeciei fœtus nondum animatus, quàm ſemen, & tamen expulſio fœtus nondum animati ob vitam matris procurari poteſt, vt diximus *in* 5. *præcepto*, & latè probat Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 20. *num.* 9. ergo propriam vitam, & ſalutem poterit etiam procurari ſeminis expulſio.

Tandem, quia ſemen eſt pars ipſius indiuidui, ſicut fœtus pars ventris eſt; cur ergo negabimus plenam adminiſtrationem illius partis ipſi indiuidui, vt foras poſſit expelli periclitante ipſa indiuidui valetudine, ac ſalute, ſi illam ei concedimus iſtius? Et ideo ob has rationes alij aſſerunt diuerſam rationem in eo ſitam eſſe, quòd abſciſſionem membri, veluti manus, vel pedis inſtanti periculo gangrænæ, *Herpes* vocant Luſitani, meliùs vocarent *ſerpes*, vel *ſerpentes*, à ſerpendo eſſe medium per ſe à natura ordinatum ad ſalutem, & ideo licere, non ita verò effuſionem ſeminis, & ideo non licere illam procurare. At hæc quàm infirma ſit ratio, patet manifeſtè, quia medium abſciſſionis membri non eſt à natura ordinatum per ſe primò ad corporis ſanitatem, imò ad corporis mutilationem, & infirmitatem; quare nec hæc etiam ratio ſatisfacit. Vera igitur huius rei ratio quam aſſignat Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſput.* 17. *num.* 16. eſt, quia adeò vehemens eſt delectatio, quæ in ſeminis effuſione ſentitur, vt illam homines tanquam bonum naturale vehementer ſenſibile maximè proſequantur, & propterea natura in omni euentu illius adminiſtrationem illis prouidè denegauit; ſi enim in aliquo caſu eam illis concederet, euidentiſſimum periculum foret, vt homines ea paſſione abrepti ſibi perſuaderent cauſam paſſim iuſtam illius procurandæ habere: atque ità ſemen prodigerent, indeque fornicationes, adulteria, ſodomiæ, & vniuerſa alia luxuriæ vitia pullularent, & hanc ipſam rationem aſſignauit etiam Abulenſis *cap.* 5. *quæſ.* 184. *in Matthæum,* & addunt, nec ſic contingere in membri abſciſſione, quia dolor ipſe in cauſa erit, vt non ſibi perſuadeant, illam ſibi facilè licere, vt de ſe manifeſtum eſt. Huic ego rationi adhæreo, eſt enim bona, & plenè ſatisfacit, nec valet conſequentia, quam aliqui in hunc modum inferebant; licet pollutionem deſiderare ob ſanitatem: ergo licet illam procurare ob eandem ſanitatem. Sicut non valet etiam iſta, licitum eſt deſiderare mortem huius hominis iniqui; ergo licet illam procurare. nec etiam iſta: licitum eſt deſiderare eſſe martyrem; ergo licitum eſt ſe occidere illius deſiderij cauſa.

In non remouenda cauſa futuræ pollutionis præuiſæ, variis modis mortaliter peccabitur. 34.

Primò, igitur peccabitur lethaliter ſi non remoueantur cauſæ, ex quibus ſcis tibi euenturam pollutionē, v. c. experiris ſæpe ſi talem, vel talē cibum comedas, tibi eueniri pollutionē volūtariam, idque bene aduertis, & ſi tali, vel tali ſitu decūbas, ſimiliter euenturam, peccas mortaliter illū comedendo, aut taliter accumbendo. Si tamen dubitas de hoc, & non habes moralē certitudinem quòd contingat,

Tolet. Syluest. Leſſius. Sotus.

non erit mortale, ſed veniale tantùm, ita docet Toletus *lib 5. ſummæ cap. 13. num. 5.* & Syluester *verb. Pollutio, num. 2.* & Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 4. cap 3. dub. 14. num. 99. & 100.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 7.* & ratio eſt, quia iam præuidebas effectum certò moraliter futurum, & in manu tua erat illum facilè euitare, illius cauſam auferendo, & ſi noluiſti illam auferre, neceſſariò voluiſti illum effectum in cauſa; nam vt effectus ſit voluntarius in cauſa, ſatis eſt quòd præuideatur, & facile poſſit auferri, & non auferatur, vnde non bene Sà *verb. luxuria, num. 12.* dixit, non eſſe mortale comedere illa, ex quibus credatur ſecutura pollutio, modò illa in ſe non intendatur, niſi tamen loquatur, quando dubiè id credebatur. Hæc tamen intelligenda ſunt, modò facile poſſis remouere eam cauſam; nam ſi aliter dormire non poſſis, nec alios cibos habeat, non teneris ab illis abſtinere, nec à tali modo accumbendi, ſi abſit periculum conſenſus: ita authores citati, & ratio eſt, quia quando res eſt de ſe bona, & non mala, aut indifferens, & non ſumitur ea intentione, vt ſimilis effectus eueniat, & alioqui auferri non poteſt ſine graui detrimento tuo, illam auferre non teneris; talis eſt ille modus accumbendi, & ille cibus. igitur illum vitare, remouere & auferre non teneris.

Sà.

35. Ex hoc principio tradunt communiter DD. non teneri confeſſarium officium relinquere, vel à confeſſionibus ceſſare, nec ſcholaſticum ſtudium dimittere, nec magiſtros lectiones, nec curſores equeſtres officium, & modum viuendi, nec illum, qui iter facturus eſt equo, illud pedes conficere, ſi ex eo quòd eques conficiat, pollutio præter intentionem ſibi contingat, & conſenſum, aut alij ſimiliter illam præter conſenſum patiantur. Ita Leſſius *tom 1. de iuſt. lib. 4 cap. 3. dub. 14. num 98.* Nauarrus *cap. 16. num. 7.* Toletus *lib. 5. cap. 13. num. 4* Sà *verb. luxuria, num. 8.* D. Thom. *3. part. quæſt. 80.* D. Anton. *2. part. titul 6. cap 5.* idem de Medico, & chirurgo, quibus ex equitatione id frequenter poteſt euenire, iuxta authores citatos. nam neque hæc ex natura ſua ſunt diſpoſitiones ad illum effectum, neque talis effectus intenditur, ſed ex miſeria naturæ ſentitur; vnde per accidens ſe habent iſta ad talem effectum. Ex quibus colliges quando ex aliis cauſis præter conſenſum, intentionem, & procurationem prouenit iſta pollutio, v. c. ex dæmonum ſuggeſtione, vel ex naturæ debilitate, aut fortitudine citra conſenſum, nullum eſſe peccatum, neque etiam veniale, ſolùm enim peccatum eſt vel in intentione, vel in procuratione, vel in conſenſu illius.

Leſſius. Nauarr. Tolet. Sà. D.Thom. D.Anton.

36. Vnde ſi complaceas in tranſacta pollutione ob delectationem carnalem, quam in tali complacentia ſentis, lethaliter delinquis; ſi tamen in illa complaceas, non ob delectationem carnalem, quam in ipſa pollutione ſenſiſti, vel in complacentia ſentis; ſed ob ſanitatem corporis, vel ob ebullientium carnalium tentationum ignes ſuſcipiendos, nullum eſt peccatum, nec mortale, nec veniale. Ita Nauarrus & Toletus *locis citatis*; & Syluester *verb. pollutio.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. de ſpeciebus luxuriæ, dub. 14. num. 105.* & ratio eſt, quia quod licitum eſt deſiderare vt fiat, licitum eſt etiam gaudere de eo ſi factum ſit; & è contrario, ſi fas eſt gaudere de facto, licitum eſt etiam deſiderare vt fiat, hæc enim neceſſariò ſunt eiuſdem moris, nam gaudium neceſſariò reſultat ex bono deſiderato: licitum autem eſt deſiderare, vt nobis citra conſenſum noſtrum, ob ſanitatem corporis huiuſmodi pollutiones proueniant, vt diximus *num. 31.* ergo etiam licitum erit de illis gaudere, vt patet.

Syluest. Leſſius.

Sæpe tamen contingit accidere pollutiones hominibus vigilantibus, illis nolentibus, hoc de ſe non eſt peccatum, quia eſt actus naturalis, niſi poſtea conſentiant ob delectationem carnalem; quia tunc iam erit peccatum, imò potiùs ſi patienter ferant, & conſenſum cohibeant, erit illis meritorium; nam, vt inquit D. Hieronymus *epiſtola 9. ad Saluinam*, euenire hominis eſt, non conſentire Chriſtiani eſt; ſic Toletus *lib. 5. cap. 13. num. 5.* 37.

D.Hieron. Tolet.

Eſt ſecundum genus pollutionis voluntariæ, quæ fit in vigilia, in homine illam procurante, & in illa conſentiente, & eſt graue peccatum, & dicitur mollities. Patet ex illo Pauli 1. *ad Cor. 6. Molles regnum Dei non poſſidebunt*, & loquitur *ibi* Paulus de ſpeciebus luxuriæ, *neque fornicarij, neque molles poſſidebunt regnum Dei*; & ratio eſt, quia huiuſmodi actus eſt contra primarium finem, quem natura ordinauit ad generationem hominis; quamobrem grauiſſimè peccant Medici qui talem actum etiam ob ſanitatem corporis conſulunt, aut ad illum medicinis prouocant; neque excuſantur à mortali, qui eis obediunt; ita communiter Doctores, Toletus *lib. 5. cap. 13.* Leſſius citatus *num. 94.* & omnes quos citauimus *num. 32.* Eſt autem hoc peccatum difficillimæ curationis, quia occaſio eſt intrinſeca ipſi homini, & ab illius carne prorumpit, & credo iam multum deſpumaſſe in mortale genus fouente, & flabello flammas, & libidinum incendia incitante dæmone, vt illo bona pars hominum pereat; quamobrem vix aliud remedium ad illud comprimendum inueniet confeſſarius, quàm ſi frequentes confeſſiones iniungat, vt docet idem Toletus *ibid.* 38.

De pollutione voluntaria.

Tolet. Leſſius.

Iſta autem pollutio aliquando committitur cum complice, aliquando ſine complice, & aliquando cum complice complicante, aliquando verò cum complice patiente tantùm, & non complicante; vt ſi fiat mollities, & committatur pollutio, aut certè procuretur per contractum impudicum, & refricationem membri virilis in pueris, qui per ætatem adhuc ſeminare non poſſunt; experiuntur tamen illecebroſam voluptatem, pueris tantùm patientibus eam refricationem, & voluptatem capientibus, & non ſimiliter refricantibus, aut ſi à duabus perſonis vna aliam prouocante, vt ſi fœmina cum fœmina, aut mas cum mare ſe adinuicem tangentes polluantur: aut ſi aliquis ſe tantùm ſolum per eam turpem ac fœdam confricationem polluat, aut polluere procuret, quæ omnia tenetur pœnitens explicare, quia vel ſunt plura numero peccata, vel mutant ſpeciem, vel aggrauant notabiliter circunſtantiam peccati, & id debet confeſſor interrogare, vt remedium conueniens adhibeat. Hæc ſufficiant de his impudicitiis, quas iam caſtæ faſtidiunt aures; ſed neceſſarium fuit eas explicare, vt prudens, & caſtus confeſſarius pœnitentes doceat eas deuitare. 39.

De pollutione quæ committitur cum cōplice.

Pœnæ mollibus de iure Luſitano nullæ certæ decretæ ſunt, iubentur tamen arbitraria pœna ſeueriſſimè puniri, & quicumque alterum accuſauerit, & vitium illius manifeſtauerit, donatur dimidio bonorum delinquentis: ſi autem bona non habeat, de bonis Regis centum aureis damnatur, modò crimen probet, & ordinem præſcribat quo capi poſſint, iuxta ordinationes nouas *lib. 5. titulo 12. & 13.* 40.

Quæ pœna ſit mollibus impoſita de iure Luſitano.

CAPVT

CAPVT X.

De raptu, quatenus eſt ſpecies luxuriæ; quid ſit, quale peccatum, quas pœnas habeat in iure, &c.

SVMMARIVM.

Quot modis de raptu tractari poſſit. num. 1.
Quid ſit raptus, & quæ ad illum requirantur. n. 2.
An raptus dici poſſit inuoluntarius, & iniurioſus ſi fiat precibus importunis. num. 3.
Vt pœnæ iuris canonici, & Tridentini incurrantur, opus eſt vt raptus fiat cauſa ineundi matrimonij, non cauſa libidinis; ad incurrendas verò pœnas iuris ciuilis opus eſt, vt fiat cauſa libidinis. num. 4.
Quid ſi ex vtraque cauſa fiat. ibid.
Cuius fœmina debeat eſſe raptus ad incurrendas pœnas Tridentini, & iuris ciuilis, an fœmina honeſtæ, an coniugatæ meretricis ac monialis. num. 5.
Raptus meretricis coniugatæ renitentis, ſi maritus reſiſtat, qua pœna puniatur. num. 6.
Qua pœna puniendus ſit raptus in iure ciuili, quando mulier mulierem, aut virum rapit renitentes. numero 7. & 8.
Quid de raptoribus maſculorum libidinis cauſa. n. 9.
Qua pœna puniatur raptus in iure communi ciuili. num. 10.
Qua de iure Luſitano. num. 12. *Qua de iure communi canonico.* num. 11.
Qua de iure Concilij Tridentini. num. 13.
Concilium corrigit pœnas iuris communis canonici. num. 14.
Excommunicatio Concilij Tridentini nulli eſt reſeruata. num. 15.
Eſt ipſo facto, num. 14.
Matrimonium inter raptorem, & raptam dum eſt ſub illius poteſtate, eſt irritum. num. 16.
Pœna, qua tenetur raptor raptam dotare, non incurritur niſi poſt ſententiam raptus. num. 17.
Idem de pœna infamiæ. num. 18.
Quid de pœna irregularitatis. num. 19. & 20.
Concilium Tridentinum non punit raptum cauſa libidinis factum, nec quatenus eſt ſpecies luxuriæ. num. 21.
Non eſt raptus pœnis Concilij obnoxius, quo aliquis rapit aliquam, vt nubat alteri illo inſciente. n. 22.

1. *Quot modis de raptu tractari poſſit.*

DE raptu tripliciter agi poteſt.

Primò, quatenus eſt ſpeciale luxuriæ pececatum, & conſtituit circunſtantiam mutantem ſpeciem peccati neceſſariò in confeſſione experimendam.

Secundò, quatenus ſecum trahit obligationem reſtitutionis.

Tertiò, quatenus eſt impedimentum matrimonij. Hoc loco ſolùm agimus de raptu 1. & 3. modo, nam ſecundus modus pertinet ad materiam reſtitutionis; primus verò & tertius concernunt hanc materiam. hoc autem peccatum quatenus eſt actus luxuriæ, per violentiam ab aliis peccatis luxuriæ ſpecie diſtinguitur; addit enim illis rapinam, & violentiam quandam ſupra alia luxuriæ peccata, ſiue ſit raptus fœminæ coniugatæ, ſiue ſolutæ, ſiue virginis, ſiue viduæ, ſiue meretricis, ſiue viri, quæ violentia vel fit ipſi perſonæ raptæ, vel parenti illius, aut iis, qui loco parentum ſunt, vel vtrumque ſimul, & ſemper eſt mortiferum peccatum, & tenetur raptor reſtituere raptam vel patri, vel ſponſo, vel marito, ſi ſponſata, vel coniugata erat: ſunt autem variæ pœnæ temporales, & ſpirituales raptoribus iure impoſitæ, de quibus poſtea infrà agemus, & inter ſpirituales eſt vna, quæ ad rem facit, & habetur 27. *quæſt. 2. in cap. ſtatutum.* nam qui rapit alienam ſponſam, non poteſt ampliùs matrimonium contrahere, quod impedimentum eſt impediens matrimonium, non dirimens, vt diximus de inceſtu, & in Luſitania non eſt in vſu hoc impedimentum, nunquam enim audiui hanc diſpenſationem peti.

Raptus igitur, attento ſolo iure canonico, ſic definiri abſolutè poteſt. *Eſt violenta abductio, ſeu traductio fœminæ, vel perſonæ honeſtæ de loco ad locũ cauſa libidinis.* Tria ergo requirũtur ad raptum. 2. *Quid ſit raptus.* *Quæ requirantur ad raptum.*

Primò, requiritur abductio.

Secundò, violentia.

Tertiò, vt fiat cauſa libidinis.

Et quidem hæc abductio de loco ad locum debet eſſe cauſa rapiendi, non cauſa habendi commodiorem copulam; ſic non erit raptus ſi ex vna camera in aliam ad habendam copulam puellam inuitam abduxerit, erit tamen ſtuprum ſi virgo ſit, & in pœnas ſtupratoris, non raptoris incides, nec ſimiliter raptus erit ſi puellam inuenias in aperto campo, & per aliquot paſſus abducas violenter in ſecretum locum cauſa commodioris copulæ habendæ; ita docet Iulius Clarus *lib. 5 ſententiarum, §. raptus,* & Bertran. *lib. 6. conſil. 39.* Bertran.

Ad incurrendas autem pœnas Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 6.* de quibus ſtatim dicemus *num. 13.* notat Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 13. n. 7.* non eſſe neceſſarium perducere raptam fœminam ad deſtinatum locum, ſed ſtatim dicit incurri, ac rapta fuit, quamuis raptor in itinere reſipiſcat, quia delictum hoc ſtatim conſummatum fuit. quod intelligitur, non ſolùm reſpectu pœnarum Concilij Tridentini, ſed etiam iuris ciuilis, vt ſtatim dicemus. Sanch.

Violenta, id eſt, iniurioſa, & inuoluntaria, ita vt iniuria fiat vel ipſi fœminæ tantùm, vel parentibus illius, tutoribus, & iis, qui loco parentum ſunt, vel ſponſo, aut marito, ſi rapta, ſponſata, aut coniugata ſit, vel vtriſque ſimul. Ita Toletus *lib. 7. ſummæ cap. 17.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 4.* Nauar. *lib. 4. conſil. in 1. edit. tit. de ſponſal. conſil. 33. num. vnic. in 3 lib. 5. tit. de raptor. conſil. 2. num. vnic.* & patebit infrà. 3. *Raptus inuoluntarius, & iniurioſus quis.* Tolet. Henriq. Nauarr.

Iniurioſa autem erit abductio, & inuoluntaria, non ſolùm ſi vi fiat, ſed etiam ſi fiat dolo, vel fraude, fraus enim, & dolus violentiæ æquipollent, *l. vnica, §. & ſi quidem, verſ. pœnas autem, C. de raptu virgin.* ibi, *conſenſus ille fœminæ doloſis artibus extortus præſumitur,* & ita communiter Doctores. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 12. num. 7. & 11.* Decian. 11. *tract. crim. lib. 8. cap. 7. num. 8.* Similiter iniurioſa etiam erit abductio & violenta, & rigoroſis pœnis iuris ciuilis & canonici punienda, ſi promiſſionibus fœminam ad conſenſum raptus deflectas; modò in promiſſionibus dolus inueniatur, v. c. ſi animo defraudandi illam ei multa promittas, aut fingas te eſſe nobilem, aut diuitem, cùm ita non ſit, vt latè probat Sanch. citatus *dict. lib. 7. de matr. diſp. 12. n. 6. & n. 10. & 11.* Menoch. *de arbitrarijs quæſt. lib. 2. caſu 291.* Farin. *tom. 4. q. 145. num. 119.* & patet ex *leg. 1. § pœnas autem, C. de raptu virginum*; ibi, *Niſi etenim eam ſolicitauerit, niſi odioſis artibus circumueniret, non faceret eam velle in tantum dedecus ſe prodere*; ſecus ſi pretio Sanch. Decian. Sanch. Menoch. Farin.

conueniſti cum illa, nam tunc ſolùm erit raptus reſpectu parentum, non reſpectu illius. Si autem ſui iuris ſit, & pretio cum illa conueniſti, nullus erit raptus; ita Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 12. num.* 10. Iulius Clarus *lib. 5. ſent. §. raptus, num.* 3. Item iniurioſa erit, & inuoluntaria abductio, ſi fœmina precibus importunis conſenſum præſtet, vt rapiatur; æquipollent enim preces importunæ violentiæ; quæ autem dicantur preces importunæ in iure, quibus magis vult fœmina cōſentire, quàm illis affligi, & moleſtari, diximus ſuprà *cap. 5. n.* 11.

Sanch. Iul. Clar.

4. *Raptus qualis ſit vt incurrātur pœnæ iuris canonici & Tridentini.*

Cauſa libidinis in hoc diſtinguuntur pœnæ iuris ciuilis, à pœnis iuris canonici, & Tridentini, quia Concilium comprehendit ſolùm raptum cauſa matrimonij factum, non verò illum, qui fit libidinis tantùm cauſa; ius verò ciuile vtrumque ſimul comprehendit, tam cauſa matrimonij, quàm cauſa libidinis. nam quamuis nonnulli Authores velint de vtroque ſimul raptu intelligendas eſſe pœnas Concilij Tridentini, quos latè refert, ſed non ſequitur, Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 13. inter quos eſt etiam Sà *in ſummula, verb. matrimonium, num.* 9. dicens, ita declaraſſe Congregationem Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper Tridentinum, & Vela *de pœnis delictor. cap. 29. §. ſed ego indiſtinctè*, & Veracrux *in appendice ad ſpeculum, fol.* 81. §. *hinc conſiderandum*, & valde probabile eſſe atteſtatur Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 13. num. 3. ad finem*, & fundamentum illorum eſt,

Sanch. Sà. Vela. Veracruz.

Primò, quia Concilium innouat pœnas per canones antiquos raptoribus impoſitas, quæ vtrumque raptum comprehendunt.

Secundò, quia vbi textus eſt dubius, rubrica, & titulus, ſub quo comprehenditur, declarat intellectum illius; cùm ergo textus Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 6. contineatur ſub titulo de raptoribus, & comprehendat omnes raptores, etiam clericos, & ſacerdotes, qui cauſa matrimonij fœminas rapere non poſſunt, cùm ſint inhabiles ad contrahendum ratione ſacrorum Ordinum, clarum manet voluiſſe Concilium Tridentinum comprehendere omnes raptores, ſiue cauſa libidinis tantùm, ſiue cauſa contrahendi matrimonium dumtaxat fœminas rapiant, ſiue cauſa ſimul vtriuſque rei. Eſt probabilis iſta ſententia, verùm illius fundamenta non vrgent.

Primò, quia Concilium *ibi* non innouat pœnas antiquorum canonum raptoribus impoſitas, nam ſi illas innouaret, id in eo capite exprimeret, quemadmodum facit in aliis, in quibus illas innouat.

Secundò, quia clericus raptor poteſt eſſe in minoribus conſtitutus, & in eo verificari eſſe clericum, & matrimonij capacem; deinde, poteſt eſſe in ſacris, & rapere cauſa ineundi matrimonij de facto, & non de iure, & ſubeſſe tunc illis pœnis.

Vera opinio ſtatuitur.

Quare melior, & verior opinio docet pœnas Concilij Tridentini ſolùm intelligi de raptu cauſa ineundi matrimonij facto, non cauſa libidinis, eam tenet Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 13. num.* 4. Farinacius *tom. 4. in praxi, quæſt. 145. num.* 2. Salzedo *ad practicam Bernardi Diaz, cap. 78. fine.* Manuel Rodriguez *tom. 2. ſumma edit. 2. cap.* 213. *num.* 7. Veiga *tom. 1. ſumma cap. 34. caſu 157. notabili* 1. nam pœnæ ſunt reſtringendæ, & non ampliandæ, iuxta commune pronunciatum; quare cùm Concilium velit fauere tantùm libertati matrimonij, clarum manet voluiſſe comprehendere raptum ſuis pœnis, factum tantùm cauſa matrimonij, non cauſa libidinis; deinde Concilium voluit corrigere caput finale *de raptoribus*, permittens matrimonium inter raptorem, & raptam, & vt illud corrigat, irritat tale matrimonium, dum rapta ſub raptoris poteſtate eſt, ſiue liberè, & ſpontaneè conſentiat, ſiue non; quare cùm de hoc raptu, qui cauſa matrimonij fit, loquatur, immeritò extendatur ad raptum cauſa etiam factum libidinis; deinde, quia decretum hoc pœnale Concilij Tridentini ponitur in eodem Concilio *in rubrica, & ſub tit. de reformat. matrimonij*; ſolùm ergo loquitur de raptu cauſa illius contrahendi facto, non cauſa libidinis exercito; tandem, quia vbi textus eſt dubius, rubrica probat qualiter ſit intelligendus; quare cùm dubium ſit, an textus Concilij comprehendat etiam raptum libidinis cauſa, rubrica probat non intelligi, cùm de raptu tantùm matrimonij cauſa facto loquatur.

Sanch. Farin. Salzed. Rodrig. Veiga.

Fœmina honeſta. Si loquamur de iure Concilij Tridentini, pœnæ illius comprehendunt raptum cuiuſcumque fœminæ, virginis, corruptæ, meretricis, honeſtæ, non honeſtæ, nuptæ, non nuptæ, & etiam Monialis, iuxta Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 13. num.* 14. & ita Veracrux *in appendice ad ſpeculum*, vbi de raptu, *fol.* 81. §. *hic conſiderandum*; modò tamen fiat cauſa ineundi matrimonij, nec refert, quòd mulier iam coniugata ſit, & de iure inhabilis ad contrahendum matrimonium. nam Concilium iuxta hos Authores punit in rapto, quidquid de facto ſit, non de iure; ac proinde aſſerunt ſufficere, ſi cauſa matrimonij contrahendi coniugata rapiatur, & eo animo, & intentione rapiatur; quamuis de iure tale matrimonium ſit irritum, & conſtare non poſſit. 5.

Cuius fœminæ debeat eſſe raptus ad incurrendas illius pœnas.

Sanch. Veracrux.

Dices, id eſſe expreſsè contra hæc verba Concilij Tridentini *dicta ſeſſ. 24. de reformat. cap 6. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat*, vbi clarè ſupponit, raptorem, & raptam tales eſſe debere, inter quos validum matrimonium poſſit conſiſtere; deinde, quia raptus inter hos non poteſt habere plenam delicti conſummationem, cùm inire matrimonium validum nequeant. Reſpondeo, Concilium non petere poſſe iniri inter eos matrimonium validum. ſed ſiue poſſit iniri, ſiue non poſſit, eos ſuis pœnis afficit, qui cauſa illius rapiunt, quod patet ex his verbis, quæ proximè poſt hæc relata ſequuntur, *& nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati*, &c. id eſt, non minus incurrat has pœnas raptor raptam ducens, quàm ſi non ducat, aut non poſſit de iure ducere; vnde delictum, quod hic punitur, ipſa violenta abductione conſummatur, & non opus eſt, vt ſequatur matrimonium, vt optimè animaduertit Sanchez allegatus. Farinac. *tom. 4. quæſt. 145. num.* 30. Carrer. *in practica criminali tractatu de homicidio, & aſſaſſinio*, §. *Hinc nata occaſione, num.* 1. Iodocus *in practica etiam criminali, cap. 95. rubrica, de rapt. num.* 3. Decianus *lib. 8. cap. 13. num.* 2. & alios, quos *ibi* citat Farinacius.

Farin. Carrer. Iodoc. Decianus.

Si loquamur de rigoroſis pœnis iuris ciuilis; (quæ autem illæ ſint ſtatim dicemus *à num.* 10.) ſolum raptum mulierum honeſtarum ius ciuile voluit comprehendere, raptus enim meretricum & mulierum inhoneſtarum non pœna rigoroſa & ordinaria iuris, ſed arbitraria iudicis punitur. Modò tamen iam meretrix illa non cœperit eſſe honeſta, vt docet Anton Gomez *l. 8. Tauri, num.* 45. & Farinacius *tom. 4. quæſt. 145. num.* 153. vt optimè notat *in num.* 154. ſtatutum puniens pœna mortis aliquem mulierem rapientem, intelligendum eſſe de

Gomez. Farin.

de muliere honeſta, etiam ſi tale ſtatutum id non exprimat, & id docet etiam Couar. *lib.3. var. reſolut. cap.14 num.2. verſ. tertiò.* Decio ſuffragatur & Sanchez *de matrim. lib.7 diſp.12. num.22. 23. & 24.* & alij multi, quos citant Sanchez, & Farinacius allegati.

Couar. Sanchez.

6\. *Raptus meretricis coniugatæ renitentis, ſi maritus reſiſtat, qua pœna puniatur.* Sanchez. Farin.

Si tamen meretrix illa ſit coniugata, & illa & maritus renitantur, tunc quidem puniendus eſt talis raptus non arbitraria pœna iudicis ciuilis, ſed ordinaria iuris, quia irrogatur etiam iniuria marito, & ideò talis raptus gladio & morte in iure vindicatur; ita docet Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.12. num.23.* vbi multos citat, & ſequitur, & Farinacius *tom.4. quæſt.145. num.172.* præſertim quando illa non erat publica meretrix; verius tamen crederem tunc huiuſmodi raptum puniri poſſe pœna ordinaria mortis, quando iſta mulier deſiit eſſe meretrix; ſecus ſi adhuc publicè inhoneſtè viuit, & meretriceos quæſtus facit, tunc enim pœna arbitraria raptus illius punietur, non ordinaria. Ita tandem docet Farinacius allegatus *num.177.* An verò dicatur meretrix illa, ſeu inhoneſta, quæ ſemel tantùm ſui corporis copiam fecit, ad nos non attinet, videatur Vela *de pœna delictor. cap.29. corollar.4.* Decianus *lib.8. cap.7. num 12.* Farinacius *dicto tom.4. quæſt.145. num.159.* vbi dicit non poſſe dici hanc mulierem inhoneſtam, aut meretricem, ſi cautè hoc fecit, & non publicè, more meretricio; & id etiam cenſent Paulus de Caſtro *conſilio 303.* incipit, *Viſo ſtatuto*, aliàs 172. *lib.2.* & Boſſius *in titul. de rapt. mulier. num.10. & 9* vbi aſſerit ſe nunquam in ſenatu audiuiſſe, cùm negotium circa hanc cauſam occurrebat, fieri fundamentum in honeſtate occulta, ſed publica, vnde bene aſſerit Decianus citatus raptorem mulieris occultè fornicantis quæ in publica bonæ famæ extimatione erat, pœna mortis puniendum eſſe. ſecus ſi in ea non erat opinione, quia tunc pœna arbitraria, non ordinaria vindicabitur delictum.

Farin. *Quæ fœmina dicatur meretrix & inhoneſta.* Vela. Decian. Farin. Caſtro. Boſſius.

7\. *Qua pœna puniendus ſit raptus quãdo mulier aliam mulierẽ, aut virum rapit renitentes.*

Quid ſi mulier rapuerit virum, illo renitente, vel aliam mulierem. Reſpondeo eſſe hoc crimen vindicandum pœna arbitraria iudicis, non ordinaria iuris; ita docet Iulius Clarus *lib 5. ſent. § raptus. num 6.* & latiſſimè probat Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.12. num.25.*

Primò, quia hoc rariſſimè contingere poteſt, & leges non aptantur caſibus rariſſimè contingẽtibus.

Secundò, quia ſolùm loquuntur de raptu virginis, & mulierum honeſtarum, & non de raptu viri; & fœmineum genus non continetur ſub maſculino in odioſis, & pœnalibus, *l. iuxta, de verbor. ſignif.*

Dices, leges quæ de viris raptoribus loquuntur, de illis loquuntur gratia frequentioris vſus, & non impediunt, quominus verba legis ad caſus minus etiam frequentes extendantur, ſicut textus omnes interdicentes debiti petitionem inceſtuoſis, de ſolis viris loquuntur, & tamen de mulieribus etiam intelliguntur. Reſpondeo, id verum eſſe, ſed huiuſmodi leges non fuiſſe loquutas de viris gratia frequentioris vſus, ſed fuiſſe ſolùm loquutas de viris, non de fœminis, quia rariſſimè contingere poterat, vt fœmina virum raperet, & vnus caſus rariſſimè contingens non cõprehenditur in legibus, quamuis comprehendantur aliqui, quia aliquando ſunt frequentes, & aliquando contingunt, licèt non ita frequenter. & quãuis ponerentur prædicta verba gratia frequentioris vſus, adhuc non comprehenderentur in illis fœminæ rapientes viros, quia non eſt eadem ratio de illis, atque viris, cùm fœminæ ordinariè leuiores ſint, & facti deteſtationem non conſiderent.

Mulierem verò rapientem aliam mulierem libidinis cauſa puniendam eſſe pœna iuris ordinaria, & non arbitraria iudicis, docent Cynus *in l.1. n.8. C. de raptu virginis*, & *ibi* etiam Salicetus *num.7.* Ioannes de Platea *§ ſin autem, col.2. verſ. ſed nunquid hæc eadem pœna, Inſtit. de publicis iudicijs.* Practica Conradi *rubr. de raptoribus, num.10.* contrarium tamen; & verius, quòd ſcilicet pœna arbitraria, & non ordinaria punienda ſit talis mulier, docet Decianus *lib.8. cap.7. num.28.* Menochius *de arbitr. quæſtionibus, lib.1. caſu 291. in addit. num.30. verſ. dubitari etiam ſolet, & num.31. & ſequentibus*; & Sanchez *lib.7. de matrimon. diſp.12. num.24. & ſequentibus.* Excipiunt tamen huiuſmodi Doctores, niſi eſſet hermaphroditus, & ratio conſtat ex fundamento numero præcedenti iacto, quia etiam hic caſus rariſſimè contingere poteſt, & leges pœnales non poſſunt aptari caſibus rariſſimè contingentibus.

8\. *De muliere rapiente aliã mulierem libidinis cauſa, quid.* Cynus. Salicet. Platea. Conrad. Decian. Menoch.

9\. *Quid de raptoribus maſculorum eadem libidinis cauſa.*

Sed quid de raptoribus maſculorum eadem libidinis cauſa? Reſpondent multi huic caſui, cùm aliquando contingere ſoleat, licèt non ita frequenter contingat, aptandam eſſe pœnam mortis ordinariam iure ciuili impoſitam; multo enim maius, & turpius eſt crimen hoc, quàm raptus mulieris, cùm ad actum contra naturam, & ſodomiæ ordinetur. Ita Cynus *in d. l.1. num.8. C. de raptu virginis*, & *ibi*. Salicetus *num.6.* Hoſtienſis *in ſumma de pœnis raptor. num.2. verſ. raptores verò puerorum.* Vital. *rubr. de raptor. num 4.* Iacobus Nouellus *regula 178. num.3. ampliatione 3.* Carret. *in practica criminali, in tract. de homicidio, & aſſaſſinio, §. hinc nata occaſione, num.30.* Conrad. *in pract. de raptor. num 10.* vbi reprobato Ghirlando hanc eſſe veriorem opinionem affirmat Iulius Clarus *§. raptus, num.32.* & Farinacius *tom 4. quæſt.145. num.45.* quamuis contrarium videatur ſuaderi ex *l.1 in princip. C. de raptu virginis, ver. fœminarum*, quaſi aliter cenſeat de maſculis, nam ſumus in materia pœnarum, & pœnæ reſtringendæ ſunt, & non ampliandæ maximè, quia ibi Imperator loquitur expreſsè de raptu fœminarum, non virorum, & ſi voluiſſet in ea maſculorum raptu comprehendere, vtique eos nominaſſet, ſicut nominauit fœminas, quod fuit vnicum fundamentum Ghirlandi, ad aſſerendum raptum puerorum non pœna ordinaria iuris, ſed arbitraria iudicis eſſe puniendum, *lib. de pœnis omnifariam coitus, quæſt.10. num.25. verſ. ideo dicendum eſt*, quem ſecutus fuit etiam Iodocus *in practica criminali, cap 95. rubr. de raptu, num.17. ad finem*, & Decianus *lib.8. cap.7.* & hæc mihi placet, quia leges, & iura loquuntur de raptu fœminarum, qui frequentiùs contingit, & videtur excludere raptus puerorum qui rariſſimè ſolent contingere. quare pœna arbitraria raptus maſculorum punietur arbitrio iudicis, non ordinaria iuris.

Cynus. Salicet. Hoſtienſ. Nouel. Carret. Conrad. Clarus. Farin. Iodoc. Decian.

10\. *Pœna raptus de iure ciuili communi.*

Rogabis ergo, qua pœna puniatur in iure raptus. Reſpondeo iure ciuili communi pœnam mortis eſſe raptoribus conſtitutam, & illorum adiuuantibus, & auxilium, & conſilium illis etiam præſtantibus; & additur etiam in iure ciuili; at bona omnia raptorum, & iuuantium ſtatim publicentur, & ad dominium raptæ tranſeant; illud autem ſtatutum intelligendum eſt, poſt ſententiam declaratoriam criminis, & poſt probatum raptum; vnde in conſcientia poterit raptor retinere prædicta bona, quãdiu per ſententiã iudicis raptor non declaratur, vt

vt docet Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.12. num.2.* & de pœna mortis patet ex *l.1.C. de raptu virginis, verb. capitis ſupplicio, initio*, & paulo infrà, ibi, *& meritò mortis damnantur ſupplicio, & in §. ſin autem, in fine*, ibi, *duriſſimis pœnis afficiant, & mortis condemnent ſupplicio*, & ita communiter Doctores. Vide Farinacium *dict. tom. 4 quæſt. 145. num.7.* vbi multos, & multa iura ad hanc acerbam mortis pœnam probandam affert.

11. *Pœna raptus de iure canonico.*

Iure verò communi canonico excommunicantur raptores adiuuantes, fauentes, cooperantes, auxilium conſiliumque illis dantes, patet ex *cap. ſi quis virginem 22.* ibi, *Si quis virginem, vel viduam niſi deſponſauerit, rapuerit cum ſibi fauentibus, anathema ſit*; vbi non imponitur excommunicatio ipſo facto, ſed inferenda, vt doctè notat Sanchez *lib.7. de matrimonio, diſp.12. num. 2.* & Sylueſter *verb. luxuria, quæſt.6. dict.1.* Maior *in 4. diſt.29. quæſt.2. ad finem.* Caietan. *2.2. quæſt.154. art.3. in ſolutione ad 3. dubium.* Veracruz *in appendice ad ſpeculum*, vbi de raptu, *fol.83. §. ſed tamen fatue.* Petrus Ledeſma *de matrimon. quæſt. 50. art. vnico, dub.2.* Et ratio eſt, quia verba, *anathema ſit, ſit excõmunicatus*, nunquam important latam ſentẽtiam, ſed inferendam, niſi in materia de hæreſi, & in definitionibus fidei in Conciliis, quia *ibi* ex aliis textibus colligitur imponi per hæc verba, *excommunicationem ipſo facto*, vt latè probat Sanchez *dict. num. 2.* multis pro contraria parte authoribus adductis, & reprobatis, & Abbas *in cap.2. de de foro comp. fine.*

Sanch. Syluest. Maior. Caietan. Veracruz.

12. *de Iure Luſitano.*

De iure Luſitano puniuntur raptores capitis ſupplicio, & eis auxiliantes, conſilium, fauoremque dantes, conſtat ex *lib.5. nouæ ordinis, tit.18. §.3.* & hæc pœna iuris Luſitani comprehendit vtrumque raptum, tam cauſa libidinis, quàm cauſa matrimonij factum, ibi, *Gladio feriantur, & mortis ſupplicio puniantur illi, qui fœminam aliquam virginem, vel honeſtam non nuptam, muneribus, & promiſſis ita induxerit, vt de domo patris, tutoris, curatoris, domini, aut alicuius alterius perſonæ in cuius poteſtate fuerit, vel è loco, vbi de illorum licentia fuerit, abduxerit.* Excipit tamen ius Luſitanum, modò raptor nobiliſſimus non fuerit, rapta verò infimæ ſortis, tunc enim pellitur ille in exilium Africæ ad libitum Regis, & amittit poſt latam ſententiam omnia bona, quæ de gratia, & liberalitate regia poſſidet, veluti cenſum, & ſimilia.

13. *De iure Concilij Tridentini.*

De iure canonico Concilij Tridentini *ſeſſ.24. de reformat. cap.6.* puniuntur raptores, & illorum auxiliatores, fautoreſque excommunicatione ipſo facto, & infamia perpetua, & inhabilitantur ad contrahendum validè cum rapta, quandiu illa ſub illorum fuerit poteſtate, & in loco libero non fuerit conſtituta, ibi, *Decernit ſancta Synodus inter raptorem, & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum conſiſtere matrimoniũ, quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem prebentes ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant, & teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.* Hæc Concilium.

14. *Concilium corrigit pœnas iuris cõmunis canonici.*

Vbi notabis primò, Concilium hic corrigere caput, *ſi quis virginem, num.11.* allegatum, quia ibi imponitur raptoribus excommunicatio inferenda; hîc autem, ipſo facto excommunicantur; deinde ibi validum erat matrimonium, ſi raptam ducerent, & excommunicationem effugiebant raptores illam ducendo; hîc verò quandiu rapta fuerit, ſub raptoris poteſtate matrimonium eſt nullum, ſi illam ducat, & ſi illam iam extra illius poteſtatem & in loco libero conſtitutam, ea volente, & conſentiente, duxerit, valebit matrimonium; non tamen euadet excommunicationem ei ipſo facto impoſitam, vt patet ex verbis Concilij. Et ideo

Notabis ſecundò, hanc excommunicationem eſſe ipſo facto, & iure, ibi, *ſint ipſo facto & iure excommunicati*, & ita docet Sanchez *lib.7. de matr. diſp.13. num.1.* & Emanuel Rodriguez *tom.1. ſummæ in 2. edit. cap.213. num.7.*

Sanchez. Rodrig.

15. *Excommunicatio Concilij Trid. nulli eſt reſeruata.*

Notabis tertiò, hanc excommunicationem nulli eſſe reſeruatam, & ſic ab ea poſſe abſoluere proprium Parochum, vt optimè docet Sanchez allegatus *num.1.* nam Summus Pontifex eam nec ibi, nec alibi reſeruat, vnde locum habet regula, quam tradit *cap. nuper, verſ. in 2. caſu*, vt reſeruata non ſit; quare fallitur Rodriguez citatus, exiſtimans eam eſſe reſeruatam Summo Pontifici.

16. *Matrimoniũ inter raptorẽ & raptã, dũ eſt ſub illius poteſtate, eſt irritum.*

Notabis quartò, matrimonium contractum inter raptorem, & raptam quandiu illa eſt ſub illius poteſtate, & ab eo non ſeparatur, & in loco tuto conſtituitur, eſſe inualidum, ac proinde raptum pro eo tempore eſſe impedimentum dirimendo; patet ex verbis Concilij, *nullum poſſe conſiſtere matrimonium*; docet Sanchez citatus *num.3.* & Henriquez *lib.12. de matrimonio, cap. 14. num.4.* qui addit, & rectè, id verum etiam ſi rapta ſub raptore poſita liberrimè conſentiat, adhuc enim matrimonium erit nullum, quia conſilium non requirit ſolùm libertatem, quæ ſufficiat ad valorem matrimonij, ſed requirit inſuper, vt rapta ſit libera à raptoris poteſtate, & cum Henriquez idem tenet Sanchez *num.2. fine*, & Leſſius *tom.1. lib.4. cap.3. de ſpeciebus luxuriæ, dub.9. n.69.* Nauar. *in ſum. Lat. cap.22. num 74.* Toletus *lib.7 ſummæ cap.13. n.2.* An verò nullum etiam ſit matrimonium ſi fœmina raptui conſentiat, parentes verò diſſentiant, & actu reſiſtant, eſt dubium; quod infrà reſoluemus.

Sanch. Henriq. — Henriq. Sanchez. Leſſius. Nauarr. Tolet.

17. *Pœna, qua tenetur raptor raptam dotare, non incurritur niſi poſt ſententiam raptus.*

Notabis quintò, pœnam qua tenetur raptor raptam dotare, non incurri ipſo facto, ſed poſt ſententiam iudicis, atque adeò non eſſe obligandum raptorem ad illam in conſcientia ſoluendam, niſi poſt declaratoriam ſententiam criminis, & pœnarum. patet ex verbis Concilij, ibi, *& teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare*; vbi illis verbis, *arbitrio iudicis*, neceſſariò requirit Concilium iudicis ſententiam.

18. *Idem de pœna infamiæ.*

Similiter notabis quintò, pœnam infamiæ, & alias Concilij pœnas, veluti diſpoſitionis, & priuationis dignitatum, requiri quoque iudicis ſententiam, vt doctè probat Sanchez *dicta diſp.13. n.1.* A pœna autem infamiæ liberant aliqui etiam poſt iudicis ſententiam ipſum raptorem ſi raptam ducat, ſic liberant Henriquez *lib.2. de matrim. cap.14. num.4.* Emanuel Rodriguez *tom.1 ſummæ in 2. edit. cap.231. num.1.* & Veiga *tom.2. cap.34. caſu 157.* Fundamentum illorum eſt, quia Concilium non debet velle, vt rapta nubat infami, intendit enim Concilium fauere libertati matrimonij, & minimè faueret ſi tam grauis infamiæ onus illi eſſet adnexum; non liberat tamen Sanchez, & illius opinio eſt probabilior, *dicto lib.7. de matrimonio, diſp.13. num.1.* nec etiam Concilium, vt patet ex illius verbis, ibi, *& nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium,*

Sanch. — Henriq. Rodrig. Veiga. — Sanch.

ſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint perpetuò infames. Neque hoc eſt compellere raptam, vt nubat infami, quod eſt vnicum fundamentum Henriquez, & aliorum, nemo enim eum cogit, nam ideo iubet Concilium, vt in loco libero extra poteſtatem raptoris ponatur, vt liberum ei ſit nubere, vel non nubere, neque hæc pœna infamiæ aduerſatur fauori matrimonij, ſed propter delictum præteritum ipſius raptus imponitur.

Quid de pœna irregularitatis.

19. Maiolus *lib. 5. de irregularitate, cap. 41. fine,* aſſerit irregulares etiã eſſe raptores, ſiue clericos, ſiue laicos omnes, & fauentes, conſilium, aut auxilium ferentes, & fundamentum illius eſt, quia Concilium ſtatuit eos eſſe infames; ergo & irregulares, omnes enim infames irregulares ſunt; ſed dicendum eſt, Concilium hîc non definiſſe raptores eſſe irregulares, ſed eſſe infames; vnde cùm ex infamia ſuppullulet irregularitas, ideo indirectè, & per quandam conſequentiam poſtquam infames declarantur per iudicis ſententiam, manent irregulares, vt docent Nauarrus *lib. 5. conſil. in 2. editione, conſil. 3. num. 4.* & Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſp. 13. num. 1. paulo ante finem.*

Nauarr. Sanchez.

20. Docet etiam Maiolus *lib. 5. de irregularitate, cap. 5. num. 17.* parochum aſſiſtentem matrimonio raptoris cum rapta nondum extra poteſtatem illius in loco tuto, ac libero poſita, incurrere pœnas Concilij, & pœnas *cap. finalis. de clandeſtina deſponſatione*, nimirum ſuſpenſionem per triennium cùm fautor ſit.

Maiol.

Sed fallitur omnino, quia hæ pœnæ imponuntur ſolùm aduersùs fautores, raptores, at parochus aſſiſtens matrimonio poſt raptum factum, non illi fauet, cùm iam tranſactus ſit, incurret tamen ſine dubio illas ſi à parte ante eam aſſiſtentiam promitteret, quia animoſior illa fieret raptor ad patrandum delictum, & fautor illius eſſet. ita Sanchez *lib. 7. de imped. diſput. 13. num. 1. fine, & lib. 3. tota diſputatione* 48.

Sanchez.

Cõciliũ Trid. non punit raptum cauſa libidinis factũ, nec quatenus eſt ſpecies luxuriæ.

21. Notabis ſextò non puniri in Concilio Tridentino raptum quatenus eſt ſpecies luxuriæ, quia is fit tantùm cauſa libidinis, niſi ſimul etiam fieret cauſa matrimonij, quia tunc, qua parte fieret cauſa matrimonij, comprehenderetur his pœnis Concilij, vt notant Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 13. num. 5.* ſolùm enim raptus eſt ſpecies luxuriæ, quando fit cauſa libidinis, & non cauſa ineundi matrimonij; vnde ſi probetur raptus fuiſſe commiſſus cauſa matrimonij ineundi, & non cauſa libidinis, non punietur pœna ordinaria mortis in iure ciuili, ſed arbitraria iudicis, quia ſolùm quando eſt ſpecies luxuriæ, & fit cauſa libidinis, vel aliqua quacumque cauſa, mortis pœna ordinaria punitur, vt docet Decius *conſil. 234. n. 8. vol. 2.* Carrer. *in practica criminali*, vbi de raptu, *num. 12. §. 2. caſu principali.* Boſſius *in practica criminali tit. de raptu mulieris, num. 7.* Iul. Clar. *lib. 5. receptarum, §. raptus, num. 1.* Decianus etiam *tractatu criminali, lib. 8. cap. 7. num. 38.* Azeuedo *lib. 2. recopilat. tit. 13. l. 2. num. 91.* Vela *de pœnis delictor. cap. 29.* imò quamuis nullus tractatus ineundi matrimonij præceſſerit inter raptorem, & raptam, tamen matrimonio poſt raptum ſubſecuto, valdè conſentaneum eſt rationi, praxíquè receptum, ne raptor pœna ordinaria iuris puniatur, ſed arbitrio iudicis mitioribus aliis, vt docet Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 12. num 16.* Paulus à Caſtro *l. penultima, num. 5. C. de Epiſcopis, & Cler.* & Boſſius citatus. Iulius Clarus item allegatus *num. 8. fine.* Antonius Gomez *l. 80. Tauri, num. 43. ad finem.* Peguera *in quæſtionibus criminalibus, cap. 42 fine*, & refert Paulus à Caſtro Mantuæ raptorem quendam pœna mortis euaſiſſe, eo quòd raptam duxerit.

Sanch.

Decius. Carrer. Boſſius. Iul. Clar.

Decianus. Azeuedo.

Caſtro. Boſſius Iul. Clar. Gomez.

Peguer.

Non eſt raptus pœnis Cõcilij Trid. obnoxius, quo aliquis rapit aliquam, vt nubat alteri illo inſciente.

Notabis ſeptimò non eſſe raptum pœnis Concilij obnoxium, quando ex proprio motu aliquis fœminam rapit, vt nubat alteri tertio, illo neſciente, & minimè mandante, & valere matrimonium cum illo tertio celebratum, ſi fœmina liberè conſentiat, quamuis non extra raptoris poteſtatem in loco libero ſit conſtituta, vt docet Sanchez *diſput. 13. num. 6. lib. 7. de matrimonio*; ratio eſt, quia pœna Concilij eſt, vt inter raptorem, & raptam nullum conſiſtat matrimonium, quandiu rapta ſub illius poteſtate eſt; nec ergo locus erit huic pœnæ, quando cum alio tertio contrahit eo inſcio præcedentis raptus. Dixi *eo inſcio*, quia ſi cauſa illius, eóque mandante fœmina fuit rapta, erit inualidum tale matrimonium, & cæteras Concilij pœnas mandans incurret, vt patet. 22.

CAPVT XI.

Vtrùm detur verus raptus ſi fœmina rapta raptui conſentiat, parens verò, vel tutores diſſentiant; & quid ſi parentes conſentiant, fœmina autem diſſentiat; & quid ſi fœmina ſit ſui iuris.

SVMMARIVM.

An detur raptus pœnis ordinariis Concilij Tridentini, & iuris communis obnoxius ſi fœmina ſui iuris conſentiat, quamuis aliis impedientibus vis inferatur, num. 1. An tunc ea circumſtantia confitenda ſit. ibid.

Quid ſi parentes conſentiant, filia verò diſſentiat, num. 2.

Quid è contra ſi parentes diſſentiant, filia verò conſentiat. num. 3.

Quid ſi virgo conſentiat ignorantibus parentibus, num. 4.

An pœnæ Concilij Tridentini locum habeant in raptu, in quo fœmina conſentit, parentes verò diſſentiant. num. 5.

Quid ſi ignorent. ibid.

Quid ſi parentes actualiter reſiſtant, fœmina verò conſentiat. num. 6.

Quid ſi fœmina reſiſtat, & parentes conſentiant, num. 7.

An pœnæ Concilij locum habeant in raptoribus puerorum. num. 8.

An in raptu meretricis coniugatæ, aut Monialis, vel aliud impedimentum dirimens habentis, num. 9. & 10.

An locum habeant in raptu propriæ ſponſæ de futuro. num. 11.

An in raptu propriæ ſponſæ per verba de præſenti ductæ. num. 12.

An locum habeant, quando fœmina à principio voluit, & poſtea noluit. num. 13.

An ad incurrendas pœnas Concilij Tridentini requiratur copula inter raptorem, & raptam. num. 14.

Quid de raptu facto vt fœmina rapta contrahat cum

alio raptore. *num.* 15.
An ad incurrendas pœnas Concilij requiratur traductio de loco ad locum. *num.* 16.
An locum habeant pœnæ Concilij ſi fœmina virum nolentem rapiat, vt ſecum contrahat. *num.* 17.
Aſtruitur opinio negatiua, ibid. Proponitur affirmatiua. *ibid.*
Soluuntur rationes opinionis affirmatiuæ. *num.* 18.
Aſſignatur verum fundamentum opinionis negatiuæ, *num.* 19.
An ſicut raptus irritat matrimonium inter raptorem, & raptam, irritet etiam ſponſalia. *num.* 20.

1. *Prima concluſio.*

DIco primò, vt breuitatem amemus, ſi fœmina ſit ſui iuris, & raptui conſentiat, quamuis raptor armis vtatur, ne aliquis impedimento ſit, dum raptum exercet, & de facto ſibi impedientibus reſiſtit, non eſt verè & propriè raptus, nec pœnis ordinariis Concilij, nec iuris ciuilis punietur, ſed aliis minoribus ad libitum iudicis arbitrariis, neque in confeſſione aliqua circumſtantia explicanda eſt, quamuis impedientibus vis inferatur. Ita docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 7. Nauarrus *lib.* 5. *conſiliorum tit. de raptoribus, conſil.* 1. *num. vnico.* Hippolyt. *l. vnica, num* 16. *C. de raptu virginis.* Maſcard. *de probationibus, concl.* 1259. *quæſt.* 154. *n.* 27. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſp.* 12. *num.* 6. & 4. & alij, quos citat Sanchez allegatus. Probatur, quia volenti & conſentienti nulla fit iniuria; vnde cùm illa ſit ſui iuris & velit, & conſentiat, nemini fit propriè iniuria, ac proinde talis raptus verè, & propriè non dicetur raptus, ſed lato modo, & impropriè.

D Thom. Nauarr. Hippol. Maſcard. Sanch.

Nec refert Abbas *in cap. penult. de raptoribus, num.* 4 & Angelus *l. vnica, de raptu virginis, n.* 5. & alij, qui exiſtimant verum raptum eſſe, quantumuis fœmina ſui iuris ſit, & conſentiat; ex eo fundamento, quòd illa non habeat dominium ſui corporis; vt membra ſua raptui illicitò exponat. Sed ad hoc reſpondemus, illam verum habere dominium ſui corporis, vt licitè, & illicitè raptui, & copulæ illud exponat; vnde ſi illicitè libens ac volens exponit, peccabit contra ſextum præceptum, & eſt peccatum fornicationis ſimplicis, non raptus, nec contra iuſtitiam, quia nemini raptor facit iniuriam, vt patet.

2. *Secunda concluſio.*

Dico ſecundò, ſi fœmina ſub aliena poteſtate poſita diſſentiat, quamuis parentes, & tutores illius, vel illi, ſub quorum poteſtate eſt, conſentiant, verus raptus erit puniendus ordinariis, & rigoroſis pœnis iuris ciuilis, & Canonici Concilij Tridentini, & in confeſſione neceſſariò erit explicanda circumſtantia iniuriæ ipſi fœminæ illatæ, & aliter confeſſio erit inualida, quia mutat ſpeciem peccati luxuriæ, & de fornatione ſimplici trahit ad raptum, ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154 *art.* 7. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 12. *num.* 8. Nauarr. *in ſumma cap.* 16. *num.* 3. Toletus *lib.* 7. *cap.* 17. Petrus Nauarra *lib. de reſtit. cap.* 3. *in noua edit. dub.* 1. *num.* 418. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 14. *num.* 4. Rodrig. *tom.* 1. *ſumma in* 2. *edit. cap.* 272. *num.* 1. Farinacius *tom.* 4. *quæſt.* 145. *num.* 125. Valentia 2. 2. *diſp.* 9 *quæſt.* 3. *puncto* 3. *col.* 7. §. *Raptus*, & alij, quos citat Sanchez. Ratio eſt, quia parentes non habent dominium corporis puellæ, neque facultatem illam exponendi, aut maritandi contra illius poſitiuam voluntatem, vt patebit infrà *num.* 7.

D Thom. Sanch. Nauarr. Tolet P. Nauarra. Henriq. Rodrig. Farinac. Valentia.

3. *Tertia concluſio.*

Dico tertiò, ſi fœmina ſub aliena poteſtate poſita conſentiat, parentes verò diſſentiant, vel qui loco parentum ſunt, vel tutores, vel curatores, fratres, & propinqui, ſi ſub illorum poteſtate eſt, huiuſmodi raptus non ordinariis, ſed arbitrariis iudicis pœnis iure ciuili punietur; (quid verò dicendum de pœnis Concilij Tridentini, ſtatim dicemus à *num.* 5. Eſt tamen neceſſariò confitenda illa circumſtantia iniuriæ reſpectu parentum, quia mutat ſpeciem peccati, & de fornicatione ſimplici trahit ad raptum, ita docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſput.* 12. *num.* 12. & 35. Hippolytus *l. vnica, num.* 6. *C. de raptu virginis.* Farinacius *tom* 4. *quæſt.* 145. *num.* 118. Rebellus *verb. luxuria, initio.* Sylueſter *ibi quæſt.* 6. *dicto* 2. Bermon. *de publicis concubinariis*, vbi de ſtupro, *num.* 29. habetur *tom.* 2. *tractatuum part.* 1.) Salzedo *in pract. cap.* 78. *n.* 2. *fine*, gloſſa *in cap. contingit* 1. *de ſentent. excommunicationis, verb. iniurioſa*, in quodam ſimili, nimirum in Clerico, cuius conſenſus non liberat in ipſum manus iniicientem à ſententia excommunicationis, vt textus ille decidit. Iul. Clar. *lib.* 5. *recept.* §. *raptus, num.* 3. & multi, quos citant Sanchez & Farinacius. Probatur, quia, vt habetur *in cap. non afferamus* 24. *quæſt.* 1. & *Auth. vt patr. filij ſucced.* §. *Quia verò*, pœnæ debent commenſurari delicto, & longè minus delictum eſt, quando fœmina conſentit diſſentientibus parentibus, quàm quando omnes diſſentiunt; nam hic ſolùm datur raptus impropriùs reſpectu parentum, & non reſpectu ipſius fœminæ; at in raptu voluntas potius fœminæ, cui iniuria directè infertur, ſpectanda eſt; non ergo pœna ordinaria talis raptus, ſed alia arbitraria arbitrio iudicis puniendus eſt, quicquid alij velint.

Sanch. Hippol. Farin. Rebellus. Sylueſter. Bermon. Salzedo. Iul. Clar. Sanch.

Nec refert quòd aliquando iudices condemnent raptores ad mortis pœnam, probato conſenſu fœminarum in talem raptum, quia tunc procedunt ex præſumptione quadam iuris; præſumit enim ius vim illi fuiſſe illatam importunis precibus, doloſiſve ſuaſionibus, vt conſtat ex verbis *legis vnicæ.* §. *Et ſiquidem, verſ. pœnas autem, C. de raptu virginis*, ibi, *quia hoc ipſum velle mulierem ab inſidiis nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur, niſi etenim eam ſolicitauerit, niſi odioſis artibus circumuenerit, non faceret eam velle in tantum dedecus ſeſe prodere.* & docent Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 12. *num.* 9. & Salicetus *in l. vnica, num* 29. & 30. & Ruinus *conſil.* 122. *num.* 5. *vol.* 4. Decianus *tract. criminali, lib.* 8. *cap.* 7. *n* 19. & Cantera *quæſt. criminali, cap.* 4. *num.* 20. & alij: quòd verò circumſtantia iniuriæ reſpectu parentum neceſſariò ſit in confeſſione explicanda tanquam mutans ſpeciem peccati, patet etiam, quia raptus ille illis valdè iniurioſus eſt ac proinde reſpectu illorum nouam rationem iniuſtitiæ, & iniuriæ affert neceſſariò in confeſſione explicandam, vt expreſsè docet Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſput.* 12. *num.* 35. Nam quamuis fœmina virgo etiam iniuriam non inferat patri in ſui deflorationem conſentiens, nec ipſam volentem deflorans, vt latè probauimus ſuprà cùm de ſtupro egimus; tamen extractio, & abductio fœminæ conſentientis è domo eorum, ſub quorum poteſtate eſt, illis extractioni renitentibus, manifeſtam reſpectu illorum continet iniuriam, ac proinde nouam culpam iuſtitiæ aduerſam, & cum Sancio idem docent *dicto num.* 35. Abulenſis *cap.* 5. *in Matth. quæſt.* 203. Veracrux *Append. ad ſpeculum*, vbi de raptu, *folio mihi* 82. §. *conſequenter.* Ouandus *in* 4. *diſt.* 42. *diſput. vnica, propoſito* 12. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 14. *num.* 4. Toletus *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 12.

Sanch. Salicet. Ruin. Decian. Cantera. Abulenſis. Veracrux. Ouand. Henriq. Tolet.

Sà. Valentia. Rodrig.

cap.12. num 7. Sà verb. matrim. num.9. Valentia 2.2.diſput.9.quæſt.3.puncto 3.colum.7.§.raptus. Manuel Rodrig. tom.1.ſumma in 2.edit.cap.232. num.1.& alij.

4. *Quid ſi filia conſentiat, ignorantibus parentibus.*

Sanchez. Henriq. Boſſius. Abbas. Anan. Sanchez. Veracrux. Abulenſis. Henriq. Sanchez. Farin.

Idem quod dictum manet in hac tertia aſſertione, dicendum eſt etiam ſi puella rapta conſentiat, non contradicentibus, ſed ignorantibus parentibus illius,& qui loco parentum ſunt,talem illius raptum; nam tunc etiam arbitrariis pœnis iuris communis iſte raptus punietur, & non ordinariis, vt docet Sanchez *dicto lib.7. de matrim. diſp.12.num.13.* & Henriq. *lib.12.de matrim.c.14. num.5.* Boſſius *in practica criminali de raptu mulieris,num.16.* Abbas *in cap. penult. de raptoribus, num.4.* Ananias *ibi num.etiam* 4. & circumſtantia iniuriæ negatiuæ parentum neceſſariò erit confitenda; quia eſt ſpecies diſtincta luxuriæ,vt docet idem Sanchez *num.36.* & Veracrux *in appendice ad ſpeculum,*vbi de raptu, *fol.81.§.Verum animaduerſione.*Abulenſis *cap.5.in Matthæum,quæſt.203.* Henriq.*lib.12.de matrimonio,cap.14 num.5.*& plures alij,quos citat,ac ſequitur Sanchez *dicto n.36. & num. 32.* Et ratio eſt, quia quamuis tunc non detur parentum, aut eorum, qui loco parentum ſunt, etiam ſi fratres ſint, poſitiua contradictio, datur tamen voluntatis ipſorum defectus, qui *nolitio* appellatur, quod ſatis eſt, vt de iniuria ſibi ipſis illata iuſtè conquerantur, & in iudicio iniuriam proſequantur, vt optimè probat Farinac. *tom.4.quæſt.145 num.121.*

5. *An ille raptus in quo fœmina conſentit,& parentes diſſentiunt,ſit comprehenſus in Concil. Trid.*

Sed dubium eſt ſpeciale,an ille raptus puniendus ſit rigoroſis pœnis Concilij Tridentini, an verò aliis mitioribus, & arbitrariis, in quo fœmina rapta conſentit parentibus illius raptum omnino ignorantibus; qua de re eſt duplex opinio.

Opinio prima. Veracrux. Cucus. Henriq. Sanchez.

Prima docet non eſſe locum pœnis Concilij Tridentini, ſi virgo conſentiens ignorantibus parentibus rapiatur.Ita tenent Veracrux *in appendice ad ſpeculum,*vbi de raptu, *fol.81.§.Verum animaduerſione.* Antonius Cucus *lib. 5. inſtitutionum maiorum, tit.12, num.120.* Henriq. *lib.12. de matrimonio,cap.14.num. 5.*Fundamentum huius opinionis eſt, quia Concilium Tridentinum intendit,ac vult fauere matrimonij libertati; vnde cùm fœmina rapta conſentit,ceſſant pœnæ illius; quare ad incurrendas pœnas Concilij Tridentini ſola contradictio voluntatis fœminæ raptæ conſideranda eſt; vnde huiuſmodi raptus non eſt propriè raptus, vt latè probat Sanchez *lib.7. de matrimonio,diſp.12.num.36.*& nos id etiam diximus *num. præcedenti*; quare immeritò illi aptandæ erunt pœnæ Concilij Tridentini, quæ non, niſi vero raptui aptandæ ſunt.

Opinio ſecunda. Abbatis. Boſſius. Pegner. Sanchez. Farin.

Secunda opinio docet pœnas Concilij in eo raptu locum habere,& hoc deducitur ex doctrina Abbatis *in cap. cum cauſa, n.4.de raptoribus,*quem refert,ac ſequiturBoſſius *in tit.de raptu mulierum, num.16.*& Lud.Peguer.*deciſ.criminali 43. num.3. & 6.* quatenus dicunt committi verum, & proprium raptum in puellam ſui iuris conſentientem, & fundamentum illorum eſt, quia mulier non eſt domina corporis ſui, nec ſe poteſt raptui tradere,nec membra ſua exponere,*l.liber homo, ff. ad legem Aquiliam.* Verùm iſta opinio nullum habet fundamentum; mulier enim verè eſt domina corporis ſui,& ſi illud tradit, & raptui conſentit ſolùm,ſequitur illicitè conſentire, & cum peccato,vt ſuprà diximus Et ideo primæ opinioni adhæreo, & eam etiam docet Sanchez *lib.7.de matrimonio, diſp.13. num.13.* & Farinacius *tom. 4. quæſt.145. num.124.* & fundamentum Sancij patebit infrà *num.7.*

Sancius.

6. *Quid ſi parentes actu diſſentiant, & fœmina conſentiat.*

Maius dubium eſt,quid dicendum ſit ſi parentibus inuitis, & reſiſtentibus fœmina raptui conſentiat,qua de re partita eſt etiam opinio.

Opinio prima. Nauarr. Ouand. Salzedo. Henriq. Sà. Veiga. Rodrig. Tolet.

Prima docet per huiuſmodi raptum incurri pœnas Concilij Tridentini. Ita Nauarr. *lib.4.conſil.in 1.edit.tit.de ſponſalibus, conſil.32.num.vnico, in 2. edit. lib.5. tit. de raptoribus, conſil. 2. num. vnico.* Ouandus *in 4.diſt 42.diſp.vnica, propoſitione 12.* Salzedo *in practiça,cap.78.§.vltimo.* Henriquez *lib.12. de matrimonio,cap.14.num.4.* Sà *in ſummula,verb.matrimonium, num.9.* Veiga *tom.2. ſummæ cap. 34. caſu 157. notabili 1.* Rodriguez *tom.1.ſummæ,in 2.edit.cap.232.num.1.* & videtur idipſum ſentire Toletus *lib.7. ſummæ, cap.13.n.2.* dum explicans hoc Concilij decretum, aſſerit habere pœnas Concilij locum,cùm fœmina è domo parentum, vel eorum, ſub quorum cura eſt, ipſis inuitis abducitur.

Opinio ſecunda. Sanchez.

Secunda opinio negat,eam tenet ſolus Sanchez *lib.7.de matrimonio,diſput.13 num.13.verſu,at grauior eſt*; quia Concilium ſolùm intendit fauere libertati matrimonij, & cauere ne fœminæ contra ſuam voluntatem illud cogantur inire, ad quam libertatem nihil confert parentum voluntas, neque enim Concilium Tridentinum honeſtatem matrimonij conſiderat, (ait Sanchez) ſed ſolam eius libertatem; quod inde patet, quia ad valorem matrimonij inter raptorem, & raptam ſolum petit raptam ad priſtinam libertatem reſtitui, ac in loco tuto, & libero reponi; & quidem hoc fundamentum Sanctij optimum videtur, & ideo vtraque opinio eſt valde probabilis; qui tamen primam ſequutus fuerit, ad hoc fundamentum Sancij reſpondebit, Concilium fauere voluiſſe libertati matrimonij honeſti primariò,& per ſe; ad honeſtatem autem illius multum conferre placitum, & voluntatem parentum; vel eorum, ſub quorum poteſtate fœminæ raptæ ſunt.Cùm verò peracto raptu addit, valeat matrimonium inter raptorem, & raptam, ſi ab illius poteſtate fuerit ſeparata, & in loco tuto poſita, & liberè eam valeat in matrimonium habere, id fecit Concilium, vt famæ illius conſuleret, ne infamata maneret, nam prima, & præcipua intentio Concilij fuit raptibus obuiare, & fauere libertati honeſti matrimonij; quod inde patet, quia peracto raptu,ſi illa in loco tuto poſita illum in virum habere conſenſerit, non manet ille liber à pœnis, vt expreſsè Concilium ait; ſignum ergo eſt, quòd ſolùm, vt honori fœminæ conſuleret, permittit hoc matrimonium, cùm tamen primaria intentio illius ſit fauere libertati honeſti matrimonij,vt dixi.

7. *Quid ſi fœmina reſiſtat, & parentes conſentiant.* Sanchez.

Illud certum eſt,nempe,ſi fœmina rapta inuita abducatur volentibus, ac conſentientibus parentibus,incurrere raptorem, & illum iuuantes, auxilium, conſiliúmque præbentes, pœnas prædicti Concilij; vt optimè notat Sanchez *lib.7.de matrimonio,diſput.13.num.13.fine,* & nos iam id probauimus *num.2.* & ratio eſt, quia in Concilio Tridentino ſolùm voluntas fœminæ, & illius contradictio attenditur,cùm illi præcipuè fiat iniuria; ac proinde tota ratio veri raptus pendet à voluntate illius, vt ex dictis patet.

8. *An pœnæ Concilij locum habeant in raptoribus puerorum.*

Illud etiam certum eſt, pœnas Concilij Tridentini non habere locum in raptoribus puerorum, quia inter illos, & pueros non poteſt conſiſtere matrimonium; Concilium autem huiuſmodi pœnis vult tantùm libertati matrimonij fauere,

fuere, vt ſæpe dictum, ac repetitum manet.

9. *An in raptu meretricis, aut coniugatæ.*

Sed quid ſi raptus ſit meretricis, aut coniugatæ, aut cuiuſuis alterius ſtatus fœminæ, quæ habeat impedimentum dirimens matrimonium cum raptore? Reſpondeo comprehendi in pœnis huius decreti raptorem cuiuſcumque fœminæ, ſiue virginis ſiue corruptæ, ſiue meretricis, ſiue Monialis, coniugatæ, honeſtæ, inhoneſtæ, & cuiuſcumque ſtatus, aut ætatis ſit; ita docet expreſsè Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 13. num. 14.* Veracruz *in appendice ad ſpeculum,* vbi de raptu, *fol. 81 § hic conſiderandum.* Et ratio eſt, quia Concilium Tridentinum non punit quemcumque raptum, ſed qui cauſa matrimonij ineundi fit cum fœmina è domo parentum abducta; ac proinde qui libertatem matrimonij offendit, qui non minus impeditur, & offenditur, quando fœmina honeſta, coniugata, aut Monialis, vel ſimplex caſtitatis votum habens inuita rapitur, quàm quando fœmina inhoneſta rapitur, vel cuicumque alterius ſtatus. Nec obſtat, quòd cum coniugata, & Moniali non poſſit validum conſiſtere matrimonium, quia, vt ſuprà probauimus, Concilium punit affectum, & ad ſolum affectum, & intentionem attendit, & non attendit ad valorem matrimonij, quod amplius patebit ex numero ſequenti.

Sanchez. Veracruz.

10. *An in raptu Monialis.*

At dices non poſſe habere locum huiuſmodi pœnas, quando fœmina eſt Monialis, coniugata, vel habens quodcumque aliud impedimentum dirimens matrimonium, ſiue ex parte raptoris, ſiue ex parte raptæ tale impedimentum detur, & id colliges ex his verbis Concilij Tridentini: *Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habeat,* vbi aperè ſupponit Concilium raptorem, & raptam tales eſſe debere, inter quos poſſit verum matrimonium conſiſtere. Sed nihilominus dicendum eſt in eo euentu habere locum pœnas Concilij, ſi cauſa ineundi matrimonij de facto, & non de iure raptus fiat, quia Concilium nõ petit poſſe inter eos iniri matrimonium validum, nec id ſpectat, ſed ſpectat ſexum, & affectum, & ſiue iure ineatur, ſiue non ineatur, ſub pœnis illos vult afficere, quod expreſsè conſtat ex verbis, quæ ſtatim pòſt relata adiungit: *Et nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati;* ac ſi dicat, non minus comprehenduntur his pœnis raptor ipſe raptam ducens, quàm ſi non ducat, ac proinde delictum quod hîc punitur, ſola ipſa violenta abductione conſummatur, ſi fiat ad ineundum matrimonium; nec enim deſiderat Concilium, ſint ipſi habiles, nec ne, ad illud contrahendum, ſiquidem illud contrahere, aut non contrahere, nihil confert ad pœnas, nec ſupponit ſemper fore illos habiles ad contrahendum matrimonium; ſed quando illud iniri permittit, deſiderat, vt fœmina rapta in loco tuto ſit, & plenæ libertatis reddita, vt patet. ita Sanchez allegatus *diſput. 13. num. 14.* & id iam diximus *cap. 10. num. 5.*

Sanchez.

11. *An in raptu propriæ ſponſæ de futuro.*

Ex dictis ſequitur non comprehendi hoc decreto raptum propriæ ſponſæ de futuro, inuitis parentibus ipſius raptæ; quia iure communi raptus iſte à pœnis liberatur, vt patet ex *cap. penult. de raptoribus,* vt probat Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 12. num. 15.* quod Concilium Tridentinum minimè corrigit, & ita ſentiunt idem Sanchez *ibidem,* & alij, & Henriquez *lib. 12. de matrimonio, cap. 14. num. 4. & 5.* Sà *in ſummula verb. Matrimonium, in principio. n. 9.* Rodriquez *tom. 1. ſummæ, in 2. editione, cap. 232. num. 4.* Azor *tom. 3. lib. 3. cap. 14 quæſt. 1.* Fillincius *tom. 2. tract. 30. in ſextum præceptum Decalogi, cap. 6. num. 113.* Abb. *in cap. cum cauſa, de raptoribus,* & alij nam quamuis iure ciuili ſit raptus, *l. 1. C de raptu virginis, & l. raptores, de Epiſcopis & Clericis;* at iure Canonico non eſt raptus ſi abducatur ad conſummandum matrimonium cum ea, *cap. cum cauſa, de raptoribus,* quòd ſi abducatur ad turpem actum cum ea exercendum, vt fornicationis, vel alterius extra matrimonium, ſic erit raptus iure Canonico, & pœnis Concilij comprehendetur, vt notarunt ſpecialiter Azor, Filliucius, & Abbas allegati, & addit Henriquez citatus *num. 5.* non comprehendi raptorem his pœnis Concilij, ſiue volens, ſiue nolens ſponſa ad conſummandum matrimonium abducatur, non tamen credit id verum Sanchez, quia textus dicti *cap. cum cauſa, de raptoribus,* expreſſis verbis loquitur de fœmina volente, quæ raptui conſentit inuitis parentibus, & non de fœmina, ſeu ſponſa nolente, non enim violenter cogi poteſt ad ſeruandam ſponſalium fidem; quare ſi nolens abducatur ſponſa, pœnas proculdubio Concilij incurret ſponſus raptor, etiamſi ad conſummandum matrimonium illum abducat, & cum Sancio id expreſsè ſentit Azor citatus *quæſt. 3.* ab illis tamen diſſentit omnino Filliuc. allegatus *n. 114.* quia ad verum raptum requiritur, vt fiat cauſa libidinis, non cauſa matrimonij ineundi, & conſummandi, quando ſponſalia præceſſerunt, ſed falſo nititur fundamento, nam, vt optimè docet Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 13. num. 5.* non punitur in hoc decreto Concilij, raptus qui eſt ſpecies luxuriæ, & qui cauſa libidinis fit, ſed cauſa ineundi matrimonium, niſi ex vtraque cauſa ſimul fieret, tunc enim ea ſola ratione, quòd cauſa matrimonij fieret, comprehenderetur ſub hoc decreto, & ideo opinio Sancij eſt vera, tum propter hoc principium, tum quia cùm ſponſa non teneatur ſeruare fidem ſponſalium, nec poſſit cogi ad illam ſeruandam, ſequitur, vt ſi nolens abducatur, cauſa libidinis etiam abducatur, vt patet.

Sanchez. Henriq. Sà. Rodrig. Azor. Filliuc. Abb. Henriq. Sanch. Azor. Filliuc. Sanch.

12. *An in ſponſa per verba de præſenti ducta.*

Idem dicendum eſt de raptu ſponſæ per verba de præſenti ductæ; nam ſi illa etiam inuita, ac nolens rapiatur ad conſummandum matrimonium, erit locus pœnis eiuſdem Concilij; ſecus ſi volens; & ratio eſt, quia ſpatio duorum menſium ſibi à iure conceſſo gaudere poteſt ad deliberandum de religionis ſtatu, & cùm ſponſa vtatur ſuo iure, maritus illi infert violentiam, & iniuriam, eam cogendo ad conſummationem matrimonij ante tempus, & illa conſummatio violenta vel procedit ex cauſa libidinis, vel indicat eiuſdem libidinis magnam intemperantiam, cuius cauſa raptus aſſumptus fuit, ita colligitur ex Doctoribus præcitatis, & docet expreſsè Azor allegatus *quæſt. 4.*

Azor.

13. *An quando fœmina à principio voluit, & poſtea noluit, & quid è contrario.*

Quid ſi fœmina volens abducta ſit, & poſtea renitatur, aut è contra, ſi nolens abducatur, & poſtea velit, ac conſentiat.

Reſpondeo primò, non eſſe locum his pœnis Concilij ſi fœmina volens abducta ſit; quamuis poſtea facti pœniteat, & renitatur; eſſe verò ſi initio renitatur, quamuis poſtea conſentiat; ita docet Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 13. num. 9.* Guido de Suza relatus ab Alberico *l. penultima, num. 6. C. de Epiſcopis, & Clericis,* Gandinus *de maleficio, titulo de multis quæſtionibus dependentibus à ſtatutis, num. 21.* Albericus *l. vnica, C. de raptu virginis,*

Sanchez. Guido. Alberic. Gandinus. Alberic.

virginis, *num.* 16. Et ratio eſt, quia in raptu ſpectandum eſt initium, in quo totum delictum conſummatur; vnde cùm raptus ſolam abductionem inuoluntariam petat, vbi ea deficit, non erit locus pœnis Concilij; deficit autem cùm fœmina vult, & conſentit in ſua abductione, licèt parentes repugnent, quamuis de iure ciuili, vt diximus, talis raptus pœnis arbitrariis, non ordinariis puniatur; vnde non placet Albericus *in dicta l. penultima*, *C. de raptu virginis*, *num.* 7. reprobans hanc ſententiam, loquitur enim iuxta ſuam opinionem, qua tenuit eſſe verum raptum, quamuis fœmina libenter velit, ac illi conſentiat, quam iam alibi reprobauimus.

Alberic.

Reſpondeo ſecundò è contrario eſſe locum huiuſmodi pœnis prædicti Concilij, ſi fœmina initio diſſentiat, quamuis poſtea conſentiat, ita deducitur ex hic dictis, & docet idem Sanchez allegatus *dicto num.* 9. *& diſput.* 12. *num.* 7. & Carterius *in practica criminali*, vbi de raptu, §. 2. *caſu principali*, *num.* 10. Peguer. *deciſionibus criminalibus*, *cap.* 43. *num* 7. Guido *ſingulari* 569. *num.* 1. Enimuerò, vt diximus, initium in raptu ſpectandum eſt, in quo violentia, & iniuria intercedit, & infertur, vt patet.

Sanchez. Carrer. Peguer. Guido.

14. *An ad incurrendas pœnas Concilij requiratur copula.*

Ex dictis infertur ad pœnas Concilij Tridentini incurrendas nihil referre, an ſequatur, vel non ſequatur copula, quia in illo non punitur raptus cauſa libidinis factus, ſed cauſa tantùm ineundi matrimonium, ad quem copula nihil refert. Ad pœnas autem iuris ciuilis in eodem iure ſtatutas contrahendas requiritur copula, quia tunc raptus perfectam rationem delicti habet in iure ciuili, cùm copula conſummatur: quare dum non conſummatur, non ordinaria pœna mortis naturalis punietur talis raptus, quamuis libidinis cauſa fiat, ſed arbitraria iudicis; ita Sanchez *lib.* 7. *diſput.* 13. *num.* 8. *de matrimonio*.

Sanchez.

15. *Quid de raptu facto, vt rapta contrahat cum alio tertio.*

Quid autem de raptu facto, vt rapta ineat matrimonium cum altero à raptore diuerſo, v. c. ſi quis proprio motu non petente, nec rogante, aut mandante, qui matrimonium initurus eſt, fœminam aliquam rapiat, non vt ſecum, ſed cum alio matrimonium contrahat? Reſpondeo huiuſmodi raptorem non ſubdi pœnis decreti Concilij Tridentini, ac proinde valere matrimonium cum illo tertio initum; ſi fœmina rapta liberè conſentiat, quamuis nondum extra raptoris poteſtatem ſit; patet, quia prima pœna illius decreti eſt vt inter raptorem, & raptam non poſſit conſiſtere matrimonium, quandiu rapta ſub raptoris poteſtate eſt; vnde ſupponit Concilium raptum eo fine faciendum eſſe, vt raptor raptam ducat; non ergo locus erit his pœnis, quando gratia ineundi matrimonij cum alio raptus exercetur, ac fit; ſi autem petente, & mandante eo, qui initurus erat matrimonium, raptus fuit factus, id ſufficit, vt matrimonium cum illo ſit inualidum, niſi prius in loco tuto rapta fœmina conſtituatur, & deinde incurrat ille, qui mandauit, vt raptus fieret, cæteras Concilij pœnas tanquam verus raptor; is verò, qui raptum fecit tanquam auxilium ferens incurrat excommunicationem, & cæteras auxiliantium pœnas: at eum ipſo validè poteſt fœmina contrahere, prius, quàm in loco tutò reponatur, vt bene docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio*, *diſput.* 13. *num.* 6.

Sanchez.

16. *An ad incurrendas pœnas Concilij requiratur traductio de loco ad locum.*

Notabis autem vt raptus comprehendatur in hoc decreto Concilij Tridentini, requiri traductionē de loco ad locum; quod probatur euidenter ex verbis ipſis ipſius Concilij Tridentini in decreto de reformatione cap. 6. ſeſſione 24. *Quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit.* & deinde, *quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta.* quæ omnia verba apertè indicant raptam eſſe fœminam de loco, in quo erat, & ductam in quo nunc eſt ſub poteſtate raptoris, & ita docent expreſsè Nauarr. *lib.* 5. *Conciliorum, in vtraque editione, titulo de raptoribus, conſil.* 1. *num. vnico.* Manuel Rodriguez *tom.* 1. *ſumma in* 2. *edit. cap.* 232. *num.* 2. Sà *in ſummula, verb. Matrimonium, num* 9. Veiga *tom.* 2. *ſumma*, *cap* 34 *caſu* 157. *notabili* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſput.* 13. *num.* 7.

Nauarr. Rodrig. Sà. Veiga. Sanchez.

17. *An pœnæ Concilij comprehendant illum raptum in quo fœmina virum rapit.*

Hinc deducitur ex dictis non eſſe locum his pœnis Concilij Tridentini, ſi fœmina virum rapiat nolentem, vt ſecum ineat matrimonium, quia decretum Concilij de ſolo raptore expreſsè loquitur. patet ex verbis illius decreti, *Quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit*; & poſtea pœnas decernens ait, *nihilominus ipſe raptor*, &c. vnde cùm huiuſmodi decretum ſit correctorium, & pœnale, & loquatur ſolùm de viro raptore fœminæ, ad fœminam viri raptricem non eſt extendendum, vt iam diximus *in cap.* 10. *præcedenti*, *num.* 7. quia datur diuerſa ratio vtrobique, vt patebit infrà *in num.* 19. & idipſum docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſput* 14 *num.* 16. & Veracrux *in appendice ad ſpeculum*, vbi de raptu, *fol.* 84. § *Reſpondetur, quod*, & ideo addit Sanchez, vt matrimonium inter raptricem, & raptum valeat, non eſt neceſſe, vt raptus in loco tuto ponatur, & vi à poteſtate illius ſeparetur, ſed ſufficit vt liberè conſentiat ſub illius poteſtate adhuc exiſtens. Hæc opinio Sanctij eſt ſatis probabilis, quamuis contrarium teneant Henriq *lib* 12. *de matrim. cap.* 14. *num.* 4. Manuel Rodericus *tom.* 1 *ſummæ in* 2. *editione, cap* 232 *num* 4 Veiga *tom.* 2. *ſummæ, cap.* 34. *caſu* 157. *notabili* 5 Vela *tractatu de pœnis delictorum, cap.* 29 § 3. *ex illa*; Cantera *quæſtionibus criminalibus, quæſt. tangenti punitione delicti*, *cap.* 4. *num.* 10. Azeuedo *lib.* 8 *de recopilatione, tit.* 13. *l.* 2. *num* 95 & alij quos citat Sanchez *dicto lib.* 7. *diſput.* 12. *num.* 14. Qui omnes dicunt, non ſolum virum raptorem fœminæ, ſed etiam fœminam raptricem viri pœnis ordinariis iuris ciuilis, & Canonici eſſe puniendam, non arbitrariis, ac proinde pœna mortis, & inſuper pœnis decreti Concilij Tridentini eſſe afficiendam. Fundamentum illorum eſt,

Sanchez. Veracrux. Henriq. Roderic. Veiga. Vela. Cantera. Azeuedo. Sanchez.

Primò, quia quamuis *l. vnica*, *C. de raptu virginis*, loquatur de viro rapiente fœminam, & *l. regia* 3. *titul.* 20. *partita*, cùm militet eadem ratio in fœmina rapiente virum, ad eundem raptum extendenda eſt.

Secundò; quia textus prohibentes inceſtuoſo petitionem debiti, de ſolo viro loquuntur, & tamen de fœminis etiam inceſtuoſis intelliguntur, ob identitatem rationis, vt docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſp.* 15. *num.* 21.

Sanchez.

Tertiò, quia, vt latè probat idem Sanchez *dicto lib.* 7. *diſp.* 16. *num.* 5. quamuis textus decernant vxoricidium eſſe impedimentum dirimens ad ineundum matrimonium, tamen multi, & graues Doctores id extendunt ad viricidium, ob eandem rationem.

Quartò demum, quia *lex vnica*, §. *& ſi quidam, verſ. pœnas autem*, clarè loquitur de maſculis & fœminis, & ad finem ita concludit. *Sed etſi quis inter hæc miniſteria ſeruilis conditionis fuerit cōprehenſus citra ſexus diſcretionē, eiſdem pœnis ſubdatur*, vnde

vnde cùm hîc lex loquatur de opem ferentibus raptori, & tam fœminas, quàm viros huiuſmodi opem ferentes lex comprehendat iiſdem pœnis, à fortiori fœmina etiam raptrix illis comprehendetur. Vtraque opinio eſt valde probabilis; in primam tamen inclino, & ad fundamenta huius ſecundæ, ſic reſpondeo.

18. *Soluuntur rationes opinionis affirmatiuæ.*

Ad primum dico non eſſe extendendas eaſdem pœnas ad fœminam raptricem, quia decreta pœnalia non ſunt extendenda de caſu ad caſum, vt dictum manet.

Ad ſecundum dico ſubeſſe protſus eandem rationem affinitatis contractæ cum altero coniuge in vtroque caſu, & inceſtum ſolere contingere, tam in viris, quàm in fœminis, imò fortè frequentius in fœminis, quàm in viris, & ideo pœnas illius vtriſque eſſe æqualiter aptandas; at rariſſimè contingere, quòd fœminæ viros rapiant, & ideo illis non poſſe accommodare pœnas iuris ordinarias, cùm leges non ſoleant comprehendere caſus rariſſimè contingentes.

Ad tertium dico contrariam ſententiam, quæ docet ex viricidio non pullulare impedimentum dirimens, eſſe veriorem & tenendam, quam docet Sanchez *dicto lib. 7. diſp. 16. num. 6.* Syluester *verb. Matrimonium, 7. quæſt. 6. dicto* 1. Armilla *ibi num.* 58. Toletus *lib. 7. ſummæ, cap. 15. num.* 3. Ledeſma *2. part 4. quæſt 62. art. 2 paulo poſt initium.* Veracrux *1. part. ſpeculi, art. 24. concluſione* 3. Matienzo *lib. 5. recopilationis, titulo 1. rubrica gloſſa 1. num.* 140. Sà *in ſumma verb. Matrimonium,* vbi de imped. *num.* 6.

Sanchez. Syluester. Armilla. Tolet. Ledeſm. Veracrux. Matienzo. Sà.

Ad quartum dices eum locum potius fauere noſtræ ſententiæ, quàm illi contraire, nam ibi imponitur pœna, ſiue maſculis, ſiue viris auxiliantibus viro, qui mulierem rapit. ex quo non ſequitur fœminæ quoque raptrici imponi, quia raptus ſubditus pœnis, & auxilium hoc, verſantur circa eandem actionem, ſicut verſatur rebaptizatio Sacerdotis, & miniſterium acolyti illi miniſtrans; ac proinde optimè inferri auxiliantes viro, ſiue fœminæ, ſiue maſculi ſint, vt rapiant fœminã, incurri eaſdem pœnas: at quis non videt auxilium obnoxium illis pœnis non eſſe, ſi fœmina virum rapiat, vt cum illo matrimonium ineat.

19. Et adhuc pro vnico fundamento primæ opinionis hanc ſolùm addimus rationem, quia maior honeſtas deſideratur in fœminis, quàm in viris, vt patet ex *l. ſi furioſi, C. de nuptiis,* vnde grauius delictum eſt raptus fœminæ perpetratus à viro, quàm raptus viri perpetratus à fœmina, quia nec maſculus in raptu, nec eius parentes, & propinqui æqualem iniuriam patiuntur, ac quando fœmina rapta eſt; quamobrem cùm pœna delicto reſpondere, ac commenſurari debeat, iuſtum non eſt, vt pœna raptori fœminarum iure impoſita accommodetur mulieri virum rapienti; quare eſt diuerſa ratio vtrobique.

20. *An ſicut raptus irritat matrimoniū inter raptorem, & raptam, irritet etiam ſponſalia.*

Ad finem huius præcepti dubitatur, an ſicut Concilium Tridentinum irritat matrimonium inter raptorem, & raptam quandiu ſub illius poteſtate eſt, irritet quoque ſponſalia tunc inita? Reſpondendum eſt affirmatiuè, ita docent Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 13. num. 17. verſ. Dicendum eſt.* Nauarrus *lib. 4. conſiliorum in 1. editione, tit. de conſang. conſilio 3. num. 6. in poſt lib. 5. titulo de raptoribus, conſilio vltimo, num.* 5. Manuel Rodrig. *tom. 1. ſummæ cap. 232. n. 3. in editione 2.* Veiga *tom. 2. ſummæ cap. 34. caſu 157. notabili* 3. Fundamentum illorum eſt, quia lex pœnalis extendi debet ad caſus ſimiles, vbi omnino eadem ratio militat; quod hîc reperitur, nam Concilium Tridentinum irritauit pro eo tempore matrimonium, conſulens plenæ libertati ad id requiſitæ, quæ omnino plena eſt, dum rapta manet ſub raptoris poteſtate, quæ ratio in ſponſalibus etiam militat, ad quæ iura quoque plenam libertatem deſiderant, vt patet.

Sanchez. Nauarr. Rodrig. Veiga.

Finiendum hîc nobis erat totum hoc ſextum præceptum; ſed quoniam, vel poſt editionem noſtri tomi in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, in quo non nihil egimus de ſollicitatoribus fœminarum in ſacramento Confeſſionis iuxta diſpoſitionem conſtitutionum, ac diplomatum Sanctiſſimorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. fuit hac de re à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Gregorio XV. expeditum aliud diploma, vel ſi ante editionem noſtri illius tomi expeditum fuit, nullam notitiam de illo tunc habuimus, in quo prædictus Summus Pontifex Greg. XV. omnium ſuorum prædeceſſorum diplomata hac de re expedita confirmauit, ac corroborauit, & multa de nouo ſtatuit, auxit, & declarauit, quæ vel in aliis conſtitutionibus aliorum Summorum Pontificum non erant, vel non ita expreſſa erant; operæ pretium duximus, aliqua, quæ in prædicto noſtro illo tomo in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ iuxta diſpoſitionem conſtitutionum aliorum Summorum Pontificum tradidimus, ad diſpoſitionem iuris noui, & conſtitutionis Gregorij XV. reducere, & accommodare, & inſimul caſus explicabimus, quos de nouo Sanctiſſimus hic Pontifex auxit, in quibus ſollicitatæ perſonæ ſuos ſollicitatores tenentur denunciare, & vt in hac re cum claritate, & diſtinctione procedamus, intexemus omnia diplomata ſuper hac re expedita ab aliis Sanctiſſimis Pontificibus, vt videamus, quæ in hoc vltimo diplomate, & conſtitutione ſua Sanctiſſimus hic Pontifex auxit, atque ſtatuit, vt in omnium notitiam veniat, quid de nouo ab eo auctum fuerit, ac ſtatutum in hoc negotio, & vt Confeſſarij in hoc foro ſacramenti Pœnitentiæ ſciant quomodo ſe gerere, ac gubernare circa hoc negotium debeant. 21.

Viſum autem nobis fuit hanc materiam de ſollicitantibus, & ſollicitationibus ad finem huius ſexti præcepti reſeruare, propter cognationem, & affinitatem materiarum, tota enim materia ſexti præcepti cum hac coincidit, & inter ſe ſunt valde affines, & cognatæ, & ideo hîc melius, quàm alibi tractari, & explicari poteſt. Faxit Deus Opt. Max. vt in illius gloriam, & prouentum animarum cedat; hic enim ſemper eſt, & fuit noſter ſcopus, hic noſter finis, ad quem noſtri labores, noſtræque vigiliæ colliman. 22.

***

CAPVT

Caput XII.

Datur notitia omnium conſtitutionum circa Sacerdotes confeſſarios in confeſſione ſolicitantes, inquiruntur difficultates circa illas, & notantur quæ de nouo aucta ſunt, à Sanctiſſimo Papa Gregorio XV. in ſua noua conſtitutione hac de re expedita.

Summarivm.

Referuntur Breuia, & conſtitutiones, quæ à Sede Apoſtolica emanarunt circa ſolicitantes in confeſſionibus ſacramentalibus. num. 1.
Refertur ad integrum conſtitutio Pij IV. num. 2.
Dubitatum fuit tempore Clementis VIII. an iuriſdictio in hoc Breui Inquiſitoribus conceſſa contra Sacerdotes fœminarum ſolicitatores illis fuerit priuatiuè conceſſa, an cumulatiuè; & reſpondit Summus Pontifex reſpectu Prælatorum Regularium, quoad Sacerdotes regulares illis ſubditos eſſe Dominis Inquiſitoribus priuatiuè conceſſam, n. 3.
Quid reſpectu Epiſcoporum ibid. & num. 5. & 11.
Refertur integra declaratio Clementis VIII. num. 4.
Doctrina, quam tradidimus in noſtro primo tomo in quinque præcepta S. M. E. intelligenda eſt intra terminos & diſpoſitionem huius Breuis, & conſtitutionis Pij IV. & intra terminos declarationis Clementis VIII. & intra terminos, & diſpoſitionem Breuis Pauli V. non intra terminos Breuis Greg. XV. quod poſt noſtrum tomum editum fuit, vel ſi ante, nullam notitiã illius habuimus, in quo multa de nouo ſtatuuntur, & declarantur, quæ non erant ſtatuta in præcedem. Breuibus, n. 5.
Refertur Breue Pauli V. ad integrum. num 6.
Hoc Breue idem omnino eſt, quod Breue Pij IV. ſolùm ad Illuſtriſſimum Dominum Inquiſitorem generalem Luſitaniæ deſtinatum fuit, cum tamen illud deſtinatum fuerit ad Inquiſitorem generalem Hiſpaniæ. num 7.
Refertur Breue nouiſſimum contra ſolicitantes Gregorij XV. num 9.
Hoc Breue comprehendit etiam ſacerdotes confeſſarios ſolicitantes pueros, ſiue in actu confeſſionis, ſiue antè, vel poſt immediatè, quos non comprendebant conſtitutiones præcedentes aliorum Pontificum. num. 8 9.
Obligatio denunciandi ſolicitatores pertinet ad perſonas ſolicitatas vtriuſque ſexus, non ad ipſos ſolicitatores. num. 10.
Sufficit ſi perſonæ ſolicitatæ denuncient Sacerdotes ſæculares ſuos ſolicitatores vel Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, & quid ſi prædicti Sacerdotes ſint Regulares. num. 11.
Ex vi conſtitutionis Pij IV. & Pauli V. & declarationis Clementis VIII. ſolicitatores fœminarum denunciandi erant, ex vi autem vltimæ conſtitutionis Greg. XV. etiã denunciandi ſunt ſolicitatores puerorum, & quarumcumque perſonarum, n. 12.
Et non ſolùm in actu confeſſionis, ſed etiam poſt confeſſionem, vel ante, vel in ipſo confeſſionario, aut loco ad confeſſionem electo, etiam confeſſione non ſecuta. num. 13 & 16.
Quid ſi Confeſſarius ſolicitet ad actus inhoneſtos, & illicitos cum alio habendos. num 14.
Quid nomine actuum inhoneſtorum, & illicitorum intelligatur. num. 15.
Quid ſi mulier accedat ad Confeſſarium cauſa confeſſionis, & à Confeſſario præueniatur, vt confeſſionem in aliud tempus differat, vt interim illam ſolicitet. num. 16.
Quid ſit ſolicitare, occaſione confeſſionis. num. 17.
Quid prætextu confeſſionis. num. 19.
Quid intelligatur per confeſſionarium, aut locum electum ad confeſſionem. num. 18.
Nulla conſtitutio, nec etiam hæc vltima Gregorij XV. ſiue in criminibus, quæ continebantur in conſtitutionibus antiquis, ſiue in illis, quæ de nouo addit, extenditur ad præteritos lapſus, ante promulgationem illarum commiſſos. num. 20.
Hæc conſtitutio noua Gregorij XV. & aliæ latæ ſunt contra Confeſſarios tantum, non verò contra alios Sacerdotes non Confeſſarios. num. 21.
Non comprehenditur in illa, nec in aliis antiquis laicus, qui habitu ſacerdotali Confeſſarium ſe ſimulat ad ſolicitandum, n. 22. *Aliunde tamen poſſunt Domini Inquiſitores in eos animaduertere, ſicut etiam poſſunt in eos, qui Miſſas celebrant ſine ſacerdotij Ordine.* ibid.
Non comprehenditur etiam in hac cõſtitutione Presbyter ſacramentalis confeſſionis interpres, ſi dum confeſſionis eſt interpres, pœnitentem ſolicitet, n 23.
Nec comprehenditur Sacerdos iuriſdictione ad confeſſiones audiendas carens, ſi ſe Confeſſarium fingat, vt in confeſſione ſolicitet. Aliunde tamen poteſt à Dominis Inquiſitoribus puniri. num 24.
Solicitantes pueros in confeſſione vel occaſione, aut prætextu illius ſunt ſuſpecti de fide; num. 25. *Et conuicti debent abiurare.* ibid.
An ſolùm denunciandi ſint ſolicitantes, qui de hoc crimine ſunt iam infamati, an etiam illi qui non ſunt quomodolibet infamati. num. 26 & 27.
Iudicium authoris, n. 28. *An ante denunciationem præmittenda ſit fraterna correctio, ſi firmiter emendandus credatur.* ibid.
Inquiſitores & Ordinarij an poſſint procedere ſimul, vel ſeparatim contra huiuſmodi ſolicitantes, vſque ad ſententiam diffinitiuam condemnatoriam, & abſolutoriam. num. 29. 30. 31. 32 & 33.
In hoc Regno Luſitaniæ poſſunt Domini Inquiſitores ex priuilegio omnes, & quaſcumque cauſas aduerſus huiuſmodi ſolicitatores coram Ordinariis inceptas ad ſe aduocare. num. 34.
Priuilegia conceſſa officio, non expirant morte perſonæ, ratione cuius conceduntur. num 35.
Quibus pœnis huiuſmodi ſolicitãtes puniri debẽt, n 36
Probatio huius debiti ſpectat ad arbitrium Inquiſitorum, & poteſt probari per teſtes ſingulares, & alia adminicula. num. 37.

A Summis Pontificibus, Paulo IV. & Pio IV. literæ emanarunt ad Inquiſitores Hiſpaniarum, contra Presbyteros ſæculares, & Regulares in ſacramento Pœnitentiæ, ſeu in actu confeſſionis ſacramentalis ſolicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, actus inhoneſtos, & peccata carnis, quibus Dominis Inquiſitoribus facultas concedebatur procedendi contra huiuſmodi fœminarum ſolicitatores in actu confeſſionis, ſicut in aliis cauſis ad ſanctiſſimum Inquiſitionis Officium pertinentibus; vt videre eſt ex Breui Pij IV. dato Romæ, apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis, 1561. Pontificatus ſui, anno ſecundo, quod ſic habet.

1. *De Breuibus & conſtitutionibus, quæ à Sede Apoſt. emanarunt circa ſolicitantes in confeſſionibus.*

Pius Papa IV. Venerabili Fratri Epiſcopo Hiſpalenſi in Regnis Hiſpaniarum, hæreticæ prauitatis Inqui

2. *Conſtitutio Pij IV. ad integrum.*

Inquiſitori Generali. Cùm ſicut nuper non ſine animi noſtri moleſtia accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum ciuitatibus, & diœceſibus, curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam prorupertnt iniquitatem, vt ſacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV Chriſto, iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per ſacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, & grauiori peccatorum mole eas onerãdo, & in manibus Diaboli tradendo, in diuinæ maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de fide Catholica rectè ſentiunt, ſacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes, dictorum Regnorum, ac illarum ciuitatum, & diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quorumuis etiam exemptorũ, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, ſæculares cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ exiſtant, tã ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatum tibi contra hæretica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout iuris fuerit, punias eos, etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedenti degradatione, ſæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quálibet firmitate alia, roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub tenoribus, & formis, ac quibuſcumque clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet cõceſſis, etiã iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dũtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque cõtrariis quibuſcũque. Datũ Romæ apud S. Petrũ ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontific. noſtri anno 2.

3. *An iuriſdictio in hac Breui Inquiſitoribus conceſſa contra Sacerdotes fœminarum ſolicitatores illis fuerit priuatiuè conceſſa, an cumulatiuè.*

Dubitatum fuit circa hoc Breue, & aliud eiuſdem tenoris Pauli IV. tempore Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis VIII. an Iuriſdictio, & facultas hîc conceſſa Dominis Inquiſitoribus, contra huiuſmodi fœminarum ſolicitatores in actu confeſſionis, illis fuerit conceſſa priuatiuè tantùm, an cumulatiuè, tam reſpectu Epiſcoporum quoad Sacerdotes, & Confeſſarios ſæculares, quàm reſpectu Prælatorum Regularium quoad Sacerdotes, & Confeſſarios regulares, & decreto ſuo, expedito anno 1592. die 3. menſis Decembris declarauit eam facultatem reſpectu Superiorum Regularium tantummodo, cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi mendicantium ſint, fuiſſe conceſſam Dominis Inquiſitoribus, non ſolùm cumulatiuè, ſed etiam priuatiuè, ita vt prædicti Regulares non eximantur ab onere deferendi hos ſolicitatores regulares, ac denunciandi illos Dominis Inquiſitoribus, etiamſi ſuis ſuperioribus illos deferant, ac denuncient, & nihil declarauit de Epiſcopis, reſpectu Clericorum, & Confeſſariorum ſæcularium, in quo viſus fuit Summus Paſtor ferere reſpectu Epiſcoporum eſſe eam facultatem conceſſam Dominis Inquiſitoribus, cumulatiuè, & non priuatiuè & ſic ex vi huius Breuis eos omnes eximi, & excuſari ab obligatione deferendi, & denunciandi huiuſmodi ſolicitatores Dominis Inquiſitoribus, qui illos priùs detulerunt, ac denũciarunt ſuis Epiſcopis, quia cùm poteſtas ſit cumulatiuè, & non priuatiuè conceſſa Dominis Inquiſitoribus, ſatis illi ſuam obligationem explent, qui huiuſmodi fœminarum ſolicitatores ipſis Ordinariis, vel Epiſcopis detulerint, ac denũciauerint; & id poſtea declarauit Gregorius XV. vt infrà videbimus, & ideo Prælati Religionum non poſſunt contra ſolicitatores ſibi ſubditos procedere, vt expreſsè docet Frater Antonius de Souſa *de ſolicitat. tract. 2. cap. 1. num. 19.* & Emanuel Rodrig. *tom. 2. quæſt. Regul. quæſt. 81.* & Peña 3. *part. Directorij commento 77.* Souſa. Rodrig. Peña.

4. *Quid reſpectu Epiſcoporum.*

Decretum Sanctiſſimi Domini Clementis VIII. in quo etiam approbat diploma Pij IV. ita habet, quod vt maiorem fidem faciat, integrum appono.

In nomine Domini, Amen. Per hoc præſens publici decreti inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod in generali Congregatione Officij ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. ac Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis D.D. Iulio Antonio Sanctorio Sancti Bartholomæi in Inſula S. Seuerinæ Petro S. Hieronymi Illyricorum, Deſa, Dominico S. Chryſoſtomi, Pinello Fratre Hieronymo Bornerio S. Mariæ ſupra Mineruam Aſculano. Fratre Conſtantino S. Petri in monte aureo Seriano, & Paulo S. Cæciliæ ſpondato, nuncupatis titulorum Presbyteris S.R.E. Cardinalibus in vniuerſa Republica Chriſtiana, aduerſus hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus in negotio Sanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum ſuper literis felicis recordationis Pauli IV. & Pij PP. IV. facultatis procedendi contra Preſbyteros ſæculares, & regulares in ſacramento Pœnitentiæ, ſeu in actu confeſſionis ſacramentalis ſolicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, ſeu peccata carnis, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum aliàs conceſſa, an priuatiuè, vel cumulatiuè quoad ſuperiores Regularium dicta Inquiſitio contra huiuſmodi linquentes procedere poſſit, Sanctiſſimus Dominus noſter, re diligenter, ac maturè diſcuſſa, authoritate ſua Apoſtolica declarauit, & decreuit, declarat, & decernit, circa huiuſmodi facultatem procedendi, nihil eſſe attentandum, aut innouandum; ſed Inquiſitionem prædictam in omnibus Regnis, & Prouinciis ſibi ſubiectis, ea iudicialiter vti poſſe, & debere, ſicut in aliis cauſis ad Sanctiſſimum Inquiſitionis officium pertinentibus, vti hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad Superiores Regularium, cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi mendicantium exiſtant, ipſóſque Regulares, non enim ab onere deferendi, ſeu denunciandi huiuſmodi delinquentes eidem ſancto Officio quemadmodum in aliis caſibus & cauſis ſanctæ Inquiſitionis, in quibus alij Chriſti fideles de iure tenentur; ſed ad ipſum ſicut alios teneri, & obligatos eſſe, & ita ſanctitas ſua declarauit, & decreuit, atque perpetuò ſeruandũ eſſe, omni meliori modo, & forma, quibus potuit, poteſtque, & debet, datũ, latũ & pronunciatum fuit ſupradictum S.D.N.D. Clementem VIII. pro Tribunali ſedentem, &c.

anno

anno à Natiuitate Domini 1592. die verò 3. menſis Decembris, feria 5. Pontificatus ſui anno primo, ibidem præſentibus Reuerendiſſimo P. Fr. Vincentio Ordinis Fratrum Prædicatorum, Epiſcopo Apenetino, & Reuerend. P. D. Anſelmo Dandino, C. Sennatenſi iuris vtriuſque ſignaturæ eiuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Referendario, dictiſque ſancti Officij Prælatis, & Conſultoribus teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis habitis ſpecialiter, atq; rogatis.

5. *Doctrina tradita in primo tomo in quinque præcepta Eccleſiæ circa diſpoſitionem huius Breuis quomodo intelligenda ſit.* Doctrina igitur, quam tradidimus *lib. 4. cap. 3. num. 31. fol. 381.* ſecundi præcepti in primo noſtro tomo in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi diximus hæc procedere de ſolicitatoribus tantùm fœminarum, non virorum, aut hominum ad actus inhoneſtos in ipſo actu confeſſionis ſacramentalis, non ante, nec pòſt, & non de quibuſlibet ſolicitatoribus, ſed de his, qui quomodolibet iam de eo crimine fuerint infamati, & eſſe poteſtatem cumulatiuam reſpectu Epiſcoporum, non priuatiuam, & ſic per ipſam concesſionem, nullam Epiſcopis ereptam eſſe poteſtatem procedendi contra huiuſmodi ſolicitatores; tantum enim eſſe de nouo poteſtatem ampliatam ſanctæ Inquiſitioni in iſtum caſum, & cumulatiuam, non priuatiuam, & ſic poſſe etiam cognoſcere Epiſcopos de hoc caſu, ſicut ante prædictum diploma Pij IV. & decretum Clementis VIII. poterant, & denunciatores, qui denunciationem huiuſmodi fœminarum ſolicitatorum ad Epiſcopos detulerint, non teneri ampliùs tribunal ſanctæ Inquiſitionis adire, intelligenda eſt, vt *ibidem* diximus, intra terminos prædicti diplomatis Pij IV & Pauli IV. & decretum Clementis VIII. & intra terminos etiam alterius diplomatis Pauli V. circa eam rem poſtea expediti, anno Domini 1608. die 16. Septembris, quod ſtatim referemus *numero ſequenti*, quod directum fuit, & deſtinatum ad Illuſtriſſimum Dominum Inquiſitorem generalem Luſitaniæ, & in ſumma nihil amplius continet, quam quod continet diploma Pij IV. imò idem omnino eſt, ac illud; non autem intra terminos nouiſſimi diplomatis Gregorij Papæ XV. expediti die 30 Auguſti 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo huius notitiam non habuimus, vel quia poſt noſtrum primum tomum, in quinque præcepta à Sede Apoſtolica emanauit, vel quia ſi ante illum emanauit, illius notitia ad nos non peruenit, in quo Summus Pontifex ius nouum condidit, & ſtatuit ac decreuit deferendos eſſe, ac denunciandos non ſolùm ſolicitatores fœminarum, ſed etiam hominum, & puerorum, & perſonarum aliarum, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis, quomodolibet perpetranda ſolicitauerint, ſiue in actu confeſſionis, ſiue antè, ſiue pòſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in cõfeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, prout magis patebit infrà *num. 7. & 11.* ex eodem Breui, ac diplomate.

6. *Breue Pauli V. ad integrum.* Breue Pauli V. ad illuſtriſſimum Dominum Inquiſitorem Generalem hæreticæ prauitatis in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum anno Domini 1608. die 16. Septembris, ita habet. *Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut, non ſine animi moleſtia, accepimus, ſi Sacerdotes in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, ac eorum ciuitatibus, & diœceſibus, ac dominiis curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt ſacramento Pœnitentiæ in ſacramentali confeſſione abutantur, nec illi qui inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro IESV Chriſto, iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, ac loco earum per ſacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis grauari peccatorum mole eas onerando, & in manus Diaboli tradendo, in diuinæ maieſtatis offenſam & animarum perniciem, ac Chriſti fidelium ſcandalum non modicum, nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè ſentiunt, ſacramentis à Chriſto Domino noſtro inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, tibi per præſentes committimus, & mandamus, quatenus prout in aliis cauſis ſancti Officij fieri ſolet, per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, & illarum ciuitatum, diœceſum, locorum, dominiorum de præmiſſis, quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quàm quorumcumque Ordinum etiam exemptorum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Regulares, cuiuſcumque dignitatis, gradus, ordinis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quomodolibet ſuſpectos, à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, & culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout iuris fuerit, puniias, eos etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, 16. Septembris, 1608.*

7. *Hoc Breue idem omnino eſt quod Breue Pij IV.* Vbi vides hoc diploma idem omnino eſſe, quod diploma Pij IV. & eandem materiam omnino eiſdem verbis expreſſis continere, ac illud Pij IV. *num. 2.* relatum continet; ſolum deſtinatum fuit ad Dominum Inquiſitorem generalem Regnorum Luſitaniæ, & Algarbiorum; cùm tamen illud Pij IV. deſtinatum fuerit ad Dominum Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum, non Luſitaniæ, & ideo doctrina, quam primo noſtro tomo in quinque præcepta Eccleſiæ *præcept. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31.* tradidimus, iuxta terminos huius Breuis etiam procedit, vt conſideranti patebit.

8. Poſtea tamen vel poſt editionem noſtri illius tomi, vel ſi ante, illius notitiam, cùm noſtrum illum tomum edidimus, non habuimus, emanauit aliud diploma à Sede Apoſtolica à Sanctiſſimo Domino noſtro P. Greg. XV. contra ſolicitantes in confeſſionibus abſolutè tam viros, quàm fœminas, & non contra ſolicitantes mulieres tantùm, vt alia duo diplomata præcedentia tam pro Regno Caſtellæ, & Hiſpaniarum, & illius dominio, quàm pro Regno Luſitaniæ, & Algarbiorum, illorumque dominiis. Datum Romæ die 30. Auguſti 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo, in quo Summus Pontifex Gregor. XV. inſerit de verbo ad verbum prædictum diploma Pij IV. & Pauli V. & illud confirmat, approbat, & roborat, ac denique ius nouum ſtatuit circa modum proceſſuum, contra huiuſmodi ſolicitantes, nempe vt denuncientur etiam ſolicitantes maſculos, & alias perſonas, quæcumque illæ ſint, ſiue in actu cõfeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt, vt latiùs videri poterit in prædicto diplomate, quod quoad nouũ ius, quod condidit, ſic habet,

9. *Refertur Breue nouiſſimum contra ſolicitantes Gregorij XV.*

Tenore præſentium approbamus, & confirmamus conſtitutionem felicis recordat. Pauli IV. &c: Et poſtea addit. *Statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu confeſſionis ſacramentalis, ſiue ante, vel pòſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta; ſiue extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicita, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint in officio S. Inquiſitionis, ſeueriſſimè, vt infrà, puniantur, & præterea omnes hæreticæ prauitates, Inquiſitores & locorũ Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, ciuitatum, Dominorum, & locorum vniuerſi orbis Chriſtiani, in ſuis quemque diœceſibus, & territoriis per has noſtras literas etiam priuatiuè, quo ad omnes alios ſpecialiter, & perpetuò iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, iuxta ſacrorum canonum formam, nec non officiis Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi exceſſibus culpabiles repererint in eos, pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſione ab executione ordinis, priuationis beneficiorum quorumcumque ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum abſque vllâ ſpe gratiæ, aliáſue pœnas decernant debita præcedenti degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem venerabilibus fratribus noſtris S. Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, generalibus, Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor noſter in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis, vt ſuprà ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis; quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes, vt ſuprà ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ Eccleſiaſticæ poteſtatis munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valuas baſiligarum S. Ioannis Lateran. ac principis Apoſtolor. de vrbe, & acie Campi-Floræ, affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 30. Aug. 1622. Pontific. noſtri anno 2.*

Hæc obligatio denunciandi ſolicitatores, pertinet ad eas perſonas vtriuſque ſexus, quæ ſolicitantur, non enim ipſi ſolicitatores ſeipſos tenentur prodere, & denunciare. Vnde poſſunt Confeſſarij ordinarij, abſoluere ipſos Confeſſarios ſolicitantes, non tamen perſonas ſolicitatas, quin priùs ipſæ ſolicitatores ſuos denuncient; ita diximus *tom. 1. in 5. præcepta Eccleſiæ, præcepto 2. lib. 4. c. 3. n. 31. initio*, & docet Rodrig. *in ſum. c. 207. concl. 1.* & ratio eſt, quia obligatio denunciandi, & excommunicatio à dominis Inquiſitoribus impoſita iis, qui non denunciauerint, inflicta in initio publici actus fidei quando celebratur, ſolùm imponitur perſonis ſolicitatis, non ipſis Confeſſariis ſolicitãtibus, durũ enim eſſet, & ſupra vires humanas, obligare ſolicitatores ſe prodere, & denũciare. — 10. *Obligatio denunciandi ſolicitatores ad quos pertineat.* — Rodrig.

Secundò, ſufficit, ſi ipſæ perſonæ ſolicitatæ iam denunciauerint Sacerdotes ſuos ſolicitatores coram ſuis Epiſcopis ordinariis; & ſi hoc iam fecerũt, non tenentur iterum denunciare coram Dominis Inquiſitoribus, & ſimiliter ſi iã denunciarunt corã DD. Inquiſitoribus, non tenentur denunciare corã locorum Ordinariis, quia hęc facultas cumulatiuè, & non priuatiuè conceditur Dominis Inquiſitoribus: vt patet ex verbis literarum Gregorij XV. ibi, *Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis, vt ſupra, ſolicitatos, maneant obligati denunciandi ſolicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis, vt ſuprà dixerat, Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum orbis Chriſtiani*, &c. *In ſuis quemque diœceſibus, & territoriis per has literas etiam priuatiuè, quo ad omnes alias ſpecialiter, ac perpetuò iudices delegamus.* Illud, *priuatiuè*, quoad omnes alios, intelligendum eſt, quo ad omnes Confeſſarios Regulares ſolicitantes, ij enim denunciandi ſunt Dominis Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, & non coram Superioribus ipſorum Religioſorum ſolicitantium, etiamſi Epiſcoporum iuriſdictionem habeant, quia, vt dixi, hæc poteſtas conceſſa eſt Dominis Inquitoribus locorum Ordinariis priuatiuè à Clemente VIII. vt videre eſt in ſuo decreto, *n. 4.* appoſito ibi, *ſed Inquiſitionem prædictam vti poſſe, & debere*, intelligo facultate commiſſa à Papa Pio IV. & Paulo IV. aduersùs prædictos ſolicitatores: *ſicut, & in omnibus cauſis ad ſanctiſſimum Inquiſitionis Officiũ pertinentibus; ſicut hactenus fecit, etiam priuatiuè quoad ſuperiores Regularium cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi mendicantium exiſtant, ipſóſque Regulares, non enim ab onere deferendi, ſeu denunciandi huiuſmodi delinquentes eidem ſancto Officio, quemadmodum in aliis caſibus, & cauſis ſanctæ Inquiſitionis, in quibus alij Chriſtiani fideles tenentur*, & id diximus *num. 5.* — 11. *Denunciatio coram quo fieri debeat.*

Ex vi conſtitutionum Pij IV. Pauli V. & Clementis VIII. ſolùm ſolicitatores fœminarum denunciandi erant; ſolùm enim illæ comprehendunt ſolicitatores fœminarum, non virorum, aut puerorum, vt diximus *in noſtro primo tomo in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, præcepto 2. lib. 4. cap. 13. num. 31.* Quod patet ex illis illorum verbis, ibi, *ſolicitantes mulieres*; at ex vltimæ conſtitutionis Gregorij XV. quæ poſt noſtrum illum tomum à Sede Apoſtolica emanauit, non ſolùm ſolicitatores fœminarum, ſed etiam virorum, & puerorum denunciandi ſunt; patet ex verbis ipſius — 12. *Quarum perſonarum ſolicitatores denunciari debeant.*

conſti

conſtitutionis, ibi, *Qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, & actus illicitos, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis, quomodolibet perpetrandos in actu confeſſionis, ſiue ante, ſiue pòſt ſolicitare, & prouocare tentauerint*. vbi in illis verbis, *qui perſonas, quæcumque illæ ſint*, non ſolùm fœminas, ſed etiam maſculos comprehendit, vt patet.

13. *Denunciatio quando fienda.*

In illis verbis, *in actu confeſſionis, vel ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo ſimulantes, ibidem confeſſiones audire, ſolicitare*. Deciditur illa quæſtio antiqua, an perſonæ ſolicitatæ teneantur ſolùm Confeſſarios ſuos ſolicitatores denunciare, quando eas ſolicitant in actu confeſſionis, an etiam ante, vel pòſt immediatè. nam licèt multi olim authores ante hanc conſtitutionem Gregorij X V. docuerint ex vi conſtitutionum Pij I V. Pauli V. & aliorum Pontificum, ſolùm illos teneri denunciare, qui in ipſo actu confeſſionis ſolicitabant, propter illa verba conſtitutionum illorum, *in actu confeſſionis*, quos ſecuti fuimus in noſtro primo tomo in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, *præcepto 2. lib. 4. cap. 13. num. 31. ad finem*, quia erant verba pœnalia, & in materia purè pœnali verba non ſunt extendenda vltra id, quod ſignificant, tamen modò iam nullus eſt locus ambigendi, cùm in hoc Breui Summus P. Greg. X V. aut condat ius nouum, aut declaret antiquum, & velit etiam comprehendere prædictos ſolicitatores tam in actu confeſſionis, quàm immediatè pòſt, vel ante ipſam confeſſioné, & in hanc opinionem inclinauimus etiã prædicto noſtro primo tomo loco allegato, in fauorem ſacramenti ſtando in terminis conſtitutionis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. quam opinionem olim tenuit Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 27. n. 4. litera L.* & Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæſt. Reg. q. 59. art. 4. & tom. 2. q. 27. art. 1.* ex eo fundamento, quia in moralibus, quæ immediatè ante, vel poſt ipſum actum fiunt, in ipſo actu fieri cenſentur; & quia quæ incontinenti fiunt, in eſſe fieri cenſentur. Vnde Bald. *cap. 1. de pace tenenda*, ait id factum eſſe tempore belli, quod antè, vel pòſt eſt factum.

Henriq. Rodrig.

Baldus.

14. *Quid ſi Confeſſarius ſollicitet ad actus inhoneſtos & illicitos cum alio habendos.* Souſa.

Ad acta inhoneſta ſiue inter ſe ſiue cum aliis, quomodolibet perpetranda; in his verbis deciditur pro parte affirmatiuâ illa quæſtio, quam optimè reſoluit Frater Ant. de Souſa *in expoſit. Breuis Pauli V. contra ſolicitantes tract. 1. c. 14. n. 5. concl. 2.* An Confeſſarius ſolicitans fœminam, vel maſculos, vt cum altero carnaliter commiſceatur, vel actus illicitos habeat, puniendus ſit, & denunciandus, vt ſolicitator, qui pœnitenté ſolicitat, vt ſecũ illos habeat, quare hac de re hodie non eſt etiam ambigendum.

15. *Quid nomine actuum inhoneſtorum, & illicitorum intelligatur.*

Circa verbum, *illicitos actus, ſeu ad inhoneſta*, dubitari poteſt, quid per illud intelligat Summus Pontifex Gregorius XV. Ad quod reſpondeo non accipi hîc ea verba in ea generalitate, in qua Grammatici illa accipiunt, ſcilicet, pro toto illo, quod licitum non eſt, ſeu pro toto illo, quod culpabiliter, aut indecenter fit. Sed accipi pro eo, quod eſt contra ipſam prohibitionem; lex autem hæc prohibet illicita tractare, & inhoneſta in confeſſione, & in loco ad confeſſionem electo; vnde verbum illud intelligi debet accommodatè ad ſubiectam materiam inhoneſtatis, vt ille dicatur ſermo illicitus, & actus illicitus, qui inhoneſtatem redolet, ſiue conſummatus ſit, ſiue inchoatus, ſiue quicumque alius actus impudicus; id enim expreſſit P. Paulus V. cùm dixit, *ad actus inhoneſtos alliciendo, & prouocando*, & Gregorius X V. cùm dixit, *ad inhoneſta*; nec opus eſt ad hoc vt confeſſarius pœnas prædictæ conſtitutionis incurrat, quòd expreſsè, & per verba formalia pœnitentes, ſiue maſculos, ſiue fœminas prouocet, ſed ſatis erit nutibus, aut geſtibus tacitè, vel expreſsè illos prouocare, dummodo de tali prouocatione certò moraliter pœnitenti conſtet. Intentio enim Summi Pontificis eſt, prohibere omnem inhoneſtatem, ſiue in verbis, ſiue in factis, tam in confeſſione ſacramentali, quàm in actu illi proximo, vel in loco ad illam electo, ita Frater Antonius de Souſa *in adnotationibus ad literas Gregorij XV. in fine ſui tractatus, ſuper Breui de ſolicitatione mulierum, fol. 263. num. 8.* Souſa.

16. *Quid ſi Confeſſarius differat confeſſionem in aliud tẽpus, vt interim ſollicitet.*

Addit etiam de nouo Gregorius X V. prædictas ſolicitationes, & inhoneſtos actus puniendos eſſe habitos *occaſione*, inquit, vel *prætextu confeſſionis etiam ipſa confeſſione non ſecuta*; vnde iuxta hanc conſtitutionem, & nouum ius, non opus eſt, vt præcedat, vel ſequatur ipſa confeſſio; quod neceſſe erat in terminis conſtitutionis Pij I V. & Pauli V. & Clementis VIII. quia prohibebant has ſolas ſolicitationes in actu confeſſionis factas, & non prohibebant expreſsè ſolicitationes occaſione confeſſionis factas, etiam confeſſione non ſecuta. Ita Frater Antonius de Souſa *in explicat. Breuis de ſolicitand. mulieribus tract. 1. cap. 18. num. 7. & 8.* & in adnotationibus ad Breue Gregorij X V. *num. 10. fol. 264. col. 1.* vnde in hoc decreto Gregorij XV. comprehenditur caſus ille, vt ait idem Souſa, cùm mulier accedit ad confeſſarium confeſſionis cauſa, & à confeſſario præuenitur, vt confeſſio in aliud tempus differat, vt interim illam ſolicitet, quia occaſione confeſſionis id fit, qui tamen in conſtitutione Pij I V. & Pauli V. non comprehendebatur; vt docet prædictus Souſa *dicto n. 7.* Comprehenditur etiam ille caſus, in quo mulier abſque confeſſarij ſuaſu confeſſione iam cœpta à confitendi propoſito deſiſtit, dicitque confeſſario ſe ampliùs nolle confiteri, ſed paululum confabulari, & poſtea longa confabulatione protractata ſolicitatio ſequitur, quia occaſione confeſſionis ſolicitatur, licèt in terminis antiquæ conſtitutionis Pij I V. & Pauli V. non comprehendatur, ita idem Souſa citatus 1. *loco, num. 8.*

17. *Quid ſit ſollicitare occaſione confeſſionis.*

Videndum igitur eſt, quid ſit ſolicitare occaſione confeſſionis, quid prætextu illius. *Occaſio eſt opportunitas temporis, caſu proueniens*, ſeu, authore Cicerone de inuent. *eſt pars temporis habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.* Differt à cauſa propriè dicta, & nec ſemper eſt cauſa per accidens. Vnde in propoſito negotio idem eſt occaſio, atque opportunitas ex confeſſione ſumpta ad ſolicitandum, ſiue præuiſum fuerit à confeſſario eam opportunitatem poſſe contingere in confeſſione, & ob id fœminam ad confeſſionem inducat, aut ab ea petat, vt ſe tali tempore, & hora, & loco ad confeſſionem audiendam vocet, ſiue non fuerit præuiſum. Sed caſu oblata illa opportunitate confeſſionis aliquem, aut aliquos actus ex prohibitis cum pœnitente fœmina, vel maſculo exerceat.

18. *Prætextus confeſſionis quid.*

Prætextus nihil aliud eſt, quàm falſæ cauſæ ſimulatio, ſeu velatio, aut palliatio alicuius rei, hinc, *prætexere*, idem eſt, atque velare, ſeu cauſam aliquam fictam, & non veram pro vera affingere, qua aliquid veletur; vnde Suetonius de Cæſare,

& prætextu quidem ille ciuilium armorum hoc fecit; cauſas autem alias fuiſſe opinantur. & in præſenti negotio, eſt aſſumere confeſſionem ad ſolicitationem occultandam, idque contingit vel quando confeſſarius inuitat pœnitentem fœminam, vel maſculum ad confeſſionem, vt à ſe in illa audiatur, non tamen intentio illius eſt, confeſſionem audire, ſed prætextu confeſſionis ſolicitare; vel quando confeſſarius, & fœmina ſimul, vel maſculus decernunt loqui de rebus inhoneſtis occaſione confeſſionis, & tunc quidem ſi ad actum ſolicitationis dictis, vel factis, ac geſtis confeſſarius deueniat, ſiue confeſſio ſequatur, ſiue non ſequatur, puniri poteſt pœnis huius nouæ conſtitutionis Gregorij XV. quia tali occaſione, vel prætextu ſolicitat.

19. *Quid intelligatur per confeſſionarium, aut locum ad confeſſionem.*

In Confeſſionario, aut in loco quocumque, vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo. per verbum illud, *in loco quocumque elect. ad confeſſionem audiendam,* intelligitur non ſolùm locus in Eccleſia, vel etiam in domo, in agro, in monte, vt tamen ſolicitantes, & inhoneſta loquentes in confeſſionario, vel in quocumque alio loco, iuxta tenorem huius nouæ conſtitutionis Gregorij XV. puniantur, neceſſe eſt vt confeſſio ſimuletur, vt ſequentia verba conſtitutionis oſtendunt, *ſimulantes ibidem confeſſiones audire*, quod eueniet ſi mulier flexis genibus, more eorum, qui peccata ſua expiare volunt, ſiue prius ſigno Crucis ſe muniat, ſiue non muniat coram confeſſario ad audiendum applicato conſtituatur, itaut actus ille ab aſſiſtentibus, & circumſtantibus confeſſio credatur; ita Frater Antonius de Souſa *in adnotationibus ad hoc diploma Gregorij XV. fol. 265. num. 13.*

Souſa.

20. *Nullam conſtitutionem extendi ad præteritos lapſus, ante promulgationem illius commiſſos.*

Notandum tamen eſt,

Primò, conſtitutionem hanc, ſiue in his, quæ ex certa ſcientia confirmat, ſiue in aliis, quæ de nouo ſtatuit, ac decernit, non extendi ad præteritos lapſus, ad eos ſcilicet, qui eius ſufficientem promulgationem, ac publicationem præceſſerunt; quare ſolicitantes ante promulgationem huius decreti, non ſunt iuxta illud puniendi, quoad ea, quæ de nouo ſtatuit, nec etiam ſolicitantes ante promulgationem aliarum conſtitutionum Pij IV. & Pauli V.

Primò, quia lex non obligat ante promulgationem, vt communiter aſſerunt iuris periti, partim *in tit. de conſtit.* partim *in reg. nemo poteſt, de regulis iuris, in 6.* & patet *ex Auth. vt nouæ conſt. collat. 5.* vbi dicitur nouas leges in ſingulis prouinciis promulgandas eſſe, & loquitur de legibus, quæ traduntur pro vna prouincia, auguſto Regno, vel Epiſcopatu, non verò de legibus vniuerſalibus, quę latę ſunt pro multis prouinciis, aut pro toto orbe, nam hæ aut ſunt ciuiles, aut Eccleſiaſticæ, de ciuilibus omnes docent, non ſatis eſſe in Curia tantùm promulgare, ſed oportere vt in ſingulis prouinciis vno ſaltem loco promulgentur. De Eccleſiaſticis communior opinio docet leges pontificias latas pro toto orbe non egere alia promulgatione, vt omnes obligent, quàm in Curia Romana. Ita Azor. *lib. 5. Inſtit. moralium, tomo 1. cap. 3. quæſtion. 3.* cum multis, quos allegat, & circa illas priores Eccleſiaſticas quæ latæ ſunt pro vnaquaque prouincia, aut diœceſi, conueniunt omnes Doctores ſatis eſſe vnam promulgationem ſolemnem in aliquo eius Prouinciæ, aut Diœceſis loco, moraliter enim loquendo id ſufficit, vt lex

Azor.

ad omnium notitiam deferatur, & ex iure poſitiuo nihil ampliùs requiritur, & conſuetudo hoc ipſum ſeruat: vnde cùm huiuſmodi leges, & conſtitutiones de non ſolicitandis pœnitentibus latæ ſint pro vnaquaque Diœceſi, neceſſe eſt, vt publicè, & ſolemniter, ſaltem in vno loco prædictæ Diœceſis, ad hoc vt obligent, promulgentur; cùm tamen cõſtitutio Greg. XV. aſſerat ad hoc ſufficere ſi conſtitutio ipſa ad notitiam alicuius veniat per inſtrumentum alicuius Notarij, aut per tranſumptum impreſſum ipſius conſtitutionis, ſubſcriptum manu alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ id ſufficiet loco publicæ publicationis.

Secundò, quia leges, & conſtitutiones ex natura ſua non extenduntur ad præterita, niſi id exprimant; ſed aut prohibent futura, aut actus futuros dirigunt, vt habetur ex *cap. cognoſcentes*, & ex *cap quoniam, de conſtit.* & ex Panormitano *ibi.* igitur decretum hoc, & conſtitutio non comprehendit præteritas ſolicitationes, ſed futuras à promulgatione perpetratas.

21. *Hæc conſtitutio noua Greg. XV. & alia latæ ſunt contra Confeſſarios tantùm, non contra alios non Confeſſarios.*

Notandum ſecundò, nouam hanc conſtitutionem Gregorij XV. latam eſſe contra confeſſarios tantùm, non verò contra eos, qui confeſſarij non ſunt; nam cùm Summus Pontifex intendat confeſſorum abuſus, & inhoneſtas ſolicitationes à cõfeſſionibus, & ſacramento Pœnitentiæ excutere, exterminare, ac depellere, contra illos tantùm loqui videtur, qui confeſſariorum officio funguntur, ſicut intellexerunt omnes alij Summi Pontifices, qui circa hoc ſolicitationis crimen aliquid ſtatuerunt.

Nec refert, quòd Gregorius XV. in ſua conſtitutione præfigat hæc verba, *omnes, ac ſinguli ſacerdotes*; quia manifeſtè per antecedentia verba explicantur, *his delinquentibus*, quæ verba referunt ad delinquentes illos, de quibus præcedentes conſtitutiones Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. loquuntur, & quorum exceſſus ad Summi Pontificis notitiam peruenerunt, qui fuerunt ſolùm ſacerdotum confeſſariorum; ita frater Antonius de Souſa *in adnotat. ad conſtitutionem Gregorij XV. num. 4.* Hinc

Souſa.

22. *Non comprehenditur in illa, nec in aliis laicus, qui habitu ſe Confeſſarium ſimulat.*

Sequitur primò, non comprehendi in hoc decreto Gregorij XV. ſicut nec comprehendebatur in decretis antiquis Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. laicum illum, qui aſſumpto habitu ſacerdotali, confeſſarium ſe ſimulat, & pœnitentem ad actus inhoneſtos ſolicitat, nam & illæ conſtitutiones antiquæ, & hæ nouiſſimæ expeditæ ſunt contra omnes, & ſingulos ſacerdotes, audiendis confeſſionibus deputatos, vt patet ex illis verbis, *omnes, ac ſinguli ſacerdotes, aut aliàs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati.* Et ex illis, *qui ſacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones antè, vel poſt immediatè abutuntur*; huiuſmodi autem laici, nec ſacerdotes ſunt, nec deputati ad audiendas confeſſiones, ita docet etiam illuſtriſſimus dominus D. Rodericus à Cunha, Archiepiſcopus, & Dominus Bracharenſiũ Hiſpaniarũ primas meritiſſimus in ſuo eruditiſſimo *tract. de ſolicit. q. 13.* & frater Anton. de Souſa *tract. 1. de ſolicit. c. 8. n. 4.* Poſſunt tamẽ Domini Inquiſitores huiuſmodi homines punire aliunde arbitrio ſuo, vt conſtat ex quadam conſtit. Gregorij XIII. die 6. Auguſti anno Domini 1574. quam affert Laertius *tom. 2. nouæ collect. Apoſt. conſtit. pag. 387.* & ex alia conſt. Clementis VIII. die 1. Decembris; anno Domini 1601. quam refert etiam idem Laertius *tom. 3. pag. 128.* & ex aliis Pij V. & Pauli IV. quas refert,

Souſa.

Laertius.

&

Aldret.

& ſequitur Aldretus *lib. 2. de religioſa diſciplina, cap. 21. num. 14.* & nos id latè probauimus *in ſecundo præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ, lib. 6. cap. 7. num. 7. fol. 469 col. 1.* in his enim conſtitutionibus Dominis Inquiſitoribus committitur, vt animaduertant in eos, qui in presbyteratus ordine nõ conſtituti Miſſas celebrant, confeſſiones audiunt, & abſolutionem impendunt; & quamuis Emanuel Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 28. art. 2. verſ. Hac conſtitutio*, aſſerat Dominos Inquiſitores ſolùm poſſe procedere contra hos laicos, quando confeſſiones audiunt, & ſimul abſolutionem impendunt, non autem quando ſolùm confeſſiones audiunt, ex eo fundamento, quòd conſtitutio Gregorij XIII. aſſerit, *Confeſſiones audire, ac abſolutionem impertiri.* Vbi particula *ac*, quæ copulatiua eſt, coniunctionem requirit, & conſtitutio ſit pœnalis, & non debeat ad alium extendi caſum, & quia prædictus laicus non impugnat facto catholicam veritatem, negans enim abſolutionem, ſeu illam non dans, manifeſtè viſus eſt, ſe nolle huic ſacramento contradicere, aut illi iniuriam facere.

Souſa. Cunha.

Attamen Frater Antonius de Souſa *de ſolicit. tract. 1. cap. 9. num. 3.* & illuſtriſſimus D. Rod. à Cunha *de ſolicit. quæſt. 13. num. 31.* contrarium tenent, & aſſerunt ſufficere, ſi huiuſmodi laici confeſſiones audiunt habitu ſacerdotali, licèt non abſoluant, vt in eos poſſint Domini Inquiſitores animaduertere; quia hæc conſtitutio Apoſtolica contra ſe ingerentes in adminiſtrationem huius ſacramenti, & illi iniuriam facientes fertur; huiuſmodi autem laici illius adminiſtrationi ſe ingerunt, & illi iniuriam faciunt, ſi non verbis, ſaltem facto ipſo; quare iudicio dominorum Inquiſitorum ſubiiciuntur. Deinde, quia in hoc caſu, qui ſe fingit ſacerdotem, & confeſſionem audit, quamuis abſolutionem non impendat, iuxta probabiliorem opinionem, quam ſequitur Soares *de cenſuris diſput. 42. ſect. 4. num. 19.* Sotus *in 4. diſt. 8. quæſt. 4. art. 1. circa finem.* Nauarr. *in manuali cap. 27. num. 242. fine.* Auila *de cenſuris, part. 7. diſt. 9. dub. 15.* fit irregularis propter iniuriam, quæ fit ſacramento; cùm ergo iniurioſus ſacramento ſit, iudicio dominorum Inquiſitorum ſubiicietur. Ex his duabus opinionibus, hanc ſecundam probabiliorem iudico, nam reuera intentio Summi Pontificis eſt iniurioſos ſacramento punire. Deinde, quia laicus ſimulans, ac fingens ſe eſſe ſacerdotem, qui Miſſas celebrat, aut confeſſiones audit, eſt de fide ſuſpectus; vt tenet Salzedo *in pract. criminali cap. 12, §. comperimus*; ſuſpecti autem de fide, iudicio dominorum Inquiſitorum ſubiiciuntur.

Soares. Sotus. Nauarr. Auila.

Salzed.

23. *Non comprehenditur etiã in hac conſtitutione Presbyter ſacramẽtalis confeſſionis interpret.*

Sequitur ſecundò, ex eodem fundamento, non comprehendi etiam hoc decreto Gregorij XV. ſacramentalis confeſſionis interpretem, etiamſi ſit ſacerdos, ſi in actu confeſſionis ante, vel poſt immediatè pœnitentes ad actus venereos & inhoneſtos ſolicitet, ſicut nec comprehendebatur in conſtitutionibus antiquis. Ita Souſa *cap. 10. num 3.* ſubiicitur tamen aliunde iudicio dominorum Inquiſitorum, & quia iniuriam facit ſacramento, & quia ſuſpectus in fide videtur.

24. *Nec ſacerdos iuriſdictione ad confeſſiones audiẽdas carens.*

Sequitur tertiò, ſacerdotem iuriſdictione carentem, qui confitentem ſibi mulierem, vel maſculum ad actus inhoneſtos ſolicitat, ſciens ſe iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones minimè habere, non comprehendi in hac conſtitutione Gregorij XV. neque quoad ius nouum quod conſtituit, neque quoad conſtitutiones antiquas, circa ſolicitantes in confeſſione expeditas, quas approbat, ac confirmat; aliunde tamen puniri poteſt à dominis Inquiſitoribus arbitrariè. Ita Souſa *c. 21. num. 9.* Fundamentum eſſe poteſt, Souſa.

Primò, quia, vt probauimus *num. 21.* hæc conſtitutio Gregorij XV. fuit lata contra ſacerdotes, confeſſarios tantùm, & qui ex officio confeſſiones audiunt, & qui ſunt expoſiti ad illas audiendas, quia omnes Summi Pontifices tam Gregorius XV. quàm omnes alij qui huiuſmodi conſtitutiones circa ſolicitantes ediderunt, voluerunt eiſdem conſtitutionibus punire exceſſus in confeſſionibus, & in ſacramento Pœnitentiæ commiſſos, qui ad illorum notitiam peruenerunt, qui fuerunt ſolùm exceſſus ſacerdotum expoſitorum, & habentium iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones; aliunde tamen hi ſacerdotes, qui non approbati ad confeſſiones audiendas tanquam ſuſpecti de hæreſi puniri poſſunt à Dominis Inquiſitoribus, ſicut diximus *num. 22.* de laicis, qui ſe fingunt ſacerdotes, computantur enim huiuſmodi ſacerdotes, qui non ſunt expoſiti, nec habent iuriſdictionem, iuxta formam Concilij Tridentini, ad audiendas confeſſiones, quoad valorem ſacramenti cum laicis; ſicut enim laici nec validè, nec licitè poſſunt efficere ſacramentum Pœnitentiæ; ita etiam illi extra articulum mortis nec validè, nec licitè illud poſſunt efficere.

Secundò, quia huiuſmodi ſacerdos, qui ſciens ſe iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones non habere, illas audit, licèt faciat iniuriam ſacramento, & ſuſpectus de hæreſi ſit, tamen non eam iniuriam ſacramento efficit, nec eſt ſuſpectus de ea hæreſi, quam requirunt conſtitutiones expeditæ contra ſolicitantes; hæc enim iniuria, & hæc hæreſis, debet fundari in ſacerdote, & perſona Eccleſiaſtica, expoſita ad audiendas prædictas confeſſiones, & habenti iuriſdictionem ad id, vt conſtat ex titulo diplomatis. ergo etſi aliunde, & ex vi aliarum conſtitutionum puniri poſſit ab Inquiſitoribus, non tamen ex vi huius nouiſſimæ conſtitutionis Gregorij XV. neque ex vi aliarum conſtitutionum, quæ circa hoc negotium fuerunt expeditæ.

Notandum tertiò, Summum Pontificem Gregorium XV. non declarare ſuſpectos de fide ſolicitantes perpetrantes crimina, quæ nouiter declarat pertinere ad Inquiſitores, vt eſt crimen ſolicitationis in loco ad confeſſionem electo, & crimen ſolicitationis commiſſæ prætextu, & occaſione confeſſionis ante, & poſt confeſſionem immediatè, etiam confeſſione non ſecuta, nec inter pœnas, quas decernit, vllam abiurationis mẽtionem facit. Vnde dubitari poteſt, an qui illa committit, reddatur de fide ſuſpectus, abiurareque debeat de leui ſuſpicione, ſicut ſolicitantes, de quibus loquebantur antiquæ conſtitutiones, an verò abſque hac abiuratione puniendi ſint. Reſpondeo abiurare debere, vt alij ſolicitantes abiurabant, de quibus loquebantur antiquæ conſtitutiones. Ratio eſt, quia licèt Summus Pontifex in hac noua conſtitutione, ſeu in verbis nouiter in illa additis, non dicat ſic ſolicitantes de hæreſi eſſe ſuſpectos, id tamen ſupponit ex conſtitutione Pij IV. ibi inſerta, & à ſe approbata & confirmata, nam in verbis de nouo additis innouatur, antiqua conſtitutio ſtatuitur, & confirmatur, in ea autem antiqua ſolicitantes cum iniuria ſacramenti declarantur ſuſpecti. Cùm igitur eadem ratio inueniatur in huiuſmodi ſolicitantibus, atque in illis idem de omnibus ſentiendum; ita Frater Antonius de Souſa de ſolicit,

25. *Solicitan pueros in feſſione ſu ſuſpecti de fide.*

ſolicit. *in adnotationib. ad hanc conſtitutionem Gregorij XV. num.* 15.

26. *Qui ſolicitātes denunciādi ſint.* Similiter Summus Pontifex Gregorius XV. in verbis, *& criminibus nouiter in ſua conſtitutione additis*, nihil declarat, an ſolùm puniendi ſint & denunciandi ſolicitantes, *quomodolibet de hoc crimine infamati*; id tamen ſupponere videtur ex eodem principio, quia ſcilicet ibi approbat, & confirmat quoad hæc noua crimina, quæ addit id quod de aliis criminibus dictum eſt, in conſtitutione Pij IV. *ibidem* inſerta. Conſtitutio autem Pij IV. *ibid.* à Gregorio XV. inſerta, & decretum Clementis VIII. & conſtitutio Pauli V. circa ſolicitantes, ſemper loquuntur de ſolicitantibus quomodolibet infamatis, & hos iubent deferri, & denunciari Dominis Inquiſitoribus, aut Ordinariis locorum. Vnde inquirendum eſt, an denunciandum ſit Dominis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum illud crimen ſolicitationis, quod ita occultum eſt, vt vni tantùm ſit notum, & de hac re duplex eſſe poteſt opinio.

Opinio prima. Prima negans, & hæc colligi videtur ex illis verbis conſtitutionum, *contra quomodolibet diffamatos diligenter inquiras, & procedas* nam in illis ſolùm videtur facultas Dominis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis conceſſa ad inquirendum de iis, qui aliquo modo ſunt infamati de hoc crimine; non cenſetur verò quis de illo, modo aliquo infamatus, cuius crimen vni tantùm eſt notum, propria enim infamia, quantumuis minima, inueniri nequit in vno tantùm, ſed aliquorum notitiam poſtulat; ergo, vt detur in hoc caſu obligatio denunciandi, requiritur aliqua infamia in ipſo ſolicitatore, minor tamen, quàm in aliis delictis, propter qualitatem illius, & ſic videtur duorum ad minimum notitia huius criminis requiri. nam Domini Inquiſitores in edictis publicis iubēt, vt omnes denuncient ſub pœna excommunicationis de huiuſmodi ſolicitatoribus, quomodolibet diffamatis; quando autem præcipitur ſub excommunicatione, vt denuncientur crimina, non tenetur quis, regulariter loquendo, parere, ſi crimen ita occultum eſt, vt vni tantùm notum ſit, & probari non poſſit in iudicio; vt docet *Ceued. Nauarr. Henriq.* Cenedo *collectan.* 101 *num.* 3. *fol.* 154 Nauarrus *in ſumma Lat. cap* 25. *num.* 46. Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 18. *num.* 3. fallit tamen hoc in crimine hæreſis.

Primò, quia tunc non iubetur quis denunciare, vt accuſator, ſed vt teſtis, & vt quilibet Chriſtianus de populo; cuius tanquam teſtis intereſt per ſuum teſtimonium hæreſes prodere, & non intereſt probare; crimen autem ſolicitationis non eſt formaliter crimen hæreſis, vt patet. nam quamuis ſolicitatores ſint de hæreſi ſuſpecti, & iubeantur abiurare de leui ſuſpicione, non tamen formaliter ſunt hæretici.

Secundò, quia vna ſolicitatio non videtur ſufficere, vt quis contra hanc conſtitutionem peccet, ac proinde ob vnicam ſolicitationem, non videtur ſolicitator denunciandus, nam in hac conſtitutione, & in aliis antiquis prohibentur abuſus ſacramenti Pœnitentiæ, confeſſariique ſacerdotes illo abutentes puniuntur, & iubentur denunciari, vt videre eſt ex illis verbis conſtitutionis Gregorij XV. *In tantam proruperint iniquitatem, vt ſacramento Pœnitentiæ in ſacramentali confeſſione abutantur*; abuti autem dicit frequentiam actuum; eſt enim vſus, vt docet *D. Thom.* D. Thom. *in* 1. *ſent. diſt.* 1. *queſt.* 1. *art.* 2. ex Victorino, *actus frequenter de potentia elicitus*; ergo nec vnica ſolicitatio ſufficit, vt quis peccet contra hoc decretum, nec crimen ſolicitationis vni tantùm notum cadit ſub obligationem denunciandi illud.

Tertiò, quia quamuis abuſus pro vno actu aliquando accipi poſſit, tamen in hac conſtitutione, pro frequentia actuum accipiendus eſt, quia verſamur in materia omnino pœnali, & in materia pœnali benignior interpretatio eſt facienda; vt habetur *regula* 49. *de regulis iuris, in* 6. *& in l. ciuili, ff. de regulis iuris.* ibi, *Semper in dubijs benigniora proferenda ſunt.*

Quartò, quia in huiuſmodi conſtitutionibus ſolùm conceditur facultas, tam Ordinariis, quàm Dominis Inquiſitoribus procedendi contra quomodolibet diffamatos, ſed infamia, ſicut & fama non eſt niſi reſpectu multorum; *eſt enim fama bona exiſtimatio multorum circa vitam, & mores alicuius hominis*; vt docet Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 63. *verſ. altera pars.* Sotus *lib* 5. *de iuſtit. quæſtion.* 9. *art.* 1. *initio, verſ. quinque ſunt.* Tolet. Sotus. Toletanus *lib.* 2. *de reſt. cap.* 4. *num.* 1. *Infamia autem eſt mala exiſtimatio multorum alicuius hominis circa eius vitam & mores.* Toletan. Vt igitur quis quomodolibet cenſeatur infamatus, ad minimum ſaltem opus eſt, vt ſit infamis apud duos, & vt duo malam opinionem de illo habeant. Vnde cùm iudices in hoc negotio poſſint procedere vel via denunciationis, vel via accuſationis, vel via Inquiſitionis, non poterunt procedere per denunciationem, niſi crimen ſit duobus teſtibus notum. Probatur, quia ſicut ex bona opinione vnius hominis circa alium non poteſt oriri bona fama illius; ita ex mala opinione vnius circa alium non poteſt oriri infamia: vt igitur crimen hoc ſit denunciabile, opus eſt, vt ſaltem duobus ſit notum; crimen enim occultum, niſi ſit formaliter crimen hæreſis aliorum infectiuum, dum eſt occultum non poteſt denunciari, quia denunciatio eſt infamatio, dum enim crimen eſt occultum, non eſt ſubiectum iudicio externo, de iure enim diuino, & naturali tenemur proximum non infamare; de iure autem tantùm humano, tenemur hoc ſolicitationis crimen denunciare: quando autem duo præcepta contraria concurrunt, ſi ambo obſeruari non poſſunt, antiquius prius, & fortius eſt obſeruandum, quia quod prius eſt tempore, potius eſt iure; prius autem antiquius, & fortius eſt præceptum diuinum de non infamando proximo, quàm humanum de denunciando illius crimine, maximè, quia præceptum humanum de tali denunciatione ſtatim illam limitauit, ad ſolicitantes de hoc crimine quomolibet infamatos.

Secunda opinio eſt affirmans, eam docet Souſa *de ſolicit. tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. Probatur *Opinio ſecūda. Souſa.*

Primò, quia crimen hoc eſt difficilis probationis, & reddit ſolicitatores de hæreſi ſuſpectos, & ideo abiurare de leui coguntur; vt patet ex illis verbis conſtitutionis Pij IV. & Pauli V. *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè ſentiunt, ſacramentis à Chriſto Domino inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, tibi per præſentes committimus, & mandamus, quatenus prout in alijs cauſis, ſancti Officij*, &c. Ergo quemadmodum alij hæretici denunciandi ſunt, quamuis non ſint quomodolibet infamati, vt fatentur Authores primæ opinionis; ita etiam & huiuſmodi ſolicitatores denunciandi erunt, nec obſtat, quòd conſtitutio addat, *tibi committimus, & mandamus, vt contra quomodolibet diffamatos procedas*, &c. Quia

intentio

intentio Summi Pontificis aliunde nota eſt, Summus enim Pontifex in hac conſtitutione formaliter intendit ſolicitationes pœnitentium exterminare, & iniuriam ſacramento factam punire. Sed ſi de ſolis diffamatis conſtitutio illius intelligeretur, non occurreretur ſufficienter à Summo Pontifice huic malo. ergo non eſt hoc reſtringendum ad ſolos diffamatos. Antecedens, ſeu maior patet, quia nulla lex eſt interpretanda contra ipſiuſmet intentionem; intentio autem legis, & legiſlatoris in hac conſtitutione eſt (vt in ea experimur) vt iniuria quæ fit ſacramento, auertatur, minor eſt certa, quia cum ſolicitationes in occulto contingant, & hoc crimen ſit difficillimæ probationis, & mulieres, ob innatum pudorem taceant, nunquam, vel rariſſimè de hoc crimine dabitur infamia, ac proinde nunquam, aut rariſſimè punietur, & exterminabitur, & per conſequens non ſufficienter tanto malo occurretur, ſi de ſolis quomodolibet infamatis hæc denunciatio intelligeretur, aut de multis ſolicitationibus, erga vnam fœminam, & non de vna; ergo ne in hoc abſurdum incidamus, dicendum eſt ſufficere vnicam tantùm ſolicitationem, vt fœmina ſemel ſolicitata teneatur denunciare, & non requiri infamiam, reſpectu ſaltem duorum, vt hoc crimen ſit denunciabile.

Secundò, quia per vnicam ſolicitationem verè incurrit confeſſarius ſuſpicionem fidei; ergo per vnicam directioni huius decreti ſubiicitur. Conſequentia patet, quia confeſſarius ſolicitans, vt ſuſpectus de hæreſi ex vi huius decreti puniri debet. Antecedens probatur, quia qui ſemel hæreſim profert, eſt de fide ſuſpectus, ſicut qui ſemel contrahit binas nuptias, viuente prima vxore, vt eſt in praxi Inquiſitorum, docentque communiter Doctores, Simancas *titul.* 12. *num.* 15. Albertin. *de agnoſc. aſſertionib. cathol. quæſt.* 23. *num.* 65. Repertor. Inquiſitorum, *verb. contrahens.* nec dicas aliud eſſe incurri ſuſpicionem fidei abſolutè loquendo per vnicam ſolicitationem, aliud poſſe denunciari propter vnicam ſolicitationem, imò & propter multas, cum vna perſona habitas, quandiu occultæ ſunt, & vni tantum perſonæ notæ, conſtitutioneſque præcipere, vt tale delictum denuncietur, quando quomodolibet diffamatum eſt, aut modo aliquo publicum. Nec dicas, etiam hoc crimen non eſſe, formaliter loquendo, crimen hæreſis formalis, ſed continere ſuſpicionem hæreſis, quatenus ſolicitator illud committens iniuriam facit ſacramento, & ſolum crimen hæreſis formalis occultum denunciandum eſſe, quia eſt aliorum infectiuum, & quia difficilis eſt probationis, & tandem quia non iubetur quis illud denunciare, ſed tanquam vnus de populo, cuius intereſt per ſuum teſtimonium hæreſes indicare, ne alij inficiantur; nam etſi hoc crimen non ſit formaliter crimen hæreſis, nec ſi ex natura ſua aliorum infectiuum, eſt tamen difficilis probationis, vt dixi, & alioqui nunquam puniretur tale crimen, vt patet.

Simanc. Albert. Repert.

28. *Iudiciũ Authoris.* Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, ambæ probabiles, ſecunda probabilior, & in fauorem ſacramenti in illam inclinandum videtur, & magis inclino. Prima tamen tam ſolidis fundamentis nititur, & tam expreſsè mentem legiſlatoris videtur continere, vt illi contradicere videatur audacia, mihi non conſtat de praxi Dominorum Inquiſitorum, & Ordinariorum in hoc negotio; quamobrem, ſi de illa conſtiterit, illa ſequenda erit, & ideo interim rem non definio, ſed meum iudicium praxi ſanctæ Inquiſitionis libenter ſubmitto, & ſemper ſubmittam. In vtraque tamen opinione, ante denunciationem ſemper præmittenda eſt fraterna admonitio ſi firmiter emendandus credatur, iuxta ſententiam Sancti Thomæ 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 3. neque enim æquum eſt, totum rigorem, qui cum hæreticis in hac parte exercetur, ad huiuſmodi ſolicitantes extendere, cùm hoc crimen ſit longè inferioris ordinis, idque diximus *in noſtro primo tomo, in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, præcept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. & id loquendo abſolutè de omnibus criminibus extra hæreſim, docet etiam Saytus *in claui regia, lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 8. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 5. *artic.* 1. *verſ. his tamen non obſtantibus.* Nauar. *cap.* 18. *n.* 59. Caſtro *lib.* 2. *de iuſta hæreticorum punitione, cap.* 25. *concluſione* 1. Nemo etiam denunciare tenetur ſi firmiter credat ſolicitantem iam eſſe emendatum. Si enim firma ſpes emendationis ab hac denunciatione excuſat, multo maiori ratione certitudo habitæ emendationis excuſabit, vt patet.

D.Thom. Saytus. Sotus. Nauarr. Caſtro.

29. *Inquiſitores, & Ordinarij, an poſſint procedere ſimul, vel ſeparatim contra huiuſmodi ſolicitantes.*

Poſt deciſionem prædictorum caſuum delegat, ac committit Summus Pontifex Gregor. XV. iuriſdictionem, ac facultatem Dominis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis ad procedendum contra culpatos in huiuſmodi exceſſibus, vt vnuſquiſque in ſua diœceſi, & territorio procedat, etiam, inquit, *priuatiuè, quo ad omnes alios*; ita vt ſi comparatio fiat Dominorum Inquiſitorum, cum Ordinariis, Dominis Inquiſitoribus hæc iuriſdictio ſit cumulatiuè, non priuatiuè conceſſa; & primò, ſi comparatio fiat, tam Dominorum Inquiſitorum, quàm Ordinariorum cum Prouincialibus Religionum, & cum aliis, qui prætendant habere iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſibi ſubiectos, & animaduertere in illos ſuper his exceſſibus, ſit illis, hoc eſt, tam Dominis Inquiſitoribus, quàm Ordinariis priuatiuè conceſſa quo ad iſtos Prælatos regulares; vt notauit Souſa *de ſolicitat. in adnotat. ad conſtitutionem Gregorij XV. num.* 19. *& 20.* Souſa.

30. Concedit itaque Summus Pontifex vt Inquiſitores, & Ordinarij ſimul, vel ſeparatim contra prædictos inquirant, & procedant, *iuxta ſacrorum canonum formam, nec non officij Inquiſitionis.* Et quamuis ſecundùm hanc clauſulam tam Inquiſitores, quàm Ordinariis ſeparatim poſſint procedere, non tamen per illam illis conceditur, vt ſeparatim ſententiam condemnatoriã proferant; quoad hoc enim ſacri canones, & conſtitutiones Apoſtolicæ ſeruandæ ſunt; & verò non ſolùm ex vi huius conceſſionis poſſunt Epiſcopi ſeparatim producere contra huiuſmodi ſolicitantes, ſed etiam ex vi iuris communis ſacrorum canonum, quod facilè probatur, quia Epiſcopi, iuxta ſacros canones, poſſunt ſeparatim procedere in cauſis fidei contra ſuſpectos de fide; ergo poſſunt procedere ſeparatim contra ſolicitantes. Antecedens probatur ex *cap. per hoc, de hæreticis, in* 6. Vbi dicitur poteſtatem commiſſam Inquiſitoribus contra hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, non eſſe priuatiuam, ſed cumulatiuam; & ita tenet gloſſa *ibi,* & Panormit. *in cap. ad abolendam, de hæreticis.* Repert. Inquiſitor. *verb. Inquiſitores, §. in quibus poſſit procedere Inquiſitor.* Hymericus 3. *part. quæſt.* 47. Albertinus *de agnoſc. aſſert. cathol. quæſt.* 23 *n.* 62. Comenſis *in lucerna Inquiſitor. verb. Inquiſitor. n.* 13. Frater Antonius de Souſa *de ſolicit. in adnotat. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. & plures alios refert Farinac. de

Panor. Repert. Hymer. Albert. Comen. Souſa. Farinac.

Simanc. *de hæreticis, quæſt.* 186. §. 1. *num.* 6. & idem tenet Simancas *tit.* 6. *num.* 2.

31. Si tamen confeſſarius ſolicitans ſit abſoluendus de crimine ſolicitationis de quo accuſatur, vel denunciatur, poſſunt Epiſcopi, aut Inquiſitores ſeparatim iuxta ſacros canones (ſecundùm quos in hac conſtitutione iubentur procedere) ſententiam abſolutoriam proferre; ita Hymericus 3. *part. directorij, quæſt.* 48. Ioannes Andreas *in Clementina multorum, de hæreticis, verb. contra eos;* vbi Zabarella, Panormitanus, Paulus de Leazaris & alij, docet Tabiena *in ſumma verb. Inquiſitor.* §. 11. *in fine.* Iaſon *in l.* 3. *ff. de re iudicata.* Decius *in l. nemo, ff. de regulis iuris.* Carrer. *tract. de hæreticis, num* 72. *verſ. in præmiſſis autem quærendum eſt.* gloſſa *in Clement.* 1. *verb. contra eos, de hæreticis.* Bonifacius de Vital. *num.* 173. Campeg. *in additionib. ad Zanchinum de hæreticis, cap.* 8. *lit. E. in verb. diffinitiuum,* & alij, quos referunt & ſequuntur Peña *in directorio quæſt.* 48. Hymeric. *comm.* 97. & Farinacius *de hæreſi, quæſt.* 186. §. 3. *num* 60. & Frater Anton. de Souſa *de ſolicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num* 12. Probatur, quia hoc non eſt ſpeciatim prohibitum in hac conſtitutione Gregorij XV. & vbi non datur ius nouum in contrarium, ſtandum eſt iure antiquo; de iure autem antiquo ſacrorum canonum poterant Epiſcopi, & Inquiſitores ſeparatim procedere, *cap. præſidentes, cap. ſtatuimus. cap. vt Inquiſitionis, cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, de hæret. in* 6. ipſis namque dati ſunt Inquiſitores adiutores, & ſi id in aliquo caſu non faciunt, id prouenit ex aliqua conſuetudine, prohibitione, aut limitatione, quæ in hoc caſu non datur, & probatur etiam euidentiùs ex quodam reſcripto Clementis VII. relato à Peña *in fine directorij, folio mihi* 129. vbi hæc habentur. *Contra huiuſmodi exemptos, vſque ad ſententiam diffinitiuam, ad quam ferendam* (ſi fuerit condemnatoria) *cum conſenſu Ordinarij, procedatis.* quæ verba in ſolis condemnatoriis ſententiis ſeparatum iudicium reſtringunt.

32. Anchar. Simanc. Rojas. Peña. Contra hanc doctrinam inſurgunt Ancharranus *in Clementina* 1. *de hæretic.* Simancas *de catholic. inſtit. titul.* 3. *num.* 8. & Rojas *ſingulari* 27. *num.* 7. & Peña *citato loco*, aſſerentes, non poſſe hodie Epiſcopos ſeparatim procedere contra ſuſpectos de fide, vſque ad diffinitiuam ſententiam abſolutoriam; & probant ſuam ſententiam, in hunc modum; conſtitutione noua *Clementina* 1. *de hæretic.* abrogata ſunt iura antiqua, quibus olim conceſſum erat, vt Epiſcopus, & Inquiſitor ſeorſim de huiuſmodi cauſis agnoſcerent, & reſtrictum eſt ius antiquum, quoad condemnationem; ita vt neuter ſeparatim ſententiam condemnatoriam ferre poſſit; ſed eiuſdem poteſtatis eſt abſoluere, & condemnare, *l. qui condemnare, ff. de re iudicata;* ergo ſi poſt hanc conſtitutionem neuter poteſt ſeparatum ab altero condemnare, neque etiam poterit abſoluere. Confirmatur, quia ita conſuetudine in tribunali ſanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum receptum eſt; conſuetudo autem eſt optima legis interpres. Sed ad argumentum neganda eſt conſequentia, condemnare enim & abſoluere eiuſdem eſt poteſtatis, abſolutè loquendo, non verò in caſu, in quo vnum reſtringitur, alio non reſtricto, quia tunc quantum ad id, quod non reſtringitur, ius antiquum in ſuo robore permanet; ius autem antiquum procedendi ſeparatim reſtrictum eſt, dumtaxat quantum ad condemnatoriam ſententiam, non quantum ad abſolutoriam; vt patet ex reſcripto *Clementinæ* 7. relato *ſi fuerit condemnatoria;* neque erat eadem ratio prohibendi, & reſtringendi vtrumque, nam cum condemnare aliquem, vt hæreticum, aut ſuſpectum de hæreſi, ſit res grauiſſima, & rigoroſiſſima, plura iudicia ad hoc requiruntur, quàm ad abſoluendum, maximè, quia reis ſemper eſt fauendum; & ideo in fauorem reorum decreuit Summus Pontifex, vt quoad definitiuam ſententiam abſolutoriam, vterque ſeorſim procederet, non autem vſque ad condemnatoriam; eſt enim fauorabilior abſolutionis cauſa, quàm condemnationis, vt ait gloſſa Pauli, & Bonifacij *in d. Clement.* 1. *de hæreticis, in* 6. Iaſon, cum aliis, *in dict. l. qui condemnare.* Alciatus *lib.* 2. *de verb. ſignific.* Carretius *de hæreticis, num.* 72. & quamuis conſuetudine ita receptum ſit in tribunali ſanctæ Inquiſitionis, ſolùm facit opinionem probabilem, quod nos non negamus, imò libenter fatemur opinionem Simancæ eſſe ſatis probabilem, noſtram tamen probabiliorem iudicamus. Boniface. Iaſon. Alciat. Carrer.

Condemnatoriam igitur ſententiam, vel in crimine hæreſis, vel crimine, de quo reus ſuſpectus in fide reddatur, quale eſt crimen ſolicitationis; ſiue reus brachio ſæculari tradatur, ſiue ſola abiuratio ei iniungatur, neque Epiſcopi, neque Inquiſitores ſeparatim poſſunt proferre; vt patet ex prædicto reſcripto *in Clement.* 7. *de hæreticis in* 6. vbi, *Vſque ad diffinitiuam ſententiam, ad quam ferendam* (*ſi fuerit condemnatoria*) *cum conſenſu Ordinarij procedatis.* & ex *cap. per hoc, de hæreticis, in* 6. *& Clementina multorum, eodem titulo;* ſi tamen Epiſcopi ſententiam ſeparatim proferant, in in hoc tantùm caſu ſecundo criminis ſolicitationis, & abiurationis de leui, & abiurationem admittant, probabile eſt, factum tenere; ita Frater Antonius de Souſa *de ſolicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 15. probat, quia probabile eſt, poſſe Inquiſitores, & Epiſcopos in rebus minimis circa fidem, quales ſunt leues ſuſpiciones, ſeparatim procedere, quod in hoc Regno Luſitaniæ hactenus obſeruatum fuit, ſolebant enim Epiſcopi damnare eos, qui binas nuptias contrahebant, eorumque abiurationem recipere; quæ poteſtas in hoc crimine reſtricta illis modò eſt; vt patet ex quadam declaratione facta Inquiſitori Generali Luſitaniæ, ita tamen reſtricta eſt, vt ſi ab Epiſcopis id fiat, factum teneat; vt docet idem Frater Antonius de Souſa citatus, *dict. num.* 16. & Peña *in* 3. *part. directorij, comment.* 97. *verſ. rurſus dico*, vbi aſſerit hæc eſſe de genere eorum, quæ licèt fieri prohibeantur, facta tamen tenent, qui omnino videndus eſt; & Farinacius *de hæreſi, quæſt.* 186. §. 3. *num.* 79. & in noſtro caſu ſolicitationis clariùs hoc videtur; quia cumulatiua eſt iuriſdictio, quæ conceditur Inquiſitoribus, & non priuatiua, reſpectu Epiſcoporum, & iiſdem Dominis Inquiſitoribus præcipitur, vt procedant in Inquiſitione, & damnatione huius criminis, iuxta formam ſacrorum canonum; quare ſi probabile eſt, poſſe ſeparatim Epiſcopos delinquentes ac reos leuiter ſuſpectos de fide validè vſque ad diffinitiuam ſententiam damnare, & eorum abiurationem recipere, etiam poterunt id ipſum contra huiuſmodi ſolicitantes facere. 33.

Quamuis tamen de iure Ordinarij, & Epiſcopi, in hoc Regno Luſitaniæ, & Prouinciis illi ſubiectis aduerſus huiuſmodi ſolicitatores tam fœminarum, quàm maſculorum in actu confeſſionis, aut poſt, vel ante immediatè ſeparatim, probabiliter poſſint validè procedere vſque ad diffinitiuam ſententiam 34. *In Regno Luſitaniæ quid.*

ſententiam condemnatoriam. Nihilominus poſſunt aliunde ex priuilegio Domini Inquiſitores generales huius Regni ex cauſa, omnes illorum proceſſus, & integram cauſam etiam ſub cenſuris, & aliis pœnis ad ſe aduocare. Ita Frater Antonius de Souſa *de ſolicitatione tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. Probatur, quia hoc crimen reddit ſolicitatores leuiter ſaltem ſuſpectos de fide, ſed omnes cauſas, & proceſſus circa res fidei, quæ coram Ordinariis tractantur, poſſunt ad ſe Inquiſitores generales huius Regni aduocare; ergo etiam & proceſſus contra ſolicitantes. Minor, in qua eſt difficultas, patet ex priuilegio quodam Pij IV. dato Romæ anno 1562. die 2. Aprilis; conceſſo Henrico Inquiſitori generali huius Regni, tunc Cardinali Infanti Portugalliæ, & Inquiſitori generali, poſtea Regi, quod ad integrum refert, & affert Fr. Antonius de Souſa *in fine ſui opuſculi de ſolicitatione*, vbi ſic dicitur, & ſermo eſt ad prædictum Inquiſitorem generalem huius Regni. *Quaſcumque cauſas hæreſis, & illius prauitatem, huiuſmodi ſapientes coram Ordinarijs Regnorum, Prouinciarum, & locorum præfatorum, nunc, & in futurum in quibuſcumque ſtatu, ac terminis pendentes, quandocumque tibi expediens viſum fuerit ab ipſis Ordinarijs ad te aduocandi, ac illis, eorumque iudicibus, & perſonis, ne in eis vlterius procedant ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibendi.*

Souſa. Souſa.

35. *Priuilegia conceſſa officio, nō expirāt morte perſonæ, ratione enim concedūtur.*

Nec dici poteſt hoc priuilegium fuiſſe perſonale, & non reale, conceſſumque tantùm perſonæ Henrici Cardinalis Infanti Portugalliæ, & ſic expreſsè morte perſonæ eiuſdem Cardinalis; fuit enim priuilegium conceſſum officio Inquiſitoris Generalis; vt patet ex his verbis ipſius Breuis, & priuilegij, *Volentes tibi cuius prudentiæ officium Inquiſitionis huius prauitatis primò, deinde legationis,* &c. Et priuilegia alicui officio conceſſa realia ſunt, & non ſunt perſonalia, nec expirant morte perſonæ, cui officium, aut dignitas eſt adnexa; ſed tranſeunt ad ſucceſſores in officio, & dignitate; dignitas enim, & officium non moritur, iuxta textum *in cap. quoniam Abbas, de officio delegati,* & Abbatem *ibi num.* 8. ab omnibus receptum. gloſſa *ibi verb. ſubſtitutum.* Innocentius *ibi num. vnico.* Hoſtienſis *num.* 5. *&* 9. Ioannes Andreas *num.* 27. Antonius *num.* 20. Imola *num.* 2. Menochius *de arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 68. *num.* 22 & alij.

Decernit etiam Summus Pontifex Gregorius XV. in hac vltima conſtitutione pœnas, quibus ſolicitantes plecti debent, ſecundùm criminis qualitatem, & circumſtantias, nimirum ſuſpenſionem ab executione Ordinum, priuationem beneficiorum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuam inhabilitatem ad illa, priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ; ſi regulares fuerint, exilium, damnationis ad triremes, carceris etiam in perpetuum abſque vlla ſpe veniæ, & concludit, quòd aliæ addantur pœnæ ſecundùm delicti qualitatem, etiam curiæ ſæculari tradendo reos; & quamuis circa pœnam traditionis curiæ ſæculari non apponantur in hac conſtitutione Gregorij XV. illa verba, quæ apponuntur in conſtitutione Pauli V. *prout iuris fuerit, & prout de iure fuerit faciendum*; ſed loco illorum apponantur hæc, *Tradantur curiæ ſæculari pro enormitate delicti.* Tamen idem ſupponit, & vtraque clauſula eundem ſenſum reddit, arbitrium enim iudicum iuri conformari debet. 36. *Quibus p- nis huiuſm ſolicitante puniri de*

Circa probationem huius delicti ſtatuit Summus Pontifex Illuſtriſſimis Inquiſitoribus Generalibus, vt ipſi arbitrio ſuo decernant, an crimen hoc maneat probatum teſtibus ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis & aliis adminiculis, & reddens cauſam talis conceſſionis ait, *cùm crimen ſit difficilis probationis.* Ex qua conceſſione duo colliguntur. 37. *Probatio hu- ius delicti a quem ſpecte & qu mode probari poſſ*

Primò, probabilius eſſe ſecundùm ius, teſtes ſingulares non plenè probare delicta, nec etiam hoc occultiſſimum, quia cùm Summus Pontifex hoc de nouo concedat, videtur ſupponere, vel hoc in iure non contineri, vel eſſe valde dubium an contineatur; vt optimè animaduertit Frater Antonius de Souſa *de ſolicit. in adnotat. num.* 25. *fol.* 169.

Secundò, non eſſe reprobandam ſententiam, & praxim eorum, qui difficilis probationis crimina, teſtibus ſingularibus, præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis concurrentibus plenè probatum ſentiunt; nam quæ Summus Pontifex concedit, damnari à viro catholico non debeat; non enim hoc concederet, ſi id illicitum ex natura ſua eſſet.

LIBER

LIBER SEPTIMVS

In ſeptimum Præceptum Decalogi.

SEQVITVR, *vt de furto agamus, & ſeptimo præcepto: habetur autem hoc præceptum* Exod.20.*his verbis*, Non furtum facies; *in quo multa tractanda ſunt.*

Primò, quid ſit furtum.

Secundò, quale peccatum ſit.

Tertiò, quæ quantitas ſufficiat ad peccatum mortale.

Quartò, quibus modis committatur.

Quintò, cui facienda ſit reſtitutio illius, & quomodo facienda ſit.

Sextò, quæ cauſæ excuſent à reſtitutione illius.

Deinde aliæ quæſtiones ſcitu dignæ tractabuntur, quæ & in vſu quotidianæ ſunt, & ad forum conſcientiæ, materiamque reſtitutionis vtiliſſimæ; nomine autem furti, vt ex diſcurſu patebit, non ſolùm intelligimus iniuſtam rei acceptionem, ſed etiam iniuſtam retentionem, quia iniuſta retentio, moraliter loquendo, nihil aliud eſt, quàm furtum, vt in ſequentibus dicemus.

CAPVT I.

Quid ſit furtum, quale peccatum, & quæ quantitas ad mortale peccatum ſufficiat.

SVMMARIVM.

Quid ſit furtum. num.1.
Nomine furti venit etiam iniuſta detentio; & damnificatio rei alienæ. num.2.
Quæ conditiones requirantur ad occultam compenſationem faciendam. num.3. 4. 5.
Quando inter dominum, & famulum non eſt conuentum de pretio ſtipendij, per quid tunc regulari debeat ſalarium. num.6.
An detur furtum, cùm furto tollitur perſona libera. num. 7.
Quid intelligatur in furto per particulam, inuito domino. num.8. & 9.
An Hebræi furtum commiſerint olim in Ægyptios. num 8.
Non peccat, nec furtum committit, qui gladium furatur ab emente ne alteri noceat, nec vxor furans à marito pecunias, vt in vſum familiæ illas conuertat. num.10.
An furtum committat ille, qui in extrema, aut quaſi extrema neceſſitate furatur. num. 11. & remiſſiuè ad caput 26.
Furtum ex genere ſuo eſt minimum peccatum, quod contra proximos committi poteſt, & eſt mortale, niſi paruitas materiæ excuſet. num.12.
An furtum magnum, & paruum differant ſpecie. num 13.
Differt ſpecie à rapina. num.14.
Refertur opinio eorum, qui aſſerunt vnum denarium, ſeu vingenas binas, etiam reſpectu diuitis eſſe peccatum mortale. num.15.
Proponitur illorum fundamentum, & ſoluitur. numero 16.
Ad aſſignandam mortalem quantitatem in furto, neceſſariò attendendum eſt ad loca, vrbes, & perſonas magis, vel minus pecunioſas. num.17.
Quæ ſit quantitas mortalis reſpectu Regum, Prælatorum, & hominum ditiſſimorum. num.18. *Refertur opinio Suarij.* ibid.
Quæ reſpectu hominis mediocriter pecunioſi abſtrahenda à loco. num.19.
Quæ ſit quantitas mortalis Oliſipone, Hiſpali, Eboræ, &c. in Braſilia & in Indijs. num.20. 21.
Quid ſi ex quantitate ad mortale aſſignata aliquid minus deficiat. num.22.

OMISSA ea deſcriptione furti, quam iureperiti tradunt *ad l.1.§ furtum.ff.de furtis, & Inſt.de oblig.quæ ex delicto*, &c. §.1. & quam explicant Iul. Clar.*lib.5.ſent:* §. *furtum, n.1.*& Nauar.*in ſum.c.17.n.1.* quæ ſic habet. *Furtum eſt contrectatio rei alienæ fraudulenta, vel lucrifaciendi gratia, ipſius rei, vel vſus poſſeſſionis eius*, clariùs, & breuiùs apud Theologos ſic definitur. *Furtum eſt ablatio iniuſta rei alienæ, inuito domino*; ſic Toletus *lib.5.*

1. *Furtum quid ſit.*
Iul. Clar.
Nauar.
Tolet.

Nauar. Filliuc.

lib.5.ſum.cap.2.n.1. P. Nauar. *lib.3 de reſt.c.1.n.20.* Filliuc. *tom.2 tract.31.cap.10 n.234.* & alij, in qua definitione, ſeu deſcriptione ſunt quatuor particulæ, ſingulas ſigillatim explicabimus, & in hac materia breuiter vtilem doctrinam dabimus.

2. *Furti nomine venit etiam iniuſta detẽtio, & damnificatio rei alienæ.*

Ablatio. Diximus ablationem, nõ acceptionem, non vſurpationem, vt alij; quia nomine furti non ſolùm venit vſurpatio rei alienæ, ſed etiam iniuſta detentio. & damnificatio: ablatio autem hæc omnia comprehendit; nam dum non reſtituis rem alienam, aut damnum datum, moraliter loquendo, inuito domino aufers, cùm poſſis reſtituere, vnde omne furtum eſt damnificatio, non omnis tamen damnificatio eſt furtum, & ſic differt damnũ materialiter à furto. patet, quia furtum requirit ablationem, qua vnus homo rem alterius eo inuito in ſuos vſus accipit: damnificatio autem non requirit iſtam ablationem, vt cernitur in eo, qui doloſè ſegetes alienas intendit, & conculcat, qui damnum infert, & nihil accipit; tenetur tamẽ ad reſtitutionẽ, perinde ac ille, qui furto rẽ à domino ſuo aufert. ita docet Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2.c.12. dub 1.n.16.* (Leſſius.)

3. *Conditiones requiſitæ ad faciendã occultam compenſationem.*

Rei alienæ. Diximus *rei alienæ*, quia ſi tuam occultè auferas, & tibi de damno ab altero illato cõpenſes, non erit furtum; ad faciendam autem hanc occultam compenſationem rei tuæ, aliquæ conditiones debent concurrere, de quibus agemus infrà *cap.30.* & hîc etiam ad intelligentiam materiæ aliquid attingemus. Itaque vocamus rem alienã, eam, quæ alterius eſt, non eſt enim furtum quando aliquis capit occultè id, quod aliàs ſibi de iuſtitia debetur, vnde ſi quis occultè à debitore ſuo ſumeret pecunias, quæ ſibi titulo iuſtitiæ debentur, non furatur, nec tenetur ad reſtitutionẽ, rem enim ſuam, non alienam accipit, quamuis aliquando eas ſumendo, contra charitatem peccet, aliquando tamen non peccabit, ſi ſeruet has conditiones,

Prima, vt debitum ſit certum & liquidum.

Secunda, vt ſit ex iuſtitia, non ex gratitudine.

Tertia, vt commodè illud non poſſit exigere in iudicio, vel quia debitor eſt potens, vel quia illud in iudicio probare non poteſt, vel quia ſi in iudicio, vel extra iudicium petat, timet ſibi, vel alteri malum aliquod euenturum, quod maioris conſiderationis ſit, quàm res habeat valoris: nam ſi hæ circũſtantiæ non concurrant, peccabit quidem mortaliter ſibi occultè compẽſando, non tamen tenebitur ad reſtitutionẽ (excepto caſu ſecundæ conditionis) quia rem ſuam aufert, & de re ſua ſibi de iuſtitia debita compenſat, ſed indebito modo. Ita Tolet. *lib.5 ſum.c.15.n.4* Archid *in cap. non ſanè 17 q 5.* Lud. Lop. *1 p. inſtr. cap. 8 § Prima conditio.* Leſſius *tom.1 de iuſt. lib.2. cap.12. dub.10. n.58.* Addunt alij quartam conditionem, vt quis non accipiat rem apud ſuum debitorẽ depoſitã, & bene addunt, quia compenſatio debet fieri ex bonis debitoris, quæ in eius dominio ſunt, non ex re aliena, quæ apud eum eſt in depoſito, cùm illius dominium non habeat. (Tolet. Arci id. Lopez Leſſius.)

4. Quarta, debet etiam ſibi occultè compenſas cauere, ne nocumentum alteri ſequatur: nam ſi ex illa occulta compenſatione alij patiantur furti ſuſpicionem, non poteris abſque peccato contra charitatem tibi occultè compenſare, quamuis ſi compenſes, non teneatis ad reſtitutionem; obligaberis tamen aliquando ex charitate vel ad manifeſtãdum furtum, vel ad reponendam rem ipſam in eodem loco, cùm maius eſt incommodum, & damnum, quod proximus ex furti ſuſpicione patitur, quàm ſit commodum tibi inde ex tali compenſatione reſultans, quod prudens confeſſarius iudicabit. Ita Tolet. *lib.5. ſum.c.15.n.6.* Innoc. *in cap. olim de reſt. ſpoliatorum*, ibi, *Quidam dicunt, & non malè, quod etiam ſua authoritate poteſt quis accipere furtiuè rẽ ſuam, dummodo ex tali furto nec malum, nec ſcandalũ valeat generari, quia ſi inde oritur vel contra vxorem, vel contra famulum. vel quemcumque alium, hic debet in priſtinum ſtatum reſtitui.* Hæc ille. Idem docet expreſsè Caiet. *2.2.q 66. art.1. in fine*, ibi, *In caſu autem quo aliquis, vel propter detinentis, aut defectũ probationũ, aut propter maius damnũ amicitiæ, pacis, vel rerũ, aut huiuſmodi, nõ poteſt via iudicis ſuum, aut ſibi debitũ recuperare, & abſque ſcãdalo, periculo, & offenſa cuiuſque poteſt occultè accipere à debitore, vnde ſibi ſatisfaciat, licitè hoc poteſt facere.* Et idẽ docet etiam Sot. *lib 5. de iuſt. q.5. art.2.* debet etiam cauere, ne illud debitũ ſibi iterũ, vel ſuis hęredibus ſoluatur, & nihil amplius debet ſumere, quàm id, quod ſibi liquidò debetur. ſic Lop. & Tol. *allegat.* (Caiet.)

His conditionibus ſeruatis poteſt famulus pro debito ſtipendio ſibi à domino compenſare, modò nihil amplius ſumat, quàm id quod ſibi debitum erat ex pacto; quamobrem ſi liberè famulus, & non coactè cum domino pactus eſt decreto pretio pro mercede annuali, non poteſt vltra id aliquid amplius accipere, & non tenetur ad reſtitutionem exceſſus ſi id faciat, quamuis pretiũ non ſit ſufficiens, & alij famuli ſuæ conditionis maiorem mercedem apud alios dominos mereantur, modò dominus non coëgerit illum famulari in aliis officiis, de quibus non conuenerunt, in eo enim caſu tenetur dominus ſoluere vltra conuentum pactum id quod iuſtum fuerit pro ratione noui obſequij, ac laboris iniuncti: ita docent Toletus *lib.5. ſummæ, cap.15. num.7.* & Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.12. dub.10. num.63.* quod intelligendum eſt iuxta Leſſium, modò famulus preſſus neceſſitate pro exiguo admodum pretio, cum domino non conuenerit, eo quòd dominus amplius dare noluerit, tunc enim non eſt cenſendus ſponte, ac liberè cum domino conuenire, ſed inuitus, & coactus, vnde tenetur dominus ſupplere ſtipendium ad æqualitatem, ſicut tenetur emptor, qui ab aliquo neceſſitate compulſo, rem paruo, aut exiguo pretio, & infra infimum emit, quia inuitus vendidit, & non liberè. Si tamen liberè rem magni pretij paruo vendat, cenſebitur liberè dimittere maiorem valorem, & ideo illum non tenebitur reſtituere; quod adhuc intellige, ſi tali ſeruitio dominus egebat, vel ex eo magnum capiat emolumentum. nam ſi eo non egebat, ſed ſolùm ad preces ipſius famuli, vel alterius illum admiſit, meritò poteſt minus offerre, ac dare pro ſeruitio, quia merces vltroneæ, vt dici ſolet, minus valent, quod bene cum Leſſio citato notat Nauar. *in ſum. Lat c.17.n.19. & ſeqq.* quanto autem minoris infimo pretio emi poſſunt merces vltroneæ, non eſt facilè aſſignare. Mol. *tom.2. de iuſt. diſp.348. § quartò obſerua*, ait merces vltroneas vileſcere aliquando in tertia parte iuſti ſui pretij; hinc eſt, vt ait Nauar. *in ſum. Lat. cap.23. n.84.* quòd liceat minoris iuſto pretio aliquando aliquid emere, quando plurimi refert venditoris illud vendere, & emptoris parui emere, & pietate motus emit, vt cùm quis à paupere ſuam operã ſolo victu, quẽ ei præbet, emit, & cum Nauar. idem ſentit Sylueſt. *verb. emptio, q.7.* 5. (Tolet. Leſſius. Nauar. Molin. Nauar. Sylueſt.)

6. *Salarium quid regulari debeat, quando inter dominum & famulum*

Quãdo verò inter herum, & famulum pactum non eſt factum, ſed relictum eſt in domini voluntatẽ, tunc regulari debet ſtipẽdij merces iuxta eam ſummam, quam ordinariè ſolẽt alij famuli promereri pro ſimili famulatu, vt optimè notauit Tolet.

non eſt conuentum de pretio ſtipēdij. lib.5. ſumma cap.15.n.7. quod intelligendum eſt cum limitationibus præcedentibus, modò non magni referat famulo ſuas operas conducere, & parui domini in ſeruitium & famulatum accipere, vt patet.

7. *An furtum detur cùm furto tollitur perſona libera.* Nomine rei alienæ non veniunt perſonæ liberæ, vt notauit Leſſius citatus *dub.1.n.6.* & Molin. *tom 4.de iuſt. tract.11. diſp.684.n.7.* ille enim qui perſonam liberam furatur, non committit furtum, propriè loquendo, quia homo liber non habet dominum à quo poſſideatur, vt dicatur res aliena inuito domino ablata: committit autem plagium, ſeu crimen plagiatus, ſi illum furetur, vt vendat, vel habeat in mancipium, vt conſtat ex gloſſa *ad l. congruit ff. de officio præſidis, & ex l.1.3.4.& 6.ff.ad l.Fabiam de plagijs*; ſi verò fureris mancipium, vel ancillam alicuius, furtum erit, & contra te dabitur actio furti, quia dominos habēt, & res alienæ ſunt, modò non fureris, vt ad tempus illis abutaris, tunc enim raptus erit, vel ſtuprum, non furtum; nam illa ancilla ſecundùm vſum ſui corporis, nō ſubeſt dominio domini, nec fur quærit in ea id quod domini eſt, ſed id quod ipſius ancillæ eſt; contingere tamen poteſt tunc inferre damnum domino ancillæ, dum illum priuat illius ſeruitio, quod damnum tenetur in conſcientia reſtituere, tunc tamen non eſt formaliter furtum, vt ſuprà diximus, ſed damnificatio.

8. *In furto quid intelligatur per particulam inuito domino.* *Iniuſta, inuito domino*, hoc eſt doloſa, & iniurioſa domino. Vnde hæ particulæ *iniuſta, & doloſa, inuito domino*, in idem recidunt, ſi enim inuito domino fit, doloſa eſt, iniuſta & iniurioſa; at ſi iniurioſa eſt, inuito domino, rationabiliter fit. nam multoties dominus poterit eſſe inuitus, & te furtum non committere, ſi ab illo rem ſuam, in tuam compenſationem auferas, quamuis tunc non rem illius, ſed tuam auferas, tunc enim irrationabiliter eſt inuitus. *An Hebræi furtum commiſerint olim in Ægyptios.* Sic Ægyptij olim irrationabiliter inuiti fuerunt, cùm Hebræi clandeſtina acceptione eos ſuis bonis diſpoliauerunt, & tamen filij Iſraël furtum non commiſerunt, quia irrationabiliter fuerunt inuiti, tum quia iniuſtè erant captiui, & in iuſtiſſimam recompenſationem præſtiti laboris, & operarum, id clanculò fecerunt, tum quia Deus in pœnam iniuſtitiæ commiſſæ in Hebræos, Ægyptios bonis ſuis ſpoliare voluit, vnde poſt hanc diuinam ſententiam, quam Deus tanquam ſupremus iudex in Ægyptios tulit, Hebræi illam executioni mandarunt, Deo per Moyſem eam illis manifeſtante, vt notauit Tolet. *lib.5.ſum.c.15.n 4.*& D Thom. *2.2. q 66. art.5.ad 1.* Caiet. *ibi*, & communiter Thomiſtæ. vnde dicitur Sapientiæ 10. *Suſtulerunt ſpolia impiorum.* Conſentit Sotus *lib.5. de iuſt.q 3.art.2.verſ.inter argumenta.* Sic ſi Princeps ſubditum aliquem iuſtè & ſecūdùm iuris formam damnauerit ad amiſſionem ſuorum bonorum, & executionem ſententiæ alicui committeret iuſtè illam exequetur, etiam clancula acceptione, vt patet. Tolet. D.Thom. Caietan. Sotus.

9. *Multas ablationes excuſari à furto.* Itaque per huiuſmodi particulas *doloſa, iniuſta, inuito domino*, multæ ablationes à furto excuſātur.

Primò, cùm ablatio fit ioco, vidente & conſentiente domino, cùm enim dominus conſentit, non cenſetur inuitus, ablatio enim cùm eſt iocoſa, & officioſa ad reddendum amicum cautiorem, non eſt furtum, vt docet Tolet. *in ſum.lib.5.cap 15.n 4.* Petr. Nauar. *lib.3 reſt cap.1.n.20.*& addit Toletus, quamuis fiat inuito domino. Intellige, modò fiat animo reddendi eum cautiorem, & poſtea reddendæ rei acceptæ, quia tunc irrationabiliter eſt inuitus, cùm fiat eius vtilitatis cauſa. Tolet. P.Nauar.

Secundò, cùm fit in bonum finem, & conuertitur in vtilitatem illius, à quo aufertur: vnde non peccat, nec furtum committit quis, cum ab amente, ebrio, & furioſo gladiū furatur, ne illo aliquem percutiat, & vendit, & in vtilitatem illius conuertit nam ſi tunc ebrius, vel furioſus eſt inuitus, irrationabiliter eſt inuitus. Sic non furatur vxor, quæ ſecretò à marito pecunias aufert, ne profundat in ludis, & comeſſationibus, ſi illas in vſum propriæ familiæ conuertat; nec peccat, qui vinum effundit, dum bibitur, ne alius inebrietur; nec qui chartas luſorias rumpit, ne cum peccato aliqui ludant, ita docet Toletus *lib.5.ſummæ cap.15.num.4.* Syluester *verb. furtum, §.15. num.15.*& Nauar. *in ſumma Lat.cap.17.num.6.* 10. Syluest. Tolet. Nauar.

Tertiò, cùm fit in extrema, aut quaſi extrema neceſſitate vitæ, aut in eius periculo probabili, tūc enim ſi ſecretò ab aliquo accipiat, id quod ſibi neceſſarium eſt, non eſt furtum, quamuis inuitus ſit dominus rei, quia irrationabiliter eſt inuitus, non enim facit contra iuſtitiam, maximè cùm dominus ſcit illius neceſſitatem, & non ſubuenit; at hoc non licet in quacunque neceſſitate, ſed in extrema, aut quaſi extrema, vt diximus *in 4.præcept.lib.4.cap.2. n 3* & dicemus infrà in hoc præcepto *c.26.* ita docet Tolet. *lib.5.ſum.c.15.n.3.* D.Th. *2.2.q.66.art.7. ad 2.ibi, Dicendum, quòd vti re aliena in caſu extremæ neceſſitatis non habet rationem furti, propriè loquendo, quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod aliquis accipit ad ſuſtentandā propriam vitam:* Nauar. *cap.17.n.118.*& alij, imò non pro ſe ſolùm, ſed etiam pro alio, qui eſt in eadē neceſſitate, poteſt quiſque ſine aliquo peccato accipere, ſi de ſuo non habet, nec aliter extremè, aut quaſi extremè egenti ſuccurrere poteſt, vt docet idem Nauar. & expreſsè colligitur ex verbis D. Th. quia de proprio ipſius indigentis ei ſubuenit, *ibi ad 3. Ad tertium dicendum quòd in caſu extremæ neceſſitatis poteſt aliquis occultè rem alienam accipere vt ſubueniat proximo etiam indigenti.* Hæc D.Th. ſed hanc materiam, & an redeunte poſtea meliori fortuna, teneatur extremè, aut quaſi extremè indigens, reſtituere id quod in ea extrema neceſſitate accipit, latius infrà ſuo loco *cap.26.* diſputabimus. 11. Tolet. D.Thom.

12. *Furtum ex genere ſuo, quod committitur contra proximum, eſt mortale, niſi paruitas materiæ excuſet.* Furtum autem ex genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale iuxta omnes authores, ratione tamen paruitatis materiæ veniale eſſe poterit; & ex obiecto ſuo eſt minimum peccatum, quod contra proximos committi poteſt, quia bona fortunæ ſunt minima, & infima inter omnia bona hominis, ratione tamen circumſtantiarum grauiſſimum peccatum eſſe poteſt: ita communiter DD. D.Th. *2.2.q.66. art.5.& 6.* Nauar. *in ſum.Lat cap.17.num.3.* Leſſius *tom.1.de iuſt.lib.2. c.12.dub.6.n.27.* Rod. *in ſumm. c.146.n.2.* D.Ant. *2.p.tit.4.cap.5.§.7.& 8.* quòd ſit peccatum, patet, quia eſt contra iuſtitiam, & contra ſeptimum præceptum. Quòd autem ex genere ſuo ſit mortale, patet ex 1. ad Corinth. *Neque fures regnum Dei poſſidebunt*; & ratio eſt, quia ex ſua ratione eſt contrarium charitati Dei, & proximi, per furtum enim proximo damnum inferimus magnum, vel paruum, iuxta furti quantitatem. Nec refert quòd grauiùs, & ſeueriùs in Republica furtum puniatur, vt inde inferamus peccatum furti grauius eſſe peccatū cæteris peccatis, quæ in proximum committuntur; punitur enim ſeueriùs, non quòd grauiùs peccatum ſit, ſed quòd magis pacem ciuium, & Reipublicæ perturbet, & hominū commercia, ac ſocietatem offendat, ſpectat autē ad officiū Principis ea delicta ſeueriùs in Republica caſtigare, D.Thom. Nauar. Leſſius. Rodrig. D. Anton.

gate, quæ magis Reipublicæ pacem perturbant.

13. *An furtum magnum & paruum differant ſpecie.*

Furtum magnum, & paruum, non diſtinguuntur ſpecie in genere furti, diſtinguuntur tamen in genere moris ſpiritualis, quia furtum magnum attingit peccatum mortale, & priuat vita æterna; furtum autem exiguum non attingit, & ideo non priuat vita æterna, ſed diſponit ad hanc priuationem. Circunſtantia autem, quæ facit mortalem actum, ſine qua ille talis non eſſet, mutat ſpeciem in genere moris, vt bene probat Nauar. *in ſumm. Lat. c. 17. n 3. in fine, & initio ſummæ prælud. 9. n. 6.*

Nauar.

14. *Differt ſpecie à rapina.*

Differt tamen furtum à rapina ſpecie, vt communiter animaduertunt DD. D. Thom. 2. 2. *q. 66. art.* 4. Caiet. *ibi* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap.* 12. *dub. 1. n. 6.* & Iuriſperiti ac conſulti ad *l. 1. & ſeq. ff. ad l. Iulian de vi publica, & ad l. 2. §. 1. & ſeqq. ff. de vi bonor. raptor.* Molin. *tom 4. diſp.* 683. & 684. Rapina enim, vt talis ſit, & diſtinctam ſpeciem à furto inducat, duo requirit. Primò ſcientiam, ſecundò actualem violentiam illatam domino; furtum autem neutrum horum requirit, ſufficit enim quòd ignotante domino aliquid fureris, vt furtum ſit, & ideo ſemper continet rapina nouam deformitatem, & nouam iniuriæ rationem, & grauius peccatum eſt, quàm furtum, cæteris paribus, & in confeſſione neceſſariò explicanda eſt illa circunſtantia violentiæ, quia mutat ſpeciem peccati, aliter enim eſt inuoluntarium illud, quod quis ignorans patitur; aliud illud, quod ſciens, ac reſiſtens, vt docet D. Thom. 2. 2 *q. 66. art. 9.* vnde rapina eſt grauius peccatum, quàm furtum, non ſolùm ratione inuoluntarij ſed etiam iniurioſæ acceptionis. Nam in furto datur inuoluntarium per ignorantiã, in rapina autẽ datur inuoluntariũ per violentiam: magis autem eſt inuolũtarium id, quod fit per violentiam, quàm id quod fit per ignorantiam, quia violentia directiùs opponitur voluntati, & aliunde accedit ratio ignominiæ, per rapinam enim non ſolùm infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam iniuria perſonæ, vt patet.

D Thom. Leſſius. Molin.

15. *Quæ quantitas ſufficiat ad culpã mortalem*

Quæ autem quantitas ad mortalẽ culpam ſufficiat, non eſt facile aſſignare: nam Nauar. *in ſumm. Lat. c 17. n. 4* exiſtimat ſummam duorum regalium, aut vnius, & dimidij eſſe peccatum mortale, & addit, *Ne damnarem illum qui teneret ſummam duorum regalium, & dimidium peccatum eſſe mortale*, cum Nauarro conſentit Cordub. *in ſum. Hiſpanica, q.* 109 Emanuel Rod *in ſum. c* 149. *n. 6.* exiſtimat communiter loquendo inter homines communes quatuor, vel quinque regales mortalẽ quãtitatem efficere, inter pauperes autem vnum, aut duos regales; ita enim ille ibi fol. mihi 479 col. 2 *Y anſi en la gente commun quatro, o cinco reales es ſufficiente quantidad ſiurtandoſe para conſtituir peccado mortal y a los pobres vno o dos reales*, & citat pro ſe Arag. 2. 2. *q* 49. *art. vlt. prope finem*, hanc opinionem ſequitur Toletus *lib. 5. ſummæ c. 16.* ait enim quantitatem vnius, vel duorum Iuliorum à quocumque etiam diti furari eſſe peccatum (Iulius autem Italè, idem penè eſt, ac regalis Hiſpanè) Alij melius iudicant id arbitrio prudentis viri relinquendam eſſe, qui attentis, & conſideratis locis, & perſonis magis, vel minus pecunioſis iudicabit, quæ ſit, vel non ſit quantitas notabilis, vt furtum verè dici poſſit crimen mortale, ita Couar. *lib. 1. var. cap. 3 n. 12. verſ. cæterùm magis*, Syluester *verb. furtum, q* 2. & Ioann. Med. *de contractib. q. 10. ad finem.* Fundamentum priorum eſſe poteſt, quia in multis Epiſcopatibus habetur in conſtitutionibus, ne pro minori quantitate duorum regalium excõmunicatio feratur, & alioqui non valeat; excommunicatio autem non niſi ob mortale ferri poteſt. Verùm hæc ratio valde infirma eſt.

Nauar. Rodrig. Couar. Syluest. Med.

Primò, quia ibi non ſtatuitur, quæ quantitas ſit mortalis, nec iubetur, vt pro illa quantitate feratur excommunicatio, ſed tantùm dicitur ne feratur pro minori, & vna negatiua, qualis iſta eſt, non detur excommunicatio pro minori quantitate duorum regalium: infertur alia affirmatiua, qualis eſt; ergo ferri poteſt pro duobus regalibus.

Secundò, quia poſt Concilium Trid. *ſeſſ. 25. de reform c* 3. pro tam exigua quantitate excommunicatio ferri non poteſt; præcipitur enim *ibi* Epiſcopis, ne ob rem vulgarem, & leuem excommunicationes ferantur, ne vileſcant, vt optimè notat Petr. Nauar. *lib. 3. de reſt. cap. 1. n.* 37. nam prædictæ conſtitutiones, vt aſſerit idem Petrus Nauarra, oſtendunt quod non eſt faciendum, non iubent vt pro illa quantitate fiat. P. Naua

Alij in eo fundari poſſunt, quia *Inſt. de rerum diuiſ. § gallinarũ; & l. ſi oleum, ff. de dolo*, datur actio furti, & pœna flagellationis ſtatuitur pro furto vnius gallinæ, & iniuſta eſſet tam grauis pœna, niſi furtum vnius gallinæ peccatum eſſet mortale: vna autem gallina hodie duobus regalibus, aut duobus ſupra dimidium valet, & fortaſſe tũc cùm hæc lex condita fuit multo minori pretio valebat. Verùm hoc etiam fundamentum nihil probat. 16

Primò, quia ibi ſermo eſt de fure nocturno, & præſumitur acceſſiſſe animo furandi maiora, vt docet Couar. allegatus, & refertur *in c. fin. 14. q. 6.* pœna enim furti *ibi* non tam ex quantitate, quàm ex affectu furantis ſtatuitur ad cohibendos fures nocturnos.

Secundò, quia, vt notat Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 3. art. 3. ad* 3. ibi non dicitur, vt furtum vnius gallinæ puniatur, ſed gallinarum, & anſerum, vbi maior quantitas requiritur.

Tertiò, quia ibi ſolùm dicitur, quòd ſi anſeres, & gallinæ turbatæ aduolarint, & alius animo rapiendi detineat, furtum ſit, & detur actio furti contra illum, in quo ſolùm declaratur natura furti, quæ eſt retentio alieni, & non declaratur, quæ quantitas mortalis ſit, nec etiam declaratur quòd ob furtum vnius gallinæ poſſit homo virgis à tergo cædi, vt optimè animaduertit Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. num.* 38. Vides ergo quanta ſit varietas authorum in hac quantitate aſſignanda. Ne tamen te in ambiguo relinquamus,

17 *In furto quid neceſſariò intẽdi debeat.*

Notabis in primis cum Couarruuia, Syluestro, & Medina allegatis, & cum Roderico item citato *n. 5.* ad hanc quantitatem mortalem in furto aſſignandam, neceſſariò attendendum eſſe ad loca, vrbes, & perſonas magis, vel minus pecunioſas, & diuites, vnde magis æſtimatio huius quantitatis pendet ex arbitrio prudentis, attentis, & conſideratis his circunſtantiis, quàm ex certa regula, quæ hîc dati poſſit; nam quòd reſpectu vnius vrbis, & hominis cenſetur res, & quantitas notabilis, non erit talis reſpectu alterius, & quod vni viro prudenti, & docto videri poteſt res notabilis, non ita videbitur reſpectu alterius; quare in hac materia tot ſunt ſententiæ, tot arbitria, quot capita, quot authores. Et ideo Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 20. n. 5.* aſſerit generaliter in Hiſpania, eo quòd regio ſit ditior, quatuor argenteos, hoc eſt, vingenas octo eſſe quantitatem mortalem, & id ipſum aſſerit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 8 cap. 6. n.* 10. Sanchez Suar.

18 *Quæ ſit quantitas m…*

Prima concluſio hodie reſpectu Regum, Principum, ac Prælatorum locupletiſſimorum, & ditiſſi

Reſp̄ectu Regū, Prælatorum, & in minum ditiſſ.morum. ditiſſimorum hominum, duorum, aut trium ducatorum ſumma ex obiecto ſuo, & ſeclula volũtate, qua velint id condonare, & ratum habere, & ſecluſis aliis circunſtãtiis, lucri ceſſantis, & damni emergentis, videtur eſſe quantitas mortalis; ita docet expreſsè *Roderic.* Roder. *in ſum.c.*149. *n.*6. *fol. mihi* 4 . &c. *Sotus.* Sotus *lib.*5. *de iuſt. & iure q.*2. *art.*3. eſt etiam de mente *Rebell.* Rebelli 1. *p. de oblig. iuſt. lib.*3. *q.*15. *ſect.*1. § *ſecunda concluſio*, & *Leſſius.* Leſſij *tom.*1. *de iuſt. lib.*2. *c.*12. *dub.*6. *n.*29 & *P Nauar.* Petri Nauarræ *lib.*3 *de reſt. c.*1. *n.*35. & *Couar.* Couar. *lib.*1. *var. cap.*3. *n.*12. & *Syluester.* Syluestri *verb. Furtum, quæſt.*2. & *Medin.* Medinæ *q.*10. quatenus dicunt hoc magis pendere ex arbitrio prudentis, quàm ex certa regula, quæ in hoc negotio dari poſſit Ratio eſt, quia reſpectu harum perſonarum hæc quantitas ex obiecto ſuo, & in ſe conſiderata, eſt bonum notabile, nam quamuis reſpectu liberalitatis regiæ, & regalium reddituum videatur exigua, tamen in ſe ſpectata, & reſpectu aliarum obligationum ipſius Regis, Prælati, Principis, & hominis ditiſſimi eſt notabile bonum, & videtur magna, & pro illo ſtipendio inſeruit famulus, aut miles dimidio vnius menſis Vide quæ dicemus *c.*10. *n.*3. vbi neceſſariò hac de re iterum redibit ſermo.

Soar. *Maior.* Probabile tamen eſt arbitrium Soarij *tom.*3. *de relig. lib.*8. *c.*6 *n.* 10 & Maior. *in* 4. *diſt.*15. *q.*25. *col.*1. qui aſſerunt reſpectu harum perſonarũ quantitatem vnius aurei eſſe mortalem: at quamuis hæc quantitas huius authoris tempore viſa fuerit mortalis arbitrio illius, fortaſſis nõ ita erit hoc tempore, propter rerum carentiam, & pecuniæ abundantiam, creſcunt enim rerum pretia, & vileſcunt pecuniæ ſucceſſu temporis, & intra pauciſſimos annos mirabilem hanc mutationem vidimus. Ego tamen tuli meum arbitrium, tuum libenter, ſi melius fuerit, ſecuturus.

19. *Quæ reſpectu hominis mediocriter pecunioſi abſtrahendo à loco.* Secunda cõcluſio. Reſpectu hominum mediocriter diuitum quatuor argentei videntur conſtituere quantitatem mortalem, in furto; aut ad ſummum, abſolutè loquẽdo, & à quolibet loco, & perſona abſtrahendo quatuor argenteos ſupra dimidium. Probatur, quia hæc quantitas reſpectu harũ perſonarum non ita exigua videtur, & in ſe conſiderata, eſt notabilis, ſufficit enim ad alimentum, & ſuſtentationem vnius hominis mediocris fortunæ pro vno die, quæ eſt melior regula, quę in hoc negotio aſſignari poteſt hæc concluſio habet pro ſe authoritatem illorum Doctorum, quos citauimus *n.*18. quatenus dicunt totum hoc negotium pendere ex arbitrio hominũ prudentum, & de quantitate quatuor argenteorũ, id expreſsè docet *Sanchez.* Sanch. *tom.*2. *Decal. lib.*7 *c* 20. *n.*5. & *Soar.* Soar. *tom.*3. *de relig. lib.*8. *c.*6. *n.*10. Et fundamentum Soarij eſt, quia ſi quis votum faceret de dandis quatuor argenteis pro eleemoſyna, iudicio prudentum, votum frangeret, niſi illos dederit, & mortaliter peccabit in voto; ergo etiam in furto, cùm eadem ſit ratio.

Quæ reſpectu pauperum abſtrahendo etiam à loco. Tertia concluſio. Reſpectu pauperũ abſtrahendo etiam à locis, & circunſtantiis quantitas centũ dipondiorum, vel ad ſummum quantitas centum dipondiorum ſupra viginti, videtur eſſe mortalis. Probatur, quia etiam hæc quantitas reſpectu harũ perſonarum videtur eſſe cõſiderabilis, & quia hoc ſufficit ad alendum & ſuſtentandum mediocriter pro vno die pauperem hominem, non enim hæc regula ſuſtentationis vnius hominis tam ſtrictè accipienda eſt, vt pro miſerrima ſuſtentatione accipienda ſit, nec tam latè, vt pro lauta, aut lautiſſima, ſed pro mediocri, & ita docet *Rodrig.* Rodrig. *in ſumma c.*149. *n.*6. *fol.*474. *col.*2. *Arag.* Arag. 2.2 *q.*94. *art. vlt.* & Nauar. *in ſumm. Lat. cap.*17 *n.*4. & alij, qui dicunt quantitatem duorum denariorum, ſeu regalium eſſe mortalem, nam bene poſſumus addere duorum regalium, & dimidium, cùm rerum pretia modò multo magis ſint aucta.

Quarta concluſio. Si attendamus ad loca, & 20. *Quæ Oliſipone, Hiſpali, &c.* vrbes magis, & minus pecunioſas, & vbi res viliùs, aut cariùs emuntur, ſecluſa volũtate præſumptiua dominorum, qua contenti ſint, & ſecluſis aliis circunſtantiis lucri ceſſantis, & damni emergentis (de quibus in capite ſequẽti dicam) probabile eſt Oliſipone, Hiſpali, Pariſiis, Venetiis, Lugduni, Romæ, & aliis locis valde pecunioſis quantitatem quatuor, aut quinque regalium, ſeu denariorum eſſe mortalem in furto, reſpectu etiam hominum mediocriter diuitum. hæc videtur eſſe Sancij & Suarij in ſecũda cõcluſione allegati quatenus abſolutè dicunt quatuor argenteos eſſe mortale, & ideo nos vnum addimus propter augmentum pretij alimẽtorum, in his locis, & pecuniæ abundantiam. In aliis verò locis mediocriter pecunioſis quãtitatem trium regalium, & ad ſummum trium regalium ſupra dimidium plus minúſve. In Braſilia autem, aut in Indiis occidentalibus, vbi abũdant pecuniæ, & res magno conſtant, mortalis erit quantitas vingenarum, ſeu Iuliorum quindecim. quia in his regionibus alimenta omnia præter tantummodo bubulam exceſſiuo pretio venduntur, & vix hęc quãtitas ad ſuſtentationem vnius hominis mediocris ſufficit. Hæc etiam concluſio eſt de mẽte Rebel. 1. *Rebel.* *p. de oblig. iuſtitiæ, lib.*3. *ſect.*1 § *ſecunda concluſio*, & de mente Leſſij *tom.* 1 *de iuſt. lib.*2. *c* 12. *dub.*6. *n.*29. *Leſſij.* & P Nauar *lib.*3. *de iuſt. cap.*1. *n.*35. quatenus aſſe- *P. Nauar.* runt hoc magis pendere ex arbitrio prudẽtis, quàm ex certa regula, & ratione, quæ in hoc negotio dari poſſit, eſt etiam omnium quos citauimus *n.*18. vnde non placet Lud. Lop. *inſtr conſcientiæ*, 1. *part.* *Lopez.* *c.*91. nec Rodrig. *in ſum. c* 59. *n.*5 *fol. mihi* 474. *col.*1. *Rodrig.* quatenus aſſerunt quantitatem duorum regalium in Indiis occidẽtalibus & noua Hiſpania eſſe peccatum mortale, reſpectu hominis mediocriter diuitis. & fundamentum illorum eſt, quia hæc quantitas ſufficit ad ſuſtentationem vnius hominis pauperis in huiuſmodi partibus pro vno die; quod fundamentum debile quidem videtur, cùm hoc (vt dixi) regulari non debeat pro valore alimenti vnius hominis miſeri pro vno die, nec pro alimento hominis nobilis, & pecunioſi, ſed pro alimento hominis fortunæ mediocris, & hæc quantitas in huiuſmodi partibus pro alimẽto illius nõ ſufficiat.

Sed quid ſi ex his quantitatibus ſuprà aſſigna- 21. tis aliquid minus deficiat, v. c. quatuor, vel quin- *Quid ſi ex quantitate ad m. aliquid minus deficiat.* que quadrantes Reſpondeo cenſeri etiam mortale, primò, quia, quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur: ſecundò, quia huiuſmodi quantitates non ſunt mathematicè, ſed moraliter accipiendæ, id eſt, plus minúſve, vt optimè docet Leſſius *tom.*2. *de iuſt. lib.*2. *cap.*12. *dub.*6. *num.*32.

Capvt II.

Utrùm ex aliqua circunſtantia res parua poſſit eſſe mortalis in furto, & res magna venialis.

SVMMARIVM.

Proponitur doctrinæ explicandæ ordo. num. 1.

Res parua ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis furto ablata poteſt eſſe mortalis, vt ſi furto auferatur acum à ſartore. num. 2.

Si

Si feratur tunc excommunicatio pro furto, fur non comprehendetur in illa, ſecus ſi pro furto, & damno ſimul. num. 3.

Furans rem minimam peccat mort. contra charitatem, ſi credat dominum illius in periuria, & blaſphemias proruptarum. num. 4.

An maneat obnoxius reſtitutioni ſi dum modicum furatur, credat dominum alium occiſurum, & de facto occidat, putans eum rem furto à ſe abſtuliſſe, proponitur opinio affirmans. num. 5.

Aſtruitur negatiua. num. 6.

Explicatur, & ſoluitur fundamentum primæ opinionis. num. 7.

An peccet mort. qui rem paruam ab alio furto aufert, quam ſcit ab eo magni æſtimari, & ob id ingenti pœna affici. num. 8.

Quid ſi furto rei paruæ ſacrilegium adiungatur, & qui ſi agnum cereum fureris, vt ex eo candelam efficias. num. 9.

An furari in Eccleſia rem non ſacram, ſit ſacrilegium, & quid ſi res non ſit Eccleſiæ, nec Eccleſia de illa teneatur, & quid ſi teneatur. num. 10.

Quid requiratur de iure ciuili, vt furtum ſit ſacrilegium. num. 11.

Tam miſera poteſt eſſe perſona, vt furtum minimum illi factum ſit mortale. num. 12.

Ex qua circunſtantia furtum rei magnæ, non ſit mortale. num. 13.

1. HACTENVS ſtatuimus, quæ quantitas in ſe conſiderata, & ſecluſis externis circunſtantiis ſit mortalis: nunc videndum eſt, an ex aliqua circunſtantia externa res parua, & perexigua poſſit eſſe peccatum mortale in eadem, vel in alia peccati ſpecie; & multæ venire poſſunt in conſiderationem.

Prima eſt circunſtantia lucri ceſſantis, & damni emergentis.

Secunda eſt miſeria hominis, à quo res furatur.

Tertia eſt moleſtia.

Quarta eſt ſacrilegium.

Quinta eſt violentia.

2. *Ex circunſtātia lucri ceſſantis, & damni emergentis. Prima concluſio.*

Statuo primò, quamuis res, quæ furto aufertur, in ſe conſiderata, non ſit quantitas peccati mortalis, neque illam attingat; tamen ratione circunſtantiæ lucri ceſſantis, & damni emergentis, mortale eſſe poteſt, quāuis ſit minima, v. c. ſi acum à ſartore, & ſetas à ſutore furto auferas, modò ſcias eos non habere alia inſtrumenta, quibus poſſint operari; ſecus ſi bona fide credas, eos alia habere, & teneris ad reſtitutionem tam rei ablatæ, quàm lucri ceſſantis, & damni emergentis, non eſt tamen hoc peccatum mortale in genere furti formaliter, ſed in genere damnificationis iniuſtæ, quæ furtum materiale dici poteſt: eſt communis hæc ſentētia, ita docet Soarius *tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 6. n. 16.* Toletus *lib. 5. ſumma cap. 6. num. 2.* Petrus Nauar. *lib. 3. de reſt. cap. 1. n. 33. §. tertia ſententia, & n. 42. § quarta dubitatio*, & Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. c. 12. de iniuriis fortun. dub. 12. n. 33.* Nauar *in ſum. Lat. c. 17. n. 3. lit. C. verſ. ex quibus infertur.* Sanch. *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 20. num. 5.* Probatur, quia quamuis res ſit minima, tamen damnum inde ſecutum fuit magnum, & reuera fuiſti cauſa efficax talis damni, & qui alteri eſt cauſa iniuſta efficax damni grauis, tenetur illud reſarcire, iuxta *cap. ſi culpa tua, de iniuriis & damno dato.* Non teneris tamen ad reſtitutionem damni, ſi bona fide credebas eos habere alia inſtrumenta; quia damnum nullo modo fuit à te præuiſum, nec intendebas illud inferre, ac proinde cenſetur tunc per accidens & fortuitò euenire, & quia ordinariè ſolent illi habere alia inſtrumenta, vnde ordinariè à reſtitutione excuſaberis, niſi fortè eſſet in aliquo deſerto loco, vbi moraliter præſumatur eos opifices non habere alia, quibus poſſint operari.

Soarius. Tolet. P.Nauar. Leſſius. Nauar. Sanch.

Hæc procedunt in foro conſcientiæ, nam in foro contentioſo habebit ille actionem contra te de damno dato, & poſt ſententiam tenebèris etiam in conſcientia illud reſtituere, patet *ex l. in legem. ff. ad l. Aquil.* Vnde ſequitur ſi feratur excommunicatio à ſartore, vel à ſutore, pro furto in illa non comprehendi illum, qui tale furtū fecit. Ratio eſt, quia aliud eſt furtum, aliud damnum ex furto ſecutū, vnde cùm furtum non fuerit mortale, expers erit excommunicationis, excommunicatio enim non poteſt ferri, niſi pro mortali: ſi tamen excomunicatio feratur pro damno tantùm, aut pro damno, & furto ſimul, verè comprehendetur in illa, ſi dānum fuit præuiſum non qua fur, ſed qua damnificator; ita docet Nauar. *lib. 3. c. 27. n. 3.* Stephan. de Auila *in comp. Nauarri verb. excom. 2. lit. A.* Petr. Nauar. *lib. 3. cap. 1. n. 43.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub. 6. n. 34.* & Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 2. art. 3* Rebellus *ſuprà*, citatus, & alij. 3.

Nauar. Auila. P.Nauar. Sotus. Rebell.

4. *De miſeria hominis à quo res furatur. Secunda concluſio.*

Statuo ſecundò, ſi is qui furatur rem minimam, cognoſcit probabiliter dominum illius ob iracundiam proruptarum in maximas blaſphemias, periuria, aut alia peccata mortalia, quamuis ſolo ioco, modicum, v. c. calamum furetur, peccat lethaliter, non contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, patet, quia tenemur ex charitate vitare peccata mortalia in proximis, quandō id commodè, & ſine magno detrimento noſtro facere poſſumus, vt in re præſenti poſſumus, imò erit etiam peccatum ſcandali, quia ſine cauſa offendiculum ſumus aliis, & cauſa peccandi. Sic Tolet. *lib. 5. ſum. cap. 16. n. 2. § ſecundo.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. c. 12 de iniur. fortun. dub. 6. n. 33.* Filliuc. *tom. 2. tract. 31. de iuſt. & iure, cap. 10. n. 24.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 3.* & alij. Si autem ignorabat eum proruptarum in talia peccata, non peccat niſi venialiter in materia furti, licèt poſtea prorūpit in illa, vt dicemus etiā *n. 12 ad fin.*

Tolet. Leſſius. Filliuc. Sotus.

5. *Si dominus rei ob iracundiam rei furatæ alium occidat, credens illum fuiſſe latronem, an fur teneatur tūc ad reſtitutionem homicidij.*

Sed dubium hîc oritur, an furto auferens tunc maneat obnoxius reſtitutioni, ſi dum modicum furatur, v. c. calamum credat dominum illius ex vehementi iracundia commotum alium occiſurū, & de facto occidat, putans eum eſſe illius furem: & vt breuiter reſpondeam dico ſic; vel quando rem minimam per iocum furto abſtulit, ea intentione fecit, vt ille arrepta inde occaſione alium occideret, vel non fecit, animaduertit tamen potuiſſe inde probabiliter tale homicidium ſequi, & noluit à furto abſtinere; ſi animaduertit, non tamē voluit abſtinere, nec eā intētione furtum fecit, vt ille aliū occideret, ſunt aliqui, qui dicunt, eum teneri ad reſtitutionem ex homicidio ſecuto, & à fortiori idē dicent, ſi animaduertit, & ea intentione fecit, & hi ſunt Conrad. *p. 1. q. 118. in add.* Lazar. Papienſ. *lib. 5. var. canon. quæſt. ſect. 3. q. 1. n. 12. fine* Et omnes, qui dicunt eum, qui Petrū occidit in ea occaſione, qua ſcit homicidiū tribuēdū eſſe Paulo, teneri Paulo de damno illi inde ſecuto, qui caſus noſtro eſt omnino ſimilis, & hi ſunt Sot. *lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 4.* citatus à Leſſio ſtatim allegādo Caiet. *2. 2. q. 62. art. 2.* Cord. *lib. 1 q. 31. art. 3.* & videtur fauere D. Th. *2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.* dum aſſerit teneri ad reſtitutionem beneficij illum, qui de facto alterū à cōſequutione illius malo animo impediuit, ſi firmiter illud erat adeptarus. Vnde formatur ratio in hunc modum.

Contrad. Papienſ. Sotus. Caiet. Gord. D.Thom.

Actus malo animo factus includi aliquando obligationem reſtitutionis, quam non includeret ſi bono animo, & intentione fieret, vt cernitur ex ſententia D. Thomæ in eo qui malitioſè impedit alium à conſecutione beneficij; ergò etiam in noſtro caſu actus furti malo animo facti, in ea circunſtantia, vt dominus rei ob iram conceptam ex re furata alium occidat, putans illum ſibi rem furto abſtuliſſe, ſecuta occiſione, tenebitur ad reſtitutionem homicidij, licèt alioqui ad illam non teneretur, ſi abſque tali animo, & intentione furatus fuiſſet. Eſt valde probabilis iſta ſententia.

6. *Reſolutio quæſtionis ac dubij.* Dicendum tamen eſt non teneri ad reſtitutionem, licèt eo animo, & intentione rem modicam, imò & magnam furto auferat, vt dominus illius alium occidat, & de facto occidat; eſt enim hìc duplex peccatum; alterum furti reſpectu domini rei furatæ contra iuſtitiam, mortale, vel veniale pro quantitate rei furatæ: alterum odij, & peruerſæ intentionis contra charitatem reſpectu occiſi; nam actio furandi ex ſua natura non eſt actio occiſiua, & illatiua damni mortis alicuius tertij, & aliunde prauus animus, & intentio homicidij alterius penes te manſit, & fuit tantùm interna, neque enim illam domino rei furatæ manifeſtaſti, neque tale homicidium fieri mandaſti; vnde non teneberis ad reſtitutionem, quia intẽtio & prauus animus non prorupit in opus externum occiſionis, neque in actionem occiſiuam, ſed furtiuam. Actio autem furti ex ſua natura non eſt talis, vt ex ea ſequatur mors alterius diuerſi à domino rei furatæ, & ideo quotieſcumque actio exterior ex ſua natura, & de ſe non eſt talis, vt ex illa ordinariè ſequatur damnum alteri, parum refert, vt illam facias animo, & intentione, vt malum, & damnum illi obueniat, ac ſequatur: vnde cùm tua actio furandi ex natura ſua non inferat damnum mortis tertio, non incurres obligationem reſtitutionis ex homicidio, ſi Petrus occidat Paulum ob furtum quod contra Petrum commiſiſti eo animo, & in ea occaſione, vt ille Paulum occideret, putans illum reuera furem fuiſſe; & pro hac opinione poſſumus citare
Leſſius. Leſſium *lib.2. tom.1. de iniurijs in corpus proximi, cap 9. dub.16. num.* 113 &
Nauar. Nauar. *cap.17. num.71.* quatenus dicunt eum qui occidit Petrum in ea occaſione, & eo animo, & intentione deprauata, vt ea mors Paulo imputetur, non teneri ad reſtitutionem Paulo faciendam, etiamſi de factò ea illi imputetur, & ob id damnum magnum patiatur, qui caſus noſtro eſt omnino ſimilis, vt patet, & pro hac opinione citare etiam poſſumus omnes qui dicunt ex peccato
Toler. contra charitatem commiſſo, non reſultare aliquam obligationem reſtitutionis; & hi ſunt To-
Nauar. letus *lib.5. ſummæ cap. 19. initio.* Nauarrus *in manuali Lat. cap.17.n.71.& in Apologet. quæſt. 2. mo-*
Adrian. *nitione* 4. Adrian. *in 4. de reſt. quæſt.* 10. & alij quos citat, ac ſequitur Toletus allegatus.

7. Quare ſi nemo tenetur ad reſtitutionem, quando furatur aliquid ea intentione, vt dominus rei furatæ alium occidat, motus iracundia, putans eum illam furto à ſe abſtuliſſe, vt hactenus probauimus; à fortiori non tenebitur ad illam ſi abſque tali animo, & intentione rem furetur, etiamſi prǽuideat, dominum rei poſſe inde in homicidium prorumpere.

Nec fundamentum primæ opinionis multum vrget, nam prauus animus, & damnata intentio licèt faciat actionem illicitam, non tamen facit iniuſtam in ordine ad talem occiſionem. Ratio verò D. Thomæ ſolum probat teneri eum, qui vi, & fraude aliquem impedit ab obtentione beneficij, ei facere reſtitutionem pro valore ſpei magis, vel minus certæ, ac firmæ, quam habet fundatam in voluntate alterius, quia vnuſquiſque ius habet iuſtitiæ, vt per vim & fraudem non impediatur à tali conſecutione, non tamen probat eum, qui malo animo, & intentione illum ab eadem conſecutione impedit, diuertendo volentem conferre, ne conferat, diuertendo, inquam, ex odio, ſed bonis rationibus, & fundamentis, teneri ad reſtitutionem, quod erat omnino neceſſarium vt probaret.

Statuo tertiò. Probabile eſt mortaliter peccare illum, qui rem paruam ab alio furto aufert, quam ſcit magni ab eo pendi, & ob id maximo animi angore, & pœna efficiendum, non tamen proruptúrum in blaſphemias, aut alia mortalia; exemplum eſt de eo, qui furatur malum ſydonium à domino ex arbore, quam ipſe ſuis manibus plantauit, & inſeruit. Probabilius tamen eſt non eſſe mortale, quantumuis dominus id ægrè ferat; quòd ſit mortale, docet Nauarrus *cap.17. num.2. §. ſecundò qui furatur, & § ex quibus infertur.* & Rebellus 1 *part. lib.3 quæſt.15. ſect.2. num.*8 & Petr. Nauar. *lib.3 de reſt. cap.1. n.*48. Sotus *lib.5. de iuſt. quæſt.3. art.5. verſ. Adiecit autem;* D. Thom. & Syl-ueſter *verb. furtum. quæſt.*2. non peccat autem tunc mortaliter contra furtum, ſed ſolùm contra charitatem; nam contra furtum ſolum peccatum poteſt eſſe veniale ratione paruitatis materiæ, vt patet. 8. *De moleſtia. Tertia concluſio.* Nauar. Rebell. P. Nauarra. Sotus. D. Thom.

Quòd non ſit mortale, docet Caietanus 2. 2. *quæſt.66. art.6.* & id ſupponit tanquam verum D. Thom. *ibi ad* 3. & docetur etiam à Nauar. *in ſumma Lat. cap.17. § quinimò dicimus, ad finem num.2.* Ratio eſt, quia irrationabilis eſt dominus iam grauiter ferendo rem tam leuem; & quia furans rationabiliter poteſt præſumere id non tam moleſtè ab eo eſſe ferendum, cùm de minimis prudentes homines non multum curent.

Statuo quartò, ſi furto rei paruæ mortale ſacrilegium adiungatur, ratione adiectionis ſacrilegij mortale erit, non ratione furti, v.c. ſi fureris modicum olei ſancti Chriſmatis abſque contemptu, vt infundas in tuam lucernam ad te illuminandum, vel ſi furto auferas agnum è ſacra cera, vt inde candelam efformes ad ſtudium, reuera mortale erit, ratione ſacrilegij, & magnæ iniuriæ factæ rei ſacræ in eo ad quod ſanctificata fuit; conuertitur enim ad illicitos vſus, quamuis in aliis rebus ſacris veniale tantùm ſit; ſic veniale tantùm erit ſi fureris modicā ceram benedictam ex Altari ad te illuminandum, aut ſi fureris modicum fruſtulum veſtimenti ſacri Sacerdotis, vt tuæ attritæ veſti ſegmentum aſſuas, aut ſi furto auferas modicam pecuniam ex crumena confeſſarij in ipſa confeſſione, ea occaſione oblata, modò à parte ante non aſſumas ſacramentum confeſſionis, vt medium ac remedium ad furandum, quia in iſtis rebus non fit iniuria rei ſacræ in eo ad quod ſanctificata fuit: nam veſtimentum ſacrum per benedictionem deputatur ad induendum Sacerdotem decenter ad ſacros vſus, cera ad illuminandum abſolutè in Eccleſia: oleum verò Chriſmatis & ſacra cera in agro conſecrantur ad alios vſus ſanctiores, vnde cùm ab his vſibus, ad quos ſacrata ſunt, ad alios transferuntur, illis ſine dubio fit irreuerentia, & iniuria in eo, ad quod fuerunt ſpeciali modo conſecrata; quare ſemper erit peccatum mortale ſacrilegij 9. *De ſacrilegio. Quarta concluſio.*

Rebell. Rodrig. Sà. Cordub.

ſacrilegij propter irreuerentiam & iniuriam illis illatam: ita docent Rebellus 1. *part. lib. 3. caput. 1. num. 11.* Rodriguez *in ſumma cap.* 148. *folio mihi* 471. *num.* 5. Sà *verb. ſacrilegium, num.* 1. quicquid dicat Corduba *in ſumma quæſt.* 13. vbi tenet furari modicam pecuniam ipſa in confeſſione à confeſſario eſſe mortale, quod verum eſt quando à parte antè aſſumpta fuit confeſſio, vt medium ad tale furtum; quia tunc, vt diximus, iniuria fit rei ſacræ in eo, ad quod ſanctificata fuit; ſecus ſi furtum fiat ex re nata, & oblata ea occaſione, ſic qui incidenter veniale tantùm mendacium in ipſa confeſſione dicit, non peccat niſi venialiter, ſi tamen aſſumat confeſſionem, vt medium ad mentiendum, mortaliter peccabit, quia facit iniuriam ſacramenti in eo ad quod fuit ſanctificatum.

10. Sed petes, an furari in Eccleſia rem non ſacram ſit peccatum ſacrilegij ratione circumſtantiæ loci ſacri, & iniuriæ illi illatæ. Reſpondeo breuiter cum diſtinctione: aut rem illam non ſacram, quæ auſertur ex Eccleſia, ſiue magna, ſiue parua res ſit, conſtat eſſe rem ipſius Eccleſiæ, vel in illius theſauro poſitam, itaut Eccleſia de illa, illiuſque reſtitutione teneatur; aut conſtat non eſſe: ſi res eſt ipſius Eccleſiæ, vel Eccleſia de illa tenetur, dico eſſe ſacrilegium mortale, vel veniale pro ratione quantitatis rei furatæ, magnæ, vel paruæ, ſi non eſt ipſius Eccleſiæ, & loci ſacri, nec Eccleſia de illa tenetur, dico non eſſe peccatum ſacrilegij, ſed eſſe tantùm furtum ſimplex mortale, vel veniale ratione ſimiliter quantitatis rei magnæ, vel paruæ, & hæc eſt hodie communior, ac vſu receptior opinio, quam tenent multi, ac grauiſſimi Doctores, licèt olim contraria fuerit communis, & eam etiam hodie ſequantur plurimi non infimæ notæ, noſtra tamen videtur melior, & eam tenent

Sotus. Cano. Caietan. Lopez. Henriq.

Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 4. §. *De die autem feſt.* Can. 5. *part. relectionis*, §. *Multa hic.* Caietan. *tom.* 1. *opuſc.* 31. *reſponſione* 12. *dub.* 2. Lopez *Inſtruct.* 1. *part. cap* 33 §. *At verò.* Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 6. Vnde in hac ſententia non erit ſacrilegium furari tapetia de Eccleſia, ſi ipſius Eccleſiæ non ſunt, neque etiam res alias, quando non ſunt Eccleſiæ; nec Eccleſia de illis tenetur, ſimiliter ſacrilegium erit pecunias de Eccleſiæ capſulis furto auferre; quia iam ſunt Eccleſiæ, non erit verò furari crumenas in Eccleſia, quia nec ſunt bona Eccleſiæ, nec de illis Eccleſia tenetur; ſolùm enim ius habet Eccleſia tuendi ea, quæ in ſuo theſauro ſunt, vel de quibus tenetur, & hæc opinio eſt hodie communior, quamuis alia, quæ docet furari in Eccleſia res non Eccleſiæ, ſacrilegium eſſe, recepta olim fuerit, quam tanquam probabiliorem tenet

Sà. Syluester. Roſella. Nauarr.

Sà *verb. ſacrilegium, initio*, Syluester *verb. item ſacrilegium*, §. 2. Roſella *ibi num.* 1. Nauarrus *in manuali Lat. cap.* 6. *num.* 4. *cap.* 17. *num.* 95. & quam innuit *cap. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. Vnde hi ponunt tres ſpecies ſacrilegij; prima eſt furari rem ſacram, v. c. calicem, ſacratum de loco ſacro: ſecunda rem ſacram de loco non ſacro, v. c. calicem ſacratum de domo artificis: tertia rem nō ſacram de loco ſacro, nempe crumenas in Eccleſia. Nos verò ſolùm duas priores ſpecies ſacrilegij admittimus, & hanc tertiam tollimus, niſi ipſæ res non ſacræ ſint repoſitæ in theſauro Eccleſiæ, aut Eccleſia de illis teneatur, quia ſolùm hoc tuendi ius habet Eccleſia; vnde iniuriam facit Eccleſiæ, qui illius ius in hac ſpecie violat, vt diximus.

Hæc de iure canonico, nam de iure ciuili, vt actio ſacrilegij detur in furem, duo requiruntur, & quòd res furata ſit ſacra, & quòd de loco ſacro auferatur, vt notat Iulius Clarus *lib.* 5. *ſententiarum*, §. *ſacrilegium*, *num.* 1. & ſi horum alterum deficiat, non punietur fur tanquam ſacrilegus; ſed tanquam fur ſimplex, vt alibi diximus. 11.

Iul. Clar.

Statuo quintò, tam miſera poteſt eſſe perſona, & in tam graui neceſſitate conſtituta, vt ſi ab ea fureris rem minimam, v. c. dimidium regalem, aut valorem illius, pecces mortaliter, vt conſideranti patebit; & hæc concluſio coincidit cum prima concluſione *num.* 2. explicata, vbi diximus eum, qui vile inſtrumentum furtò aufert ab artifice, cuius cauſa ab opere ceſſat, vel lora boum frangit, quam ob cauſam agricola ſuas operas amittit, peccare mortaliter, non erit tamen hoc peccatum, vt *ibi* animaduertimus, mortale in ſpecie furti, ſed in ſpecie damni iniuſti, & præter Anthores, quos *ibi* citauimus, ita docet Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib* 2. *cap.* 12. *de iniur. fortun. dub.* 6. *n.* 33. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 31. *de iuſt. & iure cap.* 10. *num.* 241. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 3. quem Filliucius allegat. 12.

De violenti Quinta conclusio.

Leſſius. Filliuc. Sotus.

Erit etiam peccatum ſcandali mortalis pertinentis ad periurium, imprecationes, vel blaſphemiam, ſi quis cùm rem minimam furatur, animaduertit ſe cauſam dare domino rei furatæ peierandi, blaſphemandi, vel mala grauia imprecandi, vt diximus *num.* 4. *huius capitis*, vt docent DD modò allegati.

Vidimus hactenus, quatenus ex circumſtantiis adiectis res paruæ poſſint eſſe mortalia, peccata in furto, & in alia ſpecie peccatorum, nunc videndum, an è contra ex aliqua circumſtantia extrinſeca res magna furto ablata poſſit non eſſe peccatum mortale, aut eſſe veniale tantùm. 13.

Statuo ſextò: Quando dominus rei magnæ furto ablatæ non eſt inuitus quoad rem, ſed quo ad modum, quo furata eſt, v. c. quia ad ludum, quia ad comeſſationes, quia occultè, quia non fuit petita, regulariter loquendo non cenſetur furans peccare mortaliter, & licèt peccet venialiter, non tenetur reſtituere, nec etiam ſub veniali; ita docet Rebellus 1. *part. lib.* 3 *quæſt.* 5. *ſect.* 3. *num.* 14. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 138. Caietanus *verb. Furtum, notabili* 2. Armilla *ibidem* §. 2. & hoc modo, regulariter loquendo, excuſantur vxores & filij à furtis, non ita magnis, quæ in maritos, & parentes committunt iuxta ea, quæ dicemus infrà ſuis titulis. Imò in hoc caſu, quamuis dominus rei furatæ obtineat excommunicationem contra fures, ea non obligabit vxorem neque filios, cùm iudex ligare non intendat, niſi iuxta intentionem petentis, petens autem non intendit, nec cenſetur intendere ligare filios, & vxorem, & ſi intendit, opus eſt vt ea intentio in ipſa excommunicatione explicetur; ita Rebellus citatus *num.* 15. & Sotus *lib.* 5 *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 1. Lazarius Papienſis *in ſuo libello de quæſtionibus Canonicis, ſect.* 3. *quæſt.* 8. *num* 1. & 2. Toletus *lib.* 5. *ſumma, cap.* 9. *n.* 4. Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolitana, cap.* 2. *num* 8.

Ex qua circumſtantia furtum rei magnæ, non ſit mortale. Sexta concluſio.

Rebellus. Nauarr. Caiet. Armilla.

Rebellus. Sotus. Lazar. Pap. Tolet. Ant. Gen.

Itaque quotieſcumque ob præſumptiuam volũtatẽ domini poſſumus colligere illũ non eſſe inuitũ, aut eſſe tantùm inuitum quoad modum, quia daret, ſi putaretur ab eo, aut non ægrè ferret, cenſendi ſunt, non peccare mortaliter fures: hæc autem voluntas præſumptiua domini latenter reſidet, & cernitur in marito reſpectu vxoris; in patre

te reſpectu filiorum; in hero reſpectu famulorum circa comeſtibilia tantùm, vt ſuo loco infrà dicemus; & regulariter loquendo, in amiciſſimo homine, & familiariſſimo reſpectu amici & familiaris.

CAPVT III.

De furtis filiorum quando præſumendum eſt peccare mortaliter, & quando non, ſi bona furentur parentum, & in qua quantitate.

SVMMARIVM.

Paruitas materiæ quoad filios, & vxores in furto non debet conſiderari ex natura rei, ſed ex rationabili voluntate parentum, & maritorum. num. 1.

Quæ quantitas ſit mortalis in filiis ditiſſimorum hominum. num. 2.

Quæ in filiis hominum mediocriter pecunioſorum, & in filiis pauperum. num. 3.

Licèt ea quantitas ſpectata rationabili voluntate patris non ſit m. quoad furtum, peccabit tamen m. filius ſi illam illicitè expendat. num. 4.

Quando quantitas ſpectata voluntate rationabili patris eſt magna, tenetur filius ad reſtitutionem aliis fratribus. num. 5.

An, & quomodo filij poſſint ab hac reſtitutione excuſari. num. 6.

Quid de filiis, qui expendunt notabilem quantitatem in illicitos vſus ex ea ſumma, quæ ſibi à patribus pro ſtudiis, aut aula aſſignatur, num. 7. & 10.

Quid de Religioſis. num. 8. & 9.

An filiusfamilias ſeruiens parenti poſſit clàm accipere tantum, quantum pro eo ſeruitio daretur extraneo. num. 11.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtificandam hanc acceptionem. num. 12.

An vſusfructus pecuniæ, quam filiusfamilias ſeruiendo acquirit, pertineat ad parentem, num. 13. & 11.

Quid ſi de illis emat boues, quos pro certa penſione annuali locet. num. 14.

Filiusfamilias non tenetur ſeruire patri cæteris fratribus otiantibus. num. 15.

Quomodo intelligatur filiusfamilias quidquid acquirit, patri acquirit. num. 16.

1. *De paruitate materiæ quoad filios, & vxores in furto.*

POSTVLAT ratio æquitatis, vt non eadem res cenſeatur notabilis, ſpectata rationabili voluntate parentum, reſpectu filiorum, & vxorum, atque reſpectu extraneorum; quamobrem aliquod diſcrimen aſſignandum eſt inter filios, & vxores, & reliquos extraneos, & rurſus inter vxores, & filios reſpectu parentum; quod enim attenta voluntate patris videri poteſt rationabiliter magnum in furto reſpectu extraneorum, non ita videri poteſt reſpectu filiorum, nec ita erit reſpectu vxoris; quare de his omnibus in ſuis capitibus agendum eſt; nam paruitas materiæ in filiis & vxore non debet conſiderari ex natura rei; ſed conſiderata voluntate parentum, maritique, vt patet.

2. Dico ergo primò. Certum eſt peccare lethaliter filios, qui conſideratis omnibus circumſtantiis, & poſſibilitate parentum rem notabilem clàm accipiunt à parentibus illis rationabiliter inuitis; quando autem ſint rationabiliter inuiti, non eſt facile aſſignare; ſi tamen pater ſit valde diues, non eſt putandus filius peccare mortaliter, ſi ab eo furto auferat duos aureos, vt gaudeat licitè cum amicis, iuxta alios ſuæ qualitatis filios, etiam inuito parente, quia irrationabiliter inuitus eſt, imò addo quòd fortè non peccabit, etiam ſi ab eo clàm accipiat tres aureos, ſi tam diues ſit pater, vt habeat bis mille aureos in redditus annuales; ita docet plus, minuſve Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortun. dub. 13. num 76.* & Petrus Nauarra *de reſt. lib. 3. cap. 1. num. 66.* Probatur, quia non eſt rationabile, vt parentes velint filios ita ſtrictè viuere, vt non gaudeant quandoque cum amicis in ludis honeſtis, ſecundùm alios ſuæ qualitatis ingenuos adoleſcentes.

Quantitas mortalis in filiis ditiſſimorum hominum quæ. Prima concluſio.

3. Dico ſecundò. Inter perſonas mediocriter pecunioſas, ac diuites, non eſt putandus mortaliter peccare filius ſi à parente inuito clàm accipiat quantitatem, ſeu valorem argenteorum ſeptem ſupra dimidium, ſeu vingenarum quindecim.

Quæ in filiis hominum mediocriter pecunioſorum, & pauperum. Secunda concluſio.

Si verò pater ſit mechanicus pauper, aut pauper nobilis, cui res anguſta ſit, iudicabit prudens attentis circumſtantiis loci, vrbis, & rei familiaris, neque enim in his certa regula dari poteſt; crederem tamen non eſſe mortale ſi filius à parente clàm auferat valorem duorum regalium ſupra dimidium, ſeu vingenarum quinque, & quáuis Rebellus *1. part. de obligat. iuſt. lib 3. quæſt. 15. ſect. 13. num. 16.* & Petrus Nauarra citatus *dicto num. 66.* exiſtiment de valore trium, vel quatuor vingenarum peccatum, mortale tamen id iudicarunt, iuxta illorum tempus; at modò ſumus in alio, in quo res cariores ſunt, & pecunia vilior, & reſpectu noſtri temporis hæc nobis quantitas viſa eſt ſufficiens, non alia minor.

Rebellus. P. Nauarra.

4. Dico tertiò. Peccat lethaliter filius ſi illicitè prædictam quantitatem in prauos vſus expendat, non tenetur tamen eam aliis fratribus reſtituere, aut in diuiſionem afferre: eſt communis; patet, quia non facit contra iuſtitiam, quia furtum non fecit ſpectata rationabili voluntate patris, furtum enim non datur, niſi inuito domino fiat, & idem dicendũ eſt de aliis filiis ditiſſimorum hominũ in quantitate reſpectu illorum aſſignata, aliunde tamen peccabit mortaliter, ſi in prauos vſus expendat.

Ea quantitas etſi non ſit mortalis quoad furtum, peccabit tamen filius ſi illam expendat illicitè. Tertia concluſio.

5. Dico quartò, ſi ſpectata rationabili voluntate parentis filius rem magnam furto auferat ab eo, illo inuito, peccat lethaliter contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere; vel ipſi parenti, ſi viuus ſit, vel id afferendo in diuiſionem cum aliis fratribus, ſi mortuus ſit, ita docet Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. part. 2. num. 66. ad finem,* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub. 13. num. 76.* & Rebellus *1. part. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 13. num. 16.* Et eſt communis doctrina; fundamentum eſt, quia lædit patrem in re notabili contra illius voluntatem rationabilem, & alios hæredes fraudat.

Quantitas vbi magna, tenetur filius ad reſtitutionem. Quarta concluſio. P. Nauarra. Leſſius. Rebellus.

6. Rogabis tamen, an poſſit excuſari aliquando ab huiuſmodi peccato & reſtitutione huiuſmodi filius. Reſpondeo affirmatiuè, & multis modis.

Ex quibus cauſis excuſetur.

Primò, ſi credat alios fratres tantundem clàm accepiſſe.

Secundò, ſi credat parentem rogatum facile id conceſſurum; tunc enim non videtur pater inuitus quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum acceptionis.

Tertiò,

Tertiò, ſi peregrinatur extra domum de licentia patris, vel verſatur in ſtudiis, & more aliorum ſuæ conditionis aliquid expendat in eleemoſynas, vel honeſtas recreationes; præſumendus eſt enim pater id rationabiliter permittere.

Quartò, ſi in extrema, aut graui neceſſitate aliquid accipiat à patre, vt grauiter laboranti ſubueniat, opituleturve, tunc enim pater non poteſt eſſe rationabiliter inuitus; cùm ipſe teneatur dare.

Quintò, ſi pater condonet. nam quamuis donatio à patre facta à filio non valeat, niſi in certis caſibus; tamen mortuo patre confirmatur, ſi non excedat ſummam, de qua pater liberè poteſt Nauarr. diſponere, iuxta Nauarrum *in manuali Latino, cap.* 17. *num.* 158 Ea autem ſumma eſt in Regno Luſitaniæ tertia bonorum pars, vt patet ex *lib.* 4. *noua Ord. tit.* 98. *veteris, tit.* 70. in Regno verò Caſtellæ eſt quinta pars bonorum, conſtat ex *l.* 7. 8. *&* 15. *Tauri*; ſed tunc quando pater remittit eam ſummam filiis, tenetur eam ſumere in tertiam partem ſuæ portionis, alioquin notabiliter alij filij læderentur in ſuis portionibus, ex his omnibus principiis excuſantur filij à reſtitutione, vt Leſſius. docet Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 12. *de in-* Nauarr. *iur. fortun. dub.* 13 *num.* 79 Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 157. & alij communiter.

7. Sed quid ſi filij expendant in illicitos vſus contra voluntatem parentum notabilem ſummam ex iis pecuniis, quas patres eis ad emendos libros, veſtéſque ad ſoluendum pretium conductionis domus dederunt, v. c. in meretrices, & comeſſationes, compotationéſque illicitas? Breuiter & reſolutiuè reſpondeo peccare lethaliter, & teneri illos ad reſtitutionem, modò parentes inde tale damnum accipiant, vt eis idcircò plus cum iiſdem filiis expendendum ſit; ſecus ſi id ſolùm ceſſit Nauarr. in filiorum incommodum, ita docet Nauarr. *in* Leſſius. *ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 164. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 12. *de iniur fortun. dub.* 13. *num.* 77. Ratio eſt, quia neque parentes conceſſerunt filiis eas pecunias ad tales vſus, neque intenderunt illarum dominium in illos transferre; ſed intendebant donare cum reſtrictione ad illos tantùm vſus determinatos, vnde ſi aliter eas abſumpſerint, neceſſariò tenebuntur ad reſtitutionem propter læſionem, quæ inde aliis fratribus reſultat, niſi excuſentur aliquo ex capitibus numero præcedenti tactis.

Si tamen parentes intenderent dominium earum pecuniarum in eos transferre, iniuncto præcepto, vt honeſtè inſumerent, peccabunt tantùm lethaliter contra charitatem propriam, & obedientiam paternam, non tamen ad reſtitutionem manebunt obnoxij ſi in malos vſus expendant, vt ſpecialiter notauit Leſſius allegatus.

Dixi, modò parentes inde damnum tale accipiant, vt plus eis cum eiſdem liberis expendendum ſit, quia ſi patres ſoleant ſuis liberis dare certam ſummam in ſingulos annos ad ſtudium, vel veſtitum, & illi aliquid inde ſubtraxerint, poterunt quidquid inde, vel ex ventre, vel induſtria deduxerint, abſque obligatione reſtitutionis expédere, non tamen abſque peccato in illicitos vſus, modò nihil amplius ex bonis paternis clancula acceptione vſurpent. Ratio eſt, quia tunc ipſi liberi plenum habent dominium ipſius pecuniæ, tranſtulerunt enim illud parentes in eos abſolutè, & non reſtrictè, vt patet; quare peccabunt ſi illum in illicitos expendant vſus, non tamen ad reſtitutionem tenebuntur.

Non ſic tamen de Religioſis eſt dicendum, 8. qui ſtudij cauſa in publicis ſcholis verſantur de *De Relig.* licentia ſuorum ſuperiorum, aſſignata ſingulis *quid.* certa ſumma in ſuſtentationem annualem; ij enim ſi in illicitos vſus aliquid, de alimentis etiam ſibi datis ſubtractum, expendant; non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè expendunt, & ad reſtitutionem tenentur, vel ipſi, vel ij, cum quibus id illicitè expenderunt, vt dicemus infrà *cap.* 5. *num.* 33. quia Superiores ſolùm ad pios vſus, non ad prophanos, & illicitos validè dare poterant hanc licentiam, &, ſi ad illicitos darent, eſſet omnino illicita, & inualida, vt docent communiter Doctores, Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 182. P. Nauarr. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 18. *de promiſſ. & donat.* Leſſius. *dub.* 11. *num.* 83. Flamma 3 *part. methodi, cap.* 13. Flamma. §. 15. Sanchez *de Relig. lib* 7. *cap.* 19. *num.* 30. Mo- Sanchez. lina *tom.* 2. *de iuſt diſput.* 276. *verſ. Religioſus in con-* Molina. *uentu.* Abulenſis *ad cap* 6. *Matth. quæſt.* 37. Nauar- Abulenſis. rus *in cap. non dicatis, à num.* 9. *vſque ad* 12. D. Nauarr. Thom. 2. 2. *quæſt* 32. *ad* 1. *art.* 8. Et rationem le- D. Thom. gitimam huius rei reddemus infrà *cap.* 5. *num.* 23. Nam Religioſi non habent dominium abſolutum bonorum Religionum, etiam ſi ſint Prælati, ſed reſtrictum à iure, & Summo Pontifice ad pios & illicitos tantùm vſus, vt patet ex toto titulo *de rebus Eccleſiæ non alienandis, &* ex *cap. Monachi, & cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, vnde cùm non habeant dominium abſolutum, ſed reſtrictum ad bonos vſus, & licitos clarum eſt eos illicitè, & inualidè expendere, quidquid in illicitos vſus expendunt. Sunt enim bona Religioſorum de Chriſti patrimonio, quod non niſi in pios vſus expendi poteſt. nam vel hæc Religioſorum bona proueniunt ex decimis ex Eccleſiis illis adnexis, vel ex donatione, & dote fidelium, qua in remiſſionem ſuorum ſcelerum Monaſteria dotarunt: ſi ex decimis proueniunt, in illicitos vſus expendi validè non poſſunt; quia hac tacita conditione & pacto illis Eccleſiæ à Summo Pontifice vnitæ fuerunt, vt non niſi in Religioſorum ſuſtentationem, & pios vſus decimarum fructus expenderentur.

Si ex dote fideliũ ſimiliter hac tacita conditione, & pacto cenſendi ſunt ea bona donaſſe; quare non ſolùm illicitè, ſed etiam contra pactum faciunt Religioſi, qui bona Religionis in illicitos vſus abſumunt. quod animaduertant ſuperiores, ne putent ſe eſſe abſolutos dominos talium bonorum.

Nec inde inferas teneri etiam Epiſcopos & Abbates non Regulares, aut illos, qui ab illis acceperunt, reſtituere id quod in illicitos vſus expenderunt. nam hi non habent ita reſtrictum dominium fructuum ſuorum beneficiorum, ſicut habent Religioſi circa bona Religionis; neque enim illi prohibentur habere proprium, neque habent votum ſolemne paupertatis, vt Religioſi, ratione cuius ita per ius & per Summum Pontificem illis reſtrictum fuit bonorum Religionis dominium, vt non niſi in pios & licitos vſus validè expendi poſſint. De Epiſcopis autem, qui ex aliqua Religione ad Epiſcopatum aſſumpti ſunt, & prius votum paupertatis habuerunt, dicam infrà *cap.* 6. *verſ. Inquiri etiam hîc*

Nec etiam refert quòd Conuentus, & Mona- 9. ſteria habeant plenum, & perfectum dominium horum bonorum, vt quidam volunt, quod dominium

nium in ſuperioribus Religionis reſidet, non enim habent illud ita plenum & perfectum, vt licitè, & illicitè validè illa expendi poſſint, quia tale dominium ſemper ſubeſt adminiſtrationi Summi Pontificis, ſupremo Religionum Superiori, & per Summi Pontificis, & Eccleſiæ conſtitutiones illis reſtrictum fuit ad licitos tantùm vſus, non autem ad illicitos, vnde non ſolùm illicita, ſed etiam inualida erit ea donatio, quæ fieret à Superioribus Religionis ad vſus illicitós, etiamſi de conſenſu totiùs communitatis fieret, vt docent Sanchez *lib.7. de Relig. cap.19. num.* 30. & cæteri allegati *num. præcedenti.* Sayrus *in claui Regia, lib.9. cap.16. n.22.* Surdus *de alimentis tit.8. priuilegio 79.* Azor *tom.1. cap.12. lib.12. quæſ.5.*

Sanchez. Sayrus. Surdus. Azor.

10. Illi tamen filij quibus à parentibus certa ſumma aſſignatur ſtudij cauſa in ſingulos annos, non ſolùm validè, ſed etiam licitè partem aliquam prædictæ ſummæ in ludis honeſtis inſumere poſſunt; & idem dicemus etiam de Religioſis infrà, quia nomine alimentorum veniunt etiam licitæ, & honeſtæ recreationes ſtatui, & qualitati conuenientes, & ſi id parentes nolint, irrationabiles ſunt, ita Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.3. de ludo, cap.26 dub.5. num.37.* Nauarrus *cap.20, num.12.* Sotus *lib.4. de iuſt. quæſt.5. art 2.*

Leſſius. Nauar. Sotus.

11. Hîc tamen dubium inſurgit non inutile, an ſi filius gerat alibi negotia patris, vel perpetuò domi aſſiſtat ad vendenda bona patris negotiatoris, poſſit tantum clàm accipere de bonis paternis pro labore, & induſtria ſua, quantũ pater daret extraneo famulo pro eodem labore, & negotio, idque vltra expenſas quas pater facit in illo alendo? Et affirmatiuè reſpondendum eſt, cum Nauarro *in manuali Lat. cap 17. num.* 144 & Leſſio *tom.1. lib.2. cap 12. de iniur. fortun. dub.13. num.*81. & cum Angelo *verb. peculium, num.* 11. & Roſella *ibidem §.7 & 8.* quod idem tenet Petrus Nauarr. *lib.3 de reſt. cap.1. num. 5.2 part.* imò addit Nauarrus citatus ei deberi vel dimidium eorum quæ ſua induſtria lucratus eſt. vel tantum quantum daretur extraneo pro ea induſtria & labore. Et ratio eſt, quia ea bona acquiſita à filio ſunt fructus ſuæ induſtriæ, & non ſunt totaliter profectitia; ſed partim profectitia, partim aduentitia: profectitia quidem, quia cum bonis, & pecunia patris fuerunt acquiſita; aduentitia verò, quia cum induſtria, & labore filij fuerunt ſimiliter patri comparata, & in bonis aduentitiis filius habet dominium directum. quamuis non habeat vſusfructus viuente patre. nam de iure communi per emancipationem & egreſſum filij à patria poteſtate ſolùm amittit pater vſumfructum eorum bonorum, quæ in poſterum talis filius acquiſierit, non tamen ante acquiſitorum dum erat in poteſtate patris vſque ad illius obitum, excepto caſu, quo pater ſit hæreticus, tunc enim ſtatim à die commiſſi criminis ex iuris diſpoſitione filius remanet ſui iuris, vt decernitur *in cap.2. § final. de hæreticis in 6.* proindeque ad ipſum filium ſtatim redit vſusfructus ſuorum bonorum aduentitiorum, vt latè probat Simanchas *de Catholicis inſtit. titul.9. num.*81.

De filiofamilias ſeruiente parenti quid.

Nauar. Leſſius. Angelus. Roſella. P. Nauarra.

Si tamen filius in hæreſim incidat, vſusfructus bonorum, quæ ante crimen hæreſis acquiſierat, non remanent fiſco niſi poſt mortem patris, vt contra Simancham latè & doctè probat Molina *tom.1. de iuſt. diſp.9. § Idem Simanchas.*

12. Ad iuſtificandam autem hanc filiorum acceptionem, hæ debent conditiones concurrere.

Prima, vt filius non intendat ſeruire gratis parenti; ſed proteſtetur ſaltem tacitè ſe eo pacto, & conditione ſeruire, vt fructus induſtriæ reportet, & tantum ſibi donetur, quantũ donaretur extraneo pro ſeruitio impenſo; qui enim negotium alterius gerens vult pretium, & mercedem, debet ſe explicare, ſi commodè poteſt, maximè quando mandans eſt præſens. nam hic vel fortè nolet, vel rebus ſuis aliter prouidebit, quòd ſi filius ob reuerentiam paternam, non audet ſe explicare; tunc non erit neceſſaria ea explicatio, vt tenet Leſſius *tom.1. lib.2. cap.12. de iniur. fortun. dub.13. num.*81. quia verecundia illius, & virtus ei nocere non poteſt, & ideo tacitè tunc poterit pretium ſui labori clàm accipere, quia pater non poteſt tunc rationabiliter eſſe inuitus. Leſſius.

Secunda, vt conſtet patrem non id facturum per ſe, neque inuenturum alium, qui gratis, & pro ſolo cibo faceret.

Tertia, vt non ſibi vindicet vſumfructum rei, quam ex talibus pecuniis emit, nam ante mortem parentis cenſetur hoc lucrum in bonis, vt dixi, aduentitiis, quorum vſusfructus ad patrem, dum viuit, ſpectat.

Sed quid ſi hic filius de pecuniis, quas pro ſuo obſequio à patre accepit, nihil emat, cuius vſusfructus ad patrem pertineat, quid etiamſi iiſdem pecuniis negotietur, & aliquod lucrum acquirat pecunioſum quidem, non fructiferum? Reſpondeo, ſi filiusfamilias nihil emat fructiferum, neque iis pecuniis negotietur, nihil pertinere ad patrem, vt patet. 13.

Si aliquid fructiferum emat, vſumfructum ipſius rei fructiferæ, v. c. prædij, vel vineæ, vel boum pertineat ad patrem dum viuit, vnde ſi filius præmoriatur, & eam rem alteri teſtamento relinquat, vſusfructus viuente patre ad illum pertinet, ſolùm enim tunc relinquere poteſt filius teſtator dominium directum ipſius rei, non vſumfructum illius, quia is ad patrem pertinet, & tota ipſius patris vita, ita diſponitur in iure communi, *l. vltima, §. ſin verò defuncta, C. ad Tertull. & l. Item vltima, in fin. C. communia de ſucceſſionibus, l.3. & 4. C. de bonis, quæ liberis, Auth. de hæredibus ab inteſtato §. iuncta gloſſa ibidem,* & docet Bart & communis iuris peritorum; quos refert ac ſequitur Antonius Gomez *ad leg.6. Tauri, num.11. & 12. & 48. num.5.*

Bart. Gomez.

Si iiſdem pecuniis pecunioſum lucrum acquirat, eaſque eidem lucro pecunioſo exponat, poteſt eſſe maius dubium, cum pecunia ex ſe non ſit fructifera, ſed totum id proueniat ex induſtria filij? Mihi videtur dicendum, ad filium huiuſmodi lucrum pertinere, non ad patrem; neque enim pater habere poteſt vſumfructum rei, quæ non eſt fructifera. Hæc tamen intelligenda ſunt, modò pater aliunde non egeat, nam ſi egeat, iure naturæ tenetur filius parentes alere, vt probauimus latè *in 4. præcepto Decalogi.*

Hinc deducitur quid reſpondendum ſit ad ea dubia, de quibus ſæpe fuimus interrogati circa filios ruſticorum, qui ex ſuis ſtipendiis pecunias demerentur, & eas pecunias lucro pecunioſo exponunt, aut ex illis boues emunt, quos pro iuſta penſione annuæ pecuniæ, frumentive locant, totum enim illud lucrum pecunioſum illorum eſt, non parentum, quia pecunia de ſe non eſt fructifera, & totus fructus eſt induſtrialis, & ex illorum prouenit induſtria perſonali; de annua verò penſione boum, ſiue expenſio ſit pecuniæ, ſiue frumenti, maius dubium eſſe poteſt; quia boues vi- 14.

Nonnulla circa filios ruſticorum.

dentur

dentur eſſe ex natura ſua fructiferi,& cùm ex natura ſua tales ſint, videntur illorum fructus ad parentes ſpectare; aliunde verò ſi boues moriantur, videtur durum concedere, filios amiſiſſe lucrum pecuniæ ſuis laboribus acquiſitæ, nullo ſibi commodo inde reſultante; quare ſi annua penſio iuſta filiis ſoluatur, ſaluo pretio capitali boum, tunc dici poterit illorum fructus ad patres pertinere; quia tunc computantur boues cum bonis immobilibus fructiferis: at ſi non ſoluatur prædicta penſio, ſaluo eo capitali exiſtimo totum lucrum eſſe filiorum propter rationem tactam. Ego dixi quod ſentio, quoad forum conſcientiæ; ſi tu melius arbitrium tuleris, libenter illud ſequar; ſed hac de re neceſſariò redibit ſermo *cap.4. num.26.* quem vide.

15. *Filium non teneri ſeruire patri, cæteris fratribus otiantibus.*

Oppones primò. Filij iure naturali tenentur ſeruire parentibus, ergo falſum eſt dicere poſſe filium tantundem à patre accipere, quantundem alteri daretur externo pro negotiis alibi geſtis, vel pro ſeruitio temporali domi exhibito, vt dictum manet *num.11.* Reſpondeo id verum eſſe quando pater eget, & quando alij fratres ſimiliter lucrantur partialiter; aliter non: nulla enim ratio dictat, vt vnus teneatur laborare, & ſeruire parenti ſine ſtipendio, cæteris fratribus otiantibus; ſic Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub.13. num.*81. & Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 1. num. 76.*

Leſſius. P.Nauarra.

16. *Filiusfamil. quidquid acquirit, patri acquirit, quomodo intelligendum ſit.*

Oppones ſecundò, Filius quidquid acquirit, patri acquirit; ergo ſimiliter videtur falſum quod dictū manet, inde enim eſt quòd nō valeat donatio inter filium, & patrem familias, quia perinde eſſet, ac ſi pater ſibi ipſi donaret, cùm filiusfamilias id quod acquirit, patri acquirat; vnde communiter docent Authores donationes merè gratuitas, & liberales factas à patribus filiisfamilias eſſe inualidas; quia cùm, regulariter loquendo, quidquid filiusfamilias acquirit, patri acquirat, impoſſibile eſt iuris impoſſibilitate, poſſe parentem aliquid donare filiofamilias, ita vt dominium in filium transferatur, cùm neque momento temporis poſſit ipſum dominium apud filium remanere, quin ſtatim à patre acquiratur, & ad illum transferatur; vt docent Iulius Clarus *lib.4. ſententiarum, §. donatio, quæſt.8. num.1.* Pariſius *conſil.16. num.19. lib.2.* Nauarr. *in ſumm. Lat. num.146. cap.17. iuncto num.149.* Anton. Gomez *tom.2. variar. reſolut. cap. 4. in fine*, & patet expreſsè de iure communi ex *l. donationes*, quas parentes, *C. de donat. inter virum, & vxorem.*

Iul. Clar. Pariſius. Nauar. Ant. Gom.

Reſpondeo imprimis id verum eſſe de donationibus gratuitis, & merè liberalibus; ſecus de remuneratoriis, aut de iis, quæ fiunt ob ſolutionem debiti, aut quaſi debiti ex pacto. Ex pacto autem debent patres filiisfamilias pro ſeruitio ſibi ab illis impenſo tantum, quantum debetur extraneis. nam quādo filiusfamilias patri ſeruire cœpit, ſtatim id deduxit in pactum, quod ſi ob verecundiam paternam parenti id non declarauit, parum refert, quia virtus ſibi, & modeſtia nocere non debet. Illud verò principium, filiusfamilias quidquid acquirit, patri acquirit, non eſt vndequaque verum, nam ſolùm vſusfructus rei fructiferæ, quam filius acquirit, patri acquiritur, non proprietas ipſius rei; in bonis enim fructiferis aduentitiis filiorum, habet paterfamilias ſolum vſumfructum, non proprietatem, & dominium directum illorum. Vnde falſum eſt dicere, quidquid acquirit filiusfamilias, patri acquirere; deinde ſi filiusfamilias pro ſuo ſeruitio pecuniam acquirat, eam ſibi acquirit, non parenti, cùm enim, vt *num.13.* diximus, pecunia non ſit ex natura fructifera, vſusfructus illius non pertinet ad parentes; ſed ad filiosfamilias, ſi cum illa lucrentur, quia ſunt fructus induſtriæ, non pecuniæ; ſolùm ergo ſerui, ſeu mancipia quidquid acquirunt, dominis acquirunt, & quoad vſumfructum & quoad proprietatem, ſiue induſtria propria, ſiue labore, aut donatione acquirant, quia cùm perſona ſit domini, omnes actiones lucratiuæ illius domini etiam ſunt, quare ſatis ſolutum manet argumentum.

CAPVT IV.

Quid poſſint filij abſque furto, & obligatione reſtitutionis faciendæ parentibus, vel aliis fratribus circa bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, profectitia, & aduentitia.

SVMMARIVM.

Quæ ſint bona caſtrenſia, num. 1. in illis habet filiusfamilias proprietatem & vſumfructum, & liberam diſpoſitionem. ibid.

Bona quaſi caſtrenſia ſunt illa, quæ filiusfamilias acquirit per aliquod officium Medici, Aduocati, Tabellionis, Magiſtri, aut quouis alio officio publico, & quo, num.2. In his etiam habent filiifamilias dominium, & vſumfructum, ibid. An bona quæ acquiruntur arte ſutoria, ſi habent publicum ſtipendium, ſint quaſi caſtrenſia. ibid.

Item quaſi caſtrenſia ſunt, quæ filiusfamilias Clericus ex officio habet clericali, aut beneficio, num.3. etiam ſi Clericus ſit primæ tonſuræ, & tantummodo ſit affixus per Epiſcopum alicui Eccleſiæ, aut de illius licentia in ſtudiis verſetur. num.3.

Omnia bona, quæ cum bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus acquiruntur, caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia dicuntur. num.4.

De his bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus poſſunt filij ad libitum diſponere dando, vendendo, teſtando ac ſi eſſent patresfamilias. num.5.

Modò filiusfamilias pubes ſit, non tamen ſi ſit impubes, & minor 14. annorum. num.6.

Licèt clericatus, & ſacri Ordines non eximant filiumfamilias à patria poteſtate, quidquid tamen etiam poſt primam tonſuram acquiritur bonum eſt quaſi caſtrenſe. num.7.

Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia ſunt illa, quæ à patre filio data ſunt cauſa militiæ, aut vitæ aulicæ, & de iure Luſitano adducenda ſunt ad diuiſionem pro ea parte quæ in tali vita, & militia non fuerunt conſumpta. num.8.

Quæ ſunt bona profectitia, num.9. Tota ſunt patris quoad vſum & quoad dominium, ibid. In quo diſtinguantur hæc bona ab aliis bonis patris quæ non ſunt profectitia, num.10. An confiſcari poſſint ob patris hæreſim, ibid. Tenetur filiusfamilias in conſcientia reſtituere id quod furto abſtulit de bonis profectitiis patris. ibid. fine.

Tenetur etiam reſtituere, & in partitionem adducere ea, quæ de his bonis in ludis inſumpſit contra irrationabilem voluntatem patris, num.11. ob quas cauſas à tali reſtitutione excuſetur. num.12.

In quibus caſibus valeant donationes factæ à patribus filiisfamilias. num. 13. & 14.
Qualiter fieri debeat diuiſio lucri acquiſiti à filiofamilias cum negotiatur cum pecuniis paternis non ſuſtentatus à patre. num. 15.
Quid ſi ſuſtentetur à patre, num. 16. Quid de filiis ſolutis, & qui non ſunt familias. ibid.
Quid de iure Luſitano, ibid. & 17.
Quid ſi filius ſolutus, vel coniugatus cum pecunia ab altero, vel ab vtroque parente accommodata negotietur, num. 18. Quid ſi illi dediſſent eam pecuniam mutuam filio in fraudem aliorum filiorum. num. 19.

1. *Bona caſtrenſia.* BONA caſtrenſia ſunt illa, quæ filiusfamilias, ſeu nondum emancipatus in militia acquirit, vel ipſi à patre, cognatis, amicis, aliiſve perſonis cauſa, & occaſione militiæ primò, & principaliter donantur. Itémque omnia, quæ cum prædictis bonis, v. c. commutatione, emptione, vel quocumque alio modo acquiſiuit, ita patet ex *l. caſtrenſe ff. de peculio caſtrenſi.* & docet Nauar. Syluester. P. Nauar. Molina. Nauarrus *cap. 17. num. 142.* & Syluester *verb. Peculium, quæſt. 1.* & Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. n. 68.* Molina *de iuſt. diſput. 230. § licet filius,* licèt enim filiusfamilias ex eo quòd miles fiat, patriam non egrediatur poteſtatem, vt decernitur *Inſt. quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluatur, § filiusfamilias, & l. 2. & 3. C. de caſtrenſi peculio, lib. 12.* tamen peculium caſtrenſe ita ad illum pertinet, quoad proprietatem, & adminiſtrationem, vt liberam diſpoſitionem de illo habeat.

2. *Bona quaſi caſtrenſia.* Bona quaſi caſtrenſia ſunt illa omnia, quæ filiusfamilias acquirit per aliquod officium publicum, v. c. Medici, Aduocati, Tabellionis, Magiſtri in aliqua ſeptem artium liberalium, aut quouis alio officio publico, ex quo ſtipendium accipiat; non eſt tamen neceſſarium, vt ſtipendium ſoluatur, ſed ſatis eſt quòd ſit debitum, vt notat Syluester. Syluester *verb. Peculium, quæſt. 1.* Non ſunt verò quaſi caſtrenſia ea bona, quæ filiusfamilias acquirit ex arte, v. c. ſutoria, aut ſartoria vel alia ſimili, in eo etiam euentu quo ipſi à Rege, vel Republica publicum ſtipendium decernatur, vt docent Molina. Syluester. & Molina allegati, quia vt bonum aliquod ex officio acquiſitum quaſi caſtrenſe dicatur, opus eſt vt acquiratur per officium peculiari modo publicum bonum concernens, quale eſt officium Medici, Tabellionis, aut Magiſtri, vt dixi, in aliqua ſeptem artium liberalium.

3. Bona item quaſi caſtrenſia dicuntur illa, quæ Clericus acquirit ex officio ſuo, vel beneficio ſimplici, vel curato; ita docent Nauarrus, & Petrus Nauar. P. Nauarra. Panorm. Nauarra *ſupra citati,* & patet ex *Auth. Presbyteri, C. de Epiſcopis & Clericis;* docet etiam Panormitanus cum communi opinione *in cap. quia nos, de teſtamen.* Syluester. quidquid dicat Syluester *verb. Peculium, 2. quæſt. 2.* vbi videtur velle acquiſita ex beneficio ſimplici habente adminiſtrationem non eſſe quaſi caſtrenſia.

4. *Bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia.* Caſtrenſia item bona, & quaſi caſtrenſia dicuntur omnia illa, quæ cum bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus acquiruntur, emptione, permutatione, negotiatione, imò & ludo, nam etiamſi filiusfamilias ludendo cum peculio caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi aliquid acquirat, ad bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia pertinebit, vt docet Molina Theologus *diſput. 230. ad finem, §. ſi de bonis caſtrenſibus.* patet ex *l. 1. C. de peculio caſtrenſi, lib. 12.* docet etiam Nauarrus *in cap. ſtatuimus, num. 68.* & habetur expreſsè *in l. pater militi, §. ſi ſeruus, ff. de caſtrenſi peculio,* vbi dicitur ſi ſeruus ad caſtrenſe peculium ſpectet, & aliquid acquirat, cedere illud caſtrenſi peculio.

De bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, & 5.
de omnibus illis quæ ab illis procedunt, poſſunt filij ad libitum diſponere, vendendo, commutando, dando, teſtando, ac ſi eſſent patresfamilias, inuitis etiam parentibus, ita docent communiter DD. Nauar.
Nauarrus *cap. 17. n. 141.* Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. num. 69.* Molina *diſp. 277. initio, & 230.* P. Nauar. Molina.
& 231. & 261. & patet ex *l. miles præcipua, §. actionem, & l. ſequenti, & l. ex nota, & l. pater qui dat. ff. de caſtrenſi peculio, & l. 2. & 3. C. eodem titulo.* Et ratio eſt, quia hæc bona ſunt filiorumfamilias, & quoad proprietatem, & quoad vſum, & pleniſſimam habent illorum adminiſtrationem, & diſpoſitionem, ac ſi eſſent patresfamilias. Vnde colliges peccare parentes contra iuſtitiam commutatiuam, tenerique proinde ad reſtitutionem, ſi ex prædictis bonis aliquid ſibi vſurpent, niſi quantum neceſſarium eſt ad alimenta eiuſdem filij, cùm illum ex bonis filij alunt.

Hoc tamen limitandum eſt dummodo filiusfamilias pubes ſit, nam ſi fuerit impubes, hoc eſt, 6.
minor 14 annorum, nihil de his bonis teſtari poteſt, vt habetur *in l. vltima, C. de teſtam. militis;* & eadem ratione nihil donare, vendere, aut quouis alio modo alienare; quia difficiliùs conceditur alienatio inter viuos, quàm teſtamenti confectio; imò verò neque de conſenſu patris poteſt quidquam alienare, vt habetur *Inſt. de inutilibus ſtipulat. § pupillus, in fine.* Cùm tamen ſi tutorem habeat de illius conſenſu, & authoritate poſſit alienare, vt docet Molina *diſput. 230. § licet, & diſput. 261.* Et ratio eſt quã reddit Molina hoc vltimo loco allegatus § *contrariam ſententiam, ad medium,* quia tutor tenetur pupillo ſi malè authoritatem præbeat; pater verò, propter reuerentiam paternam, non tenetur filio impuberi, quamuis illam malè præbeat, & ideo meritò hoc leges patribus denegarunt, & tutoribus, ac curatoribus conceſſerunt; quam rationem priùs aſſignauit gloſſa *§. pupillus citato.* Molina.

Ex dictis colliges primò. Licèt clericatus, & ſacri Ordines non eximant filium à patria poteſtate, neque ob id deſinat eſſe filiusfamilias, quidquid tamen poſt primam etiam tonſuram, modò beneficium habeat, aut ex præſcripto Epiſcopi aſſixus ſit alicui Eccleſiæ, vt illi inſeruiat, vel in ſtudiis verſetur, acquirit quaſi caſtrenſe eſſe, pertinereque ad eum proinde tam vſumfructum, quàm proprietatem, vt docet Molina *diſput. 138. §. licet clericatus.* Bonorum autem aduentitiorum, quorum ante clericatum pater habebat vſumfructum, perſeuerat vſque ad mortem patris, defuncto etiam filio, vt *ibidem* docet idem Molina, & patebit infrà *num. 31.* & cum Molina idem tenet Couarr. *in rubrica de teſtam. part. 3. num. vltimo, cap. quia nos, eodem titulo,* & patet ex *Auth. Presbyteros, C. de Epiſcopis & Cleric.* quæ etiam loquitur de Clericis primæ tonſuræ; attamen propter multitudinem eorum, qui ad primam tonſuram, & minores ordines promouebantur, id non habet locum, niſi in his Clericis primæ tonſuræ, qui vel beneficium habent Eccleſiaſticum, vel alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, & eius ſeruitio ſunt deſtinati, aut de illius præſcripto in ſtudio verſantur; ſolùm enim hi dicuntur Clerici propriè, & priuilegio fori gaudent, vt docet Concil. Trident. *ſeſſ. 23.* Idem. Couarr. Conc. Trid.

Ceuallos. Molina. Nauar. Scaccia.

ſeſſ.23 cap.6.de Reformat. Ceuallos *in quæſtionibus communibus*, *tom.2. quæſt.563.* Molina *tom.3. de iuſt. act.3. diſput.49. num.2. & 3.* Nauarra *tom.2. conſil.23. p.2.lib.5.pag.625.* Scaccia *de iudicibus, lib.1.cap.11.n.16. folio mihi 13.* & *ibi* ſe refert alibi, cæteri enim ſunt de foro ſæculari.

8. Colliges ſecundò, hæc bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, & illis acquiſita non teneri filios adducere ad collationem; quia habent in illis plenum dominium, quod patet ex *l.5. §. nec caſtrenſe.ff.de collation.bonor.& l.vltima, C.eodem*, exceptis quibuſdam bonis de iure Luſitano.nam de eodem iure *lib.4.tit.97.* bona quæ parentes filiisfamilias donarunt titulo vitæ militaris, vel aulicæ quoad eam ſaltem partem, quæ ibi non fuit conſumpta, adducenda ſunt in collationem, vt docet Molina *tom.1. diſput.237.* Idem de donatis filio coniugato ad militiam eunti; niſi fortè pergeret ad conſequendam equeſtrem dignitatem, vt *ibidem* decernitur. — Molina.

9. *Bona profectitia.* Bona profectitia dicuntur illa, quæ filiofamilias proueniunt cauſa & occaſione patris, & quæ ab ipſo patre habet, & illius pecuniis per negotiationem acquiſiuit, & quæ denique cauſa & intuitu patris illi donata, vel teſtamento legata fuerunt; hæc tota ſunt patris, & quoad vſumfructum, & quoad dominium, ſeu proprietatem, ac proinde furtum committit filiusfamilias, ſi ex illis aliquid inuito parente accipiat, & tenetur ad reſtitutionem, vel ipſi parenti faciendam, vel valorem in collationem adducere: (poteſt tamen inde filiusfamilias deducere, ſi cum pecuniis patris negotiatur tantum, quantum daretur extraneo pro ea negotiatione, iuxta ea quæ diximus *cap.3.num.11.* ſeruatis conditionibus *ibi* appoſitis, *num.12.*) ita docet communiter Doctores, Petrus Nauarra *lib.3.de reſt.cap.1.num.74.* Nauarrus *cap.17.n.144.* Syluester *verb. Peculium, quæſt.3.* patet ex *§. igitur, verſ. ſancitum eſt. Inſt. per quas perſonas nobis acquiratur, l. cùm oportet, in principio, C. de bonis quæ liberis*, iuncta *gloſſa ibidem verb. ex illius ſubſtantia.* — P.Nauarra. Nauarr. Syluester.

10. *Dubium. Soluitur.* Petes. In quo ergo diſtinguuntur hæc bona profectitia ab aliis ipſius patris, ſi filiusfamilias neque proprietatē, neque vſumfructū illorum habet; aut cur profectitia vocantur. Reſpondeo in eo diſtingui iuxta omnes Doctores, vt ſi bona patris ob crimen aliquod publicentur, iſta publicari non poſſint, vt patet ex *l. ſi finita, §. ſi de vectigalibus. ff. de damno infecto*, & ſpeciatim ita docet Petr. Nauarra *lib.3.de reſt.cap.1.num.74. ad finem.* Sylueſt. *verb. Peculium, quæſt.3.* ſi tamen filiusfamilias non poſſit obtinere contra fiſcum, poterit ſibi occultè compenſare; idque ſiue crimen ſit hæreſis, ſiue læſæ maieſtatis: ſimiliter ſi ob crimen aliquod filiifamilias illius bona publicentur, hæc publicari non poterunt, iuxta Doctores. Ex eo verò quòd filiusfamilias in bonis profectitiis nullum habet dominium, nec vtile quidem, ſequitur etiam talē filium non habere authoritatem adminiſtrandi talia bona, niſi in parentum vtilitatem. Sequitur rurſus (vt dixi) teneri huiuſmodi filium reſtituere id, quod furto à patre abſtulit talium bonorum. — P.Nauarra. Syluester.

11. Sequitur denique teneri filiumfamilias reſtituere ea, quæ de his bonis pluſquam alij fratres in ludis expendit, ſicut & de aliis, quæ non ſunt talia, tenetur, aut cum meretricibus veſtibúſque nimiis diſtraxit, dilapidauitque, & hoc animaduertant illi, qui cum filiis mercatorum, qui pecuniis parentum negotiantur, ludunt, tenentur enim illi hæc omnia in integrum reſtituere ſi extent, aut mala fide lucrati ſunt: ſi autem bona fide, tenentur reſtituere illa in quibus ditiores ſunt facti; ſic Petrus Nauarra *de reſt. lib.3. cap.1. n.77. in fine.* — P.Nauarra.

12. *Donationes factæ à patribus filiisfamil.* Excuſabuntur tamen illi à reſtitutione ſi pater iſta filiisfamilias condonet, vel remittat, valent enim ſimiles condonationes ſi per aliquam legem non irritentur, & in fraudem aliorum filiorum non ſint, & contra ius naturale ob eorum grauem læſionem.

Obiectio. Dices, donatio facta à patre filio, aut facta à filio parenti non valet, vt conſtat ex *l. finali, C. de impuberibus*, & oſtendit Nauarrus *cap.17.n.145.* quod adeò verum eſt, vt legatum patris relictum filiæ, vel filio, cui partem dotis pater debebat, videatur relictum pro ſolutione debiti, quamuis pater id non declaret, vt patet ex *cap. qui abſtulerit, 12. quæſt. 2.* & optimè docet Petrus Nauarra citatus *num. 80.* & Nauarrus *cap. 17. num. 150.* & id communiter dici ſolet de quocumque alio teſtatore relinquente in teſtamento legatum ſuo creditori; licèt enim defunctus id non explicet, tamen re vera iure præſumitur cauſa debiti legaſſe, quod aduertendum eſt, inquit Petrus Nauarra citatus, propter eos, qui habent aliqua debita ex furto, vſura, vel aliquo iniuſto titulo; ij enim, vt ſuæ famæ conſulant, ſatisfaciunt, ſi teſtamento dicant, ſe tali perſonæ tale legatum relinquere, non exprimendo cauſam ob quam relinquant, quod animaduertant Confeſſarij ad conſulendum honori pœnitentium, qui è vita diſcedunt. — P.Nauarra. Nauarr.

13. *Solutio.* Reſpondeo totam hanc doctrinam de legatis veram eſſe: ad donationes verò reſpondebis, leges quæ aſſignantur cùm non ſint leges noſtri Regni, accipiendas eſſe, vt ſapientum dicta, & licèt ſecundùm illas iudicaretur in foro externo, tamen ante ſententiam non obligant, atque ita non eſt dicendum filiumfamilias malè accipere, quæ de patris conſenſu habet, niſi ita eſſet enormis læſio, vt in fraudem aliorum filiorum contra ius naturale id factum fuiſſe conſtaret; nam tunc vel pater teneretur eam remiſſionem factam vni ex filiis accipere in ſuum tertium, vel filius tenetur eam adducere in collationem, vt docet Valaſcus *lib. de collat. capit. 13. num. 48.* & Gama *deciſione 118.* quia in ea circumſtantia non remittitur à patre ius quærendum, aut bona acquirenda, ſicut dimittitur, quando pater dimittit filiofamilias fructus bonorum aduentitiorum, ſed datur, ac remittitur bonum acquiſitum, ſeu pecunia iam acquiſita, quam filiusfamilias poſt acquiſitionem iniuſtè ludo expoſuit; & alter iuſtè illam ab eo lucratus eſt. — Valaſcus. Gama.

14. Hoc tamen non tollit quòd in multis caſibus valeant donationes factæ filiisfamilias à parentibus.

Primus eſt donatio rerum mobilium facta ob vitam militarem, vel aulicam.

Secundus eſt donatio, ſeu remiſſio vſusfructus, quem pater habet in bonis aduentitiis ante collectionem horum fructuum, niſi ſint magni momenti, vt docet Valaſcus *in praxi de part. cap.13. num.139.*

Tertius eſt donatio facta pro remuneratione ſeruitiorum.

Quartus donatio facta cauſa dotis ob matrimonium filij, vel filiæ; vide Nauar. *in ſumma Lat. cap.17. num.140.* & P.Nauarra *lib.3. cap.1. n.78.* — Nauar. P.Nauarra.

15. *Lucri acquiſiti diuiſio inter filium, & patrem.* Menoch. Bart. Si autem quæras, qualiter fieri debeat lucri diuiſio inter filiumfamilias, & patrem, cùm ex parentis pecuniis non ſuſtentatus de bonis paternis, alibi negotiatur; quæſtionem tractat egregiè Menoch. *de arbitr. quæſt. lib.2. caſu 126 cen uria ſecunda.* Bartol. *in l.7. §. ſed nec caſtrenſe ff. de collat. bonor. & in l cùm oportet, §. illud, C. de bonis quæ lib.* docet omne lucrum, & damnum æqualiter diuidendum eſſe inter filium, & parentem; & ita teſtatur etiam Decius *in l. illud, num.12. C. de collat. bonorum*, & pro hac ſententia fuit iudicatum in Luſitania in Senatu Portuenſ. anno 1618. nam cùm quidam filius negotiaretur in Braſiliam cum pecuniis matris viduæ, & nollet lucrum in diuiſionem cum aliis fratribus adducere, ſed tantùm capitale; coactus eſt ſententia Senatus dimidium lucri in montem diuiſionis, cum aliis fratribus afferre, & hæc eſt communis ſententia.

Decius.

Verùm communis ſententia, vt notat Menoch. citatus *num.* 4. in eo tantùm caſu poteſt procedere, in quo conſtaret filij induſtriam perſonalem, eſſe æqualem lucro pecuniarum patris. Cæterùm cùm conſtat vel induſtriam excedere lucrum pecuniæ, vel lucrum pecuniæ excedere valorem induſtriæ, tunc quidem totum hoc negotium indicis arbitrio relinquitur. Iudex ergo rectus quantitatem pecuniæ, & induſtriam conſiderabit; & ſi vnam ab altera parum diſtare iudicauerit æqualiter inter patrem pecuniam, & inter filium induſtriam ponentem lucrum diuidet Si verò inuenerit quòd induſtria excedat lucrum pecuniæ notabiliter, plus deferet filio, quàm parenti; tantum ſcilicet, quantus eſt exceſſus: ita cum Menochio docet Crauetta *conſil. 159. fine, & conſil. 161. num. 1.* & Angelus *conſil. 112.* quod quidem procedit ſiue filius nomine patris negotietur, ſiue nomine proprio id faceret; vt notat Menochius *ibi num. 8.* Hæc tamen procedunt quando filius non ſuſtentatur bonis patris; ſed alibi negotiatur, & vel ſuſtentatur aliunde, vel ex lucro ſuæ induſtriæ, & pecuniæ paternæ, cum qua ipſe negotiatur.

Crauett. Angel. Menoch.

16. Dixi hæc procedere quando filius non ſuſtentatur à patre, quia de noſtro iure Luſitano, *lib. 4. Ord tit. 77. §. 22.* in veteribus, in nouis verò *lib 4. tit. 97. §. 16.* ſancitum eſt, ſi filius qui cum altero, aut vtroque parente commoratur, & de bonis eorum ſuſtentatur, aliquid ſua induſtria cum bonis parentum lucretur, totum lucrum pertinere ad parentes, & poſt mortem parentum illorum adducendum eſſe in diuiſionem cum aliis fratribus; idque ſiue talis filius, qui id lucratus eſt, ſit ſolutus, ſiue coniugatus, quod idem repetitur in veteribus ordinationibus *in tit. 78. in principio:* vbi notabis ius Luſitanum ſtatuere totum id quod eo modo filius acquiſiuit pertinere ad parentem, vel parentes, & non partem, quæ præcisè reſpondet bonis parentum, totúmque eſſe ſimiliter in partitionem adducendum; vt egregiè notat Molina *de iuſt. diſput. 234 §. vt quod hac de re ſentio* diſpoſitionem hanc iuris Luſitani ſequens, & approbans. Quare miratur Molina, & meritò, Gamam *deciſ. 110. num. 37.* circa litem in hoc Regno ortam, Bartoli, & Decij ſententiam retuliſſe, quaſi illa in hoc Regno vim haberet, nulla facta mentione de ordinatione proximè relata, neque vllo ad eam adhibito reſponſo, ita vt, addit Molina, ſuſpicio ſit memoria id illi exceſſiſſe.

Molina. Gama.

17. Sed cùm ius Luſitanum ad id duo neceſſariò requirat, vnum vt filius, ſiue ſolutus & familias, ſiue coniugatus cum bonis parentum lucretur; alterum vt de bonis parentum ſuſtentetur. Ex hac ordinatione colligi ur euidenter è contrario ſenſu, ſi talis filius non ſuſtentatur de bonis parentum, poſſe petere de eo lucro, quod ipſius labori, & induſtriæ reſponderet; ſi quaſi contracta cum vtroque, vel altero parente ſocietate cum bonis illis de illorum conſenſu negotiationem, ac mercaturam exerceret. Vnde cùm filius prædictæ Leonoræ, de quo egimus *num.* 15. non aleretur de bonis maternis, & de licentia illius quaſi contracta ſocietate cum matris pecuniis negotiaretur, meritò illi dimidium lucri per ſententiam Senatus Portuenſis attributum fuit, & alterum dimidium matri, vt ad portionem aliorum filiorum adduceretur; quo caſu intrat ſententia Bartoli & Menoch *num. 15.* relata, quam Gama ſecutus fuit loco allegato *num. 16.* Si autem ita filius ea bona adminiſtraſſet, & cum illis negotiatus eſſet, vt commoda omnia, & damna parentibus cederent, poſſet quidem tunc quaſi actione negotiorum geſtorum in iudicio petere competens ſtipendium ſui laboris & induſtriæ, niſi ex gratitudine, & filiali amore bona illa adminiſtraſſet, & in foro conſcientiæ poteſt clàm ſumere abſque furto tantum, quantum pro eo labore, negotiationis induſtriæ daretur extraneo, vt diximus *cap. 3. num 11. & 12.* Gama.

Si verò filius ſolutus, vel coniugatus cum pecunia ſibi ab altero, aut ab vtroque parente accommodata, vel clàm de eorum bonis accepta, negotiationem exerceret, tunc damnum omne, & lucrum ad ipſum ſolum pertinere, neque teneretur reſtituere parentibus, aut fratribus, iis mortuis, niſi pecuniam ipſam, & damnum emergens, aut lucrum ceſſans, ſi quod priuando eos vſu ſuæ pecuniæ illis intuliſſet, vt doctè docet Molina *diſput. 234 §. cùm autem, ad medium, verſ. Quòd ſi pecuniam*; tametſi peccaſſet grauiter eam clàm accipiendo, & illa inuitis parentibus vtendo, & ratio eſt quia tunc totum lucrum pendet ac prouenit ex induſtria ipſius, ſic qui pecuniam alienam furatur, & illa negotiatur, ad nihil amplius tenetur, quàm ad reſtitutionem ipſius pecuniæ & damni emergentis, & lucri ceſſantis: & totum lucrum tanquam fructus ipſius induſtriæ ad ipſum ſpectat, vt eſt communis doctrina; nec refert quod de bonis paternis ſuſtentetur, quia parum refert ſi ob eam rem nihil de communi obſequio, & opera patri debita ſubtraxit. 18. Molina.

Si tamen parentes in fraudem aliorum filiorum eam mutuam illi dediſſent pecuniam, vt ditiorem illum cæteris effecerent; eáque de cauſa lucro aliquo ex vſu illius pecuniæ ſe ipſos priuaſſent in aliorum filiorum detrimentum; credit Molina allegatus fratres poſſe agere aduersùs illum, vt adducat ad partitionem quantum ſua eorum intererat ſi mutuo pecunia illa ei non fuiſſet tradita; aut cogere vt pater in tertio ſuorum bonorum in Luſitania, aut in tertio, & quinto in Caſtella damnum illud ſibi inde datum accipiat. 19.

Cætera quæ hîc de ſunt dubia, explicabimus in Summario ſequenti, de bonis aduentitiis.

***

De

De bonis aduentitiis, agitur de filiis, qui cum parentibus commorantur, & de illorum bonis ſuſtentantur, & ſuo labore aliquid acquirunt, & de iis etiam, qui à parentibus non ſuſtentantur.

SVMMARIVM.

Quæ ſint bona aduentitia, num.21. in illis habent filijfamilias dominium, patres verò vſumfructum, ibid.

Quid poſſint filiifamilias abſque furto, & obligatione reſtitutionis in bonis aduentitiis, numero 22.

Bona aduentitia ſunt etiam illa, quæ filiusfamilias acquirit negotiando cum pecunia mutuata, aut furtiua. num.23.

Item illa quæ acquirit labore proprio, num.24. Quid ſi filiusfamilias pecuniam acquirat, an vſus illius ſit parentis. ibid.

Quid ſi ea pecunia aliquid fructiferum emat, aut acquirat. num.25.

Quid ſi filiusfamilias in domo patris ſit, & alatur de bonis patris, & plus acquirat ſuo labore & induſtria, quàm pater expendat in eius ſuſtentatione. ibid.

Quid de fructu boum, quos filiifamilias emunt pecuniis acquiſitis pro ſtipendio ſui laboris extra domum, & ſuſtentationem patris, ſi eos locent pro annua penſione. num.26.

An parentes teneantur ſuſtentare de ſuo filiosfamilias habentes bona aduentitia, de quibus ipſi filij ſuſtentari poſſint, num.27. Et quid ſi filij laborent, vel non laborent parentibus. ibid.

Bona materna, & legitima ex parte matris ſunt bona aduentitia filio reſpectu patris, & in illis habet pater vſumfructum tota vita ſua de iure communi, etiamſi filius patriam egrediatur poteſtatem per matrimonium, ſecus de iure Luſitano, num.28.

Quid de patre adoptiuo. ibid.

Quid ſi filiusfamilias præmoriatur, & ſua bona aduentitia teſtamento alteri relinquat, aut donet, num.29.

In ſex caſibus tantùm filiusfamilias habet etiam vſumfructum ſuorum bonorum aduentitiorum, num.30.

Quando filius incipiat habere vſumfructum illorum, num.31. An pater amittat vſumfructum bonorum aduentitiorum filij, per profeſſionem filij in Religione. num.32.

21. *Bona aduentitia.* BOna aduentitia dicuntur illa, quæ non proueniunt filiofamilias cauſa patris, cuius intuitu principaliter dantur; ſed quæ à matre, vel conſanguineis matris illis donantur, ſucceſſionéve, teſtamento, aut donatione relinquuntur, diuerſo à patre intuitu, & quæ propria induſtria, ac labore filiusfamilias acquirit, & in his bonis habent filij dominium, & proprietatem; parentes verò vſumfructum tantùm: ita docet Molina *tom.1. diſput. 9. & 232.* Syluester, Nauarrus, & Petrus Nauarra citati *num. 9.* & alij communiter, & patet ex *l. cum oportet, C. de bonis quæ liberis, & Inſtit. per quas actiones nobis acquiratur, §. igitur, verſ. Quid autem.* (Molin. Sylueſter. Nauarr. P. Nauarra.)

22. De his bonis aduentitiis non poteſt filiusfamilias aliquid clàm accipere à patre, niſi per furtum, &, ſi quantitas ſpectata rationabili voluntate, & poſſibilitate patris ſit mortalis, peccat mortaliter contra iuſtitiam; & tenetur ad reſtitutionem, ſi pater viuus ſit, mortuo verò parente, non tenetur ea quæ furto abſtulit in diuiſionem adducere, niſi pro illa parte vſusfructus, in qua patrem viuentem defraudauit, & damnum intulit aliis fratribus lucri ceſſantis, & damni emergentis, priuando fratres eo lucro quod pater ea pecunia, & bonis poterat aliis filiis acquirere: ita docet Nauarrus *cap. 17. num. 43.* Petrus Nauarra *lib.3 reſt.cap.1. num.69. §. Tertia dubitatio.* Probatur, quia talia bona viuente patre, ſunt illius quoad vſumfructum; filiorum verò quoad dominium, & proprietatem; vnde cùm dominium ſit filiorum è mortuo patre, ſtatim conſolidatur vſusfructus cum proprietate, & non tenentur filij ea adducere in diuiſionem, niſi pro ea parte, in qua damnum patri, & cæteris fratribus intulerunt, priuando patrem intereſſe vſusfructus bonorum, quæ furto abſtulerunt, quia non ſolùm damnificarunt patrem in vſufructu illorum, ſed alios fratres, vnde tenentur ſine dubio filiifamilias mortuo patre tantum ad diuiſionem adducere, vel reſtituere aliis fratribus, quantum fuit damnum quod inde illis reſultauit. (Nauarr. P. Nauar.)

Ex dictis colliges primò, eſſe bona aduentitia ea, quæ filiusfamilias lucratur negotiando cum pecunia ſibi mutuata, quod probatur ex iure Luſitano, *lib.4 Ordinationum,* in veteribus *titul.77. §.21.* & in nouis *lib 4 tit.97. num 19* vbi ſtatuitur, ſi filiusfamilias, qui cum altero, aut vtroque parente commoratur, & aliter de illorum bonis, labore ſuo proprio, induſtria, aut quacumque alia ratione, aliquid lucretur, ita vt non lucretur illud bonis parentum, comparare illud ſibi, quoad proprietatem, non quoad vſumfructum, nec teneri illud adducere ad partitionem cum aliis fratribus; bona autem, quæ cum pecunia furtiua, vel mutuata acquirit, ſunt propria induſtria acquiſita, vnde aduentitia neceſſariò ſunt. 23. *Corollarium primum.*

Colliges ſecundò, eſſe ſimiliter bona aduentitia illa, quæ filiusfamilias in domo patris opificis labore proprio acquirit, præſtitis patri ordinariis operis, ad quas tenetur, & in his habere patrem vſumfructum, filium verò proprietatem, ſi tamen pecuniam acquirat, cùm illa non ſit ex ſua natura fructifera, nec vllum habeat vſumfructum, proprietas illius ad filium ſpectabit, non ad patrem; vnde ſi aliquam ad ludum retineat, aut aliquid aliud inſcio parente ex ea pecunia profundat; non tenetur ad reſtitutionem, neque id adducere ad collationem cum aliis fratribus, etiamſi de bonis parentis alatur. 24. *Corollarium ſecundum.*

Si tamen filius iis pecuniis aliquid fructiferum lucretur, comparet, emat, aut acquirat, tunc proprietas eius rei, ipſius filij erit, vſus verò fructus ad patrem pertinebit; illud verò monuerim, ſi filius, qui cum patre commoratur, atque ab eo ſuſtentatur, pluris ſuo labore & artificio lucratur quàm ſit id, quod pater in eius ſuſtentatione, & veſtitu inſumit, poſſe filium totum illud plus ſibi abſque furto retinere, modò ſigno aliquo inſinuet, vel proteſtetur, ſe velle illud retinere; nam ſi nihil proteſtatus eſt, ſed permiſit patrem, aut matrem totum lucrum accipere, cenſetur ex gratitudine, & amore filiali id condonaſſe, vnde non poterit poſtea id repetere in iudicio à patre & matre, neque exigere ab eorum hæredibus, neque in conſcientia ſibi compenſare; ita docet Molina 25.

Molina. Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 234. §. Illud monuerim*; & addit, *Ita credo in more poſitum eſſe in hoc Regno Luſitaniæ, & in aliis Regnis*; ſi tamen ob reuerentiam paternam id non audeat patri ſignificare, ſufficiet ſi apud ſe ſtatuat id ſibi retinere. Et idem dicendum eſt de eo filio mercatoris, qui continuò domi aſſiſtit, ad vendendas res patris, & de eo, qui alibi res patris agit, ij enim poterunt accipere de bonis patris abſque obligatione reſtitutionis, & adducendi id ad partitionem tantum, quantum pro eo labore daretur alteri extraneo, modò conſtet, parentem non facturum per ſe, vel per alium gratis talia negotia, & opera, iuxta ea, quæ diximus *cap. 3 num. 11. & 12.* & docet Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num. 144.* & Angelus *verb. Peculium, num. 11.* & omnes quos citaui, *num. 11.*

Nauar. Angelus.

26. *Corollarium tertium.* Colliges tertiò, bona aduentitia eſſe etiam illa, quæ filiifamilias extra domum parentum ſtipendio, & ſalario ſui obſequij, aliis ſeruiendo, acquirunt, in quibus filij proprietatem, parentes verò vſumfructum habent; cùm verò ſolam pecuniam acquirant, quæ ex ſua natura nullos haber vſusfructus, neque eſt fructifera, ad filios illa pertinebit tantùm; ſi tamen huiuſmodi filiifamilias, qui non aluntur à parentibus, pecunia illa ex ſalario ſuo acquiſita prædiolum aliquod, aut terrulam emerit, proprietas eius rei ad illos ſpectabit, vſus autem fructus ad patrem, vel matrem, ſub cuius poteſtate eſt, & poſt mortem patris, vel matris non adducitur tale prædium ad partitionem, ita patet ex noſtris Ordinat. nouis *lib. 4. titulo 97. num. 1. & 19.* & ratio huius rei eſt, quia vſusfructus horum bonorum aduentitiorum de iure etiam communi debetur patri, vel matri ratione patriæ poteſtatis, vt ait apertè textus, & *ibi* notant DD. *in l. cùm oportet, C. de bonis, quæ lib.* & docet Gomez *in l. 48. Tauri, num. 8.* & Melchior Phœbus Luſitanus *tom. 1. deciſ. 36. num. 13.* & alij communiter. Nec refert quòd aliquis filiusfamilias mortuo patre matrem habeat, & tutor ei datus ſit diuerſus à matre, quia cùm adhuc reſpectu matris filiusfamilias ſit, ad illā pertinet vſusfructus prædioli prædicti: ſolent autē huiuſmodi filiifamilias, præſertim in regione Interamnenſi, pecuniis eo labore & ſalario acquiſitis boues emere quos ſolent ſtatim locare pro certa annua penſione frumenti, vel pecuniæ, & de hac penſione dubium eſt, an ad parentes illorum, an ad filios pertineat. nam quòd ad parentes vſus hic fructus pertineat, videtur patere; quia hæc bona ſunt aduentitia, vt patet ex iis, quæ diximus, & ſunt fructifera; vnde cùm in bonis aduentitiis fructiferis habeant patres vſumfructum; filij verò proprietatem, & boues ſint fructiferi; videtur fructus illorum ad parentes, non ad filios pertinere. Diſtinguendum tamen eſt in hoc negotio, vt diximus *cap. 3. num. 14.* nam ſi filij exponant boues annuæ penſioni iuſtæ, ſiue ſit penſio pecuniaria, ſiue frumentaria, ſaluo capitali boum, dicendum eſt pertinere eos vſusfructus ad parentes, non ad filios, propter rationes ibi tactas. Si verò prædicti boues lucro penſionis à filiis exponantur, non ſaluo capitali, tunc credo vſumfructum penſionum ad filios, non ad parentes ſpectare.

Primò, quia huiuſmodi filij illos acquiſierunt, non ſuſtentati de bonis paternis, & nulla ratio dictat totum lucrum eſſe parentum, non periculum.

Secundò, quia ſi boues moriantur, videtur duriſſimum concedere filios amiſiſſe lucrum ſuo ſudore acquiſitum, nullo inde ſibi commodo reſultante; præſertim cùm in comparando eo lucro, non alantur de bonis paternis. Tandem, quia hoc non tollit quo minus filij aliundè teneantur ſuſtentare parentes, ſi egeant, vt patet ex quarto præcepto huius operis.

Si verò filij etiam familias parentibus ſuis non laborent, & habeant bona aliqua aduentitia, ex quibus ſuſtentari poſſint, non tenentur patres eos alere, ſed poſſunt præbere eis alimenta de bonis ipſorum, vt docent communiter Doctores, inter quos eſt etiam Molina *diſput. 234. §. Hinc colligo*; vnde poſſunt parentes eos ſuſtentare, non de bonis propriis, ſed de bonis ipſorum; & quidem ſi labor illorum non reſpondeat integræ ſuſtentationi, poſſunt ſimiliter parentes de iuſtitiæ rigore ſupplere de bonis ipſorum filiorum tantum quantum illorum integræ ſuſtentationi reſpondeat, & conſequenter tenetur filius, niſi pater id ei condonet, relinquere patri de ſuis bonis, ſi præmoriatur, tantum quantum plus pater inſumpſit in illius ſuſtentatione, vt docet Molina allegatus, ſi intelligat id ſibi à patre non fuiſſe remiſſum; rarò tamen inuenietur pater, qui ad eam reſtitutionem velit filium obligare, & ideo, inquit Molina allegatus, regulariter loquendo, in confeſſionibus iniungendum non erit tali filio, vt poſt mortem patris id fratribus reſtituat, niſi pater id expreſsè declarauerit, aut ſaltem ſignum aliquod ſuæ voluntatis in vita dederit. 27.

Molina.

Colliges quartò, bona materna, & legitimæ, quæ filio obueniunt ex parte matris, ea mortua, eſſe ſimiliter bona aduentitia; & in illis habere patrem dum viuit, vſumfructum de iure communi, etiamſi filius vxorem ducat, vel patriam egrediatur poteſtatem; filium verò proprietatem, vt docet Molina *tom 1. diſp. 232. ad initium*, quod colligitur euidenter ex *l. quæcumque, C. de bonis quæ liberis, ex §. Igitur, verſ. quod autem, Inſt. per quas actiones nobis acquiratur, & ex l. 5. titul 17. part. 4.* Dixi *de iure communi*, quia de iure Luſitano *in Ordinat. nouiſſ. lib. 4. titul 97 num. 19.* vt ſtatim patebit *num. 31.* emancipatis filiis, vel patriam poteſtatem per matrimonium egredientibus bona aduentitia ſtatim ad illos tranſeunt quoad vſumfructum. Bona verò paterna, & legitima ex parte patris mortuo patre etiamſi mater viuat, & alij aſcendentes, quamuis aduentitia ſint, tamen eorum vſusfructus, non ad matrem, neque ad aſcendentes, ſed ad filium ſpectat: & verò quod hactenus de proprio patre diximus reſpectu bonorum aduentitiorum, extendendum etiam eſt ad patrem adoptiuum, ſeu per arrogationem quando filius adoptatus, eſt in adoptantis poteſtate, vt docet Molina *diſput. 232.* cum communi omnium ſententia. Ratio eſt, quia vſusfructus ad patremfamilias ſpectat, quo nomine etiam venit pater adoptiuus.

28. *Corollarium quartum.* Molin. Idem.

Hinc ſi filiusfamilias præmoriatur, & teſtamento alteri relinquat dominium directum, ſeu proprietatem ſuorum bonorum, vſusfructus talium bonorum pertinebit ad patrem tota ipſius vita, vt expreſsè habetur *leg. vltima, §. ſin verò defuncta, C. ad Tertullianum. leg. item vltima, in fine, C. commun. de ſucceſſion. leg. 3. & 4. C. de bonis quæ liberis, Authent. de hæredibus ab inteſtato, §. Primò*, iuncta *gloſſa ibidem*, idque docet Bartolus, & communis 29.

Bart.

perito

Gomez. petitorum; quos citat ſequiturque Antonius Gomez *ad l. 6. Tauri, num. 11. & 12. & l. 48. num. 5.*

30. *In quibus caſibus vſusfructus bonorum aduentitiorum ad filiumfamilias pertineat, non ad patrem.* In ſex autem caſibus tantummodo vſusfructus bonorum aduentitiorum, non ad patrem, ſed ad filium ſpectat, quos etiam inuenies in nouis Ordinat. Luſitaniæ, *lib 4. tit. 98.*

Primus eſt cùm is, qui talia bona donauit, vel reliquit filio, ea lege, & conditione, vt pater vſumfructum illorum non habeat, poteſt enim quis quamlibet conditionem apponere ſuis rebus, modò ſit honeſta, & ita decernitur *Authent. Excipiatur, C. de bonis quæ liberis.*

Secundus eſt, quando filius ſimul, & pater ſuccedunt in bonis fratris, vel ſororis, vt habetur *Authent. Item, C. eodem*; iure tamen Luſitano & Caſtellano ſolus pater filio ſuccedit, vt patet *lib. 4. ordinat. tit. 75. & l. 7. Tauri*; quare in his duobus Regnis locum non habet huiuſmodi caſus.

Tertius eſt, quando ſolus vſusfructus alienius rei filio teſtamento relictus fuit, quia ſuper vſumfructum non poteſt dari alius vſusfructus, qui ad patrem pertineat.

Quartus eſt cùm filio aliquid donatur, vel relinquitur, contradicente patre, quia æquum non eſt vt vllum inde pater commodum habeat, qui filium tanto bono voluit priuare.

Quintus eſt, ſi pater filio donet, dimittátve talem vſumfructum, quia id non eſt donare, ſed tantùm eſt non vſurpare filiorum bona, hac tamen de re eſt dubium maximum, quod non licet modò explicare, vide tamen Valaſcum *in praxi de partitionibus, cap. 13. num. 141.* & Boëtium *deciſione 196. num. 5.* & Ordin. noſtram *lib. 4. tit. 97. in noua Recopilatione.*

Valaſcus. Boëtius.

Sextus eſt, ſi pater fiat hæreticus; nam à die commiſſi criminis ex iuris diſpoſitione filius remanet ſui iuris; vt decernitur *cap. 2. §. finali, de hæret. in 6.* proindeque ad ipſum redit vſusfructus ſuorum bonorum aduentitiorum, tam acquiſitorum, quàm acquirendorum, vt latè probat Simanchas *de Cathol. inſt. tit. 9. num. 81.* Molina *tom. 1. diſput. 9. §. Idem Simanchas.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortun. dub. 13. num. 8.* & alij, & idem Molina citatus §. *ab hac regula*; quia per hæreſim patris à die commiſſi criminis, ſtatim filius egreditur patriam poteſtatem, vt habetur *dicto cap. 2. §. vltimo, de hæret. in 6.* modo allegato, vt latè probauimus *lib. 1. primi præcepti, cap. 23. num. 6.* ſi tamen filius incidat in hæreſim vſusfructus bonorum aduentitiorum, quæ ante crimen acquiſiuit, non remanet fiſco, niſi poſt mortem patris, vt contra eundem Simancham latè probat Molina *diſput. 9. §. Idem Simanchas*; ſecus de bonis, quæ poſt crimen hæreſis acquiſiuit.

Simanchas. Molina. Leſſius. Molina.

31. *Dubium. Solutio.* Inquires tamen primò, quando & quo tempore incipiat pater amittere vſumfructum bonorum aduentitiorum filij, & filius illum accipere. Reſpondeo primò, per ſolum egreſſum filij à patria poteſtate amittere patrem vſumfructum eorum bonorum aduentitiorum, quæ deinceps filius acquirit, non tamen eorum, quæ ante talem egreſſum acquiſierat, & quorum vſumfructum iam habebat pater; nam hic vſque ad mortem patris in eo perſeuerat, exceptis caſibus à iure expreſſis. Primus eſt de iure communi, cùm pater filium emancipat, tunc enim quaſi in præmium talis emancipationis concedit ius commune patri dimidiam tantùm partem bonorum aduentitiorum, quæ filius ante emancipationem acquiſiuit, & alteram dimidiam filio emancipato; ita docet Molina *diſputat. 232. §. Diſputatione 9.* Molina.

De iure tamen Luſitano quoties filius egreditur poteſtatem (egreditur autem illam, vt iam dixi, vel per hæreſim paternam, vel per matrimonium, vel per emancipationem) ſtatim acquirit vſumfructum. & conſequenter pater illum amittit horum omnium bonorum aduentitiorum, quæ vel ante, vel poſt egreſſum habet acquiſita, idem eſt de iure Hiſpano; patet de iure Luſitano ex *lib. 4. in titulo 98.* vbi ſex caſus numerantur, vel quinque, in quibus vſusfructus bonorum aduentitiorum ad filium pertinet, non ad patrem, quibus adde etiam quando filius inuito patre per iudices emancipatur, quod fieri poſſe decernitur *lib. 3. noua Ordinationis, titulo 8. §. 4.* in eo caſu, quo pater bona filij, in quibus pater habet tantùm vſumfructum, diſſipauerit.

Dubitant tamen Doctores, an pater amittat prædictum vſumfructum bonorum aduentitiorum filij per profeſſionem filij in Religione approbata. Reſpondeo probabilius eſſe illum non amittere, nam quamuis gloſſa *in l. ſi ex cauſa, §. Papinianus, ff. de minoribus*, & Emanuel à Coſta, *cap ſi pater, part. 2. verb. Teſtatore mortuo, num. 11.* & alij, quos citat *ibi* Coſta, doceant amittere ex eo fundamento quòd per profeſſionem in Monaſterio bonorum acquiſitionis capace deſinat filius eſſe ſub patria poteſtate, ac proinde ſtatim ea bona quoad vſumfructum ad Monaſterium videantur pertinere, tamen verius eſt illum non amittere, vt docet Nauarr. *in cap. non dicatis, num. 87.* Greg Lopez *ad l. 5. titul. 17. part. 4.* & Pinellus *l. 1. part. 1. num. 45. C. de bonis maternis*, & Molina *tom. 1. diſput. 140. §. Vtrùm autem quando.* Ratio illorum eſt, quia factum filij licèt laudabile ſit præiudicium patri afferre non debet; vnde licèt filius per propriam profeſſionem patris poteſtatem egrediatur, id tamen non impedit ius quod pater iam antea in bonis illius habebat comparatum, impedit tamen ius acquirendum, ac comparandum poſtea à filio, & ideo perſeuerat vſusfructus talium bonorum aduentitiorum in patre vſque ad mortem illius naturalem, etiamſi præmoriatur filius.

32. *Aliud dubium ſoluitur.* Em. à Coſta. Nauar. Lopez. Pinellus. Molina.

Idem dicendum eſt de bonis, quæ in ſæculo filio aduenirent poſt patris profeſſionem: ea enim ad filium, non ad Monaſterium pertinebunt, vt docet Molina citatus *dicta diſput. 140. §. Hæc tamen, in fine*, cum Nauarro *capit. nullam, numero 47.* 33. Molina. Nauarr.

An verò vſusfructus, quem pater habebat in bonis aduentitiis filiorum, pertineat ad Monaſterium, ſi pater profiteatur, dum viuit pater, an ad filium poſt profeſſionem patris; non vulgare etiam dubium eſt, quod affirmatiuè pro patre reſoluit Molina *tom. 1. diſput 9. verſ. præcipua difficultas*, vbi aſſerit pertinere ad patrem dum viuit, non ad filium totum vſumfructum prædictorum bonorum aduentitiorum filij, & idem tenet etiam Nauarrus *in cap non dicatis, num. 70. & 87.* & Anton. Gomez *ad l. 48. Tauri, num. 8.* & Pinellus *ad l. 1. C. de bonis maternis, part. 1. à n. 47.* Eſt tamen hoc intelligendum in hoc Regno Luſitaniæ, & Caſtellæ iuxta eundem Molinam, niſi filius per matrimonium egrediatur patriam poteſtatem, eo namque contracto pertinebit ad filium, non ad patrem, neque

34. *Adhuc aliud dubium.* Molina. Nauarr. Gomez.

neque ad Monaſterium loco patris, præterea id intelligendum etiam eſt de bonis aduentitiis, quæ filius ante profeſſionem patris habebat, ſecus de iis, quæ poſtea acquiſierit, quia cùm iam ſit extra patriam poteſtatem, pertinebunt vſusfructus eorum ad filium, non ad patrem, neque ad Monaſterium loco patris, dummodo tamen pater, vel Monaſterium perſoluat ſumptus neceſſarios ad adminiſtrationem talium bonorum, vt patet, & huiuſmodi probant authores.

Capvt V.

De furtis Religioſorum, quid poſſint Religioſi abſque furto, & quid non poſſint.

SVMMARIVM.

Religioſi inter filios computantur, non inter ſeruos, num. 1.

Quæ quantitas reſpectu illorum quoad bona Religionis in furto ſit mortalis. num. 2.

Quomodo & quatenus peccet Religioſus contra furtum, & votum accipiendo minima ab externis, vel dando illa è Monaſterio abſque licentia tacita, vel expreſſa ſuorum ſuperiorum. num. 3. 4. & 5.

Quid ſi illa minima ſint ex comeſtibilibus Monaſterij, & ad proprium vſum accipiat. num. 6.

Quid ſi ad dandum externis. num. 7.

Quid ſi ad proprium vſum accipiant, & habeant animum continuandi illa minima comeſtibilia, num. 8.

Quæ quantitas in comeſtibilibus mortalis ſit, & quid ſi ſint pretioſa, & dulcearia. num. 9.

Quid ſi hæc minima pretioſa accipiant ab externis, vel dono data abſque facultate ſuperiorum, vel furata. num. 10.

Religioſi excuſari poſſunt à furto, & tranſgreſſione voti paupertatis per vſum communem ſi quis detur in Religione, aut Monaſterio accipiendi aliquid ab externis, vel donandi è bonis Monaſterij. num. 11. & 12.

Quid de vſu, & conſuetudine retinendi, & appropriandi ſibi aliquid. num. 13.

Quæ ſint pœna proprietarij, & quæ quantitas Religioſum efficit proprietarium. num. 14. & 15.

Excuſatur etiam Religioſus à furto ex bonis Religionis, & à voti tranſgreſſione, ſi aliquid donet, vel accipiat ex tacita voluntate ſuperioris, qualis iſta ſit, quando requiratur, & an eadem ſit voluntas dandi, & accipiendi. num. 16. & 17.

Quæ poſſint Moniales retinere de licentia Abbatiſſa donata ab externis, quando licentia eſt tacita, num. 18. & 19.

Quatenus Religioſus excuſetur circa danda, & accipienda ex Epykia, quid ſit. An Religioſi Diui Franciſci, cuius pater eget, ex hac Epykia poſſit aliquid ad dandum parenti acceptare, numero 20.

Quid ſi petatur, & non detur facultas tali Religioſo cuius pater eget. num. 21.

An qui Epykia dando, vel accipiendo vſus eſt, teneatur id poſtea manifeſtare ſuperiori; numero 22.

Religiosi inter filios computantur reſpectu ſuorum Monaſteriorum, non inter famulos, aut ſeruos, patet ex *cap. literis, de ſepulturis, lib. 6. & l. qui in poteſtate, ff. de teſtamentis, & Authent. Ingreſſi, C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, docet Nauarr. *in cap. non dicatis*, 12. *quæſt. 1. num 61.* & Sanchez *l b. 7. de Relig. cap. 21. num. 31.* & Rebellus *1. part. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 3. num. 22.* vnde malè omnino quidem iuris periti inter ſeruos illos, non inter filios computant, ex eo fundamento, quòd quicquid acquirunt, Monaſterio acquirunt, ſicut ſerui, qui ſimiliter quicquid acquirunt, dominis acquirunt, non ſibi, de quo principio non diſputamus modò, cùm certum ſit Religioſos, quoad alimenta, victum veſtitúmque iuxta modum ſui inſtituti, & quoad directionem, ſeu gubernationem perſonæ non cum famulis, nec cum ſeruis, ſed cum liberis computari, de bonis enim Monaſterij aluntur, tanquam filij de bonis paternis, & vt filij, non vt ſerui tractati iure debent, vt patet. 1. *Religioſi.* *Nauar.* *Sanchez.* *Rebellus.*

2. Cùm ergo de Religioſis ad modum filiorum ratiocinandum ſit, inquires, quæ quantitas reſpectu illorum circà danda, & accipienda, vel appropriandа ſibi de bonis Monaſterij ad furtum mortale ſufficiat, ſpectata rationabili voluntate ſuperioris, qua rationabiliter eſſet inuitus. Et verò *Quæ quantitas reſpectu illorũ quoad bona Religionis in furto ſit mortalis. Prima concluſio.*

Dico primò. Cùm Monaſteria ordinariè egena ſint, & Religioſi votum paupertatis habeant, non per filios hominum ditiſſimorum, ſed per filios eorum, qui mediocriter pecunioſi ſunt, eos quoad furtum regulare debemus, attentis ſemper circumſtantiis locorum, vnde, vt ſuprà diximus *in cap. 3. num. 3.* de filiis horum hominum, non peccare mortaliter, ſi à parentibus inuitis clàm furentur quantitatem, ſeu valorem quinque argenteorum, hoc eſt, vingenarum decem propter rationabilem voluntatem præſumptiuam eorum, ita dicendum eſt de Religioſis circa danda & accipienda in externos, & de bonis Monaſterij hanc quantitatem ſufficere, ad furtum mortale, niſi alia minor aſſignata fuerit à ſuperioribus. Hæc probari poteſt ex doctrina Sancij *lib. 7. de Religione, cap. 21. num. 31.* & Rebelli *lib. 3. de iuſt. part. 1. quæſt. 15. ſect. 3. num. 22.* & Graphis *1. part. deciſionum aurear. lib. 3. cap. 5. num. 51.* quatenus aſſerunt furta Religioſorum ex bonis Monaſterij computanda eſſe inſtar furtorum, quæ à filiis committuntur de bonis parentum; & ideo Rebellus allegatus pro quantitate mortali aſſignat quinque argenteos reſpectu filiorum, ſeu vingenas decem; ſi tu tamen melius arbitrium tuleris, ego libenter illud ſequar, cùm enim hoc pendeat ex prudentum exiſtimatione, dixi, quod exiſtimaui, non tamen melius aliorum iudicium reiicere intendi; conſulti autem hac de re viri doctiſſimi, hoc idem exiſtimarunt, vt refert Sanchez allegatus. Et fundamentum eſt *Sanchez.* *Rebellus.* *Graphis.*

Primò, quia non minus credendi ſunt Prælati, & Religioſi inuiti, erga ſuos ſubditos quoad res furtiuè acceptas, quàm patres erga ſuos filios, nec minus liberales eſſe debent de Chriſti patrimonio, quod nec proprio labore, & ſudore acquiſierunt, nec à ſuis parentibus hæreditarunt, quàm parentes de ſuo, quod vel iure hæreditario à ſuis maioribus acceperunt, vel ipſi ſudore ſuo compararunt.

Secundò, quia licèt ſuperiores id grauius aliquantulum ferant, & ſeuerius caſtigent, quàm patres, in quo ſe oſtendunt inuitos; at id quidem eſt quoad

quoad modum, quia non petita facultate donant, & propter ſacrilegium veniale graue ob votum paupertatis, & religioſæ vitæ inſtitutum, non autem quoad ſubſtantiam; quia præſumendum eſt eos velle eam concedere ſi ab eis peteretur ipſa facultas: ſi autem id ægrè ferant, quoad ſubſtantiam irrationabiles ſunt, grauius tamen peccant venialiter Religioſi propter perfectionem vitæ id facientes, quàm filij.

3. *Quo modo & quatenus peccet Religioſus contra furtū, & votum.* Sed poſito quòd minor hac quantitate aſſignata vingenarum decem non ſit mortalis, ſed ſit minor mortali; quæſtio ſtatim inſurgit hîc tractanda, an Religioſus minima hæc recipiens ab externis abſque licentia ſuorum ſuperiorum, in externoſque expendens, vel ſibi appropriãs, aut illa vſurpans de bonis monaſterij abſque prædicta etiam licentia, etiam ſi ſint ad emenda comeſtibilia, peccet mortaliter in furto, & contra votum paupertatis, quando peruenit ad quantitatem notabilem, quæ peccatum mortale attingat; quæ quidem quæſtio pendet ex illa, an qui furatur minima ab eodem homine, peccet mortaliter, quando ea minima mortalem quantitatem attingunt, memor præteritorum furtorum, & aduertens ad notabilem quantitatem, dum id vltimum furtum rei minimæ furatur, quamuis in illis furtis minimis faciendis non habuerit animum ampliùs furandi; qua de re partita eſt opinio.

Sententia prima. Prima docet non eſſe mortale. Probatur

Primò, quia obiectum vltimi furti non eſt tota ſumma requiſita ad culpam mortalem, & reliqua furta iam præterierunt, quorum ſumma ſimiliter non attingebat quãtitatem mortalem; quare nulla ratio manet ob quam dicamus eſſe mortale, cùm enim præterita ſumma non ſufficiat ad mortale, & acceptio vltimi furti hîc, & nunc non ſit mortalis, & ſit obiectum huius furti modò facti, planè non eſt cur dicamus hanc furtioli acceptionem cum aduertentia ad alia præterita mortalem quantitatem efficere.

Secundò, quia ex multis peccatis venialibus quantumcumque cum eadem etiam materia iteratis, non conſurgit vnum peccatum mortale; cùm ergo omnia præterita furta leuia ſint & venialia, non inſurgit ex illorum multiplicatione cum plena aduertentia vnius ad aliud culpa lethalis. Tandem quia in pœnalibus & odioſis non ſit coacervatio pœnarum; & multi caſus modici efficiant vnum ſufficientem ad mortis pœnam, vt docet Iaſon *in l. ſi idem cum eodem, num.* 3. & 4. *ff. de iuriſdict. omnium iudicum,* & ibi Decius *num.* 1. & 16. & Claudius *num.* 1. & 2. & Farinacius *conſilio* 78. *num.* 3. *volum.* 1. at conſtituere peccatum mortale eſt ſatis pœnale & odioſum, & ideo hanc opinionem tuentur Nauarrus *in ſum. cap.* 17. *Lat. num.* 139. *Hiſpanica, num.* 14. & *lib.* 3. *conſiliorum in* 1. *edit. tit. de regularibus, conſil.* 75. *num.* 27. in ſecunda verò editione *tit. de ſtatu Monachorum, conſil.* 3. *num.* 27. Veiga *lib.* 14. *in Concil. Trident. cap.* 11. *fine.* Graphis 1. *part. deciſion. aurearum, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 51. & *lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 18. Carbon. *de reſt. quæſt.* 2. *fine.* Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. c.* 2. *dub.* 8. *à num.* 45.

Iaſon. Decius. Claud. Farin. Nauar. Veiga. Graph. Carbon. Leſſius.

4. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia docet compleri peccatum mortale in illa vltima acceptione rei paruulæ cum animaduerſione, ad præcedentia, qua aduertitur ad notabilem furti quantitatẽ peruenire. Ratio eſt

Primò, quia ea vltima acceptione poſita, ponitur notabile damnum, & ea ablata, ceſſat, & quicumque animaduertit ex actu ſuo leui ſubſequi notabile damnum alteri, peccat mortaliter illud faciendo.

Secundò, quia idem peccatum eſt furti retinere alienum inuito domino, atque actu vſurpare; ſed ea parua quantitas cum præcedentibus coniuncta efficit rei notabilis retentionem. ergo ſimiliter efficiet etiam rei notabilis vſurpationem. nam prius eſt vſurpare, quàm retinere.

Tertiò, quia paruæ quantitates in materia furti in vnam coaleſcunt.

Tandem quia non obſtant argumenta in contrarium adducta pro prima opinione; nam etſi obiectum vltimæ acceptionis per ſe & ſolitariè acceptum ſit veniale; at in quantum adiungitur cum aliis præcedentibus furtis, notabilem efficit quantitatem, & notabile etiam damnum infert proximo: vnde etiam ſi à diuerſis hominibus exigua quis furetur, tamen cùm ſumma incipit creſcere, & ad notabilem quantitatem peruenit, actus ille furandi præcedentibus adiunctus efficitur mortalis, quia quantitas, quæ per ſe eſt magna, & mortalis, ſemper eſt talis, ſiue ab vno, ſiue à pluribus illam furto auferas, ſiue ſemel, ſiue per partes.

Nec obſtat etiam ſecundum, quia non dicimus ex pluribus venialibus componi vnum mortale, ſed dicimus id vltimum furtiolum cum animaduerſione ad præcedentia, furtum eſſe mortale, quia ſuppoſitis præcedẽtibus infert notabile damnum. Nec obſtat etiam tertium, quia ea doctrina procedit tantùm quoad pœnam ordinariam imponendam furto in foro externo: & ideo hanc ſecundam opinionem tanquam probabiliorem ſequimur. Primam etiam eſſe probabilem dicimus, & hanc ſecundam tenent communiter Doctores, Maior *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 25. *verſ. ex iſto ſequitur.* Cordub. *in ſumm. quæſt.* 70. *punct.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 3. Medin. *cod. de reſt. quæſt.* 10. *§ occurrit hic caſus, verſ. ad ſecundum caſum.* Mercado *lib.* 3. *de contractibus, cap.* 4. *fol.* 129. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 12. Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 21. *num.* 6. Medina 1. 2. *quæſt.* 88. *art* 4. *ad finem, in ſolutione ad* 3. & ibi Vaſquez *diſp.* 146. *c.* 3. *num.* 5. & Sumel *art.* 4. *dub. penult. verſ. ſed obijciet aliquis.* Aragonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *col.* 19. *verſ. cæterum, fol.* 441. Rodrig. *tom.* 1. *ſumma in* 2. *edit. cap.* 150. *num* 8. *col.* 8. Valentia 2. 2. *quæſt.* 10. *diſp.* 5 *punct.* 5. *ad finem.* Sayro *in claui regia, lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 22. Ludouic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 93. *col.* 2. *quæſt.* 2. Petr. Nauar. *lib.* 3. *de reſt. c.* 1. *part.* 1. *in noua edit. dub.* 5. *à num.* 52. *vſque ad* 56. Toletus *lib.* 5. *ſumma cap.* 16. *num.* 5. Rebellus 1. *part. lib.* 3. *quæſt.* 15. *ſect.* 4. *num.* 30. qui bene addit hoc verum eſſe, niſi fur dum vltimum furtiolum admittit, haberet animum ſaltem virtualem reſtituendi priora minima furta, quod approbat Sanchez, modò habeat ſtatim reſtituendi, vt teneatur, quia tunc nullum eſt notabile damnum, ſi detur reſtitutio præteritorum.

Maior. Cordub. Sotus. Medina. Mercad. Couar. Sanchez. Medin. Vaſquez. Sumel. Arag. Rodrig. Valent. Sayro. Lopez. Nauar. Tolet. Rebell.

His poſitis opinionibus, clarum manet peccare lethaliter Religioſum accipientem minima ab externis, vel ex bonis monaſterij, & ſibi appropriantem, aut externis, dantem abſque licentia ſuorum ſuperiorum; quando in vltimo furtiolo peruenit ad notabilem quantitatem, quod in furtiolis, & acceptione pecuniarum, aut aliarum rerum à comeſtionibus expreſsè tenet Sanchez allegatus *num.* 30. 5.

Sanchez.

Quid ergo ſi furta illa minima ſint ex comeſtibilibus, ex bonis monaſterij. Reſpondeo ſi 6. *Quid ſi reli-*

gioſi furentur minima comeſtibilia ad proprios vſus.

modica illa ſint ex eſculentis, & poculentis ad propriũ vſum Religioſi accepta mihi videri furta illa minima non continuari; atque ita vltimum furtum non eſſe mortale, quando ſpectata rationabili voluntate ſuperiorum cum præcedentibus peruenit ad notabilem quantitatem.

Primò, quia, vt infrà dicemus *cap.* 11. *à n.* 1. hæc minima furta comeſtibilium commiſſa à famulis, & ancillis, ad proprios vſus, etiamſi ſenſim perueniant ad hanc notabilem quantitatẽ, nunquam efficiunt peccatum mortale, quia domini non ita ſolent eſſe inuiti in his comeſtibilibus, & facilè ea concederent, ſi peterentur, nec tam ſeuerè volunt illa prohibere, vt docent Caietanus *in ſumm. verb. furtum, notab.* 1. Nauar. *in ſumma Lat. c.* 17. *num.* 138. *Hiſpanica* 139. Sayrus *in claui regia, lib.* 9. *cap.* 15. *num.* 27. *fine.* Bañes 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *dub. penult. fine.* Nauarra *lib.* 3. *de reſt.* 3. *p. cap.* 1. *in noua edition. dub.* 6. *num.* 200. Leſſius *lib* 2. *de iuſt. cap.* 12. *num* 48. Quæ ratio multo fortius militat in Religioſis, cùm illi non inſtar famulorum, ſed ad modum filiorum de bonis monaſterij alantur, vt diximus *num.* 2.

Caiet. Nauar. Sayrus. Bañes. Nauar. Leſſius.

Deinde, quia poſtea ex ordinario cibo tantundem minus comedent hora conſueta, quanto plus occultè ex comeſtibilibus ad edendum, non donandum aliis acceperunt.

Quid ad donandum externis.

Tandem quia, vt diximus *num.* 2. & 1. Religioſi cum filiis computandi ſunt, & patres non ſolent eſſe admodum inuiti circa hæc comeſtibilia erga ſuos filios, & ſi ſunt, irrationabiles admodum ſunt.

7. *Quid ſi ad dandum externis.*

Quando autem non ad proprium vſum Religioſi hæc comeſtibilia clam acciperent, ſed ad vendendum, vel aliis externis donandum, tunc peccarent lethaliter contra votum paupertatis, & ſacrilegium in illius violatione committerent, quando ad mortalem quantitatem peruenirent, vt docet Sanchez *lib.* 7 *de Relig. cap.* 21. *num* 31. *ad finem*, & id colligitur euidenter ex Leſſio allegato, & ex Petr. Nauar. item allegato *num.* 202. & ex Flamma *in* 3 *part. methodi, cap.* 13. §. 19 & ex Nauarro *cap* 17. *num* 140. qui id limitant etiam in ſimilibus furtis famulorum, quia in hoc nulla eſt voluntas ſuperiorum, nec res illæ conuertuntur in vſus Religioſorum, ad quos tantùm deſtinatæ ſunt.

8. *Quid ſi habeant animũ continuandi hæc minima ad proprios vſus.*

Et verò non peccabunt etiam lethaliter Religioſi in clanculà acceptione horum minimorum comeſtibilium ad proprios vſus, etiamſi haberent animum continuandi, & accipiendi paulatim hæc minima, ad prædictos vſus proprios, quia in eo modo ſic paulatim accipiendi, non eſt ita inuitus ſuperior quoad ſubſtantiam rerum acceptarum, licèt ſit quoad modum accipiendi, quia à ſe non petitur facultas, quam facilè concederet ſi peteretur, ita docet Sanchez modò allegatus *num.* 32. quamuis Graphis 1. *part. deciſion. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 51. contrarium ſentiat.

Sanch. Graphis.

9. *Quæ quantitas in comeſtibilibus ſit mortalis, & quid ſi pretioſa ſint, & dulcearia.*

Si tamen Religioſi ſimul magnam horum eſculentorum quantitatem, & talem, quæ ſpectata rationabili voluntate ſuperiorum mortalem culpam attingeret, in proprios vſus acciperent, vel animum accipiendi haberent, peccarent mortaliter contra votum paupertatis. Arbitror tamen multo maiorem exigi horum comeſtibilium quantitatem, vt culpa ſit mortalis, quàm in aliis rebus ob rationes tactas, & ita credit etiam Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 21. *num.* 33. Quantà autem debeat eſſe hæc quantitas, non ita poteſt præſcribi in omni euentu & rebus; ſed iudicio prudentis committitur, qui attenta rerum qualitate & aliis circunſtantiis rem iudicabit. Nam ſi ſint res quæ ſoleant peculiariter cuſtodiri ad ægrotantium peculiares neceſſitates, vt ſunt gallinæ, & ſaccharo condita, quæ vulgus *conſeruas* ſolet appellare, minor quantitas ſufficiet ad mortale, quàm in aliis eſculentis, in quibus etiam maior quantitas requiritur, quando illorum eſt abundantia, & ea fundus Religionis profert, quam quando pecuniis emuntur, & illorum eſt penuria, vnde, vt dixi, totum hoc negotium prudentis arbitrio metiendum erit; & verò, ſi gallinas, aut dulcearia, quæ pro infirmis aſſeruabantur, quis furto acciperet, ita vt defectus ſentiretur, credit Flamma 3. *part. methodi cap.* 9. §. 11. *verſ. Eccleſiaſticis, ad finem*, peccare mortaliter illum Religioſum, qui valorem pretij mortalis acciperet; ſecus ſi non ſentiretur talis defectus; vnde ait, ſi Religioſus ob ſolam leuitatem & ventris ingluuiem de communitate accipiat vnam gallinam, aut perdicem, aut petaſonem & panem, & vinum pro vno ientaculo, vel prandio peculiari, vel cum amico; aut furto etiam accipiat de penu caſeum, vel capſulam malorum cydoneorum ſaccharo conditorum, *marmellada* vocamus, non eſſe reum furti mortalis, nec peccare mortaliter contra votum paupertatis, quia, moraliter loquendo, voluntas præſumitur interpretatiua ſuperioris adeſſe; deinde, quia idem etiam erit dicendum de eo famulo, qui in palatiis magnatum eadem comeſtibilia è culina auferat, quia moraliter præſumuntur volita & à dominis, & ab œconomis.

Sanch.

10. *Quid ſi hæc minima pretioſa accipiãt ab externis.*

Sed quid ſi hæc minima comeſtibilia acciperent Religioſi ab externis ad vſus proprios abſque tacita, vel expreſſa licentia ſuorum ſuperiorum. Reſpondeo vel accipiunt illa dono data, vel per furtum, & contra illorum voluntatem.

Si primo modo, idem dicendum erit, atque de comeſtibilibus ex monaſterio acceptis: imò & maior quantitas in iſtis ſic acceptis requireretur ad peccatum mortale contra votum paupertatis committendum, quàm in acceptis de bonis monaſterij, & quia in iſtis ſolent minus inuiti eſſe ſuperiores, quàm in illis, & quia nihil erogatur de bonis Religionis, vt patet; tandem quia promptius ac facilius concedunt ſuperiores licentias ad accipiendum ab externis, quàm ad donandum ex domeſticis rebus, vt patet, & optimè animaduertit Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 21. *num.* 35. Sanchez.

Si poſteriori modo, exiſtimo in vltimo furto rei minimæ complente quantitatem mortalem, mortale peccatum contra votum paupertatis committi, ſiue ea minima ab vno eodémque furentur, ſiue à diuerſis aliis.

Primò, quia ſuperior eſt omnino inuitus, & contradiceret efficaciter, ſi ſciret; imò contradicere tenebatur, ac ſi iuſtè & rationabiliter contradicente ſuperiore furarentur, peccarent mortaliter ſine dubio quando ad eam quantitatem peruenirent, quæ culpam mortalem attingeret.

Secundò, quia receptiſſima eſt omnium opinio quæ docet peccare mortaliter illum, qui minima à diuerſis & ab vno eodemque furatur.

Tertiò, quia eſſe Religioſum non eximit ab obſeruatione huius, vel aliorum præceptorum diuinorum ac naturalium; imò magis arctat ad illam, vt patet; quare hanc opinionem ex omnibus & aliis fundamentis tenet expreſsè Sanchez *lib.* 7. *de Relig c.* 21. *n.* 35. & eſt communis doctrina.

11. *Conſuetudo dandi & accipiendi qualiter excuſet.* Tria tamen conſideranda ſunt ad excuſandos Religioſos pro furtis de ſuæ Religionis, monaſteriique bonis maioris æſtimationis, quàm vingenarum decem, hoc eſt, ducentorum dipondiorum. Primò enim eſt attendendum in quibus rebus, & quo vſque cenſeatur in ſingulis Ordinibus & monaſteriis facultas generalis, & vſus communis circa danda, & accipienda: hoc enim ſufficit vt nec Religioſi, nec Moniales peccent contra votum paupertatis, vt bene notauit Leſſius *tom.* 1. Leſſius. *lib.* 2. *cap.* 41. *de ſtatu Religioſo, dub.* 9. *num.* 80. quia tunc de licentia ſuperioris datur, & accipitur, vt patet.

12. Sufficit autem quòd hæc licentia ſit tacita, & quòd videant & ſciant ſuperiores, & non contradicant, nec prohibeant, cùm facile prohibere poſſint. nam taciti, & expreſſi eadem eſt virtus. *l. cùm quid. ff. de rebus creditis*; *& cap.* 2. *de reſcriptis*, Sanch. & ita docet expreſsè præter Leſſium citatum Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 19. *num.* 7. Et licèt multi aſſerant conſuetudinem vſumque communem dandi & accipiendi aliquid in Religione abſque petitione licentiæ, non excuſare Religioſos à peccato contra votum paupertatis, & in eo ſtabiliantur, quòd voti obligatio ſit de iure naturali, & conſuetudo non poſſit contra ius naturale præ-Cald. ualere. Et hi ſunt Calderinus *in toto conſilio* 4. *de* Felin. *conſuetudine*. Felinus *cap. cùm M. de conſtit. n.* 26. Riminald. *verſ. eadem* Riminaldus *Inſtit. per quas perſonas* Redoan. *nobis acquiritur*, §. 1. *num.* 107. Redoanus *de ſpolys* Graphis. *Eccleſiæ. quæſt.* 8. *in initio, num.* 52. Graphis 2. *part.* Tabia. *deciſionum lib.* 3. *cap* 9. *num.* 4. Tabia *Authentica Ingreſſi, verb. ipſo ingreſſu cap.* 3. *num.* 55. At quamuis conſuetudo, & communis vſus nihil proſit, vt renitente, & contradicente ſuperiore aliquid detur, aut accipiatur, quia ſic accipere, vel dare eſt contra votum, iure diuino & naturali obligans, & in hoc ſenſu verum ſit quod dicunt Authores allegati: attamen ſi conſuetudo ſit recepta, & in aliqua Religione & monaſterio vigeat dandi & accipiendi, aut expendendi aliquid in licitos vſus, non petita expreſſa facultate, valebit talis conſuetudo, & excuſabit Religioſos, quia tunc adeſt licentia ſaltem tacita, & voluntas ſuperiorum explicata per eam conſuetudinem in ea Religione receptam, & ſic nihil accipitur renitente ſuperiore, Sanch. aut contra votum, vt docet Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 19. *num.* 7. *ad finem.*

13. *De vſu & conſuetudine retinendi aliquid, vel ſibi appropriādi.* Et idem dicendum etiam eſt de retentione rei, nam etiam videndum eſt quatenus in aliqua Religione, vel monaſterio datur conſuetudo, & vſus communis retinendi aliquid; & id ſufficiet ad excuſandos Religioſos à peccato proprietatis, & voti violatione, iuxta dicta numeris præcedentibus.

Prima enim actio domini, & proprietatis eſt acceptio.

Secunda retentio.

Tertia eſt expenſio, ſeu vſus, & ideo eadem conſuetudo, quæ excuſat ab acceptione, eadem etiam excuſat a retentione, & expenſione, nam præcipuum ſignum proprietatis eſt poſſidere, ſeu detinere aliquid ſine legitima licentia ſuperioris, Nauar. vt docet Nauarrus *cap. non dicatis* 12. *quæſt.* 1. & Suar. Suarius *tom.* 3 *de Relig. lib.* 8. *c.* 12. *n.* 2. & patet expreſsè ex *cap. monachi, de ſtatu monachorum*; vbi primò prohibentur Monachi peculium proprium habere, & ſtatim additur, *Niſi ab Abbate fuerit pro iniuncta adminiſtratione permiſſum*; & ſubiungitur grauiſſima pœna contra eos, qui aliter, quàm ex licētia ſuperioris inuenti fuerint habere peculium, nam in vita remouentur à communione altaris, niſi reſipiſcant, in morte priuantur ſuffragiis, & ſepultura Eccleſiaſtica, ſi in eo ſtatu moriantur, & præterea in vita priuantur etiam biennio voce actiua & paſſiua, & olim à Monaſterio expellebantur, vt habetur *cap. cùm ad Monaſterium, eodem tit.* ſed hæc pœna expulſionis correcta eſt, per *cap. finale, de regularibus*, vt notat Sanchez *lib.* 7. *de Relig.* Sanchez. *cap.* 20. *num.* 12. & Abbas *in cap. prædicto, cùm ad* Abbas. *monaſterium*, *num.* 13. Vnde conſtat hanc conditionem, *carere ſcilicet voluntate ſuperioris*, eſſe ſufficiens argumentum peculij, ad quod etiam facit *c. non dicatis* 12. *quæſt.* 1. Et ratio eſt facilis, quia qui poſſidet aliquid ſine facultate ſuperioris, non alieno, ſed proprio nomine poſſidet, & ex hac parte ſacrilegium committit. Vnde è contrario prima conditio, quæ requiritur ad retinendum poſſidendumque aliquid, ſine vitio proprietatis eſt facultas Prælatorum; quæ ſatis explicatur per vſum & conſuetudinem, quæ ſciente, & conſentiēte ſuperiore in Monaſterio, aut Religione viget.

Alij addunt quartam pœnam excommunicationis, quam dicunt incurrere Religioſos proprietarios, ſic Spino ſpeculi teſtamento. *gloſſa* 12. Gloſſa. *principali, num.* 15. Turrecrem. *cap. non dicatis* 12. Turrecr. *quæſt* 1. *art* 3. *num.* 6. ſed vt notat Sanchez allegatus Sanch. *num.* 14 non eſt talis pœna in iure, & nec pœna excommunicationis, nec aliæ pœnæ ſunt infligendæ vltra caſus in iure expreſſos; nullibi autem in iure talis pœna inuenitur.

14. *Pœna proprietary qua.* Notat autem & optimè Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 20. *num.* 11. *fine*, pœnas proprietarij non incurri à dantibus, aut recipientibus ſine licentia ſuperioris, ſed tantùm à poſſidentibus proprium; Sanchez. quia de his expreſsè & clarè loquitur textus *in cap. Monachi, de ſtatu Monachorum.*

15. *Quæ quantitas Religioſorū efficiat proprietarium.* Notabis etiam ad incurrendas has pœnas proprietariorum non ſufficere qualecumque peculium proprium, aut proprietatem, ſed opus eſſe, vt Monachus inueniatur habere magnum peculium. At quanta illius quantitas eſſe debeat, non inue- Andr. nio apud DD. taxatum. Solùm reperio apud Ioan. Hoſtienſ. Andr. *in cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu mona-* Anchar. *chorum, num.* 4. & apud Hoſtienſem *ibid. num.* 7 & Lopez. Ancharranum *num.* 10. *notabili* 5. & apud Greg. Lopez *l.* 14 *gloſſa* 3. *tit.* 7. *partita* 1. debere Monachum proprietarium ſepeliri extra Eccleſiam cum parte aliqua pecuniæ & peculij proprij inuenti, additis his verbis, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, quod idem habetur in eodem *cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu monachorum.* Et addunt hanc partem debere eſſe triginta argenteos, eo quòd Chriſtus Seruator noſter eo pretio venundatus ſit, hoc eſt, ducata tria; vnde colligitur maiorem hac quantitatem debere eſſe, vt Monachus proprietarius has pœnas incurrat, & ſic ad minimum poſſumus exiſtimare hanc quantitatem debere eſſe 30. ducatorum; quod totum arbitrio prudentis committitur, imò addit Sanchez *lib.* 7. *de Relig. cap.* 20. *num.* 11. ſe nullum ſolidum fundamentum inuenire opinioni horum Doctorum aſſerentium cum eo Monacho ſepeliendum eſſe pretium, quo Chriſtus Dominus venditus fuit, ſed ſufficere ſi cum eo ſepeliatur aliqua pars ipſius pecuniæ, aut peculij in ſignum perditionis, & terrorem aliorum, ne ea pecunia deperdatur, ac pereat, quia ea ceremonia non eſt de neceſſitate, ſed eſt tantùm ad terrorem, nam ſi de neceſſitate eſſet, profectò totum peculium cum eo ſepeliendum foret, vt patet.

Secun

16. *Quæ Religioſum excuſent à furto, & voto.*

Secundum caput excuſationis quod attendi debet ad excuſandos Religioſos à furto, & vitio proprietatis, ac proinde à ſacrilegio, & voti tranſgreſſione, eſt voluntas præſumptiua & tacita ſuperioris, nam ſi hæc adſit, non peccabunt lethaliter, nec in accipiendo, nec in retinendo, nec in expendendo aliquid de bonis Religionis, quod excedat notabilem quantitatem mortalem, aut illam attingat iuxta commune principium, quod ſuprà *num.*12. *ad finem*, attigimus; taciti enim & expreſſi eadem eſt virtus, & ita docent etiam cum multis expreſsè Corduba *in ſum. quæſt.*109. Molina *tom.*2. *de iuſt. diſp.*276. Valentia 2. 2. *diſp.*10. *quæſt.*4. *punct.*3. Leſſius *lib.*2. *cap.*41. *dub.*9. *n.*80. Azor. *tom.*1. *lib.*12. *cap.*12. *quæſ.* 2. 3. & 4. Toletus *in ſumma de peccatis mortalibus, cap.*28. Lud. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.*156. *concluſ.*3 Soares *tom.*3. *de Relig. lib* 8. *cap.* 11. *num.* 4. qui omnes probant tacitam & præſumptiuam voluntatem ſuperioris ſufficere; opus eſt autem, vt optimè notat Sanchez *lib.*7. *de Relig. cap.*19. *num.*6. vtraque voluntas dandi, & accipiendi detur, nam cùm dare, & accipere ſint res diuerſæ; licentia ad dandum non ſufficiet ad accipiendum; alioquin licentia expreſſa, v. c. ad accipiendum librum ab externis, extenderetur ad licentiam alienandi illum, quod eſt ingens abſurdum; vnde bene probat Nauarrus *in commentario* 2. *num.* 40. *de regularibus*. licentiam Religioſo conceſſam conuertendi, acquiſita in proprios vſus intelligendam eſſe de ſolis acquiſitis labore, arte, opera, & induſtria Religioſi, non autem de acquiſitis per acceptionem & donationem, idque probat ex *l. coiri, cum l.*4. *& ſequenti, ff. pro ſocio*, vbi probatur ſocietatem ſimpliciter contractam intelligi de his, quæ ex quæſtu obuentura ſunt, non ex legato hæreditate, vel donatione, ac proinde intelligi ſolùm de his, quæ arte, opera, & induſtria lucrata ſunt, quam doctrinam probat etiam Sanchez allegatus *dicto num.* 6. Hæc autem voluntas præſumptiua ſuperioris tunc datur, quando ſubditus ſciret, vel bona fide crederet probabiliter ſuperiorem ſibi conceſſurum eam rem, ſi ille eam ab eo peteret, tunc autem id probabiliter credere poteſt, quando experientia ſibi compertum eſt, ſolitum eſſe ſuperiorem libenter eam licentiam aliis concedere, nec notabiliter ægrè ferre, vt non petatur, ad quod ſufficit probabilis cognitio illius, vt docet Sanchez *dicto lib.*7 *de Relig. cap.*19. *num.*15. Item tunc etiam probabiliter id credere poteſt, quando experientia ſibi compertum ſimiliter eſt, eum erga ſe eſſe ſuperioris affectum, vt libenter ſibi daret ſi id ab eo peteret, aut ſciret eum re tali indigere, aut deſiderare; tunc enim ſatis cenſetur habere licentiam, ſaltem virtualem latentem in illo erga ſe affectu, imò ſufficiet quòd credat, vt ſuperior ſibi eam licentiam ſic accipiendi, aut alienandi daret, quamuis illi diſpliceret, hic accipiendi, vel alienandi modus, quia ſuperior non erit tunc inuitus quoad rem, ſed quoad modum, & ſic non mortaliter, ſed venialiter tantùm peccabit; & ita docent expreſſè Nauarrus *commentario* 2. *num.*40. *de regul.* Mendoça *in ſuis quodlibeticis, quæſt.*8. *poſt concluſionem* 7. *& concluſione* 8. Petr. Nauar. *lib.*3. *de reſt. cap.*1. *part.*3. *in noua editione dub.*1. *num.*160. Rodriguez *quæſt. reg. tom.*3. *quæſt.*29 *art.*10. *concluſ.* 7. *& art.*11. *fine.* Leſſius *tom.*1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.*41. *dub* 9. *num.*8. Rebellus 1. *part. lib.*3. *quæſt.*15. *ſect* 3. *num.*22. & idem tenet Soarius *tom.*3. *de Relig. lib.*8. *cap.*11. *num.*4. vbi dicit in rigore ſufficere tacitam, vel probabiliter præſumptam voluntatem ſuperioris, in eo etiam caſu, in quo poſſit licentia poſtulari, & ob aliquem humanum reſpectum, pudorem, vel difficultatem adeundi ſuperiorem omittitur. Et ratio eſt, quia quando ſuperior non eſt inuitus quoad rem acceptam, vel alienatam, ſed quoad modum accipiendi, vel alienandi reputatur leuis materia excuſans à mortali, quare cenſetur Religioſus ille rem illam accipere, retinere, & alienare ex voluntate ſuperioris ſaltem virtuali, quæ in affectu illo latitat; & huius etiam opinionis ſunt omnes, qui dicunt eſſe proprietarium illum Religioſum, qui donat aliquid niſi ponat ſpem in ratihabitione Prælati, loquuntur enim de ratihabitione de futuro, & hi ſunt D.Th. *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*2. *art.* 5. *quæſtiuncula* 4. *in corpore.* Roſella *in ſumma verb. eleemoſyna, num.*1. Toletus *in ſumma ad finem*, vbi agit de peccatis mortalibus, *cap.*28. *in fine.* Molina *tom.*2. *de iuſt. diſp.*276. Azor. *tom.*1. *lib.*12. *cap.*12. *quæſ.*2. 3. & 4.

Corduba. Molin. Valentia. Leſſius. Azor. Tolet. Lopez. Soares. Nauarr. Sanchez. Nauarr. Mendoça. P Nauarra. Rodrig. Leſſius. Rebellus. Soar. D.Thom. Roſell. Tolet. Molina. Azor.

17. Et probatur adhuc hæc ſententia ex *l. inter omnes* 47. *§. rectè, ff. de furtis*, ibi, *Rectè dictum eſt qui putauit ſe domini voluntate rem attingere, non eſſe furem, quid enim dolo fecit, qui putat dominum conſenſurum fuiſſe*; vbi apertè dicitur non eſſe reum furti illum, qui credens dominum rei conſenſurum rem clam accipi, quod idem in furto tenent D. Antonin. 2. *part. tit.*1. *cap.*15. *initio*, Roſella *verb. furtum, initio, & ibi* Angelus *n.*7. Syluester *ante quæſtionem* 1 *num.*1. Tabiena *num.* 1. Aragonius 2.2. *quæſt.*66. *art.*3. *paulo poſt initium.* Sayrus *in claui regia lib.*9. *cap.*12. *num.*2. *verſ. dicitur inuito*, nam ſimiliter furtum quod quis credit probabiliter dominum conſenſurum, non erit mortale, ſed veniale, quia ad ſummum cenſebitur dominus inuitus quoad modum, non quoad rem, vt tenet Armilla *verb. furtum, num.*2. Caietanus *in ſumm. Lat. cap.*17. *num.*15. *verſ.*4. *& num.*138. *Hiſpana num.*4. *&* 139. Sà *verb. furtum, num.*3. Graphis 1. *part. deciſionum lib.*3. *cap.*1. *num.*54. Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*12. *dub.*8. *num.*49. Sanchez *lib.*7. *de Relig. cap.*19. *num.*13.

D. Anton. Roſell. Angel. Syluester. Tabien. Arag. Sayro. Armil. Caiet. Sà. Graphis. Leſſius. Sanchez.

18. Et ex hoc principio excuſantur à mortali & à tranſgreſſione voti paupertatis multa furta Religioſorum, ob hanc enim rationem aſſerunt Nauarrus *commentario* 2. *num.*20. *de regularibus.* & Mendoça *in qq. quodlibet. quæſt.* 8. *concluſ.*8. & Graphis 1. *part. deciſionum lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 34. & Sanchez modò allegatus, poſſe Moniales retinere munera, quæ inſciente Abbatiſſa receperunt, quando ſciunt Abbatiſſam licentiam facilè conceſſuram ſi illam ab ea peterent.

Nauar. Mendoça. Graph.

19. *Obiectio.* Dices, quando valor actus pendet à licentia, oportet hanc præcedere, & non ſufficit ratihabitio de futuro, vt cernitur in valore matrimonij, non enim ſufficit ad illum, quòd Sacerdos aliquis putet probabiliter à Parocho concedendam fore licentiam ad iungendos aliquos matrimonio, ſed opus eſt, vt licentia ſit de præſenti, vel præcedat, vt docet Suarius *tom.*3. *in* 3. *part. quæſt.*82. *art.*3. *diſp.*72. *ſect.*3. *col.*2. *verſ. Hinc ſequitur*, & Sanchez per multos & multa iura *lib.*3. *de matrim. diſp.*35. *num.*17. Sed valor actus huius alienationis rei datæ externis, aut ab illis acceptæ, pendet totus à licentia ſuperioris; quia Religioſus per votum ſolemne proprietatis, ſe reddidit inhabilem, & incapacem ad dandum aliquid, aut accipiendum validè, niſi de licentia ſuorum ſuperiorum; ergo niſi illa præcedat, inualida erit talis donatio,

Suar. Sanchez.

natio, & acceptio, & peccabit mortaliter contra votum paupertatis, nec à furto excuſabitur, ſi aliquid abſque illa donando alienauerit. Reſpondeo non eo rigore rem hanc accipiendam, ac accipitur cùm agitur de iuriſdictione ad valorem ſacramentorum; nam ad valorem ſacramentorum requiritur verè actualis voluntas expreſſa, vel tacita, quæ ratihabitio de præſenti, vel de præterito appellatur; de præſenti, id eſt, quòd videat Parochus ſacerdotem Parochianos ſuos matrimonio coniungere, & annuat, cùm poſſit renuere; de præterito, quòd reuera ante illum actum licentiam dederit, vt doctè explicat Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 35. num. 20. & 21.* At hic ad donandum, vel accipiendum ſufficit ratihabitio de futuro, id eſt, ſufficit quòd quis probabiliter credat, & moraliter certus ſit ſuperiorem eam ſibi licentiam daturum; ſi illam ab eo peteret, vel quia communiter ſolet ſuperior eam aliis dare, vel quia talis eſt affectus, & voluntas ſuperioris erga ſe ipſum, vt reuera, & bona fide credat ſuperiorem facilè ſibi eam licentiam conceſſurum, ſi illam ab eo peteret; hanc autem bonam fidem, non habet qui modis omnibus rem occultat, ne à ſuperiori videatur, aut ſciatur. Et ratio diuerſitatis eſt, quia in hoc caſu tantùm petitur, ne dominus, vel ſuperior ſint inuiti; ad valorem autem ſacramentorum requiritur iuriſdictio, quæ tota debet eſſe antecedens, aut ſaltem præſens, cùm ſacramenta adminiſtrantur, & exercentur, & ita reſpondet Sanchez, & optimè, *dict. lib. 7. de Relig. cap. 19. num. 15. ad finem*, quem patienter lege.

Sanchez. Idem.

20. *Alia Religioſorum excuſatio.* Tertium caput excuſationis, quod attendi debet ad excuſandos Religioſos à furto, & tranſgreſſione voti paupertatis circa danda, & accipienda, eſt Epiikia, & coincidit ferè cum modo hactenus explicato: eſt enim Epiikia voluntas præſumptiua ſuperioris, quia rationabiliter præſumit, ac iudicat Religioſus ſuperiorem hic & nunc talem licentiam conceſſurum: ad hanc autem Epiikiam duo neceſſariò requiruntur, alterum eſt quòd res vrgeat, alterum quòd ſuperior non ſit præſens, aut præſtò non inueniri, ac adiri poſſit, ita docet D. Thom. *2. 2. quæſt. 12. art. 8. ad 1.* quem citat Leſſius, & idem Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 41. de ſtatu Religioſo, dub. 9. num. 8.* Lud. Lopez *1. part. instruct. cap. 161. verſ. penult. & lib. 2. de contractibus, cap. 40. col. penult.* Rodrig. *tom. 2. ſumma cap. 31. num. 7.* D. Bonauent. *n. 12.* allegandus; & Nauarrus *in cap. non dicatis 12. quæſt. 1. num. 40.* & idem videtur docere Soarius *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 9. num. 28. fol. mihi 310.* vbi aſſerit Epiikiam nihil aliud eſſe, quàm interpretatiuam voluntatem ſuperioris, quam quiſque ſubditus hic & nunc prudenter interpretari poteſt. Vnde docet *ibi*, ſi Religioſo Diui Franciſci occurrat occaſio ſubueniendi parenti grauiter laboranti, & indigenti, accipiendo ab aliquo oblatam pecuniam, & tunc non habet opportunitatem accedendi ad ſuperiorem ad eam licentiam petendam, & talis occaſio ſit, vt ſi illam amittat, careat morali ſpe alterius ſimilis, poſſe illum tunc interpretari, regulam non obligare; & voluntatem ſui ſuperioris eſſe, vt pecuniam accipiat; quia in eo caſu ſine dubio licebit vti Epiikia, ſiue interpretatione voluntatis ſui ſuperioris.

D Thom. Leſſius. Lopez. Rodrig. D. Bonau. Nauar. Soar.

21. Et idem dicendum eſt, ait Soarius allegatus, ſi ſuperior petita licentia iniuſtè, & irrationabiliter illam negaret, vt irrationabiliter negaret in hoc caſu, & in aliis ſimilibus.

Primò, quia iniuſta negatio non adimit poteſtatem ſubdito interpretandi iuſtè voluntatem ſui ſuperioris.

Secundò, quia perinde eſt habere Prælatum abutentem ſua poteſtate, & iniuſtè nolentem illa vti, cùm poſſit, & ex charitate debeat, ac non habere copiam talis Prælati. hæc Soares *ibi.*

22. *An qui Epiikiâ dâdo, vel accipiendo vſus, teneatur id poſtea manifeſtare ſuperiori.* Sed dubium eſt, an qui per Epiikiam aliquid accepit, vel expendit, & licentia hac interpretatiua prudenter vſus eſt, teneatur ex vi voti paupertatis referre poſtea ſuperiori ſe diſpoſuiſſe cum tali licentia, vel accepiſſe. Breuiter cum diſtinctione reſpondeo. Quando tota ratio ſic accipiendi, aut diſponendi fuit, non fuiſſe præſentem ſuperiorem, aut non potuiſſe commodè adiri; quia reſurgebat, & res quam Religioſus dedit, probabiliter extat apud illum, cui eam dedit, & quam ipſe accepit, non eſt conſumpta, nec alienata, ſed ſimiliter apud ſe extat, & poteſt id ſuperior emendare, aut reuocare, tenetur ſubditus ne violet votum paupertatis, & proprietarius ſit, id referre ſuperiori; quando verò res accepta iam eſt conſumpta, & apud alium non ſtat, non tenetur, quia iam nequit à ſuperiore emendari, aut reuocari, ita docet D. Bonauent. *1. part. ſpeculi diſciplinæ ad Nouitios, cap. 4. fine*, & Sanchez *de Religione lib. 7. cap. 19. num. 8.* quod facile probatur, quia licentia eſt ſolùm in hoc caſu rationabiliter præſumpta pro eo tempore, quo ſuperior conſuli, & adiri nequit; ergo eo tempore tranſacto, ſi res extat, & nondum alienata eſt, retinebitur ea res abſque licentia, & erit vſus illius, vſus rei propriæ; quòd eſt directè contra votum paupertatis, & eſt eſſe proprietarium, nam non ſolùm acceptio, ſed etiam retentio rei contra voluntatem, aut, vt meliùs dicam, abſque voluntate ſuperioris proprietarium facit, & dominum, vt diximus *num. 13.* Si verò ratio accipiendi, aut diſponendi non fuit difficultas adeundi ſuperiorem, ſed fuit quia ſubditus probabiliter, & bona fide credebat eam eſſe erga ſe voluntatem ſuperioris, vt facile concederet, ſi talem licentiam, & tam iuſtam ab eo peteret, aut quia ſuperior ſolitus eſt eam licentiam aliis concedere, nec multum ægrè fert, ſi ea ab eo non petatur, vt diximus *num. 16.* non tenetur Religioſus hic poſtea ſuperiorem certiorem facere, etiamſi res apud ſe inconſumpta extet, & ita docent expreſſè Sanchez allegatus *dicto lib. 7. de Relig. c. 19. num 8. & 9.* Nauarrus *in commentario 2. num. 20. de regularibus.* Mendoça *in ſuis quæſt. quodlibeticis, quæſt. 8. concluſ. 8.* Graphis *1. part. deciſion. lib. 3. cap. 5. num. 54.* Ratio eſt, quia ſi id ante factam diſpoſitionem licuit vſurpare inconſulto ſuperiore, ſaltem abſque culpa mortali quando facile adiri poterat, à fortiori licebit poſtea illud retinere, vel alienare, vt patet. Sic poteſt licitè Monialis, aut ſaltem abſque culpa mortali retinere munera, aut pecuniam, quam inſcia Abbatiſſa accepit, quandò ſolet Abbatiſſa prædictam licentiam facilè concedere, cum ab ea petitur, iuxta Sancium allegatum.

D Bonau. Sanch.

Sanch. Nauar. Mendoça. Graphis.

De furtis Religioſorum.

SVMMARIVM.

An Religioſi inter gentes poſſint ad ſuos vſus retinere, vel donare liberè quicquid ſibi de viatico ſuperfuerit. num. 23.

Quid de Religioſis, qui aſſignata certa quantitate ad

ad victum, & veſtitum de licentia ſuorum ſi periorum in ſtudijs verſantur. *num.* 24.
Quid de ijs, qui eadem quantitate aſſignata negotia extra Religionem tractant. *num.* 25.
Quid de ijs, qui eadem licentia ſuorum ſuperiorum certa portione aſſignata curant beneficia Religionis. *num.* 26.
Quid de Religioſis, qui ſtipendia Cathedrarum in Vniuerſitatibus merentur. *num.* 27.
An Religioſus iter agens poſſit pecunias ſibi oblatas de licentia ſuperioris tacita acceptare pro expenſis. *num.* 28.
Quatenus ſuperioris voluntatem interpretari poſſit Religioſus iter agens ad aliquid ſibi oblatum accipiendum. *num.* 29.
Quæ poſſint Religioſi dare, & accipere ſibi adinuicem in ſignum amicitiæ & beneuolentiæ abſque licentia ſuperioris ſi ſint eiuſdem Religionis, & Monaſterij. *num.* 30. *Quid ſi in Religione circa hoc ſit aliquid ſtatutum.* *ibid.*
Quid ſi Religioſi ſint eiuſdem Ordinis, ſed diuerſi Monaſterij. *num.* 31.
Quid ſi ſint diuerſi Ordinis, & familiæ. *num.* 32.
Quid ſi Religioſus petat licentiam à ſuperiori ad expendendum aliquid in vſus licitos, & expendat in illicitos. *num.* 33. *An qui aliquid à Religioſis accipiunt ob vſus meretricios & illicitos teneantur illud reſtituere Monaſterio.* *ibid.*
Quid ſi Religioſus petat licentiam à ſuperiore ad expendendum aliquid in vſus licitos, & expendat in illicitos: *num.* 34. *&* 35.
An ex aliquo principio poſſimus excuſare à reſtitutione eos, qui ob vſus illicitos, & meretricios aliquid accipiunt à Religioſis. *num* 36.
Quid ſi Religioſus poſtulauit ad vnum vſum licitum, & in alium expendit ſimiliter licitum. *numero* 37.
Quid ſi res ſint deputatæ ad vſum communem Religioſorum, & egenti Religioſo petita, & non obtenta, negatæ fuerint, *num.* 38.

23. *Religioſus iter agens ex licentia ſuperioris.*

Religioſi iter agentes de licentia ſuperioris poſſunt retinere ex iis, quæ ſibi pro expenſis itineris dantur à Prælato quicquid ex ventre ſubtraxerint; vel parciùs comedendo, vel quia à ſæcularibus nobilibus in itinere inuitantur ad menſam, donare ad libitum in eleemoſynas, vel in alios pios vſus, ea tamen lege, vt nihil amplius teneantur Monaſteria eis donare, ſi fortè viatica pecunia defecerit, & ipſi eam mutuam accipiant, nec ipſi rationem reddere teneantur viatici iuxta illorum pium inſtitutum, aut Religionis conſuetudinem, ſed quod ipſi ſuo commodo, vel incommodo expendant, ita docet Nauar. *in cap. non dicatis* 12. *quæſt.* 1. *num* 40 & Flamma 3. *part. methodi cap.* 13. §. 16 Et ratio illorum eſt, quia licentia ad iter faciendum aſſignata à Religione quota pro ſuſtentatione itineris videtur ad id ſe extendere, & ſic de licentia tacitâ ſuperiorum cenſentur id efficere: deinde, quia ad hoc ſufficit vſus illius pecuniæ viaticæ cum libera diſpoſitione illius.

Nauar. Flamma.

24. Idem dicendum eſt iuxta Nauarrum *in manuali Lat. cap.* 20. *num.* 12. & Sancium *de Relig. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 30. & Molin. *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 276. *verſ. Religioſus in Conuentu*, & D. Thom. 2. 2 *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Leſſium *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 18. *de promiſſ. & donat. dub.* 11. *num.* 83. & Flammam *num. præcedenti* allegatum, §. 15. & alios quos citauimus *in cap.* 3. *num.* 8. de iis Religioſis, qui de licentia eadem ſuorum ſuperiorum in ſtudiis verſantur, & Vniuerſitatibus literas diſcendi cauſa, aſſignata ſimiliter certa quota ad annuum alimentum.

Nauar. Sanchez. Leſſius. Molina. Flamma.

25. Idem de Religioſo, qui in negotiis extra monaſterium verſatur ſuæ Religionis ob idem fundamentum; is enim etiam aliquam partem deſtinatæ quotæ ad propriam ſuſtentationem in ludo honeſto cauſa honeſtæ recreationis inſumere poteſt, ſicut & alij præcitati poſſunt, quia ad alimenta pertinent honeſtæ, ac licitæ recreationes, & alimentorum nomine iure hæ quoque veniunt, vt alibi probauimus.

Religioſus negotians extra Religionem.

26. Idem de Religioſis, qui conſtituuntur à ſuis Prælatis ad curanda Religionis beneficia certa portione deſtinata pro proprio alimento, vt etiam notat Flamma *dicta* 3. *part. methodi cap.* 13. §. 16.

Religioſi qui curam habet beneficiorum Religionis.

27. Idem denique de Religioſis; qui in Vniuerſitatibus de licentia Religionis, ſtipendia cathedrarum demerentur, ob eandem rationem, & idem fundamentum; omnes enim huiuſmodi Religioſi in eleemoſynas, & pios vſus quicquid ex prædicta quota ſibi fuerit reſiduum, licitè poterunt expendere, quia de licentia tacita ſuperiorum; id cenſentur efficere; extra hos verò pios vſus peccant contra votum paupertatis, & ſacrilegium committunt, ſi quid in illicitos expenderint, ac turpes, & tenentur ad reſtitutionem, qui id eo titulo ab illis acceperunt ſi extet; ſi verò non extet, & bona fide acceperunt, tenentur reſtituere id in quo facti ſunt ditiores, vt eſt communis doctrina, qua de re non nihil iam egimus *cap.* 3. *n.* 8. *&* 9. & per hæc patet quid dicendum ſit de meretricibus, aut aliis mulierculis, quæ ob turpem quæſtum aliquid à malis Religioſis accipiunt.

Religioſi qui ſtipendia cathedrarũ merentur in Vniuerſitatibus.

28. Poteſt etiam quicumque Religioſus iter de licentia ſuperioris agens abſque periculo tranſgreſſionis voti paupertatis acceptare in itinere pecuniam etiam amplam ſi ſibi ab aliquo donetur pro expenſis, & quod ſuperfuerit dare pauperibus; & is poteſt præferre amicos, & propinquos: & ratio eſt, quia cenſetur id facere de licentia tacita ſuperioris; acquirit enim nomine Monaſterij; & omnis prudens ſuperior debet gaudere, vt nomine Monaſterij & Monaſterio acquirat, deinde quia Religioſi non prohibentur acquirere nomine Monaſterij, & in abſentia Prælati habent interpretatiuam licentiam illius, nulli enim prudenti ac rationabili Prælato id diſplicere poteſt, quod ſi diſplicuerit, in ordinata & irrationabilis eſt diſplicentia perſonæ, non officij; ita docet expreſsè Flamma 3. *part. method. cap.* 9. §. 11. *verſ. & vt manca*, & facit id quod docet Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *c.* 9. *num.* 28. de Religioſo D. Franciſci, cuius pater indigentia eſt oppreſſus, qui poteſt iter agens de licentia tacita ſuperioris aliquid acceptare pro ſubleuanda patris neceſſitate in itinere oblatum, quia prudenter poteſt cogitare hîc, & nunc eam eſſe voluntatem rationabilem ſui ſuperioris, vt ſuprà diximus *num.* 20.

Religioſus iter agens an poſſit pecunias ſibi oblatas acceptare pro expenſis.

Flamma. Suar.

29. Dices hoc eſſe contra regulam Religioſorum, qui licèt non prohibeat ſimpliciter acceptionem rei oblatæ, prohibet tamen ſine licentia fieri, vnde etiam videtur huiuſmodi Religioſus contra ius Prælati facere ſi in itinere aliquid accipiat, habet enim Prælatus ius, ne ſine eius licentia aliquid acceptet. Reſpondeo cum Suario allegato *n.* 27. regulam, & ius Prælati poſtulare licentiam, vel antecedenter datam, vel ſecundùm rectam rationem dandam; quapropter hîc, & nunc prudenter

Obiectio.

poteſt

poteſt Religioſus voluntatem ſuperioris interpretari. Quod omnino indubitatum eſt, quando Religioſus etiam D. Franciſci pecuniam in itinere acceptat ad ſubleuandam indigentiam parentis, quia opus illud, & obligatio illi ſubueniendi eſt de iure naturali antiquiore regulæ obligatione, quæ Religioni non opponitur, & ideo nec facit contra regulam, nec contra ius ſuperioris, quia ſi ſuperiori id poſtea diſpliceat, non vtitur iure ſuo, ſed abutitur; nam in eo caſu ſi Religioſus licentiam à ſuperiore apertè ante poſtulatet, ad aliquid pro indigentia patris acceptandum, & ille non ſolùm negaret, ſed etiam prohiberet præcepto, non teneretur Religioſus obedire, quia præceptum Prælati in eo caſu iniquum eſſet, & inualidum, modò neceſſitas parentis, & ius Religioſi ſit patens, quia in dubio ſuperiori fauendum eſt, vt eſt generalis re-
Suar. gula quam approbat idem Suar. *dict. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 9. n. 27. & 28.* perinde enim eſt habere Prælatum ſua poteſtate abutentem, & iniuſtè illa vti volentem, cùm poſſit, & debeat; ac copiam illius non habere, iuxta eundem Suar. *dict. n. 18. fin.*

30. *Religioſi quæ poſſint dare & accipere in ſignũ amicitiæ.* Sed poteſt aliquis hîc petere, quæ poſſint Religioſi inter ſe dare, & accipere ſigno amicitiæ, & beneuolentiæ, irrequiſita ſuperioris licentia? Reſpondeo hoc aſſignari non poſſe; ſed ſeruandam eſſe regulam, & ſtatutum, ac conſuetudinem cuiuſque Religionis. Certè Hieronymus Flamma 3. (Flamma.) *part. method. cap. 9. §. 12.* ita aſſerit, ſi dans, & accipiens ſunt eiuſdem Religionis, & Monaſterij profeſſi poſſunt ſibi mutuo ad vſum tantùm dare libros, & res cuiuſcumque pretij, quæ ſibi ad vſum à ſuperioribus conceſſæ ſunt abſque vllo furti, & trangreſſionis voti ſcrupulo, quia dans voluntariè vſum alteri Religioſo accommodat, quem habet; dominiũ verò rei in Monaſterio manet, cùm ſemper illius ſit dominium ipſius rei, ſiue hic, ſiue ille Monachus, ac Religioſus illam habeat, & nulli fiat iniuria niſi ſaltem Prælato, ſi ſine eius licentia tacita, vel expreſſa fiat, quod non erit iniuſtitia, ſed inobediẽtia, & ſẽper venialis, niſi adſit contẽptus, quod procedit in omnibus Religioſis, qui habent bona in communi dempta Franciſcanorũ familia, quæ bona in communi non habet. Hæc Flamma.

31. Addit, ſi dans, & accipiens ſint eiuſdem Ordinis, ſed diuerſi Monaſterij, domus, aut Collegij, poſſunt ſibi adinuicem donare res minoris pretij, ſine licentia Prælati; quæ quia non ſunt mathematicè accipienda, nec in indiuiſibili pretium conſiſtit, ponit exempla in duobus narium ſudariolis, in vno mantili ad extergẽdas manus, in vagina cultellorum, in libro valente quatuor argenteis, & his ſimilibus, dummodo nõ ita ſit iterata datio, & hæc planior eſt doctrina, quando ſunt eiuſdem Monaſterij, vt patet: nam tunc cùm ſint ſubditi eiuſdem Prælati, maior communicatio eis concedenda eſt ad vtenſilia in veſtibus, & ſic poterunt ſibi dare adinuicem tunicam, caligas, cucullam, omnia ſeruato voto paupertatis; perfectius tamen erit, ſi hæc omnia ex ſpeciali licentia Prælati fiant.

32. Si ſint, addit, tamen diuerſi Ordinis, idem erit iudicium de illis atque de extraneis, vnde erit alienatio bonorum communitatis, ſi aliquid daretur Religioſo extraneo magni pretij. Excipitur tamen caſus, inquit, quo duo concionatores, vel honorabiles fratres diuerſi Ordinis, & Religionis mutuo ſibi darent libellos non magni pretij, ſermones ſcriptos, materias Theologiæ, picturas tabellarum, quia ad hoc datur licentia interpretatiua, & eſt mutua compenſatio, & ciuilis comitas, quam velle auferre, eſſet quædam iniuſtitia; eſt enim lex Dei, & Religionis nimis diſcreta, ac prudens, ita ſe habet doctrina Flammæ, quam non impugno, quia rationabilis videtur; ſolùm animaduerto hæc eſſe intelligenda quando id eis regula, aut ſtatutum ſuæ Religionis nõ prohibet, animaduerto etiam meliùs illos diſcurrere, qui comparant Religioſos filiis hominum mediocriter pecunioſorũ, & illis concedunt ea, quæ ſpectata rationabili voluntate parentum filiis concedantur, iuxta ea quæ diximus *n. 2. huius capitis*, quæ hîc explicanda erũt.

Sed quid ſi Religioſus à ſuperiore petat licentiam ad expendendum, vel donandum aliquid in vſus licitos, & pia opera, & expendat in vſus illicitos, & qui etiamſi petat ad vnam rem licitam, & expendat in aliam? Breuiter reſpondeo ſi petat ad vſus licitos, & expendat in illicitos, furtum facere, & crimen committere ſacrilegij contra votum paupertatis, & teneri ad reſtitutionem il lum, qui eo titulo à Religioſo aliquid accepit, quæ planè reſtitutio facienda eſt Monaſterio, vel domui, in qua prædictus Religioſus morabatur; ſi tamen bona fide ab eo accepit, ſolùm tenebitur reſtituere id in quo factus eſt ditior, ſi res iam non extet, ſi extet, illam in integrum tenebitur reſtituere. Vſus autem illicitos appellamus hic vſus inhoneſtos, & meritricios, & alios ſimiles; non verò curioſitates aliquas proprias Religioſorum, veluti tabellarum picturas, & cultellorum vaginas, aut aliquid ſimile; quia in his ſolùm erit inobedientia, non iniuſtitia, nec furtum, cùm dominium harum rerum Religionis ſit, non Religioſi; quicquid enim Religioſus acquirit, Religioni, & Monaſterio acquirit, non ſibi, vt patet. Et fundamentum, ac ratio ob quam furtum committit Religioſus ſi expendat in vſus illicitos, & teneatur ad reſtitutionem, ille qui hoc titulo aliquid ab eo accepit, eſt, quia nec ſuperior poterat dare hanc licentiam, niſi ad pios, & licitos vſus, & ſi ad illicitos daret, etiamſi daret de conſenſu totius communitatis, non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè daret; eſſet enim talis licentia iniuſta, inualida, & caſſa, quia Prælati Religionum non ſunt domini abſoluti bonorum Religionis, ſed adminiſtratores, ac diſpenſatores: diſpẽſator autem non poteſt excedere modum ſuæ adminiſtrationis, ius autem non concedit illis adminiſtrationem ad vſus prophanos, & illicitos, ſed ad licitos, vnde ſi ad illicitos licentiam concederent, irrita eſſet talis licentia tanquam conceſſa à non potente dare, & à non habente poteſtatem: ita docent communiter DD. P. Nauar. *lib. 3. de reſt. cap. 1. num. 182.* Flamma *3. p. method. cap. 13. §. 15.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. c. 18. de promiſſ. & donat. dub. 11. n. 83.* Nauar. *lib. 3. conſilior. edit. tit. de regul. conſil. 75. num. 33. & in 2. edit. tit. de ſtatu Monachor. conſil. 13. num. 33.* Molin. Theolog. *tom. 2. de iuſt. diſp. 276. col. 3. verſ. Religioſus in concentu.* Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 19. num. 21.* D. Thom. *2. 2. quæſt. 32. art. 8. ad 1.* & alij paſſim.

33. *Religioſus expẽdens aliquid in vſus illicitos.* — *Vſus illiciti hic qui.* — P. Nauarr. Flamma. Leſſius. Nauar. Molin. Sanch. D. Thom.

34. Ex dictis patet ſolutio ad 2. quæſitum: nam idem etiam dicendum omnino eſt iuxta DD. citatos de eo caſu, in quo Religioſus petit ad licitos, & expendit in vſus illicitos, ob eandem rationẽ; quid enim refert, ſi habeat licentiam ad id donandum, vel ad expendendum eam pecuniam, cùm tamen inualidè, iniuſtè, & illicitè expendat, imò tunc ex duplici titulo tenetur Religioſus illam reſtituere, ſi apud ſe eſt, & ille, vel illa, quæ à tali Religioſo eam accepit ob turpes, & honeſtos vſus, ſi ſimiliter apud ſe extat; ſi verò non extat, tenetur

Monaſterio reſtituere id in quo facta eſt ditior,ſi bona fide accepit,& conſumpſit;ſi verò mala fide accepit, rem integram quoad valorem reſtituere tenetur, cùm nec ipſe Religioſus eam potuerit validè donare, nec ſuperior licentiam ad turpes vſus dare; & hic eſt primus titulus, ob quem tenetur vterque ad reſtitutionem.

Secundus verò eſt, quia Religioſus ſuperiorem decepit,qui talem licentiam non daret, ſi veritatem ſciret, & ſic ea licentia vltra iniuſtitiam fuit inuoluntaria per iniuriam,fraudem, & dolum extortam, qui tamen ab eo Religioſo eam rem accepit, non gratuitò, aut ob turpes, & inhoneſtos vſus, ſed per venditionem, vel commutationem iuſtam,credo ad nihil teneri,quia in nihilo damnificauit Monaſterium, cùm tantum dederit, quantum acceperit; ita docent expreſsè Petrus Nauar. *lib.3. de reſt.cap.1. num.197. §. vltimò videtur*, & Corduba *in ſumma quæſt.109.* & Leſſius allegatus *num 85.* & Syluest.*verb. Religio 6. q.7. dict.2.*

P.Nauarra. Cordub. Leſſius. Syluest.

35. Quando verò res apud Religioſum iam non extat, quia iam data eſt, non tenetur Religioſus in defectum accipientis eam Monaſterio reſtituere; quia reſtitutio facienda eſt ex proprio, & ille non habet proprium,nec tenetur eleemoſynam petere, vt reſtituat,quia nemo tenetur id facere, ſi tamen habet redditus aliquos, vel aliquam ſupellectilem de licentia ſuperiorum,vſum illorum à ſe poterit, imò tenetur abdicare, vt ſuo modo reſtitutionem faciat;licèt enim proprietatem non habeat, habet tamen vſum,qui eſt pretio æſtimabilis, & quem à ſe poteſt abdicare,vt patet,ſic Petr.Nauar. citatus *num.198.*

P.Nauarra.

36. Ex vno tamen principio fortè poterimus excuſare illos, qui rem bona fide à Religioſo acceperunt, & iam apud illos non extat, ſed conſumpta eſt, ex eo ſcilicet, quòd bona fide acceperint, & melior ſit conditio poſſidentis; quare hoc animaduertant confeſſarij, ne conſcientiis hominum iniiciant ſcrupulos, nam ſi pœnitentes bona fide poſſident,& bona fide acceperunt,diſſimulare poterit,maximè ſi res iam non extet,& hoc iuxta aliquos. Mihi tamen contrarium omnino videtur, quia bona fide non poſſunt præſcribi res furtiuæ, nec res quarum alienatio eſt in iure prohibita,quales ſunt res,& bona Religionis, & hæ quidem res & furtiuæ ſunt, & alienari iure prohibentur, at verò ſi in rebus furtiuis præſcriptio dari poteſt, duo requiruntur, vt poſſit dari, primum eſt bona fides ex parte dantis: ſecundum bona fides ex parte recipientis;hîc autem ex parte dantis non poteſt dari bona fides,vt patet, & quòd hæc duo requirantur,patet ex *l.2.ff. pro emptore*,maximè,quia bona fides licèt excuſet à peccato, non tamen excuſat à reſtitutione,ante tempus elapſum ad præſcriptionem neceſſarium,nam,vt conſtat ex *l.3.ff. de vſucapion. Præſcriptio,ſeu vſucapio nihil aliud eſt, quàm dominij acquiſitio per continuationem temporis à iure definiti.* Aſſignatur autem & definitur illud tempus non ad puniendum dominorum negligentiam, iuxta Leſſium *tom.1. de iuſt.lib.2.c.6. de præſcript.dub.17.n.50.§. probatur quia*; ſed ob bonum publicum, ne diu, & ferè ſemper rerum dominia incerta ſint, vt patet expreſsè ex *l.1 ff. de vſucapionibus*,ibi, *Bono publico introducta eſt vſucapio, ne diu & ferè ſemper incerta eſſent rerum dominia*; ergo tranſacto illo tempore, non tenetur is, qui vſucapit ad reſtitutionem, cùm ſecundùm leges dominium acquiſierit; ergo non tranſacto tenetur, pari enim modo procedunt non teneri tranſacto tempore bona fide, ac teneri non tranſacto cum eadem bona fide.

Opinio Authoris.

Leſſius.

Si Religioſus licentiam poſtulauit ad vnum vſum pium,& honeſtum,& poſtea in alium ſimiliter pium expendit, ſiue quia mutauit poſtea voluntatem; ſiue quia iudicauit ſuperiorem ſibi facilius conceſſurum eſſe eam licentiam ad iſtum, quàm ad illum, ſiue quia verecundiam habuit in petitione illius,non iſtius, non peccat lethaliter in materia furti,nec contra votum paupertatis facit; licèt faciat contra obedientiam. Ratio eſt, quia ſimpliciter licentiam, & facultatem habebat ad eam rem expendendam, & eam poterat licitè, & validè ſuperior ei concedere,nec cenſetur inuitus ſuperior, niſi quoad modum, in quo nulla cernitur culpa lethalis. 37.

Religioſus expēdens aliquid in aliū vſum, quàm petierat.

Si tamen res eſſent deputatæ ad vſum communem Religioſorum, vt cibaria,medicinæ, veſtes, calcei,& ſimilia, & Religioſus his verè indigeret, & ſuam neceſſitatem ſuperiori proponeret, & ſuperior nollet, poterit ille ſine dubio petita & non obtenta licentia rem clam accipere; ita P.Nauar. *lib.3. de reſt.cap.1.num.198.* Fundamentum illius eſt,quia ad hoc ſunt res illæ communes, vt ex illis neceſſarium ſubditis miniſtretur,cùm indigent, & ſuam ſuperiori neceſſitatem manifeſtant,& cùm ſuperior non ſit dominus, ſed diſpenſator,bellum ex ſua parte gerit iniuſtum: neque ſubditus ea clancula acceptione actum dominij exercet, ſed vſum tantùm rerum neceſſarium ſibi aſſumit, qui voto non repugnat, & id colligitur etiam ex doctrina Suarij *tom.3.de Relig.lib.6.cap.9. num 28. ad finem*,vbi aſſerit perinde eſſe habere Prælatum abutentem ſua poteſtate, atque illum non habere. Vnde ſicut ſi non haberet Prælatum præſentem, poſſet Religioſus rem ſibi neceſſariam in ea neceſſitate aſſumere, ita & modò poteſt, vt patet. 38.

CAPVT VI.

An Religioſi, & Moniales poſt profeſſionem poſſint habere annuos redditus, & tenſas, & quantum poſſint ſuperiores locales donare de bonis Religionis, aut dare licentiam ad donandum. Agitur de Religioſis eiectis; inquiritur cui acquirant.

SVMMARIVM.

Tenentur Religioſi ſeruare ſtatuta ſuæ Religionis quatenus prohibent poſſe eos habere tenſas, & annuos redditus,& idem de Monialibus. num.1.

Quid poſſint,& qualem quantitatem donare ſuperiores locales Religioſorum domeſticis, vel externis de bonis Religionis, quando nihi circa hoc ſtatum habent ex regula. num.2. & 3.

Superiores nihil validè donare poſſunt ad vſus illicitos, & qui aliter aliquid ab illis acceperunt, tenentur illud Religioni reſtituere. num.4.

Quid de Prælatis non regularibus,vt Epiſcopis.n.5. Religioſi eiecti an ſibi acquirant poſt expulſionem, & an aliquid poſſint donare, & quomodo. ibid. Quid de Epiſcopis qui prius fuerunt Religioſi, & cui acquirant, ibi à verſu, inquiri etiam. ibid.

An Moniales,& Religioſi profeſſi poſſint habere tenſas, & annuos redditus abſque vitio proprietatis. num.6.

num 6. Proponitur ſententia negans. *ibid.*
Aſtruitur affirmans. *num. 7.*
An Concilium Tridentinum aliquod ius nouum circa hoc ſtatuat, & quale illud ſit. numero 8. 9. & 10.
Quomodo, & quatenus poſt Concilium Tridentinum ius nouum ſtatuens, & prohibens Religioſis perſonis aliquid peculij habere, vel nomine proprio, vel nomine Monaſterij poſſit ſtatuere licitos vſus cenſuum, & annuorũ redditum Monialium profeſſarum. *num.* 11. 12.
Aſſignatur modus licitus iſtius vſus, & percipiendi annuos redditus ad nutum ſuperiorum auferibiles. num 13. *Et quid ſi redditus ſint pecunia, vel fructus rerum immobilium.* *num.* 14.
Quid de legatis, quæ huiuſmodi Religioſis, aut Monialibus relinquuntur. *num.* 15.

1\. *Tenētur Religioſi ſeruare ſtatuta ſuæ Religionis.*

PRÆMITTO in vnaquaque Religione teneri Religioſos ſeruare regulam, ſi quam peculiarem circa votum paupertatis habuerint, vel materiam illius, idemque dicendum eſſe de conſuetudine, quia conſuetudo cùm vim habeat legis, de illa atque de lege pari modo philoſophandum eſt, cùm pari poteſtate procedant; cauendum tamen eſt, ne occaſione conſuetudinis rigor paupertatis remittatur, vſum & conſuetudinem contrariam introducendo, vbi non eſt introducta.

2\. *Quid poſſint donare ſuperiores eorum domeſticis, vel externis de bonis Religionis.*

Dubium ergo eſt, quid poſſint Prælati, ac ſuperiores locales, & Ordinarij Religionis, v. c. Priores, Rectores, Abbates, Abbatiſſæ, & ſi quo alio nomine decorantur abſque peccato, & furto donare externis, vel domeſticis de bonis Religionis, vel dare licentiam ſubditis ad donandum ad pios vſus, & non merè profanos, & illicitos, quando in Religione nullum circa hoc negotium peculiare ſtatutum datur, nulla conſuetudo, aut ſuperioris diſpoſitio; nam ſi regula aliqua, ſtatutum, aut conſuetudo detur, ea licitè ſeruari poteſt; & neceſſariò debent ſuperiores illam ſeruare, & non excedere, vt docet Suar. *tom* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap* 15. *num.* 13. (Suar.) ſecluſo tamen ſtatuto, aut conſuetudine ſi nulla detur, difficillimum planè eſt aſſignare hanc quantitatem; omnes tamen DD. concordant debere eſſe modicam, quod deducunt ex *cap. cæterum, de donationibus*, vbi duo maximè dicuntur conſideranda circa has donationes, videlicet conſuetudo, vel lex, aut regula, & quantitas rei, ac qualitas, itavt res non ſit immobilis, neque mobilis pretioſa, ſed ſit mobilis, & modica. Quæ autem ſit modica, non eſt facilè aſſignare. Plerique enim aſſerunt poſſe ſuperiores locales pro cauſa pia de facultatibus, & mobilibus Monaſterij, Collegij, aut Conuentus donare decem aureos, & non plus, quia licentia plus donandi atque expendendi ad Prouinciales pertinet, qui habent iuriſdictionem ampliorem, & quaſi Epiſcopalem: ita Corduba *in ſumma queſt.* 54. *dubio vltim. dicto* 1. *verſ. pera maior.* Lud. Lopez 1. *part. inſtructorij conſc. cap.* 155. *verſ. primò, quod in alijs Religionibus, & lib.* 2. *de contract. cap.* 40. *colum.* 3. *verſ. circa Religioſos.* Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *part.* 3. *in noua edit. dub.* 1. *in fine, num.* 169. Hieronymus Flamma 3. *part. methodi, cap.* 13. §. 15. vbi aliquantulum laxiùs loquitur, ſed plus minúſve hoc approbat.

Quæ quantitas ſit modica quam donare poſſunt ſuperiores.

Cordub. Lopez. P Nauarra. Flamma. Azor.

Azor *tom.* 1. *inſt. moral. lib.* 12. *cap.* 12. *quæſt.* 4. refert aliquos ſentire ſuperiorem poſſe in pia opera dare, & conſequenter concedere licentiam ſubditis ad donandum, atque expendendum in ſingulos menſes duos, vel tres aureos; alios autem ſentire ſingulis annis poſſe illos dare, aut dare licentiam ſubditis ad donandum decem, aut quindecim aureos, & hanc ſententiam quindecim aureorum tanquam in vltimo loco poſitam, videtur ipſe ſequi, vt optimè animaduertit Sanchez *tom.* 2. *Decalog lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 41. Sed hoc ſi intelligatur pro ſingulis vicibus, & pro ſingulis ſubditis, hoc eſt, vt ipſe ſuperior pro ſingulis vicibus, & neceſſitatibus occurrentibus poſſit dare decem aureos pro eleemoſyna, aut dare licentiam ſubditis, vt vnuſquiſque eorum pro ſingulis annis decem aureos donet, videtur multum: ſi verò intelligatur, vt ipſe ſuperior non poſſit dare, aut dare licentiam ad donandum pro ſingulis annis niſi decem aureos, videtur parum, vt conſideranti patebit. (Sanch.)

3\. Quare quantitas hæc arbitrio prudentis definienda eſt; totum enim hoc negotium illius arbitrio committitur; in ea autem arbitranda, hæc conſideranda ſunt: opes, ac facultates Monaſterij, dignitas Prælaturæ, vices occurrentes, & numerus illarum, qualitas perſonarum, quibus eleemoſyna donanda eſt, abundantia, vel penuria terræ, conſuetudo Religionum, & ſuperiorum, & alia ſimilia, vt optimè notat Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 42. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 176. *colum* 2. *verſ. illud verò.* & Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 13. *in fine.* (Sanch. Molin. Suar.) nam illa quantitas decem aureorum, vt dixi, in aliquo actu erit nimia, in alio exigua, pro toto anno quaſi nihil. Vnde Panormitanus *in cap. cæterum, de donat. ad finem,* (Panorm.) bene aſſerit ad dandos viginti, vel triginta aureos honeſtæ puellæ pro nuptiis, vel nobili pauperi, ſufficere generalem rationem tribuendi eleemoſynas, iuxta commune ius quando in Religione nec regula, nec conſuetudine aliquid taxatum eſt, iuxta *cap. quia, & cap. vltimum* 16. *quæſt.* 1. Et verò ſi tempore Panormitani viginti, aut triginta aureos ex communi iure elargiendi eleemoſynas poterant ſuperiores locales Religionum, & Monaſteriorum diuitum donare; hodie cùm vſus pecuniæ ſit abundantior, & res cariores ſint, poterunt dare aliquantulum maiorem ſummam, quod tamen certò, & ſtabiliter definiri non poteſt.

Vnde ſi Monaſterium habeat quindecim, aut viginti millia ducatorum in ſingulos annos pro redditibus, bene poterit ſuperior donare ſaltem ſummam aſſignatam à Panormitano ter, vel quater in anno, quia hæ vices non cenſentur crebrò repetitæ reſpectu totius anni, dummodo nihil deſit Religioſis Monaſterij, & dummodo nihil à maiori ſuperiori, aut Religione illi ſit taxatum. Et in his poterit præferre amicos pauperes, conſanguineos, aut propinquos, ſi ſint in æquali neceſſitate; rationem enim, & vinculum conſanguinitatis, & amicitiæ prodeſt potius, quàm obeſt, ſi aliunde detur æqualis neceſſitas, neque enim amici, aut propinqui ſunt deterioris conditionis, quàm alij pauperes; Canones enim ſacri, qui has eleemoſynas in propinquos, & conſanguineos reprehendunt, loquuntur de donationibus, quæ titulo eleemoſynarum fiunt à Prælatis Eccleſiaſticis ad eos ditandos, non ad illorum neceſſitates, præſertim graues ſubleuandas. An verò poſſint ſuperiores huiuſmodi eas eleemoſynas ſimul dare, & cumulatim, quæ diuiſim dandæ erant, diximus, cùm de eleemoſynis,

quæ vxores dare poſſunt, egimus ſuprà, ſi enim ſigillatim donare illas poſſunt, cur non etiam cumulatim, quando nihil deeſt Religioſis? in hoc tamen maxima prudentia & conſilio opus eſt, ne votum paupertatis violetur, & periculo religioſa exponatur paupertas.

Superior quis. Nomine autem ſuperioris non ſolùm intelligitur, vt dixi, Prouincialis, ſed etiam ſuperior localis, & immediatus, quia eſt legitimus, & verus ſuperior, quamuis Proincialibus liberaliorem manum concedant authores, quia digniorem Prælaturam habent, & iuriſdictionem maiorem, & quaſi Epiſcopalem: ita Soares, Sanchez, & Molina allegati, cum quibus conſentit Mendoça *in ſuis quodlibetis quæſtion.* 8. *concluſione* 2. Mendoça.

Azor. Azor autem *tom.* 1. *inſt. moral. lib.* 12. *quæſ.* 4. poſtquam retulit, quid poſſint dare ſuperiores pro eleemoſynis, & inferiores de eorum licentia, concluſit totum id eſſe correctum per proprium motum Clementis VIII. de dandis, & accipiendis muneribus à Religioſis. Sed in Hiſpania non fuit receptus hic motus proprius, & in ea ſtandum eſt iuri communi, non diſpoſitioni talis motus proprij, vt animaduertit Sanchez *tom.* 2. *Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 42. *ad finem*, vbi dicit in Hiſpania ſupplicatum fuiſſe Summo Pontifici circa hunc motum proprium, & in ea non fuiſſe receptum, & ideo ſtandum eſſe iuri communi, quod etiam docet eodem *cap. num.* 100. & idem eſt in tota Luſitania.

4. *Superiores nil validè donare poſſe ad vſus illicitos.* Solùm animaduerto id, quod iam ſæpe in capite præcedenti dixi, huiuſmodi donationes validè fieri poſſe ab his Religioſis etiam ſuperioribus ad vſus tantùm pios, non profanos, neque vllo iuſto titulo honeſtos, quia non poſſunt validè, & conſequenter licitè Prælati Religionum bona Monaſterij expendere, niſi in pios vſus; quamuis enim præcipua, & proxima bonorum Monaſterij adminiſtratio apud illos ſit iuxta ius commune, *cap. nullam* 18. *quæſt.* 2. *cap. edoceri, de reſcriptis, cap. cùm ad monaſterium, de regularibus*, & iuxta Concilium Tridentinum *cap.* 2. *de regularib.* Nihilominus certum eſt, illos non eſſe dominos illorum bonorum; tum quia ipſi etiam pauperes ſunt, & votum paupertatis habent, tum quia Monaſterium non tranſtulit dominium in illos illorum bonorum, tum etiam, quia nec abſolutè loquendo adminiſtratores ſunt, ſed iuxta regulam ſibi præſcriptam; nam iuxta varia Religionum ſtatuta, & vſus in rebus grauioribus Prælati ſolùm non poſſunt diſponere, ſed vel de conſenſu Capituli totius Conuentus, vel Prouincialis, aut Generalis, vt in Societate IESV, vnde fit, vt donationes merè profanas, & non pias, neque vllo iuſto titulo honeſtas, validas facere non poſſint, nec etiam licitas, iuxta dicta, & iuxta *cap. fraternitatem, de donat. Relig.* vbi duo conſideranda eſſe dicuntur ad prædictas eleemoſynas faciendas, nempe qualitas, vt iam diximus, & conſuetudo. Et de conſuetudine additur, *Quæ tamen ſacris canonibus non obuiet*; idest, quæ tamen ſit licita, & ob cauſas pias, & licitas introducta. nam ſi in vſibus illicitis fuerit introducta, cùm ſacris canonibus obuiet, nec validæ, nec licitæ erunt tales donationes, vt docet Suares *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *c.* 15. *num.* 10. & 11. Suar.

Nec obſtat Panormitanus *in dicto cap. cæterùm, de donat.* vbi ad finem illius ſentit interueniente conſuetudine poſſe Prælatos donare aliquid abſque rationabili cauſa, quia alioqui nihil operaretur conſuetudo, cùm ipſa pia, & rationabilis cauſa per ſe ſufficiat, vt prædicti Religionum Prælati donare aliquid validè, & licitè poſſint, nam hæc ratio illius facilè admitti poteſt in Prælatis Eccleſiaſticis, hoc eſt, in Epiſcopis, & Archiepiſcopis, qui liberam poteſtatem diſponendi de talibus bonis habent, non in Prælatis Religionum, propter votum paupertatis, & propter ius Canonicum, quod illis reſtrictè admodum concedit, non dominium, ſed adminiſtrationem bonorum Religionis, quam nec licitè, nec validè excedere poſſunt, nec vigente etiam qualibet conſuetudine in Religione introducta, quæ potius dicenda eſt corruptela in hac parte, quàm conſuetudo legitima. Vnde D. Thom. 2.2. *quæſt.* 32. *art.* 8. *ad* 1. *Monachus, inquit, ſi habet diſpenſationem à Prælato commiſſam, poteſt eleemoſynam facere de rebus Monaſterij, ſecundùm quod ſibi eſt commiſſum.* non ergo poteſt commiſſionem, quam à iure habet, excedere. nec conſuetudo valida eſſe poteſt, cui totum ius Canonicum reſiſtit, quia alioqui non ageret vt adminiſtrator, ſed vt dominus, & commiſſionem ſibi à iure conceſſam excederet. D. Thom.

Religioſi expulſi. Religioſi expulſi profeſſi nihil tanquam proprium ſibi poſſunt acquirere, neque habent dominium aliquod earum rerum, quas poſt eiectionem in ſæculo acquirunt. Ita communiter DD. Nauarrus *in commento* 2. *de regular. num.* 35. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap* 41. *dub.* 15. *num.* 112. Sayrus *in claui regia lib.* 6. *cap* 9. *num.* 18. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſput.* 140. *colum. antepenultima*, §. *quando verò*, & *tom.* 2. *diſput.* 776. §. *quod ad cæteros.* Azor. *lib.* 10. *inſt. moralium cap.* 16. *quæſ.* 4. Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 6. *cap.* 9. *num* 45. Fundamentum illorum eſt, quia manet verè Religioſus, obſtrictus tribus votis ſubſtantialibus, licèt in voto paupertatis, & obedientiæ non ita obligetur ac ſi maneret in Religione. Nauar. Leſſius. Sayrus. Molina. Azor. Sanchez.

Cui ergo acquirit? Reſpondeo hac de re eſſe duplicem ſententiam.

Prima docet non acquirere Monaſterio, quia non eſt actu illius membrum, nec illi ſubiectus, nec aliter de illius bonis, ſed ſi eſt Religioſus exemptus, acquirere Summo Pontifici: ſi non eſt exemptus, ſed ſubiectus Epiſcopo, acquirere Epiſcopo cuius ſubditus eſt: ita docet Nauarrus *in commento* 2. *de regularib. num.* 33. Eſt probabilis iſta ſententia. Nauar.

Secunda verò verior, & probabilior, & à qua non eſt recedendum, docet acquirere Monaſterio dominium quidem, ſi Monaſterium illius eſt capax, vſum verò, & commoditatem poſt mortem ſuam, ſi Monaſterium non eſt capax dominij. Ita docet Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. *verſ. verius tamen puto.* Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſput.* 140. §. *quando verò*, & *tom.* 2. *diſp.* 776. §. *quod ad cæteros.* Sayrus *in claui regia lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 18. Azor. *lib.* 12. *inſt. moral. cap.* 16. *quæſ.* 4. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtionum regular. quæſt.* 30. *art.* 19. Ratio eſt, quia Monaſterium propter culpas Religioſi, ob quas expulſus fuit, non amittit ius ſuum, quod in bona illius ab illo iam acquiſita, & acquirenda habebat. nec eſt ſimile de ſeruo qui poſt libertatem, & expulſionem à domino illi factam, ſibi, non domini acquirit, quia ſeruus per donationem libertatis, & expulſionem efficitur plenè ſui iuris, & dominij eſt capax; Religioſus verò non efficitur ſui Leſſius. Molina. Sayrus. Azor. Rodrig.

ſui iuris plenè poſt expulſionem, nec ita præciſus eſt à Religione ſua, quin reuerti teneatur ſi Religio velit nam ſi ſe emendauerit, cogi poteſt à Religione, vt reuertatur, niſi ipſe iuſtas cauſas habeat recuſandi. Nec etiam eſt ſimile de infante à parente expoſito; is enim per eam expoſitionem eximitur à patria poteſtate, nec parenti acquirit; id enim meritò ſtatutum eſt à iure in pœnam crudelitatis parentum. At in expulſione incorrigibilis Religioſi nulla datur culpa ex parte Religionis, & ſi daretur aliqua in Prælato, vel Prælatis, id non debet eſſe præiudicium Monaſterio, vel Religioni. nam delictum perſonæ, non debet in Eccleſiam redundare, vt habetur *in regula 76. in ſexto*; & docet optimè Leſſius allegatus *dicto num.* 112. *verſ. reſpondeo negando.*

At licèt Religioſus expulſus non habeat dominium illorum bonorum, quæ in ſæculo poſt eiectionem acquirit, vt hactenus probauimus; habet tamen vſum, commoditatem, & adminiſtrationem illorum, quia quoad victum, veſtitum, & alimenta, & habitationem domus, non pendet à Monaſterio; & ideo Religio cenſetur ei relinquere non vſumfructum, qui in iure conſiſtit, ſed nudum vſum, nudamque commoditatem, & adminiſtrationem, quæ eſt quid facti illorum bonorum, quæ in ſæculo acquirit: ita docet Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.*6. *cap.*9. *num.* 45. Azor. *lib.* 12. *inſt. moral. cap.* 16. *quæſ.* 4. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. Sayrus *in claui regia lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 18. Rodriguez *quæſtionum regul. tom.* 1. *quæſt.* 30. *art.* 19. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 140. *dicto* §. *quando verò, & tom.* 2. *diſp.* 776. §. *quoad cæteros.*

Sanch. Azor. Leſſius. Sayrus. Rodrig. Molina.

Ratione huius nudi vſus, commoditatis, ſeu adminiſtrationis, quam expulſi habent, eorum bonorum, quæ poſt expulſionem in ſæculo acquirunt, poſſunt huiuſmodi Religioſi eiecti licitè, & validè donare ad licita, & honeſta quicquid voluerint, & quibuſcumque perſonis voluerint, v. c. ad dotem puellarum, ad inſtructionem capellæ pro anima ſua ad tenuitatem, atque paupertatem proximorum, amicorum, conſanguineorum iuuandam, ad redemptionem captiuorum, ad indumenta pauperum, & ad alia opera pia, abſque vlla obligatione reſtitutionis facienda poſt mortem illorum, ex parte eorum, qui aliquid à prædictis Religioſis expulſis acceperunt, Monaſterio, vel Religioni à qua fuerunt expulſi. Hæc enim omnia ratione talis vſus, & commoditatis à Religione, dum eiiciuntur, illis tacitè conceduntur Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 49 Molina *tom.* 2. *de iuſt diſp.* 276. *verſ. quoad cæteros*, & communiter omnes.

Non tamen poſſunt teſtari, quia poteſtas teſtandi repugnat voto paupertatis, nec habent prædicti eiecti dominium bonorum, quæ in ſæculo acquirunt vt probatum manet, de quo teſtari poſſint, ſed ſolum nudum vſum, & cōmoditatem, quæ illis conceditur tantummodo ad diſponendum dum viuunt. Ita Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 46. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. Molina *tom.* 2. *de iuſtit. diſput.* 277. §. *quoad cæteros.* Sayrus *in claui regia lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 28.

Sanch. Leſſius. Molin. Sayrus.

Dubium.

Maius dubium eſt, an ſi in vita in illicita expendant aliquid, teneantur illi, qui ab illis acceperunt, ſic ab illis accepta Monaſterio, vel Religioni reſtituere. Affirmant nonnulli ex eo fundamento, quia huiuſmodi eiecti non ſunt domini, ſed adminiſtratores ad vſus tantùm pios, licitos, & honeſtos, nec ſuperiores Religionis, nec ipſa Religio illis poſſunt concedere licentiam expendendi aliquid ad illicita, & vſus non pios, vt probauimus *num.* 4. hic enim etiam militant rationes ibi factæ & hæc ſententia eſt valde probabilis, vt docet Leſſius *dicto num.* 113. & Sanchez allegatus *dicto num.* 46 Et eſt valde conſentanea communi ſententię, quæ docet non poſſe ſuperiores Religionum nec licitè, nec validè expendere aliquid de bonis Religionis, aut dare licentiam ad expendendum ad illicitos vſus, quia iura & canones non concedunt adminiſtrationem regularibus, niſi ad licitos vſus. Vide etiam *Clement.* 1. *de ſtatu Monachorum.*

At nihilominus dicendum eſt, poſſe huiuſmodi eiectos validè, non tamen licitè, hæc in illicita expendere, & non teneri illos, qui illa ab eis acceperunt, ad aliquam reſtitutionem; ita docet expreſsè Sanch. *tom.* 2. *Decalog. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 47. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *n.* 113. Mol. *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 276. *verſ. quoad cæteros, & diſp.* 20 *paulo poſt princip.* Fundamentum illorum eſt, quia tota commoditas, vſus & diſpoſitio illorum bonorum interim dum huiuſmodi eiecti viuunt, perinde eis relinquitur à Religione, ac ſi ipſi Religioſi non eſſent, & ita ſe habent ipſi, ac ſi non haberent in ea parte qui pareant, & cuius ductum, ac voluntatem ſequantur: vnde perinde quoad acquiſitionem, & alienationem illorum bonorum ſe habent, ac ſi ſui iuris eſſent, & dominium illorum bonorum haberent, & quantùs dum illi non ſunt eiecti, & in Religione manent, ea facultas tam ampla illis validè concedi nequeat. At per expulſionem eo ipſo illis veluti à iure conceditur, cùm iam pro tunc non maneant perfectè voto paupertatis ligati. Peccatum verò, quòd in ea illicita expenſione committunt, non eſt ſacrilegium contra votum paupertatis, ſed eſt inſtar peccati, quod ſæculares alij committunt ſic illicitè ſua bona expendentes, vt optimè docet Sanchez *tom* 2. *Decalog. lib.* 6. *cap* 9. *num.* 48. cùm ipſi de huiuſmodi bonis perinde poſſint in vita diſponere, ac ſi merè ſæculares eſſent.

Sanch. Leſſius. Molina.

Aliud dubium.

Dubium tamen eſt, an Religiones teneantur alimenta præſtare, dimiſſis præſertim ſi ſint Sacerdotes, aut habeant ſacros Ordines. Et videbitur alicui affirmandum.

Diſcutitur.

Primò, quia cùm ipſi ordinati ſint dum erant in Religione ſine patrimonio ad titulum paupertatis, niſi à Religione decenter alantur, cogentur emendicare cum dedecore ſacrorum Ordinum.

Secundò, quia rationi, & æquitati conſentaneum videtur, vt à Religione, cui acquirunt, eis alimenta præſtentur, alioqui videtur inæqualis eſſe conditio ex parte expulſorum, quòd ſcilicet Religioni acquirant, & illa ad nihil eis teneatur.

Dicendum tamen eſt Religiones ad nihil eis teneri, idque ex validiſſimus fundamentis.

Primò, quia inueterata conſuetudo eſt omnium Religionum huiuſmodi expulſis nihil alimenti dare, nam alimenta hæc viam munirent ad defectionem, inde enim multi anſam arriperent ad Religionem deſerendam, ſi eis huiuſmodi alimenta ſuppeditanda forent, & ſic omnes redditus Religionum cum huiuſmodi demiſſis inſumerentur, contra expreſſam, vel tacitam voluntatem eorum, qui Religiones, ac Monaſteria dotarunt.

Secundò, quia ij in punitionem ſuorum defectuum dimittuntur, iudex autem non ſolet alere eos, quos punit.

Tertiò, quia ita fuit iudicatum in Parlamento Toloſano in cauſa, qua quidam Ioannes Gentilius è noſtra Societate fuit dimiſſus, is enim petens poſtea alimenta coram iudice, excluſus fuit iudicis ſententia ab iniqua poſtulatione, vt refertur in decretis ſeptimæ Congregationis Generalis *cap. 1. §. extat, num. 7.*

Quartò, quia inter eos, qui è Religionibus expelluntur, ſi Sacerdotes, aut ſacris Ordinibus initiati ſint, vix aliquis reperietur, qui ex ſuis Ordinibus ſe vitamque ſuam honeſtè ſuſtentare nequeat. Si verò ſacris Ordinibus non fuerit initiatus, vix quiſpiam reperiri poterit, qui non iis naturæ dotibus, exercitatione, ſtudioque præditus ſit, vt facili negotio modum conſequi poſſit, quo vitam honeſtè tueatur. Si verò pergat in delictis, ob quæ vtplurimum dimittuntur, pœnis potiùs illorum inſolentiæ refrænandæ ſunt, quàm alimentorum præmio remunerandæ.

Quintò, quia iniuſtum videtur quòd Religio maximos ſumptus efficiat in eis alendis, formandis, & ſtudiis imbuendis, ſi poſtea eos alere teneatur, cùm ſæpe ob delicta grauia, & importunis precibus expellantur, maximè, quia Religio ſi ſint profeſſi, illis relinquit vſum rerum quas in ſæculo acquirunt, qui multa illis commoda præſtat, vt ſuprà probauimus, & ex his fundamentis manent fundamenta quæ obiiciebantur ſatis ſuperque ſoluta.

Inquiri etiam hic poteſt acquiſita à Religioſo facto Epiſcopo, vel Cardinali, ad quem pertineant, ad Religionem ne, aut ad Monaſterium, vnde ad Epiſcopatum aſſumptus fuit, an ad Eccleſiam cuius factus eſt Epiſcopus. Reſpondeo conſtare apud omnes authores, acquiſita ab eodem Religioſo facto Epiſcopo poſt ſuſceptum Epiſcopatum, aut Cardinalatum, poſſe ab ipſo adminiſtrari independenter à Religione, dum viuit; eo verò defuncto, non ad Monaſterium, ſed ad Eccleſiam, cuius eſt Epiſcopus, atque adeò ad alium Epiſcopum pertinere. Sic enim ſtatuitur *in cap vnico 18. quæſt. 1.* quem textum ita intelligit gloſſa *ibi, verb. legitimus,* ab omnibus recepta, D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 188. *art.* 8. *ad* 3. Speculator *tit. de ſtatu monachorum, §. vnic. num. 29. quæſt. 23.* Abbas *cap. finali, n. 3. de regularibus.* Sotus *lib.* 10. *de iuſt quæſt. vltim. art. vltim. ad* 3. Si autem in illicitos vſus expendat, peccabit; validè tamen expendet: illud autem peccatum non erit contra votum paupertatis, nec ſacrilegium, ſed erit inſtar peccati aliorum ſæcularium, vt diximus in hoc *cap. verſ. at nihilominus*, qui de acquiſitis & expenſis à Religioſis eiectis egimus.

D. Thom. Specul. Abb. Sotus.

Epiſcopi qui prius fuerint Religioſi.

Tota dubitatio eſt de iis, quæ huiuſmodi Religioſus factus Epiſcopus, poſt adeptionem Epiſcopatus, ſucceſſione, donatione, aut propria induſtria acquirit, ad quem pertineant. Et antequam reſpondeam, ſupponendum eſt tanquam penè certum, Religioſum factum Epiſcopum, etiamſi ſit ex Minoritarum fratrum Ordine, ius ſuccedendi parentibus, & agnatis, adminiſtrandique bona, dum vixerit, recuperare; nam per profeſſionem in Monaſterio incapaci non omnino & irrecuperabiliter extinguitur ius ſuccedendi, ſed conſopitur, & ſuſpenditur; quare ſi profeſſus in Ordine ad Epiſcopatum, Cardinalatumque legitimè transferatur, recuperat ius ſuccedendi priori profeſſione ſuſpenſum, vt optimè probat Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 32. num. 26. & 27. & num 64.* Bartol. *tractat. Minoritarum, lib. 4. diſt. 3. cap. 3* Portius *conſilio 23. à num. 28.* Roſell. *verb. Religio 4 num. 19* Syluester *verb. Religio 4. q. 10.* Tabia *Auth ingreſſi, verb. ſua, cap. 6. à num. 29. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Dueñas *regula 58. in nona ampliatione.* Rodriguez *quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 58. art. 7. & tom. 3. quæſt. 69. art. 4. ad finem.* Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 41. dub. 11. num 88* Molina *tom 1. de iuſt. diſp. 140. col. 1. verſ. quando Religioſus minor.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 15. quæſ 3.* & ratio eſt, quia quamuis Religioſus factus Epiſcopus non omnino eximatur à promiſſæ paupertatis voto, at non tam ſtrictè eo ligatur, ac quandiu regulari obſeruantiæ manet ſubiectus, & ſimile eſt quod dicitur *in l. 1. verſ. filio qui mortis, ff. ad Tertullianum.* vbi ius ſuccedendi non omnino amittitur ſeruitute pœnæ, ſed ſuſpenditur eo ſtatu durante, & ideo conceſſa beneficio Principis reſtitutione, recuperatur.

Sanchez. Bartol. Portius. Roſella. Syluester. Tabia. Dueña. Rodrig. Leſſius. Molin. Azor.

Hoc ſuppoſito, reſpondeo Religioſum factum Epiſcopum, quamuis ſit ex ordine Minoritarum fratrum, recuperare ius ſuccedendi in bonis parentum, fratrum, & agnatorum, habereque ius adminiſtrandi illa dum viuit, ipſi autem mortuo ſuccedere Eccleſiam, cuius ipſe factus eſt Epiſcopus, niſi bona ſint vinculata, quia tunc tranſeunt ad ſucceſſorem vocatum in vinculo: ita docent Sanchez *lib. 7. cap. 32. num. 64. tom. 2. Decalogi.* Dueñas alios referens *regula* 381 Tapia *Auth. ingreſſi, verb. ſua, cap. 6. num. 87.* Azor. *tom. 1. Inſt. moral. lib. 12. cap. 10. quæſ. 6. & cap. 15. quæſ. 3.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 140. col. 1 verſ. quando Religioſus minor.* Definit autem prædictus Religioſus minor acquirere Monaſterio, & acquirit Eccleſiæ, cuius ipſe factus eſt Prælatus à tempore, quo confirmatur Epiſcopus per Summum Pontificem, iuxta meliorem opinionem, quam ſequitur Sanchez allegatus *num. 67.* & Rodriguez *tom. 2. ſumma cap 70. num. 6. & quæſtionum regularium tom. 3. quæſt. 69. art. 4.* Et ratio eſt, quia ex tunc eſt verus Epiſcopus à iuriſdictione Monaſterij penitus exemptus, ſolique Summo Pontifici ſubeſt; non igitur iam Monaſterio acquirit, cum quo nullum commercium habet, præterea, quia ex tunc omnia Epiſcopi munia præter ea ſolùm, quæ characterem Epiſcopalem deſiderant, obire poteſt, vt habetur *in cap. tranſmiſſam, in fine de electione.* Tandem quia Epiſcopus titularis nullius Eccleſiæ poſſeſſionem habet, & tamen non acquirit Monaſterio à tempore quo confirmatus eſt, ſed Summò Pontifici, quia tunc ſolutus eſt omnino à Religionis obedientia, ſubeſtque immediatè Summo Pontifici; cùm ergo nullam in poſterum cum Religione communionem habeat, non ipſi acquiret, nec etiam Eccleſiæ, cùm nullam ſedem habeat, ſed Pontifici. Ita Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 32. num. 68.* & Azor. *tom. 1. inſt. moral. lib. 2. cap. 10. quæſt. 7. in fine,* contra Sotum *lib. 10. de iuſt. quæſt. vltim. art. vlt. ad 3.* & Rodrig. *tom. 3 regul. quæſt 69. art. 4. fine,* & Sà *in ſummula verb. Religio, num 52.* qui exiſtimant eum acquirere Monaſterio, eo quòd nullam ſedem habeat, ſententia Sancij præualet.

Sanch. Tapia. Azor. Molin. Sanchez. Rodrig. Sanchez. Azor. Sotus. Rodrig. Sà.

Religioſus profeſſus in Religione incapaci bonorum.

Breuiter dubitabis, an Religioſus Profeſſus in Religione incapaci bonorum, v. c. in Religione Fratrum Minorum, ſi dimittatur cum obligatione, vt ingrediatur Religionem capacem bonorum, & in ea profiteatur, acquirat ipſi Religioni capaci.

capaci. Reſpondeo quoſdam exiſtimare non poſſe aliquid acquirere, nec etiam Religioni capaci bonorum, ita docet Bartol. *in tract. Minoritarum, lib.4 diſt.3.cap.3.* Roſella *verb.Religio 4. num.19.* Angelus *verb. Religioſus, num.34.fine.* Syluester *verb. Religio 4. quæſt.10.* Tabiena *verb. Religio 4. quæſt. 28. num. 29.* Fundamentum illorum eſt, quia cùm huiuſmodi Religioſus eiiciatur à Religione in pœnam ſuorum defectuum,cum obligatione tranſeundi ad aliud Monaſterium bonorum capax, æquum non eſt, vt inde præmium reportet recuperandi ius ſuccedendi. Dicendum tamen eſt non recuperare hoc ius ſuccedendi quandiu manet in ſæculo, aut eſt Nouitius in alia Religione; recuperare verò ſi profiteatur in Religione capaci bonorum, quia per profeſſionem factam in Monaſterio capaci liberatur omnino à vinculo prioris profeſſionis, ac proinde recuperat priſtinum ſuccedendi ius, ita Sanchez *tom.2. Decalogi,lib.7. cap. 32. num. 26.* Rodriguez *tom.2. quæſt. Regul. quæſt.58. art. 7. & tom.3. quæſt. 69. art.4. ad finem. & tom.2. ſumma, cap.70. num.6.* Alij verò Religioſi profeſſi in Monaſteriis capacibus bonorum, cùm in illis ſuccedere poterant, ita & extra illos ſuccedent; ſi ab illis expellantur.

Bartol. Roſell. Angelus. Syluester. Tabien. Sanchez. Rodrig.

6\. *Moniales, & Religioſi profeſſi.* Alterum dubium eſt. An Religioſi, & Religioſæ habere poſſint annuos redditus, ſeu tenſas abſque vitio proprietaris, & violatione voti paupertatis; & hæc quæſtio procedere poteſt vel ante Concilium Tridentinum, vel poſt illud. De priori tempore eſt duplex opinio.

Gerſon. Prima docet id eis non fuiſſe licitum, eam tenuit Gerſon *Alphabeto 23. part. 1.* quia licèt hoc non ſit abſolutum dominium, cùm de licentia Superiorum fiat, eſt tamen aliquale dominium vtile quod voto ſolemni paupertatis repugnat.

Deinde quia hic modus habendi peculium eſt proxima occaſio laxandi diſciplinam religioſam in paupertate.

7\. Innocent. Ioan. Andr. Decius. Abbas. Lopez. Calder. Syluester. Nauarr. Corduba. Azor. Vaſquez. Nihilominus contraria ſententia communis eſt, eam docet Innocentius *in cap. inſinuante, qui Clerici,vel vouentes,*& Ioannes Andr.*in regula,non eſt obligatorium, de regulis iuris in 6.* & Decius *in cap.doceri,de reſcript.num.5.* Abbas *in cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu Monachor. num.8.* Gregor. Lopez *lib.14.titul.7. part.1.* Calderinus *in cap.2. de Regularibus.*Syluester *verb. Abbas,quæſt.3 puncto 7.* Nauarrus *com.2. de Regularibus, num.9.14. & ſequenti* Corduba *allegatus.* Azor *tom.1.lib.12. cap. 9. quæſ. 2.* Vaſquez *in opuſculis de redditibus Eccleſiæ,cap.3.dub.11.num.11.* Ratio eſt,quia talis poſſeſſio cùm non habeatur nomine proprio, ſed nomine Monaſterij & Prælati, non poteſt dici proprietaria;quia neque in re,neque in modo dici poteſt poſſeſſio dominij, & ideo quamuis bona, quorum redditus poſſidentur,immobilia ſint, non propterea dicetur proprietaria poſſeſſio,nec etiam dici poteſt proprietaria, ratione vſusfructus, quia vſusfructus non eſt iuris, ſed facti,cùm non proprio nomine,ſed alieno, & dependenter à voluntate alterius fructus illi recipiantur; in receptione autem, & conſumptione fructuum,non eſt dominium ſecluſo proprio iure,& interueniente facultate Prælati, vt cernitur in Religioſis familiæ Franciſcanæ. Deinde probatur ex iure.

Primò ex *cap. cùm ad monaſterium, de ſtatu Monachorum,* ibi, *Neque alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda tanquam in ſua ſibi vita locetur, ſed cùm oportuerit amoueri ſine contradictione qualibet reuocetur.* Ex quibus verbis planè colligitur ſi adminiſtratio, vel obedientia tunc non conſideretur in perpetuum, ſed ad nutum reuocabilis, & amouibilis,non fuiſſe pro eo tempore illicitam, nec contra votum paupertatis.

Secundò probatur ex *cap. 2. eodem titulo*, ibi, *Qui peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta adminiſtratione permiſſum, à communione remoueatur.* vbi loquitur textus indiſtinctè de peculio bonorum mobilium, vel immobilium; & de licentia Abbatis dicit eſſe permiſſum, & licitum; nulla ergo eſt ratio, ob quam dicamus peculium hoc modo poſſeſſum eſſe contra votum paupertatis, quia falſum omnino eſt in eo interuenire proprietatem aliquam, ſeu dominium ſecundùm quid, cùm ex eo quod nomine Monaſterij de licentia Superioris,& ad nutum amouibiles huiuſmodi redditus, aut tenſæ poſſideantur, nullum acquiratur ius firmum & ſtabile, ſed ſola licentia ad vſum, vel poſſeſſionem facti pendens ſemper à voluntate alterius, quod neceſſe eſt vt verè, & non fictè ſeruetur, ac proinde neceſſe etiam eſt, vt Religioſus, aut Monialis coram Deo habeat animum relinquendi omnia quoties ſibi id fuerit à ſuperiore iniunctum, & per hæc patet reſponſio ad primam opinionem.

Sed dubium eſt, an poſt Concilium Tridentinum ſit licitum huiuſmodi peculij genus Religioſis, ac Monialibus profeſſis, & hac de re bipartita etiam opinio accipitur. 8. *Dubium.*

Prima affirmat, fundamentum illius eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.25. cap.2.* de Regularibus & Monialibus dum aſſerit: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat,* non ſtatuit ius nouum, ſed renouat, & confirmat antiquum ſtatutum *in cap. cùm ad monaſterium, & in cap.2. de ſtatu Monachorum,* & ideo ſi ante Concilium licitum erat Religioſis perſonis poſt votum profeſſionis emiſſum annuos redditus,tenſas,& vſusfructus ad nutum Superioris amouibiles habere, hodie quoque poſt idem Concilium licitum id illis eſſe,docet expreſsè Nauarrus *in commentario 2. de Regularibus, num.15. verſ. Ad quintum,* vbi expreſsè dicit Concilium non continere nouum ius, ſed declarare antiquum, & idem dicit ad ſextum, & ſeptimum, eum ſequitur Graphis *1. part. deciſ. lib.3. cap.5. num. 53.* Rodrig. *tom.2. quæſt. Regul. quæſt.125. art.4. & tom.3. quæſt.29. art.10.* Sà *verb. Religio, num.48.* Miranda *in ſuo Manuali, tom.1. quæſt.28.* & hi Authores mouentur præcipuè ad tuendam hanc opinionem ob conſuetudinem receptam in Religionibus, quam damnare duriſſimum planè erit; addunt præterea non videri veriſimile velle Concilium prohibere id, quod ſæpe eſt moraliter neceſſarium ad congruam, ac decentem Religioſorum ſuſtentationem; neque enim, vt experientia docet,decens eſt,vt Moniales ſine his ſubſidiis viuant ob Monaſteriorum paupertatem, qua premente, ſæpe coguntur ad actus indecentes, & parum Religioſo ſtatui conuenientes.

Opinio prima. Nauarr. Graphis. Rodrig. Sà. Miranda.

Secunda verò ſententia docet Concilium Tridentinum nouum ius continere, & non declarare antiquum; hæc eſt hodie communior,illam tenet 9. *Opinio ſecunda.*

Soar. Corduba. P Nauarra. Leſſius. Molina. Azor. Baſil. Ponce. Vaſq. Soarius *tom.* 3. *de Relig lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8 Corduba *in ſumma quæſt* 54. Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *part.* 3. *dub.* 1. *num.* 163. Molina *tom.* 2. *diſput.* 276. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 5. *num.* 30. Azor *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæſ.* 2. Baſilius Ponce *quæſt* 4 *ſcholaſt. cap.* 4. Vaſquez *in opuſc. de red. Eccleſiæ, cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 14. Probatur, quia Concilium Tridentinum in illis verbis, *Nec liceat deinceps*, planè indicat nouitatem; ſi enim noluiſſet ius nouum condere, planè non diceret, *Non liceat*, ſed diceret, *Non licet*, ſi vellet declarare antiquum; & verò cùm addit, *non liceat deinceps, ſiue poſthac*, ſatis indicat voluiſſe Patres illius inducere nouum ius circa Religioſos, quod antea non haberent, vnde Palatius *in* 4. *diſt.* 38. *diſp.* 1. *in fine*, ait poſt Concilium Tridentinum non licere Monialibus annuos redditus de licentia ſuorum Superiorum, quia putat hoc eſſe expreſsè contra hoc ius nouum Concilij.

10. *Et quale illud ſit.* Videndum ergo eſt, quidnam hoc ius nouum ſit, & quomodo cum illo ſtare poſſit conſuetudo Monialium habendi annuos redditus de licentia Superiorum, & ad nutum Superiorum auferibiles.

Ad primum ergo reſpondeo multa per hoc ius nouum prohiberi à Concilio *dicta ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regularibus*, quæ olim nec per ſe erant contra votum paupertatis, nec per iura antiqua illis erant prohibita.

Primò enim olim ex vi iuris antiqui illis licitum erat habere huiuſmodi annuos redditus de licentia Superiorum nomine Conuentus tanquam proprios, ad nutum tamen eorum auferibiles, neque enim id olim erat contra votum paupertatis, neque proprietarium Religioſum efficiebat, cùm vitium paupertatis in eo conſiſtat, vt quis aliquid poſſideat, aut retineat nomine & iure proprio, non nomine & iure alieno, & Concilium Tridentinum addit non licere eos retinere, aut poſſidere, non ſolùm nomine, & iure proprio, ſed nec etiam nomine Conuentus, ibi, *Non liceat Regularibus bona immobilia, vel mobilia cuiuis modo acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel retinere, ſed ſtatim Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur*; in quo planè ius nouum conſtituit, vt patet, deinde olim non erat contra ius antiquum, nec contra votum paupertatis habere apud ſe pecunias de Superiorum licentia nomine Conuentus ad proprias neceſſitates ſubleuandas; hodie tamen, vt notat

Soar. optimè Soar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 10. videtur id prohibitum eſſe per Concilium Tridentinum, dum enim dicit, *Non liceat Regularibus bona mobilia tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere, vel retinere*; ſatis prohibet theſaurizationem, ſeu retentionem pecuniæ apud ſe, quod quidem intelligendum eſt de rebus mobilibus, quarum vſu Religioſus non indiget, quales ſunt pecuniæ in futurum reconditæ, & theſauratæ, ſolùm enim citra vitium proprietatis de licentia Superiorum habere poterunt apud illam pecuniam, quæ ad actualem, & præſentaneum vſum eſt neceſſaria, quod prudentis arbitrio committitur, non verò alium, quæ reconditur in futuros vſus, vt benè animaduertit Soarius *allegatus.*

11. In aliis autem mobilibus bonis præter pecuniam vix poteſt intelligi noua prohibitio, quia ſi ſunt ſuperflua, ſemper & ex natura rei fuerunt prohibita; ſi ſunt neceſſaria, Concilium illa non prohibet.

Cùm igitur Concilium nouo iure ſuo prohibeat annuos redditus, & vſum pecuniæ nomine etiam Conuentus, & de licentia Superioris poſſidere, & retinere apud ſe; ſupereſt nunc, quomodo liceat Monialibus habere hos redditus annuos, & res alias ſimiles, & quomodo ſtare, & excuſari poſſit hæc communis illarum conſuetudo? Quidam illum excuſant aſſerendo Concilium quo ad hanc partem non fuiſſe receptum, & ideo non obligare. Sed hæc reſponſio, inquit Soarius *tom.* 3. *de Religione*, *cap.* 14. *num.* 12. non facilè eſt admittenda; quia Concilium ad hoc ipſum obligat, vt promulgatum acceptetur, & recipiatur; ſicut & aliæ leges humanæ ad hoc ipſum etiam obligant, vt promulgatæ accipiantur, & ideo neceſſe eſt, vt qui primi reſtiterunt, & poſt promulgationem non acceptarunt, peccauerint, quia legitimæ voluntati Superioris reſtiterunt; hoc autem admittere in Religioſis nefas eſt, quamuis poſtea ſi Superior videat, & toleret, cenſeatur conſentire, & conniuere: at dici non poteſt id fieri vidente, & conſentiente Summo Pontifice, cùm contrarium conſtet ex declaratione Cardinalium, vbi in ſpeciali hic caſus his verbis fuit propoſitus. *Cum N. viro mortuo facta eſſet Monialis, ſibique reſeruaſſet quinquaginta ducatus annuos ad vſum ſuum, quia contra Concilium eſt habere Moniales aliquid proprium, viſum eſt dandam eſſe illam pecuniam Abbatiſſæ, quæ prouideat neceſſitatibus*; conſtat ergo ex hoc caſu Summum Pontificem non conniuere, nec conſentire abrogationi Concilij quoad hanc partem. 12. Soar.

13. *Aſſignatur modus licitus iſtius vſus.* Dicendum ergo eſt primò loquendo de redditibus annualibus, duo in illis diſtinguenda eſt, primò ius percipiendi tales redditus, & ipſoſmet redditus, ſeu pecunias ipſas, ex his enim duabus tantùm rebus ius inter bona immobilia computatur: ſi loquamur de iure percipiendi huiuſmodi redditus, certum eſt, ſi ſit proprium ius ciuile, non poſſe eſſe in perſona ipſius Monialis, neque ad hoc poſſe aliquem Prælatum licentiam ei concedere, quia eſſet proprietas quædam oportet igitur, vt vel illud ius adhæreat Monaſterio, non perſonæ, vel non ſit proprium ius, ſed ſolùm obligatio in conſcientia in eo, qui ſoluit penſionem ad reddendam illam, & ſine dubio, iuxta vnum ex his duobus modis ſemper hoc fit, & præcipuè, iuxta hunc poſteriorem, vt optimè animaduertit idem Soarius *num.* 13. & ita quoad hanc partem nihil contra Concilium. Soar.

14. *Quid ſi redditus ſunt pecunia.* Loquendo verò de annua pecunia, non eſt contra Concilium, quòd ſingulis annis recipiatur, & in vſus ipſius Monialis conuertatur, etiamſi ſolutio certa ſit, & indubitata, dummodo id debito modo fiat; conſiſtit autem debitus modus in hoc, vt pecunia dum conſumitur, non poſſideatur ab ipſa Moniali, ſed vel à Superiore, vel publico officiali ad hoc munus conſtituto, vt cuſtodiatur, & vt poſtea de licentia eiuſdem Superioris in vſum Religioſæ perſonæ expendatur, ſi enim hæc ſeruentur, nec perſona religioſa habet aliquid proprium, nec poſſidet aliquid ſuperfluum, neque etiam habet vſumfructum rei immobilis, & hanc mentem Concilij videntur explicaſſe Illuſtriſſimi Cardinales in peculiari caſu, quem ſuprà tetigimus, & in aliis reſponſionibus generalibus, in quibus ſæpe aiunt nihil poſſe Religioſos acquirere, vel retinere; ſed omnia danda eſſe Superioribus.

15. *De legatis quid.* Idem dicendum eſt de iiſdem Religioſis, & Monialibus, ſiue illis legatum aliquod relictum fuerit,

fuerit, ſiue aliquod donatum, ſiue induſtria, vel labore ſuo partum, ſemper enim aiunt Illuſtriſſimi Cardinales tradendum eſſe Abbatiſſæ, vel in communi reponendum, etiamſi Monaſterium ſit pauperrimum; ſed addit Soarius optimè, & conſequenter *dicto tom.3. de Religione, lib.8. cap.14. fine*, ex illis pecuniis in primis, & ante omnia prouidendum eſſe Moniali, cuius cauſa donatæ ſunt, vel quomodolibet acquiſitæ, & ſi quid reliquum fuerit, in vſus communes eſſe expendendum, vnde conſequenter ſit Moniales, & Religioſos percipientes huiuſmodi redditus debere eſſe in hac animi præparatione, vt ſi Prælati ad alios vſus illos applicent, contenti ſint: ipſos autem Prælatos non debere id facere, niſi quando alio modo non poſſint ſufficienter prouidere neceſſitatibus ſubditorum.

Soarius.

16. Ex dictis patet, quis ſit proprietarius Religioſus, & quis proprietarius vſus voto paupertatis contrarius; eſt enim omnis ille, qui proprio arbitrio, & authoritate ſit; vnde proprietarius ille dicitur, qui proprio nomine, & non alieno aliquid retinet, vel poſſidet, & vnde habet quòd ſit actus dominij, nam cùm dominium ſit ius vtendi re aliqua proprio nomine, & authoritate, vſus qui proprio nomine & authoritate ſit, neceſſariò actus dominij dicetur.

Proprietarius Religioſus quis, & quis vſus voto paupertatis contrarius.

Capvt VII.

Expediuntur alia dubia circa furtum, & circa danda, & accipienda à Religioſis; quæritur an poßint acquirere non ſibi, ſed aliis promiſſa, & miniſteria ſpiritualia, & quatenus poſſint, vel non poſſint acceptare, vel non acceptare aliquid ſine damno Religionis.

Svmmarivm.

An peccet contra furtum & votum Religioſus, qui volentem ſibi dare aliquid notabile, orat, vt alteri ſui contemplatione donet, num.1. Proponitur ſententia affirmatiua. ibidem, & num.2.

Aſtruitur vera ſententia, & negatiua. num.3. & 4.

An peccet Religioſus mortaliter quando abſque vlla cauſa iuſta non vult acceptare id quod ſibi ab externis datur, num.5. Quæ cauſa iuſta ſint ad non acceptandum. ibid.

Soluuntur argumenta facta pro prima opinione, num.6. Quid ſit donatio indirecta. ibid.

An Religioſi Societatis poſſint ita paciſci cum aliquo; faciam tibi tot ſacra, ſi illorum eleemoſynam dederis tali pauperi, vel conſanguineo meo pauperi, num.7. Religioſi Societatis profeſſi, & coadiutores formati ſunt incapaces acquirendi dominium alicuius rei, & in alium transferendi illud, & ſic nec validè, nec licitè poſſunt id efficere, cæteri validè, ſed illicitè. ibid.

Quid ſi aliquis donet Religioſo Societatis gratis centum argenteos, & ille gratis etiam, & in gratificationem centum ſacra ei promittat. num.8.

Votum ſolemne paupertatis reddit vouentem inhabilem ad acceptandum, vel dandum dominium rei alteri licitè, & validè; votum verò ſimplex ad faciendum licitè, ſi tamen faciat, validè facit vouens. num.9.

Aſſignatur differentia voti ſimplicis, & ſolemni paupertatis. num.10.

An Religioſus ille peccet contra votum paupertatis, & furtum faciat qui petit eleemoſynas pauperi, vel pauperibus, & illas ſibi retinet. num.11.

Quid quando petit certo pauperi ſecundùm ſuam intentionem determinato, num.12. Quid ſi nomen alicuius expreſſit, num.13. Quid ſi expreſſit neceſſitatem, ibid. Quid ſi id non expreſſit, ibidem. Quid ſi eleemoſyna petita fuit de licentia Epiſcopi. num.12.13. & 14.

An Religioſus Societatis poſſit promittere, & dicere tot Miſſas propinquo ſuo obligato ex teſtamento ad eas dicendas. num.15.

Primvm dubium eſt, an peccet contra furtum & votum paupertatis Religioſus ille, qui volentem ſibi dare aliquid notabile rogat, vt ſui contemplatione alteri donet, & fatetur ſe id non poſſe accipere propter votum paupertatis, quibus precibus ille ductus donat alteri; qua de re duplex poteſt eſſe opinio. 1.

Religioſus orans volentem ſibi dare aliquid notabile, vt alteri ſui contemplatione donet.

Prima negans, propter votum proprium Clementis VIII. quo prohibuit Religioſis munerum donationes præter leuiora quæque eſculenta, & poculenta, ſeu ad deuotionem, & Religionem pertinentia munuſcula; nam in eo motu proprio *§. id autem, in fine*, ſic dicitur, *Prohibemus Religioſis miſſiones munerum non ſolùm per ſe, verùm etiam per alios directè, vel indirectè*; at hæc videtur indirecta donatio, perinde enim videtur eſſe, ac ſi Religioſus tacitè acceptet, & mittat amico, aut conſanguineo, quia quod mei cauſa ſit, meum quodammodo dicitur, *l. Prætor ait, ff. de edendo*, & conſequenter aduerſabitur etiam voto paupertatis, cùm Religioſus diſponat, & acquirat abſque Superioris licentia, per votum enim paupertatis non ſolùm non poteſt Religioſus ſibi acquirere, ſed nec alteri.

Deinde, quia ſi hoc non ſit dare indirectè, certè non apparet quid per indirectam donationem intelligamus? Rurſus quia *in l.1. ff. de calumniat.* ſic dicitur. *Nec refert an ipſe pecuniam acceperit, an alij iuſſerit dari.* Tandem, quia donata viro à conſanguineis vxoris cenſentur in dubio donata vxori, vt latè probat Sanchez *lib.6. de matrimonio, diſput.26. num.11.* igitur donata ab externo conſanguineis, vel amicis Religioſis intuitu Religioſorum, cenſebuntur donata Religioſis. 2.

Nihilominus dicendum eſt in ſecunda opinione id licitum eſſe, & non peccare Religioſum qui id fecerit, neque contra votum, neque contra furtum, neque contra prohibitionem motus proprij Sanctiſſimi Patris Clementis VIII. anno 1594. editi, incipit, *Religioſæ Congregationes.* Ratio eſt, quia quando Religioſus offerenti, & volenti ſibi dare, dicit: *Acceptare non poſſum, nec eadem re indigeo, ſed gratum mihi facies, ſi dederis conſanguineo meo pauperi*, nihil acceptat nec tacitè, nec expreſsè; imò fatetur inhabilitatem ſuam ad accepiandum. Sed tantùm intercedit, & rogat, vt alius donet; at ſi Religioſus priùs tacitè, vel expreſsè acceptaret, & poſtea peteret dari amico, vel conſanguineo ſuo, tunc nec à furto excuſabitur, nec à violatione voti paupertatis: non à furto, quia per acceptionem res Monaſterio acquiritur, quicquid enim 3.

enim Religioſus acquirit non ſibi, ſed Monaſterio acquirit, & ſicut furtum faceret donando aliquid ex bonis iam à Religione acquiſitis, ita & hoc donando, cùm iam per acceptationem illius Religioni acquiſitum maneat, dum Superior tali acquiſitioni non contradicit, qua in re nullus prudens Superior contradicere cenſetur, vt patet, non à violatione voti paupertatis, quia ſine licentia donat, & nomine proprio tanquam proprietarius; quod rantummodo prohibetur per votum paupertatis, & motum proprium Clementis VIII. ſolùm enim hæc obligant ne acquiſita alienentur abſque debita licentia; at in præſenti caſu nihil ſibi prædictus Religioſus acquiſitum alienat, acquirere enim non poteſt abſque acceptatione, & tantum abeſt, vt acceptet, vt potiùs proteſtetur contrarium, & hoc non fictè, ſed vero animo nihil acquirendi.

4. Deinde probatur, quia etiam in iure prohibita eſt donatio inter virum, & vxorem, & tamen non eſt donatio quando vir volentem ſibi donare rogat, vt det vxori, niſi ſit aliquis occultus actus, quo tacitè acceptans iubeat vxori tradere, ita docet expreſsè Sanchez *lib. 6. de matrimonio, diſp. 4. num. 7.* & Souſa, quem citat in libello quo expoſuit prædictum motum proprium Clementis VIII. *num. 73.*

Sanchez. Souſa.

5. *Religioſus nolens acceptare id quod ſibi ab externis datur.*

Peccabit tamen, ait *ibidem* Sanchez, contra charitatem ille Religioſus etiam particularis ac priuatus, qui abſque vlla cauſa rem ſibi donatam non vult acceptare, ſed rogat alteri dare, priuat enim eo donationis bono Monaſterium, in cuius vtilitatem donatio illa cedit, quicquid enim Religioſus acquirit, Monaſterio acquirit, & omnes prudentes Superiores contenti ſunt, vt ſui Religioſi acquirant Religioni, ſicut etiam peccaret ille, qui abſque iuſta cauſa impediret bonum proximi contra charitatem, quando non impediret per iniuriam: nam ſi per iniuriam impediret, non ſolùm còtra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam peccaret, & teneretur ad reſtitutionem, vt alibi diximus. Cauſam autem iuſtam non acceptandi credo eſſe ne Superiores cogitent Religioſos habere nimiam familiaritatem cum externis, maximè ſi ob id aliquid pateremur incommodi in Religione, ſimiliter ne maneant obligati ad eam rem remunerandam, & ad id petendam à Superiori facultatem, in eo caſu, quo Superior moroſus ſit, & ſuſpicioſus. Rogabis tamen, quæ ſint leuiora munuſcula, eſculenta, & poculenta, & ad deuotionem pertinentia. Reſpondeo Flauius Cherubinus *in ſcholio 2. huius Breuis*, exiſtimat eſſe, quæ ſi ſurriperentur, non eſſent peccatum mortale, & ad id ponderat verbum illud *leuiora*, & conſiderat perſonas Religioſas, quæ de ſe ſunt pauperrimæ, & id docet etiam Sorbus in expoſitione huius Bullæ ad compendium priuilegiorum Fratrum Minorum *pagina 195.* & Coriolanus *de caſibus reſeruatis, part 2. caſu 8. verſ. Secundo, pag. 395.* Nec refert quòd Paulus Papa II. in alia Bulla expedita anno 1466. incipienti, *Munera*, prohibeat ſub pœna excommunicationis officialibus & miniſtris iuſtitiæ ſtatus Eccleſiaſtici munerum receptionem & donationem præter eſculenta, & poculenta, quæ biduo conſumi poſſunt; nam ibi non loquitur de perſonis Religioſis, quæ ſunt pauperrimæ, & nihil dare poſſunt, niſi de licentia ſui Superioris: nam in his modicis quæ biduo conſumi poſſunt, & in aliis modicis, quæ non ſunt eſculenta, & poculenta (quorum etiã acceptio & donatio iudicibus & litigantibus non prohibetur, vt docet Cherubinus *in expoſitione Bullæ Pauli II. ſchol. 1.*) ceſſat ratio corruptionis ſicut in eſculentis, & poculentis par in modicis, quæ excedunt, aut attingunt quantitatem peccati mortalis, non ceſſat ratio tranſgreſſionis voti paupertatis.

Nec obſtant argumenta pro prima opinione facta, non obſtant primum, & ſecundum; quia id non eſt donare cùm Religioſus nihil acceptet, nec acquirat, & motus proprius Clementis VIII. & lex illa *Prætor ait, ff. de edendo* ſolum prohibent ne acquiſita donentur, at in hoc caſu Religioſus nihil acquirit, & nihil acquiſitum donat, maximè quia lex *Prætor ait*, non dicit abſolutè quod mei cauſa datur meum eſſe, ſed meum quodammodo eſſe, & gloſſa verb. *Meum*, ibi, inquit, *non quod ſit meum, ſed quod mea vtilitas*, intellige meus reſpectus *ibi conſiſtit.* 6.

Ad ſecundum, vel potiùs tertium dices tunc dari donationem indirectam quando datur tacita acceptatio, & iuſſus, vt donans tradat alteri, vel quando Religioſus donat aliquid ſub mutui ſpecie, animo tamen nunquam amplius illud recuperandi, vt optimè notat Sanchez allegatus *num. 7. ad finem*, & Souſa item citatus ſuo *num. 73.* Addit etiam Sanchez *ibi*, ea verba nec directè, nec indirectè apponi ad ſignificandum Religioſo, quàm exactè id debeat obſeruare; quod perinde eſt ac ſi Hiſpanè diceretur, *Ni os paſſe por el penſamiento.* *Donatio indirecta quid.* Sanchez, Souſa.

Ad vltimum dicendum eſt eam doctrinam eſſe veram in dubio vbi non conſtat de intentione donantis, & donatarij; at in noſtro caſu manifeſta eſt intentio donantis, vt non acquiratur Religioſo, cùm ipſe Religioſus repudiet, & acceptare nolit.

Secundum dubium eſt; Vtrùm in Religione, quæ habet pro ſtatuto, ne Religioſi pro Miſſis, Concionibus, aut miniſteriis ſpiritualibus aliquid accipiant, ſed omnia gratis impendant, quæ gratis acceperunt, poſſint licitè, & citra violationem voti paupertatis, ſic cum aliquo paciſci occultè, *Faciam tibi centum ſacra, vt centum argenteos dones certæ perſonæ, vel conſanguineo meo pauperi.* Et ratio dubitandi eſt, quia id aliàs eſt licitum, & ea Religio non habet regulas, quæ obligent ad peccata mortalia præter vota, & præter ea, quæ ex ſe illicita ſunt. Reſpondeo nihilominus peccare lethaliter huiuſmodi Religioſos noſtræ Societatis contra votum paupertatis, qui ita fecerint, vt ſpeciatim docet Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. num. 183. § Secunda dubitatio*, & ratio eſt in promptu, quia ex quo votum paupertatis emiſerunt incapaces, & inhabiles dominij facti ſunt. Profeſſi quidem, & coadiutores formati ad aliquid licitè & validè acquirendum, & in alium transferendum; atverò reliqui omnes ſcholaſtici poſt vota biennij validè poſſunt acquirere, & donare, abſque licentia Superioris, non tamen licitè donare, aut acquirere quidquam poſſunt abſque ea licentia, vt docet Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 18. num. 23.* Poterit tamen Religio ſtatuere ob iuſtas cauſas, vt nec licitè, nec validè aliquid acquirant, aut donent huiuſmodi ſcholaſtici. Et verò Coadiutores formati noſtræ Societatis ratione voti ſimplicis paupertatis, quod demittunt, manent ipſi inhabiles ad omne dominium validè & licitè acquirendum, & transferendum, perinde ac ſi votum ſolemne inſtar Profeſſorum emiſiſſent, idque 7. *Religioſi Societatis.* P. Nauarra. Sanchez.

non

non ex natura voti ſimplicis, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, & Summi Pontificis, quia ita habetur in conſtitutionibus noſtræ Societatis *part. 6. cap. 2.* §.11. *in commentario, litera H. titulo & §.12.* confirmatis à Sede Apoſtolica, & in duplici diplomate, quo Gregorius XIII. inſtitutum noſtræ Societatis confirmauit; & idipſum docet Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 18. num. 24.* quare cùm actus dominij proprij ſint abſque licentia Superiorum, & nomine proprio dare, & accipere, & huiuſmodi Religioſi per ſimilem contractum Miſſarum eam pecuniam acquirant, accipiántve, & alteri iubeant donari, abſque prædicta Superiorum licentia, ſine dubio contra votum paupertatis peccant, quia id quidem eſt virtuale quoddam dominium, & pecuniarum diſpoſitio; tantundem enim eſt, vt ille cum quo pacti ſunt de ſtipendio Miſſarum, illud eis donet, ac ſi alteri donet illorum nomine; licèt enim prædicti Religioſi id faciant titulo eleemoſynæ, & ad ſubleuandam, ſuccurrendamque miſeriam illius, cui prædictas pecunias & Miſſarum ſtipendia iubent donari, re tamen vera non eſt eleemoſyna, ſed eſt contractus ex iuſtitia commutatiua dati & accepti, vt patet.

Sanchez.

8. Si tamen aliquis noſtris Religioſis liberè daret centum argenteos, ſecluſo pacto, illi autem gratificandi cauſa centum ſacra poſtea promitterent, ſine dependentia vnius rei ab alia, & de licentia Superioris illos acciperent, licitum planè eſſet, & non peccarent contra votum paupertatis, vt docet Petrus Nauarra *citatus.* Dices ſi peccant lethaliter ratione voti paupertatis in materia graui; ergo ſimiliter peccabunt lethaliter contra votum obedientiæ, quoties omittunt aliquam obedientiam in materia etiam graui. Reſpondeo eſſe diuerſam rationem, nam huiuſmodi Religioſi vouent obedientiam non ſimpliciter & abſolutè, ſicut caſtitatem, & paupertatem; ſed iuxta declarationes ſuarum conſtitutionum, quarum vna eſt, vt nulla obedientia ex ordinariis obliget ad mortale, niſi intimetur in virtute præcepti obedientiæ, vel ex aliis verbis, quibus intentio Superioris obligandi ad mortale manifeſtetur, vel cum ſubditi ob contemptum formaliter repugnant, & dicunt, nolo parere: quare multum intereſt inter votum, & votum, & multum eſt ad illorum materiam attendendum, ob rationem aſſignatam; vt rectè docet idem Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. à num. 183. §. Secunda dubitatio.*

P. Nauarra.

Idem.

9. Ex dictis colliges differentiam inter votum ſimplex & ſolemne paupertatis, nam votum ſolemne paupertatis reddit incapacem, & inhabilem vouentem ad validam, & licitam acquiſitionem, & tranſlationem dominij in alios; votum autem ſimplex reddit illum incapacem ad licitam, non tamen ad validam; quare ſi ille, qui votum ſimplex emiſit, de facto aliquid acquirat, & in alium transferat, reus erit voti, & contra illud mortaliter peccabit, valebit tamen factum, & hæc eſt differentia inter vtrumque votum paupertatis Societatis Iesv ſolemne, & ſimplex, exceptis votis ſimplicibus coadiutorum formatorum: hæc enim vota ex inſtitutione Eccleſiæ, non ex natura voti perinde ſe habent, vt dixi, ac ſi eſſent vota ſolemnia; nos autem loquimur de differentia vtriuſque voti ex natura voti, & hanc aſſignant Nauarrus *in commentario 1. num. 19. verſu 23. de Regul.* Azor *tom. 1. inſt. moral. lib. 12. cap. 12. quæſ. 8.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 5. num. 21. in fine.*

Votum ſimplex, & ſolemne.

Nauarr.

Azor.

Leſſius.

Sanchez *tom. 3. Decalogi,* qui totus eſt de Religione, *lib. 7. cap. 12. num. 23. & 24.* Quæ differentia colligitur ex *cap. vnico, de voto, in 6.* vbi hoc diſcrimen ſtatuitur inter ſolemne, & ſimplex caſtitatis votum, vt ſolemne reddat inhabiles vouentes ad validè matrimonium contrahendum. Vnde ſi illud contrahant, illicitè, & inualidè contrahunt; ſimplex verò ad licitè tantùm, vnde ſi contrahant, illicitè contrahunt, validè tamen, vt patet.

Sanchez.

Nec refert quòd Religioſi Societatis Iesv, tam profeſſi, quàm ſcholaſtici, & coadiutores formati, qui vota ſimplicia caſtitatis emiſerunt, inhabiles fiant per huiuſmodi vota ad validè, & licitè contrahendum, vt definitum eſt, dum in eadem Societate ſunt in Bulla Societatis *Aſcendente Domino,* Gregorij XIII. in qua etiam ſcholaſtici, & omnes coadiutores nondum formati temporales, qui vota ſimplicia poſt biennium tyrocinij emiſerunt, inhabiles fiunt ad licitè & validè contrahendum: nam id quidem eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, non ex natura voti caſtitatis, nos autem hîc differentias vtriuſque voti, ſimplicis videlicet, & ſolemnis, ex natura voti aſſignamus, non ex inſtitutione Eccleſiæ peculiari. 10.

11. Sed ex doctrina hactenus tradita aliud emergit dubium, an Religioſus ille delinquat peccato furti, & contra votum paupertatis, qui eleemoſynas à ſe ad pauperes poſtulatas ſibi applicat, aut alicui alteri determinato pauperi. Reſpondeo ſi eas generatim petat ad pauperes, vel ad pauperem, nõ nominando aliquem, vel aliquos determinatè, nullius culpæ eſſe reum, ſi eas ſibi applicet; quia dantis intentio eſt, vt vero pauperi applicentur, & re vera ita applicantur, cùm ipſe verè pauper ſit, & idem eſt dicendum, quamuis non haberet animum eas eleemoſynas ſibi retinendi, quando eas ad pauperes, vel pauperem aliquem abſolutè poſtulauit, ſed animum habuit dandi eas pauperibus prædictis, ea enim intentio, quam intus habebat, fecit, vt nullum pactum cum dantibus iniretur, nec ius aliquod illis pauperibus ſe excluſo attribuit; ita docet expreſsè Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 30. num. 6.* & cum eo conſentit Nauarrus *lib. 3. conſilior. tit. de mendicantibus, conſilio vnico, num. vnico,* & Rodriguez *tom. 1. ſummæ in 2. edit. cap. 202.* Et ideo non peccabit contra votum paupertatis, ſi de licentia ſui Superioris tacita, vel expreſſa id efficiat; ſecus ſi ſine ea efficiat, vt docet Sanchez citatus *num. 7.* Requiritur autem huiuſmodi licentia, non vt non peccet contra furtum, ſed ne peccet contra votum paupertatis. Vnde ſi Religioſus cum prædicta licentia aliquid ſibi applicet, non poterit id ampliùs pauperibus elargiri, niſi de noua ſui Superioris licentia, nam eo ipſo quod ſibi applicuit, res eſt acquiſita Monaſterio, & Religioni, vt patet.

Religioſus petens eleemoſynas pauperi, ſibique illas retinens.

Sanchez.
Nauarr.
Rodrig.

Sed quid quando petiit alicui, vel aliquibus determinatis pauperibus iuxta ſuam internam, ac penes animum latentem intentionem? Nauarrus & Rodericus allegati negant poſſe huiuſmodi Religioſum tunc eam ſibi eleemoſynam applicare, & conſequenter aiunt teneri eam dare illis, quibus eam poſtulauit. 12.

Nauarr.
Rodrig.

Primò, quia ſi ſibi, aut alteri applicet, donétve, facit contra intentionem dantis.

Secundò, quia ille eam eleemoſynam pro alio poſtulauit, & pro illo eam acceptauit; quare contra iuſtitiam faciet eam illi negando; Sanchez verò allegatus *n. 6.* optimè diſtinguit; nam vel illa eleemoſyna petitur de licentia Epiſcopi, aut Vicarij

Genera

Generalis certo & determinato pauperi, cuius nomen illis expreſſum fuit, vel particularis neceſſitas ſine nomine, inſcio ipſo paupere; vel petitur abſque tali licentia, ſed ad inſtantiam ipſius pauperis; & in vtroque caſu rectè aſſerit veram eſſe opinionem Nauarri & Roderici, imò addit in eo caſu, neque ex conſenſu dantis poſſe alteri applicari, quia eo ipſo, quòd de licentia ordinarij talis eleemoſyna fuit certo & determinato pauperi petita, illo etiam inſcio irreuocabile ius ipſe pauper acquiſiuit ad talem eleemoſynam, quia Epiſcopis & illorum Vicariis Generalibus, & pauperum & piorum locorum cura incumbit, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 8. & 9. de Reformationibus*, *& ſeſſ. 23. cap. 1. ibidem, & cap. 3. de teſtamentis*; & ideo ſunt legitimæ perſonæ ad acceptandam eam eleemoſynam, & opus pium pro pauperibus, & illud cenſentur acceptare, quando licentiam dederunt ad eam eleemoſynam pro illo certo & determinato paupere petendam, & idem dicendum eſt quando abſque prædicta licentia, ad inſtantiam tamen pauperis petita eſt eleemoſyna; quia nomine illius acceptata fuit, & ideo alteri donari non poteſt.

13. Si verò Religioſus abſque prædicta licentia Ordinarij, & abſque inſtātia pauperis, & eo inſcio, motu ſuo proprio, eleemoſynam illi petiuit, tunc quidem, vel quando illam petiit, expreſſit nomen pauperis, cui petebatur, aut ſpecialem illius indigentiam, v. c. petendo illam cuidam pauperi in carcere incluſo, vel cuidam orphano, vel cuidam in lecto iacenti, vel tali, aut tali morbo laboranti, aut ad dotem fœminæ pauperculæ, & tunc exiſtimo cum Sanchez *dicto tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 30. num. 11.* non poſſe Religioſum eam ſibi, vel alteri diuerſo ab eo, cui ſic petiit, applicare abſque furto ſine ipſius largientis conſenſu vel tacito, vel expreſſo, non quòd tunc illi pauperi acquiſitum ſit ius aliquod ad eam eleemoſynam; ſed quia eſt expreſsè contra dantis intentionem, qui determinato illi pauperi eam indigentiam patienti, quem petens propoſuit eleemoſynam ſuam, non alteri erogauit; enim verò propoſita explicataque indigentia, cauſa fuit principalis dandi, & elargiendi prædictam eleemoſynam: deinde, quia nemo dubitat legatum relictum pauperibus carcere incluſis, orphanis, & in lecto iacentibus, aut pro fœminis maritandis non poſſe in aliorum pauperum vſum conuerti; quapropter abſque licentia, & beneplacito eleemoſynam dantis non poteſt illa alteri dari, cùm illa poteſt, nam cùm huiuſmodi petens, & recipiens nullam poteſtatem in iure pro paupere acceptandi habeat, poteſt ex conſenſu dantis alteri applicari, & reuocari; ita Sanchez *lib. 1. de matrimonio, diſput. 7. num. 10. & diſput. 6. num. 16.* vbi docet probabilius eſſe donationem ob cauſam piam, vt reuocari non poſſit, non ſolùm ex iure ciuili, ſed etiam ex ipſa donationis natura acceptione indigere, nec obſtare donationem hanc cenſeri Deo fieri, qui vbique eſt præſens, & acceptat; quia licèt ſit donatio cauſæ piæ, non ſit immediatè, & directè Deo, ſed homini propter Deum, vnde more humano debet fieri; quam opinionem tenent cum Sanchez Couart. *in rubrica de teſtamentis 3. part. num. 13. initio, & tom. 1. var. cap. 14. num. 16.* Anton. Gomez *2. variar. cap. 4. num. 2.* Molina *lib. 4. de primogeniis, cap. 2. num. 58.* Iulius Clarus *lib. 4. recept. verb. Donatio, quæſt. 12. fine.* Rodriguez *tom. 1. ſumma in 2. edit. cap. 95. num. 1.* & alij, quos allegat Sanchez. Licèt P. Molina *tom. 2. de iuſt. diſput. 263. §. incipienti*, *Tellinus tamen*, contrarium teneat, & probet ex fundamentis quæ apud illum videri poterunt.

Sanchez. Idem. Couar. Gomez. Molina. Iul. Clar. Rodrig.

Si verò nec nomen expreſſit, nec peculiarem neceſſitatem, qua ſpecialiter moueretur eleemoſynam porrigens; exiſtimo cum eodem Sanchez *prædicto tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 30. num. 11.* poſſe eam alteri pauperi applicari, vel à petente, ſi verè eſt pauper, retineri, quia nulla ſpeciali cauſa præter communem paupertatis, ductus fuit donator ad eam elargiendam; cùm autem ex generali cauſa paupertatis eleemoſynam largitur, non videtur ita eam præcisè dediſſe, vt illius determinati pauperis ſit, quem petens intendit, non alterius. 14.

Sanch.

Vltimum dubium eſt, vtrùm abſque tranſgreſſione voti paupertatis poſſint Religioſi cognato, affini, amico, vel propinquo ſuo obligato ex teſtamento, aut ex voto, vel Capellæ alicuius inſtitutione ad tot, taleſque Miſſas, eas promittere, & pro illius intentione dicere, abſque vllo ſtipendio, & dependentia illius, ſed merè gratis, & pro mera amicitia, beneuolentia, & charitate. Et ratio dubitandi eſt, quia ſicut ex voti obligatione non poſſunt ſibi aliquid acquirere quando ſunt illius Religionis, cuius laudabile ſtatutum habet, vt nec pro Miſſis, nec pro concionibus, aut miniſteriis ſpiritualibus aliquid accipiatur, ita neque aliis. Dicendum tamen eſt poſſe huiuſmodi Religioſos abſque tranſgreſſione voti eas Miſſas dicere, & promittere ex mera charitate, & beneuolentia. 15.

An Religioſus Societatis poſſit promittere, & dicere tot Miſſas propinquo ſuo obligato ex teſtamento ad eas dicendas.

Primò, quia gratis promittunt & gratis dicunt, & ſtatuta Religionis de facto non impediunt hæc opera charitatis; quæ enim pro charitate introducta ſunt, contra charitatem militare non poſſunt.

Deinde, quia per accidens eſt, quòd alter ex eo charitatis opere aliquid acquirat, quod enim voto paupertatis primò, & per ſe prohibetur, eſt ne Religioſus aliquid ſibi acquirat, quod poſtea ex contractu aliquo formali, vel virtuali in alium refundat, ſiue ſit amicus, ſiue propinquus, ſiue quicumque alius extraneus. Vnde cum huiuſmodi Religioſi nihil priùs formaliter, vel virtualiter ſibi acquirant, quod alteri donent, non eſt cur illis hoc denegemus: nec hactenus fuit talis intentio Religionis, vt eos ad id vellet obligare, ita docet expreſsè Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 28. n. 18. §. Quarta concluſio*, addens id verum eſſe, etiamſi teſtator iuberet in teſtamento eleemoſynam conſuetam pro Miſſis dari, & fundamentum illius eſt; quia hæredes illi, Capellani, & loca pia, ſeu confraternitates, quæ tenentur quotannis, & ob annuos redditus ad aliquot Miſſas, illis cum eo onere relictas non acquirunt dominium illius pecuniæ ratione horum ſacrorum, ſed ratione tituli hæreditarij, legatarij, aut capellaniæ, & ſolùm virtute horum ſacrorum eximuntur onere faciendi, aut iubendi fieri ea ſacra illis titulis adnexo, & ſic merè gratis ea fiunt, quamuis per accidens eximantur alij ea obligatione. Sanchez.

16. Ex dictis colligitur integrum quoque eſſe noſtris Religioſis Societatis IESV, facere ſacra ex mera charitate ad quæ Clerici priuati ſui amici ſtipendio iam recepto tenentur, quæ ipſi Clerici facere nequeunt ob Miſſarum multitudinem, à qua ſe expedire non poſſunt, ita idem Sanch. allegatus *n. 24* & ad hoc nulla licentia Superioris indigent, vt expreſsè docet idem Sanch. *n. 22.* quia liberum illis eſt ea ſacra, quæ ipſis ſuperſunt, factis illis, ad quæ ex Religionis ſtatuto tenentur pro quocūque offerre, nulla Superioris licētia petita, aut requiſita.

CAPVT

Caput VIII.

De furtis vxorum in maritos, ſoluuntur multa dubia.

SVMMARIVM.

Peccant mortaliter vxores, quæ maritis rationabiliter inuitis notabilem quantitatem donant, num. 1.

Vxor marito furans, aut mœcho donans, an teneatur ad reſtitutionem, & quam pœnam mereatur ſi cum mœcho etiam fugiat. ibid.

Limita, modò quantitas non ſit admodum notabilis ſpectatis opibus, & facultatibus. num. 2.

Quæ quantitas ſit notabilis reſpectu vxorum. ibid.

Poteſt vxor facere inuito, & prohibente marito eas eleemoſynas, & donationes, quas aliæ ſuæ conditionis, & qualitatis faciunt. num. 3. & 4.

Quid ſi id faciat expreſsè prohibente marito; an tunc ſaltem peccet contra obedientiam marito debitam. num. 5.

Vxores habent ius per conſuetudinem acquiſitum ad donandum tantum, quantum aliæ ſuæ conditionis contradicentibus etiam maritis. num 6.

Vtrùm vxores de iure communi habeant plenum dominium, & adminiſtrationem earum rerum, quas acu, labore ſuo, & induſtria acquirunt, & quid de iure Luſitano. num. 7.

An poſſint eas eleemoſynas moderatas, quas minutatim facere poſſunt, vno cumulo dare pauperi conſanguineo ſuo. num. 8.

An etiam ijdem dare poſſint donationes remuneratorias, quas poterāt perſonis bene meritis efficere, n. 9.

An vxor illa, quæ ampliſſimam dotem ſecum detulit, poſſit dare nutrici ſuæ ad dotem filiæ ſimul, 50. aut 60. aureos. Refertur opinio negatiua, num. 10.

Præfertur affirmatiua. num. 11.

Conſtituente marito abſente aliquid pro victu, & veſtitu vxoris, quicquid illa inde detraxerit, totum poterit liberè donare in vſus pios. num. 12.

Dare poſſunt vxores eleemoſynas moderatas, imò etiam in non eleemoſynas aliquid, vt auertant malum imminens maritis, idque illis contradicentibus. num. 13.

Poſſunt illæ à maritis prodigis, ebriis, ludentibus pecunias ſecretò auferre, vt in vſum familiæ conuertant. num. 14.

Item à maritis prudentibus inuitis poſſunt auferre, quæ fuerint neceſſaria ad regimen familiæ victum, & veſtitum famulorum. num. 15.

Quid ſi mariti ſint amentes. num. 16.

Quid poſſint dare maritis abſentibus, quando eis nihil ad victum conſtituunt, aut veſtitum, num. 17.

Quid poſſint vxores inuitis, & contradicentibus maritis, & mariti inuitis vxoribus donare parentibus, & fratribus ſuis egentibus, & an teneantur ſic data in ſuam partem referre. n. 18. 19. & 20.

1\. *Vxores quæ maritis inuitis notabilem quantitatem donant.* Molina. Nauarr. Leſſius. D.Thom.

CERTVM eſt peccare lethaliter vxores, & teneri ad reſtitutionem, ſi mortalem quantitatem furto auferant à maritis ad donandum aliis, illis rationabiliter inuitis, ita communiter DD. Molina *tom. 2. de iuſt. diſput.* 274. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 153. Leſſius *lib. 2. c. 12. de iniur. fortun. dub. 14. n.* 82. D.Th. 2. 2. *quæſt. 62. art.* 1. Ratio eſt, quia licèt vxor habeat dimidietatem bonorum, vt in Regno Luſitaniæ, vbi matrimonium contractu dimidietatis celebrari ſolet, tamen maritus habet vſumfructum omnium bonorum, & in huiuſmodi vſufructu damnificari poteſt; quare tenetur vxor reficere huiuſmodi damnum marito, ſi quod ei furto dedit, quam reſtitutionem, vel facere poterit marito ex bonis, ſi quę habet, de quibus ad libitum diſponere poteſt, vel ſoluto matrimonio in ſuā partē valorem illius ſuſcipere; ſecus de pupillo cùm aliquid à tutore furatur: is enim pupillus ad reſtitutionem non tenetur, licèt tutor adminiſtrationem bonorum pupilli habeat, quia tutor non adminiſtrat ea bona in ſuum commodum, ſed in commodum ipſius pupilli, vt notant Leſſius, & Nauarrus citati. Vxór marito aliquid furās, vt mœcho ſuo donet, tenetur illud reſtituere marito, & hæredibus mariti non reſtituente mœcho, primò enim obligatio reſtitutionis ad mœchum ſpectat, ad quem furti vtilitas ſpectauit, & in defectu illius tenetur vxor reſtituere: ſi verò vxor marito aliquid furans cum mœcho fugeret, cui bona à marito furto ablata dedit, v.c. pecunias, annulos, aliave bona, tunc quidem prædictus mœchus capitaliter puniri debet ob duplicatum furtum, nempe alienæ vxoris, & rei alienæ, eſt enim ipſe fur geminus, & adulter nefarius, & ipſa quoque mœcha eadem pœna eſt afficienda, quia pœnam capitis demeretur ob adulterium; aliàs non probato adultero punienda erit illa exilio, aut alia pœna arbitraria iudicis. Ita Iodochus *in rubrica de furto, cap.* 110. *num.* 44. & 45.

Vxor marito furans, vt mœcho det.

Aut cum mœcho fugiat.

Iodocus.

In multis tamen caſibus non peccabit vxor ſi à marito aliquid clàm furto accipiat.

Primò, ſi quantitas non ſit notabilis, ſpectatis opibus, & facultatibus; quæ autem quantitas ſit notabilis, & ad mortale attingens reſpectu vxoris, non eſt facile aſſignare. Planè cùm plus dandum ſit vxoribus, quàm filiis, & fortaſſè duplo maius, ſpectata ratione, vt notauit Rebell. 1. *p. lib.* 3. *q.* 15. *ſect.* 13. *n.* 16. & nos ſuprà *c.* 3. *n* 1. 2. & 3. diximus ex Leſſio, & P. Nauar. *ibi* allegatis, non peccare filiosfamilias, communiter loquēdo, mortaliter, qui à patre diuite, habente, v.c. mille, vel duo millia ducatorum in annuales reditus, furatur duos, vel tres aureos, vt cum amicis honeſtè gaudeat, ſequitur euidenter non peccare vxorem, quæ à marito ſic diuite tantundē furto auferat, imò plus duplo, vt cum cognatis, & pigmentis ſuis ludat; ſi verò maritus non ſit valde diues, ſed mediocriter pecunioſus, vnum ducatum, vel ad ſummū vnum ſupra dimidium, quia *ibid.* diximus filios horum hominū poſſe furari clàm à parētibus abſque peccato mortali furti dimidium ducatum plus, minúſve, & ratio poſtulat, vt aliquantulum plus demus vxoribus, quàm filiis, non enim ita rationabiliter cenſentur inuiti mariti erga illas; atque erga filios, ſpectata prudenti ratione. 2.

Limitationes. Prima. Quantitas notabilis reſpectu vxorum quæ. Rebell. Leſſius. P. Nauarr.

Si autem maritus ſit mechanicus pauper, pauper nobilis, & cui res ſit anguſta; crederē non peccare mortaliter contra furtum, ſi eo inuito quatuor, vel quinque Regales plus minúſve furetur, quamuis de hoc certa regula dari non poſſit; totū enim hoc negotium ad iudicium prudentis ſpectat, qui ſpectatis circūſtantiis tēporis, loci, facultatū & oblata occaſione id iudicabit. Planè ego dixi quod cēſeo, ſi aliquis melius iudiciū tulerit, libēter illud ſequar.

Secundò, non peccat accipiendo ea, quæ bona fide credit maritū ſibi conceſſurū, ſi ab eo peteret. 3.

Limitatio ſecunda.

Tertiò, ſi donet aliquid in extrema, aut graui neceſſitate, quia irrationabiliter maritus cenſeretur inuitus, ſi id prohiberet, cùm tunc ille ad id teneatur; in extrema autē quiſque tenetur ex eo quod ſupereſt naturę, in graui, ex eo quòd ſupereſt ſtatui. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 12. *de iniur. furt. dub.* 14. *n.* 84.

Limitatio tertia. Leſſius.

4. *Quarta.* *Leſſius.* *Sylueſter.* *Molina.* *P Nauarra.* *Palud.* *Nauar.*

Quartò, poteſt vxor facere inuito marito donationes, & eleemoſynas, quas aliæ ſuæ qualitatis, & æqualitatis in bonis ac fortunis facere ſolent, ſunt enim mariti irrationabiliter inuiti, ſi cõtrarium prohibeant; ita communiter DD Leſſius *tom.* 1. *cap.* 12. *lib.* 2. *de iniuriis fortunarum, dub.* 14. *num* 84. Sylueſter *verb. Eleemoſyna, quaſt.* 15. Angelus *ibi num.* 7. Molina *tom* 2. *de iuſt. diſput.* 274. §. *Equidem.* Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 83. Paludanus *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 3. *art.* 6. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *n.* 154. Ratio eſt,

Primò, quia conſuetudo tribuit ius non ſecus, ac lex tribuit, vel priuilegium, quo iure non poſſunt mariti priuare vxores ſuas, etiam ſi velint.

Secundò, quia vxores non ſunt mancipia maritorum, ſed ſociæ, neque ſunt expertes adminiſtrationis familiæ, & bonorum; ſed compares, tametſi in ea parte maritis iuſta, & rationabilia præcipientibus ſint ſubiectæ; eleemoſynæ autem moderatæ, & ſecundùm alias ſuæ qualitatis vxores inordinatæ, aut immoderatæ eſſe non poſſunt.

Molina. *Leſſius.* *Nauar.* *Sotus.*

Tertiò, quia mariti tenentur competenter alere vxores; nomine autem alimentorum veniunt eleemoſynæ, donationes moderatæ, honeſtæ recreationes, vt docent communiter DD. & ſpeciatim Molina allegatus, & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 26. *de ludo, dub.* 5. *num.* 37. & Nauarrus *in Manuali Lat. cap.* 20 *num.* 12. & Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quaſt.* 5. *art.* 5. Vnde colligitur maritos eſſe irrationabiliter inuitos, ſi id prohibeant, & non teneri illas in conſcientia illis parere, quamuis contrarium expreſsè dicat D. Antonin. 2. *part. titul.* 1. *cap.* 19. §. 1. quem citat Nauarr. *in ſumma cap.* 17. *num.* 154. & non improbat, proindeque videtur ſequi, ſed immeritò, nam ſi certa portio aſſignaretur à iudice pro alimento vxoris, non ſolùm haberetur ratio in ea aſſignanda, victus, veſtitus, ornatus, & famulatus, ſed etiam eleemoſynarum & honeſtæ recreationis, ſecundùm alias ſuæ qualitatis, marito inuito, & nolente. Ex quibus colligitur maritos eſſe irrationabiliter inuitos, ſi contrarium prohibeant, & non teneri illas in conſcientia illis parere, nec peccare contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem teneri, ſi illis in hac parte non pareant, quia virtualiter per dotem quam maritis dederunt, emerunt ab illis huiuſmodi recreationes, eleemoſynas, & ſi nullam dotem attulerunt, iure matrimonij debent à maritis ali, & nomine alimentorum, eleemoſynæ quoque, & donationes veniunt, vt dixi, & præter DD. allegatos id ipſum etiam docet Medina *C. de eleemoſynis, quaſt. de quibus bonis eleemoſyna ſit facienda, §. Ex dictis.* Viguerius *Inſt. cap.* 12. §. 2. *verſu* 5.

D. Antonin. *Nauarr.* *Medina.* *Viguer.*

5. *Molina.*

An autem vxores, ſi id illis mariti expreſsè prohibeant, peccent ſaltem contra obedientiam, dubitabit aliquis. Planè Molina *dicto tom.* 2. *diſp.* 274. §. *Equidem*, ait poſſe illas aliquando peccare contra obedientiam debitam maritis, non tamen dicit peccare de facto. Exiſtimo tamen, neque contra obedientiam peccare poſſe illas in re propoſita, quia iniuſtè præcipiunt mariti, ne efficiant id quod iuſtè facere poſſunt; ſi tamen excedant iuſtam moderationem, id quod prudens arbitrabitur, tunc non ſolùm contra obedientiam, ſed etiam contra iuſtitiam peccant, & reſtitutioni manebunt obnoxiæ: ſemper tamen Confeſſarij hoc illis debent reſtringere ſaltem ad pacem cum maritis conſeruandam; quia ſi ab illis prohibentibus maritis abſtineant, nullum timetur periculum peccandi, quod facilè incurri poteſt, ſi non abſtineant, & præceptum mariti tranſgrediantur.

6. *Obiectio.*

Dices, vxores nullam omnino habent adminiſtrationem bonorum; ergo nullas omnino eleemoſynas, aut donationes etiam moderatas facere poſſunt, contra expreſſam prohibitionem maritorum.

Solutio prima.

Reſpondeo primò, quamuis verum ſit illas nullam habere bonorum adminiſtrationem, & totam hanc adminiſtrationem eſſe penes maritos; habere tamen ius ad has moderatas eleemoſynas faciendas per conſuetudinem acquiſitum, & præſcriptum, & ideo poſſe prohibentibus maritis tantundem in eleemoſynas donare, quantundem aliæ ſuæ qualitatis donant.

Solutio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò illas liberam adminiſtrationem, quoad hanc functionem tantùm eleemoſynas faciendi moderatas, iuxta alias ſuæ qualitatis, earum rerum habere, quas per eleemoſynas donant. hoc enim virtualiter continetur in contractu matrimonij inter maritum, & vxorem celebratum, & virtute etiam hoc emerunt à maritis per dotem, quam attulerunt, ratione cuius tenentur mariti illas alere, & nomine alimenti veniunt etiam moderatæ eleemoſynæ, vt diximus, quòd ſi nullam dotem attulerunt, parum refert, quia hoc etiam virtualiter incluſum fuit in contractu matrimonij, & hoc etiã illis conſuetudo tribuit, vt patet.

7. *Alia obiectio.*

Dices ſecundò, vxores plenum dominium, & adminiſtrationem habent earum rerum, quas aere, labore, vel induſtria acquirunt, arte, aut alia ſimili ratione, vt docet Bartol. *in l. Caio, ff. de aliment. & cibar. legatis*, gloſſa *in l. ſicut, ff. de oper. libert.* D. Thom. 2. 2. *à quaſt.* 32. *art.* 8. *ad* 2. Angelus *verb. Eleemoſyna, n.* 7. Sylueſter *ibidem quaſt.* 5. modò in his comparandis nihil ſubtraxerint de tempore ad regendam familiam neceſſario; ergo de his bonis donare, & eleemoſynas facere etiam immoderatas poterunt; ergo falſum eſt dicere illas carere omnino omni adminiſtratione bonorum; ſed ad hoc reſpondeo huiuſmodi authores locutos fuiſſe de iure communi, iuxta quod, quæ ab vxoribus hoc modo cõparantur, illarum ſunt, & quoad dominiũ. & quoad adminiſtrationẽ. At in Regno Luſitaniæ & Caſtellæ cùm lucra ſint cõmunia inter maritum & vxorem, & adminiſtratio bonorum ſit penes maritum tantummodo, cõputantur hæc bona cum bonis aduentitiis, in quibus vxores habent dominium, mariti verò adminiſtrationem. Vnde non poſſunt vxores maritis inuitis quicquam donare præter moderatas eleemoſynas, iuxta alias ſuæ qualitatis, vt ſuprà diximus.

D. Thom. *Angelus.* *Sylueſter.* *Soluitur.*

Nec obſtat caput, *quod Deo,* 33. *quaſt.* 5. vbi D. Auguſtinus coniugatam alloquens, ita ait: *Nihil de tua veſte, de tuo auro, argento, vel quacumque pecunia, aut rebus illis terrenis tuis ſine arbitrio viri tui facere debuiſti*, loquitur enim *ibi* D. Auguſt. de donationibus immoderatis, vt optimè animaduertunt Molina allegatus *dicto tom.* 2. *diſput.* 274. & Petrus Nauarra *de reſt. cap.* 1. *num.* 83. & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 154.

D. Auguſt. *Molina.* *P. Nauarra.* *Nauar.*

8. *Quaſtio.*

Quæſtio tamen eſt, an poſſint vxores eas eleemoſynas, quas minutatim moderatè facere poſſunt iuxta alias ſuæ qualitatis, congregare, vt ſimul, & cumulatim largiantur, vel parentibus egentibus, vel fratribus, aut aliis conſanguineis pauperibus, imò etiam extraneis. Reſpondeo ad hanc quæſtionem affirmatiuè: dummodo alias eleemoſynas interim non faciant, aut rariſſimè faciant.

Solutio.

Primò, quia ordo charitatis poſtulat, vt conſanguinei pauperes aliis pauperibus præferantur.

Secundò,

Secundò, quia ſi licitum eſt eas facere minutatim, cur non licebit facere cumulatim; maximè, quia ratio poſtulat, vt aliquantulum liberalior ſit manus erga conſanguineos, quàm erga alios; quamuis id ægrè ferat alter coniux, dummodo exceſſus non ſit multus, vna enim, & præcipua ex circumſtantiis, quæ conſiderari debent adiudicandum quantum vxores ſine conſenſu virorum donare poſſunt, aut viri ſine conſenſu vxorum, eſt indigentia occurrens ſuorum propinquorum.

9. Non poſſunt tamen donationes illas remuneratorias, quas aliquibus perſonis iuxta qualitatem ſuorum meritorum poſſunt efficere, conuertere in eleemoſynas propinquorum.

Primò, quia huiuſmodi donationes remuneratoriæ debentur ex debito quodam gratitudinis, quod cedit in honorem vtriuſque coniugis, vnus autem coniux non poteſt iuſtè priuare alterum eo emolumento honoris.

Secundò, quia donationes remuneratoriæ poſſunt eſſe maiores ſpectatis meritis, quàm aliæ, tota hæc doctrina eſt Molinæ *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 247. §. *Nonnulla tamen.* Molina.

10. *Dubium. Refertur opinio negatiua.* Dubitatum tamen fuit inter viros doctos, an vxor illa, quæ ampliſſimam dotem detulit, poſſit dare abſque licentia viri ſui quinquaginta, aut ſexaginta aureos nutrici ſuæ ad dotem illius, vel eius filiæ, aut ob licitum alium titulum. Negat Nauarrus *in Manuali, cap.* 17. *num.* 155. etiamſi per partes daret, quando ab initio intendit ad eam ſummam peruenire Ratio illius eſt, quia vxor non habet adminiſtrationem bonorum mobilium, aut immobilium, ac proinde, non poteſt donare tantam ſummam expreſsè id marito prohibente, cum Nauarro conſentit Cabedo 1. *part. deciſione* 106. *num.* 4 vbi dicit hoc procedere etiam ſi vir longiùs abſit; nam etiam tunc id vxor non poterit efficere abſque conſenſu viri, vel authoritate iudicis, qui poteſt eam illi dare in hoc caſu, ſicut poteſt licentiã dare ad contractus celebrandos cum alio. Ratio Cabedi eſt, quia cùm de iure Luſitano *in nouis Ordin. lib.* 4. *titulo* 7. §. *finali,* id tantùm concedatur viris, vxoribus è contrario denegatur, *cap. cùm illorum, de ſent. excommun. cap. nonne, de præſumptionibus.* nam diſpoſitio ſpecialis firmat regulam in contrarium, *l. ius ſingulare, ff. de legibus.* Exceptio enim regulam firmat, iuxta commune Iuriſperitorum pronunciatum. Nauar. Cabed.

11. *Præfertur affirmatiua.* Affirmandum eſt tamen cum Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 234. §. *Ex dictis*, quia eſt donatio remuneratoria ex parte vxoris, & ratio poſtulat, vt vxores etiam remuneratorias donationes faciant, modò non ſint immoderatæ, attentis mariti, facultatibus, & qualitate vxoris; quare ſi maritus his attentis poteſt has donationes remuneratorias efficere, cur non etiam poterit vxor eas nutrici ſuæ efficere; præſertim ſi matrimonium contractum fuit per contractum dimidietatis, imò quamuis fuerit celebratum per contractum dotis, & arrharum, quando ſunt alia dona lucrata communia vtrique coniugi, de iiſdem hæc donatio fieri poterit, cùm ſit honeſta, & maritus non poſſit iuſtè priuare vxorem decore huius honeſtatis, cùm in illum etiam redundet, refundatúrque; quamuis igitur non ſint laxandæ habenæ plus iuſto vxoribus, imò reſtringendæ, attamen ſi illæ ſe ab aliis licitis contineant, vt eam ſummam nutrici ſuæ donent, aut alteri perſonæ ob gratitudinis remunerationem; tam amplam dotem afferre potuit vxor, & tam copioſas habere facultates, vt dubitandum non ſit poſſe id donare, vel per partes, vel ſimul, ſic Molina allegatus. Et ad fundamentum Cabedi & Nauarri reſpondet id procedere in aliis donationibus, quæ attentis facultatibus immoderatæ ſunt, & quæ non ſunt remuneratoriæ, nec titulo eleemoſynæ fiunt, vt patet. Præterea fundamentum Cabedi procedere poteſt in foro externo, non interno, de quo loquimur. Hactenus de eleemoſynis egimus.

Quintò, quando maritus pro victu, aut veſtitu abſens, vel præſens certum quid vxori deputat; ſi illa exinde parciùs viuendo, aut veſtiendo aliquid ſubtrahit, totum id poterit in pauperes erogare abſque licentia mariti, vt docet Nauarrus *cap.* 17. *num.* 154. *fine*, & Paludanus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 6. *concluſ.* 2. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 274. §. *finali.* 12. *Limitatio quinta.* Nauar. Palud. Molin.

Sextò dare poſſunt contradicentibus maritis; ad vitandum damnum maritorum temporale, vel ſpirituale; largiendo eleemoſynas moderatas, vt Deus conuertat maritos, & ne illos puniat ob flagitia, quæ committunt. Sic Abigail 1. *Regum* 25. fecit, vt patet ex hiſtoria ſacræ Paginæ, quæ eo inſciente, & contradicente cibos obtulit Dauid, vt damna mariti auerteret; ita docent communiter Authores, Nauarrus *in Manuali Lat. cap.* 17. *num.* 154. nam tunc vtiliſſimè gerunt negotia maritorum, nec rationabiliter illi poſſunt eſſe inuiti. 13. *Sexta.* Nauar.

Septimò, furtum non committunt ſi pecunias ſecretò auferant à maritis, prodigis, ebriis, diſſipatoribus, ne illas in ludis, & comeſſationibus profundant, vt eas poſtea in vſum familiæ conuertant. Toletus *lib.* 5. *ſumma, cap.* 15. *num.* 3. §. *Tertia.* Nauarrus *cap.* 17. *num.* 154. *in fine.* Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 274. §. *Hac eadem ratione.* Sylueſter *verbo Furtum*, §. 15. ſic non furatur ille, qui ab amente enſem aufert, ne illo aliquem percutiat, & vendit vt in vtilitatem illius conuertat, nec qui vinum effundit, chartas rumpit, taxillos proiicit, ne alter inebrietur, & inordinatè ludat, nulla enim harum ablationum furtum erit, quamuis inuito domino fiat, quia non eſt ablatio iniuſta, ſed iuſta, & ſecundùm regulas charitatis facta, vt pulchrè docet Toletus allegatus, & Sylueſter *verb. Furtum*, §. 15. 14. *Septima.* Tolet. Nauar. Molin. Sylueſter.

Octauò, nec furtum committunt, ſed licitè faciunt, ſi ad domus regimen, ad victum, veſtitumque familiæ, aut pro famulorum medicamentis aliquid à maritis auferant; quia illi non poſſunt hæc iuſtè negare, ſic docet Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 14. *num.* 85. Nauarra *cap.* 17. *num.* 154. *in fine.* 15. *Octaua.* Leſſius. Nauarr.

Nonò, ſi maritus eſt amens, vel fatuus tunc enim ad miniſtratio bonorum omnium ad vxorem, non ad maritum pertinet, niſi aliter prouiſum ſit à iure, vel à magiſtratibus. Nauarr. *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 154. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 174. §. *Deinde quando.* 16. *Nona.* Nauarr. Molin.

Decimò, ſi maritus ſit abſens, quia tunc etiam pertinet ad vxorem adminiſtratio bonorum, niſi aliter à marito prouiſum ſit ante diſceſſum; putat tamen Nauarrus *in Manuali Latino, cap.* 17. *num.* 154. non poſſe vxores in his duobus caſibus nono, & decimo plus donare abſque furto, quàm mariti ipſi præſentes, & rationis compotes dare conſueuerant; ſed fallitur, quia conſuetudo maritorum illis legem conſtituere non potuit, & 17. *Decima.* Nauarr.

& quia cùm tota bonorum adminiſtratio ad illas tunc ſpectet, poterunt quidem ſecundùm ſuam prudentiam adminiſtrare & donare, prout ratio illis dictauerit, ita Leſſius allegatus *num.*86. Paludanus *in* 4.*diſt.*15.*quæſt.*3. *art.*3. Sylueſter *verb. Eleemoſyna, quæſt.*5. Angelus *ibid.num.*7.

Leſſius. Palud. Sylueſter. Angel.

18. *Vxores quid poſſint donare parentibus, maritis inuitis, & quid mariti, inuitis vxoribus.*

Age dum veniamus ad ea quæ poſſunt vxores donare pauperibus parentibus, contradicentibus maritis; in primis conueniunt Doctores, ſi pater, aut mater vxoris alicuius viri (idem de parentibus mariti reſpectu vxoris) ſint pauperes, & miſerè viuant, poſſe vxorem inſcio, imò contradicente marito, & maritum contradicente, ac inuita vxore illis ſuccurrere, ſi illa aliunde ex ſuo commodè ali non poſſunt.

Primò, quia de iure naturali eſt, vt patres filios & filij parentes alant, quando illi de ſuo, aut aliunde ali non poſſunt; ſiue filij ſub illorum poteſtate ſint, ſiue non ſint, & ſiue ſint legitimi, ſiue naturales, & liberi viciſſim alere ſimili modo tenentur parentes (exceptis cauſis in quibus ſe ad inuicem poſſunt exhæredare) vt habetur *in l. ſi quis à liber.& ſequentibus, ff. de liberis agnoſcendis, & l.vltima, §. ipſum autem, C. de bonis quæ liberis.* quod verum eſt, etiam ſi filia ſit coniugata; nam matrimonij contractus impedire non poteſt mutuum hoc & naturale debitum inter parentes & liberos; quare filia inuito marito, & occultè, ſi palàm faciens iurgium orietur, & filius inuita vxore, poſſunt huiuſmodi debitum exoluere.

Secundò, quia licèt vxores teneantur obedire maritis, id quidem eſt, quando licita, & iuſta præcipiunt; hîc autem iniuſta & illicita præcipiunt, ſi hoc illis prohibeant, cùm præcipiant id quod eſt contra ius naturæ; ita communiter Doctores. Molina *tom.*1.*de iuſt.diſput.*228.§.*Quintus effectus patriæ poteſtatis eſt; & tom.* 2. *diſput.* 274. §. *Nonnulla tamen ſunt obſeruanda, ad medium.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortun. dub.* 14. *num.* 84. Corduba *quæſt.* 125. Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 159. & alij communiter.

Molin. Leſſius. Cordub. P.Nauarra.

19. *Dubium.*

Solum dubium eſt inter Doctores, an teneatur maritus, quæ ſic expenderit contradicente vxore, & vxor, quæ ſic, contradicente marito, erogauerit poſt mortem vtriuſque in ſuam partem referre; qua de re bipartita eſt opinio.

Opinio prima.

Primam, quæ affirmat, tuentur Leſſius & Petrus Nauarra allegati ex eo fundamento, quòd vterque parentem ſuum de ſuo alere tenetur; illud autem ſolùm illorum dici poteſt, quod ad tertium, quartúmve illorum pertinet, quia de hoc tantùm poſt mortem liberè & ſine iniuria filiorum diſponere poſſunt, vt pater, præcipuè in Regno Luſitaniæ, & Caſtellæ.

Secunda probabilior. Molin.

Probabilior tamen eſt opinio Molinæ *tom.* 2. *de iuſt.diſput.*274.§.*Nonnulla,* quæ aſſerit id quod ita inſumptum fuit de communibus bonis vtriuſque coniugis eſſe ſoluendum, ſi matrimonium contractu dimidietatis fuit celebratum; ſi verò arrharum, & dotis, ſoluendum eſſe de bonis communibus ſuperlucratis, ſi quæ ſunt ab illis conſtante matrimonio acquiſita; ſi verò non ſunt, debere illum coniugem, id quod ita cum parente inſumpſit, in partem, quæ illi diſſoluto matrimonio contingit, aſſumere, & in hoc tantùm caſu cum prima opinione, conſentit Molina, cuius ſententia mihi omnino placet, quia tunc ſicut obligatio ſuccurrendi parentibus, ita, & onus computandi in partem ſuam, in vtrumque recurrit, vt patet. An autem maritus, & vxor teneantur ſoluto matrimonio ea quæ minutatim in eleemoſynas dederunt, accipere in partem ſuam, dicemus *cap. ſequenti, num.*11.

Si fratres, vel ſorores vxoris, aut mariti ſimiliter egeant, probabile eſt poſſe vnumquemque illorum altero inuito illos alere, cùm de ſuo ali non poſſunt, vt nos latè probauimus *in* 4. *Præcepto huius operis*, & ita docent Leſſius citatus *num.* 89. Petrus Nauarra item allegatus *lib.* 3. *cap.* 1. *num.*161. iure enim communi maritus, & vxor tenentur fratribus, & ſororibus alimenta præſtare, cùm indigent, & proprio labore, & induſtria ali non poſſunt, vt docet gloſſa *in l. qui furtum, ff. vbi pupillus educari debeat*, & pater ex *l. mutus, ff. de iure dotium*, vbi id expreſsè habetur, & hac de re nullus omnino dubitat. 20.

Quid fratribus, vel ſororibus vxoris, aut mariti. Leſſius. P.Nauarra.

CAPVT IX.

De furtis maritorum in vxores, ſoluuntur multa dubia.

SVMMARIVM.

Si maritus bona communia ſibi, & vxori diſſipet, tenetur ſoluto matrimonio id in ſuam partem referre, in quo vxorem damnificauit, & illa id poteſt detrahere de bonis mariti. num.1.

Refutatur opinio Nauarri contrarium aſſerentis, num.2. & 3.

Quid de marito immoderatè ludente cum conſenſu, & ſine conſenſu vxoris. num.4.

Maritus de iure Luſitano poteſt alienare bona mobilia ſine conſenſu vxoris; tenetur tamen poſtea ſoluto matrimonio pretium in ſuam partem ſuſcipere, ſi malè expendat. num.5.

Quid de iis, quæ à maritis donantur concubinis, num.6.

*An mariti ea teneantur in partem ſibi contingentem ſoluto matrimonio ſuſcipere. Quid ſi vxores via iuridica ea ab huiuſmodi concubinis voluerint recuperare. Quid ſi hæredes vxorum id voluerint. Quid ſi concubinæ ea à ſuis amaſiis emerunt ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia, à num.*7.*vſque ad* 10.

An parentes teneantur computare in partem de qua liberè diſponere poſſunt, eas donationes, & eleemoſynas moderatas, quas minutatim fecerunt inuita, ob damnum inde filiis reſultans, num.11.

Refertur prima opinio aſſirmans. ibid.

Refertur ſecunda opinio. num.12.

Præfertur opinio negans ſi donationes, & eleemoſynæ fuerunt moderatæ, ſpectata ſubſtantia, conditione, & qualitate perſonæ. num.13.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. num.14.

Quid de donationibus remuneratoriis. num.15.

HActenus de furtis vxorum in maritos, nunc de furtis maritorum in vxores agendum eſt. Dico igitur, ſi maritus bona diſſipet ſibi, & vxori communia in vſus meretricios, & largas donationes ea profundens ſine conſenſu vxoris, tacito, vel expreſſo, iniuriam facit vxori pro ſua parte illam damnificádo, ac proinde ſoluto matrimonio, tenetur ille, vel illius hæredes ad 1.

Maritus bona communia ſibi, & vxori, diſſipans.

ad reſtitutionem vxori, illiúſve hæredibus faciendam; &, ſi vxor difficultates metuit in comparando ſibi debita, poteſt licitè occulta compenſatione vti, accipiendo de bonis mariti tantum, quantum ex ſuo, ſe inuita, diſſipauit, & ea ſumma detracta, iurare coram iudice, ea tantùm eſſe bona mobilia, quæ ex marito ſuo defuncto manſere, & nulla alia extare: nam cùm debita computentur in bonis defuncti, non falsò, ſed verè iurat, & ad formalem iudicis intentionem reſpondet, ideo enim iudex ſub iuramento illam interrogat, vt detractis debitis, de reliquo partitiones fiant, & vnicuique ſeruetur ſuum; ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortun. dub. 14. num. 87.* Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 1. num. 114.* patétque ex ratione, nam ſi contractu dimidietatis matrimonium celebratum fuit, dimidium bonorum poſt mortem viri ſpectat ad vxorem, quia bona erant vtrique communia: ſi autem contractum fuit per contractum dotis, & arrharum, dimidia pars bonorum in matrimonio acquiſitorum ad vxorem etiam ſpectat, & ſic ea rationabiliter inuita, irrationabiliter pro parte ſibi attingente profunduntur, in qno maximè damnificatur; qui autem alteri eſt cauſa efficax iniuſta damni, tenetur illud ei reſtituere, vt patet ex *cap. ſi culpa, de dolo & damno dat.* Leſſius. P. Nauarra.

2. Hæc doctrina eſt certa, ſed videtur contra Nauarrum *in manuali Lat. cap. 17. num. 55.* vbi docet maritum peccare lethaliter, non tamen ad reſtitutionem teneri pro parte vxoris, & citat pro ſe Ioannem Lupum *in rubrica de donat. inter vir. & vxorem.* Fundamentum Nauarri eſt, quia non cenſentur lucra niſi illa quæ tempore mortis inueniuntur, reliqua verò potuit maritus benè, vel malè, iuſtè, vel iniuſtè adminiſtrare abſque obligatione reſtitutionis, quia ad illum dum viueret, ſumma rerum adminiſtratio ſpectabat.

3. Sed hæc opinio Nauarri non placet, & communiter reiicitur.

Primò, quia vxor re vera acquirit dominium iſtorum bonorum, vbi primùm illa acquiruntur à marito, ſicut in omni contractu Societatis ſinguli ſocij acquirunt dominium lucri pro parte ſibi contingente, vbi primùm aliquid lucratum fuerit, & quamuis adminiſtratio apud virum ſit, tamen ſi iniuſtè adminiſtret, & profundat, ad reſtitutionem tenetur, ſubſunt enim illi bona quoad rectam adminiſtrationem, non quoad malam.

Secundò, quia in bonis aduentitiis filiorum, in quibus filiifamilias habent dominium, patres verò vſumfructum, & liberam adminiſtrationem, ſi parentes aliquid de ipſis bonis profuderint, tenentur illud reſtituere filiis in conſcientia, iuxta omnes Doctores, imò hæc eſt vna ex cauſis ob quam filiusfamilias poteſt implorato iudice priuare parentem libera illorum adminiſtratione, vt ſuprà diximus, & patet ex noſtris ordinationibus nouis *lib. 4. titulo 98.* ergo etiam tenebitur maritus ad reſtitutionem vxori faciendam, pro parte illorum bonorum acquiſitorum, quæ ipſe iniuſtè profuderit, non obſtante ſumma illorum adminiſtratione, quam habet. nam maritus non habet ius adminiſtrandi niſi in ſuum, & vxoris commodum; ergo ſi aliter facit inuita vxore, illam iniuſtè lædit, & pro ea læſione ad reſtitutionem tenetur.

Tertiò, quia alioqui ſi maritus faceret notabiles donationes abſque conſenſu vxoris, non teneretur illas in ſuam partem ſoluto matrimonio computare, & tamen teneri affirmat Nauarrus; quare miror certè quomodo hoc affirmando, illud audeat negare, cùm par vtrobique ratio videatur.

Quartò, quia opinio Nauarri non poteſt in noſtro Regno Luſitaniæ ſuſtineri, vbi ipſo iure omnia bona mariti, & vxoris communicantur, quamuis enim in hoc Regno donatio remuneratoria moderata facta de mobilibus à marito, etiam ſine conſenſu vxoris valeat, vt habetur *in noua Recopilat. lib. 4. titulo 64. fine*, quoniam apud maritum tota eſt bonorum adminiſtratio, & poteſt ſolus alienare mobilia, non tamen immobilia; at ſi mobilia iniuſtè, & abſque conſenſu mulieris alienauerit, tenetur poſtea in conſcientia partem vxori ſoluto matrimonio reſtituere, in qua illam damnificauit, & læſit, vt docet idem Nauarrus *in cap. 17. num. 155.* & id tanquam verum, & indubitatum ſupponit Leſſius citatus *num. 87.* imò tenetur efficere, vt id vxori innoteſcat, quo in diuiſione reparetur, iuxta eundem Nauarrum, ſi timeat poſt mortem ſuam, eam ſe commodè non poſſe reparare, & ideo conſequenter, & bene docet etiam Nauarrus *loco citato*, donatarium, ſeu accipientem, qui credit maritum id non manifeſtaſſe vxori, nec illam clàm accepiſſe ex parte contingente marito id, in quo ab illo læſa, & damnificata fuit, teneri eam admonere, vt ſibi mutua compenſatione prouideat, quæ doctrina plana eſt, & vera, & ex qua euidenter patet contrarium ſibi fuiſſe Nauarrum. Nauar. Leſſius.

Hinc etiam ſequitur, ſi maritus ludo aliquid immodicum perdidit, damnum marito & vxori cenſeri commune, ſi de conſenſu vxoris ludum exerceat, ſecus ſi abſque illius conſenſu ludo operam dederit immoderato, quia ludus eſt contractus fortuitus quo potuit perdere, & lucrari, vnde etiam communia debent eſſe lucra, & damna, niſi fortè vxor nollet ludo conſentire; neque enim tenetur illa conſentire, cùm videatur per illum conſenſum rem ſuam periculo diſſipationis exponere, ita docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 14. num. 88.* 4. *Maritus immoderatè ludens cum conſenſu, & ſine conſenſu vxoris.* Leſſius.

Poſſunt tamen, vt dixi, mariti de iure Luſitano *in nouis Ordinat. lib. 4. titulo 64 ad finem*, validè vendere, & alienare bona mobilia ſine expreſſo vxoris conſenſu, & pecunias diſtrahere, ea tamen conditione, & lege, vt ſoluto matrimonio, quicquid illi alienauerint ſine vxoris conſenſu, teneantur in ſuam partem ſuſcipere, quod tamen locum habere non poterit in donationibus remuneratoriis, neque in eleemoſynis moderatis, quas ipſe maritus poterit efficere ſine conſenſu vxoris, quin in ſuam partem, ſoluto matrimonio, eos teneatur referre: hæc *ibi* expreſsè dicuntur, & idipſum docet Molina *tomo 2. de iuſt. diſput. 275.* nam ſi vxor, vt *capite præcedenti* diximus, poteſt, inuito marito, eleemoſynas, & donationes remuneratorias moderatas efficere iuxta aliaſ ſuæ conditionis, & qualitatis, maiori eum ratione maritus id poterit efficere, cùm ad eum ſpectet bonorum omnium adminiſtratio. 5. Molina.

De iure etiam Luſitano *lib. 4. noua Ordinat. tit. 66.* ſi maritus quicquam concubinis dederit, vel alteri cui turpiter ſit affectus, ſiue mobile, ſiue immobile illud ſit, poteſt vxor illud repetere in iudicio, & res ſic petita tota eſt in ſolidum vxo- 6. *De bonis quæ maritus dat concubinis.*

ris, & quoad vſum, & quoad dominium, quam quidem litem intendere poterunt vxores toto vitæ tempore ipſis cõcubinis dum fuerint ſub poteſtate virorum; ſi autem vel per mortem virorum, vel alia via ſeparatæ fuerint, eam tantùm intendere poterunt intra quatuor annos completos à die ſeparationis, mortua verò vxore filij, vel filiæ, aliive aſcendentes, vel deſcendentes eam litem intendere poterunt concubinis intra eoſdem quatuor annos, non vltrà.

7. Neque in conſcientia tenentur vxores illarum rerum, quas ſic de poteſtate concubinarum ſuorum maritorum iudicis imploratione extraxerint, pretium ſoluere ipſis concubinis, niſi eis liquidò conſtet prædictas concubinas eas emiſſe à maritis ſuis, vero pretio. nam quamuis in foro externo abſoluantur vxores ab hac pretij reſtitutione, vt patet ex nouis ordinationibus *loco citato*, propter præſumptionem, qua præſumunt leges maritos in damnum, & præiudicium vxorum eas alienaſſe, gratiſque dediſſe ipſis concubinis; tamen conſcientia eſt tribunal veritatis, & præſumptio non debet veritati præualere, & idem dicendum eſt, ſi maritus eaſdem res oppignorauit iiſdem concubinis, ob aliquod pretium; reſtituto enim pretio poterit in conſcientia vxor rem oppignoratam à concubina ſui mariti vindicare, idem enim dicendum eſt de vindicatione rei emptæ, & oppignoratæ pretio, cùm par ſit ratio vtrobique, vt patet.

8. Quando matrimonium contractum fuit per contractum dimidietatis, tenentur viri in conſcientia ſoluto matrimonio poſt mortem ſuſcipere in partem ſuam quicquid concubinis de huiuſmodi mobilibus, aut immobilibus donarunt, & hoc animaduertant Cõfeſſarij; & ita docet optimè Molina *tom.2. de iuſt. diſput.*275. & Gama *deciſione* 226. ex quo patet non teneri concubinas reſtituere in conſcientia ea quæ per blanditias à viris vxoratis accepere ante latam ſententiam, ſi illi velint ea accipere in partem ſuam, vt tenentur accipere; teneri verò ſi eis certò conſtet maritos, quorum fuerunt concubinæ, ea in partem ſuam non accepiſſe. In dubio autem, an acceperint, vel non acceperint, præſumendum eſt accepiſſe, & illos obligationi conſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſe, cùm in hora mortis nemo præſumatur propriæ ſalutis & obligationis immemor. quare dum eis id non conſtat, non ſunt in conſcientia obligandæ. Molina. Gama.

9. Quando autem maritus, & vxor contraxerunt per contractum dotis, & arrhatum, ideſt, vt ſoluto matrimonio vnuſquiſque exeat, vel illorum alter cum dote, & arrhis, ſi filij non ſint ſuperſtites, tunc quidem videndum eſt, an aliqua ſint lucra, & bona ab illis acquiſita conſtante matrimonio, & tunc ſi huiuſmodi bona dentur, tenetur in conſcientia concubina reſtituere dimidium illius, quod pertinebat ad vxorem illius, cuius ipſa fuit concubina in eo caſu, quod ei conſtet amaſium ſuum ſoluto matrimonio id in partem ſuam non accepiſſe, quia cùm huiuſmodi bona conſtante matrimonio acquiſita, marito, & vxori ſint communia pro ſua parte, vxor cauſa illius iniuſtè fuit damnificata; ſi verò nulla ſint bona communia, nihil tenetur reſtituere ipſa concubina, modò id non impediat quominus vxor ſuam dotem integram, & arrhas promiſſas accipiat, aliter tenetur, ita docet Molina *tom.2. de iuſt. diſput.*275.§. *Non dubito.* Molina.

Idem quod hactenus dictum eſt de concubina, dicendum etiam eſt de amaſio, quando aliquid ab aliena vxore ſimiliter accepit, nam tunc ipſe amaſius in defectum tantùm amaſiæ tenetur reſtituere marito illius partem illi contingentem, vel hæredibus mariti in eo caſu, quo credit eam non accepturam id in ſuam partem, vt docet Molina *citatus*, viuente tamen vxore mœcha, ſi mœcha noluerit marito ſuo id quod mœcho dedit, reſtituere, tenetur ipſe mœchus illud primo reſtituere, quia ad illum ſpectauit vtilitas rei, vt patet. 10. *Amaſius.*

Similis dubitatio eſt, an parentes teneantur computare in partem, de qua liberè poſſunt diſponere eas eleemoſynas, & donationes, quas minutatim faciunt, & ita in Regno Luſitaniæ, an de tertia, & in Regno Caſtellæ de quinta bonorum parte detrahendæ ſint, de qua ſolùm diſponere liberè poſſunt, qua de re tres opiniones inuenio. 11. *Dubium.*

Prima affirmat. Probatur ex *l.28. Tauri, hodie* 12.*titulo 6. lib.5. recopilationis*, quæ præcipit ne parentes in vita, vel in morte aliquid diſponant, niſi de ſuorum bonorum quinto, de quo liberè diſponere tantùm poſſunt, iuncta *l.* 30. *Tauri, hodie* 13. *eodem titulo*, decidenti omnes donationes gratioſas de quinto extrahendas eſſe; & confirmari poteſt hæc opinio, quia parum intereſt filiorum, ſi parentes per magnam quoram ſimul, ſiue minutatim diſponant liberaliter, cùm æquè hac, vel illa via lædantur, & minus habeant in bonis, præſertim, quia in rebus concernentibus iuſtitiam, minima etiam attenduntur, vt probat Pinellus *in rubr. C. de reſcind. vendit. num.*8. & 28. nam vbi agitur de læſione & iure alterius, in minimis etiam eſt habenda, & ideo hanc opinionem defendit Tello *l.28. Tauri, num.* 9. *Opinio prima.* Pinellus. Tello.

Secunda aſſerit, ſi exceſſus ſit modicus, ita vt filij parum grauentur in legitima ex donationibus minutis toto vitæ tempore factis, non eſſe hoc detrahendum minuendùmque ex tertia, vel quinta bonorum parte parentum; ſecus ſi fuerit notabilis exceſſus, quod iudicio prudentis committitur, ita docet Gregorius Lopez *l.* 8. *titulo* 4. *part.* 5. *verb. Ennida.* Guttierr. 2. *practica queſt.*68. *num.* 2. licèt dicat in rigore iuris veriorem eſſe priorem ſententiam, ex conſuetudine tamen, & æquitate hanc eſſe tenendam, & eam etiam probat Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *ſummæ, edit.*2. *cap* 92. *num.*6. 12. *Opinio ſecunda.* Lopez. Guttier. Rodrig.

Tertia & omnibus probabilior, ac præferenda docet donationes, & eleemoſynas prudenter factas pro modo ſubſtantiæ, & pro qualitate perſonæ, & quas, his attentis, & conſideratis, poſtulat recta ratio, & bonorum adminiſtratio fieri; non teneri parentes in ſuam partem computare, ſoluto matrimonio, ſed pertinere ad ſumptus ordinarios, & rectam bonorum adminiſtrationem. Secus ſi prudentiæ limites excedant, nam cùm pater verus, ac legitimus adminiſtrator bonorum ſit, arcendus non eſt ab his, quæ recta, & prudens bonorum adminiſtratio poſtulat, ita docet Sanchez *tom.*1. *de matrimon. lib.*6. *cap.* 38. *num.* 11. Angulus *de melioram. l.* 12 *gloſſa* 1. *num.*26. Molin. *tom.*2. *de iuſt. diſp.* 282. §. *dubium eſt*, vbi rectè animaduertit plus poſſe aliquantulum donare parentes minutatim, quàm ſimul, & vno cumulo, & hanc opinionem appellat probabilem Gutierrez 2. *part. quæſt.*68. *fine.* 13. *Opinio tertia, & probabilior.* Sanchez. Angul. Molina.

Aliqui

Aliqui temperant, niſi donationes modicæ, & minutatim factæ alicui fierent ex filiis,& vltra eas poſtea in Luſitania in tertio, in Caſtella in quinto
Matienz. prędictus filius donetur à patre, ſic Matienzo *lib. 5.*
Gutier. *recopil. tit. 6. l. 12. gloſſa 3. num. 3.* Gutierrez *allegatus*,& Angulus *de melioram. l. 12. gloſſa 1. n. 26.*
Sanch. Sed non video, inquit Sanchez *citatus*, & bene, huius limitationis ſolidum fundamentum, ſi enim illas minutas donationes poteſt facere extraneo abſque obligatione computandi eas in tertiam, quintamve ſuorum bonorum partem; cur non etiam filio, cur enim filius peioris conditionis erit, quàm extraneus.

14. *Soluũtur argumenta primæ opinionis.*

Nec argumenta pro aliis opinionibus adducta vim aliquam habent; nam leges illas citatas pro prima ſic rigoroſè loquentes, mitiùs vſus eſt interpretatus, modò ac via à nobis expoſita numero præcedenti, ne ſcilicet multum curetur de modicis donationibus prudenter à parentibus factis, cùm id pertineat ad rectam adminiſtrationem bonorum, & familiæ, nam alioquin opera charitatis impedientur, vt patet, neque enim damnum aliquod conſiderabile datur, nec ita ſentitur minutatim dando. Licèt enim vbi agitur de læſione alterius contra iuſtitiam data, ad minima etiam attendendum ſit, vt reſtituantur; id quidem verum eſt, vbi quis non eſt verus bonorum dominus, ſed merus adminiſtrator, vt Prælatus Religionis in illicitis, ſecus in vero domino, qualis eſt pater.

15. *De donationibus remuneratoriis.*

Hoc tamen non tollit, quominus parentes poſſint efficere donationes remuneratorias, moderatas quidem & rationabiles, attenta bonorum facultate, & qualitate perſonarum donantis, & donatarij; attentiſque obſequiorum meritis, ne parentes ingrati ſint erga ſuos benefactores; petit enim recta ratio, vt huiuſmodi donationes moderatæ fiant, ſecus quando fuerint magnæ, & quas nec recta ratio, nec adminiſtratio poſtulat, nec conſuetudo permittit, tunc enim tenentur parentes prædictas donationes accipere in eam partem, de qua poſt mortem liberè poſſunt diſponere, vt optimè notat Sanchez *tom. 2. de matrim. lib. 6. diſp. 38. num. 11. poſt medium.*

CAPVT X.

De furtis vaſallorum in Principes.

SVMMARIVM.

Quid ſenſerint aliqui authores circa quantitatem ad mortale requiſitum in furtis vaſallorum erga Principes. num. 1. & 2.

Quæ ſit vera quantitas ex iudicio authoris. num. 3.

Quæ reſpectu Reginæ. num. 4.

Vtrùm vaſallus à Rege ſuo, vel Principe læſus poſſit ex vectigalibus illius, publicanis etiam locatis ſibi occultè recompenſare, quando aliter non poteſt. num. 5. & 6.

An agricola poſſit ſibi eam recompenſationem facere de decimis ſui Abbatis alteri locatis, quando ab illo ſuum debitum aliter commodè recuperare non poteſt. num. 7.

Quæ quantitas reſpectu filiorum Regis, & Principum ſit mortalis. num. 8.

DE furtis vaſallorum in Principes, & Reges non facilè eſt prudentiali iudicio mortalem quantitatem definire. Rebellus *1. part. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 3. num. 21.* multa aſſerit, & tandem reſoluit quartam partem vnius aurei, reſpectu Regis,& Principis eſſe mortalem, & ibi dicit peccare mortaliter Reginam, quæ furatur à Rege eo inſcio decem aureos: rigoroſius planè arbitrator in Reginas. Fundamentum illius eſt, quia prior quantitas ſufficit in Regia curia ad cibum vnius diei, decem verò aureis miles ali poteſt duobus menſibus pro maxima Regni vtilitate pugnans; ſed nimis ſcrupuloſus homo eſt. 1. *Quantitas ad mortale requiſitum in furtis vaſallorum erga Principes.*

Hieronymus Flamma *3. part. method. cap. 9. §. vnde reſpondemus*, putat vnum argenteum eſſe quantitatem mortalem reſpectu etiam potentiſſimi Regis, cum illo conſentit Tolet. *lib. 5. cap. 16.* aſſerens vnum, vel duos regales eſſe mortale furtum horum Principum reſpectu. 2. Flamma. Tolet.

Sotus *lib. 5. de iuſt quæſt. 3. art. 5. §. ad 3.* initio, inſinuat duos, aut tres ducatos, quamuis ille nihil certum definiat, ſed tantùm aſſerit dari reſpectu Regum, & Principum minimam quantitatem; & poſtea gratia exempli addat, v. c. duos, vel tres ducatos aureos. Sotus.

Difficillimum planè eſt certam quantitatem definire, cùm enim hoc ex variis circunſtantiis pendeat,& prudenti arbitratu hominis, quiſque ſuum arbitratum facile poterit aliorum arbitratui præferre. Dico tamen mihi videri quantitatem vnius ducati ſupra dimidium, & ad ſummum duos ducatos mortale eſſe peccatum in furto vaſallorum reſpectu Regis, & Principis; hæc eſt Soti ſuprà allegati,& aliorum, quos retulimus *cap. 1. num. 18.* vbi id latiùs probauimus. Suarius tamen *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 6.* & Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. num. 35.* Angelus *verb. furtum, §. 33.* & Maior. *in 4. diſt. 15. quæſt. 25. col. 1.* quantitatem vnius ducati pro mortali peccato in furto reſpectu Regis, ac Principis aſſignant; ſed noſtrum iudicium videtur bonum, cùm hæc quantitas nec magna, nec parua, ſed iuſta videatur reſpectu illorum: ſpectata enim liberalitate Principum, qui vaſallos ſuos inſtar filiorum ſolent deamare, non videtur minor hac quantitate aſſignari poſſe: nam hoc bonum in ſe eſt alicuius momenti, & entitatis, & licèt reſpectu liberalitatis Principis exiguum videatur, tamen non eſt minimum reſpectu obligationum Principis, iſto enim ſtipendio miles vnus dimidio menſe militat. 3. *Quæ ſit vera quantitas ex iudicio authoris.* Suar. P. Nauarra. Angelus. Maior.

De Regina exiſtimo non peccare mortaliter ſi mille ducatos, imò etſi ſit Regina Hiſpaniæ, bis mille inſciente Rege, & abſque licentia illius donet, ſolent Reges erga Reginas vxores ſuas liberaliores eſſe, imò & liberaliſſimi. Excipe tamen, modò Rex non ſit aliqua vrgenti neceſſitate oppreſſus, in qua pecuniis iiſdem egeat ad bonum commune Regni ſui conſeruandum, ſed hæc omnia prudentis arbitrio committuntur, qui ſpectatis omnibus circunſtantiis, quod ſibi iuſtum viſum fuerit, iudicabit. 4. *Quæ reſpectu Reginæ.*

Vidi ſæpe dubitari, vtrùm vaſallus à Rege, vel Principe ſuo læſus poſſit ex vectigabilibus illius, publicanis etiam locatis ſibi occultè compenſare, quando aliter,& aliunde non poteſt. Et reſpondendum iudico affirmatiuè: ita docent communiter Doctores. Petrus Nauarra *lib. 5. de reſt. cap. 1. num. 248.* Sylueſter *verb. Gabella 3. quæſt. 9.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 33. de tributis & vectigalibus, dub. 15. num. 75. fol. mihi 388.* Molina 5. *Vaſallus à Rege ſuo, vel Principe læſus.* P. Nauarra. Sylueſter. Leſſius. Molin.

lina *tom.2. de iuſt. diſput. 664. num.20.* Ratio eſt, Primò, quia Rex non locauit publicanis dominium illorum vectigalium, ſed ſolùm ius exigendi illa, & quandiu dominium rei manet ſub illius dominio, obnoxia manet reſtitutioni.

Secundò, quia publicani ſemper minoris conducunt ea vectigalia propter fraudes, & ſciunt optimè, aut ſcire debent, ea eſſe obnoxia huiuſmodi reſtitutionibus; tandem quia Rex non poteſt vendere, locare, aut oppignorare bona ſuorum vaſallorum citra vrgentiſſimam neceſſitatem, illis inuitis, neque enim bona, aut æs alienum computantur cum propriis.

6. *Obiectio.* Dices: ergo licebit mihi ab vſufructuario mei creditoris, v. c. ab emphyteuta fructus clam accipere, cùm dominium directum ſemper maneat apud meum creditorem, & in emphyteuſim tantum tradiderint vſusfructus rei. *Soluitur.* Respondet Petrus Nauarra citatus, eſſe diuerſam rationem vtrobique, & ideo nullo modo id poſſe fieri. nam ipſi fructus prædiales naſcuntur ſub iuſta poſſeſſione emphyteutę vſuve fructuarij; at verò redditus Regales ſiue ſint iura, ſiue cenſus, ſiue decimæ, ſiue alia tributa, non naſcuntur cùm ex Rege & non ex prædiis ſint percipiendi & eo ipſo quòd debiti erant, nunquam fuerunt ſub dominio; vel illius poſſeſſione iuſta Regis, vel publicani.

7. *Agricola.* Ex hoc principio inferes, & bene, poſſe etiam agricolam ex decimis ſui Abbatis etiam alteri locatis ſibi compenſare occultè, ſi Abbas ſuum ei debitum ſoluere recuſet, & in iudicio illud recuperare non poſſit, aut non niſi cum magno labore poſſit, vt docent Petrus Nauarra, & Leſſius allegati, loquuntur enim expreſsè de decimis, & affirmant obnoxias quoque eſſe reſtitutioni, & compenſationi, debet tamen ipſe agricola ſecundùm regulas charitatis expectare tempus in quo poſſint reditus ad Abbatem redire, ſi ſine magno ſuo detrimento illud poſſit expectare; nam ſi detrimentum aliquod magnum patiatur, non tenebitur id tempus expectare, quia charitas cum tanto diſpendio non obligat.

8. *Quantitas reſpectu filiorum Regis, & Principum mortalis quæ.* Poſſet aliquis dubitare de filiis Regis, quæ quantitas reſpectu illorum, & patris fuerit mortalis in furto; ſed cùm hæc omnia pendeant ex prudentis arbitrio, quiſque pro ſuo id poterit arbitrari, & ideo verè puto hoc in hac vita ſciri perfectè non poſſe, cùm difficile ſit alterius iudicio acquieſcere; nam qui velit ingenio cedere, rarus erit. Exiſtimo tamen reſpectu Regis, & filiorum illius, ducentos ferè aureos quantitatem eſſe mortalem, & ſi parentes oſtendantur inuiti, id quidem erit, quoad modum, non quoad ſubſtantiam rei ablatæ; id tamen pendet ex circunſtantiis tempore, & occaſione neceſſitatis occurrentis, quod arbitrabitur prudens, nam ego, vt ſæpe dixi, iudicium meum protuli, paratus ſequi iudicium illius, qui meliùs protulerit.

CAPVT XI.

De furtis famulorum in dominos, & excommunicatione illorum.

SVMMARIVM.

Famuli Dynaſtarum quatenus peccent mortaliter à dominis furto aliquid auferentes, & quæ quantitas reſpectu illorum ſit mortalis. num.1 & 2.

Raro hi famuli peccant mortaliter cùm furantur cibaria. num.3.

Famuli quando teneantur ad reſtitutionem, & quid ſi domini eos cogant ſeruire vltra pactum conuentum. num.4.

An teneantur famuli reſtituere dominis ſi quid illis ſuperfuerit, quando eis ad victum, aut veſtitum aliquid peculiariter determinatum fuerit. numero 5.

An excommunicatio lata in eos qui aliquid furati ſunt comprehendat eos, qui in ſuam recompenſationem occultè acceperunt. num. 6. *Quid ſi via iuridica, aut alia ordinaria ſuum debitum poſſint recuperare* ibid. verſ. *Nec refert. An teneamur manifeſtare illos, quos ſcimus in ſuam compenſationem aliquid accepiſſe.* ibid.

Quid quando dubitamus an in compenſationem acceperint, num.7. *Quæ quantitas requiratur in honorabilioribus famulis Dynaſtarum, vt in œconomis, equorum præfectis.* ibid.

DE famulis certum eſt eos ſemper teneri ad reſtitutionem, ſiue parum, ſiue multum à dominis furto auferant contra illorum voluntatem ſaltem præſumptiuam; quando autem voluntas præſumptiua detur, vel non detur, vt obligandi ſint famuli ad reſtitutionem ſub mortali, iudicabit prudens. 1. *De furto famuli Dynaſtarum.*

2. Erga Dynaſtas, Epiſcopos & Archiepiſcopos mediocriter diuites crederem tres partes vnius ducati, aut ad ſummum vnum ducatum eſſe quantitatem mortalem, de reliquis dicendum eſt id quod diximus, ſuprà *in cap.1. num.26. 27.28. & 29.* Nec refert quòd furentur ad eleemoſynas faciendas, id enim eos non excuſat.

3. Credo tamen cum Nauarro *cap.17. num.140.* & cum Petr. Nauarra *lib.3. de reſt. cap.1. num.248.* eos rarò peccare mortaliter cùm furantur cibaria, ſi ſibi, & non ad dandum aliis furentur, tum quia iſta non magna eſſe ſolent, tum etiam, quia ex ordinario cibo tantundem minus comedent, hora conſueta, quanto plus occultè ad comedendum acceperint modò conueniens pecunia pro cibo eis non detur, rarò autem etiam dabitur conueniens. Nauarr. P. Nauarra.

4. *De furto dominorum famuli.* Tenētur etiam famuli dominis reſtituere quicquid vltra ſtipendium ſuum, & vltra cibum conuenientem ex bonis dominorum acceperunt, modò domini illos non coegerint famulatum præſtare in aliis officiis vltra illa, de quibus conuenerunt, nam tunc poterunt aliquid amplius accipere (modò iuſtum ſit) pro illo ſeruitio, & obſequio, in quo vltra pactum coguntur famulari, ita Toletus *lib 5. ſumma cap.1. num. 5.* & Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de iniurijs. fortun. dub.10. num.63.* Tolet. Leſſius.

5. Non tenentur etiam famuli reſtituere dominis ſuis quicquid illis de victu quotidiano ſuperfuerit, quando eis certa portio aſſignatur; ſed de hoc poterunt ad libitum diſponere abſque obligatione reſtitutionis, modò ex aliis bonis ſuorum dominorum occultò raptis non alantur, & modò ob id ex debilitate minus non laborent, tunc enim tenentur reſtituere tantum, quantum ex labore, & ſeruitio propter eam debilitatem detraxerunt arbitrio prudentis, ſic famulus, qui ſtipendium meretur ſub domino, ſi alteri ſuas etiam operas tempore relicto locauerit, & ob id ita debilitetur, vt ideo minus laboret, quàm eſſet laboraturus

ſi

ſi illas non locaret, tenetur etiam reſtituere damnum domino ex ſua debilitate reſultans.

6. *Excommunicatio lata in eos, qui occultè aliquid ſunt furati.* Animaduertendum tamen eſt, ſi feratur excommunicatio in eos, qui occultè aliquid furati ſunt, nunquam in ea comprehendi eos, qui pro ſua iuſta compenſatione acceperunt, quia hi ex quo pro debita compenſatione acceperunt, ſuum, non alienum acceperunt; vnde neque etiam ligat eos, qui certò ſciunt, illos ſuum accepiſſe, & ſibi compenſaſſe, vt teneantur ad reuelationem furti, ita communiter Doctores, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniurijs fortun. dub.* 10. *num.* 61. Syluester *verb. fortuna, quæſt.* 15. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 114. *Leſſius. Syluest. Nauar.*

Nec refert quòd via iuridica poſſit quis ſuum debitum recuperare, quo caſu non deſunt, qui aſſerant comprehendi illum in excommunicatione, ſi occultè ſibi compenſet; quando via iudicis debitum ſuum recuperare poterat; ſed reuera etiam tunc illa non ligatur, iuxta Leſſium, quia ſuum recuperat, & non furatur alienum, nec etiam peccat retinendo, cùm ſuum retineat; peccabit tamen contra charitatem, quando facilè rem ſuam aliter recuperare poſſit, nam iudex non intendit excommunicare, niſi illum, qui iniuſtè, & contra iuſtitiam detinet, aut accipit alienum, & quamuis intenderet, & vellet etiam ligare illum, qui occultè in compenſationem indebito modo accepit, excommunicatio non valeret, quia ſolùm pro re aliena poteſt hæc excommunicatio ferri; quamuis enim peccauerit mortaliter contra charitatem ille, qui occultè ſibi compenſauit, cùm facilè poſſet aliter rem ſuam recuperare; tamen non peccauit contra iuſtitiam, & illud peccatum ſi tum fuit in indebito modo recuperandi ſuum, & iam eſt præteritum, & non durat moraliter, cùm non duret obligatio reſtituendi; vnde propter peccatum præteritum non poteſt excommunicari, excommunicatio enim quæ ob peccatum præteritum fertur, non eſt valida, vt docet Suar. *tom.* 5. *de cenſuris diſp.* 4. *ſect.* 5. *num.* 8.

7. *Dubium an aliquid acceperit in compenſationem rei ſibi debitæ.* Si aliquis dubius, & anceps ſit, an aliquid acceperit in iuſtam compenſationem rei ſibi debitæ, nec ne; tunc quidem tenetur illud manifeſtare, quia in dubiis ſtandum eſt à parte iudicis ſuperioris, idque etiamſi recompenſatores affirment in recompenſationem accepiſſe, niſi ſint tantæ authoritatis viri, vt meritò dubium deponere poſſit; ita docet Nauar. *cap.* 17. *num.* 114.

Dynaſtarum famuli honorabiliores. De famulis autem honorabilioribus Dynaſtarum v. c. de maiordomis, ſeu œconomis, aut palatij magiſtris, & à ſecretis, & equorum præfectis, non ita arctè iudicandum eſt circa comeſtibilia ex interpretatiua voluntate dominorum, & ſic maior in illis quantitas requiretur ad mortale, quàm quæ requiritur in aliis ordinariis famulis, arbitrio prudentis, vt docet Hieronymus Flamma *in* 3. *part. method. cap.* 13. §. 19.

CAPVT XII.

De furtis mancipiorum erga dominos, an mancipia poſſint fugere, & teneantur ſe dominis reſtituere, & quid de mancipijs Angolæ, an licitè inde ad ſeruitutem extrahantur.

SVMMARIVM.

Serui quidquid acquirunt, dominis acquirunt, non ſibi, vnde ſi quid eis donatione, vel teſtamento datum fuerit, dominorum eſt, non illorum. numero 1.

In multis tamen caſibus habent dominium, & vſum rei acquiſitæ, primò ſi interueniat pactum cum dominis de certa quota pro die, vel menſe danda, tunc enim quicquid ſuperfuerit illorum eſt, non dominorum. num. 2.

An domini in aliquo caſu teneantur ſatisfacere pecunia iniuriam à ſe illatam ſeruis ſuis, & an tunc ea pecunia ſeruorum ſit. num. 3.

Quid quando aliquid ſeruis datum, vel teſtamento relictum fuerit ea expreſſa conditione, vt illorum ſit, non dominorum. num. 4.

Qui incapaciores ſint ad acquirendum ſibi, ſerui ne, an Religioſi. num. 5.

An ſeruorum ſit, & non dominorum id quod ſuo peculio ſerui acquirunt. num. 6. *Et quid de his, quæ ludo acquirunt. ibid.*

An ſerui & ancillæ ſibi acquirant dominium illius, quod tempore ſuperſtite, à ſeruitio dominorum lucrentur. n. 7. *Refertur prima opinio affirmans. ibid.*

Refertur ſecunda negans. num. 8. *Iudicium authoris. num* 9.

Quid quando domini aliquid donant ſeruis, vt totum illorum ſit in ſolidum. num. 10.

An ſerui teneantur dominis reſtituere id quod, ab illis furto abſtulerunt, & quid ſi res extet, aut non extet. num. 11.

Quatenus peccent, vel non peccent ſerui furando à dominis ordinarios cibos. num. 12.

IN multis caſibus poſſunt ſerui committere furtum in dominos, & vt hoc ſciatur, præmittendum eſt mancipia; & ſeruos quicquid acquirunt dominis acquirere, nam ius tribuit dominium dominis ad omnes ſuorum mancipiorum operas, & actiones corporales, quas recta ratio poſtulat, & ad omnes illorum fructus, vt ad partus ancillarum, quamuis ex hominibus liberis conceperint, adeò, vt ſi quid vel donatione, vel teſtamento, vel quacumque alia via acquirant, dominis, non ſibi acquirant, vt patet ex §. 1. *Inſt. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris,* vt docet Molina *tom.* 1. *diſp.* 38. *& dicemus in §. tertius caſus, num.* 4. modò ea lege, & conditione tacita, vel expreſſa, id ſeruis non relinquatur, vt nihil ſit dominorum, & totum ſit illorum; tunc enim ad dominum nulla ratione pertinebit, quandoquidē vnuſquiſque de bonis ſuis diſponere poterit, vt voluerit, illiſque eam conditionem imponere, vt ad hunc, non ad illum deueniant, vt ſtatim dicemus. 1. *Serui & mancipia quidquid acquirunt, dominis acquirunt.*

Hoc tamen non tollit, quominus in conſequentibus caſibus poſſint ſerui dominium aliquarum rerum comparare. 2. *In multis tamen caſibus habent dominium, & vſum rei acquiſitæ. Primò.*

Primus eſt, ſi interueniat pactum inter ſeruos, & dominos, vt quotidie, aut ſingulis hebdomatis certum quid ei ſoluant, reliquum verò de ſuis laboribus ſibi ſeruent; licèt enim ea ratione, qua ſerui ſunt, neque amicitiam, neque iuſtitiam habere poſſint cum ſuis dominis; ea tamen ratione, qua homines ſunt vtrumque habere poſſunt, quo fit, vt tunc domini ſtare teneantur contractus, neque vſurpare poſſint abſque furto ea, quæ ſibi ſerui hoc modo compararunt, ſic docet Molina Theolog. *tom.* 1. *diſp.* 38. §. *primus caſus.* P. Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 216. *Molina. P. Nauarra.*

Secundus eſt, quando ſeruo vel ab ipſo domino, vel ab aliquo alio aliquid pro iniuria ei illata, 3. *Secundò.*

illata, & damno in iis, quæ dominis non ſubiacent, reſtituuntur, vt ſunt integritas membrorum, reſtitutio bonorum, quæ vltra pactum cum domino conuentum, acquirunt, & reliqua omnia, pro quibus cum dominis in iudicio agere poſſunt, v.c. ſi iniuſtis ſuppliciis, laboribus immoderatis, fame, & nuditate eos domini afficiant, ita vt vim coërcitiuam excedant, & ea, quæ contra illorum ſalutem coporalem, vel ſpiritualem ſunt, pro his enim poſſunt ſerui cum dominis in iudicio ad iniuriam agere; licèt enim ſerui, qua ſerui, nullam iuſtitiam habeant erga dominos, vt affirmat Ariſtoteles *lib.* 8 *Ethicorum*, *cap.* 11. neque iniuriam pati ab illis poſſint, tamen qua homines iuſtè, & moderatè tractari debēt, vnde quoad ea quæ ſibi pro iniuria illis facta reſtituuntur, verè comparant dominium, & non poſſunt domini abſque furto ea

Molin. ab illis accipere, vt probat Molin. Theolog. *tom.* 1, *diſp.* 38 *§. tertius caſus.*

4. *Tertiò.* Tertius caſus eſt, ſi quid ſeruis datum, aut relictum fuit in teſtamento, ea tacita, vel expreſſa conditione, vt ſit ſeruorum, & non dominorum; ſicut enim licèt patres habeant de iure vſumfructum in bonis aduentitiis filiorum, id non tollit, quominus filij comparent ſibi dominium & vſumfructum eorum bonorum, quæ illis ea conditione donantur, aut relinquuntur, vt vſusfructus illorum ſit, non parentum, ſic etiam, ſi aliquid ſeruis relinquatur, ea conditione tacita, vel expreſſa, ne dominorum ſint, ſanè dominium, & vſus eius rei ad ſeruos, non ad dominos pertinebit; vnuſquiſque enim poteſt apponere ſuis rebus, contractibus, donationibus, & teſtamentis conditiones, quas voluerit, modò illæ licitæ ſint, & honeſtæ: ſi tamen aliquid ſeruis relinquatur abſque ea conditione, totum ſpectabit ad dominum, ita Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſput* 38. §. *quartus eſt.* P. Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 216.

Tunc autem aliquid cenſeretur relinqui ſeruis cum conditione tacita, vt ſeruorum ſit, & non dominorum, ſi v. c. diceretur, Dono, vel relinquo ſeruo Petri, nomine Sticho tantum, vt ſe redimat, in his enim, quæ cauſa libertatis relinquuntur ſeruis furtum committere poſſunt domini, erga illos.

5. *Qui incapaciores ſint ad acquirendum ſibi, ſerui ne, an Religioſi.* Ne tamen intelligas tantam eſſe incapacitatem ſeruorum erga res temporales, quanta eſt Religioſorum; Religioſi enim legata, & donationes ſibi relictas ea conditione, vt illorum tantum ſint, & non Monaſteriorum, accipere non poſſunt, nec ad victum etiam, & veſtitum ordinarium, niſi de licentia Prælati, ac ſuperioris; ſerui autem non indigent licentia dominorum.

6. *Quartò.* Quartus caſus eſt, ſi bonis, quorum ſunt veri domini, aliquid lucrentur, aut acquirant ludo, arte, induſtria, negotiatione abſque vllo præiudicio obſequiorum, quæ dominis debentur, totum enim id ad dominium illorum tantùm, non do-

Molina. minorum ſpectat, ſic Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 38. §. *quintus caſus.*

7. *Dubium.* Hîc autem dubitant Doctores, vtrùm ſerui, aut ancillæ habere poſſint peculium, ſeu dominium de rebus à ſe acquiſitis, v. c. ſi ancilla nihil defraudando dominam, tempore ſibi ſuperſtite à debito ſeruitio, aliquid lucretur, aut ſeruus ſimiliter aliquid etiam acquirat eodem tempore; qua de re partita eſt opinio.

Opinio prima. P. Nauarra. Prima affirmat, eam docet Petrus Nauar. *lib* 3. *de reſt. cap.* 1. *n.* 219. Ratio illius eſt, quia quamuis ſerui quicquid acquirant domino acquirant, maximè ſi in eo acquirendo vires debilitent, tamen id eſt intelligendum de tempore deputato ad ſeruitium dominorum, neque enim ſerui, aut ancillæ ſic poſſidentur à dominis, vt fundus, prædia, aut iumenta, vt ſemper domino fructificent; quamobrem dicendum eſt in foro conſcientiæ ſibi id acquirere, quidquid ſit de foro externo, modò non fraudent dominos debito ſeruitio, & vires ſuas multum debilitent, quod iudicabit prudens confeſſarius; & licitè poſſe illos taliter acquiſita retinere, & expendere inuitis dominis, & peccare mortaliter dominos, furtumque committere in ſeruos, ſi ea ab eis auferant, illis inuitis, quod videtur ſatis rationabile, & probabile.

Secunda opinio negat, eam docent omnes, qui 8. dicunt dominos habere verum dominium in om- *Opinio ſecunda.* nes operas ſuorum ſeruorum, & in omnes actiones corporales eorum, & conſequenter in omnes res, quas mediantibus his actionibus, & operis acquirunt; nam ab initio cùm ſerui in bello iuſto fuerunt capti, iuſtè illi poterant à victoribus occidi, & ſub hoc pacto eis vita attributa, & relicta fuit, vt in perpetua ſeruitute manerent, & domini ea conditione cenſentur eis vitam reliquiſſe, vt quicquid in poſterum ſuis acquirerent actionibus corporalibus, dominorum eſſet, non illorum, & hoc pacto iure gentium ſeruitus fuit introducta, primò in mundum; reliquæ verò ſeruitutes, quæ poſtea titulo emptionis, vel in pœnam pro delicto introductæ ſunt, ad inſtar iſtius primæ fuerunt introductæ, niſi in earum aliqua iure ciuili facta ſit aliqua exceptio, vt in ea qua pater filium vendit ob vrgentem aliquam neceſſitatem, quæ meritò cæteris mitior eſſe debuit; quare cùm ſub ea conditione, & pacto ſeruitus fuerit introducta, tenentur ſerui prædicto pacto ſtare, & ſic quicquid actionibus corporalibus, aut artificio quouis tempore acquirant, dominis acquirunt, non ſibi, ac proinde nullius rei dominium, aut peculium huiuſmodi actionibus acquiſitum habere poſſunt, ita communiter Doctores.

Nihilominus ego in primá ſententiam inclino, 9. & in eam videtur etiam inclinare Molina *tom.* 1. *Iudiciũ authoru.* *de iuſt. diſp.* 38. quia dominium in ſeruos, non Molina. tam amplum ius tribuit, quàm dominium in pecora, & animalia, aut prædia, & licèt ab initio eo rigore ſeruitus introducta fuerit, tamen vſus poſtea pactum ſeruitutis declarauit, vt domini ſolum haberent ius in omnes illorum operas, quas recta ratio poſtulat; poſtulat autem ratio, vt non pecorum poſſideantur; ſed more rationabili tanquam homines, & ideò ſecundùm hanc rectam rationem poſſunt modo explicato in prima opinione, & in caſibus præcedentibus aliquid peculij acquirere, quod iuſtè & abſque furto retinere poſſunt, & domini non ſine furto illud ab illis auferre iis inuitis.

Quintus caſus eſt, quando dominus tacitè, vel 10. expreſſè donat aliquid ſeruo ſuo, vt illud tan- *Quartò.* quam proprium iure proprio poſſideat, ſicut enim inter dominum & ſeruum, non qua ſeruus, ſed qua homo eſt, dari poteſt contractus; ita & donatio, quæ poſtquam facta fuerit, à dominis reuocari non poterit, niſi ex cauſa iuſta, ac rationabili; videndum tamen eſt, an ſolum ad illorum vſum eam rem illis domini concedant, an etiam quoad dominium, nam in priori caſu ſerui non comparant dominium, in ſecundo comparant; hæc omnia cum iure Cæſareo & communi non pugnant, ſed potiùs illis ſuffragantur; nam manifeſtè

manifeſtè ius commune docet ſeruos interdum habere bona propria, & poſſe de illis cum dominis pactum inire *l.1.§. ſeruos, ff. de officio præfecti vrbis,& l.vix.ff.de iudicijs.* Vide Medinam *tom.1. de iuſt.diſp* 38.

11\. Hactenus de caſibus in quibus poteſt cōtingere furtum in dominis reſpectu ſeruorum; nunc autem agamus de iis,in quibus poteſt dari idem furtum in ſeruis reſpectu dominorum.

An ſerui teneātur dominis reſtituere quod ab illis furto abſtulerunt. Peccant igitur lethaliter ſerui furando aliquid à dominis, & tenentur reſtituere ſi res extet, vel pretium eius; eſt enim pretium inſtar rei: ſi autem neque pretium, neque res apud ſeruos extet, tenentur illi reſtituere,qui ab illis emerunt,de quo infrà agendum.

12\. *Quatenus peccent, vel non, furando à dominis cibos ordinarios.* Non peccant tamen ſerui, neque furtum propriè committunt, ſi furentur à dominis ordinarios cibos ad comedendum; ſecus ſi ad vendendum, vel donandum aliis,vt diximus de famulis, & maximè non peccabunt, in eo caſu, quo domini eis de ſufficienti cibo non prouideant, vt plerumque accidit: ſimiliter quando de veſtitu ſufficienti non prouidentur à dominis, furtum non committunt ſi ab iiſdem furto ſibi de veſtitu ſufficienti prouideant; totum enim hoc negotium in vtilitatem dominorum reſultat, qui irrationabiles ſunt hoc eis negando, adeò vt ius ciuile tribuat actionem ſeruis contra dominos circa huiuſmodi res; vt probat Molina *tom.1. de iuſtit. diſp.*38. Molina.

Nec item peccant ſi furentur aliquid ad medicinam, quando eis à dominis negaretur, quia irrationabiles ſunt domini negando eis neceſſaria ad vitam, maximè cùm ſerui, quoad vitam,non ſubdantur dominis neque etiam quoad integritatem membrorum, tantummodo enim habent dominium in actiones corporales illorum, quas recta ratio & dictat & poſtulat, ex his coniice alia exempla.

SVMMARIVM.

An mancipia Angolæ, & Guineæ licitè inde extrahi poſſint ad ſeruitutem, & emi, aut vendi. numero 13.

Quid de emptione, ac venditione ſeruorum in Luſitania, aut in Caſtella. num.14.

Quid quando in Angola emuntur mala, vel bona fide. num.15. & 16.

Qua ratione aliqui ſobæ, & domini temporales Æthiopum licitè vendant ſubditos. num.17.

An parentes vendere poſſint filios in neceſſitate. numero 18.

In bello iuſto capti iure gentium ſerui fiunt. num.19. *Non tamen ſi bellum fiat inter Chriſtianos. nam Chriſtianus in bello iuſto captus de conſuetudine non fit captiuus.* num.18.

Vtrùm poſſint ſerui captiui ſe ipſos furari à dominis in patriam, vel ad amicos, vbi libertatem aſſequantur fugiendo. num.20. *Agitur de ſeruis, qui ſe ipſos vendiderunt, aut filios ſuos. ibid. Et de Mauris, & Turcis. ibid. Refertur prima opinio affirmans Turcas, & Mauros iuſtè poſſe ad ſuos fugere, non ad diuagandum, & poſſe ad fugam iuuari ad ſuos.* ibid.

Refertur opinio negans. num.21.

Soluuntur argumenta opinionis negantis, & confirmatur opinio affirmans. num.22. & 23.

An Mauri ſerui ſub quocumque emptore poſſint fugere. num.24. *Quid de mancipijs Nigritis. ibid.*

An poſſint iuſtè domini ſeruos Mauros punire quando illis conſtat eos ad ſuos fugere. num.25.

Seruitus an præſcribatur. num.26. *Chriſtiani ſerui an poſſint fugere licitè, & quatenus.* num.27.

DVbitant multi viri docti de mancipiis Angolæ, Guineæ,& viridis Promontorij,an licitè emi,& vendi poſſint; ſunt enim plurimi Prælati, & probatæ doctrinæ viri, qui exiſtiment,& ſibi perſuadeant hanc negotiationem mancipiorum omnino eſſe illicitam, & hanc vnam eſſe ex cauſis ob quas Deus Opt. Max. continuis ſuppliis & cladibus Regnum hoc Luſitaniæ punit, & affligat. Certè Mercado *tract.5. cap.15.* docet iniuſtè eos eſſe captiuos, & retineri non poſſe, & iniuſtam eſſe omnino,& penitus abolendam hanc mancipiorum negotiationem & mercaturam. Rationes, & fundamenta illius, & non debilia hæc ſunt. 13. *De mancipijs Angolæ, Guineæ & Promontorij.* Mercad.

Primò, quia cùm ipſi ſciant Luſitanos eos velle emere, ſe inuicem nullo iure furantur, & vendunt.

Secundò,quia illorum domini temporales pretio venditionis ineſcati pro leuiſſimis culpis, & minimè probatis, imò pro fictis, & impoſitiseos miſeros homunculos contra omnem iuſtitiam, & rationem captiuant, & in miſeram ſeruitutem redigunt, auaritiæ cauſa.

Tertiò, quia cùm bruti ſint homines, iniuſta bella inter ſe mouent, cauſa magis ſeſe adinuicem captiuandi, & Luſitanis vendendi, quàm defendendi, & totius huiuſmodi iniuſtitiæ cauſa ſunt Luſitani ipſi proxima, & efficax, hac mancipiorum negotiatione vtentes in damnum commune Regni.

Quartò, quia nonnulli Chriſtiani eos ſpeculis, vitreis globulis, conchyliis ſæpiſſimè deceptos trahunt ad naues, & inde in Luſitaniam,vt vendant tanquam captiuos, quæ manifeſtiſſima iniuſtitia eſt, & omni ſupplicio digniſſima. Vnde & mortaliter peccant mercatores Luſitani hac infami & illicita mercatura vtentes, & ad reſtitutionem tenentur.

De priuatis verò hominibus, qui in Luſitania, aut Caſtella huiuſmodi emunt, venduntque mancipia, non audet Mercado eos abſoluere,nec condemnare ob communem vſum, & conſuetudinem; magis autem inclinat omnino eſſe illicitum eos emere, & vendere homunculos, quia,inquit, ex infecta radice, non poteſt bonus fructus produci, neque ex vitiato fonte bona aqua emanare. 14. *De emptione, ac venditione ſeruorum in Luſitania, aut in Caſtella.*

Nihilominus dicendum eſt, huiuſmodi ſeruos in Guinea, & Angola, aut emi bona fide,aut mala, aut cum dubio illius. Si emantur bona fide, licitè emi, ſi verò mala, aut cum prædicta dubitatione, quòd iuſtè captiui ſint, illicitè planè emi, & teneri emptores ad eos reſtituendos, & demittendos amiſſo etiam pretio, quia huic fortunæ aleæ ſe expoſuerunt, quando cum mala fide, vel cum eodem dubio emerunt; ſicut ille, qui rem alienam, & furtiuam emit, aut de qua probabiliter dubitat eſſe furtiuam, velit,nolit,tenetur eam reſtituere, quia ad id ſeſe expoſuit, quando ſub eodem dubio emit, iuxta communem omnium doctrinam,de qua infrà agemus. 15. *Quando in Guinea, & Angola emūtur mala,ſeu bona fide, quid.*

Si verò à principio bona fide, & abſque dubio emerunt; & poſtea ſubiit dubietas, in eo dubio melior eſt conditio poſſidentis,maximè,quia quilibet venditor præſumitur bonus, & vendere quod ſuum eſt;quare ſi à principio quando aliquis

mercator eo ſeruos in Angola, aut Guinea emit, nullus erat rumor, nulla præſumptio, quòd illi iniuſtè eſſent in ſeruitutem redacti, vt venderentur, melior eſt conditio illius cùm ſit poſſidens, & ita docent Molina *tom. 1. de iuſt. diſput.* 35. §. *ſit ergo prima concluſio*. aut ſaltem id ex doctrina illius ſatis colligitur, docetque Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 216.

Molina.

P. Nauarra.

16. Quando autem rumor eſt in iis Regionibus communiter aſperſus, multos in nundinas ad venditionem afferri, qui ſunt furto ablati; vel quando in euentu aliquo peculiari indicia aliqua probabilia concurrunt, quibus meritò timendum ſit eos fuiſſe iniuſtè captos, illicitum planè eſt, eos emere, niſi facta priùs diligenti inquiſitione conſtet liquidò eos iuſtè vendi poſſe, & qui ita emunt, tenentur illos dimittere, vt probat Molin. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 35. § *tota hæc concluſio*.

Molin.

17. *Qua ratione ſobæ, & domini temporales Æthiopum licitè vendant ſubditos.*

Sciendum eſt tamen in Guinea, & Angola eſſe aliquos dominos temporales Æthiopes, & Nigritas, *Sobas* vocant, qui habent certos Nigritarum pagos à tempore immemoriali inſtar pecorum, aut vaccarum, aut boum caularum, ex quibus ad libitum ad venditionem extrahunt, quos volunt, & quando volunt, de his quidem qui iſtis caulis aluntur, & qui ex illis venduntur, certum eſt nullum poſſe eſſe iuſtum ſcrupulum in tali eorum emptione, vel quia ab initio filios ſuos huiuſmodi ſobis, ac regulis in vrgenti aliqua neceſſitate vendiderunt, & poſtea ita multiplicarunt, vt in pagulos diuiderentur, vel quia in bello iuſto capti fuerunt, & vita eis fuit relicta ſub miſera conditione ſeruitutis, vnde ſi hæc ita ſint, de his nulla poteſt eſſe iuſta dubitatio, quòd iuſtè, & ſine ſcrupulo vendantur, & emantur.

18. *An parentes vendere poſſint filios in neceſſitate.* Molin.

Deinde ſciendum eſt poſſe parentes in graui neceſſitate conſtitutos filios vendere, vt paſſim affirmant Doctores, & ex iure probant, & præſertim Molina *tom.* 1. *de iuſt. tota diſp* 33. *à* §. *tertia concluſio*, & deinceps, imò poſſe quemquam ſe ipſum vendere in eadem graui neceſſitate conſtitutum, manifeſtum eſt, vt idem docet Molin. *ibid.* & ideo in multis Indiæ, & Angolæ locis, in quibus ſæpe fames durè ad modum graſſatur, & miſeros premit incolas, fas eſt emere filios infidelium, annona, vel pecunia, & parentes etiam illorum, qui ſe volunt vendere in ſeruos, in huiuſmodi miſeriis conſtitutos, vt doctè probat Molina *allegatus*. Nefas autem eſt denegare illis annonam ſi iuſtum pretium pro illa offerant, vt ſic cogantur libertatem vendere; ſi tamen vnus libertatem offerat, & alius pretium, nec vtrique poſſis ſubuenire, fas tibi erit illum præponere, qui pretium iuſtum pro annona tibi oſtendit, ei, qui libertatem pro ea offert, vt doctè animaduertit Molina *dict. tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 33. § *tertia concluſio*, & de emptione & venditione huiuſmodi nulla etiam poteſt eſſe dubitatio, quòd ſit iuſta, modò iuſtum pro ea pretium offeratur, & detur.

19. *In bello iuſto capti iure gētium ſerui ſunt.*

Sunt etiam (vt dixi) alij duo modi captiuitatis inducendæ, vel cùm vnus Nigritarum Rex aduerſum alium iuſtum bellum habet, & multos captiuat illorum in quibus mortem cum vita cōmutauit ſub conditione ſeruitutis, vel cùm Rex iuxta leges ſuas ob delicta aliqua ſupplicio mortis digna eos in captiuos accipit, vt vendat, ne occidat, & de his proceſſit doctrina tradita *num.* 15. *verſ. ſi verò*, & *num.* 16. nam ſi rumor erat communiter per eas regiones ſparſus bellum fuiſſe iniuſtum, aut illos falſis criminibus impoſitis captiuos à Rege ſuo fuiſſe factos, & id tempore venditionis in communi hominum opinione erat, tunc etiam diximus, licitè emi non poſſunt, & tenentur emptores illos dimittere, quia velint, nolint ad id ſeſe expoſuerunt, quando cum eo dubio, & eo rumore emerunt.

20. *An ſerui captiui poſſint ſeipſos furari à dominis ſuis.*

His præmiſſis dubium eſt, vtrùm poſſint ſerui captiui ſe ipſos furari dominis ſuis, id eſt, vtrùm poſſint fugere in patriam ſuam, vel in alia loca vbi libertatem conſequantur, & vtrùm ad id iuuari poſſint, eiſque auxilium dari. Et verò de illis, qui ſe vendiderunt, aut quos parentes eorum in neceſſitatibus conſtitutos pro iuſto pretio tradiderunt, & de illis, qui inſtar caularum pecorum poſſidentur, certum eſt illos non poſſe fugere licitè, nec licitè iuuari ad fugam. Similiter de illis, qui ob ſupplicia digna morte iuxta leges patrias ob culpas illorum veras, & non falſas à ſuis Regibus fuerunt pro captiuis capti, & poſtea nobis venditi; ſolùm ergo hîc ſermo eſſe poteſt de illis, aduerſùs, quos iuſtum bellum gerimus, ſiue ſint Mauri, ſiue Turcæ, ſiue quicumque alij hoſtes iniuſtum bellum aduerſùs nos mouentes, & de his partita eſt opinio.

Opinio prima.

Prima docet ſeruos, & mancipia bello etiam iuſto capta, veluti Turcas & Mauros iuſtè & licitè poſſe fugere, & iuuari re, & conſilio ad talem fugam (quia qui iure poteſt aliquid licitè, & iuſtè facere, poteſt etiam ad id conſuli, & iuuari) modò fugiant in propriam patriam, vel in alia Regna vbi libertatem conſequantur, vel ad ciuitates amicas, veluti Turcæ ad Mauros, non tamen vt vagentur per Regna, & loca vbi ſunt ſerui, ita docent expreſsè Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 200. Sà *verb. bellum*, *num.* 7. Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15. *de modo acquir. dominium*, *dub.* 15. *num.* 24. Azor. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 34. *quæſ.* 3. *per totam*. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 10. *ad medium*, *& in reg. peccatum*, §. 11. *part* 2. *num.* 6 Bañez 2. 2. *quæſt* 40. *art.* 1. Angles *in flor. in* 4. *ſent. quæſt. de dominio*, *art.* 2. *concluſione* 5. Sotus *in* 4. *de iuſt. quæſt.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 3 Greg. Lopez *l.* 23. *tit.* 29. *part* 3. Dixi, modò non vagentur per Regna vbi ſunt ſerui, quia dum ſunt in Regno dominorum ſuorum, tenentur ſeruire, & ita conſulentes, & recipientes, tenentur etiam reſtituere damnum, quia peccant contra iuſtitiam, niſi retineant, vt liberent vexatione iniuſta dominorum, vt animaduertit Alenſis 3. *p. quæſt.* 48. *num.* 2 *art.* 3. tenens noſtram opinionem. Ratio eſt

P. Nauarra. Sà. Leſſius. Azor. Couar. Bañes. Angles. Sotus. Lopez.

Primò, quia illi licitè poſſunt fugere ſi occidantur, & mutilentur à dominis; ergo & ad recuperandam libertatem, quia æquè pretioſa eſt, ac vita: captiuitas enim eſt mors ciuilis; ergo ſi poſſunt fugere ad vitandam mortem, ſic etiam ad vitandam captiuitatem.

Secundò, quia poteſt quis fugere è iuſto carcere, & è triremibus, poſt latam etiam iuſtam ſententiam, vt hodie communiter docetur ad vitandam mortem ciuilem; ergo multo magis ad vitandam captiuitatem, quæ eſt mors quædam ciuilis; natura enim videtur tribuere cuiquam pleniſſimam facultatem ad conſequendam libertatem; animaduertit tamen Petrus Nauarra hoc non habere locum, quando ſerui habent pecuniam, qua ſe redimere poſſint; ſed non videtur admittenda hæc animaduerſio illius, cùm ferè omnes alij loquantur abſolutè, & ideo ſiue habeant, ſiue non habeant, dicendum eſt eos licitè poſſe effugere.

Tertiò,

Tertiò, quia ita habetur expreſsè *l.* 23. *tit.* 14. *partita* 7. *in Regno Caſtellæ*, ibi, *Si ſeruus Maurus fugiat in Mauritaniam, & ibi pedem ſaluus ponat, manere liberum volumus, etiamſi poſtea ad Chriſtianos redeat*; ergo licita erit fuga ad conſequendam libertatem; nam iura, quæ concedunt finem, concedunt etiam conſequenter media ad talem finem. Tandem probatur ex *l. nihil intereſt, ff. de captiuis, & poſtliminio reuerſis*, ibi, *Nihil intereſt quando captiuus reuerſus eſt, vtrùm demiſſus ſit, an vi, an fallacia poteſtatem hoſtium euaſerit.* patet etiam ex Inſtitutis *de rerum diuiſione* §. *item ea*, vbi ſic, *liberi homines in ſeruitutem noſtram deducantur, qui tamen ſi euaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recipient.* Et idem habetur *Inſtitutis, Quibus modis ius pat. poteſt ſoluatur* §. *ſi ab hoſtibus.*

21. *Opinio ſecunda negans.* Secunda opinio, negat omnino poſſe huiuſmodi ſeruos, cum quibus habemus iuſtum bellum, è noſtra poteſtate licitè ad ſuos fugere, ſi in noſtram captiuitatem deducantur; eam tenet Molina Theologus *tom.* 1. *diſput.* 37. *concluſione* 1. & Nauarrus *in manuali Latin. cap.* 7. *num.* 63. & gloſſa *cap. ius gentium diſt.* 1. & Fortunius *in l. manumiſſion. col.* 4. D. Antoninus 3. *part. titul.* 3. *cap.* 6. §. 4. Turrecrem. *in cap. ius gentium, d.* 1. & Syluester *verb. ſeruus, quæſt.* 3. *dict.* 2. Hi omnes docent non poſſe licitè huiuſmodi ſeruos fugere, & peccare mortaliter illis ad hoc conſilium dantes & operam, & teneri ad reſtitutionem pretij, & damni, quia ſi ipſi non poſſunt licitè fugere, nec etiam licitè iuuari, aut excitari ad talem fugam. Fundamentum Molinæ eſt, quia domini ſunt poſſeſſores indubitati, & legitimi illorum ſeruorum, & ipſi fugiendo ſeipſos furantur à dominis, vt habetur *l.* 1. *C de ſeruis fugitiuis.* & *l.* 3. *C. eod. tit.* ſtatuitur, vt ſeruus deprehenſus in fuga puniatur mutilatione pedis; at tam grauis pœna iniuſtè profectò ſtatueretur, niſi peccarent mortaliter fugiendo; leges autem Codicis ſunt moderniores, & Imperatorum Chriſtianorum; quare illis ſtandum eſſe, non alijs Digeſtorum. Fundamentum Nauarri, & aliorum Doctorum eſt, quia ſerui capti in bello iuſto iuſtè poterant occidi, & illi mortem cum vita nobiſcum commutarunt ſub pacto ſeruitutis; ergo tenentur ſeruare pactum; ergo contra iuſtitiam facient, & pactum non ſeruabunt, ſi fugiant: deinde, quia pulſus ac relegatus in exilium perpetuum, vel damnatus ad carcerem perpetuum, aut triremes iuſtè, & iuridicè, licitè fugere non poteſt, cùm ſententia ſit iuſta, & teneatur obedire ſuperioribus; ergo neque etiam iuſtè in captiuitatem redactus, cùm libertas æquiparetur vitæ, & damnatio ad triremes, aut perpetuum carcerem, vel exilium, mors ſit ciuilis; tandem, quia ſi iuſtè ſerui poſſent ad ſuos fugere, daretur bellum ex vtraque parte iuſtum; quod non eſt dicendum, illi enim iuſtè poſſent fugere, & domini illos iuſtè poſſe mutilare pedibus, aut trudere in carceres, ne fugiant. Et pro hac opinione multum iuuant *cap.* 1. & 2. *ſi quis ſeruum* 17. *quæſtione* 9. vbi dicitur peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem iuuantes, & hortantes ſeruos ad fugam; ſed prima opinio fortiora habet fundamenta.

22. *Soluūtur argumenta opinionis negā.* Et ideo ad primum fundamentum Molinæ pro hac ſecunda reſpondeo, dominos iuſtos eſſe poſſeſſores illorum ſeruorum non abſolutè; ſed ſub certa conditione, & cum quodam addito, vt ſi poſſint fugere ad ſuos, fugiant, ſicut vinctus, & damnatus ad triremes poſt iuſtam etiam ſententiam iuſtè detinentur in carcere, & in triremibus, & tamen iuſtè, & licitè etiam fugiunt, ſi poſſunt cum damno etiam carcerari. Leges autem Codicis, quas Molina allegat, loquuntur de ſeruis fugitiuis, vt liberè diuagentur per regna vbi ſunt ſerui, non vt recta via ad ſuos tendunt, & ſic nihil contra nos continent. *tis, & confirmatur opinio affirmās.*

23. Ad fundamenta Nauarri dico, etiamſi ſerui in bello iuſto capti expreſsè conſenſiſſent tali pacto, adhuc non teneri ſeruare illud; quia metu mortis fuit præſtitus conſenſus; ſecus de illo, qui ſe vendidit, liberè renuntiando priuilegio libertatis.

Et verò damnatus ad carcerem perpetuum, vel ad triremes poſt ſententiam iuſtam licitè poteſt fugere; quia eæ pœnæ ſunt grauiſſimæ, & vltra vires naturæ, mortique æquipollent; & ideo non tenetur quis obedire iudicibus, & ſuperioribus præcipientibus ne fugiant, & poſſunt ab illis fugere licitè, ſicut & à morte, nec inde ſequitur dari bellum ex vtraque parte iuſtum formaliter, cùm ſerui poſſint fugere, non tamen ſe armis defendere contra dominos eos inſequentes; domini autem poſſunt eos vi, & armis à fuga retardare; ſic etiamſi vincti è carcere iuſto, aut è triremibus fugiant, non poſſunt reſiſtere armis miniſtris iuſtitiæ eos inſequentibus; poſſunt tamen pedibus fugere, ſeſeque apprehenſi excutere, non tamen pugnis, aut armis miniſtros opprimere, vt docent communiter hodie Doctores; Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 31. *de reo, & aduocat. dub.* 5. *num.* 31. & 33. Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 4. Nauar. *cap.* 17. *num.* 102. Sà *verb. reus num.* 9. Aragonius 2. 2. *quæſt.* 9. *art.* 4. & alij. Leſſius. Salon. Sotus. Nauar. Sà. Aragon.

Capita verò quæ ex iure canonico, quæ pro ſecunda opinione allegantur, loquuntur de fuga, non ad ſuos, ſed ad diuagandum per regna vbi ſunt captiui, ita ſe habent huiuſmodi opiniones; vtraque probabilis, prima tamen ſine dubio videtur probabilior & tenenda.

24. *P Nauarra. An huiuſmodi ſerui ſub quocūque emptore poſſint fugere.* Ex his collige cum Petro Nauarra *lib* 3. *cap.* 1. *num.* 209. poſſe huiuſmodi ſeruos fugere à quocunque emptore, non enim capiens potuit maius ius conferre in emptorem, quàm ipſe haberet, nec iſte potuit aliter ſeruum emere, quando eo iure, quo illum dominus eius vendidit, poſſidebat. Idem dicendum quoque eſt de ſeruis qui domi naſcuntur, non enim maius ius habet dominus in ſeruum natum domi, quàm in matrem captiuam, ita idem Petrus Nauarra allegatus *num.* 210. contra Angles *in floribus in* 4. *ſentent. quæſt. de dominio, art.* 2. *à concluſione* 5. qui auſus eſt dicere ſeruos domi natos fugere non poſſe. P. Nauarra. Angles.

25. *An puniri à dominis quādo illis conſtat eos ad ſuos fugere.* Sed dubium graue eſt, an poſſint licitè domini huiuſmodi ſeruos punire, quando illis conſtat, quòd ad ſuos, vel ad regna vbi ſiunt liberi, effugiant. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *de modo acquir. domin. dub.* 5. *num.* 27. affirmat, non quòd illi peccent fugiendo; ſed quòd hoc priuilegium de fuga videtur illis conceſſum, cum hoc onere in fauorem dominorum; ſicut incarcerati licitè poſſunt fugere, & rumpere carcerem, & tamen ſi deprehendantur iuſtè puniuntur, *leg.* 1. *ff. de effractorib.* Alij autem dicunt nullo pacto licitum

eſſe dominis illos ob eam fugam punire, ſi autem id faciunt, ideo eſt, quia illis non conſtat de fuga ad ſuos, & quia præſumunt eos fugere ad diuagandum.

26. *Seruitus an præſcribatur.* Seruitus poteſt præſcribi inter abſentes 20. annis cum bona fide, vnde ſi ſeruus fugiat ad diuagandum inter Chriſtianos bona fide, putans ſe non eſſe captiuum, & 20. annis maneat inter Chriſtianos, præſcribit ſeruitutem, & manet de iure liber, inter præſentes decem anni ſufficiunt ad præſcribendam libertatem, ſic docent communiter DD. Petrus Nauatra *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 210. & ſtatuitur *in l.* 23. *titulo* 29. *part.* 3. docetque Gregor. Lopez *ibi*; ſi verò fugiat mala fide, efficitur liber poſt triginta annos; ſed hoc de iure Ciuili, & Cæſareo; nam de iure Canonico nunquam præſcribit malæ fidei poſſeſſor, poſt latam tamen ſententiam de libertate poterit in conſcientia acquieſcere; quia leges præſcriptionis ad pacandas etiam conſcientias latæ fuerunt.

P. Nauarra. Greg. Lop.

27. *Serui Chriſtiani an poſſint fugere licitè, & quatenus.* De ſeruis Chriſtianis ſic ſtatuo, poſſunt Chriſtiani fugere cauſa libertatis licitè, & tuta conſcientia, ſi bellum iuſtum fuerit ex parte illorum; ex parte verò Gentilium, Maurorum, aut quorumcumque hoſtium iniuſtum, ita docet Petrus Nauarra *lib* 3. *de reſtit. cap.* 1. *num.* 211. At non solùm poſſunt fugere licitè, ſed etiam tenentur fugere quando fides periclitatur; neque enim tunc poſſunt eſſe domini rationabiliter inuiti, cùm magis quiſque ſaluti animæ teneatur, quàm domini vtilitati. Ratio euidens eſt, quia quando aliquis iniuſto bello capitur, iure gentium mancipium non fit capientis morte in ſeruitutem perpetuam propter vitam, qua iuſtè priuari in bello poterat, commutata. Vnde ſi Chriſtiani in bello iniuſto ex parte infidelium caperentur, & iniuſta eſſet mortis commutatio in perpetuam ſeruitutem propter vitam, quam infideles Chriſtianis in bello ex parte illorum iniuſto, & ex parte Chriſtianorum iuſto captis auferre non poterant, & filij Chriſtianorum paruuli, & innocentes ſi tunc ab hoſtibus caperentur iniuſtè, illorum fierent etiam mancipia; verùm hæc omnia ad materiam pertinẽt de bello, & ideo ad eam remittantur. Certum tamen eſt Sarracenos & Turcas ſemper iniuſtum bellum gerere contra Chriſtianos, cùm Prouincias Chriſtianorum tyrannicè occupauerint, vt bene animaduertit Couarruuias *in reg. Peccatum.* 2. *part* §. 11. *num.* 6.

P. Nauarra. Couar.

28. Chriſtianus ab alio Chriſtiano in bello captus, quamuis bellum ſit iuſtum ex parte capientis, licitè poteſt fugere, vt docet Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 211. nec etiam fit mancipium, nam licèt de iure poſſit fieri mancipium; tamen de conſuetudine legitimè inter Chriſtianos, vt ſeruituti ad inuicem non ſubiiciantur, vt optimè docet Mol. *tom.* 1. *de iuſt diſp.* 33 §. *Primus eſt*; ſed de his alibi, neque enim ſunt propria huius loci.

***

Capvt XIII.

Vtrùm ille qui minima ab vno, eodemque paulatim furto aufert, peccet mort. & reſtituere teneatur, & quid ſi ea furetur à diuerſis?

Svmmarivm.

Quæ quæſtiones de furto excitari poſſint. n. 1. & 2.
Qui à principio concipit animum auferendi notabilem quantitatem ab vno eodemque, furando minima, peccat mortaliter in ea animi deliberatione, & poſtea in ſingulis furtis minimis quæ committit. num. 3.
Idem ſi à pluribus eadem furtiola auferat eadem deliberatione. num. 4. 5. 6. 7.
An committantur diuerſa numero peccata mortalia in ſingulis furtiolis, an vnum, idemque continuetur. num. 8.
Quomodo reſtituenda ſint hæc minima. num. 9.
Quid ſi quis in furtiolis non habeat animum perueniendi ad notabilem quantitatem, ſed ex occaſione ablata illa accipit. num. 10.
An peccet mortaliter quando peruenit ad notabilem quantitatem; & quid ſi immemor vnius aliud committat. num. 11.
An quando aliquis memor præteritorum furtorum minimorum, quæ vel ab vno, vel à multis abſtulit, aduertit in vltimo compleri quantitatem mortalem, peccet mortaliter, tam in accipiendo, quàm in retinendo. Refertur prima opinio aſſerens non peccare mortaliter in acceptione vltimi furti. num. 12.
Præfertur ſententia ſecunda aſſerens non peccare. n. 13.
Soluuntur fundamenta primæ opinionis. num. 14.
Quid ſi poſt vltimum furtiolum complens quantitatem mortalem aliud committatur. num. 15.
An quando vltimum furtiolum cum præcedentibus coniunctum peruenit ad mortalem quantitatem deuitetur obligatio reſtituendi ſub mortali ſi illud reſtituatur, an neceſſe ſit reſtituere totam quantitatem. num. 16. *Refertur opinio aſſerens eſſe neceſſarium totam reſtituere.* ibid.
Aſtruitur negans. num. 17.
Soluuntur argumenta primæ opinionis. num. 18.
Quando furta minima ſunt valdè interpolata, maior quantitas in illis ad mortale requiritur, quàm in alijs. num. 19.
Idem quando contra multos dominos hæc furta minima committuntur. num. 20.
Quid ſi hæc minima à multis auferantur animo diteſcendi, & quid ſi ex occaſione oblata. num. 21.

Tribvs modis contingere poteſt, vt minima furto auferantur. 1. *Quot modis minima furto auferantur.*
Primò, ſi quis ab vno, eodemque modica ſæpiùs furetur.
Secundò, ſi à diuerſis, à nullo tamen quantitatem mortalem.
Tertiò, ſi plures fures ab vno homine furentur multa, modicum tamen ſinguli, vt ſi multi tuam vineã ingrediantur, vnoquoque minima rapiente.
Et verò multæ hìc quæſtiones diſputari poſſunt. 2.
Prima eſt, an quando quis ab initio propoſuit animo furari multa minima vſque ad notabilem quantitatem, ita peccat mortaliter vt ſingulæ acceptiones illorum minimorũ mortalia ſint peccata. *Quatuor quæſtiones excitantur de furto. Prima.*
Secunda,

Secunda. Secunda, an peccet quis mortaliter retinendo, ſeu non retinendo, quando in ſingulis minimis non habebat animum ampliùs furandi; acceſſit tamen vltimum ad notabilem quantitatem.

Tertia. Tertia, an peccet mortaliter fur ille, qui furatur minima, quando memor præteritorum furtorum minimæ quantitatis, furatur rem paruam, qua animaduertit compleri notabilem quantitatem, & quid ſi poſt illud minimum furtum complens notabilem quantitatem, furetur aliud minimum.

Quarta. Quarta, an quando furta minima ſunt valde interpolata, requiratur maior quantitas, & aliæ ſimiles quæſtiones, quæ diſcurſu parebunt.

3. *Reſponſio ad primam.* Dico primò, qui à principio concipit animum auferendi ab vno, eodemque notabilem quantitatem per minima, peccat mortaliter in ea animi deliberatione, & poſtea committendo ſingula furtiola, mortaliter etiam peccat; ita docent communiter DD. (Sanchez. Leſſius. Fortun. Rebell. P Nauarra. Sotus. Medin. Lopez.) Sanch *tom.* 2. *Decalogi lib.* 7 *cap.* 21. *num.* 2. *in fine*. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 12, *de iniurijs.* Fort. *dub.* 7. *num.* 36. Rebellus 1. *part. lib* 3. *quæſt.* 15 *ſect.* 4. *num* 30. Petrus Nauar. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 50 Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 3. *ad* 3. Medina *de reſt. quæſt.* 10. § *ſed pone.* Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 93. §. *ſed ad ſecundam.* Ratio eſt, quia illa praua intentio eſt mortalis, & cùm ſingula furtiola ex ea procedant, & ea intentione fiant, vt ex illis quis diteſcat, ſine dubio actu illo externo furtioli renouat priorem deliberationem diteſcendi, & ideo in furto cuiuſque illorum mortaliter peccabitur; ſunt enim executiones partiales illius intentionis mortiferæ, & conſequenter in illis eſt peccatum mortiferum; quidquid enim ex intentione peccandi mortiferè fit, mortale peccatum eſt.

4. Idem eſt dicendum ſi ea furta à pluribus auferantur, minima à ſingulis eadem intentione perueniendi ad notabilem quantitatem, quod idem tenent præcitati DD. ob eandem rationem, & fundamentum.

Obiectio. Sed obiicies, qui intendit hæc minima accipere à diuerſis, nemini facit notabilem iniuriam, neminem mortaliter lædit, neminem damnificat notabiliter; ergo non videtur peccare mortaliter. Reſpondeo parum referre quòd accipiat à pluribus, & minimum à ſingulis.

Soluitur. Primò, quia cùm huiuſmodi furtiola ſingula, ſigillatim procedant ex intentione peccandi mortaliter, & perueniendi ad notabilem quantitatem, neceſſe eſt, vt in commiſſione vniuſcuiuſque mortaliter peccetur; deinde, quia perinde eſt multis velle inferre paruum damnum, ac ſi vni inferas magnum: omnia enim illa paruula furtiola ſimul iuncta reſpectu totius communitatis efficiunt vnum magnum, iuxta Leſſium & authores præcitatos.

5. *Angeſt.* Solus Hieronymus ab Angeſto *cap* 9. *pag.* 130. admittit non eſſe peccatum mortale furari minima à ſingulis, animo & intentione perueniendi ad quantitatem mortalem, & diteſcendi, nec teneri ad reſtitutionem ſub mortali; ſed hæc illius opinio omnino eſt exſibilanda.

Primò, quia alioquin non peccarent mortiferè, qui in Republica vtuntur menſuris & ponderibus decurtatis, & iuſto minoribus contra ſacram paginam, quæ videtur clamare hoc eſſe graue peccatum, & mortale. Ozeas 12. 7. *Canaan in manu ſtatera doloſa*; quo loco Ozeas prædicit ingentia ſupplicia mercatoribus Canaan, eo quòd ponderibus, & menſuris decurtatis vterentur. Prouerb. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.*

Secundò, quia præberetur hominibus anſa diteſcendi ex alieno, & furtis ſtudendi, & parerent ingentia oſtia rapinarum colluuionibus in Rempublicam inuehendis.

Nec refert quòd ſinguli vix aliquid incommodi patiantur, quia etſi aliquis in particulari illud non patiatur; patitur tamen illud Reſpublica, vnde hæc ratio furandi in omni Republica bene inſtituta ſemper fuit exoſa, & odioſa. 6.

Ioannes tamen Medina ſuprà citatus *C. de reſt. dicta quæſt.* 10. *in fine*, in vno tantùm caſu admittit non eſſe peccatum mortaliter furari minima à pluribus, intentione perueniendi ad ſummam, mortalem culpam attingentem. Si quis, v. c. id efficiat non in fraudem præcepti de non furando, ſed quia fortè non habet aliàs vnde ipſe, & familia ſua viuat; ſed nec etiam hoc eſt admittendum, quia non deſunt alij modi viuendi, & quia non eſt admittenda iniquitas, vt pietas in familiam exerceatur, nec ſunt facienda mala, vt veniant bona. Si tamen conditio hominis talis ſit, vt in graui ſit neceſſitate, aut in extrema conſtitutus, in qua alij teneantur ei ſuccurrere, & nolint, tunc ad tempus id poterit admitti; vt docet Angelus *verb. furtum*, *num.* 37. Fumus *eodem verb. num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniurijs.* Fortunius *dub.* 7. *num.* 37 Sanchez *tom.* 2. *Decalogi cap.* 21. *lib.* 7. *num.* 12. Toledo *lib.* 5. *ſumma cap* 16. *num. penult.* ſicut enim tunc poterat clam ab illis accipere licitè, & abſque peccato, ita & eo modo vti ad accipiendum, ſi alio modo vitam alere non poſſet. At rarum id continget. 7. Medin. Angelus. Fumus. Leſſius. Fort. Sanch. Tolet.

Aduertit tamen Leſſius allegatus *num.* 40. in ſingulis furtiolis non committi nouum peccatum mortale; ſed continuari iam cœptum. Omnes enim, vt ille ait, illæ acceptiones, & acceptorum retentiones cenſentur vna continuata executio illius prauæ voluntatis, ſed committi nouum peccatum veniale in ſingulis, & ſimul continuari executionem mortiferæ intentionis, ita vt vnaquæque voluntaria acceptio ſit intrinſecè peccatum veniale; extrinſecè verò, & denominatiuè peccatum mortale. Verùm quamuis hoc primo intuitu bene animaduerſum videatur; dicendum planè eſt in vnoquoque furtiolo, nouum numero peccatum mortale committi, quia toties nouè renouatur voluntas mortalis, & non continuatur ſolùm ſicut meretrix, quæ eſt continuò expoſita ſi poteſt meminiſſe numerum peccatorum, & eorum, qui ad eam acceſſum habent, tenetur numerum illorum explicare in confeſſione, & non ſufficit quòd in vnoquoque peccato continuetur eadem voluntas mortaliter peccandi; quia non tam dicitur continuari, quàm renouari, & parum refert, quòd ad executionem mortalis, vel venialis renouetur, cùm eadem voluntas, quæ renouatur, de ſe ſit mortalis, vt patet. 8. Leſſius.

Ex dictis ſequitur teneri iſtum, qui minima à pluribus furatur, ad reſtitutionem iis, à quibus furatus fuit, ſi poteſt commodè, quod ſi non poteſt, vel quia ignorentur, vel quia executio eſt difficillima, & maior, quàm res tantilla poſtulet, vel quia eſt periculum infamiæ, præcipiendum illi eſt à confeſſario vt in capſulam Bullæ Cruciatæ reſtitutionem immittat, vel ſi non detur bulla, vt in pauperes, aut alia pia opera ex- 9.

pendat; hoc etiam videtur maximè conſentaneum voluntati eorum, à quibus furtiola fuerunt ſubtracta.

10. *Reſponſio ad quæſtionē ſecundam.*

Sed quid ſi in ſingulis furtiolis non habebat quis animum amplius furandi; nec animum à principio concepit perueniendi ad mortalem quantitatem; ſed ex occaſione nata, & oblata committit minima furtiola, peccat ne mortaliter in ſingulis furtiolis, ſiue illa ab vno, eodemque, ſiue à diuerſis furetur, & tenetur ad reſtitutionem ſub mortali? Breuiter reſpondeo, antequam perueniat ad quantitatem mortalem, non peccare mortaliter: vbi primùm autem ad eam pertingit, mortaliter peccare, & ideo teneri ad reſtitutionem ſub mortali quando ad mortalem quantitatem peruenitur, aliàs ſub veniali. Poteſt tamen contingere, vt in vltimo furtiolo quantitatem mortalem attingente non peccet mortaliter, ſi per inaduertentiam excuſetur, & aliorum immemor illud committat, hæc doctrina eſt certiſſima, illam docent Authores communiter: Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniurijs fortun. dub.* 8. *num.*42. Sanchez *tom.*2. *Decalogi lib.*7. *cap.*21. *num.* 3. Sà *verb. furtum, num.* 8. Nauarrus *in ſumma Latina cap* 17. *num.*139. *Hiſpanica*, *num.*140. & omnes citati *num.*3. aſſerit tamen Sà aliquos probabiliter exiſtimare non teneri ſub mortali reſtituere, qui ab eodem minima furatur, etiamſi perueniat ad magnam quantitatem, ſed nullus præter Nauarrum *in lib* 3. *conſiliorum in* 1. *edition. titul. de regularibus, conſilio* 75. in ratione ſecunda hoc dicit, vbi expreſsè aſſerit nullum teneri ſub mortali reſtituere aliquid illorum, quæ ſolùm venialiter peccando furatus eſt, & omnia rerum minimarum furta eſſe venialia, etiamſi notabilem quantitatem conſtituant, ſed communiter hoc loco ab omnibus reprobatur. Probatur poſterior pars noſtræ reſponſionis facilè, quia cùm peruenit ad notabilem quantitatem, iam incipit voluntariè detinere rem alienam notabilis quantitatis: ergo peccat mortaliter non reſtituendo. Prior pars de ſe patet, & etiam probatur facilè; quia dum non peruenit ad quantitatem mortalem, non datur materia peccati mortalis; ergo mortaliter non peccat.

Leſſius. Sanch. Nauarr. Idem.

11. *Reſponſio ad tertiam.*

Et verò quòd in vltimo furtiolo quantitatem mortalem attingente non detur peccatum mortale ſi per inaduertentiam aliorum, illorumque immemor illud quis committat, facillimè probatur, quia tunc videtur ſe habere ad ſua furtiola præterita, ac illi multi, qui furantur minima ex aliena vinea, ſinguli ignari aliorum furtorum, in quo caſu certum eſt, vt dicemus *infrà*, & docet Nauarrus *in ſumma Latin. cap.*17. *num.* 130. Sanchez *tom.* 2. *Decalogi lib.* 7. *cap.* 21. *num.*20. Leſſius *tom.* 1. *lib.*2. *cap.*12. *de iniurijs fortun. dub.*9. *initio*; & eſt communis opinio, nullum peccare mortaliter, ſic etiam iſte, etiamſi multa furtiola ab vno, eodemque furentur, aut etiam à diuerſis, immemor illorum, & ſine aduertentia vltimi ad alia non peccabit mortaliter, ſed tantùm venialiter, at cùm meminerit ſe quantitatem notabilem vſurpaſſe, tenebitur ſub mortali reſtituere, quia ceſſat ignorantia à mortali culpa liberans, atque excuſans.

Nauar. Sanchez. Leſſius.

12. *Dubium.*

Sed præcipuum dubium, ac punctum eſt, an quando vnus memor præteritorum furtorum rerum minimarum, quæ vel ab vno, vel à diuerſis abſtulit, furatur rem quoque minimam, qua nouit compleri quantitatem mortalem, peccet mortaliter in ablatione illius, quamuis neque in iſto vltimo furtiolo, neque in alijs omnibus præcedentibus habuerit animum ampliùs furandi, & hac de re duplex eſt ſententia.

Sententia prima.

Prima docet non peccare mortaliter in illa vltima acceptione rei minimæ, peccare tamen in retentione, quia poſito eo vltimo furtiolo completur quantitas notabilis, quæ iniuſtè retinetur; vnde ſolùm dabitur peccatum mortale in retentione illius, non autem in ablatione, & acceptione huius vltimi furti rei minimæ, & eam tenent Nauarrus *in ſumma Latin. cap.*17. *num.*139. *Hiſpan. num.*140. *& lib.*3. *conſilior. in* 1. *edit. tit. de regular. conſilio* 75. *num.*27. *in* 2. *edit. tit. de ſtatu Monachor. conſil.*3. *num.*27. Veiga *lib.*14. *in Concil. Trident. cap.* 11. Graphis 1. *part. deciſ. lib.*3. *cap.*5. *num.*51. *& lib.*2. *cap.*93. *num.*18. Carbo *de reſt. quæſt.* 2. *in fine.* Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*12. *dub.*8. *num.*43. Iaſon *l. ſi idem cum eodem, num.*3. *&* 4. *ff de iuriſd. omnium iud.* & *ibi* Decius *num.* 1. *&* 16. Claudius *num.*1. *&* 2. Farinac. *conſil.*78. *n.*3. *vol.*1. Probatur

Nauar. Veiga. Graphis. Carbo. Leſſius. Decius. Claud. Filliuc.

Primò, quia vltimum illud furtiolum, eſt totum obiectum illius acceptionis furtiuæ, & non continet ſummam ad culpam mortalem requiſitam; ergo tantùm peccabit venialiter, & non mortaliter, qui vltimum furtiolum commiſerit, nam illa vltima acceptio ſola eſt totum obiectum furti hîc, & nunc, reliquæ verò iam præterierunt: cùm ergo illa ſumma præteritorum furtorum non ſufficiat per ſe ad mortale, vltimum furtiolum non erit peccatum mortale.

Secundò, quia ex multis peccatis venialibus non conſurgit vnum mortale; cùm igitur omnia alia furta leuia ſint, & venialia, ex illorum multiplicatione non conſurget culpa lethalis.

Tandem, quia in pœnalibus, & odioſis non fit coacervatio ſummarum, nec multæ modicæ culpæ efficiunt vnam ſufficientem ad grauem pœnam, vt docent Iaſon, Decius, & Farinacius *allegati*; igitur neque etiam vltimum illud furtiolum cum præcedentibus efficiet vnam culpam grauem, & mortalem; & huius opinionis eſt etiam Toletus *lib.*5. *ſumma cap.*16. vbi loquens de eo caſu quo vnus à multis res minimas furatur ex occaſione nata, & non animo perueniendi ad quantitatem notabilem, ait in nulla illarum acceptionum peccare mortaliter, & de obligatione reſtituendi nihil meminit.

Tolet.

13. *Præfertur ſecunda ſententia.*

Poſterior ſententia probabiliter docet committi peccatum mortale in vltimo illo furtiolo rei minimæ cum aduertentia ad præterita furta, ſi in illo mortalis quantitas compleatur; hanc tenent communiter DD. Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.*7. *cap.*21. *num.*6. Rodriguez *tom.*1. *ſummæ in* 2. *edit. cap.*150. *num.*8. *concluſione* 8. Valentia 2.2. *diſput.*5. *punct.* 5. *ad finem.* Sayrus *in claui regia lib.*9. *cap.*15. *num.*22. Petrus Ledeſma 2. *tom. ſummæ tract.*8. *cap.*21. *num.*2. *difficult*... circa quantitatem ad furtum mortale requiſitum. Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. conſc. cap.*93. *col.*2. *quæſt.*2. Nauarra *lib.*3. *de reſtit. cap.*1. *part.* 1. *in noua edit. dub.* 5. *à num.* 52. *vſque ad* 56. Rebellus *part.*1. *lib.*3. *quæſt.*15. *ſect.*4. *num.*30. Ioan. Maior. *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*25. *col.*2. *verſ. ex iſto ſequitur.* Ioannes Medin. *C. de reſtit. quæſt.* 10. *§. occurrit hîc caſus, verſ. ad ſecundum caſum.* Sotus *lib.*5. *de iuſt. quæſt.*3. *art.*3. *ad* 3. *verſ. ſed aliud.* Mercado *lib.*3. *de contract. cap.*4. *fol.*129. Couarruuias *lib.*1. *variar. cap.*3. *num.*12. Corduba *in ſumma quæſt.*70. *punct.* 2.

Sanchez. Rodrig. Valent. Sayrus. Ledeſma. Lopez. Nauar. Rebell. Maior. Medin. Sotus. Mercad. Couar. Corduba.

Medin. Vaſq Cumel. Vaſquez. Cumel. Arag. Salon.

punct.2. Bartholomæus Medin. 1.2. *quæſt*.88. *art*.4. *ad finem* , *in ſolut. ad* 3. Vaſquez *ibi diſput*. 146. *cap*.2. *num*.5. & *ibi* Cumel *art*.4 *ad finem,in ſolut. ad* 3. Vaſq.*ibi diſp*. 146.*cap*.2.*num*.5. & *ibi* iterum Cumel *art*.4. *dub. penult. verſ. ſed obijciet aliquis*. Aragon 2.2. *quæſt*.66. *verſ. cæterùm,fol*.44. Salon. *eodem art*.6. *controuerſia* 3. *concluſione vnica*. Probatur,

Primò, quia eo vltimo furtiolo poſito, ponitur notabile proximi damnum, & eo ſublato tollitur; ſed quicumque ſciens ex actu ſuo leui ſubſequi notabile damnum proximi, peccat mortaliter eum actum faciendo; igitur eo vltimo furtiolo peccatur mortaliter.

Secundò, quia retinere,& vſurpare idem peccatum eſt; ergo qui peccat mortaliter in retinendo, peccat etiam mortaliter in accipiendo, nam ideo, vt fatentur contrarij, peccat quis mortaliter in retentione; quia accedente vltimo furtiolo, & cum præcedentibus coniuncto, efficitur rei notabilis retentio, ſed ſimiliter efficitur rei notabilis acceptio; ergo ſi retentio eſt peccatum mortale, profectò etiam erit acceptio, enim verò paruæ illæ quantitates in materia furti in vnam coaleſcunt, vt latè probat Sanchez *lib*. 1. *tom*. 1. *Decal. cap*.4. *num*.10. Sanchez.

14\. *Soluuntur fundamenta primæ opinionis.*

Neque obſtant fundamenta primæ opinionis; nam etſi vltimum furtiolum ſit totum obiectum vltimæ acceptionis, & ſit in ſe paruum,& veniale, attamen coniunctum cum omnibus præcedentibus lædit notabiliter, & mortaliter proximum; vnde cùm notabile damnum proximo inferat, ſine dubio mortalis erit illius acceptio. Et quamuis ex multis peccatis venialibus nunquam poſſit vnum peccatum mortale coaleſcere, vt libentiſſimè fatemur, & docent communiter Theologi: attamen dicimus in hoc vltimo furtiolo veniali committi peccatum mortale; quia coniunctum cum aliis præcedentibus damnum notabile infert proximo, vnde ratione damni peccatum mortale erit non ſolitariè acceptum, & conſideratum, aut ſeiunctum ab aliis furtis præcedentibus, ſed cum illis coniunctum. Nec etiam obſtat, quòd ex multis pœnis paruulis debitis, exiguis criminibus, non poſſit vna grauis coaleſcere, quia externus forus non conſiderat totum damnum ex ſingulis furtis acceptum; ſed conſiderat tantummodo ſingula crimina per ſe conſiderata, & ſingula ſingulis pœnis proportionatis afficit.

15\. *Quid ſi post vltimũ furtiolum complens quantitatẽ m. committatur aliud.*

Sed quid ſi poſt minimum illud furtum complens quãtitatem mortalem aliud minimum committatur? Authores primæ opinionis neceſſariò dicent, non committi in acceptione illius nouum peccatum mortale, ſed idem in retentione continuari, quia augetur magis,ac magis furtum, & ſic accreſcere, & augeri eandem obligationem reſtituendi maiorem quantitatem retentam; & ideo non eſſe mortiferam, ſed tantùm venialem illam nouam accceptionem furtioli accreſcentis, eſſe tamen mortiferam eandem voluntatem retinendi maiorem ſummam ex eo accreſcentem,& ita docet ſpecialiter Leſſius *lib*.2. *c*.12. *de iniurijs fortun. dub* 8. *num*.44. Dicendum tamen eſt cum Rebello *citat. ſect*.4. *num*.38. & cum Sancio *dict.tom*.2. *Decalog. lib*. 7. *cap*. 21. *num*.7. committi nouum peccatum mortale in acceptione toties, quoties committitur nouum furtiolum; quia, vt diximus, renouatur per illud furtiolum iterum prior intentio mortalis. Leſſius. Rebell.

Dubium tamen hîc graue eſt, an quando vltimum furtiolum, cum præcedentibus coniunctum peruenit ad quantitatem mortalem, teneatur furans reſtituere ſub mortali totam quantitatem, an potiùs euitet obligationem reſtitutionis ſub mortali, reſtituendo illud tantùm modicum furtiolum, complens eandem quantitatem. Quidam exiſtimant teneri reſtituere ſub mortali totam eam ſummam, ita docet Ioannes Medina *C. de reſt. quæſt*.10. §. *occurrit hîc caſus,verſ. ad* 2. Corduba *in ſumma quæſt*. 70. *dub*. 2. §. *dixerunt*. Fundamentum illorum eſt, 16. *Dubium.* *Opinio affirmans.* Medin. Cordub.

Primò, quia tota ſumma eſt accepta; ergo iuſtitia commutatiua poſtulat, vt tota etiam reſtituatur, vt æqualitas iuſtitiæ ſeruetur.

Secundò,quia quodcumque damnum notabile eſt faciendum ſub mortali; ergo tota ſumma eſt ſoluenda ſub mortali, alioquin enim ſequeretur poſſe quemquam per venialem reſtitutionem ſatiſfacere mortali. Tandem, quia furans ſimul totam illam quantitatem tenetur eam integram reſtituere ſub mortali, & hanc obligationem non euitabit ſi dimidium tantùm reſtituat. At quid refert ſiue ſimul, ſiue paulatim obligationem reſtituendi ſub mortali incurrat.

Cæterùm his non obſtantibus contrariam opinionem ex melioribus fundamentis tenent Petrus Nauarr.*lib*.3.*reſt.cap*.1.*num*.60.Rebellus 1.*part.de oblig. iuſt.quæſt*.15.*ſect*.4.*num*.38. §.*ſed ponamus*; Sanchez *tom*.2. *Decalog.lib*.7.*cap*.21.*num*.9. Saytus *in claui regia lib*.9 *cap*.19.*num*.25.Alcocer *lib. de ludo cap*.16. *fine*,& fauet Aragon.2.2.*quæſt*.66. *art*.6. *col*.19. *verſ. cæterùm fol*.441. 17. *Aſtruitur negãs opinio.* P. Nauarra. Rebellus. Sanchez. Saytus. Alcocer. Arag.

Primò, quia tenetur tantùm quilibet ſub mortali auferre notabile damnum proximi; aufertur autem per reſtitutionem vltimi furtioli accepti; ergo non tenetur ſub mortali eo reſtituto reſtituere aliam ſummam. Nemo enim negabit excuſari quemquam à mortali ex paruitate materiæ; vnde cùm iam illa materia, quæ remanet, ſit paruula, quis non videt illum excuſandum eſſe.

Secundò, quia ſi totum eſſet ſub mortali reſtituendum, qui ex magna ſumma ablata vnum quadrantem retineret, & illum non reſtitueret cæteris adhuc reſtitutis,adhuc teneretur ſub mortali illum quadrantem reſtituere,quod mirum eſt, & inauditum.

Tertiò, quia ſolùm peccauit mortaliter accipiendo vltimum furtiolum; ergo ſolùm tenebitur ſub mort. illud reſtituere.

Neque obſtant in contrarium adducta. 18. *Adducta in contrariũ occurritur.*

Ad primum reſpondeo totam ſummam fuiſſe acceptam per partes non ſimul, ac proinde iuſtitiam commutatiuam poſtulare, vt tota reſtituatur, non tamen tota ſimul ſub mortali, alioquin reſtitutis cæteris, non reſtituto vno quadrante,maneret obligatio reſtituendi illum ſub m. quod nemo dicet.

Ad ſecundum reſpondeo verum eſſe quòd damnum notabile reſtituendum ſit ſub mort. vnde cùm ſolùm damnum dederit notabile, furando illud vltimum furtiolum, ſolum vltimum tenebitur ſub mort. reſtituere. Deinde dico teneri illum reſtituere ſub mort. totam illam ſummam diſiunctim ſumptam, non tamen copulatiuè ſumptam, tunc enim ſenſus eſt totam illam ſummam coniunctim ſumptam, efficere vnum peccatum mort. & quandiu eſt notabilis, & mortalis, & efficit vnum peccatum mortale, neceſſariò eſt reſtituenda ſub mortali; copulatiuè autem ſumpta

M 3 non

non manet iam mortalis, ſed venialis, & ideo non eſſe totam copulatiuè ſumptam ſub mortali reſtituendam; nam ſicut hæc propoſitio, omnes Apoſtoli ſunt duodecim coniunctim ſumpti, eſt vera; ita hæc eadem, Omnes Apoſtoli ſunt duodecim copulatiuè ſumpta, eſt falſa; quia ſenſus eſſet tunc ſingulos Apoſtolos eſſe duodecim, ita hæc eſt vera, tota illa ſumma coniunctim ſumpta eſt notabile damnum ſub mort. reſtituendum; falſa verò copulatiuè ſumpta, quia tunc ſenſus eſſet ſingulas partes illius ſummæ auferre notabile damnum, & eſſe ſub mort. reſtituendas, quod nemo dicet.

Ad vltimum reſpondemus etiam eum, qui ſimul notabilem, & mortalem furatur quantitatem, vitare etiam mortalem culpam, & obligationem reſtituendi totam ſummam ſub mort. ſi cæteris reſtitutis, pars quæ manet, non ſit mortalis, iuxta hactenus dicta.

19. *Reſponſio ad quartã quæſtionem.* Illud omnino animaduertendum, quando furta minima paulatim ſumpta ſunt valde notabiliter interpolata, maiorem neceſſariò requiri quantitatem, vt tam acceptio, quàm retentio lethales ſint: ita Rebellus *dict. quæſt.* 15. *ſect.* 4. *num.* 37. vbi ait requiri tunc duplo maiorem, Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 139 Graphis 1. *part. deciſ. lib.* 2. *cap* 93. *num.* 19 Leſſius *lib.* 2. *de iuſtitia, cap.* 12. *dub.* 8. *num.* 46. vbi ait, ſi eſſet mortale auferre decem ſimul, & vice vna, exigi quindecim, aut viginti, vt peccatum mort. committatur tam in acceptione, quàm in retentione, quando ea modica furta longis interuallis committerentur, v. c. ſi ſpatio vnius menſis leue furtum committatur, & poſt alium menſem aliud item leue, & poſt alios totidem; ita quòd in fine trium, vel quatuor menſium conflaretur ſumma duplo etiam maior, quod idipſum tenet Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 10. Rodriguez *tom.* 1. *ſumma in* 2. *edition. cap.* 150. *concluſione* 8. *num.* 8. Ratio eſt, quia homines minus ægrè ferunt ſibi auferre longo interuallo, & caſu illa minima, quàm eandem quantitatem ſimul, imò tanta poteſt eſſe intercapedo inter furtiolum, & furtiolum, vt non videatur poſſe coniungi, vt ſi ſpatium vnius anni inter quodlibet recurriſſet, ita Sanchez *allegatus*, vbi dicit de conſilio virorum doctorum ſe hanc hanc tradere doctrinam; quamuis Rebellus aſſerat continuari & coniugi per ſpatium etiam quatuor annorum, ſed iudicium Sanctij videtur rectius; fatentem enim furtum minimum nullus confeſſarius interrogat an furta minima annis elapſis commiſerit.

Rebel. Nauar. Graphis. Leſſius. Sanch. Rodrig. Sanch.

20. Similiter maior quantitas requiritur ad conſtituendum peccatum mort. quando contra multos dominos peruenitur per modica furta ad notabilem quantitatem, quo enim furtum in plures diuiditur, eo minus, cæteris paribus, domini ſunt inuiti; vnde non erit mortale peccatum, nec ſub mortali ad reſtitutionem obligandus ſimplex fur, qui minorem quantitatem, quàm vnius aurei à tota communitate vnius magni oppidi furetur. Dixi *ſimplicem furem*; quia qui falſis, ac corroſis menſuris, & ponderibus vtuntur, ſemper peccant mortaliter, quando ad ordinariam quantitatem perueniunt, ſunt enim hi non tantùm fures ſimplices; ſed etiam violatores publicæ fidei, & iuſtitiæ, & in foro iudicali grauius puniuntur; ita docet Rebellus *allegatus ſect.* 1. *num.* 43. & Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 7. *cap.* 21 *num.* 17. & 18.

Rebell. Sanchez.

Tandem quando vnus à diuerſis furto aufert minima, aut illa furto aufert animo diteſcendi, & augendi diuitias, & viuendi ex his furtiolis, & perueniendi ad notabilem quantitatem; aut caſu, & carens animo perueniendi ad eam quantitatem, & in vtroque caſu mortaliter peccat tam in acceptione, quàm in retentione, vt iam diximus; & iterum inculcamus maioris claritatis cauſa, & renetur ad reſtitutionem; ea tamen diſtinctione, vt quando à principio habuit animum perueniendi ad quantitatem notabilem, non ſolùm peccet mortaliter in vltimo furtiolo complente prædictam quantitatem, ſed etiam in primo, & in ſingulis antecedentibus, quia ſingula illa furtiola externa procedunt ex intentione mortifera; & executiones illius ſunt, vt diximus *num.* 4. & docent Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 12. *de iniurijs fort. dub.* 7. *num.* 36. & Sanchez *tom.* 2. *Decalog. lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 13. Quando verò à principio non habuit talem animum, ſed caſu ea furtiola committit, ſolùm peccat mortaliter in vltima acceptione rei minimè complente quantitatem mortalem; ſi memor præteritorum furtorum præcedentium rerum minimarum fecit, ſecus ſi ad illa non aduertit, nec memor illorum fecit, quia tunc perinde ſe habet, ac quando multi alij aliorum ignari eandem vineam ingrediuntur, & ſinguli minima furantur; quo caſu venialiter ſinguli tantùm peccant, quod ſatis patet ex dictis; quare ad eum caſum, quo plures ab eodem notabilem quantitatem, aut ſinguli modicum furantur, veniamus. 21.

Leſſius. Sanch.

Capvt XIV.

An quando plures auferunt ab eodem notabilem quantitatem, aut ſinguli modicum, mortaliter peccent, ſi vt vna cauſa concurrunt, & quid ſi non vt illa concurrant, ſed alter alterum furantem ignorat. Agitur de excommunicatione furtorum minimorum.

Svmmarivm.

Si plures ab vno, eodemque, vt vna cauſa, & communicato conſilio ſinguli minima furto auferunt, omnes peccant lethaliter, & tenentur ad reſtitutionem ſui minimi ſub mortali. num. 1. & 2.

Quid ſi ſeorſim concurrant, & nullus eorum de alijs ſciat. num. 3.

Quid quando non communicato conſilio nec alij alios ignorantes, ſed ſcientes minima ab vno, eodemque auferunt. Refertur prima opinio affirmans ſingulos eorum peccaſſe mortaliter tam accipiendo, quàm non reſtituendo ſua minima. num. 4.

Refertur ſecunda aſſerens nullum eorum peccaſſe mortaliter in accipiendo, omnes tamen, & ſingulos peccare mortaliter non reſtituendo. num. 5.

Præfertur tertia aſſerens neque in accipiendo, neque in retinendo mortaliter peccare, ſed tantùm venialiter. num. 6.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. num. 7.

Quid de excommunicatione, an comprehendat omnes, & ſingulos, qui communicato conſilio minima furantur. num. 8.

Quid

Quid quando non communicato conſilio, ſed alij aliorum conſcij hæc minima ab vno eodemque furto auferunt, num. 9. Refertur prima opinio omnes & ſingulos in illa comprehendi. *ibid.*

Refertur ſecunda aſſerens nullum in illa comprehendi ſi mortaliter non peccauit, vel in accipiendo, vel in retinendo. *num. 10. & 11.*

Quid tenendum ſit, num. 12. Approbatur prima opinio aſſerens omnes & ſingulos minima capientes, & retinentes ea excommunicatione ligari, licèt mortaliter non peccent furando, vel retinendo. *ibid.*

1. *An quando plures ab eodem notabilem quantitatem auferunt, peccent mortaliter.*

QVæſtio principalis eſt, an quando plures furantur ab vno, eodemque notabilem quantitatem, at ſinguli modicam, omnes peccent mortaliter tam in accipiendo, quàm in retinendo, ſeu non reſtituendo, & an comprehendantur ſub eadem excommunicatione: in quo negotio aliquid diſtinguendum eſt, aut enim omnes concurrunt, vt vna cauſa: alij aliis cooperantes, aut non vt vna cauſa alij alios ignorantes.

2. *Aſſertio prima.*

Statuo primò, ſi plures, vt vna cauſa, & conſortes communicato conſilio, & opera concurrunt ad furandum ab vno, eodemque modica ex eadem vinea, pomario, aut prædio, ſiue id fiat vno actu ſimul, ſiue magna temporis intercapedine, vnus poſt alium, omnes peccant lethaliter, tam in accipiendo, quàm in non reſtituendo, & tenentur ad reſtitutionem ſinguli in ſolidum in defectum aliorum; nam primò, & per ſe ſinguli ad ſua modica tenentur, in defectum verò aliorum ſinguli tenentur in ſolidum. hæc eſt communis omnium, eam docet Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 21. num. 19.* Petrus Nauarra *lib. 3. reſt. cap. 1. num. 43.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub. 9. initio*, & nemo dubitat. patet, quia vnuſquiſque cauſa totius damni efficax fuit, & per hoc vnuſquiſque damnificato tenetur in ſolidum, ſic D. Thom. 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* nam, quando communicato conſilio damnum dederunt, velint, nolint, hanc obligationem reſtituendi hoc modo incurrerunt.

Sanchez. P. Nauarra. Leſſius. D. Thom.

3. *Aſſertio ſecunda.*

Statuo ſecundò, ſi ſeorſim concurrant, ita vt nullus eorum ſciat de damno notabili per alium, vel alios dato, non peccant niſi venialiter, tam in accipiendo, quàm in non reſtituendo, eſt communis, ita Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 7. cap. 21. num. 20.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iure fortunarum, dub 9. initio.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num.* 130. Lud. Lopez *1. part. inſtructorij, cap. 93. §. In caſu autem.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* Rebellus *lib. 3. cap. 15. ſect. 5. num. 4.* Probatur facilè, quia dum nullus aliorum conſcius eſt, nemo eſt cauſa notabilis damni, & quiſque eſt tantùm cauſa ſui minimi, & pro ſuo minimo tantùm ad reſtitutionem tenetur, vnde ſicut vnuſquiſque venialiter tantùm peccat in accipiendo, ita & in retinendo, & non reſtituendo. Excipiunt nonnulli, modò inter furtiolum, & furtiolum quæ quiſque facit, detur magna temporis intercapedo, nam ſi ſimul, & quaſi vno tempore fiant, vnuſquiſque peccabit mortaliter, tam in accipiendo, quàm in retinendo. At non probo exceptionem, quia cùm nullus eorum de alio ſciat, nunquam eſt cauſa damni grauis; & ſic ſolùm pro ſuo minimo, & peccato, & reſtitutioni obnoxius manebit, vt patet.

Sanchez. Leſſius. Nauar. Lopez. D Thom. Rebellus.

4. *Difficultatis cardo.*

Cardo difficultatis in eo conſiſtit, an quando plures non communicato conſilio, nec alij alios ignorantes, ſed quilibet, aut aliquis illorum conſcius erat furti aliorum, & animaduertunt exinde notabile damnum proximo inferri, mortaliter peccet quilibet in acceptione rei minimæ, & teneatur ad reſtitutionem ſub mortali pro parte ſua; qua de re tres inuenimus opiniones.

Opinio prima.

Prima docet omnes ac ſingulos, qui conſcij fuerunt furti aliorum, peccare mortaliter, & teneri ſub mortali ad reſtitutionem ſui minimi, & in defectum aliorum ad totum in ſolidum. Hæc eſt communior ſententia; & eam ſuſtinent Couarr. *lib. 1. variar. reſolut. cap. 3. num. 12.* Nauarrus *in ſumma Hiſpanica, cap. 17. num 131. verſ. quarto.* Mart. de Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 18. col. 4. ante finem.* Maior. *in 4. diſt. 15. quæſt. 25. col. 5. verſ. ad primum dico, & quæſt. 26. in ſecundo argumento contra primam concluſionem.* Metina *C. de reſt quæſt. 10. §. Occurrit hîc caſus, verſ. ad primum caſum.* Corduba *in ſumma quæſt. 70. puncto 1.* Lud. Lopez *1. part. inſtruct. conſcient. cap. 93. quæſ. 1. dicto 2. & 3.* Sayrus *lib. 1. de cenſuris, cap. 9. num. 9.* Emanuel Rodriguez *tom. 1. ſumma in 2. editione, cap. 150. num. 7. col. 7.* Salon *2. 2. quæſt 66. art. 6 controuerſ. 3. col. 2. verſ. ſed quæres.* Soar. *tom. 5. diſput. 20. ſect. 2. num. 5.* Petrus Ledeſma *2. tom. ſummæ, tract. 8. cap. 21. num 41.* limitans niſi tempore omnino diuiſo, vt poſt tres, vel quatuor menſes. Angles *in floribus 2. part.* vbi de reſt. *art. 1. poſt difficultatem 7. dub 4.* Vaſquez *1. 2. quæſt 88. cap. 2. num. 5. & 6.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 1. in noua editione, num. 44. verſ. ad ſecundum reſpondeo.* Probant

Couar. Nauarr. Ledeſm. Maior. Metina. Cordub. Lopez. Sayrus. Rodrig. Salon. Soar. Ledeſm. Angles. Vaſquez. P. Nauarra.

Primò, quia quilibet illorum cooperatur per eam ſcientiam ad notabile damnum proximo inferendum, eſtque cauſa partialis illius, nam licèt quod quilibet furatur ſit in ſe minimum; at coniunctum cum partibus; quas ſcit alios furari eſt magnum, & ratione huius ſcientiæ eius minimum damnum continuatur cum aliis.

Secundò, quia omnes hi ſimul inferunt magnum damnum, nec eſt maior ratio, cur vni potius, quàm alteri, aut omnibus tribuatur; igitur ne nulli tribuatur, & dominus rei furatæ maneat damnificatus, & læſus omnibus pro rata tribuitur.

Tertiò, quia aliàs expoliaretur dominus omnibus vineæ fructibus, nullo manente reſtitutioni obnoxio ſub mortali quod non eſt dicendum.

Quartò, quia ſuppoſita ſcientia aliorum furium, & aduertentia ad magnum damnum quod infertur, quiſque ſuum modicum furando, damnum illud infert, nam ſi ceſſaret, non inferret quiſque tam magnum, & ita non modò in retinendo, ſed etiam in furando, & accipiendo damnum infert notabile, & peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur.

5. *Opinio ſecunda. P. Nauarra.*

Secunda docet nullum illorum peccare mortaliter in accipiendo, peccare tamen mortaliter in retinendo, & non reſtituendo. Hanc docet Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. part. 1. in noua editione, dub. 4. num. 50. & 51.* Fundamentum illius eſt, quia in acceptione non fuerunt omnes cauſæ partiales illius damni notabilis; in retentione autem ſunt omnes pares, & partiales cauſæ, tam enim damnificat vltimus ablator, quàm primus, ſecundus, & tertius non reſtituendo; deinde quia quando omnes priores ablatores ignari fuerunt furti notabilis, non peccarunt mortaliter, vt diximus *num. 3.* furando modica & tamen tenentur ſinguli ſuam partem minimam reſtituere ſub mortali,

cùm primùm ſciuerit completam eſſe in omnibus notabilem quantitatem; quia etſi quando acceperunt, non damnificarunt notabiliter; quia ſinguli ſingulorum furtiola ignorabant; at modò, cùm ſciant, damnum eſſe notabile datum, æquè damnificant; ergo etiam quando à principio ſciebant damnum dari notabile, peccabunt tantùm venialiter ſinguli ſingula minima furando; at tenebuntur ſub mortali ad ea minima reſtituenda.

Verùm hæc vltima ratio iugulat totum fundamentum huius opinionis; nam, vt bene inferret, debebat ita inferre; ergo etiam quando à principio ſinguli à ſingulis damnum notabiliter dari ſciebant, peccabunt mortaliter, ſuum modicum accipiendo, furandóque.

6. *Opinio tertia.* Tertia opinio docet neminem horum peccare mortaliter tam in accipiendo, quàm in retinendo, ſeu non reſtituendo; ſed eorum ſingulos eſſe pares in eo quòd tam in accipiendo, quàm in non reſtituendo ſua minima venialiter tantùm peccant, & pares eſſe in omnibus illis, qui ea minima acceperunt, quando alij alios ignorabant, qui venialiter tantùm peccant, tam in acceptione, quàm in retentione, vt diximus *num.* 3. Hanc opinionem defendunt Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 22. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 12. *de iniur fortun. dub.* 9. *num.* 52. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. *columna* 10. *verſ. arguitur autem*; vbi expreſsè ait nullum accipientem peccaſſe mortaliter quando ſinguli alij alios non ignorantes modica acceperunt, ex quibus furtis tota vinea deuaſtata eſt, nec teneri poſtea ſub mortali, niſi iubeantur damnum reſtituere poſt excommunicationem; & idem tenet etiam Barthol. Medina 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 4. *ad* 3. & Salon 2. 2 *quæſt.* 2. *art.* 7. *controuerſ.* 2. §. *de participante*, & alij, quos tacito nomine refert Nauarra *lib.* 3. *de reſt.* 1. *part. cap.* 1. *in noua editione, dub.* 4. *num.* 49. Probatur facilè

Sanchez. Leſſius. Sotus. Medina. Salon. P. Nauar.

Primò, quia quilibet eorum infert minimum damnum; ergo ex hoc capite non peccat mortaliter, & quamuis ſciat alios minima etiam furari, tamen nemini illorum eſt cauſa, aut occaſio furandi per hanc ſcientiam; ergo ex eo quòd alij furentur, illius peccatum non augetur: nam præter illius intentionem eſt, vt furtiola eorum cum ſuo coniungatur, imò & præter illius intentionem eſt, vt alij etiam furentur, ne in magna quantitate dominus lædatur, nec conſentit in totum damnum, quin potiùs ei diſplicet vehementer, & ex animo illud deteſtatur.

Secundò, quia alioquin ferè ſemper omnes viam tranſeuntes, & vuarum racemos colligentes furantéſque damnandi ſunt tanquàm peccati mortalis rei, cùm omnes veroſimiliter ſciant alios etiam furari minima ſimiliter. Vnde ſi aliorum furta coaleſcunt, in vnum notabile damnum ratione ſcientiæ, hæc etiam coaleſcent. At quis hoc dicet? Profectò nullus prudens Confeſſarius fatentem ſibi racemulum tranſeundo abſtuliſſe, interrogat, an norit alios ſimiliter furatos fuiſſe.

Tertiò, quia alioquin ſciens alium furatum fuiſſe decem, ſi furaretur vnum quo compleretur quantitas mortalis, infinitè grauius peccaret, quàm ille; at quis hoc credet. Tandem, quia ſcientia vnius, non eſt cauſa furti alterius, ſed tantùm ſui; quod leue eſt, vnde cùm ſcientia vnius non ſit cauſa, nec occaſio furandi, nec damnificandi, aut detrimentum magnum patiendi, non eſt cur ob hanc ſcientiam illum ad æternam mortem condemnemus.

Ex his tribus opinionibus, prima, & ſecunda ſunt ſatis probabiles; tertia tamen in omnibus, meo iudicio, probabilior, & huic adhæreo, quamuis prima ſit communior, ſed illius fundamenta non ſunt admodum ſolida; nec illam meo iudicio probant. 7. *Soluuntur argumenta primæ opinionis.*

Ad primum dico ſcientiam aliorum non eſſe cauſam, vt omnes cooperentur ad damnum notabile inferendum: non enim ſcientia vnius influit in alium; ſed eſſe tantùm cauſam ob quam omnes ſciant proximum notabiliter fuiſſe damnificatum, vnde cùm alij præter intentionem iſtius furentur, qui id non approbat, nec laudat, imò ex animo refugit, ac deteſtatur, per accidens eſt, quòd eueniat furtum aliorum, neque per ſuum complet notabilem quantitatem, cùm iam ſit completa; nec illo ceſſante, reſtituto aliorum ceſſat, vt patet, & ideo ſimiliter falſum eſt quod hîc ſit cauſa partialis damni notabilis influens in alios, ſed tantùm cauſa partialis negatiua; quatenus eſt cauſa ſui minimi, non aliorum.

Ad ſecundum concedo nullum peccare lethaliter, & ideo nec etiam teneri ad reſtitutionem ſub mortali; ſed tantùm ſub veniali, & ſatis eſſe teneri vnumquemque ad ſuum minimum ſub veniali, nec dominus rei furatæ maneat grauiter abſque reſtitutione læſus.

Ad tertium dico non eſſe inconueniens vineam alterius eſſe omnino deuaſtatam, & nullum peccaſſe mortaliter, nec teneri ad reſtitutionem ſub mortali, ſuppoſito quòd hoc damnum notabile nullo furtiolo compleatur in ratione damni mortalis, nec reſtitutione illius reſarciatur.

Ad quartum iam manet ſatisfactum, ſcientia enim, & aduertentia ad damnum magnum vnius non influit in alios, vt damnum grauius inferant; ſed potiùs in cauſa erit, vt grauiter quis compatiatur, & doleat quod tam graue ab aliis inferatur. Fundamenta ſecundæ opinionis ſoluta iam manent, ſi quæ tamen tricæ manſerunt, ex ſolutionibus huius ſecundæ diſſoluentur.

Veniamus ad excommunicationes, quæ feruntur in deuaſtantes vineas, pomaria, defenſas, & hortos. Inquireſque, an comprehendat eos, qui minima furati ſunt, non vt vna cauſa, ſed abſque ſcientia, & abſque cooperatione aliorum: nam de reliquis, ſiue de illis, qui communicato conſilio damnum per minima dederunt, certum eſt comprehendi in prædicta excommunicatione, cùm vnuſquiſque illorum peccet mortaliter in accipiendo; & mortaliter etiam in non reſtituendo, vti diximus *num.* 2. Idem dicendum eſt in opinione illorum, qui dicunt ſingulos peccare mortaliter accipiendo minima, & ſub mortali teneri ad reſtitutionem ſuorum minimorum, quando alij aliorum non erant ignari iuxta opinionem magis communem, quam explicauimus *num.* 4. cùm illi omnes, & ſinguli furando minima, & non reſtituendo illa mortaliter peccent, & excommunicatio non niſi ob peccatum mortale ferri poſſit, clarum eſt omnes, & ſingulos illorum prædicta excommunicatione comprehendi. 8. *De excommunicationibus quæ feruntur in deuaſtantes vineas, pomaria, &c.*

Tota ergo difficultas eſt, an comprehendantur in illa, quando à principio nullus aliorum conſcius erat de damno per alios dato. Et ſimile dubium eſt, an comprehendantur in illa noſtra opinione *num.* 5. explicata, quam tanquam probabiliorem, & probauimus, & ſecuti ſumus; quæ docet 9. *Difficultas.*

docet etiam quando alij aliorum conſcij erant, nullum peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter, ſiue in acceptione, ſiue in retentione, & non reſtitutione prædictorum minimorum. Et verò in vtraque opinione & caſu, reſpondent multi omnes illos & ſingulos illorum ligari, & comprehendi hac excommunicatione, & teneri poſt illam reſtituere ſub mortali ſua minima, quia, vt excommunicatio liget, ſufficit, quòd pro iuſta cauſa, & notabili damno in ſe conſiderato feratur, licèt ignoretur perſona quæ illud intulit; hîc autem dari iuſtam cauſam ferendi hanc excommunicationem ratione damni notabilis ex furtis minimis conſurgentis, certum eſt. ita docet Sotus *in 4. diſt 22. quæſt. 1. art. 2. col. 10. verſ. arguitur, & lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3. col. 6. verſ. Dubium autem.* Barth. Medina *1. 2. quæſt. 88. art. 4. ad finem, in ſolutione ad 3.* Salon. *2. 2. quæſt. 62. art. 7. controuerſ. 1. §. De participante.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 12. dub. 9. num. 54. §. Reſpondeo,* limitant tamen Sotus citatus, & Sayrus *lib. 1. de cenſuris, cap. 9. num. 10.* niſi tam paruulum eſſet furtum alicuius, vt pro nihilo reputaretur. Vnde apertè ſentiunt hi authores ratione tantùm ſolius præcepti Prælati præcipientis teneri hos ſub mortali peccato ad hanc reſtitutionem, id quod expreſsè affirmat Leonardus Leſſius *dicto num. 54.* & ad ferendum hoc præceptum ſub excommunicatione ſufficere cauſam iuſtam, & rationabilem, qualis eſt cauſa damni notabilis, quod dominus rei patitur quando per minima grauiter damnificatur, ſicut iuſſi adeſſe ſub excommunicatione publicis ſupplicationibus, vel confluere ad templum gratia edicti inquiſitorum fidei audiendi, mortaliter peccant, non confluendo, & lata innodantur cenſura, niſi confluant, cùm tamen ſecluſo eo præcepto ad id minimè teneantur.

Refertur prima opinio. *Sotus.* *Medina. Salon. Leſſius. Sotus. Sayrus.*

10. *Refertur opinio ſecunda.* Alij reſpondent, omnes, qui nec accipiendo, nec retinendo mortiferè peccarunt, non ligari de facto hac excommunicatione ſic generaliter lata; quia excommunicatio lata contra furantes, eos ſolùm comprehendit, ac ligat, qui ante excommunicationem tenentur ſub mortali reſtituere, & ita docet Nauarr. *in cap. inter verba, in noua editione, concluſione 6. corollario 10. num. 54. & in ſumma Latina, & Hiſpanica, in Latina, cap. 17. num. 4. in Hiſpanica, cap. 27. num. 9. & in cap. finali, num. 12. & 14. quæſt. 6.* hanc partem etiam tenet Petrus Nauarra *lib. 3. de reſt. cap. 1. part. 1. in noua editione, dub. 7. num. 64. & 65.* & Sanchez *tom. 2. Decal. cap. 21. num. 28.*

Nauarr. *P Nauarra. Sanchez.*

11. Quamuis verò de facto non ligentur prædicta excommunicatione, aſſerunt tamen poſſe Eccleſiam decernere talem excommunicationem, qua ligentur hi, qui nec in accipiendo, nec in retinendo mortaliter deliquerint minima furantes, & id docet etiam Soar. *tom. 5. de cenſuris, diſp. 20 ſect. 6.* & Nauarra *modò allegatus*, & addit Soarius hoc eſſe verum, etiamſi præceptum Prælati Eccleſiaſtici non innitatur obligationi iuſtitiæ commutatiuæ, ratione cuius velit obligare ad reſtitutionem ſub excommunicatione, quia cùm hæc non obliget tunc ſub mortali ad reſtituendum, nec Superior Eccleſiaſticus poteſt intra latitudinem huius virtutis adiungere eam obligationem his, aut illis minima furantibus, eo quòd materia non ſit illius capax, ſed oportere, vt peculiare obedientiæ præceptum addat. Ad hanc verò obedientiam iuſtè imponendum ait requiri, vt interueniat aliqua ſpiritualis cauſa, & ratio, quam per ſe reſpiciat Prælatus ſpiritualis, eaque adeò grauis, vt ſatis ſit ad grauem, & mortalem obligationem inducendam, vt ſi iudicet expedire ad communem Reipublicæ tranquillitatem, & ad vitanda peccata in Repub. Chriſtiana, vel ad ſpiritualem damnum illius, aduerſùs quem hæc excommunicatio fertur.

12. *Quid tenendum ſit.* Nihilominus opinio Soti, & Leſſij. & eorum, quos *num. 9.* retulimus, eſt valdè probabilis, propter illius fundamenta, & ex eo quòd talis excommunicatio fuit lata pro tota illa damnificatione notabili, ne grauiter læſus quis maneat, & ſufficit quòd poteſtas ſpiritualis, ſeu Prælatus hoc damnum conſideret iniuſtè ab aliis illatum, vt illud iubeat reſarcire per excommunicationem.

Obiectio. Dices, Prælati non habent, nec habere poſſunt voluntatem & intentionem excommunicandi, niſi ſecundùm formam iuris forma autem iuris eſt, vt non niſi ob peccatum mortale commiſſum ab eo contra quem fertur excommunicatio, illa feratur, vnde cùm nulli illorum peccauerint mortaliter iniuſti, & contra formam iuris lata, ac proinde nulla erit talis excommunicatio. *Solutio.* Reſpondeo formam iuris eſſe, vt non feratur excommunicatio propter damnum leue, ſed propter damnum graue, abſolutè loquendo, vnde cùm conſtet iudici proximum grauiter fuiſſe damnificatum, iuſtè poteſt ferre talem excommunicationem aduerſùs damnificatores, ſiue illi peccauerint mortaliter, ſiue venialiter tantùm in damnificando, nam cauſa, & ratio excommunicationis nõ innititur in peccato iſtius, aut illius hominis, ſed in materia graui, & damno graui, quod de ſe concernit graue periculum conſcientiæ, licèt per accidens, eo quòd datum ſit per minima illud periculum in hoc, vel in illo minima furante non detur; ſufficit enim quòd materia ob quam fertur excommunicatio, ſit talis de ſe, & ex natura ſua, quæ concernat hoc periculum. Vnde licèt iudices ſpirituales non præſumerent vnumquemque hominum furantium peccaſſe mortaliter furando, aut ſaltem aliquem illorum, vt ſemper præſumunt, ſed ſcirent optimè damnum fuiſſe datum per minima, adhuc iuſtè expedirent talem excommunicationem; & ligaret illa, quia datur iuſta cauſa ob quam feratur, quæ de ſe concernit graue periculum conſcientiarum; qualis eſt iniuſta damnificatio proximi, ad cuius petitionem fertur excommunicatio, & ſic non ſolùm ratione tantùm præcepti, ſed etiam ratione materiæ abſolutè obligat prædicta excommunicatio, ligátque vnumquemque minima furantem. Et praxis communis ſpiritualium iudicum eſt, vt expediatur excommunicatio pro damno graui, quod patitur is, ad cuius petitionem ea excommunicatio expeditur, & nihil curant prædicti iudices ſpirituales, an à multis per minima furta, an ab vno tantùm huiuſmodi damnum fuerit illatum; ſufficit enim quòd ſit graue, vt illud iubeant reſarcire ex officio ſuo. Nunquam tamen in huiuſmodi excommunicationibus comprehenduntur filij, vxores, aut famuli illius ad cuius inſtantiam excommunicatio expeditur, nec eſt intentio iudicis eos in ea comprehendere, quia non eſt intentio petentis prædictam excommunicationem eam ad illos extendere, & voluntas iudicis excommunicationem expedientis conformatur in hac parte, & reſpondet voluntati petentis, & ſi tam iudex, quàm petens eos volebat in prædicta excommunicatione comprehendere, opus erat, vt id in eadem excommunicatione exprimeretur, aliàs ſi non expri

exprimitur, parum refert illum ad cuius inſtantiam excommunicatio expeditur, dicere ſuam intentionem fuiſſe, quòd filij, famuli, & vxores in ea etiam comprehenderentur, opus enim erat id explicare in ipſa forma excommunicationis, vt alibi diximus, & communiter tractari ſolet in materia excommunicationis.

Sicut etiam tractari ſolent alia dubia circa excommunicationes in monitoriis circa furta prolatis, quæ non ſunt huius loci. & ideo illis modò ſuperſedemus, vt ad reſtitutionem furtorum accedamus.

Capvt XV.

Vtrùm fur & poſſeſſor malæ fidei teneantur reſtituere rem furtiuam ſecundùm pretium tantùm, quod habebat quando furto ablata fuit; an ſecundùm maius, quod poſtea habuit, & vice verſa.

SVMMARIVM.

Res furtiuæ, vel habent incrementum ab extrinſeco, vel ab intrinſeco, & quæ ſint, quæ hoc incrementum habeant, num. 1. & 2.

Si habeant incrementum ab intrinſeco, valor illius eſt domini, non furis, deducta tamen æſtimatione. & laboris ipſius furis in ſolo foro conſcientiæ in procurando incremento illo intrinſeco, num. 3.

Et deducta expenſa. ibid.

Quid de foro externo. num. 4.

Tenetur fur ad omne lucrum ceſſans, & damnum emergens domino rei furatæ. num. 5.

Tenetur etiam vltra hanc reſtitutionem lucri ceſſantis, & damni emergentis dominum rei ponere in eodem ſtatu in quo antea erat. num. 6.

Reijciuntur aſſerentes ſolas expenſas tam vtiles, quàm neceſſarias eſſe in foro conſcientiæ latroni reſtituendas, non æſtimationem laboris, & induſtriæ, num. 7.

Et qui aſſerunt, neque has expenſas illi eſſe reſtituendas. num. 8.

Si res, quæ incrementum ab intrinſeco habet, non extet, tenetur fur illam reſtituere ſecundum meliorem ſtatum, ad quem in manu illius peruenit, licèt in ea poſtea ad peiorem deuenerit, num. 9.

Quid ſi fur illam domino obtulit tempore melioris ſtatus in loco habili ad accipiendum, & noluit accipere. num. 10.

Quid ſi fur eam rem ad locum vbi plus valeat tranſtulit, & à domino illuc non erat transferenda, aut tempore melioris ſtatus vendidit, & à domino non erat tunc vendenda. num. 11.

Quid ſi ſegetes herbeſcentes, aut ligna cædua adhuc creſcentia deuaſtauit. num. 12.

Furans vinum, triticum, oleum, vel merces aliquas, tenetur illas reſtituere ſecundùm æſtimationem temporis, loci, & modi in quo erant à domino vendendæ, etiam ſi non extent, deductis expenſis, num. 13.

Quid ſi eo tempore, quo diſtrahendæ erant à domino, valuerint minus, quàm tempore, quo fuerunt furatæ. num. 14.

Quid ſi non conſtet quo tempore, aut quo loco erant à domino vendendæ, aut diſtrahendæ, num. 15. 16. & 17.

Quid ſi equus furto ablatus ad valorem ducentorum aureorum peruenit in manu furantis, & poſtea ad valorem centum, & adhuc extet. num. 18.

Egimvs in præcedentibus de ſubſtantia furti, nunc ſequitur, vt de illius reſtitutione agamus; eſt enim hæc præcipua pars huius materiæ, quod in ſequentibus faciemus. 1. *De reſtitutione furtorum.*

Res igitur furtiuæ in duplici ſunt differentia; aut enim ſunt res, quæ incrementum, & decrementum habent ab intrinſeco, vt pullus equinus, vitulus creſcens, ligna cædua, ſegetes herbeſcentes, arbores fructiferæ, dum ſunt in flore, & ſimilia, aut quæ incrementum & decrementum pretij habent ab extrinſeco, videlicet à tempore, à loco, à modo, quo venduntur, vt triticum, frumentum, vinum, oleum, panus, & id genus merces aliæ, quæ ſolùm ratione temporis, loci, & modi, quo venduntur, maiorem, vel minorem pretij valorem habent, ſi enim ſimul, & vno cumulo vendantur, minus, ſi verò minutatim, magis valent, & ſi ad tempus aliud ſeruentur, vel ad loca alia deferantur, vbi penuria illarum eſt, cariùs tunc vendi ſolent, vt experientia patet, & de his omnibus agemus. *Res furtiua quotuplex ſit.*

Furto abſtuliſti, v. c. vitulum creſcentem, aut pullum equinũ, qui quo tempore illum furto abſtuliſti, valebat decem, & dum fuit in manu, & poteſtate tua, excreuit ad quindecim; & poſtea paulatim decreuit ad decem. Quæro, an tenearis illum reſtituere ſecundùm illud maius pretium quindecim ad quod peruenit, an ſecundùm illud, quod habebat tempore, quo furto illum abſtuliſti, & in quod poſtea decreuit?

Statuo primò, ſi res effecta eſt melior, vel maioris pretij apud latronem, & adhuc extet, v. c. pullus equinus, aut vitulus bouinus, tota eſt domino reſtituenda cum illo incremento intrinſeco, quod habet, deductis tamen in foro conſcientiæ expenſis, tam vtilibus, quàm neceſſariis, & deducta æſtimatione laboris, & induſtriæ ipſius latronis, quibus illa res melior effecta eſt, ſi apud dominum intrinſecum illud incrementum non eſſet habitura (vocamus autem expenſas vtiles illas, quas non eſſet dominus facturus in ea re meliorãda, fecit tamen latro. Neceſſarias verò illas, quas fecit latro, & quæ neceſſariò faciendæ erant à domino ipſius rei in ea alenda, & conſeruanda) ita docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniur. fortunar. dub.* 16. *num.* 101. Nauarra *lib.* 4 *de reſt. cap.* 1 *n.* 30. & 32. Couarruuias *ad regulam Peccatum, part.* 2. §. 6. *num.* 2. & 3. Medina *C. de reſt. quæſt.* 6. Syluester *verb. Expenſa, quæſt.* 4. Ratio eſt, quia res ſemper manet in dominio domini ſui: & tota illius eſt cum ſuo intrinſeco, & inſeparabili incremento, quod patebit clariùs ex dicendis infrà *num.* 9. 3. *Aſſertio prima.* Leſſius. P Nauarra. Couar. Medina. Syluester.

4. Dixi, *deductis expenſis tam vtilibus, quàm neceſſariis, & deducta æſtimatione laboris, & induſtriæ in foro poli*, quia in foro ſoli & iudiciali iubent leges, vt ſolùm deducantur expenſæ neceſſariæ, non vtiles, nec æſtimatio laboris, & induſtriæ furis in ea re melioranda; in pœnam enim furti, & latrocinij meritò priuantur fures expenſis vtilibus, & prædicta æſtimatione proprij laboris, & induſtriæ in ea re melioranda collocatæ, patet ex *l. ſi à patre,* § *fructus ff. de petit. heredit.* & ex *l planè in fine, eodem titulo*; & *Inſtit. de rerum diuiſione*, §. *ex diuerſo*, & docent auctores allegati. Deducuntur tamen

tamen in foro conſcientiæ expenſæ vtiles,& æſtimatio laboris, & induſtriæ,quia hæ ſunt res alienæ; ſunt enim furis, non domini, & dominus non poteſt tuta conſcientia locupletari ex alieno; neque enim fur tenetur meliorem reddere rem domino,quàm fuiſſet in manu illius, ex ſuo labore & induſtria; quamobrem tenetur dominus in foro conſcientiæ omnes illi expenſas ſoluere, tam vtiles,quàm neceſſarias. Vtiles,quia in vtilitatem illius ceſſerunt, neceſſarias, quia neceſſariò eas dominus ipſe eſſet facturus in ea re alenda, & conſeruanda, ſi apud eum fuiſſet, & ſibi à fure furto non eſſet ablata, & inſuper deducenda eſt etiam æſtimatio laboris & induſtriæ ipſius furis in alendo, & meliorando pullo equino vſque ad ſtatum perfecti & generoſi equi arbitrio prudentis, & intelligentis viri. ſunt enim hæc etiam res alienæ, & nemo tuta conſcientia ex alieno meliorationem poteſt accipere, ditiórve fieri, iuxta Leſſium, Medinam & Petrum Nauarrum *allegatos*; ſed hac de re ſermo iterum redibit, *cap.6. à num.34. & deinceps.*

5. Si tamen dominus interim cum damno ſuo caruiſſet vſu equi, bouis, aut rei fructiferæ, v. c. ſi equum eſſet pretio locaturus, aut boue aliquid lucraturus, id quoque tenetur fur domino reſtituere; quia furto ſuo cauſa fuit efficax ipſius damni emergentis,& lucri ceſſantis; & qui alteri cauſa efficax per iniuſtitiam damni eſt, tenetur illud
Nauar. Maior. Leſſius. Tolet. in conſcientia reſarcire: ita docet expreſsè Nauarrus *in manuali Latino,cap.17.num.26.* Maior *in 4. diſt.15.quæſt.27. & 28.* & Leſſius *lib.2.cap.12. de iniur.fortun. dub.16. num.120. in fine*, & Toletus *lib.5.ſummæ,cap.17.num.9.verſ.ſecunda differentia.* Regula enim eſt certiſſima in materia reſtitutionis, quam tradunt DD. allegati, & præcipuè Toletus teneri latronem, & poſſeſſorem malæ fidei, non ſolùm reſtituere rem furatam, ſed etiam totum damnum emergens,& lucrum ceſſans,quando domino euenit ex mora reſtitutionis,& ponunt exemplum in eo, qui ſcienter equum à latrone emit, qui locari ſolitus erat, & detinuit per duos menſes, & aſſerunt teneri huiuſmodi emptorem, & conſequenter etiam latronem nō ſolùm equum reſtituere, ſed etiam pretium quod dominus lucraturus erat illis duobus menſibus, quamuis otioſum illum haberent, quod planè exemplum approbat etiam Nauarrus allegatus, & Maior.

6. Illatio prima. Vnde inferes primò, ſi ex argento vili, & furtiuo vrceolum, aut cyathum magni pretij effeceris, vel equum furto ablatum meliorem reddideris,magnis expenſis teneri dominum argenti,& equi in conſcientia tibi reſtituere illas expenſas tam equi, quàm cyathi; ſicut enim teneris omnia damna domino reſarcire, & illum in eodem ſtatu conſtituere, in quo eſſet ſi rem ab eo non fuiſſes furatus, ita non teneris conſtituere illum in meliori ſtatu, quàm fuiſſet, ſi illam ab eo furto non
Syluester. abſtuliſſet,vt patet, ſed eſt hoc contra Syluestrum *verb. Furtum, quæſt.16.*

7. Illatio ſecunda. Inferes ſecundò non bene dixiſſe Mercado
Mercado. *de contractibus,cap.14.verſ.que diremos.* expenſas omnes teneri dominum rei latroni reſtituere tam vtiles,quàm neceſſarias,non tamen æſtimationem laboris, ſeu induſtriæ in melioranda re,collocatæ. quia fur ob ſuam malitiam oleum, & operam induſtriæ perdidit, quamuis res longè melior facta ſit ob eam induſtriam,quàm ſi eadem melior non futura eſſet, & maneret apud dominum, ex defectu talis induſtriæ; nam labor ille,& induſtria res eſt aliena, & pretio æſtimabilis, & nemo tuta conſcientia diteſcere poteſt ex alieno, iuxta Leſſium allegatum.

Inferes tertiò, non bene etiam docuiſſe Syluestrum *verb. Furtum, quæſt.16.* teneri furem reſtituere rem furtiuam cum omni melioramento, & 8. [illegible]
non poſſe aliquos ſumptus,ſeu expenſas vtiles petere à domino in foro conſcientiæ,ſi res meliorata in manus proprij domini deueniat, & conſequenter docebit etiam poſſe dominum tuta conſcientia eas retinere,quod falſum omnino eſt,quia nemo poteſt tuta conſcientia diteſcere ex alieno, & illæ expenſæ alienæ ſunt, retineri tamen poteſt ſententia Syluestri in foro ſoli,in quo ſolent fures condemnari in amiſſionem omnium expenſarum tam vtilium,quàm neceſſariarum,vt patet ex *l.ex argento, ff.de condict.furt.* vbi dicitur in foro cauſarum reſtituendum eſſe domino ſuum argentum cum omni melioratione ex quo fur confecit pocula ſuis expenſis,& ideo rectiùs docet Gabriel Gabriel.
in 4.diſt.15.quæſt.2. concluſione 3.dub.1. aſſerens, cum furem qui rem furatam meliorem reddidit (veluti quando ex argento furtiuo cyathum fecit affabrè elaboratum) dolosè vt eam ſibi ſeruaret in poſterum, teneri eam domino reſtituere cum eo melioramento, quando dominus propter inopiam non poteſt furi ſoluere expenſas, debere tamen ipſum dominum furi ſoluere eas expenſas cùm primùm potuerit. in quo, vt patet,noluit excuſare dominum abſolutè à reſtitutione, ſeu ſolutione prædictarum expenſarum, vt bene docet Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.1. num.34.* noſtram opinionem ſecutus: ſed ſolùm voluit eum P.Nauarra.
excuſare ad tempus propter inopiam, dum non habet vnde reſtituat, de iuſtitia tamen ante vllam ſententiam latam eas debere, cùm ad ſtatum quo eas poſſit ſoluere, peruenerit dum in foro ſoli res non fuerit iudicata; nam ſi in foro externo in amiſſionem omnium expenſarum, vt fieri ſolet, condemnetur fur, liber manet dominus à reſtitutione illarum; quia meritò ſtatuunt leges hanc & alias pœnas in fures ad cohibenda furta, & latrocinia.

Statuo ſecundò, ſi res non extat, ſed iam eſt 9.
alienata, aut vendita, vel permutata à latrone in Aſſertio ſecunda.
illo, & cum illo intrinſeco melioramento,tenetur fur domino illius reſtitutionem facere ſecundùm illud maius pretium, & æſtimationem,quam habuit, dum in illo melioramento, & optimo ſtatu erat,licèt illum nunquam eſſet apud Dominum habitura, detractis tamen prædictis expenſis vtilibus, & neceſſariis, labore, & induſtria, vt diximus,imò, & licèt à domino non eſſet diſtrahenda in illo optimo ſtatu, ſed in alio deteriori, v. c. ſi pullus equinus, in ſtatu pulli non perfecti equi, eſſet à domino vendendus, aut aliter diſtrahendus; ita docet Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap.4.* Filliuc.
num.88. Couarr. *regula peccatum,§.6.num.1.part.2.* Couar.
Nauarrus *in ſumma Lat. cap.17. num.26.* Gabriel Nauarr. Gabriel.
diſt.15.quæſt.2.art.3.dub.2.concluſione 3. Angelus Angel.
verb.Furtum,quæſt.44. Syluester *verb. Reſt.3.q.7.* Syluester.
dicto 1. & verb. Furtum, quæſt.16.num.20. Leſſius Leſſius.
lib.2.cap.12.de iniur.fortun.dub.16.num.105. Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.1. num.37.* & facit P.Nauar.
cap.grauis, de reſt. ſpoliatorum, & l.in re furtiua, ff. de furtis, & l.ſi nauis,§.ſi generaliter ff.de rei vend. Et ratio eſt, quia illud incrementum cùm rei eſſet intrinſecum, erat ab illa inſeparabile, & aliunde fur ſemper fuit in mora reſtituendi rem, & tenebatur illam reſtituere pro ſingulis momentis temporis,

poris, quo illam ſub ſe habuit; ergo pro tempore quo erat in optimo ſtatu, & maius pretium habuit, quia ſi tunc non reddidit, aut ſaltem non obtulit, iniuſtè priuauit dominum pretio incrementi rei propriæ, vt exemplis patebit ſtatim.

10. Dixi *ſi non obtulit*, quia ſi loco, & tempore conuenienti ad recipiendum obtulit, & dominus recipere recuſauit, & citra culpam furis ad deteriorem ſtatum deuenit, aut periit, domino periit, non furi, vel in totum, ſi in totum periit, vel in partem melioramenti, à quo decidit, nam licèt mora noceat ei per quem fit, vt docet Syluester *allegatus*, *& verb. Commodatum, num.* 16. *ad finem*, & patet ex *cap. vnico, de commodato, & l. in rebus, C. commodati, & l.* 1. *ff. de action. & obligat.* purgatur tamen per oblationem loco & tempore accommodatam. res patebit his exemplis, furatus fuiſti vitulum creſcentem, aut pullum equinum, educaſti illum tuis expenſis vſque ad ſtatum equi, teneris reſtituere pretium illud, quo illum vendidiſti in ſtatu equi, deductis tuis expenſis vtilibus, & neceſſariis, & deducta æſtimatione tui laboris, & induſtriæ, quamuis dominus illum eſſet venditurus in ſtatu pulli equini, aut vituli. Ratio eſt, quia totum illud incrementum fuit intrinſecum, quicquid enim vitulo, aut equino pullo acceſſit roboris, magnitudinis, bonitatis, totum eſt domini. nam cùm res illa ſemper fuerit domini, totum illud incrementum intrinſecum, quod ab illa ſeparari non poteſt, domini etiam eſt.

Lessius. Exiſtimat tamen Leſſius *dicto num.* 105. non eſſe faciendam reſtitutionem domino ſecundùm rigoroſam æſtimationem, ſi fortè latro per illam equum vendidit, quia moraliter loquendo non cenſetur domino damnum illatum in iſta rigoroſa æſtimatione, niſi euidenter conſtet dominum per illud rigoroſum pretium equum eſſe venditurum, quod difficile conſtare poteſt; ſufficiet igitur ſecundùm Leſſium reſtituere mediam, vel infimam æſtimationem.

Verùm mihi contrarium videtur, & omnino aſſero totum illud pretium rigoroſum, quo vendidit, teneri furem domino reſtituere, tum quia ſi deducantur omnes expenſæ vtiles, & neceſſariæ, labor, & induſtria, & inſuper non reſtituatur totum pretium rigoroſum, quo res fuit vendita, ſed infimum, aut medium, ferè nihil amplius reſtituetur domino, quàm quod valebat cùm pullus erat, & quia res illa ſemper fuit domini cum toto ſuo pretio reſultante ex incremento intrinſeco, & quia non oportet fauere latrociniis, & alioquin faueretur, vt patet, tamen per veram, & legitimam oblationem tempore, & loco habili factam purgauit fur omnem moram reſtituendi, & mora iam non nocet ei, ſed nocet domino per quem ſtetit equum non accipere in optimo ſtatu, quo ei oblatus fuit, ita docet Nauarrus & Syluester *ſuprà allegati*, & patet expreſsè ex *l. in re furtiua, ff. de furtis*, & eſt communis opinio.

11. Si tamen huiuſmodi res, v. c. pullus equinus, aut vitulus creſcens ſolùm ab extrinſeco in pretio accreuit, quia v. c. repentè ſuperuenit bellum, aut ad alium locum in quo plus valebat, translatus eſt à fure, & ibi fuit venditus, ac diſtractus, & dominus non erat illum tempore belli venditurus, neque ad eum locum vbi pluris valebat, tranſlaturus, non tenetur fur reſtituere pretium illius ſecundùm iſtud maius pretium iſtorum temporum, ſed ſecundùm æſtimationem, quam eſſet habiturus apud dominum tempore, quo dominus illum erat venditurus, aut aliter diſtracturus, vt docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortun. dub.* 10. *num.* 105. & Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 1. *num.* 37. & Syluester *verb. Furtum quæſt.* 16. *num.* 20. vbi dicit teneri furem ad reſtitutionem ſecundùm æſtimationem, in qua meliùs valuiſſet apud dominum, ſi res non extet, nam ſi extet, ea ipſa illi reſtituenda eſt, vt patet. Et ratio eſt, quia tranſlatio ad alium locum vbi equinus pullus pluris erat valiturus, & reſeruatio ad tempus belli cenſentur fructus induſtriæ latronis, quando dominus illius illum ad eum locum non erat ducturus, aut vſque ad id tempus ſeruaturus, vt tunc illum venderet, aut aliter diſtraheret. Vnde cùm fructus induſtriæ alieni ſint, ideſt, ipſius latronis, & non domini equi, non poteſt dominus tuta conſcientia ex re aliena emolumentum accipere, ac diues fieri. Leſſius. P. Nauarra. Syluester.

Dices, pretium eſt inſtar rei; loco enim illius ſuccedit; ergo ſicut dominus habet ius ad rem, ita & ad pretium illi etiam reſtituendum. Reſpondeo pretium eſſe inſtar rei, & loco illius ſuccedere catenus, quatenus eſt neceſſarium ad reſtitutionem rei, & ad reficiendum damnum domino inde emergens, & lucrum ceſſans, & ideo ſolum habere dominum ius ad pretium rei ſuæ, quatenus neceſſarium eſt ad hanc reſtitutionem; vnde ſi res alibi vendatur à fure, aut alio tempore, vbi, & in quo plus valeret, & ibi, aut eo tempore, non erat à domino diſtrahenda, ſed in alio in quo minus valeret, non tenetur fur ei damnum reſtituere niſi ſecundùm æſtimationem loci, & temporis, in quo dominus rem erat diſtracturus, & reliquum totum eſt fructus induſtriæ furantis, ſicut è contrario ſi dominus rem erat venditurus in loco, & tempore, in quo plus valeret, & fur illam vendidit aut diſtraxit in alio loco, & tempore in quo valebat minus, tenetur fur reſtitutionem facere ſecundùm æſtimationem illius loci, & temporis, quo dominus illam pluris erat venditurus non iſtius; quare ſi dominus eam rem non erat alienaturus, tempore, quo valebat quinque, ſed tempore quo valebat tres, non poteſt à fure, in conſcientia repetere quinque, ſed tantùm tres, & ſi plus petat, tenetur exceſſum in conſcientia furi reſtituere, ita docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniur. fortun. dub.* 16. *num.* 117. & idipſum tradidit Molina Theologus *tom.* 2. *diſput.* 327. § *ſecunda concluſio, poſt medium*, vbi ponit exemplum in equo, de quo agimus; & addit ſi vſurarius (idem eſt de fure) negotiando cum rebus vſu conſumptibilibus vſura acquiſitis aliquid vlteriùs acquirat comparare dominium illius, & ſolùm teneri reſtituere mutuatario rem ipſam vſura acquiſitam; & inſuper totum lucrum ceſſans, & damnum emergens, ex eo quòd res vſura acquiſita illi non fuerit reſtituta, quod etiam docent D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. & Sotus *lib.* 6. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 4. *concluſione* 2. & Ioannes Medina *de rebus per vſuram acquiſitis, quæſt.* 4. *ad* 4 *principale.* Adrianus *de reſt. in materia de vſura, quæſt occurrunt circa prius dicta, in reſp. ad* 3. Conar. *lib.* 3. *variar. reſolut. cap.* 3. *num.* 6. Panormit. *in cap. nauiganti, de vſuris, num. vltimo.* Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 11. *art.* 4. *concluſione* 6. Angelus *verb. Vſura* 1. *num.* 15. Syluester *verb. Vſura* 6. *quæſt.* 2. & ratio eſt, quia illa negotiatio eſt fructus induſtriæ vſurarij, & ideo dominus rei non poteſt diteſcere ex illa; quia diteſceret ex alieno. Obiectio. Diſſoluitur. Leſſius. Molina. D. Thom. Sotus. Medina. Adrianus. Couarr. Panorm. Gabriel. Angel. Syluester.

12. *Aſſertio tertia.* Statuo tertiò, ſi conculcaſti ſegetem herbeſcentem ligna cædua, vel fructus arboris damnificaſti,

caſti, qui nunc valebant centum, in meſſe tamen, vel tempore, quo colligendi erant, ducentis valituros, non teneris reſtituere ſecundùm illud maius pretium temporis collectionis, nec ſecundùm valorem illius temporis quo illas conculcaſti; ſed ſecundùm aliud arbitrio prudentum æſtimandum. Ratio eſt, quia illa omnia adhuc erant in ſpe, temporum iniuriis, periculis, & infortuniis obnoxia, quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, nec refert quod illos fructus eo pretio dominus vendere noluiſſet; hinc enim non ſequitur damnum eſſe maius, quàm res valebat arbitrio prudentum; ſed ſolùm ſequitur iniuriam eſſe maiorem, & id fieri magis contra domini voluntatem; pro iniuria autem ſecluſa à damno non pecunia, ſed veniæ petitio debetur, Leſſius. & dari ſolet, ſic Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 19. *num.* 135. quæ reſolutio illius eſt contra Sotum *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 6. Sotus. Salon. *art.* 5. & contra Michaelem Salonem *quæſt.* 62. *art.* 4. aſſerentes illum qui ex malitia in ſegete, & in rebus adhuc creſcentibus damnum infert, teneri reſtituere, perinde, ac ſi adultæ eſſent, ſi autem inferant ex mera negligentia, non teneri reſtituere, niſi ſecundùm pretium ſtatus, quem tunc habebant; ſed diſtinctio horum authorum non conducit ad rem præſentem; malitia enim, & culpa non auget damnum; auget tamen peccatum ſecluſum à damno. Vnde huiuſmodi ſegere conculcata, & fructibus damnificatis, facienda eſt reſtitutio arbitrio prudentum, non pro pretio, quod habituri erant tempore meſſis, aut collectionis, quia adhuc fructus erant in ſpe, & temporum infortuniis; & iniuriis obnoxij; & res in ſpe minus valent, quam ſi certò iam poſſideantur, ſed quia re vera certior ſpes erat, quòd plus valituri eſſent illi fructus tempore meſſis, quàm modò valeant tempore, quo conculcati ſunt. ideo prudens arbitrator plus præcipiet reſtitui pro iſta ſpe magis certa, non tamen totum pretium, quod fructus habituri erant tempore collectionis, & hoc prudens Confeſſarius debet attendere.

13. *Aſſertio quarta.* Statuo quartò, ſi triticum, vinum, frumentum, pannus, oleum, aut aliæ huiuſmodi res, quæ nullum habent incrementum ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco, à loco videlicet, à tempore, & à modo. A loco, vt ſi in alium transferantur in quo plus valeant, ibique vendantur à fure. A tempore, vt ſi in aliud ſeruentur, in quo communiter maiorem pretij æſtimationem habere ſolent, frumentum videlicet, in menſem Maij. A modo, vt ſi vinum, oleum, aut panni non ſimul, ſed paulatim, & per minutas vendantur menſuras. tunc equidem ſi huiuſmodi res ab illarum dominis erant ſeruandæ vſque ad illud tempus maioris pretij, aut in illum locum in quo plus valerent transferendæ, aut per minutias vendendæ: tenentur fures reſtitutionem facere ſecundùm æſtimationem loci, temporis, & modi, quo venderentur à dominis, quamuis multo minori pretio illæ à furibus vendantur, aut aliter diſtrahantur, quod intelligendum eſt, ſi res iam non extent: nam ſi extent, in integrum reſtituendæ erunt, cum refectione damni inde domino emergentis, & lucri ceſſantis, vt patet ex dictis *num.* 11. *ad finem*; ſi verò domini non erant ſeruaturi huiuſmodi res vſque ad iſtud tempus, neque in alium locum tranſlaturi, nec per minutias vendituri, ſed ſtatim pretio currenti diſtracturi, non tenentur fures illas reſtituere ſecundùm hoc maius pretium, ſed ſecundùm pretium, quod habuerunt tempore furti, ita Doctores communiter, Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. Leſſius. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 16. *num.* 108. Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 1. *num.* 35. P Nauarra. Couarruuias *in regula Peccatum*, 2. *part.* §. 6. Couarr. *num.* 3. Medina *de reſtit. quæſt.* 6. Syluester *verb.* Medina. Syluester. *Furtum, quæſt.* 16. & *verb. Reſtitut.* 3. *quæſt.* 7. *dicto* 1. & omnes citati *num.* 11. *in fine.* Et ratio ac fundamentum eſt, quia cùm domini res ſuas eſſent diſtracturi tempore illo, loco, & modo, quo maius pretium erant habituræ, clarum eſt iniuſtè eos fuiſſe priuatos à fure toto eo lucro, & emolumento; quare ſine dubio tenentur illud eis aute vllam ſententiam reficere, ac reſarcire. Et aliunde ſi domini non erant vendituri huiuſmodi res ſecundùm illud tempus, & modum maioris æſtimationis, & conſtet quòd illas eſſent vendituri tempore, quo ab illis fuerunt ablatæ, in nullo damnificantur ſi iuxta æſtimationem eius temporis eis reſtitutio fiat, vt patet.

Statuo quintò, ſi res eo tempore in quo erat diſtrahenda à dominis, valuit minus, quàm 14. *Aſſertio quinta.* tempore quo fuit furto ablata, aut à fure vendita, & diſtracta, non tenetur fur reſtitutionem facere domino ſecundùm maius pretium, quo illam vendidit, ſed ſecundùm illud, quod haberet tempore quo à domino re vera erat vendenda, vel aliter diſtrahenda; ſic docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum,* Leſſius. *dubit.* 16. *num.* 103. & Petrus Nauarra citatus *num.* 35. Medina, Couarruuias, & Syluester *numero præcedenti* allegati. Ratio ac fundamentum eſt, quia licèt tempore furti, aut P. Nauarra. Medina. Couar. Syluester. quouis alio tempore intermedio, quo fuit vendita à latrone, & à domino non erat vendenda, ſed in alio ab ipſo domino deſtinato; maius pretium habuerit, tamen cùm in illo à domino non fuiſſet vendenda, ſed alio, in quo minus valuit, & dominus putabat tunc magis valituram; totum illud incrementum eſt per accidens, & reſpectu domini cenſetur inutile, cùm nullum paſſus ſit damnum, imò totum illud lucrum cenſetur fructus induſtriæ reſpectu furis, perinde enim eſt tunc, ac ſi illam rem in alio loco maiori pretio fuiſſet venditurus, in quo à domino non eſſet vendenda: fructus autem propriæ induſtriæ latroni cedunt, non domino rei, vt patet ex *leg.* 1. *C. ſi quis alteri, vel ſibi*, & ex *leg. penultim. C. eodem titulo*, ibi, *Qui aliena pecunia comparat non ei, cuius nummi fuerunt, ſed ſibi tam actio empti, quàm dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio querit*, gloſſa ibi, *quia eſt fructus ſua induſtria, cùm pecunia ex ſe non ſit fructifera.*

Statuo ſextò, ſi non conſtet, quo tempore, aut in quo ſtatu, & pretio res illa eſſet à 15. *Aſſertio ſexta.* domino diſtrahenda, ſiue illa ſit ex iis, quæ habent incrementum ab intrinſeco, vt pullus equinus, aut vitulus creſcens, ſiue ex iis, quæ incrementum habent ab extrinſeco, vt frumentum, vinum, oleum, aut aliæ ſimiles, tenetur fur illam reſtituere ſecundùm illum meliorem ſtatum, & maiorem æſtimationem, ac pretium, quo vendita eſt, ita expreſsè Leſſius *lib.* 2. Leſſius. *cap.* 12. *de iniur. fortun. dub.* 16. *num.* 109. & idem Syluest. videtur tenere Syluester *verb. Furtum, n.* 20. quatenus abſolutè docet teneri furem rem reſtituere

ſecundùm meliorem, & maiorem æſtimationem qua meliùs valuiſſet, ſi fuiſſet apud dominum à tempore quo illam furto abſtulit, & tenet expreſsè *verb. Reſtitutio 7. num. 5. ad finem*, quatenus aſſerit in dubio, quod res apud dominum non periret, etiam ſi pereat apud furem, teneri furem eam integrè reſtituere. Et ratio eſt; quia fortè in eo ſtatu vendi poterat à domino, & melior eſt conditio innocentis, & iure, quàm facto, & iniuſtè poſſidentis, & ideo ſemper debemus propendere in fauorem innocentis. Et pro hac parte facit *cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum*, & quæ notantur à gloſſa *in l. in re furtiua, & in l. nauis ff. de furtis.*

16. *Obiectio.* Dices, non conſtat an in eo ſtatu, tempore, & pretio res à domino eſſet diſtrahenda; ergo detrahenda eſt æſtimatio arbitrio prudentis; illud enim quod eſt incertum, minuit æſtimationem pretij; vnde cùm incertum ſit, an verè damnum illud maioris pretij, & optimi ſtatus latro intulerit, non tenebitur rem illam reſtituere ſecundùm maiorem illam æſtimationem; nemo enim tenetur plus reſtituere, quàm conſtet abſtuliſſe. *Solutio.* Reſpondeo ob hoc argumentum in ſummo rigore loquendo non videri reſtituendam eſſe rem ſecundùm optimum ſtatum in foro conſcientiæ; at quia in omni foro ſemper inclinandum eſt in fauorem innocentis, & iure poſſidentis, non facto, & iniuria, ideo obligandus eſt latro ad hanc ſummam reſtituendam, vbi non apparet, nec ſuppetit maior alia ratio conſtituendæ æqualitatis.

17. *Alia obiectio.* Oppones adhuc; reſtitutio eſt commenſuratio vnius rei certæ ad aliam certam, tantum enim in vna parte ponendum eſt per reſtitutiotionem, quantum ab ea emptum fuit per furti ablationem; vnde cùm non conſtet de certitudine maioris pretij, & æſtimationis, qua dominus rem eſſet venditurus, videtur detrahendam eſſe hanc pretij æſtimationem; quia ad incertum nulla commenſuratio dari poteſt. *Diſſoluitur.* Reſpondeo hanc commenſurationem faciendam eſſe ſecundùm iudicium prudentium: prudentes autem iuxta noſtram doctrinam æſtimabunt, ſemper enim oportet in fauorem innocentis, & læſi domini inclinare, ne latrocinia in Republica foueantur, quamuis etiam non ſit improbabile poſſe in foro conſcientiæ iuſtè detrahi æſtimationem incerti, cùm re vera id quod eſt incertum minuat æſtimationem damni.

18. *Dubium.* Sed inquires, ſi equus, qui furto fuit ablatus, & in poteſtate furis ad valorem ducentorum ducatorum peruenit, & poſtea ſucceſſu temporis deueniat ad valorem centum, extet, an ſatisfaciat fur reſtituendo illud domino in eo ſtatu, quem nunc habet. Hoc dubium pertinet ad *caput* 24. ſed breuiter reſpondeo,

Solutio. Primò, ſi fur illum domino obtulit loco, & tempore habili ad eum recipiendum in eo meliori ſtatu, & dominus noluit recipere, non tenetur fur illum reſtituere ſecundùm valorem quem habuit in illo meliori ſtatu, ſed ſufficiet reſtituere in eo, quem nunc habet, quia per oblationem purgauit moram; mora autem nocet ei per quem fit, iuxta ea quæ diximus *num.* 10. & ita docet expreſsè Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 26. & Syluester *verb. Furtum, quæſt.* 16. *num.* 20. *& verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 7. *dicto* 1. & communiter omnes, & patet ex *leg. in re furtiua, ff de furtis.* Si verò non obtulit, aut culpa furis deuenit ad deteriorem ſtatum, aut ſine culpa furis. Si culpa furis ad eum ſtatum deuenit, tenetur illum reſtituere ſecundùm meliorem ſtatum, non ſecundùm hunc deteriorem, quia culpa nocet ei, per quem fit, ſicut mora etiam nocet; ſi ſine culpa illius, ſed fortuitò, & caſu ad eum ſtatum deteriorem deuenit. Reſpondeo cum diſtinctione, aut enim ſi in poteſtate domini eſſet, ſimiliter, & eo modo ad eum ſtatum ante venditionem deuenturus erat, aut non erat: ſi erat, non tenetur fur illum reſtituere, ſecundùm meliorem ſtatum, ſed ſecundùm deteriorem; ſi non erat, tenetur illum reſtituere ſecundùm meliorem ſtatum, quia culpa ipſius dominus damnificatus eſt, & qui alteri eſt cauſa damni, tenetur illud reſtituere; ita communiter DD. D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 8. *&* 26. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 15. *num.* 92. Petrus Nauarra *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 17. *&* 23. Syluester *verb. Reſtitutio* 7. *quæſt.* 5. Sà *verb. Debitum, num.* 11. Ratio eſt, quia ſi conſtet, quòd ſimiliter erat peritura apud dominum, ante illius venditionem, aut diſtractionem, nullum damnum ei datum fuit, nec lucri ceſſantis, nec damni emergentis, vt ſuppono, & ſi aliquid interim datur, id tenebitur reſtituere: delictum autem furti pœnis legalibus puniendum eſt, non pecuniariis; hæc ratio interim ſufficiat, nam res neceſſariò in diſcuſſionem iterum veniet *in cap.* 20. in dubio autem fauendum eſt innocenti domino, non nocenti furi, vt diximus *à num.* 15. *vſque ad* 17.

Nauarr. Syluester. D.Thom. Nauar. Leſſius. P. Nauarra. Syluester. Sà.

Capvt XVI.

Vtrùm fur & poſſeſſor malæ fidei teneantur in conſcientia omnes fructus perceptos ex re furtiua domino reſtituere, licèt dominus eos ex ea non percepiſſet, & an etiam omnes non perceptos, quos tamen dominus ſi rem haberet percepiſſet.

SVMMARIVM.

Fructus induſtriales, ſeu induſtria, qui ſint, & quales, num. 1, *& cap.* 19. *à num.* 15. *vſque ad* 17.

Fructus merè reales, & naturales qui. num. 2.

Fructus mixti partim induſtriales, partim naturales, qui, & quales, num. 3. *&* 4. *& cap.* 19. *à num.* 15.

Quid nomine fructuum intelligatur, & an ſoli ſint, qui remanent deductis omnibus expenſis & æſtimatione laboris, & induſtria. num. 5.

An fur, & malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere omnes fructus à ſe perceptos, quos dominus non percepiſſet; & an omnes, qui percipi poterant, ſiue percepti à ſe fuerint, & percipiendi eſſent à domino, ſiue non, num. 6. *& capite* 20. *à numero* 25.

Quid

Quid ſi fur nullos fructus percepit, & dubitatur, an dominus aliquos percepturus eſſet, numero 8.

An in foro ſoli, & de iure Luſitano reſtituere teneatur latro, aut malæ fidei poſſeſſor omnes fructus; quos dominus percepiſſet, ipſe tamen latro aut malæ fidei poſſeſſor non percepit, an ſolùm eos teneatur reſtituere, quos ipſe percepit, ſiue dominus illos percepturus eſſet, ſiue non, numero 9.

Quid ſit poſſeſſor malæ fidei violentus, & non violentus, habens & non habens titulum, numero 10.

Quid de fructibus perceptis ex re fructifera de iure Luſitano quando res fuit vendita infra dimidium iuſti pretij. num. 11.

Quid ſi vſurarius, vel fur agrum furtiuum infrugiferum frugiferum reddant ſuis expenſis, an teneantur illum agrum reſtituere cum omnibus fructibus perceptis. num. 12. 13. & 14.

Quid ſi fructus iam non exſtent, ſed mala fide conſumpti ſint. num. 15. & 16.

Si fur, aut malæ fidei poſſeſſor negotientur cum rebus furtiuis vſu conſumptibilibus, vt eum pecunia, vino, oleo, comparant dominium lucri, & ſolùm tenentur reſtituere dominis illarum res, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, num. 17.

Si depoſitarius prædium emat pecunia aliena apud ſe depoſita, fructus prædij ad depoſitarium ſpectant, non ad dominum pecuniæ, & ſolùm tenetur illam domino reſtituere, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, numero 18.

Quid de fure, qui pecunia furtiua negotiatur, num. 19.

Quid de fure, qui equum furtiuum, torquem aureum, vel catenam non ſolitam à domino pro pretio elocari, ſi illa elocet. num. 20.

An fur, qui equum furtiuum vendidit, comparet dominium illius pretij. num. 21.

An creditor, & qui rem oppignoratam habet, ſi pro pretio elocent, comparent dominium illius lucri, an cedat domino ipſius rei, num. 22. 23. & 24.

In quo diſtinguatur poſſeſſor bonæ fidei, à malæ fidei poſſeſſore quoad fructuum poſſeſſionem rei furto ablatæ, vel iniuſtè retentæ. num. 25.

1. *Fructus triplex. Induſtria.* NOTABIS primò, fructus eſſe in triplici differentia, aut enim ſunt fructus rerum, quæ vſu conſumuntur, vt fructus pecuniæ, equi, veſtium, tritici, olei, rerumque vtenſilium, vt torquis aurei, inſtrumentorum alicuius artis, officij ve mechanici, aut liberalis; & hi ſunt, & vocantur fructus meræ induſtriæ, inſtar eorum, qui percipiuntur ex negotiatione pecuniæ furtiuæ; tum quia huiuſmodi res non ſunt ex ſe fructiferæ, ſed ex hominum induſtria; tum quia accipere poſſunt functionem in genere ſuo; hoc eſt, poteſt res vna fungi vicem alterius, cùm ſufficienter ſoluantur huiuſmodi res reddendo vnam pro alia, v. c. reddendo vinum pro vino, oleum pro oleo, triticum pro tritico, pecuniam pro pecunia, veſtem pro veſte, torquem pro torque. Eiuſdem bonitatis, & valoris, vt probat Molina Theologus *tom. 2. diſputat.* 327. & patet ex *leg. ſecunda*, §. *mutui*, *ff. ſi certum petatur.*

Quid ſit poſſe res ſuſcipere functionem pro munere ſuo. — Molin.

Aut ſunt fructus merè reales, & naturales, vt ſunt fructus pratorum, ſyluarum, arborum; quos nulla cultura terra profert, nulla hominum induſtria & labore. 2. *Reales, & naturales.*

Aut ſunt fructus mixti, & rerum, quæ vſu non conſumuntur, & vocantur mixti, quia partim ſunt reales, & naturales, partim induſtriales; vt fructus agrorum, vinearum, qui mediante hominum cultura, & induſtria à terra producuntur, item fructus earum rerum, quæ communiter locantur, vt mancipiorum, domorum, & ſimilium; pretium enim iſtarum rerum eſt inſtar fructuum, quos huiuſmodi res dominis ſuis mediante illorum induſtria pariunt, vt vult Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 17. num.* 110. huiuſmodi autem fructus non ſuſcipiunt functionem in genere ſuo, communiter loquendo, quia difficilè in ſolutione vnum pro alio, v. c. equus pro equo, mancipium pro mancipio, domus pro domo eiuſdem bonitatis, æſtimationis, & commoditatis dabitur, vt docet Molina *allegatus.* 3. *Mixti.* — Leſſius. — Molina.

Quando autem fructus dicantur merè induſtriales, aut partim naturales, partim induſtriales, arbitrio prudentis committitur, qui id inſpectis circumſtantiis iudicabit. nam iam hodie quia veſtes, & torques aurei, & annuli communiter locari ſolent, fructus harum rerum mixti dicentur, quemadmodum & fructus equorum, & ideo Leſſius *lib. 2. cap. 20. de mutuo, & vſura, dub. 18. num.* 155. iam illas numerat inter res, quæ vſu non conſumuntur; quod autem totum hoc negotium arbitrio prudentis committatur, docet Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 3. num. 6. in fine*, & Abbas *in cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum, cap. 6. num.* 15. vbi de hac re redibit ſermo. 4. — Leſſius. — Couarr. Abbas.

Notabis ſecundò, per fructus intelligi illos, qui ſuperſunt deductis omnibus expenſis; quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum ipſorum fructuum, tam vtilibus, quàm neceſſariis, inter quas expenſas computatur etiam iuſtum præmium pro labore, & induſtria appoſita. Vnde quando res cum omnibus fructibus ex ea perceptis reſtituenda eſt, ſiue à bonæ, ſiue à malæ fidei poſſeſſore, hæc omnia deducenda ſunt, vt affirmat communis Doctorum ſententia, quam tradunt Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 246. §. Quando autem res.* Couarruuias *lib. 1. variar. reſolutionum, cap. 3. n.* 3. Gregorius Lopez *lib. 4. num. 3. tit. 14. part. 6.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 17. à num. 111. vſque ad* 118. gloſſa *in cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum, verb. Fructus*, & alij communiter. 5. *Fructus ſunt illi, qui remanent deductis expenſis.* — Couarr. — Lopez. Leſſius.

Solùm tamen ex decimis prædialibus expenſæ non deducuntur, quia decimarum fructus integri nullis deductis expenſis ad Eccleſiam pertinent, vt latè probauimus in noſtro primo tomo in quinque præcepta Sanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de decimis, & præmiſſis. *In fructibus decimarum non deducuntur expenſæ.*

Neque etiam expenſæ deducendæ ſunt quando quis prædia alicui locat cum pacto, vt certam fructuum quotam ſoluat; quia ibi quaſi contractus ſocietatis initur, vt vnus prædia ponat, alius verò ſumptus, & induſtriam & fructus omnes perceptos inter ſe diuidant, vt optimè animaduertit Molina *allegatus,*

Lopez.

gatus, & Gregorius Lopez item *citatus*, cum multis, quos *ibidem* refert ac ſequitur. His notatis,

Fur, & malæ fidei poſſeſſor an teneantur de reſtitutione

Aſſertio prima.

6. Statuo primò, ſi loquamur de rebus, quæ vſu non conſumuntur, & quæ communiter locari ſolent, vt ſunt agri, prædia, ædes, vineæ, prata, ſyluæ, & aliæ communes, quæ fructus merè reales & naturales, vel partim reales, partim induſtriales, producunt, tenetur in foro conſcientiæ fur, (idem de quocumque poſſeſſore malæ fidei, ſiue titulum habeat, ſiue non habeat) non ſolùm reſtituere ipſas res furtiuas, ſed etiam omnes fructus perceptos ex iiſdem rebus, quos ipſe ſingulari ſua induſtria percepit, quamuis illos dominus ex mera ſua negligentia non percepiſſet, & fructus etiam ob ſuam negligentiam non perceptos, quos tamen dominus ſingulari ſua diligentia, & induſtria licitè, & non illicitè percepiſſet, ſi res ſub illo fuiſſet; deductis omnibus expenſis, & iuſta æſtimatione laboris, & induſtriæ, vt *numero præcedenti* diximus, non teneri tamen reſtituere eos fructus, quos nec ipſe fecit, nec dominus erat facturus, licèt alioquin abſolutè fieri potuiſſent, ſi res ſub alio fuiſſet. Ita communiter Doctores, Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 17. à num. 111. vſque ad* 118. Molin. Theolog. *tom. 2. de iuſt. diſput.* 327 *concluſione* 1. loquens de vſurario (ſed idem eſt de fure) Sotus *lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. concluſione* 2. Maior. *in 4. diſt. 15. quæſt. 27. & 28.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. à num. 39.* Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt. 9. & verb. Furtum, quæſt.* 16. & idem dicemus infrà *cap. 26. num. 26.* vbi id latè probabimus, & patet expreſsè ex *cap. grauis, de reſt ſpoliatorum*, ibi, *Non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis iiſdem.* Et ex *Inſtit. de offic. iudic.* §. 1. & ex gloſſa *in l. ſi fundum, C. de rei vendicat.* & ex *l. cùm Prætor, ff de verborum ſignificat.* Probatur facilè rationibus,

Leſſius.

Molina.

Sotus.

Maior.

P. Nauarra.

Syluester.

Primò, quia fures, vſurarij, & malæ fidei poſſeſſores, non acquirunt dominium earum rerum, quæ vſu non conſumuntur, vt præter allegatos docet optimè Couarr. *lib. 4. variar. reſolut. cap. 3. num. 6.* Syluester *verb. Vſura* 6. *num* 1. & Peres *lib. 1. titulo 5. Ordinam pag.* 126. Molin. *tom. 2. de iuſt. diſp. 316 num. 4.* Rebellus *de obligat. iuſt. part. 2. lib 8. quæſt.* 14. Caldas *quæſt forenſ. in comment. ad legem vnicam, C. ex delict. defunct. part. 4. num. 6.* ergo nec fructum earum; ergo neceſſariò tenentur eos domino reſtituere, nam dominium fructuum ad eum ſpectat, ad quem ſpectat dominium vtile rei fructiferæ, quæ fructus parit.

Couarr.

Syluest.

Molina.

Peres.

Rebell.

Cald.

Secundò, quia fur retinendo rem iniuſtè, iniuſtè impedit ne dominus illius eos fructus percipiat, quos re vera ſingulari ſua induſtria erat percepturus, ſi illam poſſideret; ergo etiam hos fructus tenetur reſtituere, quamuis fur eos non percepiſſet, nam qui alteri iniquè, & per iniuriam eſt cauſa efficax damni emergentis, aut lucri ceſſantis, tenetur illud ei reficere, cùm teneatur ad omne intereſſe.

Tertiò, quia ſi latro aliquos percepit ſingulari ſua induſtria, quos dominus ex negligentia ſua non percepiſſet, ij non poſſunt pertinere ad illum, ſed ad dominum, quia dominus, & non fur habebat dominium rei fructiferæ, res autem quæ fructificat, domino ſuo fructificat, non alteri.

Non tenetur tamen fur, neque vſurarius, aut alius malæ fidei poſſeſſor, reſtituere eos fructus, quos nec ipſe percepit, nec dominus percepiſſet, licèt alioquin, abſolutè loquendo, ſi res fuiſſet ab aliis poſſeſſa, ab illis percipi potuiſſent, quia re vera nullum damnum tunc dedit, vt patet, vnde non tenetur ratione intereſſe lucri ceſſantis, quia nullum lucrum domino rei ceſſauit, nec damni emergentis, quia nullum damnum etiam domino emerſit, nec ratione rei acceptæ, quia nullos fructus accepit fur; nec ratione iniuſtæ retentionis rei, quia, vt ſupponimus, non fuiſſet fructifera apud dominum, & ideo toto eo tempore inutiliter eam poſſideret; ergo, ex nullo capite tenetur. 7.

Si tamen dubitatur, an dominus aliquos fructus eſſet percepturus, iam dixi *in capite præcedenti à numero 15. vſque ad* 17. vtrumque eſſe probabile in foro conſcientiæ, teneri ſcilicet, & non teneri eos integros reſtituere, ac ſi dominus rei eos percepturus fuiſſet; ſed quia in re dubia ſemper fauendum eſt innocenti, ideo probabilius eſt in hoc dubio obligandos eſſe malæ fidei poſſeſſores ad horum fructuum reſtitutionem; melior enim eſt conditio poſſidentis de iure, & innocentis domini, quàm latronis de iure non poſſidentis; quamuis de facto per iniuriam domini rem poſſideat, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 16. num.* 109. 8.

Leſſius.

Aliquid tamen minuendum eſt in hoc conſcientiæ foro arbitrio prudentis, ratione dubij tantùm, videlicet, quanti hæc probabilitas dubij æſtimatur, quia res incerta minuit pretium, plus enim valet id quod certò percepturi ſumus, quàm quod dubium eſt, an percepturi ſimus.

Hæc de foro conſcientiæ, nam de foro iudiciali, & externo, licèt Leonardus Leſſius, & Syluester *verb. Furtum, num. 20.* aſſerant ſemper inclinandum eſſe in fauorem innocentis domini, & obligandum furem, vſurarium, & iniuſtum poſſeſſorem ad reſtitutionem omnium fructuum, qui abſolutè percipi potuiſſent; tamen id non poteſt militare in omni malæ fidei poſſeſſore, & in iis, qui titulum aliquem ſaltem coloratum habent. Et ideo noſtræ Ordinationes nouæ Luſitaniæ *lib. 4. titulo 13. §. 10.* loquens de diſtractu venditionis propter læſionem enormiſſimam, aſſerunt reſtituendam eſſe rem, reddito pretio cum omnibus fructibus perceptis à tempore venditionis. Vbi notandum eſt verbum illud, *perceptis*, in quo ſignificatur ſolùm fructus perceptos eſſe reſtituendos, non qui percipi poterant, vel à domino rei, vel ab ipſo emptore, vel à quocumque alio poſſeſſore, ſub quo res eſſe poterat. Cùm enim Ordinationes loquantur ſolùm de fructibus ab emptore perceptis, & non de illis, qui percipi potuiſſent ab ipſo emptore, vel à domino rei, vel à quocumque alio poſſeſſore ſub quo res fuiſſet; perceptos duntaxat voluit reſtitui, & nullos alios, & tamen conſtat emptorem, rei in cuius venditione data fuit enormiſſima læſio, præſumi in iure poſſeſſorem malæ fidei; quia talis venditio habet præſumptum dolum, iuxta *leg. omnes, §. Lucius, ff. quæ in fraudem credit.* 9.

Quid in foro iudicij dicendum.

Leſſius.

Syluest.

Quos fructus rei fructiferæ de iure Luſitano teneatur malæ fidei poſſeſſor reſtituere.

Emptor rei in cuius venditione data fuit enormiſſima læſio, præſumitur malæ fidei poſſeſſor.

&

Decius. Gama. *& l. ſi ſuperſtite, C. de dolo*, & docet Decius *conſilio* 180. *num.*6. & Gama *deciſione* 24. *num.*2. vbi dicit in Senatu Luſitaniæ ſæpe iudicatum fuiſſe, vt ſolùm fructus percepti reſtituerentur, & non qui percipi potuiſſent, ſiue ab ipſo emptore, ſiue à domino rei enormiſſimè læſo, ſiuè à quocumque alio, ſub quo res eſſe potuiſſet.

10. *Quid ſi poſſeſſor violentus & non violentus habens vel non habens titulum.* Quare Doctores diſtinguunt inter poſſeſſores malæ fidei habentes titulum, & non habentes titulum, ſeu inter poſſeſſores violentos, & non violentos; & violentos appellant illos, qui nullum titulum habent emptionis, venditionis, permutationis, donationis, legati, hæredationis, aut quemquam alium verum, ſed coloratum, ſed à principio rem ſine titulo per iniuriam, & violentiam occuparunt, quales ſunt fures, & vſuratij; non violentos autem appellant illos, qui titulum aliquem habent verum, vel coloratum, qualem habet emptor rei, in qua data fuit læſio enormiſſima, & de poſſeſſoribus violentis, ſeu titulum non habentibus, dicunt teneri eos non ſolùm reſtituere fructus à ſe perceptos, ſed etiam eos, quos veri domini poterant percipere, ſi rem poſſiderent, ſiue illos ipſi violenti & malæ fidei poſſeſſores titulum non habentes percipiant, ſiue non percipiant; de non violentis verò, ſeu de titulum habentibus, dicunt teneri illos tantùm fructus reſtituere, qui probantur ab eis fuiſſe perceptos; ſiue extent, ſiue non extent, quæ doctrina vera eſt, & eam tradit gloſſa *in cap. grauis, de reſtitut. ſpoliatorum, in verb. Fructus*, illamque probabimus *in cap.* 20. *num.* 23. vbi hac de re latiùs agemus, & conſtat expreſsè ex eodem capite *grauis*, vbi loquens cum iudicibus de poſſeſſoribus violentis ſic ait: *Non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore perceptos; ſed quos (ſi eis eas res poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent reddi faciatis iiſdem*; paterque etiam ex *Inſtit. de officio iudic.* §. 1. *& ex leg.* 1. *& ex leg. cum Prætor, ff. de verborum ſignific.*

11. *Quid de fructibus perceptis ex re fructifera vendita infra dimidiũ iuſti pretij.* Loquens verò noſtrum ius Luſitanum *dicto lib.* 4. *titulo* 13. §. 10. de fructibus perceptis ex re fructifera vendita infra dimidium minoris pretij ſolùm præcipit, ſi de retractu in iudicio agatur, vt res reſtituatur, reddito pretio cum omnibus fructibus perceptis, non à tempore venditionis, vt præceperat de venditione, in qua læſio fuit enormiſſima, ſed à tempore litis conteſtatæ, quia ex tunc ſolùm cenſetur emptor, Gama. poſſeſſor malæ fidei, vt probat Gama 1. *part. deciſ.* 94. *num.* 1. & patet ex *l.* 1. *C. de petit. hæred. & ex l. ſi fundum, ff. de rei vend.* poſt Pinellum quem citat.

12. *Quid ſi fur agrum furtiuum infructiferum reddat ſuis expenſis.* Sed quid ſi fur, aut malæ fidei poſſeſſor rem, vel agrum infructiferum accipiant, & ſuis melioramentis, & expenſis fructiferum reddant, cuius erunt fructus melioramentorum, & ad quem pertinebunt? Partita eſt opinio.

Opinio prima. Prima docet pertinere ad furem, & malæ fidei poſſeſſorem.

Primò, quia ipſi fructus ſunt fructus melioramentorum: melioramenta autem, quæ ipſe latro fecit ſuis expenſis, ſunt illius, & non ſunt domini ipſius rei, & ſunt fructus induſtriæ latronis; induſtria autem ſuo authori prodeſſe debet, non alteri.

Secundò, quia dominus rei non eſſet ea melioramenta facturus ex defectu pecuniæ, ac proinde nullos fructus erat ex illa re ſic meliorata percepturus; quare videntur huiuſmodi fructus ad latronem rem meliorantem fructiferámque reddentem pertinere; & pro hac opinione pugnant omnes quos citauimus *in cap.* 20. *num.* 29. vbi illam latiùs explicabimus, & pro illa facit ex parte *lex cæterùm, ff. de rei vendicat.* ibi, *Cæterùm de fructibus ſerui petiti, cùm quæritur, improbè, inquit Paulus, deſiderabit petitor ſerui fructus æſtimari, qui ex artificio eius percipi potuerunt.* Et caſus ſic figuratur: Petrus furatus fuit à Paulo ſeruum, quem ipſe Petrus ſuis expenſis artificem fecit: illo autem meliorato, & artifice facto, nihil ex melioramento acquiſiuit; poſtea Paulus repetiit in iudicio à Petro ſuum ſeruum cum omnibus fructibus, quos poterat hoc artificio acquirere, ſi ſic melioratus poſſideretur à domino, licèt Petrus nullos ex illo meliorato acquiſierit, & interrogatus hac de re Paulus iuris conſultus reſpondit, *Improbè peti huiuſmodi fructus à domino ſerui*; quare videtur definire iniuſtè illos peti, ac proinde fructus illos ad ipſum poſſeſſorem malæ fidei ſeruum meliorantem pertinere, non ad dominum ſerui, & ex hoc principio in hac lege fundatus videtur tenere Couarruuias *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 8. *num.* 4. poſt multos quos allegat fructus ex melioramentis perceptis ad meliorantes pertinere, non ad dominos rei melioratæ, & dicit hanc opinionem eſſe fundatam in æquitate quadam naturali. Couar.

13. Verùm illud aduerbium *improbè*, accipiendum eſt pro *inciuiliter*, & *inurbanè*, non pro *iniuſtè*, vt idem etiam Couarruuias citatus explicat: quamobrem in foro externo dicendum eſt, ſi poſſeſſor ſerui nullum titulum habebat ad illum poſſidendum, teneri reſtituere ſeruum cum omnibus fructibus, quos ex illo ſic meliorato percepit, & quos dominus percepiſſet, ſi eum ſic melioratum poſſideret, licèt nullos poſſeſſor malæ fidei non perceperit; vnde ſi exiguos ipſe percepit, & maiores dominus perciperet, maiores tenetur reſtituere; de fructibus verò, qui abſolutè percipi potuiſſent, dicam infrà *cap.* 20. *num.* 26. ſi verò titulum aliquem ad illum poſſidendum habebat, ſiue verum, ſiue coloratum, dicendum eſt, ſolùm teneri fructus ex ſeruo meliorato perceptos, cum ſeruo reſtituere, & ſi nullos percepit, nullos teneri reſtituere, iuxta doctrinam hactenus traditam, & tradendam infrà *capit.* 20. *numero* 23.

In foro verò conſcientiæ dicendum eſt poſſeſſores malæ fidei ſiue titulum habeant, ſiue non habeant, teneri reſtituere rem melioratam cum omnibus fructibus non ſolùm quos ipſi perceperunt, etiamſi dominus non percepiſſet, ſed etiam, quos dominus rei ex illa apud ſe habita percepiſſet, etiam ſi poſſeſſores malæ fidei nullos perceperint; non teneri verò ad illos, quos nec ipſi perceperunt, nec dominus percepiſſet; percepiſſet autem abſolutè quiuis alius poſſeſſor, ſi ſub illo eſſet, & in hoc quoad poſſeſſorem malæ fidei nullum titulum habentem concordat vterque forus tam ſoli, quàm poli, & ſic docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 327. *concluſ.* 1. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 17. *à num.* 113. vſque D.Thom. Molina. Leſſius.

cùm primùm ſciuerit completam eſſe in omnibus notabilem quantitatem; quia etſi quando acceperunt, non damnificarunt notabiliter; quia ſinguli ſingulorum furtiola ignorabant; at modò, cùm ſciant, damnum eſſe notabile datum, æquè damnificant; ergo etiam quando à principio ſciebant damnum dari notabile, peccabunt tantùm venialiter ſinguli ſingula minima furando; at tenebuntur ſub mortali ad ea minima reſtituenda.

Verùm hæc vltima ratio iugulat totum fundamentum huius opinionis; nam, vt bene inferret, debebat ita inferre; ergo etiam quando à principio ſinguli à ſingulis damnum notabiliter dari ſciebant, peccabunt mortaliter, ſuum modicum accipiendo, furandòque.

6. *Opinio tertia.* Tertia opinio docet neminem horum peccare mortaliter tam in accipiendo, quàm in retinendo, ſeu non reſtituendo; ſed eorum ſingulos eſſe pares in eo quòd tam in accipiendo, quàm in non reſtituendo ſua minima venialiter tantùm peccant, & pares eſſe in omnibus illis, qui ea minima acceperunt, quando alij alios ignorabant, qui venialiter tantùm peccant, tam in acceptione, quàm in retentione, vt diximus *num.* 3. Hanc opinionem defendunt Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 22. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 12. *de iniur fortun. dub.* 9. *num.* 52. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. *columna* 10. *verſ. arguitur autem*; vbi expreſsè ait nullum accipientem peccaſſe mortaliter quando ſinguli alij alios non ignorantes modica acceperunt, ex quibus furtis tota vinea deuaſtata eſt, nec teneri poſtea ſub mortali, niſi iubeantur damnum reſtituere poſt excommunicationem; & idem tenet etiam Barthol. Medina t. 2. *quæſt.* 88. *art.* 4. *ad* 3. & Salon 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. *controuerſ.* 2. §. *de participante*, & alij, quos tacito nomine refert Nauarra *lib.* 3. *de reſt.* 1. *pars. cap.* 1. *in noua editione, dub.* 4. *num.* 49. Probatur facilè

Sanchez. Leſſius. Sotus. Medina. Salon. P. Nauar.

Primò, quia quilibet eorum infert minimum damnum; ergo ex hoc capite non peccat mortaliter, & quamuis ſciat alios minima etiam furari; tamen nemini illorum eſt cauſa, aut occaſio furandi per hanc ſcientiam; ergo ex eo quòd alij furentur, illius peccatum non augetur. nam præter illius intentionem eſt, vt furtiola eorum eum ſuo coniungatur, imò & præter illius intentionem eſt, vt alij etiam furentur, ne in magna quantitate dominus lædatur, nec conſentit in totum damnum, quin potiùs ei diſplicet vehementer, & ex animo illud deteſtatur.

Secundò, quia alioquin ferè ſemper omnes viam tranſeuntes, & vuarum racemos colligentes furantéſque damnandi ſunt tanquàm peccati mortalis rei, cùm omnes veroſimiliter ſciant alios etiam furati minima ſimiliter. Vnde ſi aliorum furta coaleſcunt, in vnum notabile damnum ratione ſcientiæ, hæc etiam coaleſcent. At quis hoc dicet? Profectò nullus prudens Confeſſarius fatentem ſibi racemulum tranſeundo abſtuliſſe, interrogat, an norit alios ſimiliter furatos fuiſſe.

Tertiò, quia alioquin ſciens alium furatum fuiſſe decem, ſi furaretur vnum quo compleretur quantitas mortalis, infinitè grauius peccaret, quàm ille; at quis hoc credet. Tandem, quia ſcientia vnius, non eſt cauſa furti alterius, ſed tantùm ſui; quod leue eſt, vnde cùm ſcientia vnius non ſit cauſa, nec occaſio furandi, nec damnificandi, aut detrimentum magnum patiendi, non eſt cur ob hanc ſcientiam illum ad æternam mortem condemnemus.

Ex his tribus opinionibus, prima, & ſecunda ſunt ſatis probabiles; tertia tamen in omnibus, meo iudicio, probabilior, & huic adhæreo, quamuis prima ſit communior, ſed illius fundamenta non ſunt admodum ſolida; nec illam meo iudicio probant. 7. *Soluuntur argumenta primæ opinionis.*

Ad primum dico ſcientiam aliorum non eſſe cauſam, vt omnes cooperentur ad damnum notabile inferendum: non enim ſcientia vnius influit in alium; ſed eſſe tantùm cauſam ob quam omnes ſciant proximum notabiliter fuiſſe damnificatum, vnde cùm alij præter intentionem iſtius furentur, qui id non approbat, nec laudat, imò ex animo refugit, ac deteſtatur, per accidens eſt, quòd eueniat furtum aliorum, neque per ſuum complet notabilem quantitatem, cùm iam ſit completa; nec illo ceſſante, reſtituto aliorum ceſſat, vt patet, & ideo ſimiliter falſum eſt quod hîc ſit cauſa partialis damni notabilis influens in alios, ſed tantùm cauſa partialis negatiua; quatenus eſt cauſa ſui minimi, non aliorum.

Ad ſecundum concedo nullum peccare lethaliter, & ideo nec etiam teneri ad reſtitutionem ſub mortali; ſed tantùm ſub veniali, & ſatis eſſe teneri vnumquemque ad ſuum minimum ſub veniali, nec dominus rei furatæ maneat grauiter abſque reſtitutione læſus.

Ad tertium dico non eſſe inconueniens vineam alterius eſſe omnino deuaſtatam, & nullum peccaſſe mortaliter, nec teneri ad reſtitutionem ſub mortali, ſuppoſito quòd hoc damnum notabile nullo furtiolo compleatur in ratione damni mortalis, nec reſtitutione illius reſarciatur.

Ad quartum iam manet ſatisfactum, ſcientia enim, & aduertentia ad damnum magnum vnius non influit in alios, vt damnum grauius inferant; ſed potiùs in cauſa erit, vt grauiter quis compatiatur, & doleat quod tam graue ab aliis inferatur. Fundamenta ſecundæ opinionis ſoluta iam manent, ſi quæ tamen tricæ manſerunt, ex ſolutionibus huius ſecundæ diſſoluentur.

Veniamus ad excommunicationes, quæ feruntur in deuaſtantes vineas, pomaria, defenſas, & hortos. Inquireſque, an comprehendat eos, qui minima furati ſunt, non vt vna cauſa, ſed abſque ſcientia, & abſque cooperatione aliorum: nam de reliquis, ſiue de illis, qui communicato conſilio damnum per minima dederunt, certum eſt comprehendi in prædicta excommunicatione, cùm vnuſquiſque illorum peccet mortaliter in accipiendo; & mortaliter etiam in non reſtituendo, vti diximus *num.* 2. Idem dicendum eſt in opinione illorum, qui dicunt ſingulos peccare mortaliter accipiendo minima, & ſub mortali teneri ad reſtitutionem ſuorum minimorum, quando alij aliorum non erant ignari iuxta opinionem magis communem, quam explicauimus *num.* 4. cùm illi omnes, & ſinguli furando minima, & non reſtituendo illa mortaliter peccent, & excommunicatio non niſi ob peccatum mortale ferri poſſit, clarum eſt omnes, & ſingulos illorum prædicta excommunicatione comprehendi. 8. *De excommunicationibus quæ feruntur in deuaſtantes vineas, pomaria, &c.*

Tota ergo difficultas eſt, an comprehendantur in illa, quando à principio nullus aliorum conſcius erat de damno per alios dato. Et ſimile dubium eſt, an comprehendantur in illa noſtra opinione *num.* 5. explicata, quam tanquam probabiliorem, & probauimus, & ſecuti ſumus; quæ docet 9. *Difficultas.*

docet etiam quando alij aliorum conſcij erant, nullum peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter, ſiue in acceptione, ſiue in retentione, & non reſtitutione prædictorum minimorum. Et verò in vtraque opinione & caſu, reſpondent multi omnes illos & ſingulos illorum ligari,& comprehendi hac excommunicatione,& teneri poſt illam reſtituere ſub mortali ſua minima,quia,vt excommunicatio liget, ſufficit, quòd pro iuſta cauſa, & notabili damno in ſe conſiderato feratur, licèt ignoretur perſona quæ illud intulit; hîc autem dari iuſtam cauſam ferendi hanc excommunicationem ratione damni notabilis ex furtis minimis conſurgentis, certum eſt. ita docet Sotus *in 4. diſt 22.quæſt.1.art.2.col.10.verſ.arguitur, & lib 4. de iuſt. q.7. art.3.col.6. verſ. Dubium autem.* Barth. Medina 1.2. *quæſt.*88. *art.*4. *ad finem, in ſolutione ad* 3. Salon.2.2.*quæſt.*62.*art.*7.*controuerſ.*1.§. *De participante.* Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*12. *dub.*9. *num.*54.§. *Reſpondeo,*limitant tamen Sotus citatus, & Sayrus *lib.* 1. *de cenſuris,cap.*9.*num.*10. niſi tam paruulum eſſet furtum alicuius, vt pro nihilo reputaretur. Vnde apertè ſentiunt hi authores ratione tantùm ſolius præcepti Prælati præcipientis teneri hos ſub mortali peccato ad hanc reſtitutionem,id quod expreſsè affirmat Leonardus Leſſius *dicto num.* 54. & ad ferendum hoc præceptum ſub excommunicatione ſufficere cauſam iuſtam, & rationabilem, qualis eſt cauſa damni notabilis, quod dominus rei patitur quando per minima grauiter damnificatur, ſicut iuſſi adeſſe ſub excommunicatione publicis ſupplicationibus, vel confluere ad templum gratia edicti inquiſitorum fidei audiendi, mortaliter peccant,non confluendo, & lata innodantur cenſura, niſi confluant, cùm tamen ſecluſo eo præcepto ad id minimè teneantur.

Refertur primum opinio. — Sotus. — Medina. Salon. Leſſius. Sotus. Sayrus.

10. *Refertur opinio ſecunda.* Alij reſpondent, omnes, qui nec accipiendo, nec retinendo mortiferè peccarunt, non ligari de facto hac excommunicatione ſic generaliter lata; quia excommunicatio lata contra furantes, eos ſolùm comprehendit,ac ligat, qui ante excommunicationem tenentur ſub mortali reſtituere, & ita docet Nauarr. *in cap. inter verba, in noua editione, concluſione 6. corollario 10. num.*54. *& in ſumma Latina, & Hiſpanica, in Latina, cap.*17. *num.*4. *in Hiſpanica, cap.*27. *num.*9. *& in cap. finali,num.*12. *&* 14.*quæſt.*6. hanc partem etiam tenet Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *part.* 1. *in noua editione, dub.*7.*num.*64. *&* 65. & Sanchez *tom.*2.*Decal.cap.*21.*num.*28.

Nauarr. — P Nauarra. Sanchez.

11. Quamuis verò de facto non ligentur prædicta excommunicatione, aſſerunt tamen poſſe Eccleſiam decernere talem excommunicationem, qua ligentur hi,qui nec in accipiendo,nec in retinendo mortaliter deliquerint minima furantes, & id docet etiam Soar.*tom.*5. *de cenſuris, diſp.*20 *ſect.*6. & Nauarra *modò allegatus*, & addit Soarius hoc eſſe verum,etiamſi præceptum Prælati Eccleſiaſtici non innitatur obligationi iuſtitiæ commutatiuæ,ratione cuius velit obligare ad reſtitutionem ſub excommunicatione, quia cùm hæc non obliget tunc ſub mortali ad reſtituendum,nec Superior Eccleſiaſticus poteſt intra latitudinem huius virtutis adiungere eam obligationem his,aut illis minima furantibus, eo quòd materia non ſit illius capax, ſed oportere,vt peculiare obedientiæ præceptum addat. Ad hanc verò obedientiam iuſtè imponendum ait requiri, vt interueniat aliqua ſpiritualis cauſa, & ratio, quam per ſe reſpiciat Prælatus ſpiritualis, eaque adeò grauis, vt ſatis ſit ad grauem, & mortalem obligationem inducendam, vt ſi iudicet expedire ad communem Reipublicæ tranquillitatem, & ad vitanda peccata in Repub. Chriſtiana, vel ad ſpirituale damnum illius, aduerſùs quem hæc excommunicatio fertur.

12. *Quid tenendum ſit.* Nihilominùs opinio Soti, & Leſſij. & eorum, quos *num.*9. retulimus, eſt valdè probabilis, propter illius fundamenta, & ex eo quòd talis excommunicatio fuit lata pro tota illa damnificatione notabili, ne grauiter læſus quis maneat, & ſufficit quòd poteſtas ſpiritualis, ſeu Prælatus hoc damnum conſideret iniuſtè ab aliis illatum, vt illud iubeat reſarcire per excommunicationem.

Obiectio. Dices,Prælati non habent, nec habere poſſunt voluntatem & intentionem excommunicandi,niſi ſecundùm formam iuris forma autem iuris eſt, vt non niſi ob peccatum mortale commiſſum ab eo contra quem fertur excommunicatio,illa feratur, vnde cùm nulli illorum peccauerint mortaliter iniuſtè, & contra formam iuris lata, ac proinde nulla erit talis excommunicatio. *Solutio.* Reſpondeo formam iuris eſſe,vt non feratur excommunicatio propter damnum leue, ſed propter damnum graue, abſolutè loquendo, vnde cùm conſtet iudici proximum grauiter fuiſſe damnificatum, iuſtè poteſt ferre talem excommunicationem aduerſùs damnificatores, ſiue illi peccauerint mortaliter,ſiue venialiter tantùm in damnificando,nam cauſa,& ratio excommunicationis nó innititur in peccato iſtius, aut illius hominis,ſed in materia graui,& damno graui,quod de ſe concernit graue periculum conſcientiæ, licèt per accidens, eo quòd datum ſit per minima illud periculum in hoc, vel in illo minima furante non detur; ſufficit enim quòd materia ob quam fertur excommunicatio, ſit talis de ſe, & ex natura ſua, quæ concernat hoc periculum. Vnde licèt iudices ſpirituales non præſumerent vnumquemque hominum furantium peccaſſe mortaliter furando, aut ſaltem aliquem illorum,vt ſemper præſumunt, ſed ſcirent optimè damnum fuiſſe datum per minima, adhuc iuſtè expedirent talem excommunicationem; & ligaret illa, quia datur iuſta cauſa ob quam feratur, quæ de ſe concernit graue periculum conſcientiarum; qualis eſt iniuſta damnificatio proximi,ad cuius petitionem fertur excommunicatio, & ſic non ſolùm ratione tantùm præcepti, ſed etiam ratione materiæ abſolutè obligat prædicta excommunicatio, ligátque vnumquemque minima furantem. Et praxis communis ſpiritualium iudicum eſt, vt expediatur excommunicatio pro damno graui, quod patitur is, ad cuius petitionem ea excommunicatio expeditur,& nihil curant prædicti iudices ſpirituales, an à multis per minima furta, an ab vno tantùm huiuſmodi damnum fuerit illatum; ſufficit enim quòd ſit graue, vt illud iubeant reſarcire ex officio ſuo.Nunquam tamen in huiuſmodi excommunicationibus comprehenduntur filij,vxores, aut famuli illius ad cuius inſtantiam excommunicatio expeditur, nec eſt intentio iudicis eos in ea comprehendere, quia non eſt intentio petentis prædictam excommunicationem eam ad illos extendere,& voluntas iudicis excommunicationem expedientis conformatur in hac parte, & reſpondet voluntati petentis, & ſi tam iudex, quàm petens eos volebat in prædicta excommunicatione comprehendere, opus erat, vt id in eadem excommunicatione exprimeretur,aliàs ſi non

expri

exprimitur, parum refert illum ad cuius inſtantiam excommunicatio expeditur, dicere ſuam intentionem fuiſſe, quòd filij, famuli, & vxores in ea etiam comprehenderentur, opus enim erat id explicare in ipſa forma excommunicationis, vt alibi diximus, & communiter tractari ſolet in materia excommunicationis.

Sicut etiam tractari ſolent alia dubia circa excommunicationes in monitorijs circa furta prolatis, quæ non ſunt huius loci. & ideo illis modò ſuperſedemus, vt ad reſtitutionem furtorum accedamus.

Capvt XV.

Vtrùm fur & poſſeſſor malæ fidei teneantur reſtituere rem furtiuam ſecundùm pretium tantùm, quod habebat quando furto ablata fuit; an ſecundùm maius, quod poſtea habuit, & vice verſa.

SVMMARIVM.

Res furtiuæ, vel habent incrementum ab extrinſeco, vel ab intrinſeco. & quæ ſint, quæ hoc incrementum habeant, num. 1. & 2.

Si habeant incrementum ab intrinſeco, valor illius eſt domini, non furis, deducta tamen æſtimatione, & laboris ipſius furis in ſolo foro conſcientiæ in procurando incremento illo intrinſeco, num. 3.
Et deducta expenſæ. ibid.

Quid de foro externo. num. 4.

Tenetur fur ad omne lucrum ceſſans, & damnum emergens domino rei furatæ. num. 5.

Tenetur etiam vltra hanc reſtitutionem lucri ceſſantis, & damni emergentis dominum rei ponere in eodem ſtatu in quo antea erat. num. 6.

Reijciuntur aſſerentes ſolas expenſas tam vtiles, quàm neceſſarias eſſe in foro conſcientiæ latroni reſtituendas, non æſtimationem laboris, & induſtriæ, num. 7.

Et qui aſſerunt, neque has expenſas illi eſſe reſtituendas. num. 8.

Si res, quæ incrementum ab intrinſeco habet, non extet, tenetur fur illam reſtituere ſecundum meliorem ſtatum, ad quem in manu illius peruenit, licèt in ea poſtea ad peiorem deuenerit, num. 9.
Quid ſi fur illam domino obtulit tempore melioris ſtatus in loco habili ad accipiendum, & noluit accipere. num. 10.

Quid ſi fur eam rem ad locum vbi plus valeat tranſtulit, & à domino illuc non erat transferenda, aut tempore melioris ſtatus vendidit, & à domino non erat tunc vendenda. num. 11.

Quid ſi ſegetes herbeſcentes, aut ligna cædua adhuc creſcentia deuaſtauit. num. 12.

Furans vinum, triticum, oleum, vel merces aliquas, tenetur illas reſtituere ſecundum æſtimationem temporis, loci, & modi in quo erant à domino vendendæ, etiam ſi non extent, deductis expenſis, num. 13.

Quid ſi eo tempore, quo diſtrahendæ erant à domino, valuerunt minus, quàm tempore, quo fuerunt furatæ. num. 14.

Quid ſi non conſtet quo tempore, aut quo loco erant à domino vendendæ, aut diſtrahendæ, num. 15. 16. & 17.

Quid ſi equus furto ablatus ad valorem ducentorum aureorum perueniat in manu furantis, & poſtea ad valorem centum, & adhuc extet. num. 18.

Egimvs in præcedentibus de ſubſtantia furti, nunc ſequitur, vt de illius reſtitutione agamus; eſt enim hæc præcipua pars huius materiæ, quod in ſequentibus faciemus. 1. *De reſtitutione furtorum.*
Res igitur furtiuæ in duplici ſunt differentia; aut enim ſunt res, quæ incrementum, & decrementum habent ab intrinſeco, vt pullus equinus, vitulus creſcens, ligna cædua, ſegetes herbeſcentes, arbores fructiferæ, dum ſunt in flore, & ſimilia, aut quæ incrementum & decrementum pretij habent ab extrinſeco, videlicet à tempore, à loco, à modo, quo venduntur, vt triticum, frumentum, vinum, oleum, panus, & id genus merces aliæ, quæ ſolùm ratione temporis, loci, & modi, quo venduntur, maiorem, vel minorem pretij valorem habent, ſi enim ſimul, & vno cumulo vendantur, minus, ſi verò minutatim, magis valent, & ſi ad tempus aliud ſeruentur, vel ad loca alia deferantur, vbi penuria illarum eſt, cariùs tunc vendi ſolent, vt experientia patet, & de his omnibus agemus. *Res furtiua quotuplex ſit.*

Furto abſtuliſti, v. c. vitulum creſcentem, aut pullum equinū, qui quo tempore illum furto abſtuliſti, valebat decem, & dum fuit in manu, & poteſtate tua, excreuit ad quindecim, & poſtea paulatim decreuit ad decem. Quæro, an tenearis illum reſtituere ſecundùm illud maius pretium quindecim ad quod peruenit, an ſecundùm illud, quod habebat tempore, quo furto illum abſtuliſti, & in quod poſtea decreuit?

3. Statuo primò, ſi res effecta eſt melior, vel maioris pretij apud latronem, & adhuc extet, v. c. pullus equinus, aut vitulus bouinus, tota eſt domino reſtituenda cum illo incremento intrinſeco, quod habet, deductis tamen in foro conſcientiæ expenſis, tam vtilibus, quàm neceſſariis, & deducta æſtimatione laboris, & induſtriæ ipſius latronis, quibus illa res melior effecta eſt, ſi apud dominum intrinſecum illud incrementum non eſſet habitura (vocamus autem expenſas vtiles illas, quas non eſſet dominus facturus in ea re melioranda, fecit tamen latro. Neceſſarias verò illas, quas fecit latro. & quæ neceſſariò faciendæ erant à domino ipſius rei in ea alenda, & conſeruanda) ita docent Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniur. fortunar. dub. 16. num. 101.* Nauarra *lib. 4 de reſt. cap. 1 n. 30. & 32.* Couarruuias *ad regulam Peccatum, part. 2. §. 6 num. 2. & 3.* Medina *C. de reſt. quæſt. 6.* Syluester *verb. Expenſæ, quæſt. 4.* Ratio eſt, quia res ſemper manet in dominio domini ſui: & tota illius eſt cum ſuo intrinſeco, & inſeparabili incremento, quod patebit clariùs ex dicendis infrà *num. 9.* *Aſſertio prima.* Leſſius. P Nauarra. Couar. Medina. Syluester.

4. Dixi, *deductis expenſis tam vtilibus, quàm neceſſariis, & deducta æſtimatione laboris, & induſtriæ in foro poli*, quia in foro ſoli & iudiciali iubent leges, vt ſolùm deducantur expenſæ neceſſariæ, non vtiles, nec æſtimatio laboris, & induſtriæ furis in ea re melioranda; in pœnam enim furti, & latrocinij meritò priuantur fures expenſis vtilibus, & prædicta æſtimatione proprij laboris, & induſtriæ in ea re melioranda collocatæ, patet ex *l. ſi à patre, §. fructus ff. de petit. hæredit.* & ex *l. planè, in fine, eodem titulo*; & *Inſtit. de rerum diuiſione, §. ex diuerſo*, & docent auctores allegati. Deducuntur tamen

tamen in foro conſcientiæ expenſæ vtiles,& æſtimatio laboris, & induſtriæ,quia hæ ſunt res alienæ; ſunt enim furis, non domini, & dominus non poteſt tuta conſcientia locupletari ex alieno; neque enim fur tenetur meliorem reddere rem domino,quàm fuiſſet in manu illius, ex ſuo labore & induſtria; quamobrem tenetur dominus in foro conſcientiæ omnes illi expenſas ſoluere, tam vtiles,quàm neceſſarias. Vtiles,quia in vtilitatem illius ceſſerunt, neceſſarias, quia neceſſariò eas dominus ipſe eſſet facturus in ea re alenda, & conſeruanda, ſi apud eum fuiſſet, & ſibi à fure furto non eſſet ablata, & inſuper deducenda eſt etiam æſtimatio laboris & induſtriæ ipſius furis in alendo, & meliorando pullo equino vſque ad ſtatum perfecti.& generoſi equi arbitrio prudentis, & intelligentis viri, ſunt enim hæc etiam res alienæ, & nemo tuta conſcientia ex alieno meliorationem poteſt accipere, ditiórve fieri, iuxta Leſſium, Medinam & Petrum Nauarrum *allegatos*; ſed hac de re ſermo iterum redibit, *cap.6. à num.*34. *& deinceps.*

5. Si tamen dominus interim cum damno ſuo caruiſſet vſu equi, bouis, aut rei fructiferæ, v. c. ſi equum eſſet pretio locaturus, aut boue aliquid lucraturus, id quoque tenetur fur domino reſtituere; quia furto ſuo cauſa fuit efficax ipſius damni emergentis,& lucri ceſſantis; & qui alteri cauſa efficax per iniuſtitiam damni eſt, tenetur illud in conſcientia reſarcire:ita docet expreſsè Nauarrus *in manuali Latino,cap.17.num.26.*Maior *in 4. diſt.15.quæſt.27.& 28.* & Leſſius *lib.2.cap.12. de iniur.fortun. dub.16. num.120. in fine*, & Toletus *lib.5.ſummæ,cap.17.num.9.verſ.ſecunda differentia.* Regula enim eſt certiſſima in materia reſtitutionis, quam tradunt DD. allegati, & præcipuè Toletus teneri latronem, & poſſeſſorem malæ fidei, non ſolùm reſtituere rem furatam, ſed etiam totum damnum emergens,& lucrum ceſſans,quando domino euenit ex mora reſtitutionis,& ponunt exemplum in eo, qui ſcienter equum à latrone emit, qui locari ſolitus erat, & detinuit per duos menſes, & aſſerunt teneri huiuſmodi emptorem, & conſequenter etiam latronem nō ſolùm equum reſtituere, ſed etiam pretium quod dominus lucraturus erat illis duobus menſibus, quamuis otioſum illum haberent, quod planè exemplum approbat etiam Nauarrus allegatus, & Maior.

Nauar. Maior. Leſſius. Toler.

6. *Illatio prima.* Vnde inferes primò, ſi ex argento vili, & furtiuo vrceolum, aut cyathum magni pretij effeceris, vel equum furto ablatum meliorem reddideris,magnis expenſis teneri dominum argenti,& equi in conſcientia tibi reſtituere illas expenſas tam equi, quàm cyathi; ſicut enim teneris omnia damna domino reſarcire, & illum in eodem ſtatu conſtituere, in quo eſſet ſi rem ab eo non fuiſſes furatus, ita non teneris conſtituere illum in meliori ſtatu, quàm fuiſſet, ſi illam ab eo furto non abſtuliſſet,vt patet,ſed eſt hoc contra Sylueſtrum *verb. Furtum, quæſt.16.*

Sylueſter.

7. *Illatio ſecunda.* Mercado. Inferes ſecundò non bene dixiſſe Mercado *de contractibus,cap.14.verſ.que diremos.* expenſas omnes teneri dominum rei latroni reſtituere tam vtiles,quàm neceſſarias,non tamen æſtimationem laboris, ſeu induſtriæ in melioranda re,collocatæ. quia fur ob ſuam malitiam oleum, & operam induſtriæ perdidit, quamuis res longè melior facta ſit ob eam induſtriam,quàm ſi eadem melior non futura eſſet, & maneret apud dominum, ex defectu talis induſtriæ; nam labor ille,& induſtria res eſt aliena, & pretio æſtimabilis, & nemo tuta conſcientia diteſcere poteſt ex alieno, iuxta Leſſium allegatum.

8. *Illatio tertia.* Sylueſter. Inferes tertiò, non bene etiam docuiſſe Sylueſtrum *verb. Furtum, quæſt.16.* teneri furem reſtituere rem furtiuam cum omni melioramento, & non poſſe aliquos ſumptus,ſeu expenſas vtiles petere à domino in foro conſcientiæ,ſi res meliorata in manus proprij domini deueniat, & conſequenter docebit etiam poſſe dominum tuta conſcientia eas retinere,quod falſum omnino eſt,quia nemo poteſt tuta conſcientia diteſcere ex alieno, & illæ expenſæ alienæ ſunt, retineri tamen poteſt ſententia Sylueſtri in foro ſoli,in quo ſolent fures condemnari in amiſſionem omnium expenſarum tam vtilium,quàm neceſſariarum,vt patet ex *l.ex argento, ff.de condict.furt.* vbi dicitur in foro cauſarum reſtituendum eſſe domino ſuum argentum cum omni melioratione ex quo fur confecit pocula ſuis expenſis,& ideo rectiùs docet Gabriel *in 4.diſt.15.quæſt.2. concluſione 3.dub.1.* aſſerens, eum furem qui rem furatam meliorem reddidit (veluti quando ex argento furtiuo cyathum fecit affabrè elaboratum) doloſè vt eam ſibi ſeruaret in poſterum, teneri eam domino reſtituere cum eo melioramento, quando dominus propter inopiam non poteſt furi ſoluere expenſas, debere tamen ipſum dominum furi ſoluere eas expenſas cùm primùm potuerit. in quo, vt patet,noluit excuſare dominum abſolutè à reſtitutione, ſeu ſolutione prædictarum expenſarum, vt bene docet Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.1. num.34.* noſtram opinionem ſecutus: ſed ſolùm voluit eum excuſare ad tempus propter inopiam, dum non habet vnde reſtituat, de iuſtitia tamen ante vllam ſententiam latam eas debere, cùm ad ſtatum quo eas poſſit ſoluere, peruenerit dum in foro ſoli res non fuerit iudicata; nam ſi in foro externo in amiſſionem omnium expenſarum, vt fieri ſolet, condemnetur fur, liber manet dominus à reſtitutione illarum; quia meritò ſtatuunt leges hanc & alias pœnas in fures ad cohibenda furta, & latrocinia.

Gabriel. P Nauarra.

9. *Aſſertio ſecunda.* Statuo ſecundò. ſi res non extat, ſed iam eſt alienata, aut vendita, vel permutata à latrone in illo, & cum illo intrinſeco melioramento,tenetur fur domino illius reſtitutionem facere ſecundùm illud maius pretium, & æſtimationem,quam habuiſſet dum in illo melioramento, & optimo ſtatu erat,licèt illum nunquam eſſet apud Dominum habitura, detractis tamen prædictis expenſis vtilibus, & neceſſariis, labore, & induſtria, vt diximus,imò, & licèt à domino non eſſet diſtrahenda in illo optimo ſtatu, ſed in alio deteriori, v. c. ſi pullus equinus, in ſtatu pulli non perfecti equi, eſſet à domino vendendus, aut aliter diſtrahendus; ita docet Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap.4. num.88.*Couarr.*regula peccatum,§.6.num.1.part.2.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap.17. num.26.* Gabriel *diſt.15.quæſt.2.art.3.dub.2.concluſione 3.* Angelus *verb.Furtum,quæſt.44.* Sylueſter *verb. Reſt.3.q.7. dicto 1. & verb. Furtum, quæſt.16.num.20.* Leſſius *lib.2.cap.12.de iniur.fortun.dub.16.num.105.* Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.1. num.37.* & facit *cap.grauis, de reſt. ſpoliatorum, & l.in re furtiua, ff. de furtis, & l.ſi nauis,§.ſi generaliter ff.de rei vend.* Et ratio eſt, quia illud incrementum cùm rei eſſet intrinſecum, erat ab illa inſeparabile, & aliunde fur ſemper fuit in mora reſtituendi rem, & tenebatur illam reſtituere pro ſingulis momentis temporis,

Filliuc. Couar. Nauarr. Gabriel. Angel. Sylueſter. Leſſius. P.Nauar.

poris, quo illam ſub ſe habuit; ergo pro tempore quo erat in optimo ſtatu, & maius pretium habuit, quia ſi tunc non reddidit, aut ſaltem non obtulit, iniuſtè priuauit dominum pretio incrementi rei propriæ, vt exemplis patebit ſtatim.

10. Dixi *ſi non obtulit*, quia ſi loco, & tempore conuenienti ad recipiendum obtulit, & dominus recipere recuſauit, & citra culpam furis ad deteriorem ſtatum deuenit, aut periit, domino periit, non furi, vel in totum, ſi in totum periit, vel in partem meliorament i, à quo decidit, nam licèt mora noceat ei per quem fit, vt docet Syluester *allegatus*, & *verb. Commodatum, num. 16. ad finem*, & patet ex *cap. vnico, de commodato, & l. in rebus, C. commodati, & l. 1. ff. de action. & obligat.* purgatur tamen per oblationem loco & tempore accommodatam. res patebit his exemplis. furatus fuiſti vitulum creſcentem, aut pullum equinum, educaſti illum tuis expenſis vſque ad ſtatum equi, teneris reſtituere pretium illud, quo illum vendidiſti in ſtatu equi, deductis tuis expenſis vtilibus, & neceſſariis, & deducta æſtimatione tui laboris, & induſtriæ, quamuis dominus illum eſſet venditurus in ſtatu pulli equini, aut vituli. Ratio eſt, quia totum illud incrementum fuit intrinſecum, quicquid enim vitulo, aut equino pullo acceſſit roboris, magnitudinis, bonitatis, totum eſt domini, nam cùm res illa ſemper fuerit domini, totum illud incrementum intrinſecum, quod ab illa ſeparari non poteſt, domini etiam eſt.

Syluest.

Leſſius. Exiſtimat tamen Leſſius *dicto num. 105.* non eſſe faciendam reſtitutionem domino ſecundùm rigoroſam æſtimationem, ſi fortè latro per illam equum vendidit, quia moraliter loquendo non cenſetur domino damnum illatum in iſta rigoroſa æſtimatione, niſi euidenter conſtet dominum per illud rigoroſum pretium equum eſſe venditurum, quod difficile conſtare poteſt; ſufficiet igitur ſecundùm Leſſium reſtituere mediam, vel infimam æſtimationem.

Verùm mihi contrarium videtur, & omnino aſſero totum illud pretium rigoroſum, quo vendidit, teneri furem domino reſtituere, tum quia ſi deducantur omnes expenſæ vtiles, & neceſſariæ, labor, & induſtria, & inſuper non reſtituatur totum pretium rigoroſum, quo res fuit vendita, ſed infimum, aut medium, ferè nihil amplius reſtituetur domino, quàm quod valebat cùm pullus erat, & quia res illa ſemper fuit domini cum toto ſuo pretio reſultante ex incremento intrinſeco, & quia non oportet fauere latrociniis, & alioquin faueretur, vt patet, tamen per veram, & legitimam oblationem tempore, & loco habili factam purgauit fur omnem moram reſtituendi, & mora iam non nocet ei, ſed nocet domino per quem ſtetit equum non accipere in optimo ſtatu, quo ei oblatus fuit, ita docet Nauarrus & Syluester *ſuprà allegati*, & patet expreſsè ex *l. in re furtiua, ff. de furtis*, & eſt communis opinio.

11. Si tamen huiuſmodi res, v. c. pullus equinus, aut vitulus creſcens ſolùm ab extrinſeco in pretio accreuit, quia v. c. repentè ſuperuenit bellum, aut ad alium locum in quo plus valebat, tranſlatus eſt à fure, & ibi fuit venditus, ac diſtractus, & dominus non erat illum tempore belli venditurus, neque ad eum locum vbi pluris valebat, tranſlaturus, non tenetur fur reſtituere pretium illius ſecundùm iſtud maius pretium iſtorum temporum, ſed ſecundùm æſtimationem, quam eſſet habiturus apud dominum tempore, quo dominus illum erat venditurus, aut aliter diſtracturus, vt docent Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortun. dub. 10. num. 105.* & Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. num. 37.* & Syluester *verb. Furtum quæſt. 16. num. 20.* vbi dicit teneri furem ad reſtitutionem ſecundùm æſtimationem, in qua meliùs valuiſſet apud dominum, ſi res non extet, nam ſi extet, ea ipſa illi reſtituenda eſt, vt patet. Et ratio eſt, quia tranſlatio ad alium locum vbi equinus pullus pluris erat valiturus, & reſeruatio ad tempus belli cenſentur fructus induſtriæ latronis, quando dominus illius illum ad eum locum non erat ducturus, aut vſque ad id tempus ſeruaturus, vt tunc illum venderet, aut aliter diſtraheret. Vnde cùm fructus induſtriæ alieni ſint, id eſt, ipſius latronis, & non domini equi, non poteſt dominus tuta conſcientia ex re aliena emolumentum accipere, ac diues fieri. Leſſius. P. Nauarra. Syluester.

Obiectio. Dices, pretium eſt inſtar rei; loco enim illius ſuccedit; ergo ſicut dominus habet ius ad rem, ita & ad pretium illi etiam reſtituendum. Reſpondeo pretium eſſe inſtar rei, & loco illius ſuccedere eatenus, quatenus eſt neceſſarium ad reſtitutionem rei, & ad reficiendum damnum domino inde emergens, & lucrum ceſſans, & ideo ſolum habere dominum ius ad pretium rei ſuæ, quatenus neceſſarium eſt ad hanc reſtitutionem; vnde ſi res alibi vendatur à fure, aut alio tempore, vbi, & in quo plus valeret, & ibi, aut eo tempore, non erat à domino diſtrahenda, ſed in alio in quo minus valeret, non tenetur fur ei damnum reſtituere niſi ſecundùm æſtimationem loci, & temporis, in quo dominus rem erat diſtracturus, & reliquum totum eſt fructus induſtriæ furantis, ſicut è contrario ſi dominus rem erat venditurus in loco, & tempore, in quo plus valeret, & fur illam vendidit aut diſtraxit in alio loco, & tempore in quo valebat minus, tenetur fur reſtitutionem facere ſecundùm æſtimationem illius loci, & temporis, quo dominus illam pluris erat venditurus non iſtius; quare ſi dominus eam rem non erat alienaturus, tempore, quo valebat quinque, ſed tempore quo valebat tres, non poteſt à fure, in conſcientia repetere quinque, ſed tantùm tres, & ſi plus petat, tenetur exceſſum in conſcientia furi reſtituere, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub. 16. num. 117.* & idipſum tradidit Molina Theologus *tom. 2. diſput. 327. § ſecunda concluſio, poſt medium*, vbi ponit exemplum in equo, de quo agimus; & addit ſi vſurarius (idem eſt de fure) negotiando cum rebus vſu conſumptibilibus vſura acquiſitis aliquid vlteriùs acquirat comparare dominium illius, & ſolùm teneri reſtituere mutuatario rem ipſam vſura acquiſitam; & inſuper totum lucrum ceſſans, & damnum emergens, ex eo quòd res vſura acquiſita illi non fuerit reſtituta, quod etiam docent D. Thom. 2. 2. *quæſt. 78. art. 3.* & Sotus *lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. concluſione 2.* & Ioannes Medina *de rebus per vſuram acquiſitis, quæſt. 4. ad 4. principale.* Adrianus *de reſt. in materia de vſura, quæſt. occurrunt circa prius dicta, in reſp. ad 3.* Couar. *lib. 3. variar. reſolut. cap. 3. num. 6.* Panormit. *in cap. nauiganti, de vſuris, num. vltimo.* Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 11. art. 4. concluſione 6.* Angelus *verb. Vſura 1. num. 15.* Syluester *verb. Vſura 6. quæſt. 2.* & ratio eſt, quia illa negotiatio eſt fructus induſtriæ vſurarij, & ideo dominus rei non poteſt diteſcere ex illa; quia diteſceret ex alieno. Diſſoluitur. Leſſius. Molina. D. Thom. Sotus. Medina. Adrianus. Couarr. Panorm. Gabriel. Angel. Syluester.

Statuo tertiò, ſi conculcaſti ſegetem herbeſcentem ligna cædua, vel fructus arboris damnificaſti, 12. Aſſertio tertia.

caſti, qui nunc valebant centum, in meſſe tamen, vel tempore, quo colligendi erant, ducentis valituros, non teneris reſtituere ſecundùm illud maius pretium temporis collectionis, nec ſecundùm valorem illius temporis quo illas conculcaſti; ſed ſecundùm aliud arbitrio prudentum æſtimandum. Ratio eſt, quia illa omnia adhuc erant in ſpe, temporum iniuriis, periculis, & infortuniis obnoxia, quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, nec refert quod illos fructus eo pretio dominus vendere noluiſſet; hinc enim non ſequitur damnum eſſe maius, quàm res valebat arbitrio prudentum; ſed solùm ſequitur iniuriam eſſe maiorem, & id fieri magis contra domini voluntatem; pro iniuria autem ſecluſa à damno non pecunia, ſed veniæ petitio debetur,

Leſſius. & dari ſolet, ſic Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 19. num. 135.* quæ reſo-

Sotus. Salon. lutio illius eſt contra Sotum *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 5.* & contra Michaelem Salonem *quæſt. 62. art. 4.* aſſerentes illum qui ex malitia in ſegete, & in rebus adhuc creſcentibus damnum infert, teneri reſtituere, perinde, ac ſi adultæ eſſent, ſi autem inferant ex mera negligentia, non teneri reſtituere, niſi ſecundùm pretium ſtatus, quem tunc habebant; ſed diſtinctio horum authorum non conducit ad rem præſentem; malitia enim, & culpa non auget damnum; auget tamen peccatum ſecluſum à damno. Vnde huiuſmodi ſegete conculcata, & fructibus damnificatis, facienda eſt reſtitutio arbitrio prudentum, non pro pretio, quod habituri erant tempore meſſis, aut collectionis, quia adhuc fructus erant in ſpe, & temporum infortuniis; & iniuriis obnoxij; & res in ſpe minus valent, quam ſi certò iam poſſideantur, ſed quia re vera certior ſpes erat, quòd plus valituri eſſent illi fructus tempore meſſis, quàm modò valeant tempore, quo conculcati ſunt. ideo prudens arbitrator plus præcipiet reſtitui pro iſta ſpe magis certa, non tamen totum pretium, quod fructus habituri erant tempore collectionis, & hoc prudens Confeſſarius debet attendere.

13. *Aſſertio quarta.* Statuo quartò, ſi triticum, vinum, frumentum, pannus, oleum, aut aliæ huiuſmodi res, quæ nullum habent incrementum ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco, à loco videlicet, à tempore, & à modo. A loco, vt ſi in alium transferantur in quo plus valeant, ibique vendantur à fure. A tempore, vt ſi in aliud ſeruentur, in quo communiter maiorem pretij æſtimationem habere ſolent, frumentum videlicet, in menſem Maij. A modo, vt ſi vinum, oleum, aut panni non ſimul, ſed paulatim, & per minutas vendantur menſuras. tunc equidem ſi huiuſmodi res ab illarum dominis erant ſeruandæ vſque ad illud tempus maioris pretij, aut in illum locum in quo plus valerent transferendæ, aut per minutias vendendæ: tenentur fures reſtitutionem facere ſecundùm æſtimationem loci, temporis, & modi, quo venderentur à dominis, quamuis multo minori pretio illæ à furibus vendantur, aut aliter diſtrahantur, quod intelligendum eſt, ſi res iam non extent: nam ſi extent, in integrum reſtituendæ erunt, cum refectione damni inde domino emergentis, & lucri ceſſantis, vt patet ex dictis *num. 11. ad finem*; ſi verò domini non erant ſeruaturi huiuſmodi res vſque ad iſtud tempus, neque in alium locum tranſlaturi, nec per minutias vendituri, ſed ſtatim pretio currenti diſtracturi, non tenentur fures illas reſtituere ſecundùm hoc maius pretium, ſed ſecundùm pretium, quod habuerunt tempore furti, ita Doctores communiter, Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 16. num. 108.* Leſſius.

Petrus Nauarra *lib. 4. de reſtit. cap. 1. num. 35.* P. Nauarra.

Couarruuias *in regula Peccatum, 2. part. §. 6. num. 3.* Medina *de reſtit. quæſt. 6.* Sylueſter *verb. Furtum, quæſt. 16. & verb. Reſtitut. 3. quæſt. 7. dicto 1.* & omnes citati *num. 11. in fine.* Couarr. Medina. Sylueſter.

Et ratio ac fundamentum eſt, quia cùm domini res ſuas eſſent diſtracturi tempore illo, loco, & modo, quo maius pretium erant habituræ, clarum eſt iniuſtè eos fuiſſe priuatos à fure toto eo lucro, & emolumento; quare ſine dubio tenentur illud eis ante vllam ſententiam reficere, ac reſarcire. Et aliunde ſi domini non erant vendituri huiuſmodi res ſecundùm illud tempus, & modum maioris æſtimationis, & conſtet quòd illas eſſent vendituri tempore, quo ab illis fuerunt ablatæ, in nullo damnificantur ſi iuxta æſtimationem eius temporis eis reſtitutio fiat, vt patet.

Statuo quintò, ſi res eo tempore in quo erat diſtrahenda à dominis, valuit minus, quàm 14. *Aſſertio quinta.*

tempore quo fuit furto ablata, aut à fure vendita, & diſtracta, non tenetur fur reſtitutionem facere domino ſecundùm maius pretium, quo illam vendidit, ſed ſecundùm illud, quod haberet tempore quo à domino re vera erat vendenda, vel aliter diſtrahenda; ſic docet Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dubit. 16. num. 103.* & Petrus Nauarra citatus *num. 35.* Medina, Couarruuias, & Sylueſter *numero præcedenti* allegati. Ratio ac fundamentum eſt, quia licèt tempore furti, aut quouis alio tempore intermedio, quo fuit vendita à latrone, & à domino non erat vendenda, ſed in alio ab ipſo domino deſtinato; maius pretium habuerit, tamen cùm in illo à domino non fuiſſet vendenda, ſed alio, in quo minus valuit, & dominus putabat tunc magis valituram; totum illud incrementum eſt per accidens, & reſpectu domini cenſetur inutile, cùm nullum paſſus ſit damnum, imò totum illud lucrum cenſetur fructus induſtriæ reſpectu furis, perinde enim eſt tunc, ac ſi illam rem in alio loco maiori pretio fuiſſet venditurus, in quo à domino non eſſet vendenda: fructus autem propriæ induſtriæ latroni cedunt, non domino rei, vt patet ex *leg. 1. C. ſi quis alteri, vel ſibi*, & ex *leg. penultim. C. eodem titulo*, ibi, *Qui aliena pecunia comparat non ei, cuius nummi fuerunt, ſed ſibi tam actio empti, quàm dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio quærit*, gloſſa ibi, *quia eſt fructus ſuæ induſtriæ, cùm pecunia ex ſe non ſit fructifera.* Leſſius. P. Nauarra. Medina, Couar. Sylueſter.

Statuo ſextò, ſi non conſtet, quo tempore, aut in quo ſtatu, & pretio res illa eſſet à domino diſtrahenda, ſiue illa ſit ex iis, quæ habent incrementum ab intrinſeco, vt pullus equinus, aut vitulus creſcens, ſiue ex iis, quæ incrementum habent ab extrinſeco, vt frumentum, vinum, oleum, aut aliæ ſimiles, tenetur fur illam reſtituere ſecundùm illum meliorem ſtatum, & maiorem æſtimationem, ac pretium, quo vendita eſt, ita expreſsè Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniur. fortun. dub. 16. num. 109.* & idem videtur tenere Sylueſter *verb. Furtum, n. 20.* quatenus abſolutè docet teneri furem rem reſtituere ſecun- 15. *Aſſertio ſexta.* Leſſius. Sylueſt.

ſecundùm meliorem, & maiorem æſtimationem qua meliùs valuiſſet, ſi fuiſſet apud dominum à tempore quo illam furto abſtulit, & tenet expreſsè *verb. Reſtitutio 7. num. 5. ad finem*, quatenus aſſerit in dubio, quod res apud dominum non periret, etiam ſi pereat apud furem, teneri furem eam integrè reſtituere. Et ratio eſt; quia fortè in eo ſtatu vendi poterat à domino, & melior eſt conditio innocentis, & iure, quàm facto, & iniuſtè poſſidentis, & ideo ſemper debemus propendere in fauorem innocentis. Et pro hac parte facit *cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum*, & quæ notantur à gloſſa *in l. in re furtiua, & in l. nauis ff. de furtis.*

16. *Obiectio.* Dices, non conſtat an in eo ſtatu, tempore, & pretio res à domino eſſet diſtrahenda; ergo detrahenda eſt æſtimatio arbitrio prudentis; illud enim quod eſt incertum, minuit æſtimationem pretij; vnde cùm incertum ſit, an verè damnum illud maioris pretij, & optimi ſtatus latro intulerit, non tenebitur rem illam reſtituere ſecundùm maiorem illam æſtimationem; nemo enim tenetur plus reſtituere, quàm conſtet abſtuliſſe. *Solutio.* Reſpondeo ob hoc argumentum in ſummo rigore loquendo non videri reſtituendam eſſe rem ſecundùm optimum ſtatum in foro conſcientiæ; at quia in omni foro ſemper inclinandum eſt in fauorem innocentis, & iure poſſidentis, non facto, & iniuria, ideo obligandus eſt latro ad hanc ſummam reſtituendam, vbi non apparet, nec ſuppetit maior alia ratio conſtituendæ æqualitatis.

17. *Alia obiectio.* Oppones adhuc; reſtitutio eſt commenſuratio vnius rei certæ ad aliam certam, tantum enim in vna parte ponendum eſt per reſtitutiotionem, quantum ab ea emptum fuit per furti ablationem; vnde cùm non conſtet de certitudine maioris pretij, & æſtimationis, qua dominus rem eſſet venditurus, videtur detrahendam eſſe hanc pretij æſtimationem; quia ad incertum nulla commenſuratio dari poteſt. *Diſſoluitur.* Reſpondeo hanc commenſurationem faciendam eſſe ſecundùm iudicium prudentium: prudentes autem iuxta noſtram doctrinam æſtimabunt, ſemper enim oportet in fauorem innocentis, & læſi domini inclinare, ne latrocinia in Republica foueantur, quamuis etiam non ſit improbabile poſſe in foro conſcientiæ iuſtè detrahi æſtimationem incerti, cùm re vera id quod eſt incertum minuat æſtimationem damni.

18. *Dubium.* Sed inquires, ſi equus, qui furto fuit ablatus, & in poteſtate furis ad valorem ducentorum ducatorum peruenit, & poſtea ſucceſſu temporis deueniat ad valorem centum, extet, an ſatisfaciat fur reſtituendo illud domino in eo ſtatu, quem nunc habet. Hoc dubium pertinet ad *caput* 24. ſed breuiter reſpondeo,

Soluitur. Primò, ſi fur illum domino obtulit loco, & tempore habili ad eum recipiendum in eo meliori ſtatu, & dominus noluit recipere, non tenetur fur illum reſtituere ſecundùm valorem quem habuit in illo meliori ſtatu, ſed ſufficiet reſtituere in eo, quem nunc habet, quia per oblationem purgauit moram; mora autem nocet ei per quem fit, iuxta ea quæ diximus *num.* 10. & ita docet expreſsè Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 17. num. 26.* & Sylueſter *verb. Furtum, quæſt. 16. num. 20. & verb. Reſtitutio 3. quæſt. 7. dicto 1.* & communiter omnes, & patet ex *leg. in re furtiua, ff de furtis.* Si verò non obtulit, aut culpa furis deuenit ad deteriorem ſtatum, aut ſine culpa furis. Si culpa furis ad eum ſtatum deuenit, tenetur illum reſtituere ſecundùm meliorem ſtatum, non ſecundùm hunc deteriorem, quia culpa nocet ei, per quem fit, ſicut mora etiam nocet; ſi ſine culpa illius, ſed fortuitò, & caſu ad eum ſtatum deteriorem deuenit. Reſpondeo cum diſtinctione, aut enim ſi in poteſtate domini eſſet, ſimiliter, & eomodo ad eum ſtatum ante venditionem deuenturus erat, aut non erat: ſi erat, non tenetur fur illum reſtituere, ſecundùm meliorem ſtatum, ſed ſecundùm deteriorem; ſi non erat, tenetur illum reſtituere ſecundùm meliorem ſtatum, quia culpa ipſius dominus damnificatus eſt, & qui alteri eſt cauſa damni, tenetur illud reſtituere; ita communiter DD. D.Thom. 2. 2. *quæſt. 62. art. 6.* Nauarrus *cap. 17. num. 8. & 26.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 15. num. 91.* Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 1. num. 17. & 23.* Sylueſter *verb. Reſtitutio 7. quæſt. 5.* Sà *verb. Debitum, num. 11.* Ratio eſt, quia ſi conſtet, quòd ſimiliter erat peritura apud dominum, ante illius venditionem, aut diſtractionem, nullum damnum ei datum fuit, nec lucri ceſſantis, nec damni emergentis, vt ſuppono, & ſi aliquid interim datur, id tenebitur reſtituere: delictum autem furti pœnis legalibus puniendum eſt, non pecuniariis; hæc ratio interim ſufficiat, nam res neceſſariò in diſcuſſionem iterum veniet *in cap. 20.* in dubio autem fauendum eſt innocenti domino, non nocenti furi, vt diximus *à num. 15. vſque ad 17.*

Nauarr. Sylueſter. D.Thom. Nauar. Leſſius. P Nauarra. Sylueſter. Sà.

Capvt XVI.

Vtrùm fur & poſſeſſor malæ fidei teneantur in conſcientia omnes fructus perceptos ex re furtiua domino reſtituere, licèt dominus eos ex ea non percepiſſet, & an etiam omnes non perceptos, quos tamen dominus ſi rem haberet percepiſſet.

Svmmarivm.

Fructus induſtriales, ſeu induſtriæ, qui ſint, & quales, num. 1, & cap. 19. à num. 15. vſque ad 17.

Fructus merè reales, & naturales qui. num. 2.

Fructus mixti partim induſtriales, partim naturales, qui, & quales, num. 3. & 4. & cap. 19. à num. 15.

Quid nomine fructuum intelligatur, & an ſoli ſint, qui remanent deductis omnibus expenſis & æſtimatione laboris, & induſtriæ. num. 5.

An fur, & malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere omnes fructus à ſe perceptos, quos dominus non percepiſſet; & an omnes, qui percipi poterant, ſiue percepti à ſe fuerint, & percipiendi eſſent à domino, ſiue non, num. 6. & capite 20. à numero 25.

Quid

Quid ſi fur nullos fructus percepit, & dubitatur, an dominus aliquos percepturus eſſet, numero 8.

An in foro ſoli, & de iure Luſitano reſtituere teneatur latro, aut malæ fidei poſſeſſor omnes fructus; quos dominus percepiſſet, ipſe tamen latro aut malæ fidei poſſeſſor non percepit, an ſolum eos teneatur reſtituere, quos ipſe percepit, ſiue dominus illos percepturus eſſet, ſiue non, numero 9.

Quid ſit poſſeſſor malæ fidei violentus, & non violentus, habens & non habens titulum, numero 10.

Quid de fructibus perceptis ex re fructifera de iure Luſitano quando res fuit vendita infra dimidium iuſti pretij. *num.* 11.

Quid ſi vſurarius, vel fur agrum furtiuum infrugiferum frugiferum reddant ſuis expenſis, an teneantur illum agrum reſtituere cum omnibus fructibus perceptis. *num.* 12. 13. & 14.

Quid ſi fructus iam non exſtent, ſed mala fide conſumpti ſint. *num.* 15. & 16.

Si fur, aut malæ fidei poſſeſſor negotientur cum rebus furtiuis vſu conſumptibilibus, vt cum pecunia, vino, oleo, comparant dominium lucri, & ſolùm tenentur reſtituere dominis illarum res, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, num. 17.

Si depoſitarius prædium emat pecunia aliena apud ſe depoſita, fructus prædij ad depoſitarium ſpectant, non ad dominum pecuniæ, & ſolùm tenetur illam domino reſtituere, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, numero 18.

Quid de fure, qui pecunia furtiua negotiatur, num. 19.

Quid de fure, qui equum furtiuum, torquem aureum, vel catenam non ſolitam à domino pro pretio elocari, ſi illa elocet. *num.* 20.

An fur, qui equum furtiuum vendidit, comparet dominium illius pretij. *num.* 21.

An creditor, & qui rem oppignoratam habet, ſi pro pretio elocent, comparent dominium illius lucri, an cedat domino ipſius rei, num. 22. 23. & 24.

In quo diſtinguatur poſſeſſor bonæ fidei, à malæ fidei poſſeſſore quoad fructuum poſſeſſionem rei furto ablatæ, vel iniuſtè retentæ. *num.* 25.

1. *Fructus triplex. Induſtria.*

NOTABIS primò, fructus eſſe in triplici differentia, aut enim ſunt fructus rerum, quæ vſu conſumuntur, vt fructus pecuniæ, equi, veſtium, tritici, olei, rerumque vtenſilium, vt torquis aurei, inſtrumentorum alicuius artis, officiiue mechanici, aut liberalis; & hi ſunt, & vocantur fructus meræ induſtriæ, inſtar eorum, qui percipiuntur ex negotiatione pecuniæ furtiuæ; tum quia huiuſmodi res non ſunt ex ſe fructiferæ, ſed ex hominum induſtria; tum quia accipere poſſunt functionem in genere ſuo; hoc eſt, poteſt res vna fungi vicem alterius, cùm ſufficienter ſoluantur huiuſmodi res reddendo vnam pro alia, v. c. reddendo vinum pro vino, oleum pro oleo, triticum pro tritico, pecuniam pro pecunia, veſtem pro veſte, torquem pro torque. Eiuſdem bonitatis, & valoris, vt probat Molina Theologus *tom.* 2. *diſputat.* 327. & patet ex *leg. ſecunda*, §. *mutui*, *ff. ſi certum petatur.*

Quid ſit poſſe res ſuſcipere functionem pro munere ſuo.

Molin.

Aut ſunt fructus merè reales, & naturales, vt ſunt fructus pratorum, ſyluarum, arborum; quos nulla cultura terra profert, nulla hominum induſtria & labore. 2. *Reales, & naturales.*

Aut ſunt fructus mixti, & rerum, quæ vſu non conſumuntur, & vocantur mixti, quia partim ſunt reales, & naturales, partim induſtriales; vt fructus agrorum, vinearum, qui mediante hominum cultura, & induſtria à terra producuntur, item fructus earum rerum, quæ communiter locantur, vt mancipiorum, domorum, & ſimilium; pretium enim iſtarum rerum eſt inſtar fructuum, quos huiuſmodi res dominis ſuis mediante illorum induſtria pariunt, vt vult Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum*, *dub.* 17. *num.* 110. huiuſmodi autem fructus non ſuſcipiunt functionem in genere ſuo, communiter loquendo, quia difficilè in ſolutione vnum pro alio, v. c. equus pro equo, mancipium pro mancipio, domus pro domo eiuſdem bonitatis, æſtimationis, & commoditatis dabitur, vt docet Molina *allegatus*. 3. *Mixti.* Leſſius. Molina.

Quando autem fructus dicantur merè induſtriales, aut partim naturales, partim induſtriales, arbitrio prudentis committitur, qui id inſpectis circumſtantiis iudicabit. nam iam hodie quia veſtes, & torques aurei, & annuli communiter locari ſolent, fructus harum rerum mixti dicentur, quemadmodum & fructus equorum, & ideo Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *de mutuo*, & *vſura*, *dub.* 18. *num.* 155. iam illas numerat inter res, quæ vſu non conſumuntur; quod autem totum hoc negotium arbitrio prudentis committatur, docet Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 6. *in fine*, & Abbas *in cap. grauis*, *de reſt. ſpoliatorum*, *cap.* 6. *num.* 15. vbi de hac re redibit ſermo. 4. Leſſius. Couarr. Abbas.

Notabis ſecundò, per fructus intelligi illos, qui ſuperſunt deductis omnibus expenſis; quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum ipſorum fructuum, tam vtilibus, quàm neceſſariis, inter quas expenſas computatur etiam iuſtum præmium pro labore, & induſtria appoſita. Vnde quando res cum omnibus fructibus ex ea perceptis reſtituenda eſt, ſiue à bonæ, ſiue à malæ fidei poſſeſſore, hæc omnia deducenda ſunt, vt affirmat communis Doctorum ſententia, quam tradunt Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſput.* 246. §. *Quando autem res.* Couarruuias *lib.* 1. *variar. reſolutionum*, *cap.* 3. *n.* 3. Gregorius Lopez *lib.* 4. *num.* 3. *tit.* 14. *part.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum*, *dub.* 17. *à num.* 111. *vſque ad* 118. gloſſa *in cap. grauis*, *de reſt. ſpoliatorum*, *verb. Fructus*, & alij communiter. 5. *Fructus ſunt illi, qui remanent deductis expenſis.* Couarr. Lopez. Leſſius.

Solùm tamen ex decimis prædialibus expenſæ non deducuntur, quia decimarum fructus integri nullis deductis expenſis ad Eccleſiam pertinent, vt latè probauimus in noſtro primo tomo in quinque præcepta Sanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de decimis, & præmiſſis. *In fructibus decimarum non deducuntur expenſæ.*

Neque etiam expenſæ deducendæ ſunt quando quis prædia alicui locat cum pacto, vt certam fructuum quotam ſoluat; quia ibi quaſi contractus ſocietatis initur, vt vnus prædia ponat, alius verò ſumptus, & induſtriam & fructus omnes perceptos inter ſe diuidant, vt optimè animaduertit Molina *allegatus*,

Lopez.

gatus, & Gregorius Lopez item *citatus*, cum multis, quos *ibidem* refert ac ſequitur. His notatis,

Fur, & malæ fidei poſſeſſor an teneantur de reſtitutione

Aſſertio prima.

6. Statuo primò, ſi loquamur de rebus, quæ vſu non conſumuntur, & quæ communiter locari ſolent, vt ſunt agri, prædia, ædes, vineæ, prata, ſyluæ, & aliæ communes, quæ fructus merè reales & naturales, vel partim reales, partim induſtriales, producunt, tenetur in foro conſcientiæ fur, (idem de quocumque poſſeſſore malæ fidei, ſiue titulum habeat, ſiue non habeat) non ſolùm reſtituere ipſas res furtiuas, ſed etiam omnes fructus perceptos ex iiſdem rebus, quos ipſe ſingulari ſua induſtria percepit, quamuis illos dominus ex mera ſua negligentia non percepiſſet, & fructus etiam ob ſuam negligentiam non perceptos, quos tamen dominus ſingulari ſua diligentia, & induſtria licitè, & non illicitè percepiſſet, ſi res ſub illo fuiſſet; deductis omnibus expenſis, & iuſta æſtimatione laboris, & induſtriæ, vt *numero præcedenti* diximus, non teneri tamen reſtituere eos fructus, quos nec ipſe fecit, nec dominus erat facturus, licèt alioquin abſolutè fieri potuiſſent, ſi res ſub alio fuiſſet. Ita communiter Doctores, Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 17. à num. 111. vſque ad* 118. Molin. Theolog. *tom. 2. de iuſt. diſput.* 327 *concluſione* 1. loquens de vſurario (ſed idem eſt de fure) Sotus *lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. concluſione 2.* Maior. *in 4. diſt. 15. quæſt. 27. & 28.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. à num. 39.* Syluester *verb. Reſtitutio, quæſt. 9. & verb. Furtum, quæſt. 16.* & idem dicemus infrà *cap. 26, num. 26.* vbi id latè probabimus, & patet expreſsè ex *cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum*, ibi, *Non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis iiſdem.* Et ex *Inſtit. de offic. iudic. §. 1.* & ex gloſſa *in l. ſi fundum, C. de rei vendicat.* & ex *l. cùm Prætor, ff de verborum ſignificat.* Probatur facilè rationibus,

Leſſius. Molina. Sotus. Maior. P. Nauarra. Syluester.

Primò, quia fures, vſurarij, & malæ fidei poſſeſſores, non acquirunt dominium earum rerum, quæ vſu non conſumuntur, vt præter allegatos docet optimè Couarr. *lib. 4. variar. reſolut. cap. 3. num. 6.* Syluester *verb. Vſura 6. num 1.* & Peres *lib. 1. titulo 5. Ordinam pag.* 126. Molin. *tom. 2. de iuſt. diſp. 326. num. 4.* Rebellus *de obligat. iuſt. part. 2. lib 8. quæſt.* 14. Caldas *quæſt forenſ. in comment. ad legem vnicam, C. ex delict. defunct. part. 4. num. 6.* ergo nec fructum earum; ergo neceſſariò tenentur eos domino reſtituere, nam dominium fructuum ad eum ſpectat, ad quem ſpectat dominium vtile rei fructiferæ, quæ fructus parit.

Couarr. Syluest. Molina. Peres. Rebell. Cald.

Secundò, quia fur retinendo rem iniuſtè, iniuſtè impedit ne dominus illius eos fructus percipiat, quos re vera ſingulari ſua induſtria erat percepturus, ſi illam poſſideret; ergo etiam hos fructus tenetur reſtituere, quamuis fur eos non percepiſſet, nam qui alteri iniquè, & per iniuriam eſt cauſa efficax damni emergentis, aut lucri ceſſantis, tenetur illud ei reficere, cùm teneatur ad omne intereſſe.

Tertiò, quia ſi latro aliquos percepit ſingulari ſua induſtria, quos dominus ex negligentia ſua non percepiſſet, ij non poſſunt pertinere ad illum, ſed ad dominum, quia dominus, & non fur habebat dominium rei fructiferæ, res autem quæ fructificat, domino ſuo fructificat, non alteri.

Non tenetur tamen fur, neque vſurarius, aut alius malæ fidei poſſeſſor, reſtituere eos fructus, quos nec ipſe percepit, nec dominus percepiſſet, licèt alioquin, abſolutè loquendo, ſi res fuiſſet ab aliis poſſeſſa, ab illis percipi potuiſſent, quia re vera nullum damnum tunc dedit, vt patet, vnde non tenetur ratione intereſſe lucri ceſſantis, quia nullum lucrum domino rei ceſſauit, nec damni emergentis, quia nullum damnum etiam domino emerſit, nec ratione rei acceptæ, quia nullos fructus accepit fur; nec ratione iniuſtæ retentionis rei, quia, vt ſupponimus, non fuiſſet fructifera apud dominum, & ideo toto eo tempore inutiliter eam poſſideret; ergo, ex nullo capite tenetur. 7.

Si tamen dubitatur, an dominus aliquos fructus eſſet percepturus, iam dixi *in capite præcedenti. à numero* 15. *vſque ad* 17. vtrumque eſſe probabile in foro conſcientiæ, teneri ſcilicet, & non teneri eos integros reſtituere, ac ſi dominus rei eos percepturus fuiſſet; ſed quia in re dubia ſemper fauendum eſt innocenti, ideo probabilius eſt in hoc dubio obligandos eſſe malæ fidei poſſeſſores ad horum fructuum reſtitutionem; melior enim eſt conditio poſſidentis de iure, & innocentis domini, quàm latronis de iure non poſſidentis; quamuis de facto per iniuriam domini rem poſſideat, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortunarum, dub. 16. num.* 109. 8.

Leſſius.

Aliquid tamen minuendum eſt in hoc conſcientiæ foro arbitrio prudentis, ratione dubij tantùm, videlicet, quanti hæc probabilitas dubij æſtimatur, quia res incerta minuit pretium, plus enim valet id quod certò percepturi ſumus, quàm quod dubium eſt, an percepturi ſimus.

Hæc de foro conſcientiæ, nam de foro iudiciali, & externo, licèt Leonardus Leſſius, & Syluester *verb. Furtum, num.* 20. aſſerant ſemper inclinandum eſſe in fauorem innocentis domini, & obligandum furem, vſurarium, & iniuſtum poſſeſſorem ad reſtitutionem omnium fructuum, qui abſolutè percipi potuiſſent; tamen id non poteſt militare in omni malæ fidei poſſeſſore, & in iis, qui titulum aliquem ſaltem coloratum habent. Et ideo noſtræ Ordinationes nouæ Luſitaniæ *lib. 4. titulo 13. §. 10.* loquens de diſtractu venditionis propter læſionem enormiſſimam, aſſerunt reſtituendam eſſe rem, reddito pretio cum omnibus fructibus perceptis à tempore venditionis. Vbi notandum eſt verbum illud, *perceptis*, in quo ſignificatur ſolùm fructus perceptos eſſe reſtituendos, non qui percipi poterant, vel à domino rei, vel ab ipſo emptore, vel à quocumque alio poſſeſſore, ſub quo res eſſe poterat. Cùm enim Ordinationes loquantur ſolùm de fructibus ab emptore perceptis, & non de illis, qui percipi potuiſſent ab ipſo emptore, vel à domino rei, vel à quocumque alio poſſeſſore ſub quo res fuiſſet; perceptos duntaxat voluit reſtitui, & nullos alios, & tamen conſtat emptorem, rei in cuius venditione data fuit enormiſſima læſio, præſumi in iure poſſeſſorem malæ fidei; quia talis venditio habet præſumptum dolum, iuxta *leg. omnes, §. Lucius, ff. quæ in fraudem credit.* 9.

Quid in foro iudicij dicendum.

Leſſius. Syluest.

Quos fructus rei fructiferæ de iure Luſitano teneatur malæ fidei poſſeſſor reſtituere.

Emptor rei in cuius venditione data fuit enormiſſima læſio, præſumitur malæ fidei poſſeſſor.

&

Decius. Gama.

& *l. ſi ſuperſtite, C. de dolo,* & docet Decius *conſilio* 180. *num.*6. & Gama *deciſione* 24. *num.*2. vbi dicit in Senatu Luſitaniæ ſæpe iudicatum fuiſſe, vt ſolùm fructus percepti reſtituerentur, & non qui percipi potuiſſent, ſiue ab ipſo emptore, ſiue à domino rei enormiſſimè læſo, ſiuè à quocumque alio, ſub quo res eſſe potuiſſet.

10. *Quid ſi poſſeſſor violentus & non violentus habens vel non habens titulum.*

Quare Doctores diſtinguunt inter poſſeſſores malæ fidei habentes titulum, & non habentes titulum, ſeu inter poſſeſſores violentos, & non violentos; & violentos appellant illos, qui nullum titulum habent emptionis, venditionis, permutationis, donationis, legati, hæredationis, aut quemquam alium verum, ſed coloratum, ſed à principio rem ſine titulo per iniuriam, & violentiam occuparunt, quales ſunt fures, & vſurarij: non violentos autem appellant illos, qui titulum aliquem habent verum, vel coloratum, qualem habet emptor rei, in qua data fuit læſio enormiſſima, & de poſſeſſoribus violentis, ſeu titulum non habentibus, dicunt teneri eos non ſolùm reſtituere fructus à ſe perceptos, ſed etiam eos, quos veri domini poterant percipere, ſi rem poſſiderent, ſiue illos ipſi violenti & malæ fidei poſſeſſores titulum non habentes percipiant, ſiue non percipiant; de non violentis verò, ſeu de titulum habentibus dicunt teneri illos tantùm fructus reſtituere, qui probantur ab eis fuiſſe perceptos; ſiue extent, ſiue non extent, quæ doctrina vera eſt, & eam tradit gloſſa *in cap. grauis, de reſtitut. ſpoliatorum, in verb. Fructus,* illamque probabimus *in cap.* 20. *num.* 23. vbi hac de re latiùs agemus, & conſtat expreſsè ex eodem capite *grauis,* vbi loquens cum iudicibus de poſſeſſoribus violentis ſic ait: *Non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore perceptos; ſed quos (ſi eis eas res poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent reddi faciatis iiſdem;* pateque etiam ex *Inſtit. de officio iudic.* §.1. *& ex leg.* 1. *& ex leg. cum Prætor, ff. de verborum ſignific.*

11. *Quid de fructibus perceptis ex re fructifera vendita infra dimidiũ iuſti pretij.*

Loquens verò noſtrum ius Luſitanum *dicto lib.* 4. *titulo* 13. §.10. de fructibus perceptis ex re fructifera vendita infra dimidium minoris pretij ſolùm præcipit, ſi de retractu in iudicio agatur, vt res reſtituatur, reddito pretio cum omnibus fructibus perceptis, non à tempore venditionis, vt præceperat de venditione, in qua læſio fuit enormiſſima, ſed à tempore litis conteſtatæ, quia ex tunc ſolùm cenſetur emptor, poſſeſſor malæ fidei, vt probat Gama 1. *part. deciſ.* 94. *num.* 1. & patet ex *l.* 1. *C. de petit. hæred. & ex l. ſi fundum, ff. de rei vend.* poſt Pinellum quem citat.

Gama.

12. *Quid ſi fur agrum furtiuum infructiferum reddat ſuis expenſis.*

Sed quid ſi fur, aut malæ fidei poſſeſſor rem, vel agrum infructiferum accipiant, & ſuis melioramentis, & expenſis fructiferum reddant, cuius erunt fructus melioramentorum, & ad quem pertinebunt? Partita eſt opinio.

Opinio prima.

Prima docet pertinere ad furem, & malæ fidei poſſeſſorem.

Primò, quia ipſi fructus ſunt fructus melioramentorum: melioramenta autem, quæ ipſe latro fecit ſuis expenſis, ſunt illius, & non ſunt domini ipſius rei, & ſunt fructus induſtriæ latronis; induſtria autem ſuo authori prodeſſe debet, non alteri.

Secundò, quia dominus rei non eſſet ea melioramenta facturus ex defectu pecuniæ, ac proinde nullos fructus erat ex illa re ſic meliorata percepturus; quare videntur huiuſmodi fructus ad latronem rem meliorantem fructiferámque reddentem pertinere; & pro hac opinione pugnant omnes quos citauimus *in cap.* 20. *num.* 29. vbi illam latiùs explicabimus, & pro illa facit ex parte *lex cæterùm, ff. de rei vendicat.* ibi, *Cæterùm de fructibus ſerui petiti, cùm queritur, improbè, inquit Paulus, deſiderabit petitor ſerui fructus æſtimari, qui ex artificio eius percipi potuerunt.* Et caſus ſic figuratur: Petrus furatus fuit à Paulo ſeruum, quem ipſe Petrus ſuis expenſis artificem fecit: illo autem meliorato, & artifice facto, nihil ex melioramento acquiſiuit; poſtea Paulus repetiit in iudicio à Petro ſuum ſeruum cum omnibus fructibus, quos poterat hoc artificio acquirere, ſi ſic melioratus poſſideretur à domino, licèt Petrus nullos ex illo meliorato acquiſierit, & interrogatus hac de re Paulus Iuris conſultus reſpondit, *Improbè peti huiuſmodi fructus à domino ſerui;* quare videtur definire iniuſtè illos peti, ac proinde fructus illos ad ipſum poſſeſſorem malæ fidei ſeruum meliorantem pertinere, non ad dominum ſerui, & ex hoc principio in hac lege fundatus videtur tenere Couarruuias *lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 8. *num.* 4. poſt multos quos allegat fructus ex melioramentis perceptis ad meliorantes pertinere, non ad dominos rei melioratæ, & dicit hanc opinionem eſſe fundatam in æquitate quadam naturali. Couar.

Verùm illud aduerbium *improbè,* accipiendum eſt pro *inciuiliter,* & *inurbanè,* non pro *iniuſtè,* vt idem etiam Couarruuias citatus explicat: quamobrem in foro externo dicendum eſt, ſi poſſeſſor ſerui nullum titulum habebat ad illum poſſidendum, teneri reſtituere ſeruum cum omnibus fructibus, quos ex illo ſic meliorato percepit, & quos dominus percepiſſet, ſi eum ſic melioratum poſſideret, licèt nullos poſſeſſor malæ fidei non perceperit; vnde ſi exiguos ipſe percepit, & maiores dominus perciperet, maiores tenetur reſtituere; de fructibus verò, qui abſolutè percipi potuiſſent, dicam infrà *cap.* 20. *num.* 26. ſi verò titulum aliquem ad illum poſſidendum habebat, ſiue verum, ſiue coloratum, dicendum eſt, ſolùm teneri fructus ex ſeruo meliorato perceptos, cum ſeruo reſtituere, & ſi nullos percepit, nullos teneri reſtituere, iuxta doctrinam hactenus traditam, & tradendam infrà *capit.* 20. *numero* 23. 13.

In foro verò conſcientiæ dicendum eſt poſſeſſores malæ fidei ſiue titulum habeant, ſiue non habeant, teneri reſtituere rem melioratam cum omnibus fructibus non ſolùm quos ipſi perceperunt, etiamſi dominus non percepiſſet, ſed etiam, quos dominus rei ex illa apud ſe habita percepiſſet, etiam ſi poſſeſſores malæ fidei nullos perceperint; non teneri verò ad illos, quos nec ipſi perceperunt, nec dominus percepiſſet; percepiſſet autem abſolutè quiuis alius poſſeſſor, ſi ſub illo eſſet, & in hoc quoad poſſeſſorem malæ fidei nullum titulum habentem concordat vterque forus tam ſoli, quàm poli, & ſic docet D. Thom. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 327. *concluſ.* 1. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 17. *à num.* 113. vſque D.Thom. Molina. Leſſius.

vſque ad 118. & patet ex *cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum*; ibi, *Non tam fructus perceptos, ſed etiam qui licitè percipi potuiſſent à veris dominis, reddi faciatis eiſdem.* Et ratio eſt, quia melioramenta illa eo ipſo, quòd rei addita fuerunt, domini illius ſunt, ſunt enim acceſſoria, & acceſſorium ſequitur principale.

Nec refert quòd dominus rei ex defectu pecuniæ & induſtriæ, nulla melioramenta in ea re feciſſet, ſi eam poſſideret; quia id per accidens eſt, cùm conſtet poſſeſſorem malæ fidei eſſe iniuſtum poſſeſſorem, & iniuſtè rem ſic melioratam retinere; & ſi eam domino reſtituiſſet, dominus eos fructus ex ea ſic meliorata percepiſſet; vnde cùm culpa & mora illius non reſtituatur, mora nocet ei, per quem fit, & negligens tenetur ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, quod in vtroque foro vterque iudex, conſcientiæ ſcilicet & ciuilis, debet æſtimare, vt docet
Syluester. Panorm. Innocent. Syluester *verb. Mora, num.* 4. & Panormitanus *in cap. conqueſtus, de vſuris*, & patet ex textu *in l.* 2. *ff de eo quod certo loco, in fine*, & Innocent. *in cap. ſacro, de ſentent. excommunicat.* & gloſſa *in l. curabit, C. de action. empti.*

14. Ex dictis ſequitur eum, qui agrum ſterilem mala fide poſſidebat, & nullum titulum habebat, & quem dominus colere non curabat, excoluit autem ille diuertendo aquas, aut ſarculis frugiferum reddendo, & aliquos inde fructus percepit, teneri in conſcientia ad illorum reſtitutionem, quamuis dominus illos non percepiſſet, & ad reſtitutionem illorum, quos dominus percepiſſet, ſi agrum ſic melioratum haberet, quamuis ille ex negligentia nullos perceperit, vt rectè docet, ex-
Leſſius. preſſéque Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortun. dub.* 17. *num.* 115. & cæteri omnes, quos citauimus *num.* 13. *& num.* 16.

Si verò nullos fructus ille ex re ſic meliorata percepit, nec dominus percepiſſet, ſi illam ſic melioratam habuiſſet, ad nihilum teneri, cùm in re nulla dominus fuerit damnificatus; quia inutiliter tunc rem ſic melioratam poſſideret, ſi illa reddita
Syluester. fuiſſet, vt patet, & docet Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 9. *initio*, fructus rei, ſequitur etiam teneri dominum rei reſtituere poſſeſſori malæ fidei omnes expenſas, quas in agro meliorando fecit, vt ſuprà diximus.

15. *Quid ſi fructus iam non extent.* Sed quid ſi fructus rei furatæ, aut mala fide acquiſitæ, ſiue melioratæ, ſiue non melioratæ, iam non extent apud iniuſtos, & malæ fidei poſſeſſores, quia v. c. illos conſumpſerunt cum ſociis in potationibus, & ex illis nullus factus eſt ditior.
Couar. Medina. P. Nauarra. Syluester. Reſpondeo in hoc caſu aſſerere Couarruuiam *ad regul. Peccatum, part.* 2. *§.* 6 *num.* 4. & Ioannem Medinam *de reſt. quæſt.* 6. & Petrum Nauarrum *lib.* 4. *de reſt. cap.* 1. *num.* 44. & Syluestrum *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 9. *initio*, teneri furem, & iniquum poſſeſſorem in foro conſcientiæ reſtituere fructus, quos dominus erat percepturus, non autem eos, quos non erat percepturus.

Primò, quia fur non tenetur ratione rei acceptæ, cùm fructus non extent; non ratione iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio non obligat ad reſtitutionem, niſi quatenus efficaciter infert damnum; hic autem nullum damnum intulit ſecundùm æſtimationem moralem, quia etſi rem alterius non accepiſſet, nec retinuiſſet, non ideo ex illa dominus fieret locupletior, cùm re vera apud illum nullos fructus produceret, vt ſupponimus.

Secundò, quia quando res apud dominum nullos erat fructus allatura, & induſtria alterius effecta eſt fructifera; fructus illius adſcribendi ſunt induſtriæ, non rei: ſic ille, qui torquem aureum, vel equum furtiuum pretio locat, quos dominus nullo modo eſſet locaturus, non tenetur reſtituere domino illorum lucrum locationis, cùm dominus nullum damnum inde perceperit, cùm has res non fuerit ſolitus pretio locari, & totum illud lucrum ſit fructus induſtriæ latronis; vt docet Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 12. *num.* 25. & Nauar. Syluester.
patebit infrà *num.* 20. & deducitur ex Syluestro *verb. Furtum*, 3. *num.* 9. *ad finem*, quatenus ait, ſi res ex ſe non ſit lucroſa, nec fructifera, niſi ſolùm ex induſtria furantis, non teneri furem reſtituere lucrum illius, ſed ſolùm rem ipſam acceptam cum detrimento dato lucri ceſſantis, aut damni emergentis, vt ſæpe diximus.

Contrarium tamen dicendum eſt cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 17. *de iniur. fortun. num.* 20. Leſſius.
Ratio eſt

Primò, quia fructus hoc ipſo quòd aliquando percepti ſunt à latrone domini rei ſunt, non latronis; ergo ſtatim reſtituendi domino erant, cùm fuerint certi, & in ſpecie debiti. vnde in conſumptione illorum, verum damnum domino illatum fuit; fuit enim conſumptio rei, ipſius domini, quæ ſi ſuo tempore illi reddita fuiſſet, apud illum non periiſſet. 16.

Secundò, quia cùm ſtatim deberent reſtitui, ſi fur eos tunc non reſtituit, cùm commodè potuit, fuit in mora, mora autem nocet ei, per quem fit, vt latè ſuprà probauimus; vnde etiam ſi furtiuò pereant dum fuerit in mora, tenebitur ratione moræ, ad illorum reſtitutionem; non tenebitur tamen ſi citra eius culpam pereant, antequam eos poſſet reſtituere, cùm tunc non cenſeatur fuiſſe in mora.

Tertiò, quia etſi non cenſeatur latro intuliſſe damnum ratione iniquæ retentionis rei fructiferæ; quia apud dominum non fuiſſet fructifera, intulit tamen ratione furti, quia illos perceptos debito tempore non reſtituit, nam eo ipſo, quòd producti fuerunt, ad dominum pertinebant, non ad furem.

Quartò, quia huiuſmodi fructus non fuerunt fructus meræ induſtriæ furantis; ſed ipſius rei, ſuppoſita induſtria illius, vnde ſequitur ſolam æſtimationem induſtriæ furis eſſe deducendam, non fructus, vt patet.

Statuo ſecundò, ſi fur, aut poſſeſſor malæ fidei negotientur cum rebus vſu conſumptibilibus, furto, aut mala fide acquiſitis (recole autem ex *num.* 1. quæ ſint res vſu conſumptibiles) & aliquid lucrentur, comparant dominium lucri, & non tenentur illud reſtituere dominis ipſarum rerum; tenentur tamen non ſolùm reſtituere rem furtiuam, ſed etiam intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Sotus *lib.* 6. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 4. *concluſ.* 2. Ioannes Medina *de rebus per vſuram acquiſitis, q.* 4. *ad* 4. *principale.* Couar. *lib.* 3. *reſolut. cap.* 3. *num.* 6. Panormit. *in cap. nauiganti, de vſuris num. vltim.* Molin. Theologus *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 327. *§. ſecunda concluſio.* Angelus *verb. Vſura* 1. *num.* 15. Syluester *verb. Vſura* 6. *quæſt.* 2. *& verb. furtum, quæſt.* 16. *& verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 9. & omnes, quos citauimus *in concluſ.* 1. *num.* 6. Patet ex *l.* 1. *C. ſi quis alteri, vel ſibi*; & ex *l. penult. eodem tit.* vbi dicitur furem, qui pecunia furtiua prædium emit,

17. *De fure, aut poſſeſſore malæ fidei negotiantibus cum rebus vſu conſumptibilibus, furto, aut mala fide acquiſitis. Aſſertio ſecunda.*

D. Thom. Sotus. Medin. Couar. Panorm. Molina. Angel. Syluester.

emit, comparare ſibi dominium illius, & ſolùm teneri reſtituere pecuniam domino illius, & omne lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſi quod ei dedit, ibi, *Qui aliena pecunia comparat, non ei cuius nummi fuerunt, ſed ſibi tam actionem empti, quàm dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio, quærit.* Et idem confirmat *l. qui vas, §. vltim. ff. de furtis*, quatenus habet ſi fur rem furtiuam vendat, v. c. equum, pretium ad furem pertinere, non ad dominum equi. Probatur facilè ratione,

Primò, quia huiuſmodi res non ſunt ex ſe fructiferæ, ſed ſolùm ex induſtria negotiantis, & ideo quidquid iis negotiantes acquirunt, totum, id eſt, fructus induſtriæ illorum, & ad illos pertinet, non ad dominos harum rerum.

Secundò, quia ad fures & poſſeſſores malæ fidei pertinet periculum harum rerum ſi pereant; ergo & lucrum, tenentur tamen illi ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis ex iniuſta earum rerum detentione. Hinc

18. Sequitur primò, ſi depoſitarius emat poſſeſſiones aliquas pecunia alterius, quam apud ſe depoſitam habet, eique poſſeſſiones tradantur, fieri poſſeſſiones illas ipſius depoſitarij, illas ementis, non domini pecuniæ, ac proinde non teneri huiuſmodi depoſitarium illas domino reſtituere; nec etiam in pecuniæ recompenſationem, ſed ſatis eſſe, ſi illi ſoluat ſuam pecuniam, & omne lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſi propter detentionem, & moram, eam non ſoluendi, ei fuerit ſubſecutum, ita expreſsè docet Molin. Theolog. *tom. 2. de iuſt. diſp. 327. §. ſecunda concluſio pag. 148. col. 2.* & facit pro hac parte *l. 1. C. ſi quis alteri vel ſibi*, quatenus habet vxorem quæ ex pecunia viri defuncti, quæ ad filium pertinebat, aliquid emit, comparare ſibi, & nõ filio, dominium illius, filiumque ſolùm poſſe agere aduerſùs matrem, vt ſibi pecuniam reſtituat, quod verum eſt quicquid dicat Sylueſter *verb. depoſitum, num. 10. quæſt. 9.* vbi aſſerit teneri depoſitarium reſtituere omne lucrum pecuniæ ad ſe depoſitæ, ſi eam negotiationi expoſuit contra voluntatem domini, & abſque conſenſu illius tacito, vel expreſſo, & furtum committere niſi ei fructus, & lucrum pecuniæ reſtituat, quod intelligendum eſt deducta ſemper æſtimatione laboris, & induſtriæ negotiantis; id enim lucrum cenſetur quod deductis expenſis, & hac æſtimatione remanet, vt diximus *num. 5. huius capitis.* Secus ſi cum hoc conſenſu, aut bona fide putans id domino non diſpliciturum, etiamſi minus probabiliter hoc putauerit, eam lucro exponat; cenſeri autem non fore contentum, & ei id diſplicere, ſi prædicta pecunia depoſitario obligata ſtemmate, aut ſera clauſa tradatur, niſi aliter diceretur expreſsè. Verùm opinio Sylueſtri non placet, quia pecunia depoſita de ſe non eſt fructifera, ſed ex ſola depoſitarij induſtria; vnde totum lucrum illa acquiſitum depoſitarij erit, non domini pecuniæ illam deponentis, & prohibitio tacita, vel expreſſa ſolum efficiet, vt contra domini voluntatem peccet; ob peccatum autem, & iniuriam ſine vllo damno alteri illatam nullus tenetur ad reſtitutionem, ſolum enim ob hoc ei debetur veniæ petitio, ſi res id poſtulet, non damni reſtitutio; tenebitur tamen depoſitarius ad reſtitutionem lucri ceſſantis, & damni emergentis, quod ex mora non reddendi pecuniam domino deponenti, vt dixi, euenit.

De depoſitario emente prædium pecunia aliena apud ſe depoſita. Sequela prima.

Molin.

Sylueſt.

19. Sequitur ſecundò, eum furem, qui pecunia furtiua negotiatur, comparare ſibi dominium lucri, & ſolùm teneri reſtituere domino pecuniæ ipſam pecuniam, & omne damnum inde illi emergens, & lucrum ceſſans, ex fundamento tacto, quia videlicet pecunia non eſt fructifera ex ſe, ſed totus ille fructus, eſt fructus induſtriæ furantis, non pecuniæ, & ideo ratione lucri ceſſantis, ſi dominus pecuniæ illam lucro erat expoſiturus, tenetur latro illud lucrum ei reſtituere; ratione verò damni emergentis, ſi dominus illam habebat ad reficiendam domum, vel ad prouidendum ſibi de neceſſario cibo ad totum annum, & ex defectu illius, id non fecit, ſed domus cecidit, & res cariori pretio poſtea emit, totum damnum eiuſmodi, tenetur fur in conſcientia domino pecuniæ reſtituere, ita Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 17. num. 113.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 4. n. 41.* Pater Molina *tom. 2. de iuſt. diſput. 327. concluſ. 2.* Lud. Lopez *2. part. inſtruct. cap. 51. & 5.* Sotus *lib 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. concluſ. 2.* & patet expreſsè ex *l. penult. C. ſi quis alteri, vel ſibi, & ex l. 49. tit. 5. part. 5.* & ex *l. qui vas, § vltim. ff. de furtis.*

Quid de fure negotiante pecunia furtiua. Sequela ſecunda.

Leſſius. P. Nauar. Molina. Lopez. Sotus.

20. Sequitur tertiò, eum, qui equum furto abſtulit, torquem aureum, vel catenam non ſolitam pro lucro à dominis locari, non teneri huiuſmodi lucrum dominis reſtituere, ſecus ſi domini ſint ſoliti hæc pretio elocare, ſed ſatisfacere ſi hæc ſuis dominis reddant, ſatisfacto lucro ceſſanti ac damno emergenti; ſi quod inde eis datum eſt, quia cùm hæc non ſolita à dominis pro lucro elocari, nec de ſe ſint fructifera, totum illud lucrum cenſetur fructus induſtriæ furantis, ita expreſsè Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num. 25.* Ludouicus Lopez *1. part. inſtruct. cap. 105. ad finem.* Molina *tom. 3 de iuſt. diſp. 327. concluſ. 2.* & deducitur ex Sylueſtro *verb. furtum 3. num 9. ad finem*, quatenus ait, ſi res ex ſe non ſit fructifera, niſi ſolùm ex induſtria furantis, non teneri furem reſtituere lucrum illius, ſed tantummodo ipſam rem cum intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, quando dominus illam non erat lucro expoſiturus, contra Leſſium *lib. 2. cap. 12. dub. 17. num. 114.* & contra Petrum Nauarram *lib. 4. de reſt. cap. 1. num 4.* & contra eundem Molinam, qui immemor ſui, contrarium tenet *tom. 4. de iuſt. diſp. 717. § vltim.* & contra Sancium *tom. 1. Decalog. lib. 2. cap. 23. num. 132.* qui docent lucrum hoc non eſſe fructum induſtriæ furantis, ſed eſſe lucrum ex vſu ipſius torquis, equi, vel catenæ inſtar fructus rei, & ideo reſtituendum eſſe domino rei, & non eſſe cenſendum fructum induſtriæ furantis, quia ille vſus de ſe eſt pretio æſtimabilis, & ideo vtrumque iudico probabile, ſed prius probabilius.

Quid de fure qui rem furtiuam nõ ſolitam elocari à domino, illam elocat. Sequela tertia.

Nauar. Lopez. Molina.

Sylueſt.

Leſſius. Nauarr. Molina.

Sanchez.

21. Sequitur quartò eum, qui equum, quem furto abſtulit, pecunia vendidit, comparare dominium pecuniæ, ad illumque pertinere, non ad dominum equi, vnde ſi dominus equi hanc pecuniam vi, aut clam auferat à fure, furtum, & rapinam committet in eum, ita docet expreſsè Molina *tom. 2. de iuſtitia, diſput. 327. §. ſecunda concluſio* (& idem de quacumque alia re) & patet ex *l. qui vas, §. vltimo, ff. de furtis*, vbi idipſum exprimitur. Et ratio eſt, quia ille contractus, quo venditus, aut aliter diſtractus fuit equus, fuit validus, vt conſtat ex *l. rem alienam. ff. de contrah. emptione*, quamuis enim fur venditor per huiuſmodi contractum, non transferat dominium equi in emptorem, cùm non fuerit dominus illius, vt habetur *in l. ex empto. ff. de actionib. empti*; nemo enim poteſt transferre in alium dominium rei alicuius, niſi ſit ſua; at furtiuus

An fur, qui equum furtiuum vendidit, comparet dominiũ illius pretij. Sequela quarta.

uus equus, non erat vendentis furis; erat enim domini à quo furto fuit ablatus; tamen contractus venditionis fuit validus, quoniam fur venditor tenetur emptori de euictione, atque adeò de valore illius rei, quam de facto transtulit in emptorem, & de omnibus inſuper damnis, quæ ſi res euincatur, emptori illius aduenerint, non de pretio, quod pro illa emptor dedit. Vnde ſequitur, ſi fur pecunia illa, vel pretio aliquid alterius emat, comparare dominium rei emptæ, & transferre dominium pretij in venditorem, & non teneri huiuſmodi venditorem reſtituere pretium illud domino rei furto ablatæ, quoniam emptori illius ſolùm competit actio perſonalis in furem, vt ſibi rem euictam perſoluat, & damna omnia ea de cauſa ſibi ſubſecuta reficiat, vnde non ei competit realis actio ad pretium, quod pro ea dedit, quaſi pretium illud ad quemcumque deueniat, ſit ipſi obligatum pro re furtiua, vt latè probat Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 327. concluſ. 2.* & cum Molina conſentit Conradus *de contractibus, quæſt. 70.* quæ omnia intelligenda ſunt, modò tam emptor, quàm venditor tempore contractus neſciat rem eſſe furtiuam, nam ſi id ſciat, inualidus omnino erit contractus, ac proinde venditor non comparabit dominium pretij, idemque eſt dicendum ſi id ſciat ſolus emptor qui rem illam ab eo emit, cui fur illam vendiderat, tunc enim non tenebitur venditor ſtare contractui venditionis, neque tenetur emptori de euictione; quæ ergo hactenus diximus in terminis propoſitis, procedunt quando ſcilicet vel ſolus venditor ſciebat rem eſſe furtiuã, vel quando tam emptor, quàm venditor furtiuam eſſe ignorabant, quæ omnia habentur *in l. ſi in emptione. § item ſi emptor. ff. de contrah. empt.*

22. *An creditor, & qui rẽ oppignoratam habet, ſi pro pretio elocet comparet dominiũ lucri ſequela quinta.*

Sequitur quintò, creditorem illum, cui debitor rem aliquam in pignus tradidit, v. c. auream catenam, veſtem pretioſam, diſcúmve argenteum, vel quid ſimile, vt tapete, vel lectuli ſtragulum, ſi hæc pignora pro lucro elocet, non teneri reſtituere domino pignorum huiuſmodi lucrum, ſi dominus ea pignora non ſolebat elocare, neque elocaturus erat pro lucro, ſed ſolùm teneri illi de damno emergenti, ſi quod damnum huiuſmodi pignora ex eo vſu patiuntur. patet, quia cùm huiuſmodi res non ſint ex ſe fructiferæ, ſed ſolùm ex induſtria creditoris, qui illas loco pignorum habebat, induſtriæ illius tribuuntur hæc lucra; idem dicendum eſt de qualibet alia re apud aliquem creditorem oppignorata, quæ non ſit ex ſe fructifera, ſed ex creditoris induſtria; vnde ſi res talis ſit, quæ propter eam expoſitionem ad lucrum detrimentum aliquod accipiat, id illud tenebitur creditor, ratione damni emergentis, quod domino rei, & debitori ſuo ex inde reſultat, quod patet ex iis, quæ diximus *num. 20.*

23. Hæc autem quinta ſequela eſt contra Sylueſtrum *verb. pignus 7. num. 7.* & contra Molinam Theologum *tom. 4. de iuſt. diſp. 717. §. vltim. & tom. 1. diſp. 5. pag. 67. col. 1. litera A.* & Panormitanum *in cap. 1. de depoſito*, contra Sancium, & Leſſium *num. 20.* allegatos, qui omnes aſſerunt teneri creditorem, qui rem oppignoratam habet, ſi illa ex ſua natura fructifera non ſit (excepta pecunia) ab illo lucro fuerit expoſita contra voluntatem tacitam, vel expreſſam debitoris pignori tradentis, illi reſtituere non ſolum fructus omnes, ac lucrum, ſed etiam omne damnum illi inde emergens, etiamſi debitor non fuerit ſolitus illam pro lucro elocare, & citat pro hac parte Sylueſter *cap. 1. de depoſito, & cap. 1. de vſuris, & l. ſi pignus, ff. de furtis, & Inſtitut. de obligat. quæ quaſi ex delicto naſcuntur.* Verùm hæc iura in alio ſenſu loquuntur, in eo ſcilicet, in quo debitor, & dominus harum rerum ſolitus erat illas pro lucro exponere, quod nos non negamus, & fundamentum Sylueſtri eſt, quia licèt huiuſmodi res, v. c. torques aurei, catenæ, veſtes, diſci argentei, non ſint de ſe fructiferæ, tamen illarum fructus ſi lucro exponantur, ſemper eſt reſtituendus illarum dominis, ſiue de conſenſu illius, ſiue abſque conſenſu tacito, vel expreſſo pro eo exponantur, quia ſi voluntas debitorum ſit, vt aliquis rebus ſic pignori traditis in ſuum commodum vtatur, vſuram committet, eas res alteri accommodando pro lucro, & ideo tenebitur reſtituere mutuatario illud lucrum, quod pro tali vſu accepit; ſi contra domini voluntatem tacitam, vel expreſſam (taciti enim, & expreſſi eadem vis & poteſtas eſt) furtum eſt quod tenetur reſtituere domino ipſius rei, deducta ſemper æſtimatione laboris & induſtriæ in conſcientia. Fundamentum verò Molinæ eſt, *quia vſus nihil aliud eſt, quàm ius vtendi duntaxat aliena re, ſalua illius ſubſtantia*; vt colligitur ex *Inſtit. de vſu & habitat.* per totum titulum. Vnde cùm ius creditoris reſpectu pignoris non ſit ad vtendum pignore, ſed vt creditor ſecurus reddatur de ſuo debito, ſequitur, vt ſi creditor, domino inuito, illis vtatur, non ſolùm mortaliter peccet ſed etiam reſtituere teneatur valorem vſus.

Verùm non datur furtum, quia ſupponimus dominum rei oppignoratæ, ſeu debitorem nihil eſſe ea lucraturum, quod ab eo creditor furto auferat; quare hæc fundamenta ſolùm probant peccare mortaliter creditores, ſi contra voluntatem dominorum, rebus pignori traditis, vtantur, eas lucro exponendo, & teneri ad reſtitutionem damni emergentis, ſi res inde aliquod detrimentum accipiat; aliàs non, quia huiuſmodi res non ſunt de ſe lucroſæ, aut fructiferæ, nec lucro à dominis ſolebant exponi; quare totum illud lucrum tribuendum eſt induſtriæ iſtorum, non naturæ rei, & ideo ſi nullum damnum paſſi ſunt domini illarum, nihil eis reſtituendum eſt, quia pro peccato, & iniuria commiſſa, in aliquem ſecluſo damno, nulla ei in conſcientia debetur reſtitutio, ſed tantùm veniæ petitio ſi illam voluerit; quare ſi aliquid damni paſſi ſunt in deterioratione rei, ratione damni emergentis, totum id eis reſtituendum erit, vt patet, & non lucrum, cùm lucrum ſit fructus induſtriæ, non fructus rei, vt ſatis probatum manet. Et confirmatur, quia non tenentur reſtituere ratione iniuſtæ acceptionis, cùm accipiant eos fructus, & lucrum ex ſua induſtria, non ex re aliena; non ratione iniuſtæ retentionis fructuum, nam cùm ex propria induſtria ſine damno alterius percipiantur, ſine damno etiam alterius retinẽtur, non ratione alicuius damni illati, quia ſi quod dederunt ex mora non reſtituendi rem, id tenentur reſtituere aliunde, id eſt, ratione damni emergentis, vt patet. 24.

Hactenus egimus de fructibus perceptis à fure, & à poſſeſſore malæ fidei ex re aliena: petes modò quid dicendum ſit de fructibus perceptis ex re aliena à poſſeſſore bonæ fidei; ſed hac de re infrà ſermonem inferemus *cap. 19.* interim ſcire oportet in eo diſtingui poſſeſſorem malæ fidei, à poſſeſſore bonæ fidei, quòd poſſeſſor bonæ fidei ea ſublata, quando fructus non extant, nec integrum pretium illorum, non tenetur illos reſtituere, 25.

Poſſeſſor malæ & poſſeſſor bonæ fidei in quo differãt.

ſed

ſed ſolùm id in quo factus eſt ditior; poſſeſſor verò malæ fidei ſemper eos tenetur reſtituere, ſiue illi extent, ſiue non extent. Vnde bonæ fidei poſſeſſor tenetur omnes fructus extantes, & non conſumptos perceptos ante litem conteſtatam reſtituere; ſi verò non extent, & iam ſint conſumpti, id ſolùm reſtituere tenetur, in quo factus eſt locupletior: poſt litem verò conteſtatam omnes fructus tenetur reſtituere à puncto conteſtationis litis perceptos, quia ab eo tempore cœpit eſſe poſſeſſor malæ fidei, vt optimè animaduertit gloſſa *in cap. grauis, de reſtitutione ſpoliatorum, verb. fructus*, & conſtat ex *l. ſi fundum, C. de rei vendicatione*, & ex multis iuribus *ibid.* citatis à gloſſa.

Caput XVII.

Vtrùm ad reſtitutionem teneatur fur ſi res furtiua in eius manu abſque culpa illius pereat eodem, vel diuerſo modo, quo in manu domini erat peritura; & quid ſi culpa illius pereat, etiam apud dominum peritura.

Summarium.

In foro externo tenetur fur, & malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem rei, quæ in manu eius perit, etiamſi in manu domini eodem modo pereat. numero 1.

In foro conſcientiæ ſi res furto ablata, vel mala fide poſſeſſa caſu fortuito pereat apud furem, & non erat peritura apud dominum, tenetur fur ad illius reſtitutionem. num 2. 3.

Quid ſi eodem modo in manu domini eſſet caſu fortuito peritura, refertur prima opinio affirmans teneri. num. 4.

Aſtruitur, & præfertur opinio negatiua. num. 5.

Quæ ſit obligatio reſtitutionis ex delicto furti, & ex contractu, explicatur lex Rhodia. num. 6.

Quid quando dubitatur an res apud dominum periret ſi ei antea reſtitueretur. num. 7.

Quid ſi res apud dominum peritura erat iniuſta hominum incurſione, & apud furem eadem iniuſta incurſione periyt, vel caſu aliquo fortuito, etiam ſine culpa illius. num. 8.

Quid ſi homo diues in domo ſua, vel alio in loco res ſuas ſeruare ſolebat, rem aliquam habeat quam ſine dubio ſineret perire, an ad reſtitutionem teneatur ille, qui eam rem in ſuos vſus conuerteret. num. 9.

Quid ſi res de facto pereat apud furem, & ſine dubio periret etiam apud dominum abſque vlla illius vtilitate, ſed non eodem modo, at diuerſo. numero 10.

1. *An fur, & malæ fidei poſſeſſor teneātur ad reſtitutionē rei, quæ in manu eorum periyt.* Couarr.

QVÆSTIO vel eſſe poteſt de foro ſoli, vel de foro poli; in foro ſoli obligandus eſt fur, & malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem rei, quæ in manu eius periit, etiamſi eodem modo apud dominum pereat; ita Bartolus & communiter DD. quos refert, ſed non ſequitur Couarruuias *ad regulam, peccatum 2. part. §. 6. num. 1.* ſed nihil eſt cur à ſententia Bartoli recedamus, nam ſaltem in pœnam criminis obligabitur fur in iudicio ad ſoluendam rem, quæ in manu eius periit, licèt eodem modo apud dominum foret peritura; iam verò in noſtra Luſitania opinio Bartoli; quia communis eſt, ſequenda erit, quia in noſtris Ordinationibus ſtatuitur, vt in noſtro Regno teneatur opinio Bartoli. ſi communis fuerit, quando ea de re nihil peculiare in noſtro iure decretum, ac deciſum fuerit, & in illo nihil hac de re ſtatutum inuenitur.

Quæſtio igitur eſſe poteſt in foro conſcientiæ, 2.

Primò, quando res fortuitò perit in manu furis, & non erat peritura in manu domini.

Secundò, quando fortuitò perit in manu furis eodem modo apud dominum peritura.

Tertiò, quando reuera perit in manu furis, & peritura etiam erat in manu domini; ſed diuerſo omnino modo.

Quartò, quando perit apud furem, & dubitatur an peritura eſſet apud dominum, eodem, an diuerſo modo, de his omnibus caſibus agemus.

Dico primò, ſi res furto ablata, vel aliter iniquo titulo acquiſita, ac poſſeſſa, caſu pereat apud furem, & non erat apud dominum peritura, tenetur fur & iniquus poſſeſſor illam reſtituere, eſt communis, ita D. Thom. 2. 2 *quæſt. 62. art. 6.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniurijs fort. dub. 15. num. 90.* Couar. *ad regulam peccatum 2. part. § 6. num. 1.* Syluester *verb. furtum, num. 20. quæſt. 16* & communiter omnes. Patet,

3. *Quid ſi res pereat apud furem.* D. Thom. Leſſius. Couar. Syluester.

Primò, quia qui eam iniuſtè acceperunt, non ſolùm obligantur ratione rei acceptæ, ſed etiam iniuſtæ acceptionis, & retentionis; ergo ſiue res extet, ſiue non extet, ſemper ad illius reſtitutionem tenentur ratione iniuſtæ acceptionis, quia iniuſta acceptio fuit cauſa peritionis illius, ſi enim illam non vſurparent, non periret.

Secundò, quia fur, & iniquus vſurpator fuerunt in mora non reſtituendi illam rem; iniuſtè enim detinuerunt illam, cùm poſſint ſtatim reſtituere; ei autem, qui eſt in mora reſtituendi, cùm poſſit reſtituere, caſus etiam fortuitus imputatur, vt patet ex *cap. decima 16. quæſt. 1.* igitur cùm mora illis noceat, illis peribit res, ſi caſu pereat, quando apud dominum non erat peritura.

Excipe tamen, quando rem loco, & tempore conuenienti ad acceptandum, domino obtulerunt, & ipſe accipere recuſauit, quia tunc per illam oblationem purgarunt moram, vt conſtat ex *l. in re furtiua, § ſi ex cauſa, ff. de condict. furtiu.* vnde non tenetur ſi periit, aut deteriorata fuerit, vt conſtat ex *l vlt. C. de condict. furt.* & hanc exceptionem docent communiter authores, Syluester *citatus dicto num. 20. in fine*, Leſſius *allegatus dict. num. 90. in fine etiam.* Syluest. Leſſius.

Dico ſecundò, ſi res caſu fortuito, vel ſubita hominum incurſione iuſta, non iniuſta, periit apud furem, vel iniquum poſſeſſorem, ſimiliter, & eodem modo apud dominum ſine vtilitate illius peritura, eſt duplex opinio. 4. *Quid ſi peritura apud dominum.*

Prima affirmat teneri illos ad reſtitutionem; eam docet Paludanus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 5.* Ancharranus citatus, & Couarruuias *in regula peccatum 2. part. §. 6. num. 1. in fine*; & ad hoc magis accedere videtur Ioannes Medina *C. de reſt. quæſt. 3. in fine*, & facit pro hac parte lex *ex inuito, ff de vi & vi armata.* Vbi habetur ſi res pereat caſu fortuito, teneri eum, qui eam abſtulit, etiamſi pereat ſine culpa ſua, ad illius reſtitutionem, quia à principio fuit in mora, & idem probatur ex *l. 1. § rectiſſimè, eodem tit.* Probant, *Opinio prima.* Palud. Anchar. Couar. Medina.

Primò,

Primò, quia licèt non teneantur ad hanc reſtitutionem ratione rei acceptæ, cùm iam non exiet, & caſu perierit, tamen tenentur ratione iniuſtæ acceptionis, & retentionis, hoc enim ipſo quòd voluerunt illam furari, ad reſtitutionem illius ſe obligarunt, ſiue apud dominum eodem modo eſſet peritura, ſiue non eſſet.

Secundò, quia fortè non periret, nec eodem, nec diuerſo modo apud dominum ſi in eius manu fuiſſet; alienaſſet enim illam dominus, vel fortè vendidiſſet ante illius interitum, & peritionem.

Opinio ſecũda. Secunda opinio probabilior, communior, ac tenenda, negat omnino furem (idem de quocumque alio iniquo poſſeſſore) ad reſtitutionem teneri rei furtiuæ quando in eius manu periit, ſi eodem modo caſuque certò, & infallibiliter, non ſub dubio, erat apud dominum, ſine vlla illius vtilitate ac commodo, v. g. iuſta hoſtium incurſione, non iniuſta, peritura, hæc colligitur ex D.
D.Thom. Thom. 2.2. *queſt.62. art.6.* eam docet Couaruuias
Couar. *ad regulam peccatum, part.2. § 6. num.1.* Ioannes
Medin. Medina *C. de reſt. quæſt.6. concluſione 6.* Syluester
Syluest. *verb. reſt.7. queſt.5. §. tertium,* Sà *verb. debitum, n.11.*
Lopez. Lud. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.95.* Roſella *verb.*
Roſell. *reſtitutio* 16. §. 1. Petrus Nauar. *lib.4. de reſt. cap.1.*
P.Nauarra. *num.27. & 23* Leſſius *lib.2. cap.12. de iniurijs for-*
Leſſius. *tun. dub.15. num 92.* & *ibi* citat Nauarrum *in ſum-*
Nauarr. *ma Lat. cap.17. num.8* ſed *ibi* nihil apud Nauarrum tale reperi Ratio eſt,

Primò, quia aliud eſt teneri furem ad reſtitutionem ex mora non reſtituendi, etiamſi res apud dominum ſimili caſu, eodemque modo ſine illius culpa eſſet peritura, aliud teneri ad reſtitutionem non ex mora, ſi res eſſet ſimiliter, & eodem modo peritura apud eundem dominum ſine vllo illius commodo: in primo caſu tenetur fur, & iniquus poſſeſſor ad reſtitutionem, in ſecundo non tenetur. Ratio eſt, quia in primo caſu ſi res abſque mora domino fuiſſet reſtituta, potuiſſet, & non potuiſſet eam vendere, & alienare ante ipſius rei interitum, & ſic iam fuiſſet ei ea res vtilis, & quia cum fur eam non reſtituit, cùm poſſet, priuatus fuit dominus ea vtilitate; quare neceſſariò tenebitur ad reſtitutionem, quia per moram ei fuit in cauſa damni; in ſecundo verò caſu ſi conſtet quòd antequam res ſimili modo periret, nec vendita, nec vtilis domino fuiſſet, nullo modo ei tenebitur ad aliquam reſtitutionem, nec etiam ad intereſſe aliquod lucri ceſſantis, aut damni emergentis, quia nullum damnum paſſus eſſet dominus illius cùm ante peritionem inutilis ei omnino fuiſſet & infructifera, vt ſupponimus.

Secundò, (& idem recidit) quia ſi res certò erat apud dominum peritura, itavt nihil commodi ex illa habiturus eſſet, nullum profectò detrimentum eſt illi allatum ex eo quòd apud latronem periit; ergo nihil eſt ei compenſandum, ac reſtituendum. Antecedens probatur; quia ille interitus & detrimentum erat ineuitabile, & non poterat à domino impediri, vt ſupponimus. ergo ſecundùm æſtimationem moralem, perinde ſe habebat, ac ſi iam illatum eſſet; ergo non cenſetur fur nouum damnum domino intuliſſe.

Tertiò, quia fur non eſt cauſa damni ratione interitus rei, cùm ad hoc damnum non cooperetur, vt ſuppono; periit enim abſque culpa illius, neque ratione iniquæ acceptionis, cùm ſimiliter peritura foret, etiamſi non fuiſſet furto accepta; qua enim ratione queri dominus poteſt de damno per furtum ſibi illato, cùm res illa etiam ſi non fuiſſet furto ſublata, apud eum eſſet peritura.

Quartò, quia iniqua acceptio non inducit obligationem reſtitutionis, niſi quatenus infert damnum, efficaciter: at hæc acceptio nullum intulit damnum; ergo ad illam non tenetur fur.

Quintò, probatur ex *l. finali, § fin ff. ad leg. Rhodiam de iactu,* vbi dicitur; *Si ea conditione nauem conduxiſti, vt in ea merces tua deportarentur, eaſque merces nauta nulla neceſſitate coactus, cùm id ſciret à te fieri nollet, tranſtulit in nauem deteriorem, & merces cum ea naue perierunt, habes ex conducto locato cum priore nauta actionem, imò contra, inquit Paulus, ſi modò ea nauigatione vtraque nauis periyt;* vbi clarè conſtat nautam non teneri ſi ea melior nauis periit, quia neque ex eo quod merces tranſlatæ fuerint contra pactum conuentum in deteriorem nauem vllum ei cenſetur datum damnum, cùm ſimiliter vtraque nauis periret, & merces interim non erant domino vtiles. Vnde patet hanc ſententiam etiam foro externo eſſe conformem.

Sextò, probatur ex *l. ſi plures. § ſiue autem. ff. depoſiti,* vel contrà vbi dicitur. *Eum, contra quem agitur, vt reddat depoſitum, ſi ſua natura res ante rem iudicatam interciderit, veluti ſi homo mortuus fuerit, abſolui debere,* id eſt, liberari à reſtitutione pretij; & ratio ibi redditur, *quòd æquum ſit naturalem interitum ad actionem pertinere, vtique cum interitura eſſet ea res, etſi reſtituta eſſet actori.* Hæc ibi.

Sed opponunt non nulli Iuriſconſulti exempla legis *Rhodiæ*, & *l. ſi plures*, non venire ad rem; 6.
quia aliud eſt loqui de obligatione reſtitutionis, quæ oritur ex contractu, aliud de obligatione reſtitutionis, quæ oritur ex delicto, ſiue ex furto, & huiuſmodi leges loqui de obligatione reſtitutionis orta ex contractu, non ex delicto, nam nauta ille, quando tranſtulit merces illas in aliam nauem deteriorem, naue illa, in qua ipſe veniobat, tranſtulit illas contra voluntatem domini, & contra pactum inter vtrumque factum, & ideo obligandus erat ex vi contractus ad reſtitutionem, ſi illa deterior nauis periiſſet, ſalua naue meliori, & ideo per accidens non obligatur, quia ſimiliter melior etiam nauis eadem nauigatione periit: at cùm fur, & malæ fidei poſſeſſor non ex contractu, ſed ex delicto furto teneatur, reſtituere videtur obligandus in omni caſu, ſiue res illas ſimiliter, & eodem modo pereat, ſiue non pereat; alioquin fouebuntur furta, & delicta tam frequentia in Republica Chriſtiana. Idem de exemplo depoſitarij, quia etiam ſimiliter ex pacto, non ex delicto tenebatur rem apud ſe depoſitam ſeruare pro certo pretio conuento.

Quæ ſit obligatio reſtitutionis ex delicto furti, & ex contractu.

Verùm nec etiam hæ rationes vim habent, propter rationes ſuprà numero præcedenti factas; quia ſiue ex delicto, ſiue ex contractu quis teneatur; ſi conſtet quòd ante huiuſmodi interitum, & peritionem, res nec vendita, nec vtilis fuiſſet domino, ſi ei reſtitueretur, aut ſi ab eo furto non tolleretur, imò omnino ſimiliter, & eodem modo periret quo periit apud furem, nullum ei tenetur fur reſtituere intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis, cùm nullum ei damnum datum fuerit, nec etiam tenebitur reſtituere ipſam rem, quia ſimiliter, & eodem modo periret apud dominum ſine vtilitate illius, vt diximus. Nec oportet delictum furti punire in foro conſcientiæ, pœna reſtitutionis, cùm ſic pœnis legalibus in foro externo

externo puniatur; quod ſufficit, vt non foueantur furta in Republica Christiana, maximè quia in foro conſcientiæ conſideratur ſolum intereſſe, & damnum, & non pœna, aut iniuria ſine damno, vt optimè notat Syluester *verb. reſtitutio 7. num. 5. in fine*, & gloſſa *in cap. fraternitatis 12. quæſt. 2.* nam pro iniuria præciſa à damno debetur petitio veniæ, non reſtitutio pecuniæ, vt patet.

7. *Quid quando dubitatur an res apud dominum periret, ſi ei antea reſtitueretur.* Sylueſter. Roſell. Sà. Lopez. P. Nauarra. Leſſius.

Dico tertiò, ſi tamen dubium eſſet, an res apud dominum periret, vel quia ſi apud illum exiſteret, ante interitum fuiſſet vendita, vel distracta; aut ei aliquo modo vtilis, tunc quidem ei reſtituenda eſſet, vt docet idem Sylueſter *dicto verb. reſtitutio 7. num. 5. in fine.* Roſella *verb. reſtitutio 16. §. 2.* Sà *verb. Debitum, num. 11.* Lud. Lopez *1. p. instruct. cap. 95.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. num. 23.* & Leſſius *lib. 2. cap. 12. de iniurijs fortun. dub. 15. num. 92. §. dixi*, & patet expreſsè ex *l. cùm res, §. finali, ff. de legibus*, vbi ſi fundus legatus pereat, tenetur debitor ad illius reſtitutionem, quia legatarius potuit illum vendere, ante illius interitum, patet etiam ex *l. ſi verberatum, §. finali, ff. de rei vendicat.* Et ratio eſt, quia in dubiis melior eſt conditio innocentis, iureque poſſidentis.

8. *Quid ſi res peritura erat iniuſta.*

Diximus *num. 5.* non teneri furem ad reſtitutionem, ſi res eadem modo, & caſu certo, & infallibiliter apud dominum erat peritura abſque vllo illius commodo iuſta hominum incurſione, quia ſi peritura eſſet iniuſta hominum incurſione, & per iniuriam domino illatam, & apud furem eadem iniuſta incurſione periit, vel caſu alio fortuito etiam ſine culpa illius, tenetur ſine dubio fur ad rei reſtitutionem; & ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni domino inde emergentis, vt docet Leſſius *dict. lib. 2. cap. 12. de iniurijs fortun. dub. 15. num. 92. §. dico ſecundò, ad finem.* Et ratio eſt, quia ille qui eam per iniuriam domini ab eo abſtuliſſet, vel deuaſtaſſet, teneretur; ergo etiam tenebitur ad eandem reſtitutionem ille, qui illum præuenit, nam obligatio, quam alius ſubiiſſet, in illum neceſſariò tranſmittitur, vt patet. (Leſſius.)

9. Medin. P. Nauar. *Quid ſi diues in domo ſua, vel alio loco rem aliquam habeat.*

Ex dictis in ſecunda opinione *num. 5.* poſita inferunt Ioannes Medina *C. de reſt. quæſt. 6. concluſione 6. & quæſt. 3. caſu 6.* & Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 1. num. 18. §. ex quo*, ſi diues in domo ſua, vel alio in loco vbi res ſuas ſeruare ſolebat, rem aliquam habeat, v. c. manipulos in vinea, aut agro, quibus nec vtatur, nec vſurus credatur, imò potiùs credatur quòd ſinet eos perire, ac diripi, non eſſe obligandum in conſcientia ad reſtitutionem illum, qui eodem domino inſcio, eos in ſuos vſus conuerteret; tunc quia ſic illos conuertendo nullum tali domino damnum infert, tum quia iniuſtè queri poteſt, cùm ei ea res nulli ſit vſui futura, tum denique, quia iam videtur habere illam pro derelicto, & huius opinionis eſt etiam Sà *verb. furtum, num 6.* eſt probabilis. Verùm contrarium dicendum eſt, quia dum dominus res ſuas habet vel in domo ſua, vel in loco alio vbi ſua ſeruare conſueuerat, cenſendus eſt ſibi velle ſeruare, & ſic non habentur pro derelicto, quamuis adeò ſit negligens, & obliuioſus, vt per incuriam illius credantur perire, tum quia nemo tuta conſcientia meliorationem poteſt accipere ex alieno, inuito domino: ſi tamen aliunde conſtet eam fuiſſe voluntatem domini ſaltem præſumptiuam, ex hoc capite excuſari poterit; quando autem ea voluntas præſumptiua detur, iudicabit prudens ex circunſtantiis.

Si autem res non eodem modo, quo apud furem, periit, pereat apud dominum; ſed diuerſo, & abſque culpa ipſius. v. c. apud dominum peritura erat incendio, apud furem periit diluuio; apud dominum hoſtium incurſione iuſta, apud furem ædis ruina; partita eſt opinio. 10. *Quid ſi apud dominū pereat vno modo, & apud furem alio diuerſo.*

Prima docet teneri tunc furem ad reſtitutionem, ſi non eodem modo, id eſt, eodem naufragio, incendio, & incurſione pereat apud dominum, & apud furem, ita docet Petrus Nauarra *lib. 6. de reſt. cap. 1. num. 23.* Couarr. *ad regulam peccatum 2. part. §. 6. num. 1.* Ioannes Medina *ſuprà.* Sylueſter *verb. reſtitutio 7. quæſt. 5.* dum docent ſolummodo liberari furem à reſtitutione cùm eodem modo res fuiſſet peritura in manu domini, quo perit in manu furis. Fundamenta huius opinionis ſunt ea, quæ tetigimus *num. 4.* quæ hîc non repetimus, ne actum agamus. Dicendum tamen eſt, parum referre iſto, aut illo modo res pereat, ſi verè apud dominum erat omnino peritura, abſque vlla illius vtilitate, & ſic non teneri furem ad reſtitutionem, ſi ſine illius culpa pereat, quamuis pereat diuerſo modo, ita docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. de iniurijs fortun. dub. 15. num. 93.* & Ludouic. Lopez *1. part. instruct. cap. 95. §. addit tamen, in fine*, & doctiſſimus vir Ferdinandus Peres in materia *de reſt. diſp. 4. de furto*, poteſt etiam citari Sà *verb. debitum, num. 11.* & Roſella *verb. reſtitutio 16. §. 2.* quatenus abſolutè docent ſi res debita eodem modo eſſet peritura apud dominum, nec antea ei vtilis futura liberari debitorem à reſtitutione, & fundamenta dabimus ſummario ſequenti, ne illud idem ſæpiùs repetamus; interim efficaciter probatur *ex l. Rhodia citata*, vbi mentio fit de perditione nauis, & non de modo, & liberat nautam à reſtitutione, quando vtraque periit, quamuis contra domini voluntatem, & conuentum pactum, ex vna in aliam tranſtulerit merces; quid enim refert, vt vna nauis pereat naufragio, alia incendio, an ambæ eodem naufragio, vel incendio, eadem nauigatione pereant? Nec obſtat leges procedere in foro iudiciali, non in foro conſcientiæ, quia lex iſta ſufficienter explicauit naturam rei pro vtroque foro, & certè contrarij Authores non videntur contra nos, cùm enim dicunt excuſandos eſſe fures, & iniquos poſſeſſores à reſtitutione quando res eodem modo perit apud furem, quo erat peritura apud dominum, & non aliter, intelligendi ſunt non de eodem modo interitus, ſed quantum ad veritatem, & integritatem ipſius interitus. (P. Nauarra. Couarr. Medin. Sylueſt. — Leſſius. Lopez. Sà. Roſell.)

SVMMARIVM.

Quid ſi res furata pereat apud furem, & poſſeſſorem malæ fidei ex dolo & culpa illorum, cùm tamen eodem, aut diuerſo modo apud dominum, ſine culpa illius, eſſet peritura. Refertur prima opinio affirmans teneri furem ad reſtitutionem. numero 11.

Refertur ſecunda affirmans non teneri. num. 12.

Iudicium authoris; & ſoluuntur argumenta primæ opinionis. num. 13.

Quid ſi res Petri erat cras cum domo illius peritura, & de facto domus perijt, & tu die antecedenti rem ſaluaſti. num. 14. Si res extat, teneris illam reſtituere. ibid.

Quid ſi non extet, ſed apud te caſu furtuito perijt, & fuiſti in mora illam reſtituendi. num. 15. Quid ſi non fuiſti in mora. ibid. Mora ſemper

nocet

nocet ei per quem fit. *ibid.*

Quid ſi iam non extet, nec apud te caſu fortuito perijt, ſed ante incendium domus, illam dediſti, vel vendidiſti, aut aliter diſtraxiſti. *num.16.*

Quid ſi bona fide rem ſaluaſti, & tibi accepiſti, & poſt peracto incendio eadem bona fide illam alienaſti. *num.17.*

11. *De rei interitu apud furem, & poſſeſſorem malæ fidei ex dolo & culpa illorum.*

HActenus egimus de interitu rei ſine culpa furis, nunc agendum eſt de illius interitu cum culpa illius; & inquirimus in primis quid dicendum ſit, ſi res furata pereat culpa lata, aut dolo ipſius furis, ac poſſeſſoris malæ fidei, cùm tamen omnino peritura eſſet in manu domini abſque vlla vtilitate, & commodo ipſius domini ſine culpa illius; qua de re duplex circumfertur opinio.

Opinio prima.

Prima aſſerit teneri huiuſmodi furem, & poſſeſſorem malæ fidei ad reſtitutionem, ſi res pereat in manu ſua ex culpa lata, & dolo ipſius, etiamſi eodem, aut diuerſo modo, & tempore abſque dubio ſine vlla vtilitate, & commodo illius apud dominum eſſet peritura, hanc defendit P. Nauar. *lib.4. de reſt. cap.1. num.17.* Paludanus *in 4. diſt.15. quæſt.2. art.1 concluſione 5* & à fortiori omnes illi, quos citauimus *num* 10. qui aſſerunt teneri furem ad reſtitutionem, ſi res pereat apud illum, etiam ſine culpa illius diuerſo modo & tempore ab eo quo erat apud dominum peritura. Et ratio illorum eſt, (P Nauarra. Palud.)

Primò, quia culpa nemini debet patrocinari; patrocinaretur autem maximè, ſi fur cùm res perit culpa ſua ad reſtitutionem illius non teneretur.

Secundò, quia latro non debet eſſe melioris conditionis, quàm depoſitarius, imò nec æqualis; ſed depoſitarius ſi nihil accipit pro cuſtodia depoſiti, tenetur ex dolo, & culpa lata, mortalique, ſi res apud illum pereat; quamuis illa apud dominum eſſet peritura; ſi autem aliquid accepit, tenetur de culpa leui, & veniali, vt eſt doctrina certiſſima in materia de depoſito, & commodato; ergo maiori cum ratione tenebitur latro ad reſtitutionem, ſi res apud illum pereat, illius culpa lata, & leui; alioqui melioris erit conditionis, quàm depoſitarius.

Tertiò, quia eo ipſo quòd res eſt apud furem, & ille eam furto abſtulit, ſe obligauit, velit nolit ad eam reſtituendam ſi culpa illius periret, quamuis nullius vtilitatis eſſet apud dominum, & eodem, aut diuerſo modo in manu illius ſine vlla vtilitate illius periret.

Quartò, quia hoc ipſo quòd fur poteſt cauere, ne res à ſe furto ablata pereat, incipit ea res domino eſſe maioris æſtimationis, & valoris quàm ſi eſſet apud dominum, quia fur tenetur eam domino illæſam cuſtodire; ſicut ex eo quod eſt apud depoſitarium, qui poteſt eam ſaluare; pluris valet, quàm ſi eſſet apud dominum, quia ſi perit apud dominum, perit apud hominem non potentem eam ſaluare. Si autem perit apud furem, perit apud hominem potentem eam ſaluare; & ad id obligatum, quare eſt diuerſa ratio inter dominum, & furem reſpectu eiuſdem caſus.

12. *Opinio ſecunda.*

Secunda opinio docet non teneri furem ad reſtitutionem rei furtiuæ, quamuis culpa lata illius eodem, vel diuerſo modo & tempore apud illum pereat, ſi omnino apud dominum abſque vllo illius commodo, & vtilitate erat peritura, & idem à fortiori etiam dicendum eſt ſi pereat culpa leui, aut leuiſſima, ita docet Leſſius *lib.2. cap.12. de iniurijs fortun. dub.15. num.93.* addit tamen Leſſius modò pereat eodem loco, & intra illud tempus, quo apud dominum erat peritura. Parum tamen refert eodem, aut diuerſo modo, & tempore pereat; ſi tamen nullius vtilitatis eſſet interim apud dominum, vt ex dicendis patebit, probabilem illam appellat Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.1. num.22.* tuetur etiam illam doctiſſimus Ferdinandus Perez è noſtra Societate IESV, in ſua materia *de reſt. diſp.4. de furto & rapina.* Et

Probatur primò, quia illa res in ſe conſiderata domino nullius eſt pretij, nullius vtilitatis, nam apud illum certò & infallibiliter erat peritura abſque vllo illius commodo. Ergo etiamſi fur illam culpa ſua deuaſtet, & perdat, non cenſetur domino inferre damnum alicuius conſiderationis, vel momenti, vt ſi ſegetes incendat, quas videt mox eluuione apud dominum euertendas; ſi annonam abſumat, quæ proijcienda eſt in mare, vel in naufragio peritura. Si interficiat equum, quem hoſtis erat abducturus, quia quamuis in his, & ſimilibus caſibus rem alienam quis perimat, alienet, vel conſumat, non cenſetur damnum notabile domino inferre. Et ex hoc fundamento ſequitur non teneri ad reſtitutionem illum, qui hominem occidit, qui ſtatim erat moriturus iuſta ſententia magiſtratus, vel naturali morbo, etſi enim grauiter peccet non tenebitur tamen ad reſtitutionem damni cùm nullum dederit, vt diximus *in 5. præcepto homicidij.*

Probatur ſecundò, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm iam non extet, ſed perdita ſit culpa latronis; non ratione iniuſtæ acceptionis, quia ea iniuſta acceptio ſolum fuit iniurioſa domino rei, non detrimentoſa; pro iniuria autem ſine damno non debetur reſtitutio, ſed petitio veniæ; neque enim iuſtè queretur dominus de damno dato, cùm nullum fuerit paſſus, nullum autem paſſus eſt, quia res apud illum certò & infallibiliter erat peritura abſque vlla vtilitate illius: non ratione moræ, & iniuſtæ retentionis, quia mora, & iniuſta retentio tunc daretur, quando dominus commodum aliquod ex re ſua haberet, ſi ei reſtitueretur; at ſupponimus nullum habiturum: ergo ex nullo capite ad reſtitutionem tenetur. Cur enim teneberis ad reſtitutionem ſi odio incendas ſegetes, quas vides ſtatim eluuione eſſe euertendas; aut ſi conſumas frumentum, quod ſtatim in mare eſt proijciendum.

Vtraque opinio eſt probabilis in foro conſcientiæ. Prima tamen eſt probabilior, & communior, & ideo tenenda; non ſunt tamen fundamenta illius adeò fortia, vt ſolui facilè non poſſint; nam 13. *Iudiciũ Authoris.*

Ad primum reſpondeo per ſe quidem neminem debere reportare commodum, & vtilitatem ex peccato, culpa, & malitia ſua, per accidens autem parum referre, quòd aliquod reportet citra damnum alicuius.

Ad ſecundum dico furem abſolutè loquendo non eſſe melioris conditionis, quàm depoſitarius, quia in foro iudiciali obligabitur ad reſtitutionem, & ſubinde pœnis aliis à iure ſtatutis punietur; in foro autem conſcientiæ abſolutè non eſt melioris conditionis, ſed ſecundùm quid; & nihil mirum eſt, ſi ſecundùm quid fur melioris ſit conditionis, quàm depoſitarius, commodatarius, atque conductor.

Primò, quia depoſitarius ſi nihil accepit pro

cuſtodia rei apud ſe depoſitæ, tenetur ex duplici titulo rem ſaluam reddere; primò ratione cuſtodiæ; ſecundò ratione fidelitatis, & fidei tacitæ datæ ad ſeruandam rem. Si autem aliquid pro cuſtodia rei depoſitæ accepit, tenetur eam ſaluam reddere de iuſtitia ratione contractus; fur autem tenetur ſolùm de iuſtitia ratione damni, quòd cùm hîc, & nunc eſſet, ceſſat omnino eius obligatio.

Secundò, quia depoſitarius ratione contractus tenetur ex iuſtitia rem ſaluare; ac proinde eam in alium locum transferre, & abſcondere, ac mutare ſi putet ſe hoc modo poſſe interitum ipſius rei cauere; nam ad hoc conducitur, vt rem ſaluam præſtet, ſi poteſt; at verò fur non tenetur illam aſportare in alium locum, ſi videt in iſto perituram eſſe; vnde etiamſi eam tunc conſumat, non tenebitur ad reſtitutionem; quia in eo ſtatu conſiderata, domino nullius eſt pretij, & apud illum erat peritura, ita reſpondet
Leſſius. Leſſius allegatus, *num.* 94. §. *reſpondeo.*

Ad tertium reſpondeo verum eſſe eo ipſo quòd fur rem furto abſtulit ſe obligaſſe ad reſtitutionem; reſtitutionem autem eſſe actum iuſtitiæ, quo fur tenetur ponere dominum in eodem ſtatu, in quo antea erat, & non in meliori; in meliori autem poneret ſi teneretur ei modò reſtituere eam rem, quæ apud eundem dominum erat omnino peritura ſine vllo illius commodo. Deinde reſpondeo per furtum ſe obligare latronem ad eam domino reſtituendam, ſi culpa illius periret, quando non erat apud dominum peritura, aut quando domino exinde aliquod damnum reſultaturum ſit.

Ad quartum reſpondeo furem non eſſe obligatum ad cuſtodiam rei furatæ ex contractu aliquo, ſed ſolùm ex furto; depoſitarium verò eſſe obligatum ex contractu, pro ea enim cuſtodia pretium accipit, vnde tenetur ex iuſtitia, & contractu eam ſaluare, mutando eam in alium locum ſi videt in iſto eſſe perituram; fur autem ſolùm tenetur ex iuſtitia, & delicto, vnde ſi videt illam apud dominum eſſe perituram ſine vlla vtilitate illius, non tenetur ex iuſtitia, ſed ſolùm ex charitate eam aliò transferre, ſaluareque ne apud ſe pereat, ſicut ſolùm ex charitate tenetur ignem auertere à domo proximi, vnde ſi nolit, res non valet pluris domino apud furem, quàm apud ſe ipſum; quare ſi rem perimat, non cenſebitur cauſa noui damni, ſecus de depoſitario, valet enim in eo caſu pluris res domino in manu ipſius depoſitarij, quàm in manu ipſius domini, quia depoſitarius ex vi contractus tenetur rem illam ſaluare ſi poſſet, etiamſi videat apud dominum perituram. Et ex dictis ſoluta manent argumenta ſecundæ opinionis, nam ſi res illa in manu furis pereat culpa lata, & dolo illius, tenetur illam domino reſtituere, etiamſi apud illum periret, & id felicitatis eſt domini, & furis infelicitatis, vt patet ex fundamentis primæ opinionis *num.* 11. iactis.

14. Sed quid ſi res, v. c. pallium Petri eras erat cum incendio domus ipſius Petri periturum, & de facto domus periit, & tu id ſciens die, vel hora antecedenti illud ab eo furto abſtuliſti, & ſic ſaluum fuit à periculo; ſimiliter quid ſi nauis in qua merces Petri veniebant, peritura omnino erat, & antequam ſubmergeretur, tu aliquas merces illius ex illa extraxiſti, & ſaluaſti. Reſpondeo teneri te in conſcientia ad reſtitutionem in vtroque caſu, ſi res extat, vel vendidiſti, aut quocumque alio titulo diſtraxiſti, quia res vbicumque eſt, domini ſui eſt, & pretium, ac commodum ex illa inſtar rei eſt; quare cùm in tuam vtilitatem illam diſtraxeris, teneris illam reſtituere, ita Petrus Na- P Nauarra.
uarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 1. *num.* 26. §. *ſed quid*, & *num.* 23. tenebitur tamen Petrus tibi ſoluere pretium laboris, & periculi, cui te fortè expoſuiſti, vt rem ſaluares.

Imò ſi caſu fortuito poſt incendium domus, aut 15.
ſubmerſionem nauis apud te periit, & fuiſti in mora reſtituendi illam; teneris illam reſtituere domino ſuo, quia mora nocet ei per quem fit, vt ſæpe diximus, & docet Syluester *verb furtum, n.* 20. Syluester.
& Molina *tom.* 2. *de iuſt. tract.* 2. *diſput.* 297. *initio*, Molin.
pateтque *ex cap. vltimo, de locato*, & *l. magna, C. de contrahenda ſtipulatione*, & *l.* 2. *C. de iure emphyteutico*, & per te ſterit quo minus illam non reſtitueres cùm poſſes, tempus enim moræ ſemper pro domino interpellat; ſi tamen non fuiſti in mora reſtituendi illam, quia ſtatim poſt furtum conſtituiſti eam reſtituere, & non habuiſti opportunitatem reſtituendi, & dum hanc opportunitatem quærebas, periit apud te caſu fortuito, non teneris illam reſtituere; & ratio eſt, quia non teneris ratione rei acceptæ, cùm non extet, non ratione moræ, & iniuſtæ retentionis; quia per te non ſtetit, neque fuiſti in mora non reſtituendi, cùm non haberes commoditatem ad eam reſtitutionem faciendam, & quæreres opportunitatem, non ratione iniuſtæ acceptionis, ſi ipſa res eſſet omnino peritura apud dominum abſque commodo illius, ſi illam non ſaluares, ſecus ſi non eſſet peritura; ergo ex nullo ex his capitibus teneris, ita docet Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 1. *num.* 26. §. *ſed* P.Nauar.
quid, & *num.* 23.

Similiter ſi iam non extet, ſed ante incendium, 16.
aut ſubmerſionem nauis illam vendidiſti, gratis dediſti, aut aliter in tuum commodum diſtraxiſti, teneris illam reſtituere iuxta pretium temporis, in quo erat à domino vendenda, aut aliter diſtrahenda; ita idem Petrus Nauarra allegatus. Dices, in nullo damnificauit dominum ille, qui ante incendium rem vendidit, aut aliter in ſuum commodum diſtraxit, imò & qui illam apud ſe retinet, ſi quidem eſſet omnino, & ſine dubio peritura: Reſpondeo hoc parum referre, vbicumque enim res eſt, peracto eo caſu domini ſui eſt, & id felicitatis fuit domini, alioquin liceret omnibus, qui ad ſuccurrenda incendia, aut naufragia accedunt, res perituras ſibi accipere, quo quid abſurdius? tenetur tamen dominus rei compenſare laborem poſitum in ea re ab incendio extrahenda, vt diximus. 17.

Si autem quis bona fide accepit, putando id ſibi licitum eſſe, eo quòd videret rem certò interire, & poſtea peracto incendio, vel naufragio, eadem bona fide alenauit, & pretium eius conſumpſit; tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior. v. c. ſi comedendo abſumpſit, tenetur tantum reſtituere, quantum ordinario cibo ſe alendo expenderet, licèt multo ſplendidius, dum illam abſumpſit, comederet; quia in eo factus eſt ditior, Leſſius.
ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniurijs fortun. dub.* 15. Lopez.
num. 98. Lopez 1. *part. inſtructorij cap.* 95. *initio*, & *ibi* refert Caietanum, & patebit infrà *cap.* 6. Si autem res extat, quamuis bona fide capta fuerit, tota eſt reſtituenda, vbicumque enim res eſt, domini eſt, ſi pretium eius adhuc integrum eſt, totum etiam eſt reſtituendum, quia pretium eſt inſtar rei, ita Authores citati.

CAPVT XVIII.

An depoſitarij, commodatarij, & conductores teneantur ad reſtitutionem, ſi res depoſitæ, & accommodatæ apud illos illorum culpa pereant?

SVMMARIVM.

Triplex eſt culpa, lata, lenis, & leuiſſima, an ex omnibus teneatur depoſitarius, aut commodatarius. num. 1. & 2.

Explicatur caſus difficilis vmbellæ accommodatæ. num. 3. *Commodatarius non tenetur de caſu fortuito, regulariter loquendo, niſi ipſe ei occaſionem dederit.* ibid.

Quando contractus depoſiti cedit in vtilitatem ſolius deponentis, tenetur depoſitarius de culpa tantùm lata, non leui, nec leuiſſima. num. 4.

Quando cõtractus depoſiti cedit in vtilitatem vtriuſque contrahentis, tenetur ille de culpa leui, & lata, non tamen leuiſſima. num. 5.

Quid de precario. num. 6.

Quid de contractu locationis. num. 7.

Quid de commodato. num. 8. 9.

In tribus caſibus tenentur commodatarij de caſu fortuito, primus eſt ſi deducatur in pactum. num. 10.

Secundus ſi fuit in mora reddendi rem. n. 11. & 12.

Tertius ſi ad alium finem vſus eſt re commodata præter conceſſum. num. 13.

An emptor olei iuſto pretio poſſit reijcere periculum in venditorem, dum illud non defert. num. 14.

An quando commodatarius non poteſt ſaluare res ſuas, & commodatas, quas teneatur ſaluare. Et quid ſi res propriæ, aut commodatæ ſint pretioſiores. quid ſi ſint æquè bona, quid quando commodatæ fuerunt gratuito, & non gratuito, ſed pro pretio. à num. 15. vſque ad 17.

Cui pereat res ſi commodatarius illam remittat domino ſuo per nuncium fidelem. Quid ſi non ſit fidelis. Quid ſi fidelis habeatur, & talis non ſit, quid ſi ſit electus à commodante ad delationem rei, quid de alio tertio, qui ſignum dedit conuentum inter commodantem & commodatarium. Quid de nuncio, qui defert res mutuatas. à n. 18. vſque ad 22.

1 QVONIAM in capite præcedenti *n.* 13. aliquid diximus de depoſitario, commodatario, & conductore, ad maiorem tamen notitiam huius rei, & vt videamus qualiter homines ex vi horum contractuum teneantur, aut non teneantur ſi res apud illos pereat, res altiùs neceſſariò repetenda nobis eſt.

2. *Culpa lata quæ.* Sciendum igitur eſt triplicem eſſe culpam, latam, leuem, leuiſſimam Culpa lata eſt illa, qua homines omittunt facere eam diligentiam in cuſtodiendis rebus ſuis, quam communiter diligentes, & prudentes ponere ſolent in cuſtodiendis rebus proprijs, & in foro iudiciali hæc culpa dolo æquiparatur, *l. quod Nerua ff. depoſiti.* & Armill. *in verb. commodatum, num.* 18.

Leuis quæ. Leuis eſt illa, qua omittunt diligentiam, quam homines non communiter diligentes, & prudentes, ſed diligẽtiores ac prudentiores ponere ſolent in iiſdem ſuis rebus cuſtodiendis, ac conſeruandis.

Leuiſſima quæ. Leuiſſima eſt illa, qua omittunt illam diligentiã, quam diligentiſſimi ponunt. Cùm ergo contractus depoſiti, commodati, & conductionis cedant in commodum vtriuſque contrahentis, tenentur cõtrahentes ex culpa lata, & leui, non tamẽ leuiſſima: talis eſt contractus pignoris, & depoſiti; quando pro cuſtodienda re aliquid depoſitario à deponente, vel ab aliquo alio nomine illius datur, hic enim contractus in commodum vtriuſque contrahentis cedit; talis etiam eſt contractus conducti, & locati, quia hic quoque modus contrahendi ad vtilitatẽ vtriuſque contrahentis ſpectat. Talis denique eſt contractus commodati ſi pro accommodatione rei aliquid damus. Quando autem contractus commodati cedit in vtilitatem tantùm commodatarij, non commodantis (cedit autem in vtilitatem tantùm illius, quando commodans aliquid commodauit abſque vllo pretio in gratiam tantùm, & cõmodum ſolius commodatarij, vt communiter fieri ſolet) tunc tenetur commodatarius non ſolùm de culpa lata, & leui, ſed etiam leuiſſima; quia tenetur ponere diligentiam in re cõmodata ſaluanda, conſeruanda & cuſtodienda, quam diligentiſſimi homines ponere ſolent in conſeruãdis ſuis rebus; vnde ſi res commodata pereat, aut deterior reddatur, tenetur commodatarius etiam de hac culpa leuiſſima, & eam reſtituere: ita habetur *in cap. vnic. de commodato, & l. 3. §. ſi reddita, l. ſi vt certo §. nunc videndum, & l. in rebus, in principio, ff. commodati, & l. 1. is quoque, & l. is vero, ff. de action. & oblig §. Item is, verſ. at is, Inſtit. quibus modis re contrahit. oblig. & l. 2. tit. 2 part. 5.* & aliis iuribus, & docet Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 295 initio:* Armilla *verb. Commodato, num.* 8. de caſu autem fortuito quem diligentiſſimus & fideliſſimus homo præuidere non poteſt, non tenetur, vt infrà dicemus.

3. *Caſus vmbellæ commodatæ.* Ex dictis de hoc contractu commodati colligitur reſponſio ad quæſtionem à nobis interrogatam; quidam commodauit ſacram vmbellam (pallium vocant) cuiuſdam ſodalitij amico ſuo gratis, & omnino liberaliter ad ſupplicationem in diem feſtum; vmbellam ipſe ei detulit peracta ſupplicatione pluuioſo tẽpore, & die imbribus infeſto, cúmque torrentẽ tranſiret, & ſubita eluuione circũdaretur, ne ille periret vmbellã dimiſit, quę à torrente rapta diſparuit; quæſitũ fuit, an teneretur huiuſmodi cõmodatarius ad reſtitutionẽ illius? & reſpõdi affirmatiuè, quia cùm alter ei libẽter, & gratis eam accommodaret, tenebatur ille in ea conſeruanda, & cuſtodienda eam ponere diligentiam, quam diligentiſſimi, & prudentiſſimi homines ſolent ponere in rebus ſuis conſeruandis, atque adeò tenebatur de culpa etiam leui, & leuiſſima; nullus autem prudens homo, necdum prudentiſſimus torrentem, ac fluuiolum aliquem tranſiret eo die cum re tanti momenti, & ſic tandem iudicatum fuit in ſenatu Bracharenſi anno Domini 1615. neque obſtat quod de caſu fortuito regulariter loquendo non teneatur commodatarius, vt patet ex *cap. vnico, de commodato, §. item is, verſ. at is, Inſtit. quibus modis re contrahitur obligat. l. ſi vt certum, §. nunc videndum, verſ. quod verò, & l. in rebus, in principio, ff. commodati*, quia id intelligendum eſt, niſi ipſe ei occaſionem dederit, & ideo hic non fuit caſus fortuitus, cùm facilè præuideri poſſit; caſus enim fortuitus ille eſt, qui nec vitari, nec pręuideri poteſt. Dixi, regulariter loquendo, quia de caſu fortuito etiam tenebitur commodatarius ſi id in pactum deductum fuerit, vt docet Molina *tomo 2. de iuſt. diſput. 295. §. de caſu fortuito.* *Caſus fortuitus quis.*

Secundò, ſi aliter, aut ad aliud, vſus eſt re commodata, quàm ad id ad quod fuit cõceſſa, aut

ſuis

fuit in mora reſtituendi, vel horum quidquam occaſio fuit, quod Iuriſperiti appellant commodatarium in culpa fuiſſe caſus fortuiti, ita Molina *citatus*, & habetur expreſsè *in cap. vnico, de commodato. §. item is, verſ. at is, Inſt. quibus mod. re contrah. obligat. l. 1. C. de commodato*, de quo infrà patebit *à num. 1.*

4. *Quando contractus depoſiti cedit in vtilitatem ſolius deponentis, quid.* Similiter quando contractus depoſiti cedit ſolùm in vtilitatem deponentis, non depoſitarij; quia depoſitarius nihil à deponente accepit pro cuſtodienda re depoſita; ſolùm tenetur depoſitarius de culpa lata, non leui, nec leuiſſima, quia tenetur ex fidelitate ſolùm, eam conſeruare, & ponere in ea conſeruanda eam diligentiam, quam diligentes & prudentes homines ſolent ponere, non tamen diligentiſſimi, aut prudentiſſimi; ita Molina *tom. 2. tract. 2. de iuſt. diſp. 295. initio*, per multa iura. (Molina.)

5. *Quid quando cedit in vtilitatem vtriuſque contrahentis.* Exemplis res declaratur: depoſuiſti certam rem apud Petrum, dediſti illi certum ſtipendium pro cuſtodia ipſius, tenetur ille de culpa leui, & lata ad cuſtodiendam ſaluam rem tuam, quia eo ipſo quòd pretium accepit, non ſolùm ſe obligauit ad ponendam eam diligentiam in cuſtodia, vel quam ponunt homines mediocriter diligentes, & prudentes, ſed etiam diligentiores, & prudentiores, ita enim ratio poſtulat, ſi quidem aliquid inde accepit. Si nihil ei dediſti, ſolùm tenetur de culpa lata, non leui, nec leuiſſima. Et generaliter loquendo hæc regula certa eſt in contractibus, vt quando, quod datur, cedit in commodum ſolius accipientis, teneatur ille de leuiſſima etiam culpa; quando verò in commodum vtriuſque de lata, & leui, non autem leuiſſima, vt in pignore, & locato. At quando in commodum ſolius dantis, vt eſſe ſolet in depoſito preſsè ſumpto, cùm cedit in commodum ſolius deponentis (cedit autem in commodum illius tantùm, cùm depoſitarius nihil pro cuſtodia rei accepit,) tenetur ſolum depoſitarius accipiens depoſitum de dolo, & lata culpa, non de leui, aut leuiſſima, & hæc eſt communis Doctorum ſententia: quam tradit Molina *tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 295. verſ. hac eadem regula*; & Panormitanus *in cap. vnico, de commodato, num. 4.* & Decius *ad legem contractus, ff. de regulis iuris.*

6. *Quid de precario.* Dixi, regulariter loquendo; quia fallit hæc regula in precario; licèt enim res in eo detur in ſolum commodum accipientis; quia tamen poteſt concedens repetere eandem rem, quoties voluerit, meritò diſpoſuit ius, vt accipiens ſolùm teneretur de dolo, aut culpa lata, ita expreſsè habetur *in l. quæſitum eſt, §. eum quoque. ff. de precario, & l. contractus. ff. de regulis iuris*, & docet Molina *modò allegatus*; fallere quoque poteſt in aliis contractibus iuxta illorum conditiones; generaliter tamen loquendo, & vt plurimum regula tradita vera eſt.

7. *Quid de contractu locationis.* Item conduxiſti equum, dediſti pretium pro conductione ad faciendum iter, aut conduxiſti domum in qua viueres, teneris ad hæc conſeruanda de culpa lata, & leui, non tamen leuiſſima. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd contractus cedit in tuam vtilitatem, poſtulat ratio vt in conſeruanda ea re ponas non ſolùm diligentiam, quam homines mediocriter, & communiter prudentes ponere ſolent, ſed etiam quam ponunt diligentiores, ac prudentiores; at verò cùm contractus hic cedat etiam in vtilitatem domini ipſius equi locantis illum, non teneris de culpa leuiſſima, nec ponere in eo conſeruando eam diligentiam, quam homines prudentiſſimi, & diligentiſſimi in rebus ſuis conſeruandis ponunt.

8. *Quid de commodato.* Denique accommodaſti tuum equum Petro gratis, & liberaliter, quia hic contractus cedit ſolùm in commodum commodatarij accipientis illum, tenetur iſte commodatarius non ſolùm de culpa lata, & leui; ſed etiam leuiſſima, cùm enim cedat hic contractus in illius tantùm commodum, ac vtilitatem, tenetur ponere omnem diligentiam in ea re conſeruanda, quam non ſolùm prudentes, & diligentes homines ponunt, ſed etiam quam diligentiſſimi, & prudentiſſimi ponere ſolent in rebus ſuis conſeruandis, & cuſtodiendis, vnde ſi prædictum equum accommodatum domi reliquit, & egreſſus foras oſtium traxit, non tamen tentauit, an firmiter eſſet clauſum, tenetur ad reſtitutionem ſi furto auferatur, quia omiſit eam diligentiam, quam diligentiſſimi homines ponere ſolent in tuendis ſuis rebus; tota hæc doctrina deducitur ex *cap. vnico, de commodato*, ibi, *Cùm gratia ſui tantùm quis accommodatum accepit, de leuiſſima etiam culpa tenetur*; habetur etiam in omnibus iuris citatis *num. 2. ad finem*, docet Molina *tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 295. initio*, & Leſſius *lib. 2. cap. 7. de iniurijs & reſt. in genere, dub. 8. n. 40.* Armilla *verb. commodatum, num. 8.* Si autem accommodaſti eidem Petro eundem equum pro aliquo pretio, tenetur Petrus commodatarius ſolùm de culpa lata, & leui, non tamen leuiſſima; quia cùm id cedat in commodum vtriuſque, ſolùm tenetur ille ponere diligentiam illam in eo conſeruando, quam homines diligentiores præſtare ſolent in ſuis rebus conſeruandis. (Molin. Leſſius. Armilla.)

9. Ex dictis patet non teneri prædictos depoſitarios, commodatarios, & conductores ad reſtitutionem ex natura rei, &, regulariter loquendo, ſi res depoſitæ, commodatæ, & conductæ, ſeu locatæ caſu fortuito apud illos pereant ſine vlla omnino culpa illorum, nec lata, nec leui, nec leuiſſima. nam cùm ſolum illi ad illam teneantur ex culpa lata, leui, & leuiſſima; ſi hæc non detur, neceſſe eſt vt ab hac reſtitutione abſoluantur: quando autem detur, vel non detur, iudicio prudentis committitur, & ideo rectiſſimè animaduertunt Molina *dicto tom. 2. de iuſt. diſp. 295. verſ. de caſu fortuito*, & Leſſius *lib. 1. cap. 7. de iniurijs, & reſt. in genere dub. 8. à num. 36.* de caſu fortuito regulariter loquendo non teneri huiuſmodi perſonas, commodatarios ſcilicet, depoſitarios, & conductores, quod patet ex prædicto *cap. vnico, de commodato*, & ex omnibus iuribus allegatis *num. 2. ad finem, & num. 3.* quatenus ad hanc reſtitutionem requirunt ſemper in illis culpam ſaltem leuiſſimam modo explicato.

10. *In tribus caſibus tenentur commodatarij de caſu fortuito.* Dixi, *regulariter loquendo*, quia in tribus tantùm caſibus tenebuntur illi de caſu fortuito, in quo nulla illorum culpa, nec lata, nec leuiſſima interceſſit, vt iam dicere incepimus *n. 3. à medio.*

Primus eſt, ſi interuenit pactum, quo commodans ſtare nolit caſu fortuito, poteſt enim deduci in pactum, vt res pereat commodatario, ſi caſu fortuito abſque vlla culpa illius etiam leuiſſima, pereat, quod pactum is qui commodat poteſt exigere, quando gratis commodat, ſecus ſi accommodat pro iuſto pretio; quia ſupra iuſtum pretium nihil poteſt exigi pretio æſtimabile, ita expreſsè Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. de iniurijs & reſt. in genere dub. 8. num. 36.* & Molina *dict. tom. 2. diſp. 295. verſ. de caſu fortuito.* Armilla *verb. commodatum, num. 7.*

11. Secundus eſt, ſi commodatarius fuit in mora reſtituendi; quia rem commodatam non reſtituit die, & tempore, imò hora præfixa, tenetur enim eam reſtituere; & ſi eam non reſtituit, & tranſacto tempore apud illum pereat, & non eſſet apud dominum ſine vlla ipſius vtilitate peritura, illi perit; nam ſi eſſet apud illum peritura abſque vlla ipſius vtilitate & commodo, non tenetur niſi de intereſſe, quod dominus paſſus eſt propter rei ſuæ carentiam, ita Leſſius *citatus num.* 36. & Molina etiam *allegatus dicto verſ. de caſu fortuito, & verſ. obſeruandum tamen*, & Armilla *verb. commodatum, num.* 7. *& verb. caſus fortuitus, num.* 3.

12. Eſt autem in mora ille, qui non reſtituit, cùm poteſt, & tenetur reſtituere, ſi tamen retinuit, & in mora reddendi fuit, putans bona fide eam retentionem, & moram non diſplicere, & poſtea inueniat non diſplicuiſſe, non tenetur in conſcientia ad vllam reſtitutionem, etiamſi ea mora occaſio fuerit, quòd periret, & aliter non periret, imò neque in foro externo, ſi de tali commodantis animo conſtet; ſi autem inueniat diſplicuiſſe, tenetur; non tamen peccauit, quia bona fides illum à peccato excuſauit. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *de iniurijs à reſt. in genere dub.* 8. *n.* 36. & Molina *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 295. *verſ. obſeruandum etiam eſt, poſt verſum, obſeruandum tamen eſt, & verſ. de caſu fortuito*, & Armilla *verb. commodatum, num.* 4. *&* 10. *& verb. caſus fortuitus*, §. 2. & patet ex *l. qui re, ff. de furtis*. Et ratio eſt, quia in primo caſu reuera non fuit tranſgreſſus domini voluntatem: in ſecundo fuit, licèt bona fide hanc fuiſſe illius voluntatem putauerit. Vnde propter bonam fidem excuſabitur à peccato; in vtroque tamen foro reſtituere tenebitur, eo quòd nefas illi fuerit rem retinere; & in mora eſſe, niſi ſub ea conditione, quòd ſibi dominus contentus non ſit, teneatur ad reſtitutionem, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis.

Leſſius.

Molina.

Armilla.

13. Tertius eſt, ſi commodatarius, aut depoſitarius, aliter, aut ad aliud vſus eſt re commodata, aut depoſita, quàm ad id ad quod fuit conceſſa. Exempla ſunt hæc; vt ſi tibi equum ad eundum in vnum locum commodaui gratis, & tu eum duxiſti in alium; eaque ratione in latrones incidiſti, qui illum furto abduxerunt, vel quoduis aliud ei accidit infortunium: aut tibi commodaui vaſa, vt in domo tua parares conuiuium, & tu ea longiùs aſportaſti, vel per mare, eaque occaſione furto, naufragio, vel alio infortunio perierunt, teneris de caſu fortuito ad reſtitutionem, ita Leſſius *allegatus*. & Molin. *tom.* 2. *de iuſt. diſput.* 295. *verſ. de caſu fortuito*. Armilla *verb. commodatum, num.* 10. & habetur expreſsè *in cap. vnico, de commodato, §. item is, verſ. at is, Inſt. quibus modis re contrahitur obligat. l. ſi vt certò, §. nunc videndum, verſ. quod verò, & l. in rebus, in principio, ff. commodati, & l. eum qui rem, ff. eodem titulo*; in his enim caſibus cùm aliter, aut ad alium finem vſus es re commodata, quàm ad illum, ad quem tibi fuit conceſſa; itemque quando fuiſti in mora reſtituendi illam, reuera fuiſti occaſio, quòd res periret, aut deterior redderetur; quod iura appellant commodatarium in culpa fuiſſe caſus fortuiti, & ideo meritò ad reſtitutionem in vtroque foro teneris, vt patet, & docent prædicti Doctores.

14. Ex dictis inferes reſolutionem illius quæſtionis à nobis interrogatæ: vendidit Petrus certos cados olei Sticho; pretium Petrus ſtatim accepit pecunia numerata; ſed obligauit ſe in contractu venditionis ad ſeruandum oleum illæſum, & imminutum in ſuis vaſis, vſque ad certum tempus: interim minutum eſt, vel periit, quæſitum fuit, cui periret, & imminueretur. Reſpondi ex doctrina præiacta, ſi oleum iſtud iuſto pretio currenti venditum fuit, perire, minui, & deteriorari Sticho emptori; quia ſupra bonam mercem illius ad nihil ampliùs potuit emptor venditorem obligare; ſicut ſupra iuſtum pretium illius nihil amplius potuit venditor ab emptore petere, quod ſit pretio æſtimabile; illa autem obligatio ſeruandi oleum illæſum, & imminutum, erat pretio æſtimabilis; deinde quia emptor non poteſt accipere pretium pro re aliena, vnde cùm illud periculum ſit pretio æſtimabile, & ſit res aliena (eſt enim ipſius venditoris, cùm illud in ſe ſuſcipiat) profectò iniuſtus omnino erat talis contractus; ſicut etiam nullus poteſt accipere pretium, aut augmentum pretij pro re non ſua, ita & hic non poteſt illud accipere pro re non ſua; quamuis enim Stichus reſpectu olei ſit emptor, tamen reſpectu periculi, quod in venditorem olei refundit, eſt venditor, accipit enim aliquid pretio æſtimabile pro illo, vnde cùm illud periculum ſit alterius, & non ſuum, nihil pretio æſtimabile pro illo poteſt accipere, ſimiliter ſi fuit venditum minori pretio, perit ipſi Sticho emptori, non venditori; quia eo ipſo quod minus pretium pro merce tempore currenti dedit, iniuſtè à venditore poſtulauit illam conditionem, quæ eſt pretio valde æſtimabilis ſeruandi illæſum oleum prædictum, & ſic valde fuit inæqualis contractus ex parte venditoris; ſi verò Stichus maiori pretio emit, quàm per id tempus oleum haberet; dixi mihi videri imminui, & perire venditori, non emptori; eo enim ipſo, quòd pluris quàm tempore currente valebat, dedit; iuſtè potuit petere conditionem periculi pretio æſtimabilem, venditore. Item ſi tempus præfixum tranſactum fuit, quo emptor tenebatur illud oleum deferre, & culpa ſua non detulit, ſi poſtea pereat, perit etiam emptori; mora enim nocet ei, per quem ſit, vt patet ex dictis *num.* 12.

15. Sed duo ſuperſunt dubia, quod attinet ad cuſtodiam rei accommodatæ, vel depoſitæ.

Dubium primum. Primum eſt, ſi commodatarius, aut depoſitarius, vel conductor non potuit in naufragio, incendio, vel periculoſo euentu ſaluare ſimul res ſuas, & res commodatas, locatas, vel in depoſitum traditas, & res ſuas ſaluet, pereuntibus aliis, an teneatur ad reſtitutionem. Reſpondeo in primis in foro externo teneri; quia præſumitur dolo id feciſſe, niſi aliunde contrarium conſtet, cogeturque proinde in eo foro illam reſtituere: patet ex *cap. bona fides, de depoſito, & l. quod Nerua, ff. eodem titulo*, iuncta *l. ſi certum, §. nunc videndum, verſ. quod verò, ff. commodati*, & docet expreſsè Molina *tom.* 2. *de iuſtit. diſputatione* 296. *initio*. Quod verum eſt non ſolùm in contractu commodati, & depoſiti, quando cedit in vtilitatem vtriuſque contrahentis; ſed etiam in precario, & commodato ad vtilitatem ſolius commodatarij, quia omnes hi non ad minorem cuſtodiam rei acceptæ tenentur, quàm depoſitarius, quando depoſitum

cedit

cedit in vtilitatem ſolius deponentis, de quo depoſitario iura citata loquuntur. In foro autem conſcientiæ ſic ſtatuo; aut res alienæ commodatæ, vel depoſitæ, ſunt pretioſiores, quàm res propriæ, aut non ſunt. Si ſunt pretioſiores, tenetur commodatarius & depoſitarius illas ſaluare, non ſuas, etiamſi contractus depoſiti, vel commodati in vtilitatem cedat vtriuſque, aut ſolius commodantis, in vtroque enim caſu tenetur præferre res commodatas ſuis propriis. Ratio eſt, quia tenetur in illarum cuſtodia tantam ponere diligentiam, quantam quiuis hominum poneret ad res proprias cuſtodiendas, & conſeruandas; quiſque autem ſi ex duabus ſuis rebus vnam tantùm poſſet ſaluare, omitteret profectò viliorem, & ſaluaret pretioſiorem; ita Molina *tom. 2. de iuſtit. diſput. 296. verſ. deinde reſpondeo, initio.*

An autem tunc compenſare poſſit in conſcientia ex re commodata iacturam ſuæ propriæ, dubium eſt. cui hac diſtinctione ſatisfaciendum puto; ſi res pretioſiores fuerunt commodatæ in gratiam ſolius commodatarij, non poteſt in conſcientia eam compenſationem facere, quia ex vi contractus, & beneficij accepti, tenetur ſuis ſumptibus ad eam cuſtodiam rei commodatæ, quam diligentiſſimus quiſque in ſuis rebus conſeruandis adhiberet, vnde patet non ſolùm non poſſe rem ſuam vilem compenſare; ſed nec etiam æquè pretioſam, quam amitteret, vt alienam commodatam ſaluaret. Excipe tamen caſum in quo vtraque res eodem incendio, naufragio, aut alio ſimili infortunio omnino eſſet peritura, niſi induſtria commodatarij ſeruaretur, & ſimili modo periret omnino apud dominum; quia tunc probabile exiſtimo poſſe commodatarium compenſare rem ſuam viliorem; tunc enim periculum illud eſſet commune, & non adueniret rei alienæ occaſione commodati; in eo autem euentu plus quiſque tenetur ſuis rebus, quàm alienis; ita Molina *allegatus.*

16. Si autem res fuerunt commodatæ in vtilitatem vtriuſque, aut ſolius commodantis, tunc compenſare poteſt rem ſuam viliorem, neque tradere illam tenetur commodanti, quouſque ſoluat valorem iacturæ rei propriæ vilioris; quia nullus cum iactura rei ſuæ videtur ſe obligare ad rem alterius conſeruandam, quando contractus in vtriuſque vtilitatem cedit, cum ſe plus quàm alterum diligere debeat, ita idem Molina.

17. *Quid ſi res propria, aut commodata ſint pretioſiores, aut æquè bonæ.*

Si res commodatæ, aut depoſitæ ſint æquè bonæ, ac pretioſæ, ac res commodatarij, vel depoſitarij, & contractus in vtilitatem ſolius commodatarij fuit factus, aut depoſitarij, tenetur commodatarius, & depoſitarius in foro conſcientiæ præferre res commodatas ſuis propriis, & ſi id non fecerit, tenetur reſtituere earum æſtimationem; ita Molina *allegatus §. poſtremò.* Ratio eſt, quia huiuſmodi commodatarius tenetur ſeruare res ſibi commodatas; quando commodatæ fuerunt in illius vtilitatem tantùm, tenetur enim ratione beneficij, & ex vi contractus ponere eam diligentiam in eis conſeruandis, quam diligentiſſimus quiſque poteſt ponere in rebus propriis tuendis; hanc autem diligentiam nemo in ſuis rebus conſeruandis ponere tenetur, cùm ſint ſuæ; vnde cùm in alienis teneatur eam ponere, & in ſuis non teneatur, conſequens eſt, vt illas ſuis propriis præferre teneatur.

Si autem commodatum factum fuit gratia commodantis, non commodatarij, ſi commodatarius non poteſt vtraſque res ſaluare, poteſt præferre ſuas etiam viliores, vt docet Armilla *commodatum, num. 11.* Si verò contractus commodati, & depoſiti in vtriuſque contrahentis vtilitatem factus ſit, tunc commodatarius, & depoſitarius præponere poſſunt res ſuas æquè bonas, ac pretioſas rebus alienis commodatis, & depoſitis, neque ad vllam reſtitutionem tenentur. Idem eſt in pignore, & re conducta, quando in vtilitatem deponentis, aut vtriuſque contractus eſt factus propter eandem rationem, ita docet Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 296. verſ. poſtremò reſpondeo.* Panormit. *in cap. bona fides, de depoſito, num. 2.* Angel. Syluest. *verb. commodum, num 9.* & Armilla *verb. commodatum.* Molina. Panorm. Syluester. Armil.

18. *Dubium ſecundùm.*

Secundum dubium eſt, an ſi commodatarius rem commodatam per nuncium remittat idoneum, & caſu fortuito pereat, teneatur ad reſtitutionem illius. Cui breuiter reſpondeo ſi commodans, vel quicumque alius, cui res aliqua ſingularis, certa, & indiuidua ex quocumque contractu, vel titulo debeatur, deſignaret aliquem, per quem ad ſe mitteretur res, tunc ſi huiuſmodi perſonæ deſignatæ ea res tradatur, & poſt traditionem in manu nuncij, ſiue culpa, ſiue ſine culpa illius pereat, perit quidem creditori, non debitori. Ita Molin. *tom. 2. de iuſtit. diſput. 296. §. ad hoc in primis.* Et patet ex *l. eum qui, §. vltimo, & l. ſi mei, verſ. ſi dominus, ff. commodati, & ex l. 4. titul. 2. partis 5.* Et ratio eſt, quia eo ipſo quòd perſonam certam cui traderetur deſignauit, ratam habuit ſolutionem. Si tamen creditor nuncium ad debitorem remitteret, qui ei dicat, vt ad ſe rem debitam, vel commodatam mittat, non tamen ſignificaret, vt per eum mitteret; tunc ſi debitor eam rem huic nuncio tradat, tenebitur de illa, ſi apud nuncium pereat, vel cum culpa, vel ſine culpa illius; ita idem Molina *citatus.* Ratio eſt, quia nuncius ille ſolùm fuit deſtinatus, vt debitorem de ſolutione admoneret, non vt illi res, aut debitum traderetur, ita habetur *in l. ſi mei, §. commodatum, ff. commodati, & l. 4. citata.* Molina.

Si creditor, & debitor conueniant, vt debitum tradatur ei nuncio, qui tale, vel tale ſignum detulerit, & tertius quidam id ſciens, ſignum illud detulit, & res ei fuit tradita, & cum ea fugit, vel in manu eius perit; perit quidem domino, ſeu creditori, non debitori illam ei tradenti; ita Molina *tom. 2. de iuſtit. diſput. 296. §. dubium eſt.* Quod intelligendum eſt, modò debitor illud ſignum illi tertio non manifeſtarit; nam ſi illud ei manifeſtauit, perit debitori, quia fraus & dolus non debet patrocinari authori, ita idem Molina *citatus*, poſt Antonium Gomez, quem allegat *tom. 2. variar. reſolut. cap. 7. num. 3.* Similiter etiam ſi dominus, ſeu creditor id manifeſtauit, ob eandem rationem ei perit, non debitori, culpa enim, & dolus nocet ei per quem fit. Si verò dum conuenitent de ſigno deferendo, alius caſu prætereiens, vel ibi aſſiſtens eos audiuit, & ſignum detulit, vel alteri deferendum dedit, tunc etiam perit creditori, non debitori; quia eo ipſo quòd in tale pactum conſenſit, in cauſa fuit, vt tale ſignum daretur, & ſe periculo voluit exponere; ita Molina, & Antonius Gomez allegati poſt Bartolum *in l. eum qui, ff. commodati*, quem idem Gomez refert, ac ſequitur. 19. Gomez.

20. Tota dubitatio eſt ſi commodatarius, vel debitor rem per nuncium miſit idoneum abſque ſigno, & abſque deſignatione creditoris, & ille cum ea aufugit, vel aliter in manu eius periit. Communis reſolutio eſt non teneri ſi caſu fortuito periit, modò nuncius ſit fidelis, & idoneus, v. c. ſeruus, quem ſæpe fidelem expertus fuerat; tunc enim ſi cum ea re fugam arripuit, aut alia ratione periit, perit res commodanti, cuius erat, non commodatario, qui illam mittebat, ac proinde ad nullam reſtitutionem commodatarius tenetur; ita Molina *tom.2. de iuſtit. diſput.* 296. *§. deinde.* Armilla *verb. commodatum, num.*9. Syluester *eodem verb.num.*7. Nauarrus *in manuali Latina cap.*17. *num.*185. Angelus *verb. commodatum, num.*15. Panormitanus *in cap. ſignificante, de pignoribus, num.*8. Bartolus *in l. eum qui, ff. commodati.* Anton. Gomez *tom.2. variar. reſol.cap.*7. *num.*3. & idem eſt iuxta Nauarrum & Bartolum de eo qui miſit pignus, depoſitum, aut locatum per nuncium habitum pro fideli, & patet ex *l. argentum, ff. commodati,* & *ibi* gloſſa. Et ratio eſt, quia cùm prudentiſſimus quiſque nullam maiorem diligentiam, moraliter loquendo, adhibuiſſet, certè neque in re leuiſſima cauſa fuit iacturæ, & amiſſionis rei, & ideo ſi pereat, perit domino ſuo, niſi dolus, pactum, culpa, aut mora præcedat. Secus dicendum eſt, ſi nuncius non erat idoneus, & fidelis, & culpa nuncij periit, tūc enim tenetur commodatarius rem reſtituere, & illi perit, non commodanti, iuxta omnes authores citatos: ſimiliter ſi fuit infidelis, & tamen communiter reputabatur fidelis, non tenetur commodatarius illam reſtituere, quia non fuit in culpa, patet ex *dicta l.argentum,* docet Armilla *verb.commodatum, num.*9. *in fine.*

Molina. Armilla. Syluest. Nauar. Angel. Panorm. Bart. Ant. Gom.

Armilla.

21. *Distinctio inter commodatū & mutuum.* Secus dicendum eſt in rebus mutuatis quæ vſu conſumuntur, v. c. in pecunia numerata, pane, vino, oleo, & id genus aliis, in his enim ſemper mittens tenetur ad reſtitutionem illorum, ſi in manu nuncij pereant. Et ratio eſt, quia quando mutuatæ fuerunt, dominium earum tranſit in mutuatarium accipientem; quod non ita eſt in rebus commodatis, quæ vſu non conſumuntur, quia dominium illarum, non tranſit in commodatarium, ſed tantùm vſus; eſt enim commodatum, *Gratuita conceſſio vſus alicuius rei alicui facta ad aliquem ſpecialem vſum,* iuxta gloſſam *in cap. vnico, de commodato,* & Syluest. *verb. commodatum, num.*1. & alios communiter: at mutuum eſt, *quod de meo fit tuum,* vt patet ex *l.* 2. *ff. ſi certum petatur,* & ideo totum dominium illius in te tranſit, ex quo fit, quòd licèt per nuncium fidelem, & diligenter res mutuatæ mittantur, ſi actu non peruenerint ad eos, quibus mittuntur, & nuncius non fuit electus per eos, non liberari mittentem, iuxta communem Doctorum *in l. incendium, C. ſi certum petatur;* & *l. quod te, ff. eodem,* & iuxta *cap. ſignificante, de pignoribus,* & ita docet Nauarrus *in manuali Lat. cap.*17. *num.*185. & Armilla *verb. mutuum, initio.* Quando tamen pecunia in crumena, aut ſacco tibi in custodiam traditur, depoſitum dicitur, non mutuum.

CAPVT XIX.

Agitur de emente à fure mala fide, quæritur cui reſtitutio tunc facienda ſit, furi ne, an domino rei, & quando facienda ſit.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio aſſerens teneri ementem à fure, aut à malæ fidei poſſeſſore, rem domino, amiſſo etiam pretio, non furi reſtituere. num.1.

Refertur ſecunda aſſerens ſufficere ſi reſtituat furi ad recuperandum pretium. num.2.

Iudicium authoris. num.3. *Quid de fructibus interim perceptis. ibid. & cap.* 29. *num.*22. *vide cap.*19. *à num.*25.

An quando eam reſtituit domino, debeat amittere pretium illius. num.4.

Quid ſi quis ſciens rem eſſe alienam, eam paruo pretio emit animo reddendi illam vero domino, cùm apparuerit, an dominus teneatur, tunc ei pretium reddere, & ille poſſit illud tuta conſcientia accipere. num.5.

Quid ſi magno pretio emat non ſibi, ſed ad reddendum domino. num 6. 7.

An miles Chriſtianus fugiens è bello Maurorum, & inueniens alium militem Chriſtianum à Mauris occiſum, teneatur ad reſtitutionem aureæ catenæ, quam à mortuo milite Chriſtiano extraxit. num.8.

Et quid ſi alij milites Chriſtiani illam iterum ab eo extraxerint. ibid.

An licitum ſit Chriſtianis emere à Mauris, & à Batauis, & Anglis res à catholicis furatas. numero 10.

Quid ſi ſint ſacra, & ad diuinum cultum dicata. num.11.

An teneatur ad reſtitutionem aliquam ille, qui emit à latrone oleum, vinum, aut frumentum, quando latro illud furto abſtulit, ſed cum proprio immiſcuit. num.12.

An continuò peccet, qui non reſtituit. num.13.

De eo qui mala fide rem emit à fure, aut à quocumque alio malæ fidei poſſeſſore, ſciens, vel dubitans eſſe alienam; an teneatur eam domino reſtituere, non furi; eſt duplex opinio. 1. *De emente mala fide à fure.*

Prima affirmat teneri eam vero domino reſtituere, non latroni, ſi adhuc extet; ſi autem non extet, totum pretium eius eſſe reſtituendum iuxta æſtimationem temporis, quo erat à domino vendenda, aut diſtrahenda, & ſi non conſtet, quo tempore eſſet à domino diſtrahenda, iuxta optimum ſtatum ipſius rei, quem habuit à tempore quo ablata eſt, ſiue in manu domini, ſiue in manu furis. Ita docet expreſsè Syluester *verb. reſtitutio* 3. *num.*7. Bartholom. Medina *in ſumma lib.* 1. *cap.*19. Nauar. *in manuali Lat. cap.*17. *num.*9. & 10. Leſſius *lib.*2. *cap.*14. *de reſt. ratione rei acceptæ, dub.*3. *num.*19. Caietan. 2.2. *quæſt.*62. *art.*6. Sotus *lib.*4. *de iuſt. quæſt.*7. *art.*2. Couarr. *ad regulam peccatum* 3. *part. init.* & *lib.*1. *variar. cap.*3. *num.*6. Lopez 1. *part. inſtructorij, cap.*95. *§. at illa, infra medium,* vbi docet in eo caſu quòd vnus latro rem furtiuam ab alio latrone furto ſimiliter auferat, teneri hunc ſecundum latronem ſaltem ex charitate admonere primum de reſtitutione

Opinio prima. Syluester. Medin. Nauarr. Leſſius. Caiet. Couar. Sotus. Lopez.

tutione à ſe facta domino rei, ne grauamen primus latro patiatur, & idem eſt de poſſeſſore malæ fidei; tenetur enim etiam admonere illum à quo rem accepit de eadem reſtitutione facta à ſe, ne etiam grauamen patiatur, & idem tenet Ioannes Medina *C. de reſt. 1. quæſt. 10. initio.* Probatur,

Medin.

Primò, quia eo ipſo, quòd ſciuit, vel prudenter dubitauit, rem eſſe alienam, & furtiuam, & nihilominus eam à latrone, aut poſſeſſore malæ fidei emit, neceſſariò voluit ſuper ſe ſuſcipere eam obligationem, quam primus fur habebat; obligatio autem illius erat, vt vero domino rem ſuam reſtitueret, nullo recuperato pretio. Confirmatur, quia ipſe emens rem alienam conſtituitur poſſeſſor malæ fidei, & per iniuſtam rei retentionem, damnum infert vero domino; ergo tenetur ſine dubio illi prædictam reſtitutionem facere.

Secundò, quia reddendo furi & non domino, conſtituit dominum in peiori ſtatu, & maiori periculo nunquam recuperandæ rei, aut ſaltem non tam citò recuperandæ, & inſuper eum priuat iniuſtè iuſta poſſeſſione rei ſuæ, & intereſſe illius; quare id totum ei tenetur reſtituere.

2. Opinio ſecunda.

Secunda opinio negat, & aſſerit ſatisfacere malæ fidei emptorem ſi rem mala fide emptam furi reddat à quo emit, vel accepit ad recuperandum pretium ſuum, contractumque reſcindendum, & non illius domino; hanc tenet Alenſis 4. *part.* 86. *memb.* 3. *art.* 5. citant aliqui pro illa Syluestrum *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 7. ſed *ibi* id refert ex opinione Alenſis, non docet ex ſua, imò primam expreſsè tenet, tenet etiam illam Angel. *verb. Reſtitutio* 1. §. 6. Fundamentum illorum eſt, quia ſatis eſt ſi latroni, vel malæ fidei poſſeſſori rem reddat reſcindendo venditionem, ne amittat ſuum pretium; nemo enim tenetur conſtituere dominium rei in meliori ſtatu, quàm antea erat, ſufficit quippe, ſi illum conſtituat in eodem ſtatu; at in eodem ſtatu illum conſtituet, ſi rem reddat priori latroni, vel malæ fidei poſſeſſori, vt venditionem reſcindat, & pretium ſuum accipiat; ergo hoc ſolum tenetur efficere, ſed ad hoc fundamentum iam diximus conſtituere illum in peiori ſtatu, nam eo ipſo, quo quis rem emit, vel gratis accepit à latrone, ſciens illam eſſe alienam, velit, nolit, ſe obligauit ad illam domino reddendam, amiſſo etiam pretio, vt ſæpe diximus, & ſi non reddat, reddit dominum in peiori ſtatu, in quo antequam illam domino redderet, erat; nam antequam illa latroni redderet, erat in manu eius, & poſtquam illam latroni reddidit ad comparandum ſuum pretium, eſt in manu latronis. Securior autem erat res in manu ipſius, quàm in manu latronis, & ſic ſi illum reddat latroni, reddit dominũ in peiori ſtatu, quàm antea erat, illud enim *antea*, non deſumendum per ordinem ad tempus quo illam à latrone emit, vel accepit; ſed per ordinem ad tempus, quo illam reddit latroni, vt contractum reſcindat, & pretium ſuum accipiat, nec per ordinem ad tempus antecedens acceptionem; ſed per ordinem ad tempus antecedens redditionem.

Alenſis. Syluest. Angel.

3. Iudicium Authoris.

Eſt vtraque ſententia probabilis; prima tamen meo iudicio probabilior ob illius authores, rationes, & fundamenta; ſi tamen emptor malæ fidei, qui rem à latrone emit, aut ſecundus latro, qui rem furtiuam furto abſtulit à primo, dubitat probabiliter, & prudentialiter de bona fide domini ipſius rei, à quo primus latro eam furatus eſt, in hoc caſu crederem veram eſſe hanc ſecundam opinionem, & ſufficere ſi eam reddat primo latroni, à quo eam vel mala fide emit, vel furto abſtulit, non domino, de cuius iure dubitatur, & ſic expreſsè docet Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 95. §. *At illa quæſtio.* Ratio eſt, quia in iſto caſu non eſt maior ratio cur vni, quàm alteri detur; & alioquin ipſa ratio poſtulat, vt ſeruato bono ordine, rem reddamus ei, à quo primò accepimus. Fructus interim perceptos tenetur omnes reſtituere emptor malæ fidei, ac tenetur ipſe latro, ſiue extent, ſiue non extent, ſecundùm optimum ſtatum illorum, iuxta omnes DD. quia omnibus obligationibus ipſius furis, velit, nolit, per talem emptionem ſe ſponte ſubiecit, vt docent authores numero ſequenti citandi, quarum vna, & fortè præcipua obligatio hæc eſt.

Lopez. *Quid de fructibus interim perceptis.*

An autem emptor malæ fidei, qui rem à latrone emit, teneatur illam vero domino illius reſtituere, amiſſo etiam, & non recuperato pretio, quod pro illa dedit, poterit quiſque dubitare. 4.

An quando eam reſtituit domino, debeat amittere pretium illius.

Authores primæ ſententiæ probabilioris affirmant teneri eam domino reſtituere amiſſo pretio: ita ſpeciatim Sylueſter *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 7. ibi, *tenetur eam vero domino, non furi reſtituere, & non poteſt petere ab illo pretium, quod pro illa dedit*; & id ſatis probat primum fundamentum primæ opinionis. nam cùm emptor malæ fidei, qui à latrone rem emit ſciens, vel probabiliter dubitans eam eſſe furtiuam, & alienam neceſſariò, velit, nolit, ſuſcipiat obligationem illam, qua latro ipſe obſtringebatur, neceſſariò etiam tenetur illam domino reſtituere, amiſſo pretio, & neque illud poteſt petere, neque ab eo accipere, niſi gratis, & liberaliter offeratur, & id ipſum expreſsè etiam docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *de reſt rei accepta, dub.* 3. *num,* 19. dum aſſerit, eum qui rem alienam à poſſeſſore malæ fidei, & latrone emit, ſciens, vel probabiliter dubitans eſſe alienam, eo ipſo, voluiſſe iure ſuo cedere; quod ipſe habebat ad diſſoluendum contractum recuperato ſuo pretio, & ſibi debere imputare quod pretium dederit pro ea re, quam putabat eſſe alienam, & reſtitutioni obnoxiam.

Leſſius.

Authores verò ſecundæ ſententiæ, negant nullo excepto ex iiſdem ſuis fundamentis, ſed firma ſtat ratio, & inconcuſſum fundamentum pro prima opinione, vt patet. Ratio illorum eſt, quia magis ſibi quiſque conſulere poteſt, quàm alteri, præſertim cùm per reſciſſionem contractus non conſtituat dominum rei in peiori ſtatu, quàm antea. At ſiue conſtituat, ſiue non conſtituat illum in peiori ſtatu, parum refert, quia cùm eam à latrone mala fide emit, neceſſariò omnes obligationes illius ſubiuit, vt diximus, & patet ex *l. in ciuilem, C. de furtis*, & id verum eſſe ait Sylueſter, etiamſi daretur lex, aut ſtatutum, quòd poſſit petere ſuum pretium; tale enim ſtatutum non valeret, quia eſt contra bonos mores, *cap. quæ contra diſt.* 8. *cap. flagitia* 32. *quæſt.* 7. & patebit infrà *num.* 7. *ad finem.*

Si quis tamen ſciens rem eſſe alienam, eam paruo pretio emit, eo animo, vt domino inuento, eam illi reſtituat; pretium poteſt repetere, & dominus in conſcientia tenetur illud ei reddere, & in foro externo ad id cogetur; ita colligitur ex *Inſt. de obligat. quæ quaſi ex contractu*, §. 1. *l.* 2. *ſi quis alienum, ff. de negotijs geſtis.* docet Sylueſter *verb. reſt.* 3. *quæſt.* 7. §. *tertium.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *de reſt. ratione rei acceptæ, dub.* 3. *num.* 20. Molina Theolog. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 118. §. *illud poſtremò*, 5.

Quid ſi quis ſciens, rem eſſe alienam, eam paruo pretio emit, vt illam reſtituat vero domino. Sylueſter. Leſſius. Molina.

Couarr.

& deinceps, & Couarr. *ad regulam peccatum 3.p. num.5.* Ratio eſt, quia vtiliter geſſit negotium domini, non enim pretium præſtitit, vt rem ſibi retineret, ſed vt domino redderet, & vt eam à periculo eximeret, ne domino ſuo periret.

6\.

Quid ſi magno pretio emit, vt domino redderet.

Si magno, vel penè æquali pretio illam emit, vt domino ſimiliter redderet, non vt eam ſibi retineret, non tenetur dominus in conſcientia totum pretium ei reddere, niſi fortè prudenter putauerit eam longè pluris valere. Fundamentum eſt, quia nullam; aut perexiguam vtilitatem ex tali emptione domino attulit, tenebitur tamen ipſe dominus ad tantum quantum arbitrio prudentum valet, opera, quam in eo negotio pro domino gerendo emptor impendit, vt docet Leſſius *ſuprà allegatus*, & colligitur ex *l. ſi quis aliena, ff. de negotiis geſtis.*

Leſſius.

7\. Si eodem magno, vel æquali pretio eam à latrone, vel poſſeſſore malæ fidei ſibi emit, & non, vt domino reſtitueret, nullo modo poteſt pretium petere, cùm neque nomine vēditionis (nemo enim poteſt rem domini domino illius vendere) neque nomine geſtionis negotij illud repetere poſſit, non enim eius cauſa emit. Ita Leſſius citatus *dicto n.20. in fine.* & Syluester *verb. Reſtitutio 3. n.7. §.4.* omnes DD. allegati *num. 3. & 4.* & colligitur ex *l. ſi pupilli. §. ſi quis negotia, ff. de negot. geſtis.* Imò quamuis iuraſſet dominus ſe ei daturum totum pretium, non poterit emptor in conſcientia illud ab eo poſt ipſum iuramentum petere, ſi à principio rem emit, vbi recuperaret dominium illius, non vt proprio domino redderet, quia leges, quæ decernunt, ne malæ fidei emptor pretium à domino accipiat, ſunt latæ immediatè ob bonum commune & bonos mores, contra quos non poteſt præualere iuramentum. Ita expreſsè Syluester *verb. Reſtit. 3. num.7. §. Primum quia*, & ideo iuramentum illud fuit nullum; eſt enim iuramentum pactum priuatorum hominum, quod contra bonos mores, & bonum commune præualere non poteſt, vt expreſsè patet ex *cap. ſi diligenti, de foro competenti*, ibi, *Teneri iuramentum reſpondiſti, immemor conſtitutionis, qua cauetur pacto priuatorum iuri publico minimè derogari*, & ex *l. ius publicum. ff. de pactis, & l. neque pignus, ff. de regulis iuris, §. priuatorum*, gloſſa *in dicto cap. ſi diligenti, verb. Pacto priuatorum*, ſic nemo poteſt facere, aut conditionem ponere; quòd leges requirentes certas ſolemnitates in confectione teſtamenti in teſtamento ſuo locum non habeant, *l. nemo. ff. de legatis 1. l. vltima, C. de iuramento calumniæ, §. ſed quia*, Zerola *1 part. in praxi, verb. Hoſpitale, §. Ad ſecundum dubium.* Couar. *in cap. tua nobis, de teſtam. num. 8. & 2. part. de ſponſalibus, cap. 31. num. 20.* Rochus de Curte *tractatu de iure patronatus, quæſt. 12. verſ. Eo quod.*

Leſſius.
Syluest.
Idem.
Zerola.
Couar.
Rochus de Curte.

8\.

De milite Chriſtiano extrahente torquem aureum alij Chriſtiano demortuo.

Ex principiis iactis patet reſponſio ad illam quæſtionem à nobis nuper interrogatam. Quidam miles Chriſtianus fugiens è bello Maurorum inuenit nobilem Chriſtianum in acie demortuum iacentem, à quo torquem aureum extraxit, & poſtea alij milites Chriſtiani eundem torquem à ſe abſtulerunt, quæſitum à nobis fuit, an obligandus ſit iſte miles ad reſtitutionem valoris ipſius torquis hæredibus militis demortui, ſi compareant, & ſi non compareant, pauperibus. Reſpondi Mauros iniuſtum bellum contra nos gerere, & ſic non poſſe illos dominium ſpoliorum habere, quæ in bello iniuſto, quod contra nos gerunt, capiunt, ſed permanere illud, ac perſeuerare in antiquis dominis, illorumque hæredibus; quapropter de iuſtitiæ rigore teneri in conſcientia Chriſtianum militem reſtituere prædictum torquem aureum hæredibus militis demortui, à quo illum extraxit, deducto pretio laboris & periculi, ſi cui ſe expoſuit, quod idem tenet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 118. §. Poſtremo*, & Couarr. *ad regulam Peccatum, 2. part. § 11. à num. 7.* quia tamen ille torquem bona fide extraxit, exiſtimans id ſibi licere, non peccaſſe, bona enim fides à peccato illum excuſauit, teneri tamen ad reſtitutionem in defectu ſecundò capientium ſi fuit in mora reſtituendi antequam ab illo auferretur, aliàs non; nam primariò tenentur reſtituere ſecundò capientes, vel hæredibus militis defuncti, ſi extent, & cognoſcantur, vel pauperibus in defectum hæredum; quia vtilitas rei apud illos eſt; ita Syluester *verb. Reſtitutio, 3. quæſt. 7. §. Tertium.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 14. de reſt. rei acceptæ, dub. 3. num. 14.* & Nauarrus *cap. 17. num. 8.* quatenus docent eos, qui bona fide rem furtiuam emunt, teneri ad reſtitutionem, cùm intellexerint eſſe alienam; quod idem patebit *in cap. ſequenti, num. 1.*

Molina.
Syluester.
Leſſius.
Nauar.

9\. Si autem mala fide torquem à milite iacente extraxit ſciens, videlicet, ſe non poſſe illum tuta conſcientia extrahere; ſed ideo extraxit, ne veniret ad manus hoſtium, contra quos habemus iuſtum bellum, credens probabiliter niſi extraxerit rem nunquam deuenturam eſſe ad manus hæredum militis defuncti; tunc videndum eſt quo animo extraxit, nam ſi extraxit animo, vt hæredibus defuncti redderet, non peccauit, nec ad reſtitutionem tenetur in defectu ſecundò capientium, quamuis alij milites poſtea illum ab eo furto abſtulerint; ſed ſolùm ſecundò capientes ad reſtitutionem tenentur, iniuſtè enim illum obligabimus pro actu virtutis, quem exercuit; ſi verò accepit animo retinendi ſibi, mortaliter peccauit, & tenetur ad reſtitutionem in defectu ſecundò capientium, vt dixi: quæ reſponſio approbata fuit à viris doctiſſimis noſtræ Societatis.

10\.

An licitum ſit Chriſtianis emere à Mauris, vel aliis hæreticis res à Catholicis furatas.

Ex quo principio infert Molina *dicto tom. 1. de iuſt. diſput. 119. §. Illud poſtremo*, licitum eſſe Catholicis emere à Mauris, Turcis, & Piratis hæreticis, Batauis, & Anglis res furto ablatas non ſolùm iuſto, ſed etiam minori pretio, quando veroſimile eſt illas nunquam deuenturas eſſe ad manus ſuorum dominorum (vt ordinariè euenit) eo animo, vt ſi proprius dominus comparuerit, illam accipiat, reddito ſibi pretio pro illis dato; ſi autem non comparuerit, ſibi retineant; tum quia credendum eſt eam eſſe voluntatem dominorum, tum quia ſi id noluerunt, ſunt irrationabiles, & ita ſe reſpondiſſe affirmat quibuſdam captiuis Chriſtianis, qui in Africa occumbente Rege Luſitaniæ Sebaſtiano emerunt à Mauris vili pretio aliqua de ſpoliis Luſitanorum eodem bello cum Rege occumbentium, in eo autem euentu quod minori pretio emerint, tenetur dominus rei non ſolùm in conſcientia, ſed etiam in foro iudiciali ſoluere, ac reddere pretium pro ea re præſtitum, cum vtiliter geſſerint negotium domini, in tali re vili eam pretio redimendo. Imò addit Molina quando ex circumſtantiis prudenter inſpectis veroſimiliter præſumi poteſt dominos earum rerum haud futuros inuitos, vt titulo gratioſo eas res ſibi Chriſtiani à Mauris, & hæreticis accipiant, ad nullam omnino teneri reſtitutionem quandiu de contraria illorum voluntate ſibi non conſtat.

Molina.

Idem

11\. *Quid ſi ſint ſacra, & ad diuinum dicata.* Idem dicendum eſt etiam, de aliis rebus ſacris ad cultum diuinum ſpectantibus, quas Lutherani, & Caluiniſti Angli ex templis in Regno ſuo expilatis ad nos aſportant, præſumendum enim eſt voluntatem illorum eſſe, ad quos dominium illarum ſpectat, vt potiùs vili pretio, aut dono datas eas accipiant Catholici, vt cultui diuino applicent, quàm vt vendantur Sarracenis, vel prophano vſui applicentur.

Illatio. Inferes etiam ex dictis eos, qui extrahunt ab hæreticis piratis naues onuſtas mercibus, quas ipſi à Catholicis vi, & armis ceperunt, teneri in conſcientia eas dominis comparentibus reſtituere, vel hæredibus eorum, vel in defectum illorum pauperibus, deducto tamen pretio, & æſtimatione laboris, & periculi cui ſe expoſuerunt. Ratio eſt, quia cùm iniuſtè eas ceperint, ſemper dominium ad dominos illarum ſpectat, quia ſemper apud illos manſit de iure naturali.

12\. *Quid ſi quis à latrone emerit oleũ, vinum, vel frumentum.* Notandum tamen eſt, ea quæ *num.* 1. *&* 4. dicta ſunt, intelligenda eſſe de iis rebus furtiuis, quæ ita ſunt ſeparatæ ab aliis propriis ipſius latronis, vt diſcerni ab illis poſſint, nam ſi ita ſint permixta, vt diſcerni nequeant, tranſeunt omnia in dominium ipſius latronis, & perit obligatio realis in rem; ſolùmque manet actio perſonalis in latronem, quia in talibus ſic permixtis nemo poteſt rem ſuam apprehendere cùm illam diſcernere ab aliis nequeat. Et ratio eſt, quia in hac permixtione non eſt maior ratio cur potiùs hæc pars, quàm illa cenſeatur aliena; vnde ſi emeris frumentum, oleum, & ſimilia, quæ furto ablata fuere, & rebus venditoris eiuſdem generis permixta, non teneris ad reſtitutionem, etiam ſi id ſcias, & apud te extet, ita docet expreſsè Medina *quæſt.* 10. *de reſt.* § *Notantes*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *de reſt. rei accepta, dub.* 3. *num.* 22. *& cap.* 20. *dub.* 18. *num.* 156. Sylueſter *verb. Vſura* 6. *quæſt.* 1. Angelus *verb. Vſura* 2. *num.* 18. & quamuis loquantur de re empta ab vſurario, tamen eadem eſt ratio de empta à fure, & colligitur ex *l. ſi alieni nummi, ff. de ſolutionibus*, vbi de alienis nummis dicitur, *ſi mixti eſſent, ita vt diſcerni non poſſint, eius fieri, qui accepit in libris Caij ſcriptum eſt, itaut actio domino cum eo, qui dediſſet, furti competeret.* Medina. Leſſius. Sylueſter. Angel.

13\. *An continuò peccet qui non reſtituit.* Rogas tandem quando facienda ſit reſtitutio. Reſpondeo certum in primis eſſe teneri furem, & omnem iniquum poſſeſſorem ſtatim reſtituere, ac primum poſſunt; ſi verò ſtatim non reſtituunt, ac poſſunt, continuo actu peccare, & eſſe in continuo peccato, niſi vno ex his tribus modis peccatum illius interrumpatur.

Primus eſt ex defectu opportunitatis ad reſtitutionem faciendam, modò habeat firmum propoſitum reſtituendi, prima quaque occaſione nacta; poteſt enim quis habere poſſibilitatem reſtituendi, & non habere opportunitatem.

Secundus eſt ex defectu poſſibilitatis, nam dum impoſſibilitas durat, externa detentio non eſt peccatum. Vnde etſi feratur excommunicatio pro furto, non teneris te manifeſtare, nec alter tenetur te reuelare, ſi ſibi conſtet de tua impoſſibilitate, imò etiamſi animum tunc habeas non reſtituendi, excommunicatione nõ innodaberis, ſi ipſe non habeas vnde reſtituas, quia etiam ſi illa volũtas interna peccatum ſit, detentio tamen externa peccatũ non eſt, & excõmunicatio fertur pro peccato, & pro ipſa externa, & iniuſta retentione; innodaberis tamen ſimul ac habueris commoditatem, ac poſſibilitatem ad reſtituendum, ſi non reſtitues.

Tertius eſt ratione ſomni, vel alterius diſtractionis mentis, per quam fiat, vt penes te non ſit, cogitare tunc de iniuſta retentione illius rei, nam, vt iſta cogitatio ſit libera, oportet vt in tua poteſtate ſit aduertere, te detinere alienum, & ſic pro toto illo tempore, quo id in tua poteſtate non eſt, retentio non eſt libera, veluti ſi incidas in amentiam, aut vehementiſſimo aliquo morbo laboraueris, qui totum tuum animum, & cogitationem occupet. Vnde non eſt peccatum formaliter, ſed materialiter tantùm, ſeu habitualiter; quare interrumpetur peccatum formaliter, continuatur autem materialiter, habitualitérve, ſeu effectiuè, quod quidem peccatum materialiter non eſt maius, nec minus, ſiue per multum tempus, ſiue per exiguum, ſomnus, morbus, aut interruptio duret, propter quam in tua poteſtate non eſt aduertere ad furtum; niſi tamen fortè ante præuideres hanc interruptionem, & nolueris eam deuitare reſtituendo, cùm poſſis; ita docet Leonardus Leſſius Leſſius. *lib.* 2. *cap.* 12. *de iniuriis fortunarum, dub.* 3. *num.* 11. Sotus. *&* 12. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 4. Gabr. *in* 4. Gabriel. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 4. *concluſ.* 2. Et id probatur facili negotio.

Primò, quia qui non reſtituit cùm poteſt, & eſt in opportunitate, voluntariè retinet alienum; ergo actualiter damnificat proximum, ac proinde actualiter peccat, & eſt in peccato.

Secundò, quia qui aliquem trudit in carcerem iniuſtè, continuò peccat dum non ſoluit, cùm poſſit, quia, moraliter loquendo, continuò vinculat; ergo, & qui rem alienam detinet cùm poſſit, continuò peccat dum non ſoluit.

Caput XX.

De emente rem à fure bona fide. An teneatur eam domino reddere, an autem furi, vt contractum reſcindat, & pretium accipiat, ſciens poſtea eſſe furtiuam, & quid de fructibus illius.

Svmmarivm.

An qui gratis, vel alio titulo gratuito rem à latrone accipit, teneatur illam vero domino reſtituere, num. 1.

Quid de eo, qui bona fide eam à latrone emit, aut cum eo pro alia permutat: refertur prima opinio affirmans non teneri eam domino reſtituere, amiſſo pretio, ſed poſſe reſcindere contractum, vt pretium accipiat. num. 2.

Aſtruitur negatiua. num. 3.

Quæ diſtinctio detur inter emptorem bonæ, & malæ fidei. num. 4.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. num. 5.

Explicatur quid ſit fieri aliquem ditiorem ex aliena, num. 6. *&* 7. *Ex re aliena conſumpta bona fide ſolùm tenetur quis reſtituere id in quo factus eſt ditior. ibid.*

Quid quando quis factus eſt ditior partim ex induſtria ſua, partim ex re aliena bona fide conſumpta, vel poſſeſſa. num. 8.

An ille dicatur factus ditior ex re aliena, qui eam bona fide vendidit, & pretium eadem bona fide inutiliter expendit in ludis. num. 9.

An

An qui inuitatur ad eſum rei furtiuæ, ignorans eſſe furtiuam, teneatur poſtea ad reſtitutionem ſciens eſſe furtiuam. num. 10. & 11.

Poſſeſſor bonæ fidei ſi res apud illum extet, tenetur eam domino reſtituere ſimul ac cognouerit eſſe alienam, ſi verò iam conſumpta fuerit, ſolùm tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior, num. 12.

Vſus rerum vſu conſumptibilium, vt panis, vini, olei, frumenti, non ſunt fructiferi, & ſi aliquo modo ſunt fructiferi, ſunt ex induſtria hominum, non ex natura illarum. num. 13.

Fructus ex re fructifera, veluti ex prædiis, vineis, agris, oliuetis, &c. illi tantùm dicuntur, qui remanent deductis expenſis in illis colligendis, & quærendis. num. 14.

Qui ſint fructus naturales, ſeu reales, qui induſtriales, qui ciuiles; num. 15. *Quid in dubio, an naturales, an induſtriales dicendi ſint.* ibid. verſu, Quando autem.

Prouentus animalium, vt hædi, lanæ, caſei, an ſint fructus induſtriales. num. 16.

Poſſeſſor, & emptor bonæ fidei, ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, ita efficit fructus ſuos induſtriales, durante eadem bona fide, vt ſolùm teneatur extantes reſtituere cùm agnouerit rem eſſe alienam; ex non extantibus verò, & conſumptis ſolùm id in quo factus eſt ditior. num. 17. & 18.

Poſſeſſor bonæ fidei naturales fructus ſuos tantum efficit, ita vt ſolùm teneatur reſtituere extantes, & ex non extantibus; ſed iam conſumptis, id, in quo factus eſt ditior, quando titulum habet verum, vel præſumptum, & coloratum, ſecus ſi titulum non habeat. num. 19.

Aliud eſt dari bonam fidem abſque titulo, aliud præſcribi abſque titulo: bona fides excuſat à peccato, non tamen facit actum validum ſi de iure inualidus ſit. num. 20. & 21.

Refertur prima opinio aſſerens poſſeſſorem malæ fidei in foro externo ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, teneri reſtituere non ſolùm omnes fructus, quos ipſe percepit ex re aliena, ſed etiam illos, quos dominus percepiſſet, ſi rem haberet, & ipſe non percepit. num. 22.

Aſtruitur ſententia docens ſi titulum habet emptionis, donationis, &c. excuſari in eodem foro externo à fructibus qui percipi poterant à domino, & ſolùm teneri reſtituere fructus à ſe perceptos, & ad nullos alios teneri: ſi autem titulum non habeat, teneri de fructibus omnibus non ſolùm quos ipſe percepit, ſed etiam de illis, quos percepiſſet dominus rei, licèt ipſe eos non perceperit, num. 23.

Titulus nihil prodeſt, quando ius non aſſiſtit, ſed reſiſtit, & in quibus caſibus ei reſiſtat. num. 24.

Quid de foro interno, & de fructibus ex melioratione facta à poſſeſſore malæ fidei, à num. 25. vſque ad 29. & à num. 30. vſque ad 40. & de expenſis in melioratione factis, an ſint deducendæ, à n. 33. vſque ad 40.

1. DVOBVS modis poteſt quis bona fide rem furtiuam à latrone, vel malæ fidei poſſeſſore accipere, vel gratis, ſeu titulo gratuito donationis, vel titulo oneroſo venditionis, aut permutationis, &c.

Aſſertio prima.

Statuo primò. Qui gratis rem furtiuam à latrone poſſeſſoreque malæ fidei bona fide accipit, tenetur vbi cognouerit eſſe alienam, eam domino reſtituere, ſi apud ſe extet, non furi ſibi eam danti, niſi moraliter certus ſit, quòd fur eam domino reſtituet, eſt communis. & à nemine negatur, eam docet Leſſius *lib 2. cap. 14. de reſt. rei acceptæ, quæ apud ſe extat.* Non inuento autem domino, nec hæredibus illius, diſpenſanda erit pauperibus, aut piis operibus diſtribuenda; quia hæc cenſetur voluntas domini. Leſſius.

2. De eo autem, qui bona fide rem furtiuam à latrone, vel poſſeſſore malæ fidei emit, vel cum eo permutauit bona fide, ignorans eſſe alienam. Partita eſt opinio.

De eo qui bona fide rem à latrone emit, aut cum eo pro alia permutat.

Opinio prima.

Prima docet non teneri illum illam domino reſtituere, ſed poſſe, vbi intellexit eſſe alienam, reſcindere contractum, & reddere furi, recuperato pretio, etiam ſi ſciat illum eam domino non redditurum, quem contractum tenetur fur in conſcientia reſcindere acceptando rem, & reddendo pretium; ita docet expreſsè Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num. 9. in fine.* Syluester *verb. Reſtit. 3 q. 7.* Alenſis *in 4. part. quæſt. 86. memb. 3. art. 5.* Angelus *verb. Reſtitutio 1. num 1.* Gabr. *in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 3. dub. 5.* Altiſiodorenſis *lib. 4. tract. 6. de reſtit. quæſt. 5. à medio.* Paludanus *in 4. diſt. 15. art. 4 quæſt. 2. art. 4. num. 25.* D. Anton. *2. p. titulo 1. cap. 12. §. 16. ante medium, in primo incommodo.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 2. num. 18.* Lud Lopez *1. part. Inſtruct. cap. 95.* vbi hanc opinionem communem appellat. Et fundamentum eſt,

Nauarr. Syluester. Alenſ. Angelus. Gabriel. Altiſiodor. Palud. D. Anton. P. Nauarra. Lopez.

Primò, quia, qui ita emit, nullam iniuriam intulit domino, cùm bona fide egerit, putans rem eſſe vendentis, non furtiuam, nec alienam, ac proinde iniuſtè conquereretur de illo dominus rei, ſi illam in antiquo ſtatu conſtituat, & furanti, ac ſibi vendenti, ne pretium amittat, reddat.

Secundò, quia non tenetur eam domino reddere ex iuſtitia, amiſſo pretio illius; quia nemo tenetur ex iuſtitia eſſe gratis alterius procurator, non ex charitate, quia charitas non nos obligat cum noſtro graui detrimento rem huiuſmodi contra nos exequi; ergo ex nullo capite.

Tertiò, quia contractus venditionis, aut permutationis fuit nullus; fuit enim inuoluntarius quoad ſubſtantiam reſpectu ementis; nam ſi ſciret illam eſſe alienam, nullo pacto emeret, & vt contractus ſit validus, opus eſt vt venditor transferat dominium rei venditæ in emptorem, & emptor dominium pecuniæ in venditorem, vt patet ex *l. nunquam, ff. de acquir. rerum domin.* ibi, *Nunquam nuda traditio transfert dominium, niſi præceſſerit venditio, aut iuſta alia cauſa;* id eſt, aut iuſtus titulus, vt explicat Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 326. §. Probari autem poteſt.* Titulus autem quo fur rem furtiuam habet, non poteſt eſſe iuſtus; ergo non potuit dominium rei furatæ transferre in emptorem illius; ergo contractus venditionis fuit nullus; ergo reſcindere illum poteſt emptor, reddendo rem, & accipiendo pretium, & in hoc nullam iniuriam infert domino rei. Molina.

Quartò, quia ſi quis inueniat rem alienam in platea, & aduertat eam ſibi eſſe nociuã, & damnoſam, poterit tuta conſcientia eam ponere in eodem loco vbi illam inuenit, non enim tenetur illam cum damno ſuo domino ſuo ſeruare; ergo ſimiliter poterit illam furi, à quo bona fide emit, reddere, vt ſuum pretium recuperet, non enim tenetur illam cum tanto ſuo damno, id eſt, cum amiſſione pretij, domino reddere.

3. Secunda opinio docet teneri emptorem à fure bona fide, cùm cognouerit rem eſſe alienam, eam domi

Opinio ſecunda.

domino ipſius rei reſtituere, non furi, non reddito etiam pretio, excepto eo caſu, in quo moraliter certus ſit, quòd latro eam domino reſtituet, & quo ipſe poſſit applicare modum, quo dominus rem ſuam accipiat à latrone, in his enim caſibus poterit contractum reſcindere, & eam furi reddere, vt pretium accipiat, hanc docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 3. *num.* 15. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 2. Couarr. cum multis *ad regulam Peccatum,* 3. *part. initio, num.* 3. Ioannes Medina *C. de reſt. quæſt.* 10. §. *Verùm quamuis.* Ledeſma 2. *part.* 4. *quæſt.* 18. *art.* 6. Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 7. ibi, *Qui bona fide rem à latrone, vt ſibi retineret, emit, non credens eſſe furtiuam, tenetur quidem reſtituere, vbi ſciuerit veritatem, nec poteſt à domino pretium repetere,* conſtat ex *l. inciuilem, C. de furtis.* Probatur,

Caiet. Sotus. Couar. Medin. Ledeſm. Syluest.

Primò, quia ea emptio fuit intrinſecè conditionata, vt res redderetur domino comparenti, ſi fortè fuerit aliena; ſic omne iuramentum promiſſorium abſolutè factum intrinſecè, eſt conditionatum, niſi ſit contra bonos mores.

Secundò, quia, qui rem tradit latroni, ponit illam in peiori ſtatu, quàm nunc in manu ſua ſit; at vbi primùm conſtat rem eſſe alienam, contra bonos mores erit, & contra iuſtitiam dominum illius in peiori ſtatu conſtituere, quàm modò ſit.

Tertiò, quia ſublata bona fide manet emptor poſſeſſor malæ fidei; poſſeſſor autem malæ fidei ſi res extat, tenetur illam ſtatim domino reſtituere.

Quartò, quia ſi poſſet tuta conſcientia eam furi reddere, & pretium recuperare ſimul ac cognouerit eſſe alienam, poſſet eam non inuito fure alteri vendere, ne pretium ſimiliter amittat, cùm vtrobique eadem ſit ratio: at quis hoc dicet.

Quintò, quia qui rem furtiuam reddit, furi cooperatur cum iniuſta retentione illius, ſi probabiliter credat, quòd eam domino non reſtituat; at non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; ergo non eſt faciendum malum cooperando peccato furis, vt eueniat bonum recuperationis pretij.

4. *Quæ diſtinctio ſit inter emptorē bonæ fidei & malæ fidei.*

Neque obſtat ſi arguas ex hac opinione ſequi nullam dari diſtinctionem inter emptorem à fure mala fide, & emptorem à fure bonæ fidei, cùm vterque teneatur rem domino reſtituere, ille ſemper, & à principio emptionis: iſte cùm cognouerit rem eſſe alienam, & ſublata bona fide: at hoc videtur abſurdum; quis enim non videt melioris conditionis debere eſſe emptorem bonæ fidei, quàm malæ fidei. Reſpondeo dari maximam diſtinctionem.

Primò, quia emptor bonæ fidei durante eadem bona fide non tenetur rem emptam reſtituere; at emptor malæ fidei ſemper tenetur.

Secundò, quia fructus conſumptos durante bona fide non tenetur emptor bonæ fidei reſtituere, ſolùm enim tenetur reſtituere extantes, & ſi non extent, id tantùm, in quo ex illis factus eſt ditior, vt docet Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 7. *verb. Tertium.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *de reſt. ratione rei acceptæ, dub.* 2. *num.* 8. & 9. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 3. *num.* 6. Lud. Lopez 1. *part. Inſtructorij conſc. cap.* 95. & omnes illi, quos infrà citabimus *num* 12. vbi de hac re ſermonem iterum inſtituemus, & conſtat ex *l. in bonæ fidei, ff. de acquir. rerum dominio,* & ex *l. fructus,* & ex *l. ex diuerſo,* §. *finali, ff. de rei vend.* At poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere domino rei omnes fructus perceptos, ſiue extent, ſiue non extent, quod à nemine negatur, vt latè probat Thomas Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 97. ſi titulum habet, omnes tantùm perceptos, ſi non habet, omnes quos tam ipſe, quàm dominus rei percipere potuiſſet, idque in foro conſcientiæ, nam in foro externo quando non habet titulum, tenetur ad omnes poſſibiles, abſolutè loquendo, vt infrà patebit.

Syluester. Leſſius. Couarr. Lopez. Sanchez.

Tertiò, quia ſi durante bona fide res periit, perit domino, non emptori bonæ fidei, quando non fuit in mora reſtituendi illam, & ſi rem vendidit, vel aliter alienauit, non tenetur reddere pretium illius, ac tenetur emptor ipſe malæ fidei; quia nec dolo illam vendidit, nec deſiit poſſidere, & pretium ex re furtiua non eſt furtiuum, ſed ſolùm tenetur reſtituere ex dicto pretio id, in quo factus eſt ditior; patet ex *l. qui vas, ff. de furt.* & ex *l. nam, & hoc natura, ff. de condict. indebit.* Ita Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 7. *verſ. Tertium* eſt. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 16. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 14. *dub.* 1. *num.* 4. Tabiena *verb. Reſtitutio, quæſt.* 24. *num.* 25. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 8. Lud. Lopez 1. *part. Inſtructory, cap.* 99. *ad finem.* Couarr. *regula Peccatum,* 3. *part. initio, num.* 3. *verſ.* 4. Graphis 1. *part. deciſion. lib* 2. *cap.* 130. *num.* 4. Medina *de reſt. quæſt.* 10. *columna* 3. *verſ. ſi autem ſecundus emptor.* Ratio eſt, quia nec ratione iniuſtæ acceptionis, nec ratione rei acceptæ tenetur; non ratione rei acceptæ, quia res iam non extat, vendita enim eſt. Non ratione iniuſtæ acceptionis, quia bona fide emit, & bona fide vendidit, & ideo nullam iniuſtitiam commiſit contra dominum ipſius rei. Neque pretium ſucceſſit loco illius in foro conſcientiæ, nam in ſolis vniuerſalibus iudiciis pretium loco rei ſuccedit, vt probat Sanchez *allegatus, num.* 25. cuiuſmodi ſunt hæreditas, fideicommiſſum vniuerſale, & dos. *l. item videndum,* §. *finali,* & *l. ſequenti, ff. de petit. hæred.* & *l.* 1. *ff. de fideicommiſſ. hæredit. petit.* quæ ideo iudicia vniuerſalia dicuntur, quia in petitione vnius plura petuntur, etiamſi nominatim ſingula non exprimantur; quare eas res vocat Iuriſconſultus actiones de vniuerſalitate, *l.* 1 *ff. de rei vendic.* At ſingulare iudicium ſpeciale, ſeu particulare nominatur, cùm eſt de re ſingulari contractu petita, vt ex contractu venditionis, commodati, depoſiti, &c. quod apparet ex *l. pro ſocio. ff. eodem,* & patet, quia ſi venditor bonæ fidei, ea bona fide durante rem iterum vendidiſſet latroni, à quo eam emit eodem pretio, imò maiori, non teneretur id pretium vero rei domino reſtituere; non ergo ſuccedit pretium loco rei; ergo nec etiam tenebitur reſtituere pretium ſi alteri tertio vendat, quia pretium illud eiuſdem rationis eſt, ſiue acceptum ſit à latrone, ſiue ab alio tertio acceptum.

Syluester. Sanch. Leſſius. Tabien. Nauar. Lopez. Couar. Graphis. Medin.

Quartò, quia poteſt expenſas factas bona fide circa rem conſeruandam, & meliorandam retinere tam vtiles, quàm neceſſarias, iuxta Syluestrum *verb. Reſtitutio,* 3. *num.* 7. *verſ. Tertium.* & *verb. Expenſæ, num.* 5. At poſſeſſor, & emptor malæ fidei ſolùm neceſſarias retinere poteſt.

Quintò, quia ſi eam reſtituat ex ſententia iudicis, agere poterit de pretio in foro etiam contentioſo contra venditorem, iuxta caput *Vulterana,* 12. *quæſt.* 2. vbi ſermo eſt de prædiis Eccleſiæ ab Epiſcopis venditis ſine licentia Summi Pontificis, quæ Summus Pontifex ab emptoribus & poſſeſſoribus bonæ fidei iubet reuocari, quia ab illis validè

validè alienari nullo potuerunt commento, & addit Summus Pontifex; *ſit tamen emptoribus ad eum recurſus, qui præſumpſit aliquid de Eccleſiæ rebus illicita venditione diſtrahere.* Et gloſſa *ibi verb. Emptoribus; quia poſſeſſor bonæ fidei habet recurſum in foro iudiciali contra ſuum venditorem.* Et ſi per plures, vel ad plures emptores tranſierit, vnus agere poteſt, & habere recurſum contra alium, *l. ſed vbi. ff. de min.* at poſſeſſor, & emptor malæ fidei in foro contentioſo non poteſt agere contra venditorem, quia turpitudo emptionis ei reſiſtit, vt patet.

5. *Soluuntur argumenta primæ opinionis.* Vtraque ſententia eſt probabilis, ſecunda tamen probabilior, & tenenda. Et fundamenta primæ ſic ſoluuntur.

Ad primum dices non poſſe dominum rei iuſtè conqueri de emptore bonæ fidei, quando bona fide emit; poſſe tamen iuſtè de illo queri ſi patefacta veritate, rem ſibi non reſtituat amiſſo etiam pretio; quia à puncto, quo ſciuit eſſe alienam, iam conſtituitur poſſeſſor malæ fidei, vt patet, negabiſque proinde poſſe emptorem bonæ fidei ponere rem tuta conſcientia in eodem ſtatu, in quo antea erat, quia illa emptio, licèt fuerit abſoluta, tamen ex natura ſua intrinſecè conditionata fuit, & ſecum detulit hanc conditionem, vt ſi fortè res eſſet aliena domino ſuo, ſtatim redderetur, plorat enim ſemper res pro domino ſuo, & illum petit vbicumque ille ſit.

Ad ſecundum dices teneri eam domino ex iuſtitia reddere vbi primum alienam eſſe intellexerit; quia cùm fuerit à principio venditio intrinſecè, & ex natura ſua conditionata, vt ſi fortè eſſet aliena, ſtatim domino redderetur, manifeſtè ſequitur quòd ex iuſtitia teneatur eam domino reſtituere. Ad inſtantiam reſpondebis, verum eſſe neminem teneri ex iuſtitia, gratis eſſe procuratorem alterius, emptorem verò bonæ fidei, quando eam rem emit, ſibi, & non alteri emit, ac proinde procuratorem ſui ipſius fuiſſe, non alterius.

Ad tertium.

Reſpondeo primò, verum eſſe contractum venditionis rei alienæ fuiſſe inuoluntarium, & nullum ex defectu voluntatis emptoris exiſtimantis non eſſe alienam; at non omnem, nullum, & inuoluntarium, contractum venditionis, ita poſſe reſcindi, vt recuperetur pretium; ſed ſolùm illum, in quo venditor rem propriam vendit, non alienam, quando talis contractus ex aliquo accidenti fuerit inualidus, veluti ob vitium intrinſecum rei, ob notabilem pretij exceſſum, vel ob alias circumſtantias.

Reſpondeo ſecundò, illum contractum non fuiſſe nullum, ſed poſſe annullari. non enim omnis contractus inuoluntarius, nullus eſt ex natura ſua, poteſt tamen annullari, vt patet in eo, qui vendidit emptori bonæ fidei equum furtiuum, vt latè probauimus *cap. 2. num. 21.*

Ad quartum. Admitto antecedens, nego conſequentiam. Ratio diuerſitatis eſt ea, quam ſuprà tetigimus, quia venditio rei alienæ ex natura ſua defert ſecum hanc conditionem, vt cùm primùm emptor ſciuerit eſſe alienam, eam domino reſtituat, amiſſo etiam pretio, quod meritò ita à natura comparatum eſt, vt emptores reddantur cautiores, & ſciant à quibus venditoribus emant, poterit tamen emptor bonæ fidei poſtea agere cum venditore de pretio, & de damno dato, vt ſe ſeruet indemnem, vt diximus *num. 4. verſ. Quinto quia.*

Sed dubium ſpeciale eſt de fructibus quoad reſtitutionem eorum faciendam à poſſeſſore, ſeu emptore bonæ, vel malæ fidei. Et quamuis iam aliquid *num. 4.* de ea re dictum fuerit, de ea tamen modò iterum aliquid neceſſariò eſt dicendum. 6.

7. *Quando quis fiat ditior ex re aliena explicatur.* Et in primis notabis emptorem, & poſſeſſorem bonæ fidei tunc dici fieri ditiorem ex re conſumpta, quando occaſione illius patrimonium eius eſt aliquo modo auctum, v. c. quando ſumptus aliquos alioquin ex ſuo patrimonio erat facturus, & non fecit, &, ſi patrimonio illius occaſione ipſius rei nihil accreuit, non dicitur fieri locupletior ex illa: patet ex *l. ſed & ſi lege 28. §. Quod autem quis ex hereditate, ff. de petit. hæredit.* ibi, *Vt ſi quid lautiùs contemplatione hæreditatis impendit, in hoc non videatur factus locupletior; in ſtatutis verò ſuis ſumptibus videatur factus locupletior, vtique enim etſi non tam latè erogaſſet, aliquid tunc ad victum quotidianum erogaſſet.* Exemplum ſit, ſi quis bona fide lautiſſimis cibis furtiuis veſceretur, aut veſtibus furtiuis indueretur ſplendidis, qui aliàs communibus cibis, aut veſtibus vſurus erat, is non dicitur effectus ditior in toto illo epularum, aut veſtium valore; ſed in eo ſolo pretio, quod communes veſtes, & epulæ, quibus vſurus erat, valent. Item ſi occaſione illius eleemoſynam, aut donationem bona fide fecit, aut luſit, & perdidit, aliàs non luſurus, nec donaturus. nec eleemoſynam facturus, in nihilo factus eſt locupletior, ſi tamen aliquid luſurus, donaturus, aut in eleemoſynas expenſurus erat, in eo ſolum dicitur locupletior, idque tantummodo tenebitur reſtituere. Item poſſidens bona fide equum furtiuum ſi in eo iter agat, alioquin pedeſtris acturus, non tenetur pretium locationis reſtituere, quia in nihilo factus ditior, vtpote quia nihil in eo locando expenſurus erat, hæc omnia exempla affert Thomas Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 7.* Sanchez.

Notabis ſecundò ſolum teneri reſtituere poſſeſſorem, aut emptorem bonæ fidei id in quo factus eſt ditior, quando ex re, quam bona fide poſſidet, locupletior fit, non verò quando fit locupletior ex induſtria ſua, nam ſi ratione propriæ induſtriæ fiat locupletior, licèt fiat occaſione rei, non tenebitur lucrum illud reſtituere, quia ſua induſtria ſibi ſoli prodeſſe debet: quòd ſi totum lucrum non reſpondeat formaliter induſtriæ, ſed partim induſtriæ, partim rei bona fide poſſeſſæ, ſolam illam partem quæ reſpondet rei, reſtituere tenebitur, ita Sanch. *allegatus, num. 8.* Sotus *lib 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 2 colum. 4.* Martinus de Ledeſma *2. part. quæſt. 28. art. 6. col. 3.* Sotus. Ledeſma.

Notabis tertiò ad iudicandum id in quo quis factus eſt ditior occaſione rei alienæ bona fide poſſeſſæ, & conſumptæ, debere ſpectari punctum in quo ceſſat bona fides, nam ſi durante ea, id quoque in quo factus es ditior, expendiſti, & quando ea bona fides ceſſat, nihil illius habes, non diceris factus locupletior, nec aliquid teneberis reſtituere, v. c. vendidiſti equum alienum tibi donatum, quem bona fide à donatore accepiſti, exiſtimans non eſſe alienum, manifeſtè in eo pretio factus es ditior; at ſi duràte eadem bona fide, id quoque pretium inutiliter expendiſti, vel lautiùs viuendo, vel ſumptus, vel eleemoſynas faciendo, quas non eras facturus, carens illo pretio, in nihilo factus es ditior, & ita nihil teneris reſtituere; ſi tamè aliquas eleemoſynas eras facturus, in illis factus es ditior, & illas tantùm teneris reſtituere,

Sanchez. Aragonius. Leſſius. Sayrus. Molin. Rebell.

reſtituere, in eo enim auctum eſt tuum patrimonium, ita Sanchez tom.1. Decalogi, lib.2. cap.23. num.10. Aragonius 2. 2. quæſt. 62. art.6. dub. 1. col.3. in ſolutione ad 1. Leſſius lib.2. de iuſt. cap.14. dub.1. num.5. Sayrus in claui Regia, lib. 10. tract.2. cap.2. num.14. fine. Molina tom.3. de iuſt. 2. part. diſput.718. num.2. Rebellus de iuſt. part. 6. lib. 2. quæſt.3. num.3. Ratio eſt, quia cùm ſimiliter id pretium ex re aliena ſit comparatum, & expenſum bona fide, idem iudicium ferendum eſt de illo, ac de ipſa re aliena, eadem bona fide expenſa. Vnde non ſunt audiendi (addit Sanchez allegatus, & optimè) illi, qui dicunt poſſeſſorem bonæ fidei cenſeri ditiorem factum ex pretio rei alienæ quando illud diu retinuit, ſecus ſi paulo pòſt conſumpſerit, quos tacito nomine carpit Rebellus citatus, non enim maior ratio eſt de re furtiua donata retenta diu, aut breui tempore, quàm de pretio ſic retento vel fiat, vel non fiat locupletior.

10\. Notabis quartò, ſi poſtquam quis nouit rem eſſe alienam, ignoret eius fructus ad dominum pertinere, & per conſequens inuincibiliter ignoret ſe teneri reſtituere id in quo factus eſt ditior, ideoque eos fructus bona fide conſumat, ita vt cùm iam ceſſat talis ignorantia, nihil plus habeat in bonis, quàm habuiſſet carens illa re, & fructibus illius, nihil teneri reſtituere, quia cùm ceſſat bona fides, non reperitur ditior, ita Sanchez allegatus, num.11. & Molina tom.3. de iuſt. part.2. diſp.718. num. 1.

Sanchez. Molina.

11\. Notabis quintò, eum, qui fuit inuitatus ad cœnam rerum furtiuarum, ignorans eſſe furtiuas, & in ea cœna intemperanter ſe egit, comedit, & bibit, & ideo in grauem morbum incidit, ac in medicinis multa inſumpſit; adhuc dici fieri locupletiorem in ſumptibus cœnæ vilioris, quàm in domo propria erat facturus, & eos ſumptus tenebitur reſtituere; quia etſi alia ratione fiat pauperior; ea tamen paupertas non prouenit ex rebus alienis in cœna inſumptis, ſed ex intemperantia ſua, vt patet, & docet Sanchez allegatus, num.12.

12\. Poſſeſſor bonæ fidei ſi res apud illum extet, tenetur eam domino reſtituere cùm ſciuerit eſſe alienam.

His notatis, regula eſt certiſſima, poſſeſſorem bonæ fidei, ſi res apud illum extet, teneri eam reſtituere vbi intellexerit eſſe alienam; ſi verò non extet, ſed iam conſumpta fuerit, qualitercumque illa fuerit conſumpta, ſolùm teneri reſtituere id, in quo ex illa factus eſt ditior; hanc regulam tradunt Aſtenſis 1. part. ſuæ ſummæ, lib.1. titulo 33 art.5 quæſtiuncula 6. Maior in 4. diſt.15. quæſt. 26. ad finem, verſic. ſi ſecundum. Angelus in ſumma verb. Furtum, num.25. Sylueſter verb. Reſtit. 3. quæſt. 6. dicto 2. verſ. & ſexto. & Caietan. 2. 2. quæſt.62. art.6. col.2. verſ. ad euidentiam huius, & in ſumma verb. Reſtitutio, cap.1. ad finem. Sanchez tom.1. Decalogi, lib.2. cap.23. num.4. Sotus lib.4. de iuſt. quæſt.7. art.2. col.4. Armilla verb. Reſtitutio, num. 14. Victoria de iure belli, num.33. Ioannes Medina de reſt. quæſt.10. verſ. ſi autem ſecundus. Nauarrus in vtraque ſumma, Latina & Hiſpanica, cap.17. num.9. Couarr. ad regul. peccatum 3. part. initio, num.3. concluſione 2. Martinus Ledeſma 2. part.4. quæſt.28. art.6. col.3. Corduba in ſumma, quæſt. 109. & in ſuo quæſtionario, lib.1. quæſt.39. puncto 1. Leſſius lib.2. de iuſt. cap.14. dub.1. num.7. Rodrig. tom.2. ſumma, cap.42. num 1. Salon 2. 2. quæſt.62. art.6. controuerſ. 2. in fine. Banhez ibi, dub.3. Sayro in claui Regia, lib.10. tract.2. cap.2. num.9. & 10. Toledo lib.5. ſumma, cap.17. n.10. Vaſquez 1. 2. quæſt.96. art.5. diſp.172. cap.1. num.3.

Aſtenſis. Maior. Angel. Sylueſter. Caiet. Sanchez. Sotus. Armilla. Victoria. Medin. Nauar. Couarr. Ledeſma. Cordub. Leſſius. Rodrig. Salon. Banhez. Sayrus. Toled. Vaſquez.

& 4. Molina tom.1. de iuſt. diſp.36. concluſione 2. col.3. Lud. Lopez 1. part. Inſtruct. cap.95. initio. Rebellus 1. part. de iuſt. lib.2. quæſt.3. num.1. & 2. & alij communiter, conſtat ex l. item veniunt 22. §. Præter hæc, ff. de petit. hæredit. ibi, Eos autem, qui iuſtas cauſas habuiſſent quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, vſque eò dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti fuiſſent, condemnandos eſſe. conſtat etiam ex l. ſed ſi lege 28. §. item ſi rem detraxerit, & l. ſi rem & pretium 15. & ex l. ſequenti, ff. de petit. hæredit. Et ratio eſt, quia, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. art.6. ab omnibus receptus, obligatio reſtituendi ex ſolo duplici capite oriri poteſt, primò ratione iniuſtæ acceptionis, cuius nomine venit quælibet actio iniuſtè nocens proximo, vt combuſtio ſegetum alienarum, deuaſtatio, & ſimilia damna: at bonæ fidei poſſeſſor non tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, vtpote qui in bona fide fuit, & eadem bona fide conſumpſit: non ratione rei acceptæ, cùm nec ipſa res, nec aliquid ex illa in ſuis bonis perſeueret, quando inde non eſt factus locupletior; ergo ſolùm id, in quo factus eſt locupletior, tenetur reſtituere; quia id tantùm dicitur ex re aliena extare, neque enim in eo cenſetur res aliena conſumpta, vt optimè docet Baldus l. vbi adhuc 29. ad finem, verſ. Item per gloſſam C. de iure dotium, non enim abſumitur quod in corpore patrimonij retinetur; retinetur autem id quod ex patrimonio non fuit erogatum, quod alioquin ex illo expendendum eſſet niſi expenderetur ex alio.

Molina. Lopez. Rebellus. D.Thom. Bald.

13\. An poſſeſſor bonæ fidei teneatur fructus reſtituere.

Dubium ergo eſt, An poſſeſſor bonæ fidei reſtituere teneatur omnes fructus ex re aliena perceptos, tam in foro interno, quàm externo. Et notandum omnino eſt nos hîc non agere de fructibus rerum conſumptibilium, quæ ſunt materia mutui, vt ſunt pecuniæ, panis, triticum, vinum, & ſimilia, quia huiuſmodi res ſunt per ſe & ex natura ſua omnino ſteriles, & ſi ſunt fructiferæ, id prouenit ex induſtria hominum, qui cum illis negotiantur, non ex natura talium rerum vnde illarum fructus ſunt fructus induſtriæ humanæ, non fructus ipſarum rerum, vt optimè notat Sanchez tom.1. Decalogi, lib.2. cap.23. num.46. cum multis, quos citat, & patet expreſsè ex l. penult. C. ſi quis alteri, ibi, Qui aliena pecunia comparat, non ei cuius nummi fuerint, ſed ſibi tam actionem empti, quàm dominium, ſi ei tradita fuerit poſſeſſio, quærit. Vnde ſi mala fide quis ſeminet frumentum furtiuum in ſuo agro, vniuerſos fructus acquirit, cùm fructus ſint ſuæ induſtriæ, & ſolùm tenetur triticum furtiuum domino reſtituere, & damnum illi inde ſequutum, iuxta Sanctium allegatum. Conſtat expreſsè ex §. ſi Titius, Inſt. de rerum diuiſione, & ex l. qui ſcit 25. de vſuris, ibi, Nec refert ipſe, an ſocius eos ſeuerit, quia omnes fructus non iure ſeminis, ſed iure ſoli percipiuntur; & infrà, Quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quàm ſeminis, ex quo oriuntur, aſpicitur, & ideo nemo vnquam dubitauit, quin ſi in meo fundo frumentum tuum ſeuerim ſegetes, & quod ex meſſibus collectum fuerit, meum fieret. hæc ibi.

Sanchez.

14\. Solùm ergo fructus, de quibus hîc agimus, ſunt illi, qui ex re fructifera percepti ſunt, deductis expenſis, quæ gratia illorum quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum fiunt, etiamſi poſſidens ſit fur, aut prædo, vt alibi diximus, & patet ex l. ſi à patre 39. in fine, ff. de petit. hæredit.

& ex gloſſa *cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum.* & docet Sanchez *citatus, num.* 48. vide quæ diximus *cap* 2. *num.*6.

15. *Qui ſint fructus naturales.* Fructus autem ſunt in triplici differentia; aut enim ſunt fructus merè naturales, aut merè induſtriales, aut ſunt mixti, ſeu partim naturales, partim induſtriales, aut ciuiles.

Naturales ſunt illi, qui ſua ſponte è terra, vel arboribus naſcuntur, nulla hominum cultura, nulla induſtria; vt herba, ligna cædua, & alij ſilueſtres.

Qui mixti. Mixti, ſeu partim naturales, partim induſtriales, ſunt illi, qui partim ex hominum induſtria, partim è terra, & prædiis proferuntur, vt fructus agrorum, vinearum, prædiorum, oliuetorum, iuxta Sancium de oliuetis ſpecialiter loquente, *tom.* 1. *Decalogi, lib.*2. *cap.* 23. *num.* 57. poſt Bartolum, Alexandrum, Salicetum, & Ancharranum, quos *ibi* citat, & ſimilium. Et hi quidem à præualenti naturales, aut induſtriales nominantur, nam ſi præualeat hominum induſtria, induſtriales erunt, ſi natura, naturales: à præualenti enim denominatio ſumitur. conſtat ex *l. fructus percipiendo* 45 *ff. de vſuris*, vbi Iuriſconſultus prima collecta, aut ſua ſponte cadentia, appellat fructus naturales; & ex ſeminatione parta induſtriales, quia opera, & induſtria hominum acquiruntur, ibi, *Quod ſuis operis acquiſierit, veluti ſerendo*, docet Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.*2. *cap.* 23. *num* 48. Cynus *l. certum, num.*2. *C. de rei vendicatione*, & *ibi* Salicetus *num.* 1. Bartol. ex *l. & ex diuerſo* 36. *in principio, num.*2. *ff. de rei vendic.* & alij, quos citat Sanchez *allegatus*. Quando autem dubium fuerit, an fructus induſtriales, an naturales dicendi ſint, iudicis prudentis arbitrio committitur: ſi nec iudex, nec vir prudens diſcernere id valeant, denominandi ſunt potius fructus naturales à natura, quàm induſtriales ab induſtria, quia concurrentibus naturali & accidentali ratione præualet naturale: patet ex *l. qui habet, ff. de tutelis*, docet Berous *cap. grauis, de reſtitutione ſpoliatorum, num.*9. *verſ. Nonnulli etiam*, & Sanchez *allegatus, à num.*48. *vſque ad* 51 per multos, & multa iura.

Sanchez. Cynus. Salicet. Bart. Berous.

Qui ciuiles. Ciuiles fructus ſunt redditus, domus, mercedes iumentorum, operæ ſeruorum, ſtipendia locationis, inſtrumentorum, boum, & alij ſimiles, & ciuiles vocantur, quia non verè ex re ipſa naſcuntur; ſed ex hominum induſtria, propter vſum rei iure ciuili percipiuntur. Et hi quidem ad induſtriales reducuntur, iuxta communem opinionem, quia magis proueniunt ex hominum induſtria, quàm ex rebus naturalibus, ita docet Bartolus *in l. vltima, ad finem, ff. de iure fiſci.* Couarruuias *lib.*1. *variar. cap.* 3. *num.*6. Pinellus *l.* 2. *part.*2. *cap.*4. *num* 52. *C. de reſcindenda venditione.* Menochius *de arbitrariis, lib.*2. *centuria* 3. *caſu* 210. *num.*27. & 28. Tuſchus *in ſuis concluſionibus practicis tom.*4. *concluſ.*485. *num.*8. Sanchez *allegatus, num.* 53.

Bart. Couar. Pinellus. Menoch. Tuſch.

Alij ad naturales reducunt operas ſeruorum, & partus ancillarum, quia in operis ſeruorum quærendis nulla verſatur hominum induſtria; ita tandem Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.*2. *cap.* 23. *num.* 60. & Bartol. *conſil.* 125. *num.* 3. *vol.* 1. & Tuſchus *citatus, num.*14. Partus enim ancillarum licèt non numerentur abſolutè inter fructus in iure, vt patet ex *l. vetus* 75 *ff. de vſufruct.* & §. *in pecudum, Inſt. de rerum diuiſione*; at in re præſente quoad reſtitutionem attinet, connumerantur inter fructus naturales, vt diſtinguuntur à fructibus merè induſtriæ, vt benè docet Molina *tom* 3. *de iuſt. part.*2. *diſput.*719. *num.*2. & Sanchez *allegatus, num.*60. *ad finem.*

Sanchez. Molina. Sanchez.

16. *Prouentus animalium an ſint fructus induſtriales.* Prouentus animalium, fructus induſtriales dicuntur, quia non modica hominis induſtria, & cura ponitur in his paſcendis, & cuſtodiendis: ita tenet gloſſa §. *ſi quis à non domino, verb. cura, Inſt. de rerum diuiſione.* Menochius *lib.* 2. *de arbitriis, centuria* 3. *caſu* 210. *num.*26. Loriothus *de fructibus axiomate* 17. Guttierrez *de tutelis, part.* 3. *cap.*23. *num.* 3. Tuſchus *in ſuis concluſionibus practicis, tom.*4. *concluſione* 485. *num.*5. Idem de caſeis, quia ex lacte ipſo coagulantur. nam hi etiam fructus induſtriales ſunt. Molina *tom.* 3. *de iuſt. part.*2. *diſput.*719 *num.*2. Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.*2. *cap.*23. *num.*54. *ad finem.* Idem de lana, ſic Sanchez *allegatus, num.*55. Loriothus, Molina, Menochius, Guttierrez & Tuſchus *modò citati*, & Roſella *in ſumma, verb. Reſtit.*7. *num.* 17. *ad finem*, contra nonnullos, quos *ibi* citat Sanchez, qui dicunt inter fructus naturales recenſendam eſſe lanam. Circa animalium fœtus quidam dubitant: alij eos inter fructus naturales numerant, vt Menochius *de recuperanda poſſeſſione remedio* 15. *num.*577. & Tuſchus *dicto tom.*4. *concluſ.*485. *num.*13. alij inter fructus induſtriales, ſeu mixtos, vt Loriothus *axiomate* 17. Rem optimè decidit Ioannes Garcia *de expenſis, cap.*23. *num.*8. & Sanchez *citatus, num.*59. aſſerentes certam regulam dari non poſſe, quia in aliquibus regionibus ſponte proueniunt, & per montes, & ſyluas nullo cuſtode naſcuntur, & tunc fructus naturales ſunt, in aliis oportet mutare paſcua, & cuſtodiam adhibere, & tunc erunt induſtriales; & de prioribus eſſe intelligendos textus, qui hos fœtus fructus naturales appellant.

Menoch. Lorioth. Tuſchus. Gutier. Molina. Sanchez. Menoch. Tuſch. Ioan. Garc. Sanch.

17. *Poſſeſſor, & emptor bonæ fidei, an & quid teneatur reſtituere.* His præmiſſis quæſtio eſt grauiſſima, an poſſeſſor & emptor bonæ fidei teneatur reſtituere omnes fructus ex re aliena perceptos in vtroque foro, tam conſcientiæ, quàm fori, tam naturales, quàm induſtriales, & ciuiles. Qua de re ſunt multæ ſententiæ.

Sententia prima. Prima reſolutio ſit, poſſeſſorem bonæ fidei ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, ita efficere fructus hos induſtriales ſuos durante eadem bona fide, vt ſolùm teneatur reſtituere extantes; conſumptos verò prædicta bona fide ſolùm quatenus ex illis factus eſt ditior: hæc reſolutio hodie apud nos eſt communior, & probabilior, eam docet, & probat latè, & doctè Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.*2. *cap.*23. *num.*67. *initio* 68. & 77. Couarr. *lib.*1. *var. cap.* 3. *n.*6. §. *Tertia concluſio.* Sylueſter *verb. Fructus, quæſt.* 1. *n.*2. Afflictis *deciſione Neapolit.*240. *n.*4. Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*14. *dub.*2. *n.*9. Rodrig. *tom.*2. *ſummæ, cap.*42. *n.*1. Rebello *de iuſt.* 1 *part. lib.*2. *quæſt.*4 *num.*10. & 11. Vaſquez 1.2. *quæſt.*69. *art.*5. *diſp.*172. *cap.*1. *num.*3. & 4. Cardinalis Tuſchus *in ſuis quæſtionibus practicis, tom.*4. *concluſione* 490. *num.* 4. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remedio* 15. *num.*598. Bartol. *in l. ex diuerſo* 36. *in principio, num.*7. & 8. *ff. de rei vendic.* Baldus *in l. ancilla* 12. *num.*15. *verſ. item dubitatur, C. de furtis*, & multi alij, quos citant ac ſequuntur Couarruuias, & Sanchez *in locis allegatis*, probatur ex *l. fructus* 4. *ff. de vſuris*, quæ ſolos fructus induſtriales tribuit poſſeſſori bonæ fidei, ibi, *Fructus percipiendo uxor, vel vir, ex re ſibi donata ſuos facit illos tantùm, quos operis acquiſierit, veluti ſerendo. nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylua ceciderit, non fit eius, ſicut nec cuiuſlibet bonæ fidei*

Sanch. Couar. Sylueſter. Afflict. Leſſius. Rodrig. Rebellus. Vaſq. Tuſch. Menoch. Bartol. Bald.

fidei poſſeſſoris, quia non ex facto eius in fructus naſcitur. Vbi expreſsè aſſeritur poſſeſſorem bonæ fidei facere fructus ſuos induſtriales, qui opera hominum, veluti ferendo, colliguntur, non naturales, vt patet etiam ex *l. bonæ fidei* 48 *ff. de acq. rerum domin* quatenus ait poſſeſſorem hunc efficere fructus ſuos non ſolùm diligentia perceptos, ſed omnes, id eſt omnes quos non tantùm opera ſua, ſed etiam opera ſuorum collegit, ibi, *bona fidei emptor non dubiè percipiendo fructus ex re aliena ſuos interim facit, non tantùm eos, qui diligentia, & opera eius prouenerunt, ſed omnes, quia quoad fructus attinet, loco domini penè eſt*; illa autem particula, *ſed omnes*, intelligitur de omnibus induſtrialibus, quos opera, & induſtria aliorum collegit, quaſi dicat legiſlator, non ſolùm omnes fructus induſtriales, quos propria induſtria ſua collegit, ſed etiam, quos aliorum induſtria percepit, ſuos facit, ita explicat Sanchez *allegatus, num.* 67. Probatur etiam ex *§. ſi quis à non domino, Inſt. de rerum diuiſione*, dum enim ait poſſeſſorem bonæ fidei efficere fructus ſuos, addit, *pro cultura, & cura*, quæ verba ſolis fructibus induſtrialibus conuenire poſſunt, & naturalibus accommodari non poſſunt: & verò quòd ex conſumptis bonæ fidei ſolùm tenentur reſtituere id in quo factus eſt ditior, patet ex *l. ſi me & Titium* 32. *in fine, ff. ſi certum petatur*, ibi, *Non quia pecuniam tibi credidis, ſed quia pecunia mea ad te peruenit, eam mihi à te reddi bonum, & æquum eſt*, vbi iſta æquitas locum habet non ſolùm ſi quis ex re alicuius factus eſt locupletior, vt docet *ibi* gloſſa *verb. pecunia mea*; ſed etiam ex re alteri debita; etſi ergo fructus illi induſtriales non ſint veri domini, ſunt tamen illi debiti; quare illis conſumptis tenetur poſſeſſor bonæ fidei reſtituere id in quo ex illis factus eſt locupletior. Et ratio eſt,

Primò, quia ſi pictor pingeret bona fide in tabula aliena pretioſam picturam, putans tabulam eſſe ſuam, verè fit dominus rei pictæ cedente tabula picturæ pretioſiori, vt expreſsè habetur *§. ſi quis in aliena tabula. Inſt. de rerum diuiſione*, dominium tamen hoc minimè obſtat, quin pictor teneatur pretium tabulæ domino reſtituere, quia in illo factus eſt ditior; ſic ſimiliter, quamuis natura concurrat ad fructus ex re aliena perceptos, & cedat induſtriæ præualenti; at tenebitur nihilominus horum fructuum induſtrialium bonæ fidei poſſeſſor reddere domino rei id in quo ex illis factus eſt ditior.

Secundò, quia omnia iura dicentia bonæ fidei poſſeſſorem non teneri ad reſtitutionem fructuum induſtrialium, quos conſumpſit ante litem, debent intelligi; niſi inquantum ex ipſis factus eſt ditior, vt optimè interpretatur Couar. *allegatus, dicto num.* 6.

Tertiò, quia in iudicijs vniuerſalibus, vt in petitione hæreditatis teſtamento relictæ, & fideicommiſſo, &c. fatentur omnes teneri huiuſmodi poſſeſſorem bonæ fidei reſtituere omnes fructus induſtriales perceptos, ſi extent; ex non obſtantibus verò, & iam conſumptis, ſolum id, in quo factus eſt locupletior, vt ſi ex hæreditate aliena fructus induſtriales percepit, putans bona fide ſe illius hæredem eſſe, vt conſtat ex *l. item veniunt* 20. *§. Præter hæc, & l. & ſi lege* 25. *§.* 1. *&* 2. *ff. de emptione hæreditatis*; ergo à fortiori idem erit dicendum de bonæ fidei emptore, in quo eſt maior ratio, & æquitas; quia in priori caſu verus hæres habet ſolum ius ad rem reſpectu hæreditatis non aditæ; at in noſtro caſu emptor bonæ fidei habet ius in re; ergo, &c. Et confirmatur, quia ſi fructus hæreditatis in iudicijs vniuerſalibus augent patrimonium bonæ fidei poſſidentis, & ideo in eo, in quo illud augent, factus eſt ditior, etiam in eo caſu, in quo emptor bonæ fidei factus eſt locupletior ex re aliena, patrimonium ſuum auget.

18. Neque obſtat Iuliani reſponſum *in l. qui ſcit, §. vltimo, ff de vſuris*, quatenus ſcribit bonæ fidei emptorem, qui prius quàm fructus percepiſſet, cognouit fundum eſſe alienum, poſſe fructus ſuos efficere, donec fundus ab eo euictus ſit: nam vel iſte Iuriſconſultus Iulianus errauit inſigniter, vt libenter fatetur Couarr. *lib.* 1. *var. reſol. cap.* 3. *num.* 7. *§. In his tamen*, & Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. c.* 14. *dub.* 2. *num.* 11. (Couar. Leſſius.) vbi dicit hanc legem omnino eſſe iniuſtam, cùm certum ſit poſſeſſorem bonæ fidei alienius fundi teneri omnino ad reſtitutionem omnium fructuum, cùm cognouerit eſſe alienum, quos à die malæ fidei percepit, eo modo quo teneretur ſi fuiſſet malæ fidei poſſeſſor ab initio, quod patet expreſsè ex *cap. vltimo, de præſcriptionibus*, vel reſponſum Iuliani explicandum eſt, vt explicat Ioannes Medina *de contract. quæſt.* 17. (Medina.) dicens poſſe aliquem ſcire rem eſſe alienam, & bona fide percipere fructus illius; quia bona fide credit eum qui ſibi rem vendidit, mandatum habuiſſe à domino ad eius venditionem, & in hoc caſu procedere dictum Iuliani, & quidem hæc reſponſio mihi videtur æquior, quàm reſponſio Couarruuiæ ingenuè fatentis erraſſe Iulianum, cùm illi ex diametro aduerſetur Vlpianus *in l. qui mihi bona. ff. de acquir. rerum dominio*, (Vlpianus.) vbi aſſerit poſſeſſorem bonæ fidei teneri omnes fructus reſtituere, à puncto, quo ſciuit rem eſſe alienam, quia ab eo puncto conſtituitur poſſeſſor malæ fidei; nec mirum, inquit, paſſim enim Iuriſconſultorum reſponſa inueniuntur contraria; homines enim erant, & vnuſquiſque ſuo conſenſu & conſenſu abundabat, & hanc reſponſionem Couarruuiæ approbat etiam, vt dixi, Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 14. (Leſſius.) *dub.* 2. *num.* 10. *&* 11. vbi dicit prædictam legem, & reſponſum Iuliani eſſe omnino iniuſtum, quia certiſſimum eſt ſimul ac quis nouit, rem eſſe alienam, non poſſe fructus ſuos facere, vt expreſsè ſtatuitur *in l. qui bona fide, & l. bona fidei, ff. de acquirendo rerum dominio.*

19. *Sententia ſecunda.* Reſolutio ſecunda ſit, bonæ fidei emptorem, & poſſeſſorem naturales fructus ita ſuos facere, vt ſublata bona fide cùm ſciuerit rem eſſe alienam, teneatur in foro conſcientiæ reſtituere extantes; ex conſumptis verò id tantùm, in quo factus eſt locupletior, ſicut de fructibus induſtrialibus diximus; quoad forum verò externum ſolum quando titulum habet verum, vel præſumptum, computabitur cum poſſeſſore bonæ fidei; ſi verò titulum non habeat, omnes iubebitur reſtituere in ſolidum non ſolùm extantes, ſed etiam iam conſumptos; ita Couarruuias *lib.* 1. *var. cap.* 3. *n.* 6. Sanch. *tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 68. Garcia *de expenſis, cap.* 23. *n.* 35. *&* 36. Spino *ſpeculo teſt. gloſſ.* 13. *principali, n.* 50. *&* 51. Bartol. *in l. ex diuerſo. ff. de rei vend. initio.* Felinus *in cap. de quarta, n.* 30. *de præſcript.* Ant. *in cap grauis, de reſt. ſpol. n.* 12. Abbas *ibi n.* 4. Anchar. *n.* 8. & plures alij, quos citant, ac ſequuntur Sanchez, & Couar. patet ex *l. bonæ fidei, ff. de acq. rer. domin* ibi, *Bonæ fidei emptorem non dubiè percipiendo fructus etiam ex re aliena ſuos interim facere, non tantùm eos, qui diligentia & opera eius prouenerunt, ſed omnes*, id eſt, naturales etiam; nec pro-

(Couarr. Sanch. Garcia. Spino. Bartol. Felin. Anton. Abbas. Anchar. Sanch. Couarr.)

deſt reſolutio multorum, quam ſuprà *num.* 57 tetigimus, aſſerentium dictionem illam *omnes*, intelligendam eſſe de fructibus induſtrialibus perceptis opera aliorum, quia dictio vniuerſalis non poteſt ad ſolos fructus induſtriales referri, dixi quando titulum habet ſaltem coloratum, primò, quia ad præſcriptionem in foro iudiciali requiritur titulus, vt habetur *in l. 4. diutina, C. de præſcript. longi temporis*, quæ ſic habet, *Diutina poſſeſſio tantum iure ſucceſſionis ſine titulo iuſto prodeſſe ad præſcriptionem hac ſola ratione non poteſt*; ſine titulo enim ſemper præſumitur in foro iudiciali mala fides. Nec obſtat *l. ex fructu percipiendo 45. ff. de vſuris*, vbi Iuriſconſultus ait vxorem non facere fructus naturales ſuos ex re ſibi à viro donata, cùm tamen titulus donationis interueniat, quia cùm donatio inter virum & vxorem ſit iure improbata, titulus ille eſt illegitimus, & habetur pro non titulo; vnde grauiores Doctores aſſerunt titulum hunc debere eſſe ſaltem coloratum, ſed non iure improbatum, quia ſi iure improbatus ſit, habetur pro non titulo; & cum eo titulo illegitimo non facere poſſeſſorem bonæ fidei fructus naturales ſuos, quod deducunt ex *l. 45. citata*, & ita docent Bartolus *in l. & ex diuerſo 36. in principio, num. 1. ff. de rei vendic.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num 69.* Antonius Butrius *allegatus*. Iaſon *in additionibus ad Portium, §. ſi quis à non domino, num. 26. Inſtit. de rerum diuiſione.* Pichard. *ibi dicto §. ſi quis à non domino, num. 13. & 14.* Er ratio eſt, quia bona fides, quæ in mero facto, & dictamine conſcientiæ conſiſtit, non poteſt tranſgredi facti limites, nec extendi ad ea quæ ſunt iuris. Vnde cùm nemo poſſit rem alienam abſque iutis præſidio in foro iudiciali acquirere, inde ſequitur quòd bona fides ſine legitimo titulo iure cognito, cùm intra meri facti terminos contineatur, non ſatis ſit ad præſcriptionem iudicialem, & ad fructus naturales comparandos.

Bart.
Sanchez.
Ant. Butr.
Iaſon.
Pichard.

20\. Et notabis hîc, aliud eſſe dari bonam fidem abſque titulo, aliud præſcribi abſque eodem titulo. primum dari poteſt, ſecundum dari non poteſt, quia DD. aſſerunt poſſeſſorem bonæ fidei cum titulo facere fructus naturales ſuos, ſecus ſine titulo; cenſent ergo poſſe dari bonam fidem theologicam excuſantem à peccato abſque titulo; at verò cùm præſcriptio nunquam detur, abſque bona fide, & aliquando bona fides detur abſque bono titulo, manifeſtum eſt poſſe dari bonam fidem abſque titulo, vt doctè probat Sanchez *allegatus, num. 42.* excuſare autem bonam fidem à peccato, patet ex D. Paulo *ad Romanos 14. verſ. 23.* ibi, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; quod intelligendum eſt, omne, quod non eſt ex dictamine conſcientiæ, quo quis iudicat hoc, vel illud factum, ſibi licitum eſſe, & non prohibitum, eſſe peccatum, vt explicant *ibi* communiter Doctores, vbi dicunt hunc eſſe ſenſum Apoſtoli tunc hominem peccare, quando agit contra dictamen, vel perſuaſionem propriæ conſcientiæ; quicquid enim fit reclamante, & renitente propria conſcientia, ſiue aliàs ex ſe bonum, ſiue malum ſit, peccatum eſt; ita enim ſentiunt D. Chryſoſtom. Ambroſius, Theodoretus, Theophylactus & alij *in commentario illius loci*, & Innocentius Papa *in cap finali, de præſcriptionibus.* Licèt autem hæc bona fides excuſet à peccato, non poteſt tamen excuſare à iure, nec validum facere actum in foro externo, qui de iure inualidus eſt, vt conſtat ex *reg. Qui contra iura 82. de regulis iur. in 6.* ibi, *Qui contra iura mercatur, bonam fidem non præſumitur habere*, intellige in foro externo; bona enim fides cùm ſit quid facti, non poteſt procedere ex iuris ignorantia, ſed ex ignorantia facti: vnde ſola ignorantia facti, non iuris excuſat, & ideo quoties conſideratis circumſtantiis claritatis, vel obſcuritatis iuris, & ruditatis, vel ſcientiæ perſonæ res manet dubia, an fuerit facta bona, vel mala fide cõtra ius prohibens, ſemper præſumitur facta in foro externo contra bonam fidem, & ideo etiam quia erat contra ius, ſemper præſumitur feciſſe ex mala fide illius, & illud non ignoraſſe, vt docet Antonius Butrius *in cap. grauis, de reſt. ſpoliat. num. 11. & ibi* Imola *num. 3.* quatenus dicunt bonam fidem procedentem ex errore iuris nec reſiſtentis, nec aſſiſtentis, ſat eſſe ad faciendos fructus, non tamen ſat eſſe ſi ius reſiſtat; addunt tamen probandam eſſe ignorantiam huius iuris non aſſiſtentis, eo quòd illius ſcientia ſemper præſumatur, & tenet etiam Dynus *in dicta regul. Qui contra iura, numero 5.* & Alexander *conſilio 301. num. 20. volum 1.* vbi abſolutè dicunt non præſumi bonam fidem quando ex iuris ignorantia prouenit. Nec obſtat *l. ſed & ſi lege 28. §. ſcire, in fine. ff. de petit. hæredit.* quatenus ait, *Et non puto hunc eſſe prædonem, qui dolo caret, quamuis in iure erraui*t; quia non dicitur ibi errantem in iure non præſumi malæ fidei poſſeſſorem, ſed non præſumi prædonem, quia dolo caruit, vt optimè explicat Sanchez *tom. 1 Decalogi, cap. 23. num. 45.* hanc noſtram opinionem tenens.

Sanchez.

Dari bonam fidem abſque titulo, & præſcribi abſque eo, differunt.

Bona fides excuſat à peccato, non tamen facit actum validum, ſi de iure inualidus ſit.

Butr.
Imol.
Dynus.
Alexand.
Sanch.

Diximus poſſeſſorem, & emptorem bonæ fidei poſſe facere fructus ſuos naturales cum titulo ſaltem colorato, quando ius tali titulo non reſiſtit, ſecus ſi ei ius reſiſtat, itaut ſublata bona fide, & cùm cognouerit fuiſſe alienam, ſolùm teneatur reſtituere fructus extantes; ex non extantibus verò, & iam conſumptis, id tantùm in quo factus eſt ditior. Quæres ergo quomodo poſſit ſtare aliquam effici verum dominum fructuum, vel alicuius rei, & teneri illam reſtituere, cùm cognouerit eſſe alienam. Reſpondeo hîc non dari aliquam implicationem. Conſtat, quia poſſidens rem ſubiectam, & obligatam reſtitutioni certo tempore, vt fideicommiſſum, ſit verus dominus illius, & fructuum ipſius ante aduentum diei, quo illam debet reſtituere, vt probat Baldus *in l. voluntas, num. 10. C. de fideicommiſſis*, & non ſolùm quocumque modo tenetur illam reſtituere, ſed talem, qualem illam accepit, ideſt, liberam & immunem alicuius obligationis, vt probat textus *in leg. ſi legati, de legatis 1.* & poſſeſſor maioratus ſit verus dominus illius, cùm tamen teneatur illud poſt obitum reſtituere, vt latè, & doctè ex textibus & Doctoribus probat Molina *lib. 1. de primog. cap. 19. à num. 4.* 21.

Bald.
Molina.

De poſſeſſore malæ fidei, quidam aiunt teneri reſtituere in foro externo, ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, non ſolùm omnes fructus perceptos ex re aliena, ſed etiam qui percipi licitè potuiſſent à domino, licèt talis poſſeſſor eos non perceperit, hanc tenent Cyrus *leg. certum 22. num. 3. in fine, C. de rei vendicat. & leg. ſi fundum, num. 3.* Angelus *§. ſi quis à non domino, num. 3. verſ. Quæro quid de mala fidei poſſeſſore, Inſt. de rerum diuiſione.* Menochius *de recuperanda poſſeſſione, remedio 15. num. 606. & 607.* & alij multi, quos citat, ſed non ſequitur Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 97.* 22.

De poſſeſſore malæ fidei. Prima opinio.

Cyrus.
Angel.
Menoch.
Sanchez.

&

& patet ex *l. ſi nauis 62. §. finali, ff. de rei vendicat.* ibi, *Generaliter autem cùm de fructibus æſtimandis quæritur, conſtat animaduerti non debere, an malæ fidei poſſeſſor fruitus ſit, ſed an petitor frui potuerit, ſi ei poſſidere licuiſſet,* & ex *l. fructus non modo 34. ff. eodem titulo*, ibi, *Fructus non modò percepti, ſed qui honeſtè percipi potuerunt, æſtimandi ſunt.* Patet ex ratione,

Primò, quia poſſeſſor malæ fidei tenetur ad hos fructus ratione culpæ, quam nullo modo aufert titulus; quare ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, ſemper tenebitur reſtituere fructus non ſolùm quos ipſe percepit, ſed etiam quos dominus licitè percepiſſet, ſi rem poſſideret.

Secundò, quia in horum fructuum reſtitutione non conſideratur ſolùm lucrum, & intereſſe veri domini, tunc enim ſoli fructus ab eo percipiendi deberentur, ſed expectatur quædam ficta perceptio, quos enim potuit poſſeſſor percipere, finguntur percepti.

23. *Opinio aliorum.* Alij in poſteriori, & probabiliori ſententia dicunt poſſeſſorem malæ fidei habentem titulum emptionis, permutationis, donationis, vel ſucceſſionis, excuſari à fructibus in foro externo, qui percipi poterant à domino, & de ſolis à ſe perceptis, & de nullis aliis, nec à ſe, nec à domino ipſius rei percipiendis in foro externo teneri; ſi autem titulum non habet, vt quia rem alienam per vim, aut latrocinium vſurpauit, teneri de omnibus fructibus, non ſolùm, quos ipſe percepit & percepiſſet dominus licitè, & honeſtè, ſi res apud illum fuiſſet, licèt ipſe malæ fidei poſſeſſor eos non perceperit, ſed etiam de omnibus fructibus poſſibilibus, vt dicemus *n. 26.* hæc eſt hodie communior ſententia, eam tenet Bartol. *in l. ſi fundum, num. 317. C. de rei vendic. & in l. fructus non modò, num. vnico, oppoſitione prima.* Baldus *dicta leg. ſi fundum, num. 2. notabili, & oppoſitione 5.* & *ibi* Angelus *num. 3.* Speculator *titulo de fructibus, & intereſſe, §. ſcias igitur, num. 3. & 4.* Hoſtienſis *in cap. cum cauſa, ad finem, de officio delegati*, & *ibi* Ioannes Andreas *num. 8.* Abbas *numero 5.* & idem Hoſtienſis *in cap. grauis, de reſt. ſpoliatorum, num. vltimo.* Antonius *numero 12.* Cardinalis *num. vnico, ad finem.* Ancharranus *num. 12.* Roſella *in ſumma verb. Reſtitutio 7. numero 19. ad finem.* Angelus *in ſumma verb. Reſtitutio 1. & verb. Poſſeſſor, verſic. Quis dicitur malæ fidei poſſeſſor.* Syluester *verb. Reſtitutio 3. quæſtion. 9.* Ioannes Garcia *de expenſis, capit. 23. num. 43.* Spino *ſpeculo teſtamenti gloſſa 13. principali, num. 54.* Ludouic. Lopez *1. part. inſt. cap. 238.* paulò poſt initium, & patet ex *leg. ſi fundum 17. C. de rei vendicat.* vbi textus loquens de emptore qui admonitus rem eſſe alienam, emit, aut mala fide contraxit, & ſubinde de poſſeſſore malæ fidei titulum habente, ſic ait: *Fructus quos cum mala fide percepiſſe fuerit probatum editus præſes prouinciæ reſtitui iubebit.* Ergo cùm textus obliget poſſeſſorem malæ fidei titulo munitum ad ſolos fructus perceptos reſtituendos in foro externo, non erit ampliùs ad alios obligandus. Et ratio ac fundamentum eſt,

Bart. Bald. Angelus. Specul. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Abbas. Anton. Card. Anchart. Roſell. Angel. Syluester. Ioan. Garc. Spino. Lopez.

Primò, quia textus allegati pro prima opinione *numero præcedenti* explicata, obligantes etiam ad fructus, qui percipi potuiſſent, loquuntur apertè de poſſeſſore malæ fidei, cui deeſt titulus; non verò de eo qui titulum habet.

Secundò, quia poſſeſſor malæ fidei non tenetur ſolùm & præciſè reſtituere ratione culpæ, ſed ratione talis culpæ munitæ, aut non munitæ titulo in foro externo: nam in foro conſcientiæ ratione tantùm culpæ ſine titulo tenebitur fructus reſtituere, non ſolùm perceptos, ſed etiam, qui percipi licitè à domino potuiſſent; enimverò minorem culpam habet poſſeſſor malæ fidei habens titulum, quàm non habens titulum, ac proinde minus in foro externo in reſtitutione fructuum punitur.

Tertiò, quia illa ficta perceptio eſt falſa omnino, non enim ratione illius reſtitutio præcipitur in iure, ſed ratione tantùm poſſeſſionis culpabilis, ob quam iure punitur magis, vel minus, iuxta maiorem, vel minorem culpam, & ideo quando titulo caret, ita punitur poſſeſſor malæ fidei, vt teneatur ad fructus non ſolùm perceptos, ſed etiam qui percipi potuiſſent à domino, ſi ei licitum fuiſſet rem ſuam poſſidere, quia habet minorem culpam in prædicto foro externo; quando verò non caret titulo, ſolùm fructus perceptos tenetur reſtituere, quia habet minorem culpam, vt patet. Tandem, quia obligare illum qui caret titulo ad fructus, qui percipi poſſent à domino, eſt iure expreſsè deciſum *in cap. grauis, de reſt. ſpoliat.* ibi, *Non tantùm fructus à nouo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos veteres poſſeſſores percepiſſent, reddi faciatis.* Abbas *ibi num. 14.* Angelus *§. fructus, fine, in l. cum ſeruus, 39. ff. de legatis 1.* Abbas. Angel.

Sed limitatur hæc noſtra opinio ſecunda, 24.

Primò, niſi titulus ille ſit lite pendente procuratus, tunc enim non liberabit malæ fidei poſſeſſorem à reſtitutione fructuum, qui percipi potuiſſent, reſiſtit enim ius tali titulo vt probat Menochius *de recuperanda poſſeſſione, remedio 15. num. 605.* & Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 99.* *Titulum non prodeſſe quãdo ius non aſſiſtit, ſed reſiſtit.* Menoch. Sanchez.

Secundò, vt intelligatur de ſolis fructibus, qui honeſtè percipi potuerunt; nullus enim poſſeſſor tenetur ad inhoneſtos, & ita expreſsè deciditur *in l. fructus non modò 34 ff. de rei vindicat.* Et generaliter loquendo, quando titulus eſt iure reprobatus, & ei ius reſiſtit, & non aſſiſtit, nihil prodeſt huiuſmodi titulus habenti, tunc enim habetur non titulo, ac proinde in nihilo illum habens excuſatur, vt doctè probat Sanchez *allegatus, n. 101.* & Ioannes Garcia *de expenſis, cap. 23. num. 43.* & Hoſtienſis *in cap. cùm cauſa, ad finem, de officio delegati*, & *ibi* Ioannes Andreas *num. 8.* Abbas *numero 5.* & idem Abbas *in cap. grauis, de reſt. ſpoliat. num. 7.* Fulgoſius *conſil. 190. num. 3. verſ. Ad ſecundum breuiſſimè.* Reſiſtit autem ius, & non aſſiſtit titulo, Sanchez. Garcia. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Abbas. Fulgoſ.

Primò, quando emptor malæ fidei in fraudem creditorum rem emit, iuxta *l. ait Prætor, §. Per hanc, ff. quæ in fraudem creditorum.* Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 100.* Sanchez.

Secundò, quando res emitur contra prohibitionem legum, *l. quemadmodum, C. de agric. & cenſ. lib. 11.* ſic Sanchez *allegatus.*

Tertiò, quando res emitur à fiſco non ſolemniter; talis enim titulus emptionis nihil prodeſt ementi, & pro non titulo habetur, *l. 1. C. de fide inſtrument. & iure haſtiludij, lib. 10.* Sanchez item *ibidem.*

Quartò, quando res emitur, aut venditur per metum, *l. ſed & partus, ff. de eo quod metus cauſa*, & hos omnes caſus tradit gloſſa in hac lege, *ſed & partus, verb. potuit, & l. ſi fundum, in fin. ff. de rei vendicat.*

Quintò, quando quis quocumque titulo munitus poſſidet rem pupilli, aut minoris. *l. patri pro filio 28. §. ſi pecuniam, verſ. Item ex diuerſo, ff. de minoribus*, gloſſa ibi, *verb. Cum fructibus.* Bartolus *num. 2.* & Berous *in cap. grauis, de reſt. ſpoliat. num. 34.*

Bartol. Berous.

Sextò, ſi quis fructus maturos patiatur ſtudioſè corrumpi. gloſſa *in §. ſi quis à non domino. Inſt. de rerum diuiſione, verb. Cogitur.* Sanchez *citatus, dicto num. 105.*

25. *Quid de foro interno & de fructibus ex melioratione facta à poſſeſſore malæ fidei. Aſſertio prima.*

In foro verò conſcientiæ dico primò, nullum malæ fidei poſſeſſorem in hoc foro conſcientiæ teneri ad reſtitutionem fructuum poſſibilium, qui abſolutè ex re aliena percipi potuiſſent, ſiue à domino rei, ſiue ab ipſo malæ fidei poſſeſſore, ſiue à quocumque alio, ſub quo res fuiſſet, ſi conſtet quòd nec ipſe poſſeſſor malæ fidei eos percepit, nec verus dominus percepiſſet, ſi rem poſſideret; tenetur verò eos reſtituere, quos dominus percepiſſet, ſi res apud ipſum dominum fuiſſet. Ita Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 118.* Angelus *in ſumma verb. Reſtitutio 3. quæſt. 1.* Ioannes Medina *C. de reſtitutione, quæſt. 6. col. 10. verſ. ad ſecundum dicendum.* Syluester *verb. Reſtit. 3. quæſt. 9.* Rebellus *de iuſt. 1. part. lib. 2. quæſt. 5. num. 1.* Lud. Lopez *1. part. inſtruct. cap. 238.* ſtatim *in principio.* Sayrus *in claui Regia, lib. 10. tractatu 2. cap. 3. num. 23.* Ratio eſt, quia forus internus ſolùm conſiderat rationem, & æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ in rebus, quæ æqualitas in eo conſiſtit, vt ſolùm integrè domino illud damnum reſtituatur, quod illi obuenit ex eo, quòd rem ſuam non poſſideret. Vnde ſi dominus aliquos fructus iuſtè & licitè eſſet ex ea percepturus, niſi ei res furto eſſet ablata, eos ſine dubio tenetur reſtituere malæ fidei poſſeſſor ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis; non verò illos, qui abſolutè percipi potuiſſent, ſub quocumque alio domino fuiſſet; de fructibus verò quos poſſeſſor malæ fidei percepit, quoſque dominus rei non percepiſſet, ſi res apud illum fuiſſet, dicam ſtatim *num. 27.*

Sanchez. Angel. Medina. Syluester. Rebellus. Lopez. Sayrus.

26. *De foro externo quid.*

In foro tamen externo ſpectato iure communi tenetur ipſe poſſeſſor malæ fidei, ſi nullum titulum habeat legitimum, cui ius non reſiſtat, qualis eſt fur, & vſurarius, non ſolùm ad fructus, quos ipſe percepit, & dominus non percepiſſet, ſed etiam ad illos, quos dominus percepiſſet, licèt ille eos non perceperit, & inſuper ad omnes, qui abſolutè à quocumque domino percipi potuiſſent ſub quo res fuiſſet, licèt nulli nec ab ipſo, neque à domino rei fuerint percepti. patet hoc ex parte ex *cap. grauis, de reſt. ſpoliat.* vbi ita dicitur iudicibus; *Non tantùm fructus à nouo & violento poſſeſſore*, id eſt, nullum titulum habente, *perceptos, quos poſſeſſores veteres percepiſſent, ſi eis*, id eſt, rebus, *poſſidere fuiſſet licitum, reddi faciatis iiſdem.* Ita docet Abbas *ibi, num. 14.* Angelus *§. Fructus, in fine*, quem legit poſt *l. cùm ſeruus, num. 39. ff. de legatis 1.* Sanchez & omnes citati *num. præcedenti.* Et ratio optima, quam reddit Sanchez *ibi*, eſt, quia forus externus non ſolùm æqualitatem iuſtitiæ commutatiuę, & rationem lucri ceſſantis, & damni emergentis reſpicit, velut ſolùm forus reſpicit internus; ſed culpam etiam delinquentis punit, obligando illum ad aliquid ampliùs in pœnam, & ideo obligat iniquum poſſeſſorem ad fructus poſſibiles in odium iniuſtæ, & iniquæ poſſeſſionis omni titulo nudatæ; pœna autem, quæ in delicti odium in iure ſtatuitur, non debetur niſi poſt latam ſententiam, vnde nec hæc reſtitutio fructuum poſſibilium debetur, nec ad illam tenetur in conſcientia iniquus poſſeſſor, niſi poſt iudicis ſententiam.

Abbas. Angel. Sanchez.

27. *Aſſertio ſecunda.*

Dico ſecundò. Poſſeſſor malæ fidei tenetur etiam in conſcientia ad reſtitutionem omnium fructuum, quos ipſe percepit, etiamſi dominus nullos percepiſſet: ita docet Sanchez *tom. 1. lib. 2. Decalogi, cap. 23. num. 119. & 126.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 17. num. 116.* Molina Theologus *tom. 3. de iuſtitia, part. 2. diſput. 723. & diſp. 724. num. 5.* Rebellus *1. part. de iuſtitia, lib. 2. quæſt. 15. num. 1.* Sà *verb. Reſtitutio, num. 16.* Carbo *de reſt. quæſt. 27. concluſ. 5.* Couarr. *ad regul. peccatum 2. part. §. 6. num. 4.* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. in noua edit. dub. 5. num. 34. & 35.* Salon *2. 2. quæſt. 62. art. 6. controuerſ. 3. concluſ. 3.* Sayrus *in claui Regia, lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 2. & 22. & 24.* Rodriguez *tom. 3. ſummæ, cap. 42. num. 5. concluſ. 5.* & alij. Ratio eſt, quam tetigimus *num. 25. ad finem*, quia forus conſcientiæ, & internus, eſt tribunal veritatis, & ſolùm reſpicit æqualitatem iuſtitiæ, & damnum emergens, ac lucrum ceſſans, vt illud reficiat, ac reſtituat, vnde cùm res, quæ fructificat, ſemper domino ſuo fructificet, inde ſequitur, quòd poſſeſſor malæ fidei rei, teneatur eos fructus domino ipſius rei reſtituere, deductis expenſis in iis ſerendis, & colligendis, quamuis dominus rei nullos percepiſſet ex ea ſi apud eum fuiſſet, vnde vt optimè notat Sanchez *dicto tom. 1. lib. 2. Decalogi, cap. 23. num. 119.* in eo diſſentit forus externus ab interno, quòd in foro interno teneatur poſſeſſor malæ fidei reſtituere omnes fructus perceptos rei fructiferæ, quos ipſe collegit, licèt dominus illos non eſſet collecturus, & quos dominus collegit, licèt ipſe non eſſet percepturus; in foro verò externo, non ſolùm hos tenetur reſtituere, ſed etiam fructus poſſibiles, qui abſolutè colligi potuiſſent, licèt nec ipſe illos perceperit, nec dominus percepiſſet, quia in hoc etiam vult forus externus, & ius ciuile punire culpam poſſeſſoris malæ fidei: ſed hoc procedit ſolùm de iure communi; nam de iure Luſitano ſolùm tenetur reſtituere fructus illos, quos ipſe percepit, non quos dominus percepiſſet, nec fructus abſolutè poſſibiles, vt diximus *cap. 16. num. 11. & num. 9.*

Sanchez. Leſſius. Molina. Rebel. Sà. Carbo. Couar. P.Nauarra. Salon. Sayrus. Rodrig.

28. Quidam hoc eſſe intelligendum aiunt de fructibus à domino percipiẽdis communi, & ordinaria diligentia tantummodo; ita Decius *regul. generaliter, 79. num. 1. verſ. ſed tamen. ff. de regulis iuris*, & Sayrus *in claui Regia, lib. 10. tract. 2. num. 2.* At dicendum eſt teneri etiam poſſeſſorem malæ fidei ad omnes, quos dominus rei ſingulari ſua diligentia, & induſtria percepiſſet: ita Sanchez *tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 23. num. 120.* Couarruuias, Leonardus Leſſius, & Carbo *numero præcedenti allegati*; & ratio eſt aperta, quia iuxta omnium ſententiam tenetur ad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, & huiuſmodi fructus ad intereſſe pertinent, & ad ſatisfactionem damni dati, quia ſi res illa non fuiſſet iniuſtè retenta, hos fructus ex ea dominus iuſtè percepiſſet, illiſque fraudatur ob iniuſtam rei detentionem.

Decius. Sayrus. Sanchez. Couar. Leſſius. Carbo.

29. Nec audiendus eſt Rodericus *num. 27. allegatus*, aſſerens hos fructus non eſſe integrè reſtituendos, ſed moderatè faciendam eſſe hanc illorum reſtitutionem; quia multa impedimenta vero domino euenire poſſunt, ne eos reciperet, quod periculum pretio eſt æſtimabile, & ideo detrahendum, quo etiam pacto D.Thom. ab omnibus re-

Roderic. D.Thom.

ceptus

ceptus 2. 2. *quæſt.62. art.4.* ait incendentem alienas ſegetes non teneri ad integram ſegetum reſtitutionem, eo quòd minus valeant exiſtentes in ſpe, cùm multis modis poſſint adhuc impediri, & multis infortuniis ſint obnoxiæ.

At hæc limitatio non venit ad rem, vt optimè notauit Sanch. *tom.1. Decalog.cap.23.lib.2.n.129.* quia huiuſmodi fructus non ſunt in ſpe, ſed iam ſunt collecti; vnde verè actu exiſtunt, vel extiterunt, & non in potentia, & ideo integri cedunt domino rei fructificantis, res enim, quæ fructificat, domino ſuo fructificat, deductis expenſis.

Quando autem fur, aut poſſeſſor malæ fidei eos fructus non percepit, percepiſſet autem dominus ſi rem poſſideret, tunc fortè poſſet eſſe vera hæc limitatio, quia cùm illa reſtitutio conſurgat ratione ſpei percipiendi fructus, tunc quidem quia multis modis poterunt impediri, non videntur ita integrè reſtituendi, ac ſi iam exiſterent, & collecti ſint, ſed ad arbitrium boni viri penſato valore ſpei illis periculis ſubiectæ, reſtituendi erunt, quod mihi non diſplicet.

De expenſis in melioratione factis, an ſint deducenda.

30. Sed quid ſi malæ fidei poſſeſſor rem alienam meliorem fecit ſuis expenſis, & poſtea pauciores fructus collegit ex ea, quàm collegiſſet dominus illius, ſi eam ſic melioratam haberet? Quidam dicunt furem tunc, & malæ fidei poſſeſſorem non teneri exceſſum illum reſtituere, quem dominus percepiſſet. Ita Couar. *lib.1. variar.cap.8. num.4.* & Salon.2.2. *quæſt.62. art.6.controuerſia 3. fine,* & Sayrus *in claui regia lib.10. tract.2. cap.3. num.2. fine*, vbi dicunt ſi res ſit fructifera, vt decem, & induſtria, expenſiſque furis reddatur frugifera, vt quindecim, ſola illa decem teneri illum in foro conſcientiæ reſtituere, & de foro externo; ita docent Matthæus de Afflictis *deciſ.86.num.6.* Caualcanus *deciſ. 28.num.8. in addit. part.1.* Garcia *de expenſis,cap.23.num.50.* dicens ita ſe vidiſſe ſemel Pinciæ iudicatum. Gama *deciſ.364.num.1.* & vltimò aſſerens ſic deciſum fuiſſe ſæpe in ſenatu Luſitano. Guttiertez *lib.3.pract. quæſtionum q.48. num.17.& 20.tom.1.* Additionator ad Olibanum *de act. part.2. lib.1. cap.6. num.18.* Eſcobar *de ratiociniis, tom.2. cap.13. à num. 2. vſque ad finem,* conſtat ex *l. cæterùm 31.ff.de rei vendicat.* vbi textus agens de fructibus ſerui furtiui meliorati, & artificis facti à fure, petitis à domino illius, ſic dicitur. *Improbè deſiderabit petitor fructus æſtimari, qui ex artificio eius percipi potuerunt, quod artificium ſumptibus poſſeſſoris didicit, ne ſua melioratio poſſeſſori noceat.* Et ratio eſt,

Couarr. Salon. Sayrus. Afflict. Caualc. Garcia. Gama. Gutierr. Valaſcus. Eſcobar.

Primò, quia ſi dominus ſuam rem poſſideret, non erat ea melioramenta in ea facturus, ex defectu induſtriæ, vel pecuniæ, & alioquin induſtria furis, aut malæ fidei poſſeſſoris ei nocere non debet.

Secundò, quia ea melioramenta ſunt fructus induſtriæ iniqui poſſeſſoris; quare ad illum pertinent fructus percepti ex illis; induſtria enim ſuo prodeſt authori, non alieno.

Tertiò, quia videtur hoc conforme æquitati rationabili, quia cùm dominus non eſſet rem melioraturus, ſufficit quòd ei reſtituatur ſi meliorata, deductis tamen fructibus meliorationis, alioquin diteſceret dominus ex alieno, & ex re furata, quod non eſt dicendum.

31. At dicendum eſt in vtroque foro verius eſſe, & probabilius teneri malæ fidei poſſeſſorem, furemve ad augmentum illorum fructuum, quod dominus ex re ſic meliorata licitè collegiſſet, ſi eam ſic melioratam haberet, non verò ad illos, quos ex illa collegiſſet illicitè. Ita Leſſius *lib.2. cap.12. de iniuriis fortun. dub.17. num.117.* Sanchez *tom.1. Decalog. lib.2. cap. 23. num.105. & num.131.* Petrus Nauarr. *lib.4. de reſt.cap.1.in noua edit.dub.5. num.38.* gloſſa *in l. cæterùm, verb. potuerunt.* Angelus *ibi, in fine.* Fulgoſ. *ibi num. vnico.* Aretinus *l. Africanus,* aliàs *apud Iulianum 40. § fructus n.3. ff. de legatis 1.* Neguſantius *de pignoribus, part.5. membr.4. num.20.* Capitius *deciſ.92.n.10.* Couar. *lib.1. variar. cap.8. num.4.verſ.proxima quæſtioni, &c.* Lopez *l.41. verb. que ſe deſcuenten, in fine, tit.28.part.3.* Menochius *de recuper. poſſeſſione remedio 15. num.609. in fine, & 610.* Valaſc. *de iure emphyteut.part.25.num.26.* Barboſa *l. diuortio 8. §. finali, num.52. & 53. ff. ſoluto matrimonio*, vbi optimè diſcutit hanc quæſtionem. Ratio eſt,

Leſſius. Sanch. P.Nauarr. Angel. Fulgoſ. Aretin. Neguſan. Couar. G.Lopez. Menoch. Valaſc. Barboſ.

Primò, quia ea melioratio tamquam in re aliena facta cedit domino rei, acceſſorium enim ſequitur principale, vnde cùm ſit rei alienæ addita, domino rei cedit; & cùm poſſeſſor malæ fidei ſit in mora reſtituendi domino illam rem ſic melioratam, neceſſariò tenetur in vtroque foro ad omne intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, & ad omne damnũ quod domino ex retentione potuit euenire; quare cùm in mora fuerit non reſtituendi rem melioratam, & dominũ damnificauerit in illo augmento eorum fructuum, quod percepiſſet ex eadem re meliorata, ſi illi reſtitueretur, profectò tenetur illud damnum reſtituere, vt patet.

32. Secundò, quia ea melioramenta licèt prouenniant ex induſtria furantis, & iniqui poſſeſſoris, tamen cùm facta fuerint ab illo in re aliena cedunt domino, & per accidens eſt quòd induſtria noceat ſuo authori, imò reuera non nocet, quia valor induſtriæ, & expenſæ omnes, in re melioranda factæ, deducendæ ſunt in foro interno, vt iam probauimus *cap.16. num.1.* Nec nouum eſt, quòd ex re ſibi furata dominus diteſcat, id enim frequentiſſimè accidit; vt cernitur in eo, qui equũ furto abſtulit, & quem meliorem fecit ſua induſtria, & in eo, qui vitulum ab aliquo furatus eſt, & vendidit in ſtatu bouis, cùm tamen dominus vendituturus illum eſſet in ſtatu vituli, quem tenetur domino reſtituere iuxta meliorem ſtatum bouis, non vituli, vt probauimus *cap.15.num.3.& 4.* vbi etiam oſtendimus, an in foro iudiciali expenſæ, & æſtimatio laboris, & induſtriæ furantis in re melioranda deducendæ ſint, & per accidens eſt quòd dominus ex defectu pecuniæ, vel induſtriæ ea melioramenta in re ſua non feciſſet, ſicut felicitatis illius fuit, ea melioramenta alium feciſſe.

33. Si tamen aliquis domum elocatam haberet, & inſciente domino illius ianuam, vel portam in ea aperiret, qua multo melior domus ipſa redderetur, maiorique pretio elocationis digna, non poterit dominus durante tempore locationis pretium augere, & quia illa melioratio eſt ibi veluti de nouo affixa, & extrinſeca rei, ſicut ſi lapis pretioſus à nullo aureo alieno affixus eſſet, non ideo ille maneret domini ipſius annuli; & quia conductor domus non erat poſſeſſor malæ fidei. An autem dominus prædictæ domus teneatur ei ſoluere expenſas in portis, aut ianuis factis, an verò teneatur elocator illas amittere, & domino relinquere, eſt dubium; quod ita reſoluit Molin. *tom.4. de iuſt. diſp.725. num.12.* & Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2.cap.23 num.105.* quando expenſæ factæ ſunt in aliquo melioramento, quod ita eſt affixum rei alienæ, in quo tale melioramentum fit,

Molina. Sanch.

vt non cedat domino rei, ſed per ſe ſubſiſtat, vt ſunt ianuæ, & feneſtræ factæ, & poſitæ in aliena domo, lapis pretioſus affixus in alieno annulo, & alia his ſimilia, non tenetur dominus rei expenſas in ea melioratione factas melioranti ſoluere; nec tenetur ipſe illas amittere, ſed permittitur illi talem meliorationem tollere citra læſionem rei alienæ quoad antiquum ſtatum, quem antea habebat, quod patet ex *l. domum, C. de rei vendicatione.*

34. Generatim verò loquẽdo de expenſis meliorationum factis in rebus alienis, in foro conſcientiæ, ſi ſint vtiles, aut neceſſariæ, iam diximus teneri eas dominum rei in foro conſcientiæ ſoluere furi, & iniquo poſſeſſori melioranti *in cap.15. num.4.* vbi diximus non ſolùm expenſas vtiles & neceſſarias factas in rebus furtiuis poſſe fures, & iniquos poſſeſſores deducere; ſed etiam æſtimationem & valorem laboris, & induſtriæ, quia hæ ſunt res alienæ, & non poteſt dominus rei tuta conſcientia emolumentum capere ex illis.

35. Loquendo verò de foro externo, videndum eſt, an huiuſmodi expenſæ ſint neceſſariæ, vel an ſint tantùm vtiles: ſi ſunt neceſſariæ ad conſeruandam, & meliorandam rem furtiuam, poſſunt poſſeſſores malæ fidei eas extrahere, repetereque in foro exteriori, vt docet Molina *tom.4. diſp.725. num.12. & 463.* Excipitur niſi ſit fur, & res furtiua ſit puer mancipium, quem rapuit; quia tunc licèt expenſæ in illo alendo factæ, neceſſariæ ſint, vt reuera ſunt, illas non poteſt extrahere, ſed omnino amittit, vt habetur *in l. ex argento, ff. de condict. furt. & in l.1. C. de infant. expoſit.*

36. Si ſint vtiles tantùm, & non neceſſariæ: tunc diſtinguendum eſt, nam ſi cedunt in vtilitatem domini ipſius rei alienæ melioratæ, & non poſſunt exiſtere ſeparatæ ab ea re, quia nec melioramentum in quo factæ ſunt, ſeparatum à re aliena poteſt exiſtere, vt figura arte facti ex auro, aut ex argento alieno facta, omnino cedunt domino rei, vt conſtat ex *l. ex argento, ff. de condict. furti.* & docet Molina *allegatus, dict. num.12.* Molina.

37. Si poſſunt exiſtere ſeparatæ, vt eſt ædificium factum in ſolo alieno, aut plantæ ibi affixæ, tunc ſi res in qua factæ ſunt à principio, cœpit bona fide poſſideri, & deſinente eadem bona fide factæ ſunt tales expenſæ, poſtquam videlicet cognitum fuit rem eſſe alienam, tunc permittitur tolli ab eo, qui eas fecit, niſi dominus rei, in qua factæ ſunt, ſoluere voluerit illarum æſtimationem iuxta valorem, quem habent res materiales v. c. ligna, lapides, &c. poſtquam illud melioramentum extrahitur, & ſeparatur à re aliena in qua factum fuit, patet ex *l. Iulianus 38. de rei vendicat.* docet Molin. *tom.4. dict. diſp.725. num.12.*

38. Si verò res, in qua ſunt factæ, cœpit à principio mala fide poſſideri, tunc expenſæ omnino cedunt domino rei, vt conſtat ex *§. ex diuerſo, Inſtit. de rerum diuiſione*, ita Molina *allegatus*, & alij.

39. Voluntariæ autem expenſæ ad animi recreationem tantùm factæ in re aliena mala fide ab initio poſſeſſa, omnino domino rei cedunt, & amittuntur à poſſeſſore illarum, vt docet idem Molina *tom.2. diſp.455. & 463.* per multa iura, quæ *ibi* allegat.

40. Hæc tamen amiſſio expenſarum in foro exteriori cùm in pœnam poſſeſſoris malæ fidei ſtatuta ſit, non habet locum, niſi poſt latam ſententiam, aut obtinente domino rem ſuam cum melioramentis in ea effectis, tunc enim exigente illo, qui illas fecit ſuas expenſas, & valorem melioramentorum, repelli poteſt à domino rei, exceptione, quòd eas amiſerit, tamquam in re aliena mala fide poſſeſſa, effectas; quare in foro conſcientiæ ſi agatur de reſtitutione illarum ante latam ſententiam, aut ante occupationem rei, à proprio domino detrahere poteſt malæ fidei poſſeſſor valorem expẽſarum, etiam ad animi voluptatem pertinentium; poſt latam verò ſententiam tenetur illa ſtare, vt docet Molina *tom.4. de iuſt. diſp.725. num.13.* Ioannes Medina *de reſt. quæſt.6.* & Couar. *ad reg. peccatum, part.2. §.6. num.3.* & alij. Molina. Medin. Couar.

Caput XXI.

Vtrùm poſſeſſor bonorum incertorum teneatur illa reſtituere. Quo iure, quibus perſonis, & qua diligentia præmiſſa, vt dominus inueniatur.

SVMMARIVM.

Quæ ſint bona incerta. num.1.
Bona furto ablata, aut ab vno oppido, vrbeve tempore belli iniuſti, quorum domini ignorantur, quomodo, & cui ſunt reſtituenda. num.2.
Quid ſi ſciamus rem ab vno ex tribus, quatuorve hominibus furto fuiſſe ablatam, facta tamen diligentia, ignoratur quis illarum dominus ſit, cui tunc facienda eſt reſtitutio, & quomodo. num.3.
Vſurarius, qui vſuras communiter exercebat, & vendens, qui aquam vino immiſcebat, & falſis ponderibus, & menſuris vtens, quomodo debent reſtituere, & quibus perſonis. num.4.
Poſſeſſor bonorum incertorum, qui nulla præmiſſa diligentia ad inquirendum dominum, eam alicui pauperi tradidit, tenetur eam poſtea reſtituere comparenti domino. num.5.
Quid ſi fecit diligentiam, & non inuento domino, ea pauperibus tradidit, & poſtea dominus comparuit. num.21.
Quam diligentiam teneatur efficere. num.6.
Cuius expenſis facienda ſit prædicta diligentia. numero 7.
Cui reſtituenda ſint bona peregrinorum, qui in hoſpitalibus moriuntur. num 8.
An dominus cenſeatur ignotus, quando de illo conſtat, eſt tamen valde difficile propter diſtantiam, quòd res ad illius manus deuentura ſit. num.9.
An quando aliquis iuſſu alicuius communitatis, vel conuentus ciuilis, qui iubet triticum pretio currenti vendere, vltra pretium lege taxatum, & currens vendit, teneatur reſtitutionem facere ipſi communitati, an illis quibus illud vendidit. numero 10.
Quo iure bona incerta pauperibus reſtituenda ſint. Refertur prima opinio, aſſerens eſſe illis reſtituenda iure naturali. num.11.
Refertur ſecunda aſſerens iure poſitiuo, & de communi totius orbis conſuetudine. num.12. & 13.
Iudicium, & ſententia authoris, & ſolutio fundamentorum ſecundæ ſententiæ. num.14.
Suppoſito quòd de iure naturæ, & de iuſtitia pauperibus hæc reſtitutio facienda ſit, an pauperes habeant actionem in foro externo contra poſſidentes. num.15.

An

An bona incerta, & inuenta retineri poſſint à poſſeſſoribus & inuentoribus ſi ſint pauperes, quando facta diligentia illorum domini non apparent. *à num.16. vſque ad 20. & ſpeciatim num.25.*

Quid ſi iam reſtituta ſint pauperibus poſt factam diligentiam domino non comparente, & poſtea compareat. *num.21.*

Quid nomine pauperum intelligatur. *num.22.*

An hæc diſtributio fieri debeat pauperibus eiuſdem loci. *num.23.*

Et an pauperioribus & melioribus. *num.24.*

An ea bona poſſint retineri à poſſeſſoribus ſi ſint pauperes, & an illi ea poſſint diſtribuere inter conſanguineos & amicos pauperes. *num.25.*

An quando teſtator relinquit alicui aliqua bona inter pauperes diuidenda, poſſit iſte ſi ſit pauper partem aliquam ſibi applicare. *num.26. & 27.*

An requiratur authoritas Epiſcopi ad hanc diuiſionem, & reſtitutionem bonorum incertorum faciendam, quomodo & quatenus, & an poſſint illi eam diuiſionem ſub excommunicatione ſibi reſeruare. *à num.28. vſque ad 31.*

1. *Bona incerta quæ.* PRÆMITTO in primis bona incerta illa eſſe, quæ habent dominum, & de quibus certi ſumus illa habere dominos, ſed facta ſufficienti diligentia ignoramus omnino quis illorum dominus ſit; tribus autem modis dici poteſt dominus ignotari.

Primò, quando bona ſunt in quantitate magna, & certum eſt ab hac vrbe, vel oppido fuiſſe ablata. v. c. in bello iniuſto, multoſque, aut penè omnes ciues damnum habuiſſe, ignorantur tamen hi, vel illi ciues, ad quos pertineant.

Secundò, quando quis habet alienum, & ſcit eſſe alienum, & pertinere ad vnum ex tribus, quatuorve hominibus, quibus cum negotium habebat, ignorat tamen quis ille ſit.

Tertiò, hoc locum habere poteſt in vſurario, qui vſuras ex multis accepit, & in eo, qui miſcet aquam vino, quod minutatim vendit, & in eo, qui etiam minima corraſis menſuris, & decurtatis ponderibus magnam quantitatem acquiſiuit alienam, & ignorat perſonas in particulari à quibus, & quantum ab vnaquaque illarum accepit. His notatis,

2. *De bonis furto ablatis, &c. Aſſertio prima.* Statuo primò bona detracta ab vno oppido breve tempore belli iniuſti, non cenſentur bona omnino incerta, quia illorum domini ſaltem in generali non ignorantur, licèt ignorentur in particulari, & ideo reſtituenda ſunt vrbi, ſeu illius gubernatori, vt ea diſtribuat inter ciues cum proportione ad quantitatem damni, quod quilibet illorum paſſus eſt, & idem eſt de tributis iniuſtis, quando conſtat omnes, vel ferè omnes ciues paſſos fuiſſe damnum, tunc enim illis etiam pro rata quantitatis damni plus minuſve, ſi exiſtunt, vel ſi non exiſtunt, illorum hæredibus reſtituenda ſunt, ita Molina *tom.4. de iuſt. diſp.745. §. Sotus vbi ſuprà.* Rebellus 1. *part. lib.2. quæſt.12. ſect.2. num.16.* & alij communiter. *Molin. Rebell.*

3. *Aſſertio ſecunda.* Statuo ſecundò. Quando ſcitur rem ab vno ex tribus, quatuorve furto fuiſſe ablatam cum quibus negotium quis egit, ſi facta diligentia de domino in particulari non conſtet, tunc inter omnes diuidenda res eſt, & pro qualitate dubij vnicuique ſecundum magis, & minus reſtituenda, & ſi poſtea conſtet de vero domino, liber manet quis à quacunque alia reſtitutionis obligatione; tenentur verò alij illi reſtituere partes, quas acceperunt. Et ratio eſt, quia facta, ac præmiſſa diligentia fecit poſſeſſor id, ad quod tenebatur pro tunc; quare ab omni obligatione reſtitutionis in poſterum exoluitur. Si tamen de omnium conſenſu iacta eſt ſors, & res tota ſortis iactu vni cecidit, quamuis poſtea compareat alium fuiſſe verum dominum, non tenetur quicquam ampliùs reſtituere. Et idem eſt ſi de illorum conſenſu diuiſio facta fuit, & poſt diuiſionem contractum tranſactionis de ſuo iure dubio in alium fecerunt, tunc enim, etiamſi verus dominus poſtea appareat, manent alij deobligati propter prædictum contractum.

Primò, quia prædictus contractus fuit iuſtus, fuit enim æqualis iuris dubij, dubiæque fortunæ pro omnibus, vt patet.

Secundò, quia ea tranſactio fuit quaſi venditio iuris dubij, quod in illa re prætendebat quiſque pro eo, quod in recompenſationem accepit, quicquid rei veritas tunc haberet, aut futuro tempore deprehenderetur, ita docet Molin. *tom.4. de iuſt. diſp.745. §. quando certum eſt.* Caietan. 2.2. *quæſt.62. art.5. ad 3.* Sotus *lib.4. de iuſt. quæſt.7. art.1. ad 3.* & communiter Doctores.

Statuo tertiò. Vſurarius, qui vſuras exercebat, & vendens, qui aquam vino immiſcebat, aut falſis ponderibus, & menſuris vtebatur. Si illi quibus damnum dederunt, ita ſunt pauci, vt moraliter conſtare poſſit, qui ſint, vel de illorum hæredibus, tūc quidem ſi ei conſtet, quòd ipſi poſtea, vel illorum hæredes eaſdem vſuras iterum petent, vel eandem domum, emendo res ſimiles, frequentabunt, ipſis facienda eſt reſtitutio, dando res alias minori pretio, vel in maiori menſura, vel alio quouis modo reſtituendo, donec partes læſæ ad æqualitatem compenſentur. Si verò ſint multi quos in particulari ignorat, nec facta diligentia moraliter agnoſci poſſunt, tunc pauperibus diſtribuendum id erit, aut in aliis piis operibus inſumendum pro illorum animabus, quos defraudarunt, & ignorant, qui ſint, & an ipſi, aut illorum hæredes accedent ad emendum; tenentur tamen ſeruare ſuas portiones illis quos emiſſe recordabuntur, ſi fortè viderint ad emendum poſtea acceſſuros. Ita Molina *tom.4. diſp.745. verſ. quando aliquid,* & Guttierrez *lib.2. quæſtionum canonic. cap.9. num.9.* & alij, & patebit infrà *capite ſequenti, à num.*8. cum de bonis inanimatis inuentis egerimus. 4. *De vſurario, & vendente. Aſſertio tertia.*

Contingit tamen ſæpe nos aliquid habere alienum, cuius dominos ignoramus, neſcimus tamen, an facta diligentia domini comparebunt. Et in eo caſu duo ſunt certa. 5. *De poſſeſſore bonorum incertorum, & quorum domini ignorantur.*

Primum eſt, ſi poſſeſſor rei alienæ eam alicui pauperi tradidit, non præmiſſa diligentia ad inquirendum dominum, ſi poſtea dominus compareat, teneri eam reſtituere ipſi domino, quando fuit iniuſta cauſa illius damni, quia videlicet per furtum ea obtinuit, ignorando cuius eſſet. Ratio eſt, quia ex quaſi contractu, & ex officio cuſtodis tenebatur in conſcientia adhibere diligentiam ordinariam, nec excuſabitur, quamuis rem pauperibus dederit, & ita habetur expreſsè *cap. ſicut dignum, de homicidio,* §. *eos inſuper,* ibi, *Quia licèt quædam ex iis, quæ occupauerunt, fateantur ſe pauperibus erogaſſe, non tamen aliena* (*cùm ipſa potuiſſent eis, quorum fuerint, reſtituere*) *debuerunt pauperibus erogare.* Et gloſſa *ibi verb. non tamen aliena. Intellige ſi illos quorum bona fuerant, facta diligentia poterant inuenire, aliàs ſufficit, imò tenentur*

nentur pauperibus erogare. Et ratio eſt, quia non remittitur debitum, ſed augetur, ſi aliis ſoluatur id quod aliis ex debito ſoluendum erat.

6. Secundum eſt, teneri præmittere diligentiam moraliter neceſſariam ad inquirendum dominum, qualis autem hæc diligentia eſſe debeat, non facile explicabitur, & multum quidem pendet hoc ex arbitrio prudentis hominis, & ex quantitate, qualitateve rei alienæ, quam aliquis habet; ſi enim res ſit magni momenti, maior eſt diligentia adhibenda, non ſolùm in vrbe, & loco, vbi venit ad manus poſſidentis, ſed etiam in viciniorlbus, vbi fuerit ſpes veniendi ad dominorum notitiam ſaltem per coniecturas. Deinde hæc diligentia facienda eſt cum perſonis, & per perſonas accommodatas, publicando rem per pulpita, & Eccleſias, & perſonam, quæ illam habet, non tamen circunſtantias, & ſigna valde peculiaria, vt poſtea ſi aliquis dicat rem eſſe ſuam, interrogari poſſit de illis, & meliùs examinari, an reuera ſit illius dominus. Item quo res fuerit maioris momenti, eo magis differri debet reſtitutio. v. c. per menſem, aut annum, & fortè eò amplius. Si tamen res fuerit minoris momenti, vt pallium, gladius, vel decem, aut quindecim aurei, vel quid ſimile, ſatis erit in eodem loco diligentiam facere publicando per Parochos in Eccleſiis: ita docet Sayrus *in claui regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 4. Molina *tom.* 4. *diſp.* 744. Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.* 5. *dub.* 1. § 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. Rebellus 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 12. *ſect.* 3. & D. Thom. *quæſt* 62. *art.* 5. *ad* 3.

Sayrus. Molina. Vaſquez. Leſſius. Rebell. D Thom.

7. *Dub'a. Primum.* Dubitabis tamen primò, cuius expenſis facienda ſit prædicta diligentia, vtrùm ſcilicet deducendæ ſint ex ipſa re aliena, an ſoluendæ ab ipſo poſſeſſore? Breuiter reſpondeo. Si poſſeſſor rem habuit bona fide, ex ipſa re deducendas eſſe prædictas expenſas, quæ in vero domino inquirendo fiunt; ſi tamen rem mala fide habuit, teneri ipſum ad ipſas expenſas, quia fuit iniuſta illarum cauſa: ita docet Sayrus *allegatus, num* 9. & Molina *tom.* 4. *de iuſt. diſp* 744 §. *vt autem.*

Sayrus. Molina.

8. *Secundum.* Dubitabis ſecundò, cui reſtituenda ſint bona peregrinorum, qui in hoſpitalibus ſine teſtamento moriuntur, nec apparet, aut apparere poteſt illorum hæres legitimus? Et hoc quidem dubium multiplicem habet reſponſionem.

Reſpondeo enim in primis de iure communi applicanda eſſe pauperibus, vel cauſis piis, vt diſponitur *in l. omnes peregrini, C. de ſucceſſ.* quod conſonum eſt ad voluntatem pauperum decedentium.

Reſpondeo ſecundò, ex priuilegio quod ordinariè habent hoſpitalia ſuccedere illa loco hæredis, quod priuilegium eſt ſatis pium, & in fauorem defuncti & hoſpitalis.

Tertiò, reſpondeo hoc intelligendum eſſe, niſi aliqua lex, vel conſuetudo Regni, aut prouinciæ aliud diſponat de prædictis bonis, ſi enim detur, ſeruanda eſt, dummodo non detur, neque obſtet aliqua lex ſuperior Summi Pontificis, ita Sayrus *allegatus*, §. *ſextò patet:* & Vaſquez *item allegatus*, §. *certum eſt.*

Sayrus. Vaſq.

9. *Tertium.* Dubitabis tertiò, vtrùm dominus cenſeatur in eo caſu ignotus, ſi de illo conſtet, eſt tamen valde diſtans, vel ex aliis difficultatibus, non poterit res, aut ſaltem difficillimè ad eius manus peruenire, & maiores fient expenſæ in ea reſtituenda, quàm res alioqui valeat; & an tunc reſtituenda ſit pauperibus, aut locis piis, vel cum Bulla Cruciata compoſitio facienda. Reſpondent Doctores affirmatiuè, communiter ac regulari ter loquendo, modò nec de præſenti, nec de futuro detur probabilis ſpes opportunitatis, quòd res ad dominum perueniat: ita Sayr. *in claui regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 24. Azor. *tom.* 3. *lib* 4. *cap.* 28. *quæſ.* 2. §. *quæres iidem*, qui etiam idem fatentur quando cognoſcitur dominus, ſed omnino ignoratur locus vbi ſit, vel vbi habitet, quia poſſeſſor non tenetur euagari in incertum, quærendo locum vbi ſit, ac proinde in his caſibus & aliis ſimilibus habetur pro ignoto ratione abſentiæ coniunctæ cum aliis difficultatibus, & ita docet etiam Sà *verb reſtitutio, num,* 51, vbi ita ait. *Non tenetur domino reſtituere, qui dedit operibus piis, quod non poterat domino reſtituere ſine graui periculo, aut cùm res eſſet modica, aut dominus tam longè abeſſet, vt difficile ad illum res poſſet miſſa peruenire.* Sayr. Azor.

Dubitabis quartò, an quando aliquis triticum alicuius communitatis, v. c. cameræ, ſeu conuentus ciuilis vendit ciuibus vltra pretium taxatum (ſolent enim in plurimis orbis partibus communitates ex depoſito publico plurimos tritici modios conuehere, vt poſtea deducta pecunia, illud tempore neceſſitatis ciuium vendant) & tunc quærimus, vtrùm ille qui per partes prædictum triticum iuſſu prædictarum communitatum vltra pretium taxatum vendit, inſciente communitate, quod vltra pretium taxatum vendat, teneatur exceſſum reſtituere perſonis particularibus, quæ illud emerunt; an verò ciuilibus conuentibus, vel communitatibus, quarum triticum erat. Et ratio dubitandi erat, 10. *Quartum.*

Ex vna parte, quia totum damnum redundauit in perſonas particulares: nam ciuiles conuentus, vel communitas totum ſuum capitale deduxit ex pretio; ergo huiuſmodi perſonis, & non communitati reſtitutio facienda eſt. Ex altera verò parte videtur potius eſſe facienda prædictæ communitati, quàm particularibus perſonis, quæ illud triticum emerunt, quia talis venditor conuentui ciuili, ſeu communitati immediatè fecit iniuriam.

Secundò, quia communitas eſt creditor certus, populus verò eſt creditor incertus; ergo creditori certo reſtituendum eſt, relicto incerto. Nihilominus reſpondet Azor. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 26. *in fine*, ipſis ciuibus, ac perſonis particularibus faciendam eſſe reſtitutionem, non communitati, aut ciuili conuentui, & bene reſpondet. Fundamentum eſt,

Primò, quia totum damnum illis eſt illatum, vt patet, reſtitutio autem illis eſt facienda, qui damnum, & læſionem paſſi ſunt.

Secundò, quia triticum nomine ciuium emitur à communitate. ergo illis primò & principaliter iniuriam fecit primus, & immediatus venditor; quare iure naturali tenetur illis hanc læſionem per iniuriam datam, & illatam reſtitutione reficere, neque populus ac ciues particulares, quibus triticum fuit venditum, dici poſſunt incertus creditor, conſtat enim in generali huic populo damnum iniuſtè fuiſſe datum, & licèt non conſtet expreſsè, quantum, & quale huic, vel illi particulari ciui fuerit datum, non propterea dicendum eſt dari hic creditorem incertum omnino. Sed incertum, quo ad quantitatem, certum tamen quoad perſonas læſas; quare reſtitutio tunc facienda eſt eo modo, quo diximus *num.* 2.

Præcipua quæſtio facta in titulo huius capitis 11.

eſt,

Quo iure bona incerta pauperibus reſtituenda ſint. eſt, quo iure debita incerta poſt præmiſſam diligentiam non inuentis dominis, nec illorum hæredibus pauperibus, & locis piis reſtituenda ſint, naturali ne, an diuino, an humano? Et quæſtio etiã procedit de quibuſcumque debitis incertis ſiue ex delicto, ſiue ex contractu, ſiue ex aliis modis ſimilibus comparati: & hac de re partita eſt ſententia.

Opinio prima. Couar. Molina. Arag. Rodrig. D.Thom. Caiet. Medin. Nauar. Syluester. Prima docet deberi de iure naturali, & conſequenter de iuſtitia, ita tenet Couar. *ad regul. peccatum, part.* 3. *num.* 2. Molin. *tom.* 4. *de iuſt. diſp.* 246. §. *cùm communitatem.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Rodrig. *in ſumma part.* 2. *cap.* 41. *concluſ.* 8. & videtur ſentire D.Thom. *in* 1. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *&* 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Caietanus *ibi*, *& in ſumma verb. reſtitutio*, *cap.* 4. Ioannes Medina *de reſt. quæſt.* 3. Nauarrus *in manuali cap.* 17. *num.* 92. *&* 171. & Syluester *verb. reſtitutio* 3. *quæſt.* 1. Fundamentum eſt,

Primò, quia quando dominus rei non cognoſcitur, Christus Dominus eſt hæres vniuerſorum, & conſequenter pauperes loco illius ſuccedunt, vt ait D. Thomas, & Caietanus, ſed hæredi debetur hæreditas ex iuſtitia, & naturali iure; ergo debetur Chriſto Domino.

Secundò, quia ſi dominus adhuc viuit, vel habet legitimum hæredem, apud illum manet dominium talis rei, & conſequenter ipſi reſtituenda res eſt eo modo, quo fieri poteſt; idque de iure naturali, quia res naturaliter debetur domino ſuo, ſed non poteſt ad dominum peruenire res illa ſecundùm ſuam vtilitatem temporalem; poteſt tamẽ peruenire ſecundùm vtilitatem ſpiritualem, ſi detur pauperibus pro ſalute animæ; ergo reſtitutio pauperibus de iure naturali facienda eſt. Maior patet, quia dominus de iure naturali non priuatur ſuo dominio ex eo quòd non appareat, deinde non eſt priuandus iure humano ſine ſua culpa, cùm talis priuatio ſit pœna; ergo iuxta ipſius voluntatem rationabiliter præſumptam facienda eſt reſtitutio. Voluntas autem hæc præſumitur circa pauperes, & conſequenter illis ex voluntate domini res debetur.

12\. *Opinio ſecunda.* Leſſius. Sayrus. P.Nauarra. Salon. Vaſquez. Azor. Rebel. Secunda ſententia docet non deberi pauperibus ex iuſtitia, ſeu de iure naturali, ſed de iure poſitiuo, & conſuetudine totius orbis Chriſtiani, ita de illis bonis diſponente: eam hodie communiter defendunt DD. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 6. *à num.* 36. Sayrus *in claui regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *à num.* 12. Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 39. *&* 44. Michael Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *controuerſia* 6. Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.* 5. §. 4. *dub.* 1. *num.* 7. Azor. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 26. *quæſt.* 1. §. *ſecunda concluſio*, idem videtur ſentire Rebellus 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 15. *ſect.* 1. *n.* 3. quatenus dicit eſſe pauperibus danda titulo eleemoſynæ; tamen quatenus aſſerit eſſe huiuſmodi bona illis danda tamquam negotiorum domini geſtoribus, qui eius bona ſpiritualia negotiantur, ex præſumpta Dei voluntate videtur primam ſententiam tenere, quia quæ negotiorum geſtoribus dantur, ex iuſtitia eis debentur. Hæc itaque ſententia duo aſſerit.

Primum eſt, præfata bona non eſſe reſtituenda pauperibus ex iuſtitia, & iure naturali, quia ius naturale ſolùm obligat poſſeſſorem in eo caſu, ne prædicta bona retineat, quando ſunt aliena, & conſequenter quòd illa reſtituat ei ad quem pertinent, ſed ius naturale non determinat, neque obligat, quòd dentur pauperibus deficiente domino. ergo non eis debentur de iure naturali. Maior patet. Minor probatur, quia illa bona poterant aliis perſonis applicari iuſſu Principis, & de facto fit de illis compoſitio cum poſſidentibus ex conceſſione Summi Pontificis, in Bulla Cruciata; ergo non ſunt de iure naturæ applicata pauperibus, quia aliter Summus Pontifex vel diſpenſaret, vel faceret contra ius naturæ auferendo pauperibus ius ſtrictum, quod ad ea bona haberent. Sed neutrum dici poteſt, vt patet; ergo intentum. Secundò, quia obligatio quæ datur de facto applicandi ea bona pauperibus, æqualiter procedit in omnibus bonis incertis, ſiue fidelium, ſiue infidelium, ſiue in gratia, ſiue in peccato moriantur, ſed ſi eſſent neceſſariò ex iure naturali applicanda pauperibus in bonum animæ prioris domini, hæc obligatio non extenderetur in bonum animæ infidelium, neque in bonum animæ illorum de quibus conſtat in peccato deceſſiſſe, vt patet; ergo, &c.

Secundum, quod aſſerit hæc ſententia, eſt de facto eſſe applicata pauperibus per ius poſitiuum, & fundamentum huius rei deſumitur ex *cap. cùm tu, de vſuris*, vbi bona incerta acquiſita ex debito vſurarum, ſi facta diligentia non poſſit dominus conſtare, à Summo Pontifice applicantur pauperibus, & de iniuſtè acquiſitis prætextu officij idem ſtatuitur *in cap. cùm ſit nimis, de Iudæis*; ſed ex communi Doctorum conſenſu idem dicendum eſt de acquiſitis ex delictis, & ex debitis incertis acquiſitis ex contractu; ſiue ſit ex contractu commodati, ſiue mutui, ſiue depoſiti; ergo ex iure canonico, & conſuetudine habente vim legis prædicta bona cenſentur applicata pauperibus, & hæc conſuetudo antiquiſſima eſt in Eccleſia, vt habetur 14. *quæſt.* 5. *canone non ſanè.* 13.

14\. *Iudicium Authoris.* *Et ſolutio fundamentorum ſecundæ ſententiæ.* Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, vtraque ſatis probabilis propter illarum authores, & fundamenta, hodie lectores Theologiæ communiter inclinant in hanc ſecundam. Ego tamen potiùs in primam inclino. Neque fundamenta huius ſecundæ multum conuincunt. Ad primum enim reſpondemus ius naturale dictare & determinare, vt bona illa, quorum dominus ignoratur, & ſunt bona incerta; incerta, inquam, quia incertus eſt, & neſcitur dominus; certum autem eſt ea eſſe aliena, applicanda eſſe pauperibus in bonum animæ prioris domini, ſi hic fuerit huius boni capax, hoc eſt, ſi non fuerit infidelis, aut in peccato manifeſto non obierit, & ideo, vt huic iuri naturali ſatisfiat, decreuerunt ſacri canones, & Summi Pontifices, vt pauperibus diſtribuantur, ſunt enim Summi Pontifices in hoc negotio veluti executores iuris naturalis, quia hæc eſt voluntas tacita, & mera mens dominorum, quorum erant talia bona: nam quamuis ipſi ratione peccati ſi in eo manifeſtè defecerunt, aut infidelitatis, ſi infideles erant, & non baptizati, huius ſubſidij, & boni ſpiritualis non ſint capaces, id per accidens eſt, & ſemper valde pium, & bonum eſt, & in mero iure naturali fundatum, vt ex tacita voluntate dominorum huius ſpiritualis boni incapacium talia bona pauperibus applicata ſint, ad ſubleuandam miſeriam naturæ humanæ; nam cùm ipſi etiam infideles, ſint noſtri proximi, propter eandem naturam humanam, & plenam naturalis humanitatis, quam nobiſcum habent, inde eſt quòd ratio naturalis dictet, eorum tacitum voluntatem eſſe, ſua bona in ea circunſtantia, in qua neque ad illos, neque ad illorum hæredes poſſunt peruenire applicare pauperibus ad ſubleuandam miſeriam

ſeriam naturæ proximorum, cuius cum illis participes fuerunt. Neque etiam refert quòd Pontifices poſſint hæc bona incerta applicare aliis perſonis, ſeu aliis operibus piis, & quod de facto ex vi Bullæ Cruciatæ aliis ſubſidiis à Summo Pontifice non pauperibus, applicentur. Nam hîc nomine pauperum, quodcumque etiam opus pium intelligitur, & cùm ius naturale dictet, quòd maius bonum minori præferatur, vt videmus in ipſo primo impetu naturæ; cùm enim ictus nobis imminet, ſtatim manu caput tamquam præcipuum & maius membrum, ac bonum obtegimus, ipſamque manum periculo exponimus ad ſaluandum caput; ſic etiam ratio naturalis,& ius naturæ dictat, vt maius bonum minori anteponatur, & cùm Principes ſint executores iuris naturalis, ideo iure poſſunt applicare, ſeu mutare horum bonorum applicationem de hac perſona paupere,in aliud maius naturalis pietatis opus,iuxta mentem dominorum, quorum erant prædicta bona iure naturali præeunte interpretatam. Neque ob hanc rem dici poteſt huiuſmodi incerta bona quodamodo deuolui ad dominium Principum ſæcularium, aut Reipublicæ, & manere tanquam bona communia, hoc enim falſum eſt; nam neque Papa, neque Principes ſæculares, de illis liberè poſſunt diſpenſare, ſicut de bonis communibus Reipublicæ, ſed operibus piis ea applicare duntaxat poſſunt, iuxta tacitam voluntatem dominorum modo prædicto, imò Principes ſæculares id non poſſunt efficere, niſi de expreſſo conſenſu Summi Pontificis, vt fit in Bulla Cruciatæ cùm diſponere de operibus piis opus ſit merè ſpirituale extra illorum poteſtatem temporalem, vt de ſe patet.

15. *An pauperes habeât actionem in foro externo contra poſſidentes.* Vtrùm verò ſuppoſita applicatione, vel determinatione iuris naturalis tam pauperes,quàm opera pietatis acquirant ius ſtrictum in huiuſmodi incerta bona, itavt de iuſtitia illis debeatur, quæſtio eſt, quæ ad iuris peritos magis, quàm ad nos ſpectat, ſed ex dictis conſtat de iuſtitia illis deberi iuxta tacitam voluntatem, & interpretatam mentem incertorum dominorum.

16. *An,& quando bona incerta retineri poſſint à poſſeſſoribus ſi ſint pauperes.* Graue tamen dubium hîc eſt, vtrùm ea bona retineri poſſint à poſſeſſore, ſi ſit pauper, & circa hoc negotium partitam etiam opinionem inuenio. Nam prima id negat omnino,& eam tenet *Azor.* Azor. *tom.3.lib.4. cap.26. §. dices quòd ſit nulla*, & eam debent tenere authores ſecundæ opinionis, quatenus dicunt huiuſmodi bona incerta deuolui quodamodo ad dominium Reipublicæ:vnde huius ſententiæ præcipuum deſumitur fundamentum, nam ſi ad dominium Republicæ deuoluuntur, ſequitur nequaquam poſſe à poſſeſſoribus retineri, ſed reſtituenda eſſe Principibus, & Reipublicæ.

17. *Sotus.* Sotus tamen *lib.5.de iuſt.quæſt.3.ad* 2. affirmat, nec ſolùm hoc dici de bonis incertis, de quibus quæſtio procedit, ſed etiam de bonis inuentis, quorum dominus poſt factam diligentiam ignoratur, & hoc etiam debent tenere authores noſtræ primæ ſententiæ: & ego hanc opinionem ſequor, *Nauarr.* & eam tenet expreſsè Nauarrus *in ſumma Latin. cap.17. num.93.* nam ſi eſt pauper, cùm illa iure naturæ ob præſumptam voluntatem dominorum pauperibus applicentur, rectè poſſumus interpretari tacitam, & præſumptam voluntatem illorum eſſe, vt pauper poſſeſſor illa retineat, hoc tamen de conſilio Confeſſorum debet fieri, vt rectè fiat, nam propriæ paupertatis nemo iudex rectus eſſe poteſt, qui iudicabunt, an expediat ea omnia à poſſeſſore retineri, an illorum aliquam portionem inter alios pauperes diuidere, & hæc eſt communis omnium doctrina, de qua agemus infrà *num.*28.

Non approbo tamen ſententiam Soti quatenus addit, poſſe prædicta bona, tam incerta, quàm inuenta à poſſeſſore, & inuentore retineri, nihil impediente, quòd ſit diues; ducitur, quia bona inuenta iure naturæ ſunt inuentoris, non ſecus ac theſauri primi inuentoris ſunt: nam nullum eſt, inquit, ius poſitiuum, Euangelicum, aut Eccleſiaſticum, quod illa pauperibus tribuat; imò nec naturale, quia ſtando in ſolo iure naturali, omnia ſunt communia; ſtando verò in iure gentium, id cuius dominus non extat, eſt primi occupantis, perinde autem eſt, rem non habere dominum, neque illius dominum extare, ac illius dominum neſciri, & ignorari. Cùm igitur facta debita diligentia,non inuenitur dominus rerum inuentarum, perinde res inuentæ ſe habent, ac ſi domino careant. Vnde conſequens eſt, vt ſint inuentorum, qui primò illas occuparunt, & inuenerunt: deinde addit idem Sotus ante legem Euangelicam veroſimilius eſſe lege naturæ, ac gentium iure res inuentas, quorum dominus facta bona diligentia ignoratur, primi inuentoris, & occupantis fieri; non eſt igitur cur in lege Euangelica dicamus inuentores de iuſtitiæ rigore, ſi ſint diuites, teneri illas pauperibus reſtituere. 18.

Verùm affirmandum eſt cum Molina *tom.4. de iuſt. diſp.746. §. cum communi tamen,* imò & cum communiori Doctorum ſententia, quos *num.*11. retulimus, omnia bona incerta, & inuenta pauperibus iure naturali eſſe applicata iuxta tacitam mentem dominorum, & ideo de iuſtitia, modo ſuperiùs explicato, illis eſſe reſtituenda. Ratio eſt, quia reuera habent dominum, quamuis incertus ſit, & ignoretur, & id non poteſt à Soto negari, ac proinde falſum eſt, quod ille ait, perinde eſſe ignorari illorum dominum, ac illum non habere, quod euidenter etiam probatur. nam à principio cùm illorum dominus ignorabatur, incerta erant, & tamen cùm facta diligentia dominus apparet, habent dominum; non poteſt ergo negari bona incerta dominum habere, licèt ignoretur,& conſequenter falſum eſt dicere bona incerta computari cum bonis, quæ dominum non habent; voluntas autem tacita dominorum prædictorum bonorum eſt, quòd pauperibus donentur modo explicato, cùm ipſi non apparuerint; cùm igitur inuentor diues titulum paupertatis non habeat,contra voluntatem domini facit, illa ſibi vſurpando, ergo tenetur illa pauperibus reſtituere.Neque obſtat, quòd bona illa ſint alicuius infidelis, aut hominis, qui in peccato mortali diſceſſit, & non poſſint pro illorum animis prodeſſe, quia nulla eſt gens tam barbara, quæ non arbitretur eleemoſynas eſſe bona opera, & quæ non eligat, vt quando bona ſua ſibi non proſunt, nec reſtitui poſſunt, diſtribuantur potius pauperibus, quàm à diuitibus retineantur inuentoribus. nam cùm eleemoſyna fundetur in miſeria naturæ humanæ, & eadem natura omnibus inſit hominibus, inde eſt, quòd iure naturæ ducti velint,vt ea bona,quæ ſibi reſtitui non poſſunt, pauperibus reſtituantur, vt illorum miſeria naturæ ſubleuetur. Ita Molina *lib.4. de iuſtit. diſputat. 746. verſ. dices ſaltem.* ſed de inuentis latiùs agemus *in cap.ſequenti, à num.*17. 19. Molin.

Et

20. Et in hac ratione fundata eſt deciſio *cap. cùm tu, de vſuris*, in quo ſub pœna denegationis ſacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ vſurarij reſtituere coguntur vſuras acceptas, vel iis, à quibus acceperunt, vel illorum hæredibus, vel his deficientibus, pauperibus, & ratio *ibi* redditur, *quia non admittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*; quo loco reſtitutio illa pauperibus facienda in defectum dominorum, & illorum hæredum, non præcipitur in pœnam peccati vſurarum; ſed tamquam obligatio, quam ex iure naturæ vſurarij habent, vt è peccato retinendi alienum egrediantur; conſentit *cap. ſicut dignum, §. eos. de homicidio*, vbi apertè innuitur in eorum defectum, quibus aliquid debetur, reſtituendum id eſſe pauperibus, quæ iura ſupponunt, hanc reſtitutionem iiſdem pauperibus de iuſtitia fieri debere.

21. Si autem poſt factam diligentiam non inuento domino, neque hæredibus illorum repertis, reſtitutio iam facta ſit pauperibus. Et poſtea dominus, vel illius hæredes appareant, quod fieri ſæpe poſſe non eſt negandum, tunc dicendum eſt, ſi res reſtituta, vel aliqua pars illius apud ipſos pauperes, quibus via reſtitutionis tradita fuit, extat, reſtituendam eſſe vero domino, vel illius hæredibus, niſi ratam prædictam reſtitutionem habeant, quia illa reſtitutio videtur fuiſſe facta ſub tacita conditione, ſi non compareant antequam bona conſumantur, aut alienentur, ac diſtrahantur ab ipſis pauperibus, quia aliter non vtiliter gereretur negotium eius, cuius ea bona erant, ac proinde nec validè: ſi verò alienata, aut conſumpta iam res ſit ab ipſis pauperibus, etiamſi exiſtat in manu illius, qui eam à prædictis pauperibus accepit, reſtituenda non eſt in foro conſcientiæ, neque vindicari poteſt in foro externo ab iis, quibus eam pauperes alienarunt, idque non ſolùm ſi authoritate publica diſtributa res fuit, ſed etiam priuata, eſſet enim irrationabilis, & iniqua conditio, ſi ita daretur in eleemoſynam, vt etiam poſtquam ritè alienata eſſet ab ipſis pauperibus, aut tradita ad aliquod opus pium, reſtituere illam teneantur illi, qui illam ab ipſis pauperibus acceperunt bona fide, & fortè oneroſo titulo, aut locus pius cui tradita fuit, domino poſtea comparenti, ita docet optimè Molina *tom. 4. de iuſtit. diſputat. 746. §. maius dubium eſt*, Leſſius *tom. 1. de iuſtit. lib. 2. cap. 14. dub. 6. num. 43.* Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 2. dub. 5.* Animaduertendum tamen eſt teneri pauperem reſtituere ſi res in manu ſua extat, modò dominus appareat intra tempus, in quo res nondum eſt præſcripta, nam ſi poſt tempus requiſitum ad præſcriptionem appareat, non tenetur, quia leges præſcriptionis excuſant.

Molin. Leſſius. Sayrus.

22. *Quid nomine pauperũ intelligatur.*

Ex dictis patet pauperibus faciendam eſſe hanc reſtitutionem, nunc videndum quid nomine pauperum intelligatur, & an nomine illorum comprehendatur quæcumque cauſa pia, & quodcumque opus pietatis. Et reſpondendum eſt affirmatiuè, ac proinde ſatisfaciet poſſeſſor ſi ea diſtribuat quibuſcumque perſonis pauperibus, Eccleſiis, vel monaſteriis, vel hoſpitalibus, ſiue pro alimentis, ſiue pro ornamentis, & aliis ſimilibus operibus pietatis. Nam, vt *ſupra* diximus, hæc omnia inter opera pietatis comprehenduntur. Similiter nomine pauperum intelliguntur non ſolùm mendici, qui oſtiatim petunt, ſed etiam quæcumque aliæ perſonæ honeſtæ, quibus deſunt neceſſaria ad ſuum ordinarium congruentemque ſtatum ad honorem ſuum: ita docet Nauarr. *in apologia pauper. quæſt. 1. monito 67.* aliter 77. Rebellus 1. *part. lib. 2. quæſt. 12. ſect. 2. num. 12.* Azor. *tom. 3. lib. 4 cap. 26. quæſ. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 14 num. 34.* Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 2. dub. 3. num. 10.* Vaſquez *opuſcul. de reſtit. cap. 5. §. 4. dub. 1. num. 9.* animaduertunt enim Rebellus, & alij optimè, nomen paupertatis in hac materia non ita ſtrictè accipiendum eſſe, vt ad ſolos mendicos, oſtiatimque mendicantes extendantur, neque ita latè, vt quoſcumque pauperes comprehendat, qui non habent neceſſaria ad ſuum competentem ſtatum, ſed medio quodammodo, vt intelligatur de verè egenubus in ſuo ſtatu.

Nauarr. Rebell. Azor. Leſſius. Sayrus. Vaſquez.

23. *Quibus pauperibus reſtituendum ſit.*

Sed hîc iam emergit dubium ordinarium, vtrùm prædictæ eleemoſynæ, ſeu reſtitutiones fieri debeant pauperibus, & Monaſteriis eiuſdem loci, & ciuitatis; & an teneantur poſſeſſores prædictorum bonorum incertorum inquirere & examinare quales ſint pauperiores, & meliores, an ſatis ſit dari pauperibus abſolutè, ſiue in eodem loco, ſiue in diuerſis, ſiue meliores ſint, ſiue non ſint, dummodo verè ſint pauperes. Reſpondent communiter DD. ſufficere ſi dentur pauperibus, quamuis non ſint eiuſdem loci, neque opus eſſe, vt pauperiores cæteris, & meliores ſint. Ratio eſt, quia quamuis de conſilio, & ex æquitate quadam melior fiat diſtributio, ſi pauperibus, & melioribus donentur eiuſdem loci, tamen ex præcepto, & ex iuſtitia ſolùm obligatur poſſeſſor ea reſtituere pauperibus ſine limitatione, ad hos, vel illos, tametſi cæteris paribus optimum conſilium ſit ea pauperibus eiuſdemque loci diſtribuere, tanquam magis conſentaneum præſumptæ voluntati ipſius domini incerti, ad quem ea bona attinebant; tamen hoc, abſolutè loquendo, non eſt neceſſe, quia non mediocris pœna reſtituentibus daretur, ſi tenerentur quærere meliores, & pauperiores, & eiuſdem loci, ſi abſens ſit, & oportet iſtas reſtitutiones illis faciles, imò facillimas reddere, cùm ita hæc manibus ſoleant hærere, vel difficillime reſtituantur, ita docet Molina *tom. 4. de iuſtit. diſputat. 747. §. vtrùm autem.* Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 17. à num. 93.* Sayrus *in claui regia tractat. 5. dub. 7. num. 22.* Rebellus 1. *part. lib. 2. quæſtione 12. ſectione 12. num. 14.*

Molina. Nauar. Sayr. Rebellus.

24. *Obiectio.*

Dices. Hæc diſtributio debet fieri dignioribus, vt diſtributiones beneficiorum, ſed ij ſunt digniores, qui ſunt meliores, & pauperiores; ergo illis hæc diſtributio, & reſtitutio facienda eſt. *Refellitur.* Reſpondeo in hoc negotio non valere huiuſmodi argumentum, quia ſolùm pauperes, abſolutè loquendo, habent ius iuſtitiæ ad huiuſmodi reſtitutionem, non pauperiores, & meliores, neque eſt ſimile de beneficiis, quia Eccleſiæ habent ius ad digniores & fraudantur ipſæ Eccleſiæ, priuanturque iniuſtè ſuo iure, ſi dignioribus beneficiatis priuentur: at non ita eſt in reſtitutione bonorum incertorum; difficile eſt enim ſcire, quinam ſint pauperes meliores & pauperiores, & ſæpe fieri poteſt, vt dum hi quæruntur, elabatur occaſio, & opportunitas reſtituendi, qua ſemel elapſa, amplius non habeatur, vt de ſe patet.

25. Rogas tamen, vtrùm quãdo poſſeſſor bonorum

incertorum eſt pauper, vel habet conſanguineos, cognatos, & amicos pauperes, poſſit ſine conſilio alterius ſibi ea retinere, vel illa iſtis applicare. Quæſtio hæc, ac dubium iam ſuprà à nobis tactum fuit. Reſpondeo tamen, ſi paupertas propria, vel amicorum ſit ſimpliciter paupertas nota, & euidens, poſſe prædictum poſſeſſorem ea ſibi retinere, vel conſanguineis, aut amicis applicare. Ratio, ac fundamentum eſt, quia ea obligatio ſolùm eſt applicandi illa pauperibus, quin excludantur hi, aut illi; ergo ſi ipſi poſſeſſores, vel illorum amici, & conſanguinei, reuera ſint pauperes, non ſunt deterioris conditionis propter amicitiam, & conſanguinitatem, ita docet Molina *tom.* 4. *de reſt. diſput.* 747. §. *vtrùm autem ſi pauper.* Caietan. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num* 93. Gutiertez *lib.* 2. *quæſt. canonicar. cap.* 9. *num.* 9. Anton. Gomez *ad l.* 45. *Tauri num.* 3. Fumus *verb. inuentar. num.* 1. *fine.* Syluester *verb. inuentum, num.* 2. & alij communiter.

Molina. Caiet. Nauar. Gutier. Gomez. Fumus. Syluester.

26. Et eodem modo, quando alicui à teſtatore, aut ab aliquo alio commiſſa eſſet diſtributio aliquorum bonorum inter pauperes, ſi ipſe pauper eſſet, eique competerent qualitates pauperum, inter quos iubetur fieri diſtributio, vt ſi dictum fuerit, quòd inter pauperes talis oppidi diſtribuerentur, & ipſe pauper eſſet ipſius oppidi, poſſet ipſe ſibi tantam partem licitè in eleemoſynam retinere, quantam licitè dare poſſet alteri pauperi eiuſdem loci, & conditionis ſecum. Ita idem Molina *modò allegatus.* Azor. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 26. *quæſ.* 2. §. *quæres.* Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 53. Leſſius, & Sayrus *ſtatim allegandi*, & optimè. Dixi tamen numero præcedenti, ſi propria, vel amicorum, aut conſanguineorum ſimpliciter detur paupertas, quia poteſt illa eſſe duplex; vna ſimpliciter quando aliquis non ſolùm de præſenti caret rebus neceſſariis ad vitam, & ſtatum, ſed etiam de futuro, quia caret ſpe proxima habendi illas. Alia ſecundùm quid, quando licèt de præſenti illis caret, tamen paulo pòſt habebit, & non carebit, ſpes enim de proximo habendi facit ſimpliciter diuitem, & ideo quod dictum manet, ſolum locum habet in paupertate ſimpliciter, vt optimè notat Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *num* 46. & Sayrus *lib.* 10. *tractat.* 5. *cap.* 2. *dubio* 6. *in medio.*

Molina. Azor. P. Nauarra. Leſſius. Sayrus.

Leſſius. Sayrus.

27. Si tamen quantitas magna ſit, non poteſt poſſeſſor eam totam ſibi applicare, ſed partem tantùm ſibi neceſſariam; alia verò diuidenda eſt inter alios pauperes, nec ſimiliter ſi neceſſitas ſit tantùm ſecundùm quid, tunc enim, vt dixi, nullam partem ſibi poterit applicare, poteſt tamen per modum mutui ea vti, vt poſtea pauperibus reſtituat. Imò, vt Nauarrus affirmat *de oration. cap* 7. *num* 34. poſſunt ſcholaſtici & clerici pauperes, qui habent beneficia, quorum fructus propter aliquam omiſſionem officij amiſerunt, partem illorum ſibi applicare, ſi magni ſint, imò totos, ſi ſint perexigui, quod intelligendum eſt, ſi ſimpliciter ſint pauperes, vt explicatum manet.

Nauar.

28. *An requiratur authoritas Epiſcopi ad diuiſionẽ & reſtitutionem bonorum incertorum.*

Dubitant autem aliqui, vtrùm requiratur authoritas Epiſcopi, vel Parochi, aut Confeſſarij vt poſſeſſor bona incerta pauperibus diſtribuat; & tripliciter hoc poteſt intelligi.

Primò, vtrùm prædicta authoritas ita ſit neceſſaria ad hanc diuiſionem, vt poſſeſſor non poſſit licitè priuata authoritate hoc efficere. Affirmat Paludanus *in* 4. *diſtinct.* 15 *quæſt.* 2. *art.* 4. Hoſtienſis *in cap. cùm ita, de vſuris*, & alij. Fundamentum illorum eſt, quia illa diſtributio pertinet ad Epiſcopum, eo quòd ad eum pertineat cura pauperum ſuæ diœceſis.

Palud. Oſtienſ.

Secundò, quia cùm ea dentur pauperibus in vtilitatem ſpiritualem dominorum, quodammodo ſpiritualia in fine redduntur, & conſequenter cùm res ſint ſpirituales, illarum diuiſio ad Epiſcopum pertinet.

Tertiò, quia nemo poteſt eſſe iudex rectus ſui ipſius, & ſuæ propriæ paupertatis. Dicendum tamen eſt poſſe id fieri à prædicto poſſeſſore immediatè ſine authoritate Epiſcopi, vel Parochi, aut Confeſſarij; optimum tamen conſilium eſſe id de illorum authoritate fieri, ſi res ſint magnæ; eſt communis Doctorum: ita docet Toletus *lib.* 5. *ſumma cap.* 23. Nauarr. *in ſumma cap.* 17. *num.* 92. Turrianus 2. 2. *diſput.* 40. *dub.* 2. *num.* 12. Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.* 5. §. 4. *dub.* 2. *num.* 12. Molina *tom.* 4. *de iuſtit. diſputat.* 747. §. *quamuis.* Et ratio eſt, quia nec ex iure, nec ex conſuetudine requiritur talis authoritas ad hanc diſtributionem faciendam, & aliunde reſtitutio fieri debet immediatè ab ipſo debitore, quare cùm poſſeſſor in eo caſu ſit debitor, ab eo fieri debet immediatè: tandem, quia rarò id fieri poterit ſine publicatione alicuius culpæ, & peccati ex parte poſſeſſoris, nemo autem tenetur ſe infamare, & culpam ſuam manifeſtare. quando tamen ceſſat hæc infamatio ſui ipſius, & res diuidenda, eſt magnæ quantitatis, tunc optimum conſilium erit ſaltem de conſilio Confeſſarij hæc diuidere, vt diximus.

Tolet. Nauar. Turrian. Vaſquez. Molin.

Nec fundamenta contraria aliquod pondus habent, quia ad Prælatos ſemper ſpectat ex bonis Eccleſiaſticis pauperis prouidere, quamuis in ea diſtributione ſemper attendatur ad vtilitatem ſpiritualem domini, non ex eo prædicta diſtributio merè eſt ſpiritualis res, ita vt pertineat ad Epiſcopum priuatiuè, cùm alioqui nec ex iure poſitiuo, nec ex natura rei, & iure naturali ad ipſum pertineat, vt patet ex multis reſtitutionibus, quas priuatæ perſonæ faciunt in bonum ſpirituale aliarum ſine Epiſcopi conſenſu, nec obſtat, quòd in aliquo caſu ſpeciali requiratur authoritas Epiſcopi, quia non extendetur ad alios propter ſuam peculiarem cauſam, vt ſtatim dicemus. 29.

Secundò intelligi poteſt, an reuera in aliquibus caſibus authoritas Epiſcopi requiratur. Reſpondeo affirmatiuè cùm Doctoribus allegatis. 30.

Primus eſt, quando poſſeſſor moritur antequam bona illa incerta reſtituat pauperibus, & non relinquit hæredem, qui id exequatur, tunc ad Epiſcopum ex bono regimine pertinebit huiuſmodi diſtributio.

Secundus eſt, quando poſſeſſor non vult diſtribuere, vel malè diſtribuit, & res ſcita eſt, tunc enim ipſe diſtributor poſſeſſorque conueniri poteſt coram Epiſcopo, & ab ipſo pœnis cogi, vt authoritate Epiſcopi diſtribuat, & in hoc caſu militare poteſt ratio boni ſpiritualis animæ defuncti, de qua ſuprà egimus.

Tertius eſt, quando bona relicta ſunt ab vſurariis in teſtamento, in hoc enim caſu ex diſpoſitione ſpeciali iuris prædicta diſtributio Epiſcopis committitur. Ita Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 92. *verſ. dixi ſuprà regulariter.*

Nauar.

Tertiò

31. Tertiò intelligi poteſt, an poſſit Epiſcopus reſeruare ſibi hanc diſtributionem, ita vt peccatum ſibi reſeruatum ſi ea ſine illius authoritate, aut ſui Vicarij generalis diſtribuere aliqui negant. Pars tamen affirmatiua vera eſt, quam tenet Molina *tom 4. de iuſt. diſput.* 747. *num.*4. Toletus, Turrianus, Nauarrus, & Vaſquez *allegati*, imò poteſt id præcipere ſub cenſura. Et ratio eſt, quia ad Epiſcopum ſpectat curare, & procurare, ac ſolicitum eſſe de bono ſpirituali ſuorum ſubditorum, vt citiùs ab obligationibus peccati mortalis ſe expediant, ac exonerent, & vt de hoc ſibi conſtet, poteſt præcipere, vt qui aliquid inuenerit, cuius facta diligentia dominus ignoretur, ſi adhuc illud habet, & pauperibus non diſtribuit, teneatur illud Vicarij generalis, vel oppidani authoritate pauperibus diſtribuere, aut fabricæ Eccleſiæ applicare; itaque poteſt Epiſcopus habere cauſam aliam iuſtam ad hanc reſeruationem faciendam, & in eo caſu, quo illam habet, poteſt vti ſua poteſtate in bonum ſubditorum, ſicut poteſt in aliis.

Capvt XXII.

Agitur de bonis inuentis, quæ nunquam dominum habuerunt, & quæ dominum habuerint, vt theſauri & inuenta ordinaria.

Svmmarivm.

Res inuentæ, aut ſunt gemmæ, & ambarum, quæ inueniuntur in littore, & nunquam habuerunt dominum; aut theſauri, quorum domini non reperiuntur; aut oues, boues, & animalia, quorum domini neſciri poſſunt; aut res aliæ ordinariè inuentæ. num. 1.

An res prioris generis, vt gemmæ, ambarum, & piſces Regij, vt balenæ in littore inuentæ ſint primi inuentoris, an ad Regem pertineant, & fiſcum illius. num. 2. *Refertur prima opinio aſſerens eſſe primi inuentoris, & occupantis.* ibid.

Refertur ſecunda opinio docens pertinere ad Regem, & iura Regalia. num. 3.

Iudicium authoris, & quid tenendum ſit in Regno Luſitaniæ. num. 4.

Quid de piſcibus magnis, & de balenis & ambaro in illarum viſceribus inuento. num. 5. 6.

Quid de theſauris. num. 13.

Quid de animalibus inuentis, quorum domini ignorantur ad quem pertineant, ad Regem ne, an ad inuentores, & ſi pertineant ad Regem, an poſt latam ſententiam, an ante illam. num. 7.

Quid de aliis inuentis ordinarijs. num. 8.

Inuenta ordinaria rerum inanimatarum, an ſint primi inuentoris, etiam diuitis, ſi illorum domini ignorantur, an ſint reſtituenda pauperibus. Refertur prima opinio aſſerens poſſe retineri ab inuentoribus, ſi facta diligentia domini non appareant. num 9.

Præfertur ſecunda aſſerens reſtituenda eſſe pauperibus. num. 10.

Quid ſi inuentor ſit pauper, an tunc ipſe ille ſibi poſſit applicare. num. 11.

Quid ſi bona inuenta, ſint res Eccleſiæ, aut naufragantium. num. 12.

Quid ſi ſit theſaurus, & quomodo definiatur; ſi quis illum inueniat in agro ſuo de iure communi eſt ipſius inuentoris, dummodo interueniat realis apprehenſio; de iure naturæ eſt primi inuentoris, ſiue in agro ſuo, ſiue in alieno reperiatur. num. 13. & 14.

Quid ſi inueniatur ab emphyteuta, aut feudatario in agro emphyteutico, aut feudali. Refertur prima opinio docens eſſe de iure communi ipſius emphyteutæ, & feudatarij inuentoris. num. 15.

Refertur ſecunda docens diuidendum eſſe inter dominum directum & emphyteutam, aut feudatarium inuentorem. num. 16. *In hanc opinionem inclinat Author. ibid. ad finem. At tunc dimidium debetur emphyteutæ ratione inuentionis, & alterum dimidium diuidendum eſt inter ipſum emphyteutam, & dominum directum, quia vterque eſt dominus, alter vtilis, & alter directus, & ideo tres partes tunc ad emphyteutam inuentorem pertinebunt, vt dicemus.* num. 18.

Si quis data opera & ex conſulto theſaurum quærat in alieno agro ſine licentia domini ipſius agri, totus theſaurus pertinet ad dominum agri; ſi caſu fortuito inueniat, diuidendus eſt inter inuentorem, & dominum agri de iure communi. num. 17. *Si data opera inueniat illum emphyteuta in agro emphyteutico, dimidia pars ad illum pertinet ratione inuentionis; altera dimidia ad dominum directum.* ibid. *Quid ſi arte magica, aut modo illicito inueniatur.* num. 32.

Si extraneus theſaurum fortuitò inueniat in agro habente duos dominos, alterum directum, alterum vtilem, dimidium eſt inuentoris, alterum dimidium diuidendum eſt inter dominum directum, & vtilem. num. 18.

Refertur quædam opinio probabilis, quæ docet ſi extraneus caſu fortuito inueniat theſaurum in agro habente duos dominos, æqualiter diuidendum eſſe inter inuentorem, & dominum vtilem; & nihil in eo habere dominum directum, & idem quando inuenitur ab ipſo emphyteuta, totus enim tunc in iſta opinione pertinet ad ipſum emphyteutam dimidium ratione inuentionis, dimidium ratione dominij vtilis ipſius agri. num. 19.

Quid ſi dominus directus theſaurum inueniat in agro emphyteutico. num. 20.

Mvlta ſunt, quæ furto non auferuntur, quorum tamen retentio eſt iniuſta, & ideo eorum poſſeſſores illa reſtituere tenentur, vel veris dominis ſi comparuerint, vel pauperibus, & operibus piis ſi non comparuerint, qualia ſunt inuenta, vt iam ſuprà tetigimus *in cap. præcedenti.* Res autem inuentæ ad quatuor capita reuocari poſſunt. 1. *De rebus inuentis.*

In primo continentur res, quæ nunquam habuerunt dominum, vt gemmæ inuentæ in littore, vel in terra, ambarum, & alia ſimilia in mari nata, aues, beſtiæ, feræ, piſces in maris littore inuenti, & aliæ feræ ſimiles pretioſæ, quæ in iis ſyluis inueniuntur, quæ domino carent, & ſub nullius ſunt cuſtodia. *Genus primũ.*

In ſecundo continentur res quæ aliquando habuerunt dominum, ſed ex longa temporis intercapedine, vel quia ab eo perditæ ſunt, vel quia depoſitæ ſunt in aliquo loco, cenſentur iam non habere dominum, theſauri, nomine enim theſaurorum non intelligitur quæcumque pecunia in terra, aut parietibus abſcondita, cuius dominus facilè ſciri poteſt, ſed intelligitur pecu- *Genus ſecundum.*

nia à domino ignoto per longiſſimum tempus, & ſuper hominum memoriam repoſita, quæque ideo perdita cenſetur, vel perditus dominus illius.

Genus tertium. In tertio contineri poſſunt oues, boues, capreæ, iumenta manſueta, & res aliæ animatæ, quæ inueniuntur, & quorum dominus neſciri poteſt.

Genus quartum. In quarta continentur res inanimatæ ordinariè inuentæ, quæ ex circumſtantiis loci, & temporis, in quibus inueniuntur, creduntur probabiliter dominium de proximo, vel de præſenti habere, tamen omnino ignoratur, nec facta bona diligentia agnoſci poteſt, & per huiuſmodi res omnes diſcurremus, & videbimus quatenus illarum inuentores, & poſſeſſores teneantur, vel non teneantur illas reſtituere, & quibus perſonis reſtituendæ ſint.

2. *Res prioris generis ad quem pertineant.* Et verò ſi loquamur de rebus prioris generis, vt de ambaro, & lapillis inuentis in littore, & de balenis, & aliis piſcibus, aut feris, quæ nullum vnquam habuerunt dominum, partita eſt opinio.

Opinio prima. Prima docet eſſe primi occupantis, atque inuentoris, & in illis quemlibet ſuccedere diligentiorem, & feliciorem: ita docet Fumus *verb. inuentum, num.* 1. Gutierrez *lib.* 2. *quæſt. canonicarum cap* 9. *num.* 2 Rodriguez *in ſumma cap* 197. *num.* 1. & conſtat ex *cap. ius naturale*, & ex *cap. ius gentium*, *diſt.* 1. & ex *cap dilectiſſimis* 12. *quæſt.* 1. & ex *l.* 1. *ff. de acquirend rerum domin.* ex § 1. & §. *ſingulorum*, & §. *lapilli*, & §. *feræ. Inſtit. de rerum diuiſione* Et ratio eſt,

Fumus. Gutier. Rodrig.

Primò, quia quæ in nullius bonis ſunt, occupanti conceduntur. *l* 3. *in principio. ff de acquir. rerum dominio.* Bartol. *ibi*, & Ripa latiſſimè *in l. rem, quæ nobis, ff de acquir. poſſeſſ. num* 34. Sed huiuſmodi res in nullius vnquam dominio fuerunt; ergo ſunt primi occupantis.

Bartol.

Secundò, quia ſi huiuſmodi res ad aliquem pertinerent, ad Reges, ac Principes pertinerent; ſed ea, quæ in maris littore inueniuntur, non pertinent ad bona regalia, vt patet ex noſtris ordinat. nouis *lib.* 2. *tit.* 26. ergo ad Reges etiam ac Principes non pertinebunt, ac proinde primi inuentoris, & occupantis erunt.

Tertiò, quia nullibi inuenitur in foralibus Regni huius Luſitani hoc tributum expreſſum; ergo non debetur, quia tributa non debentur niſi expreſſi inueniantur, vt eſt textus expreſſus *in l. finali*, *C. vectigal. noua reſtitui non poſſe*, & facit notabilis ordinatio, *l.b.* 2. *tit.* 27. *in deciſ. primi caſus.* Poſſunt tamen in hac opinione, quæ eſt communior Reges, & Principes ob iuſtam cauſam concedere priuilegium aliquibus, vt lapilli, reſque in littore inuentæ illorum ſint tantùm, & non aliorum, quia cùm huiuſmodi res ſint iure gentium communes, propter bonum commune, poſſunt illas concedere alicui, vel aliquibus in particulari; per huiuſmodi tamen priuilegium non priuantur omnino alij inuentores iure inuentionis, quia tunc non manent obligati in conſcientia ad reſtitutionem illarum, quia in eo priuilegio tantùm præcipitur iudicibus, & Prætoribus, vt puniant inuentores, & conſentiant, vt alij inuentores eas habeant; ita docet Rodrig. *in ſumma cap.* 147. *num.* 1.

Rodrig.

3. *Opinio ſecunda.* Secunda docet tam ambarum, quàm piſces regios, hoc eſt, admirandæ magnitudinis, lapilloſque in littore inuentos ad Regem, ac Principes, itaque Regalia pertinere. Et pro illa hæ faciunt rationes.

Primò, quia littora maris in Regno noſtro Luſitano pertinent ad Regem ſaltem de conſuetudine, vt ſtatim *num.* 5 dicemus: ergo & quæ in eis inueniuntur, ad Regem etiam pertinebunt, iuxta Angelum *in* §. *item lapilli*, *Inſt. de rer. diuiſione*, quod patet manifeſtè ex *cap.* 94 regiminis gazæ Regiæ.

Secundò, quia balenæ, & alij piſces magni, ſeu regales, ad Regem pertinent, quandoad littus alliduntur, vt patet in noſtro Regno Luſitaniæ ex forali Citubalenſis oppidi, & ex forali Regni Algarbiorum, & ambarum nihil aliud videtur, quàm vomitus balenarum; ergo ſi balenæ quando in littore inueniuntur, ad iura regalia, & Regem pertinent, conſequenter etiam ambarum pertinebit.

Tertiò, quia ſi aliquis horum piſcium in littore inueniatur, Regi applicatur, & ſtatim quæſtores, & prætores Regij tanquam iura regalia ea ad Regiam coronam applicant, vt contingit olim in Regno Algarbiorum in oppido Albofeira, & in inſula Sancti Michaëlis, & in inſula tertia, & in Africa in oppido Arzilenſi eo tempore, quo ſub ditione Regis Luſitanorum erat, vbi à Regiis quæſtoribus petebatur quinta pars ambari inibi reperti, & prouentus horum piſcium, & idem eſt de lapillis & feris Regiis, quæ nullius vnquam domini fuerunt, petebatur, inquam, hæc quinta pars iuxta forale regiminis gazæ Regiæ *cap* 94. vbi hoc expreſſum habetur.

Quartò, quia noſtra ſunt ea, quæ ex noſtris animalibus procreantur, vt habetur *in* §. *ea quæ, Inſtitut. de rerum diuiſione*, docet Angelus *in* §. *item lapilli*, *eodem titulo*, ideoque partum quis habet eo iure, quo habet & matrem, partus enim ſequitur matrem, Bartolus *in l. ſi quis ex Pamphila*, *ff. de legatis* 2. Tandem quia augmentum rei cenſetur eiuſdem naturæ cum re, *l. etiam*, & *ibi*, Bartolus, & DD. *C. de iure dotium.* Angelus *l. ſi ex toto*, *ff. de legatis* 1. & acceſſorium ſequitur principale, *l ſi etiam* §. *qui iniuriarum ff. ſi quis cautionibus.* Angel. Bart. Angel.

Ita habent huiuſmodi opiniones; nihilominus, vt refert Cabedo 2. *part. deciſione* 48. *num* 9. ter, quaterve in ſenatu Regio Luſitano pro priori opinione iudicatum fuit, ambarum ſcilicet in littore inuentum nequaquam ad Regem pertinere, nec ex illo quintam partem Regiæ gazæ deberi, ita deciſum fuit in proceſſu Procuratoris Regiæ coronæ contra Michaelem Gondiſaluium anno Domini 1558. inſulæ Tamaracenſis in regione Braſilica repertorem non exiguæ quantitatis ambari in littore eiuſdem inſulæ. Et in alia cauſa de alio ambaro inuento in littore Cetubalenſis oppidi in proceſſu eiuſdem fiſcalis Regiæ Coronæ contra Franciſcum Mendezium eiuſdem Cetubalenſis oppidi eodemmet anno. Et tandem in alio proceſſu Domini Emanuëlis Maſcareniæ præfecti arcis Arzilenſis in regione Africanæ contra Simonem Valaſcum anno Domini 1544. Nec argumenta pro ſecunda opinione facta conuincunt, non enim ex eo quòd maris littora ad Regem pertineant, & Regis ſint, ſequitur, quòd omnia in illis inuenta Regis ſint; nec item ex eo quòd balenæ, & alij magni piſces ſint regales, & ad iura regalia pertineant, quod negamus, vt ſtatim patebit, ſequitur, quòd ambarum ex illis euomitum Regis ſit, nam licèt acceſſorium 4.

ceſſorium ſequatur principale, & augmentum pertineat ad rem, cuius eſt augmentum, id quidem verum eſt quando acceſſorium eſt inſeparabile à principali, & quando augmentum eſt intrinſecum etiam, & inſeparabile à re cuius eſt augmentum, & cum ea creſcit ac minuitur; at ambarum eſt quid ſeparatum ab ipſa balena, cùm ſit vomitus illius, & eſt quid ita extrinſecum, vt ab illa, vt patet, euomatur. Nec refert etiam quod in libro regiminis Regiæ gazæ *cap.94.* habeatur quòd balenæ, lapilli, & ambarum inuenta ad Regiam gazam pertineant, nam hoc fundamentum habet in conſuetudine, quam Regij miniſtri pro ſe allegare ſolent, non in iure, quam conſuetudinem, an legitimè ſit introducta, ſtatim examinabimus. Nec quartum argumentum vim habet, quia verum eſt, vt ea quæ ex noſtris procedunt, noſtra eſſe, deberent tamen authores contrarij probare balenas (ſi verum eſt, quòd ambarum ab illis procedat) dum adhuc in libero mari procreantur, ac gignuntur, ad Regem pertinere, nam ambarum in illis gignitur, in mari cùm adhuc ferinæ, ac belluinæ ſunt naturæ, & ſub nullius hominis dominio conſtitutæ, vt patet. Vltimum argumentum iam ſolutum eſt in primo.

5. Cabed. Addit tamen Cabedo *dicto 2.part. deciſione 48. num.8.* ambarum quidem in littore inuentum primi occupantis, & inuentoris eſſe (& idem diceret de lapillis:) at balenæ, quæ inueniuntur, in littore, ad Regem pertinere pro quinta illarum parte; balenæ enim & piſces Regij (hoc eſt) admirandæ magnitudinis, cùm ad littus alliduntur ad Regiam gazam pertinent, ex antiquiſſima Regni noſtri Luſitani conſuetudine, & conſequenter ambarum quod ex ventre balenæ repertæ in littore extrahitur, ad Regem etiam pertinere, quia eſt pars balenæ intrinſeca, illique vnita, & incorporata, & ideo eius eſt cuius eſt corpus, quòd autem balenæ, vt piſces regales, ad Regem pertineant, patet, inquit Cabedo *ex dicto cap 49. libri regiminis Regiæ gazæ.* Et confirmari poteſt hæc opinio Cabedi, quia à principio cum Reges Luſitani Regnum legitimè occuparunt, & bona Regni vaſallis diſtribuerunt, theſauros ſibi, & ambarum, lapillos, & regales piſces in littore inuentos reſeruarunt, atque adeò non ſolùm ex conſuetudine, ſed ex pacto & iuſtitia, hæc omnia ad Regem pertinere.

6. Sed durum hoc mihi ſemper viſum fuit. Non negamus potuiſſe Reges hæc omnia inuenta in pactum ſibi ab initio cùm Regnum diuiſerunt deducere; dubitamus tamen an de facto hoc ita factum ſit, & hoc debuerant contrarij probare: nec conſuetudo, quam pro ſe adducunt, ita firmat illorum opinionem, vt illam indubitatam relinquat, quia conſuetudo iſta videtur introducta metu, & eodem metu, & vi ſuſtentari, nec enim moribus vtentium approbata eſt, imò facto ſemper inuentores reclamarunt, & eſt contra ius commune, & gentium, quòd hæc omnia inuenta, quæ nunquam habuerunt dominum, primo occupanti, ac inuentori tribuit: & ita in ſimili caſu, aut quaſi ſimili, hoc eſt, in inuentione
Rebel. theſaurorum, docet Rebellus 1. *part.q.15.ſect.2.*
Armil. *num.15.* & Armilla *verb. inuentum, num.2.* quare tuta conſcientia, ea poterunt inuentores retinere iuxta primam opinionem.

7. Similiter oues, boues, capreæ, armenta, & iumenta manſueta, & res aliæ animatæ, quæ inueniuntur, & quarum dominus poſt factam diligentiam ſciri non poteſt, iuxta ius Luſitanum in nouis Ord. *lib 2. tit.26.* ſunt Regis, & illi reſtituendæ ſunt, aut illius publicanis, qui ius hæc animalia colligendi locatum habent, & hæc dicitur lex *de inuento*, & corrupto vocabulo *lex venti.* Dubitant tamen DD. an illorum inuentores teneantur in conſcientia ante vllam ſententiam latam hæc inuenta regijs publicanis reſtituere, cùm primùm poſt factam diligentiam, illorum domini non apparent, quidam affirmant, inter quos eſt Gutierrez *lib.2 quæſt. canonicar. cap.9. num.19.* loquens de iure Regni Caſtellæ, in quo ſimiliter eadem lex datur, vt ſtatim patebit, eo ductus fundamento, quia lex hæc eſt iuſta, & quia ita conſuetudo habet, & denique, quia cùm omnia bona Regni fuerunt per Reges à principio vaſallis ſuis diſtributa, potuerunt Reges hæc ſibi, & theſauros inuentos reſeruare. At credunt alij (& veriùs) hæc etiam inuenta, ſi poſt factam diligentiam illorum domini non apparent, diſtribuenda eſſe pauperibus, iuxta tacitam mentem propriorum dominorum, vt diximus in capite præcedenti, & ſimiliter poſſe ea ipſos inuentores, ſi pauperes ſint, ſibi retinere; noſtra enim lex non obligat in conſcientia, niſi poſt latam ſententiam: conſuetudo autem non valet, quia nunquam fuit vtentium moribus confirmata, ſed per violentiam introducta, & obſeruata, & eſt contra ius Canonicum, quod abſolutè diſponit bona incerta eſſe pauperum, & ita docet Paludanus Palud.
in 4. quem ſequitur & citat Armilla *verb. inuentum, num 2.* & Petrus Nauarra *lib.4. de reſt.cap.2.* Armil. P.Nauar.
num.82. loquens ſpecialiter non de omni inuento, *ſed de los monſtrenços*, quæ ſunt res animatæ, ſeu animalia erratica, & perdita, quorum dominus facta debita, & morali diligentia non apparet, de quibus modò loquimur, & affirmat ipſe Nauarra ea non deberi in conſcientia Regi, nec eius publicanis, niſi poſt latam ſententiam, & ita intelligendam eſſe *legem 6. titul.13. nouæ recopilationis Regni Caſtellæ*, quia leges ciuiles, quæ de his animalibus, & rebus animatis inuentis loquuntur, non præcipiunt, vt ante latam ſententiam reſtituantur. Ego ſententiæ Nauarræ ſubſcribo, cùm eadem omnino ratio procedere videatur in rebus animatis, & non animatis inuentis, quando domini illorum facta diligentia ignorantur, & quia ius Canonicum, vt vidimus *capite præcedenti*, abſolutè diſponit, omnia bona incerta, quando illorum domini facta diligentia, non apparent, diſtribuenda eſſe pauperibus, & quando ius ciuile diſponit aliquid contra ius Canonicum, præualet ius Canonicum, ſi in fauorem animarum aliquid diſponat, vt videre eſt in *cap. cùm tu, de vſuris*; hæc autem animalia inuenta, magis accedunt ad bona incerta, quàm ad alia.

De aliis inuentis ordinariis rerum inanimatarum iam diximus *cap. præcedenti*, reſtituenda eſſe pauperibus, quando illorum dominus facta diligentia non apparet; ſed quia *ibi à num.17.* id tantùm obiter tetigimus, nunc altiùs rem tractabimus. Dubitant ergo aliqui num bona prædicta inuenta inanimata, vt pecuniæ, veſtes, aurum & argentum, & ſimilia poſſint retineri ab inuentoribus, an reſtituenda ſint pauperibus, an Regibus, & eorum miniſtris, & publicanis. Et verò quòd non ſint hæc bona regalia, nec Regibus, aut illorum publicanis reſtituenda, penè certum eſt, 8.

quia nullum ius ciuile hac de re extat, ſolùm enim leges Luſitaniæ, & Caſtellæ loquuntur de bonis animatis, vt de animalibus perditis, & erraticis, vt vidimus numero præcedenti, & quid de illis tenendum ſit, *ibidem* diximus.

9. *De rebus inanimatis duplex opinio.*

An autem bona iſta inanimata reſtituenda ſint pauperibus, ſi poſt factam diligentiam illorum dominus non inueniatur, an poſſit retineri ab ipſis inuentoribus, etiam diuitibus, eſt duplex opinio.

Prima. Sotus. Aragon. P. Nauarr. Rodrig. Sayrus. Maldet.

Prima docet poſſe tuta conſcientia retineri ab inuentoribus, etiam diuitibus ſine obligatione reſtituendi ea pauperibus. Ita Sotus *lib. 5. de iuſtit. quaeſt. 3. art. 3. ad 2.* Aragonius *2. 2. quaeſt. 62. art. 3.* Petrus Nauar. *lib 4. de reſt. cap. 2. dub 9 num. 75.* Rodriguez *in ſumma part. 2. cap. 41. concluſione 3.* Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 3. à num. 28.* vbi alios refert, & probabilem iudicat Maldetus *tract. 4. cap. 4. dub. 3. in principio.* Fundamentum illorum eſt, quia hæc inuenta de iure naturali non debentur pauperibus. Deinde nec de iure poſitiuo canonico, aut ciuili, nec de conſuetudine, & alioqui titulus inuentionis eſt iuſtus, & ſufficiens ad acquirendum dominium in rebus; ergo tuta conſcientia retineri poſſunt ab inuentoribus etiam diuitibus, & abundantibus, quamuis magis pium ſit ea pauperibus diſtribuere.

Secunda. Molina. Rebell. Leſſius. Turrian. Azor. Couarr. Malder. D Thom. Gutier. Syluester. Nauar. Armil.

Secunda ſententia verior, & probabilior, & tenenda, & ferè communis, docet, teneri inuentores ea reſtituere, ac diſtribuere pauperibus, & ſolùm poſſe ea ſibi retinere, ſi ſint pauperes, & bona ſint exigua; ſi verò ſint magna, ſolùm poſſe de illis retinere tantam, quantam portionem aliis pauperibus eiuſdem ſecum qualitatis darent, vt diximus *in cap præcedenti num. 15* hanc tenet Molina, vt *ibidem* diximus *num. 19. tom. 4. diſp. 749. § cùm communi tamen.* Rebellus *1. part. lib. 1. q 12. ſect. 1. num. 13.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 14. dub. 7.* Tuttianus *2. 2. diſp. 42. dub. 2.* Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 27. §. at primò* Conarr. *ad regulam, peccatum part. 3. §. 1. & 2.* Malderus *tract. 4. cap. 4. dub. 3. §. ex qua.* gloſſa *in regula, peccatum, verb reſtituatur.* D. Thom *2. 2. quaeſt. 62. art. 5 ad 3.* Guttierrez *lib. 2. quaeſt. canon. cap. 9. num. 9.* Syluester *verb. reſtitutio 3. quaeſt. 1.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num 92. & 171.* Armilla *verb. inuentum, & verb. reſtitutio, num. 20.* & communiter omnes. Et ratio eſt

Primò, quia eadem eſt de huiuſmodi bonis inuentis ratio, atque de bonis incertis, quorum domini poſt factam diligentiam ignorantur, ſed de illis diximus, & probauimus *cap. præcedenti n. 12.* reſtituenda eſſe de iure naturali pauperibus; ergo hæc etiam iiſdem pauperibus reſtituenda ſunt.

Secundò, quia maximè fauet huic parti ius ciuile, diſponit enim *in l. omnes peregrini, C. de ſucceſſ* bona peregrinorum qui in hoſpitalibus moriuntur, applicanda eſſe ipſis hoſpitalibus, quia hoſpitalia ſuccedunt loco hæredum ipſorum peregrinorum; nam ſicut in eo caſu interpretatur ius voluntatem defunctorum in bonum illorum, ita illa interpretatio militat in noſtro caſu, in quo dominus rei quando facta diligentia reperiri non poteſt, pro mortuo reputatur.

Tertiò, quia nemo negabit hanc eſſe voluntatem eorum, quorum hæc bona fuerunt, & ſunt, vt ſcilicet illis non comparentibus pro illorum animis diſtribuantur pauperibus; ſi verò aliqui non ſint capaces huius boni, & ſubſidij ſpiritualis, vel quia infideles erant, vel quia in manifeſto peccato obierunt, id per accidens eſt, vt ſæpe diximus, nullus enim eſt tam barbarus etiam infidelis, qui nolit, vt iis bonis ſuis, quæ poſſidere non poteſt, potius miſeria proximorum pauperum ſubleuetur, quàm diuitum abundantia augmentum accipiat.

11. *Quid ſi inuentor ſit pauper.*

Dices, titulus inuentionis eſt titulus iuſtus ad retinendam eam rem, quia talia inuenta in eo caſu, quo non appareant domini illorum, applicari poterant à Principe ad aliquod opus pium; igitur cùm de facto non applicentur, nec à Summo Pontifice concedatur compoſitio circa inuenta, ſicut conceditur circa bona incerta, ſignum eſt, quòd titulus inuentionis reputetur iuſtus in his bonis, ſicut & in aliis, quæ ſunt primò occupantis, & habentur pro derelicto, hæc enim inuenta potius computanda ſunt inter bona pro derelicto, quàm inter bona incerta, ad illa enim magis accedunt? Reſpondeo titulum inuentionis iuſtum reputari, & eſſe ad retinenda bona inuenta, ſi inuentor ſit pauper, & à Principe ſæculari de licentia Summi Pontificis poſſe applicari ad aliquod opus pium, quia nomine pauperum quodcumque opus pium intelligitur, vt ſuprà diximus, & ſic iuxta mentem domini prædicti inuenti, cùm operi pio applicatur, pauperibus cenſetur applicari, non eſſe autem titulum iuſtum ad illa retinenda ſi inuentor ſit diues, neque hæc inuenta reputantur pro bonis, quæ habentur pro derelicto, quæ ſunt primò occupantis, ſed potiùs computantur cum bonis incertis, aut cum bonis quorum domini mortui ſunt; & nullum hæredem reliquerunt, quæ in opera pia, & in pauperes iuxta mentem defunctorum dominorum ſunt diſtribuenda. Et ideo non conceditur à Summo Pontifice circa illa compoſitio, ſicut conceditur circa bona incerta, quia cùm compoſitio applicetur etiam ad aliquod opus pium, cenſent Summi Pontifices hæc iam eſſe ex natura ſua prædictis operibus piis applicata, cùm ſint applicata pauperibus, & ad dicta ex mente dominorum, vt patet.

12. *Quid ſi bona inuenta, ſint res Eccleſiæ, aut naufragantium.*

Notandum tamen eſt non eſſe hanc doctrinam intelligendam de iis inuentis, quæ ſunt bona Eccleſiæ, aut naufragantium, quia bona Eccleſiæ ſunt reſtituenda alicui Prælato, vt ea alicui Eccleſiæ pauperi applicet: & verò circa bona naufragantium datur excommunicatio Bullæ Cœnæ lata in eos, qui illa animo non reſtituendi vſurpant. Solùm hîc dubitari poteſt, an quando religioſus aliqua bona inuenit, poſſit ea præmiſſa diligentia non comparente domino, monaſterio applicare; & reſpondendum eſt affirmatiuè, quia cùm Religioſus profeſſus ſit incapax dominij, non ſibi, ſed monaſterio acquirit.

13. *Theſaurus quid.*

Theſaurus ſic definiri poteſt: *Eſt vetus depoſitio pecuniæ, vel rerum mobilium, de quarum domino, vel occultatione, depoſitioneque nulla extat memoria*; ita patet ex *l. nemo, C. de theſauris, & §. theſauros, Inſt. de rerum diuiſione.* Inuentio theſaurorum multis modis contingere poteſt. Si quis illum primus inueniat in agro ſuo, vel domo ſua de iure communi eſt ipſius primò occupantis & inuentoris, dummodo interueniat realis apprehenſio illius, nec enim ſufficit ſola nuda inuentio, & hoc quidem de iure communi, vt patet ex *l. vna, C. de theſauris, lib. 11.* & ex *dicto §. Theſauros, Inſt. de rerum diuiſione* & docet Valaſcus *de iure emphyteutico, quaeſt. 15. num. 1. & 2.* Valaſc. Animaduertendum tamen eſt theſauros de iure naturali, & gentium eſſe primò inuentoris, & occupantis, ſiue in alieno loco, & agro inueniantur, ſiue in proprio.

prio. Fundamentum eſt. quia, quæ nullius ſunt, ſiunt primò occupantis, theſauri autem, cùm de illorum dominis nulla extet memoria, ſub nullius dominio exiſtunt: ita docet Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.1. dub.15. num* 58. Rebellus *2. part. lib.9. quæſt.5 num.1.* & Molina *tom.1. de iuſt. diſput.56. verſ. Paludanus, ad finem.* De iure tamen ciuili, & communi, veluti pro concordia circa inuentionem theſaurorum, multa ſtatuta ſunt.

Leſſius. Rebel. Molina.

14. *Nonnulla circa theſaurorum inuentionem.* Valaſc. Bart. Cynus.

Primò enim, vt dixi, ſtatutum eſt, vt ſi quis illum inueniat in agro ſuo, totus ſit ipſius primò inuentoris, occupantiſque, dummodo interueniat realis apprehenſio, ſeu occupatio, vt patet ex iure allegato, & docet Valaſcus item citatus, & Bartol. *in l.1. num.17. & 18 ff de acquir. poſſeſſ.* Cynus *in l.licet, num.6. ff. eodem titulo,* & plures alij, quos citat & ſequitur ipſe Valaſcus *ibid.*

15. *Quid ſi theſaurus inueniatur ab emphyteuta in agro emphyteutico.*

Si autem ab emphyteuta in agro emphyteutico, aut à feudatario in feudali fundo inueniatur, eſt duplex opinio.

Prima docet de iure communi pertinere totum ad ipſum emphyteutam, & feudatarium inuentorem, apprehenſorémque, & nihil pertinere ad dominum directum;

Opinio prima.

Primò, quia quando quis theſaurum aliquem in fūdo ſuo inuenit, totus cedit in vtilitatem ipſius inuentoris, & quia eſt inuentor, & quia in fundo ſuo inuenit, leges enim ciuiles deferunt theſauros eis, qui eos in loco ſuo inueniunt, vt conſtat ex *§. theſauros, Inſt. de rer. diuiſ. & l.vna, C. de theſauris, lib.11.* Emphyteutæ autem, & feudatarij agrum emphyteuticum, & feudalem ſuum dicere poſſunt ratione dominij vtilis, quod in illis habent.

Secundò, quia poſſunt prædicti emphyteutæ, & feudatarij in rem actione agere contra dominos directos pro fundo emphyteutico, & feudali, patet ex *l.1. in fine, ff. ſi ager vectigalis;* qui autem vindicationem rei habet, poteſt verè dicere rem eſſe ſuam. *l.ſolum, §. meum, & l.in rem, ff. de rei vendic.*

Tertiò. quia qui emphyteuſim poſſidet, excuſatur à ſatiſdatione danda pro ipſa emphyteuſi, quia ſuum poſſidet, *l.ſciendum, verſ.1 ff qui ſatiſd. cogan.* & hæc eſt apud Iuriſperitos communior opinio, & illam tenet Accurſius *§. theſauros, Inſt. de rer. diuiſione, verb. In ſuo.* Platea *ibi num.2.* Faber *num.1.* Portius & Iaſon *ibidem col.1. & 2.* Andr. Iſernia, & Aluarot. *in titulo, quæ ſint Regalia,* & alij multi, quos refert Valaſc. *de iure emphyteut. quæſt.15. num.1.*

Accurſius. Platea. Angel. Faber. Portius. Iaſon. Iſernia. Aluarot. Valaſc.

16. *Opinio ſecunda.*

Secunda docet pertinere prædictum theſaurum inuentum ab emphyteuta in agro emphyteutico, & à feudatario in feudali pro dimidia parte ad dominum directum feudi, & emphyteuſis, & pro altera dimidia ad ipſum emphyteutam & feudatarium inuentorem, ita docet Valaſcus *modò allegatus, §. ſunt tamen aliqui.* Speculator *de emphyteuſi, num.158. verſu 132.* Nauarrus *in ſumma cap.17. num.173. & ſequentibus.* Sà *verb. Theſaurus, num.1.* & alij, quos *ibidem* citat Valaſcus, idque probant ex duplici fundamento.

Valaſc. Specul. Nauar. Sà.

Primò, quia emphyteuta, & feudatarius æquiparantur in iure vſufructuario, vnde cùm vſufructuario non competat, nec etiam pro dimidia parte theſaurus à ſe inuentus in agro cuius eſt vſufructuarius, quia theſaurus non eſt vſusfructus agri, ita non competet emphyteutæ, vel feudatario. Sed hoc argumentum valdè infirmum eſt, quia licèt emphyteutæ, & feudatarij vſufructuarij ſint, plus tamen habent in agro emphyteutico, & feudali, quàm ſimplices vſufructuarij in agris, quorum vſumfructum habent, dominium videlicet vtile, & in morte finiturum ſicut finitur vſusfructus; quamobrem vis huius fundamenti ceſſat.

Secundum ergo fundamentum huius opinionis eſt, quia emphyteutæ & feudatarij non ſunt pleno iure domini feudi & emphyteuſis, ſed ſecundùm quid, ratione ſcilicet dominij vtilis, vt dixi, & ideo non veri, & proprij domini, vt patet ex *l.1. C. de vſufruct. §. Qui in perpetuum,* ibi, *Licèt domini non ſint, l.2. C. de mancip. & col. lib.11.* leges autem non deferunt theſauros integros niſi inuentoribus in loco ſuo propriè, & verè ſuo; quare cùm fundus verè, & propriè ſuus non ſit, melior, & æquior videtur opinio, vt pro ſuo vtili dominio dimidiam theſauri partem conſequatur, & alia dimidia domino directo deferatur. Ego in hanc opinionem inclino, propter fundamenta illius.

Dices ergo iuxta hanc opinionem, nihil emphyteutæ & feudatario ſuum dominium vtile prodeſt. nam ille, qui in alieno ſolo theſaurum inuenit, ratione ipſius inuentionis dimidietatem theſauri habet, & alteram partem dimidiam agri domino tenetur reddere, vt docent communiter DD. Leſſius *tom.1. lib.2. cap 5. dub.15. num.128.* Nauarrus *cap.17. num.175.* Caietanus *2.2. quæſt. 66. art.2.* Mercado *de contract. cap.15. num.128.* Rebellus *lib.1. quæſt. 15. ſect.2. num.12.* Valaſcus *de iure emphyteutico, quæſt.15. num. 1. §. ſunt tamen, ad finem,* & ſtatim illam ante vllam ſententiam tenetur reddere iuxta hos authores, quia hæc iuris diſpoſitio, quæ eſt *in l.vna, C. de theſauris, lib.11.* non eſt pœnalis, ſed definitiua proprietatis rerum; vnde ſi titulo inuentionis ei debetur dimidia pars theſauri inuenti in agro alieno, quid ei prodeſt inueniſſe illum in agro ſuo emphyteutico, nihil profectò. 17. *Obiectio.*

Leſſius. Nauar. Caiet. Mercado. Rebell. Valaſc.

Reſpondeo primò, vtile dominium, quod habet in eo agro, ad hoc ei prodeſſe, vt ſiue emphyteuta ipſe in eo agro emphyteutico, in quo habet dominium vtile, theſaurum illum caſu inueniat, ſiue data opera illum inibi quærat, & inueniat, ſemper ſuum faciat theſaurum pro dimidia parte; at verò ſi data opera, & conſultò in alieno agro abſque licentia domini illum quærat, & inueniat, totus theſaurus cedit domino ipſius agri, ſolùm enim ex diſpoſitione iuris illi dimidium inuenti theſauri debetur titulo inuentionis, quando fortuitò illum inuenit in alieno agro, & hoc ei prodeſt in hac ſecunda opinione ſuum vtile dominium, & ita docet, & animaduertit Valaſcus *de iure emphyteut. quæſt.15. num.1. ad finem.* *Reſponſio prima.* Valaſc.

Reſpondeo ſecundò, vtile dominium ad hoc ei prodeſſe, vt ſi alius extraneus theſaurum fortuitò inueniat in agro habente duos dominos, directum videlicet, & vtilem, dimidium ſit ipſius inuentoris, & alterum dimidium diuidendum ſit æqualiter inter illos duos dominos ipſius agri in opinione, quæ id expreſsè docet, & quam tenet Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.5. dub.15. num.61.* & Rebellus *1. part. lib.1. quæſt.18. ſect.1. num.16.* *§. vltimò*, qua opinione, quæ eſt valde probabilis (imò, & probabilior) retenta, dicendum conſequenter eſt, ſi dominus vtilis inueniat theſaurum in agro ſuo feudatario, aut emphyteutico, tres partes habere in prædicto theſauro inuento, & ſolam quartam reddere teneri ante illam ſententiam domino directo, dimidium enim theſauri inuenti ei debetur titulo, & iure inuentionis, vnde ſi alterum 18. *Reſponſio ſecunda.*

Leſſius. Rebell.

rum dimidium eſt diuidendum inter ipſos dominos, directum ſcilicet, & vtilem, cùm ipſe ſit dominus vtilis, retineri poterit dimidia pars huius dimidij, atque adeò ſi ipſe fuerit inuentor, tres partes ei cedent, & vna domino directo, & ita docet Leſſius & Rebellus *allegati*, & Sà *verb. Theſaurus, num.* 1.

Leſſius. Rebell. Sà.

19. Dixi *in opinione*, quæ docet dimidium theſauri inuenti in agro habente duos dominos, diuidendum eſſe inter ipſos dominos directum & vtilem, & alterum dimidium eſſe ipſius inuentoris extranei, quia ſunt multi, & non infimæ notæ authores, qui dicũt, ſi extraneus in fundo emphyteutico, vel feudali theſaurum inueniat, dimidium ipſius theſauri deberi inuentori, & alterum dimidium domino vtili, & nihil deberi domino directo, quia quando vtilis, & directus dominus ad idem concurrunt, aut quando habens directum dominium concurrit ad idem cum habente vtile, ſemper in iure præfertur habens dominium vtile, quod expreſsè docet Valaſcus *de iure emphyt. quæſt.* 15. *num.* 10. Portius *in dicto § theſauros, Inſt. de rer. diuiſione*, & *ibi* Angel. *num.* 2. & Bart. *in l. Procuratore ff. de procurator.* & alij. Verùm opinio Leſſij & Rebelli firmius fundamentum in ratione habet, vt de ſe patet.

Valaſc. Portius. Angel. Bart. Leſſius. Rebellus.

20. *Quid ſi inueniatur à domino directo in agro emphyteutico.*

Sed quid, ſi dominus directus theſaurum inueniat in agro in emphyteuſim tradito, aut in feudum? Reſpondeo retenta prima opinione *num.* 15. explicata, quæ docet dimidium theſauri inuenti in agro emphyteutico, vel feudali pertinere ad ipſum dominum vtilem, ſeu ad ipſum emphyteutam feudatariúmve, & alterum dimidium ad inuentorem, dicendum eſt, dominum directum ſolum habere dimidium theſauri inuenti, ratione & titulo inuentionis, & dominium directum nihil ei prodeſſe ad hoc, vt aliquid ratione illius habeat. In opinione verò ſecunda, quam ſecuti fuimus, & explicauimus *num.* 16. dicendum eſt conſequenter loquendo, tres partes eſſe ipſius domini directi inuentoris, vnam ratione dominij directi, duas ratione & titulo inuentionis; quartam deberi tantummodo emphyteutæ, ſeu feudatario ratione dominij vtilis, & ita docet etiam Sà, vt diximus *verb. Theſaurus, num.* 1. breuiter & clarè his verbis, ibi, *Quòd ſi duorum dominorum alter* (loquitur de domino directo, & vtili) *reperit, dabit alteri dimidium, ſeu potiùs dimidium dimidij, nam, vt repertor habet dimidium, & vt dominus dominij* (vtilis, vel directi) *alterius dimidium.* In opinione autem Valaſci, quæ docet concurrente dominium vtile habente, cum habente dominium directum, præualere habentem dominium vtile, dicendum erit maius aliquid deberi arbitrio prudentis habenti dominium vtile, quàm dimidiam partem theſauri inuenti ratione maioris, ſeu vtilioris dominij. Hæc de theſauro inuento in agro emphyteutico, & feudali, nunc ad alia loca veniamus, in quibus theſauri reperiri poſſunt.

Sà.

SVMMARIVM.

Theſauri inuenti in agro liberò ab emphyteuſi, & feudo, dimidia pars debetur inuentori de iure communi, altera dimidia domino agri quando caſu & fortuitò inuenitur. *num.* 21.

Si dedita opera inueniatur abſque domini conſenſu, totus eſt domini agri. *num.* 22.

Si de conſenſu domini, & dominus ſciebat conſenſum ſuum eò tendere vt theſaurus quæreretur, totus erit inuentoris. *num.* 23.

Quid ſi quando conſenſum à domino agri inuentor petiit, dominus autem id habuit pro deriſu, *num.* 24.

Quid ſi theſaurus inueniatur in loco publico, vt in via, in area publica, in vrbium ruinis, in mœnibus vrbium, *num.* 25. *Vtrùm poſſint Indi Occidentales priuari ſuis aureis argenteiſque fodinis ab Hiſpanis, eo quòd Gentiles ſint, & an poſt fidem acceptam poſſint, ibi num.* 25. *verſ. Deinde quia.*

Quid ſi inueniatur in loco ſacro. Refertur prima opinio aſſerens theſaurum inuentum in Eccleſiis publicis, aut cœmeteriis totum eſſe inuentoris, *num.* 16. *Refertur ſecunda docens diuidendum eſſe inter inuentorem, & Prælatum Eccleſiæ. Prima eſt probabilior, num.* 26. *Quid ſi inueniatur in Capellis, & Monaſteriis, quæ iure dominij ad aliquem dominum ſpectant, vel Religionem, ibidem.*

Quid ſi inueniatur in paſſalibus Eccleſiæ, *num.* 27.

Quid ſi in prædio dotali inuentus fuerit. *num.* 28.

Quid ſi in prædio locato, aut conducto. *num.* 29.

Quid ſi in prædio maioratus. *num.* 30.

In Regno Luſitaniæ cùm nihil ſtatutum ſit circa inuentionem theſaurorum ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis. *num.* 31.

De iure communi ſi theſaurus arte magica, aut modo illicito inueniatur totus ad fiſcum pertinet, numero 32.

Quid ſtatutum ſit de iure Regni Caſtellæ circa inuentionem theſaurorum. *num.* 33. & 34.

An de conſuetudine theſauri inuenti ad Principes pertineant. *num.* 35. & 36.

An iuſta ſit lex quæ ſtatueret theſauros inuentos totos ad Principes pertinere. *num.* 37.

Bona vacantia ad Regem in ſolidum pertinent, numero 38.

An licitum ſit emere agrum in quo ſcimus eſſe aliquem theſaurum domino agri non indicato theſauro, neque aucto pretio illo, num 39. *Refertur prima opinio affirmans.* *ibid.*

Refertur ſecunda negans, num. 40. *Prima eſt probabilior.* *ibid.*

DE illo, qui theſaurum reperit in agro alieno libero à feudo, & emphyteuſi, iam diximus, ſi caſu, & fortuitò inueniat, dimidiam partem de iure communi eſſe inuentoris, alteram dimidiam domini agri, patet ex §. *theſauros, Inſt. de rer. diuiſ.* & ex *l. vnica, C. de theſaur.* & hæc dimidia pars debetur domino fundi ante vllam ſententiam, quia hæc diſpoſitio iuris non eſt pœnalis, ſed definitiua proprietatis rerum, & ideo ante vllam ſententiam obligat. ita Leſſius *tom.* 1. *de iuſt lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 15. *num.* 58. & 59. Nauarrus *in ſumma cap.* 17. *num.* 175. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 2. Mercado *de contract. cap.* 15. *num.* 128. Sà *verb. Theſaurus, num.* 1. Rebellus *lib.* 1. *de oblig. iuſt. quæſt.* 15. *ſect.* 2. *num.* 12. Et communiter omnes, & Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 56. *verſ. Quod ſi.* 21.

De theſauro inuento in agro libero ab emphyteuſi & feudo.

Leſſius. Nauar. Caiet. Mercad. Sà. Rebellus. Molina.

Si dedita opera, & conſultò illum in agro alieno quærat, & inueniat abſque domini voluntate, totus eſt domini fundi; ſed non tenetur dare totum ante iudicis ſententiam, ſed dimidium tantùm, & alterum dimidium poterit retinere quandiu non feratur ſententia; poſt latam verò etiam hoc dimidium tenetur dare, quia iſta diſpoſitio eſt pœnalis ad puniendam iniuriam illatam domino fundi; damnum tamen ſi quod dedit 22.

Quid ſi dedita opera inueniatur, abſque domini conſenſu.

excauando tenetur reſtituere in conſcientia ante vllam ſententiam, ita authores allegati.

23. *Quid ſi de conſenſu domini.* Nauarr. Leſſius. Rebel.

Si de conſenſu domini illum in agro alieno quæſiſti, & inueniſti,& dominus ſciebat ad quid tandem tenderet conſenſus, totus erit tuus, niſi aliud in pactum deducatur. ita idem Leſſius *tom.1. lib.2.cap.5.dub.15. num.60.* Nauarrus *cap. 17. num.172.* Rebellus *allegatus, num.11.* & alij communiter. Ratio eſt,

Primò, quia volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, & ſolùm hæc dimidia pars illi ratione iniuriæ diſpoſitione iuris debebatur.

Secundò, quia per conſenſum viſus eſt ſuam partem libenter remittere,& condonare. Si tamen certò ſciebas ibi latere theſaurum,& fingas te nihil ſcire, tunc dominus ita deceptus non videtur liberè conſentire, & condonare ſuam dimidiam partem, & ideo teneris illam ei ante vllam ſententiam dare, ita Syluester *verb.Inuentum,quæſt.3. num.8.* Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.5.dub.15. num.60.* Molina *citatus,verſ.dubium eſt.* Ant.Gom. *ad l.45.Tauri,num.51.* (Syluester. Leſſius. Molina. Ant. Gom.)

24. *Quid ſi conſenſum à domino agri inuentor petiit, dominus autem id habuit pro deriſu.* Medin. Lopez. Rebell. Couarr.

Si quando facultatem à domino petiiſti, theſaurum domino indicaſti,& ille id habuit pro deriſu. Affirmat Medina *cap.14.num.31.*& Lopez *2. part.Inſt.cap.2.col.16.* poſt Bartol. quem *ibi* citat, totum fieri tuum.Negat Rebellus *lib.1.quæſt.15. ſect.2.num.12.*& citat pro ſe Couarruuiam *ad regulam,Peccatum 3 part.§.2.*ſed ſententia Medinæ videtur probabilior, neque enim ille deriſus dici poteſt licentia tacita, vel expreſſa, niſi aliis coniecturis, & adminiculis, quæ eam eſſe concedentis voluntatem indicent, adiuuetur.

25. *Quid ſi theſaurus inueniatur in loco publico.* Leſſius. Couar.

Si theſaurus in loco publico inueniatur,veluti in via,in area publica,in loco publico effoſſo,in vrbis mœnibus, totus de iure communi eſt inuentoris, non Principis, nec Reipublicæ. ita Leſſius *tom.1. lib.2.cap.5 dub.16.num.63.*Couar.*ad regulam,Peccatum, part.3. §.2. num.3.* citans pro ſe Baldum, Cynum, & alios. Et ratio eſt,quia Principes, & Reſpublicæ non ſunt domini horum locorum iure aliquo dominij ſpecialis,ſed iure dominij,iuriſdictionis, & authoritate diſponendi. Neque obſtat ius commune *in dicto §. theſauros, Inſt. de rerum diuiſione*, ibi, *Si quis in fiſcali loco,vel publico, vel ciuitatis theſaurum inueniat, dimidium erit fiſci, vel ciuitatis.* Quia per locum publicum ibi non intelligitur forus, area, vel platea publica, vel ſimilis alius locus, qui propriè nullius ſit, cùm ſit omnium vſibus deputatus. Sed intelligitur locus, quem Reſpub. vel Principes iure ſpecialis dominij poſſident, vt ſylua, Luſitanè *Coutada*, paſtus publici, domus, hortus, vt Leſſius & Couarruuias citati adnotarunt. Sed eſt hæc reſolutio contra Rebellum citatum, & alios affirmantes in vtroque loco publico de theſauro inuento deberi dimidium Principi. Quando tamen inuenitur in loco publico prioris generis,in quo Princeps ſolum habet ius dominij diſpoſitionis, nihil refert, quòd inuentor illum reperiat caſu, vel induſtria, in eo enim etiam caſu totus cedit inuentori, quia tunc nulli fit iniuria,quia quando locus eſt ita publicus,non cenſetur alienus,cùm ſit omnium vſibus deputatus: ita idem Leſſius *allegatus, num 64.* Neque obſtat quòd viæ publicæ dicuntur in legibus alicuius Regni eſſe Regis, & viæ Regiæ, ſunt enim illius iure dominij diſpoſitiui, & iuriſdictionis,vt diximus,non iure dominij ſpecialis. Deinde, quia, vt docet Emanuel Rodrig. *in ſumma cap.47. num.1. & 4.* ex iure gentium (Rodrig.) theſauri, lapilli in littore inuenti, & aurum repertum in fodinis, & terrarum venis, & alia ſimilia communia manſerunt incolis inuentoribus. Vnde *num.4.* hæc addit, *illicitum eſt aliis externis nationibus, quærere metallorum venas, quæ ſunt in externis Prouinciis, & nationibus, niſi volentibus, & conſentientibus illarum incolis, quia quamuis reſpectu incolarum prædictarum Regionum ſint hæc communia, attamen reſpectu gentis extraneæ communia non ſunt*; & ita docet etiam Sotus *lib. 2. de iuſt. quæſt.3.art.3.* Mercado *de contract.cap.15.* & Lud. Lopez *Inſtruct. conſc part.2. cap.1.* omnes citati à Rodriguez *allegato.* Vnde (Sotus. Mercad. Lopez. Rodrig.)

Inferunt huiuſmodi authores non potuiſſe Indos Occidentales priuari ſuis aureis argenteiſque fodinis,niſi illas pro derelictis haberent,quia erant domini illarum, & bellum Chriſtianis nondum intulerant, nec fidem quam nondum audierant, abiecerant, nec prædicatores verbi Dei ſpreuerant, quod poſtea fecerunt, nec illam Regionem vi, & armis à Chriſtianis, velut Mauri & Turcæ, acceperant. *Illatio prima.*

Inferunt ſecundò,nec etiam poſt conuerſionem illorum illis potuiſſe priuari, vt definiuit Ioannes XXII. ſiquidem ob ſusceptionem fidei peioris conditionis non manent, imò melioris, & definitio huius Extrauagantis locum etiam habet in Indis nondum conuerſis, vt notauit Rodriguez *allegatus.* *Illatio ſecunda.*

Inferunt tertiò, illicitum eſſe Hiſpanis & Luſitanis priuare Indos ad fidem conuerſos huiuſmodi argenteis aureiſque fodinis,niſi ipſi vim inferant prædicatoribus Euangelij, & fidem acceptam contemnant. *Illatio tertia.*

Si theſaurus inueniatur in loco ſacro, vel religioſo, eſt dubium ad quem pertineat. Et notandum eſt locum ſacrum dupliciter poſſe accipi. Primò pro loco ſacro communi omnino publico, vt Eccleſiæ communes, cœmeteria, &c. Secundò pro Collegiis, Monaſteriis, & Capellis, quæ iure ſpecialis dominij ab aliquo, vel aliquibus poſſidentur. Eſt igitur hac de re partita opinio. 26. *Quid ſi inueniatur in loco ſacro.*

Prima loquendo de prima ſpecie loci ſacri aſſerit theſaurum inuentum in Eccleſiis publicis, aut cœmeteriis totum eſſe inuentoris, hanc docet Leſſius *tom.1. de iuſt.lib.2. cap.5. dub.16.num.64.* & Roſella *verb. Furtum, num. 11.* Fundamentum huius opinionis eſt primò, quia Imperator Iuſtinian. *Inſt. de rerum diuiſione, § theſauros,* optimè nouerat conditionem loci ſacri, & tamen de omnibus confirmauit ius, *l.3. §.ſi in locis, ff. de iure fiſci*, diſponens theſaurum repertum totum eſſe inuentoris, vnde cùm ius Canonicum hactenus huic iuri non derogauerit,videtur ſeruandum.Secundò.quia Rectores & Priores loci ſacri, & Eccleſiarum videntur ſolùm ſpecialiter habere ius colligendi decimas, & alia iura parochialia, non enim ſunt domini illarum iure aliquo ſpeciali, de quo ad libitum poſſint diſponere;quare non videtur de illis eadem ratio ac de aliis dominis. *Opinio prima.* Leſſius. Roſell.

Secunda opinio,quam tenet Nauarrus *in ſumma Lat.cap.17.num.175.* & Rebellus *lib.1. quæſt. 15 ſect.2.* & Couarr.*ad regulam, Peccatum,part.3. §.2. num.3.* & Anton.Gomez *ad legem 45. Tauri, num.52.* & Molina *tom.1. de iuſt. diſp 56. verſ.dubium eſt,* & Syluester *verb. Inuentum,num.11.* docet diuidendum eſſet theſaurum,& dimidium eſſe inuentoris, & alterum dimidium Prælati, ſeu Prioris Eccleſiæ, & loci ſacri. Et fundamentum 27. *Opinio ſecunda.* Nauar. Rebell. Couarr. Gomez. Molin. Syluester.

illorum

illorum eſt, quia hodie Eccleſiæ hac in parte illorum eſſe cenſentur, qui eis præſunt. Ego inclino in primam ſententiam, quia reuera rationes illius fortiores videntur, quamuis hæc vltima opinio ſatis probabilis ſit propter authoritatem Doctorum qui illam tenent. Illud tamen animaduerterim, vt iam inſinuaui, hoc locum ſolum habere in locis ſacris communibus, quales ſunt Eccleſiæ, & cœmeteria; ſecus de Monaſteriis & Capellis, quæ iure dominij ſpeciali ab aliquo, vel à Religioſis poſſidentur in his enim locis inuentus theſaurus æqualiter diuidendus eſt inter inuentorem, & dominum loci, vt optimè notauit Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 5. dub. 15. num. 50.* Leſſius.

27. *Quid ſi in paſſalibus Eccleſiæ.* Sed quid ſi inueniatur in manſis, & paſſalibus Eccleſiæ? Et certè videbitur alicui idem dicendum eſſe de illis, atque de Eccleſiis publicis, & veluti nullius domini, quia ſunt inſeparabilia ab illis, & acceſſorium ſequitur principale, quando ab illo eſt inſeparabile, iuxta doctrinam communem, quam tradit Ripa *in l. 1. §. ſi quis ita, in fine, de verb. elect.* Socinus *in l. multa, ff. de condit. & demonſt.* quod multis exemplis confirmat Menochius *conſil. 16. num. 25.* Et eadem ratio videtur etiam eſſe de illis, atque de cœmeteriis, quæ etiam ſunt ſimiliter acceſſoria; dicendum tamen totum theſaurum inibi inuentum eſſe inuentoris, iuxta ea, quæ docet prima opinio *numeri præcedentis*, quam ibi ſecuti fuimus. Ripa. Socinus. Menoch.

28. *Quid ſi in prædio dotali.* Si theſaurus in dotali prædio inuentus fuerit, dimidium debetur domino fundi, dimidium inuentori, & licèt conſtante matrimonio pertineat ad maritum quoad vſumfructum, habet enim maritus conſtanti matrimonio vſumfructum bonorum dotalium vxoris; tamen ſoluto matrimonio, factòve diuortio, pertinet integrè ad vxorem; quare tenetur maritus eam dimidietatem vxori reſtituere ita docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 56. verſ. Porrò theſaurus.* Sà *verb. Theſaurus, num. 1.* deciditur expreſsè *in l. diuortio, §. ſi fundum, ff. ſoluto matrim.* Ratio eſt quia vt *ibidem* dicitur, theſaurus non computatur inter fructus agri, & licèt fructus dotalis conſtanti matrimonio ſit viri quoad vſumfructum, ſimpliciter eſt vxoris, & ita docet etiam alter Molina *de primog. lib. 1. cap. 23.* Molina. Sà. Molina.

29. *Quid ſi in prædio locato, aut conducto.* Theſauri inuenti in prædio locato, aut conducto, cuius aliquis vſufructuarius tantùm eſt, & neque dominium vtile, neque directum in eo habet; dimidium pertinet ad dominum agri, alterum dimidium ad inuentorem, & nihil ad vſufructuarium, aut locatorem. ita habetur *l. ſi is qui, ff. de acquir. rer. domin.* Ita docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 56. verſ. At quando is.* Valaſcus *de iure emphyt. part. 1. quæſt. 15. num. 1.* & alter Molina *de primog. lib. 1. cap. 23. num. 2.* Bartol. & alij, quos hi citant, colligiturque ex *l. diuortio, §. ſi fundum, ff. ſolut. matrim.* vbi eadem ratione dicitur theſaurum inuentum in fundo dotali, in quo vir habet vſumfructum, non ad virum, ſed ad vxorem pertinere, eo quòd theſaurus non ſit fructus fundi, nec cum fructibus fundi computetur. Molina. Valaſc. Bart.

30. *Quid ſi in prædio maioratus.* Theſaurus autem in prædio maioratus repertus, quoad illud dimidium quod domino prædij debetur, integrè pertinet ad poſſeſſorem maioratus pro eo tempore, neque tenetur ipſe quicquam ſucceſſoribus reſeruare. Fundamentum eſt, quia non eſt pars maioratus, neque fructus illius, imò potiùs ſtando in ſola diſpoſitione iuris naturalis, & gentium, totus futurus erat primò occupantis, quo fit, vt quod diſpoſitione iuris ciuilis poſſeſſori tunc, tanquam vero domino, fundi debebatur, nullum vinculum bonorum primogenij ſortiatur, ſed liberum omnino manet, de illo, ad libitum diſponere. ita vterque Molina Theologus *tom. 1. de iuſt. diſp. 56. verſ. Theſaurus verò in prædio.* Iureconſultus *lib. 1. de primog. cap. 23.* nam ſolùm bona maioratus, quoad redditus, & fructus vinculantur, Theſauri autem nec redditus, nec fructus ſunt talium bonorum. Molin.

In hoc Regno Luſitaniæ nihil ſtatutum eſt circa theſaurorum inuentionem, & ideo diſpoſitio iuris communis, de qua hactenus tractauimus in repetitione illorum obſeruatur, vt teſtatur Cabedo *in ſuis deciſionibus 2. part. deciſione* 48. vbi ait, circa hanc theſaurorum inuentionem iuxta diſpoſitionem iuris communis fuiſſe ſæpe iudicatum in Luſitania, quid de conſuetudine in ea dicendum ſit, ſtatim dicemus *num. 37.* 31. Cabed.

De iure ergo etiam communi, ſi theſauri arte magica ſacrificiis pudendis, aut alio quouis modo illicito, vel legibus damnato inueniantur, ad fiſcum ſpectant, etiamſi in agro proprio ab inuentore reperiantur: ita colligitur ex *l. vna. C. de theſauris, lib. 10.* & affirmat gloſſa *ibi*, & docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 56. initio.* Couarr. *ad regulam, Peccatum 3 part. §. 2.* Lopez *de contract. lib. 1. cap. 50.* Aragonius *2. 2. quæſt. 66. art. 5.* Nauarrus *in manuali Lat. cap. 17. num. 175.* Sà *verb. Theſaurus, num. 1.* Valaſcus *de iure emphyt. 1. part. quæſt. 15. num. 4.* & alij communiter; addunt omnes, legem iſtam eſſe pœnalem, & ideo non obligare niſi poſt latam ſententiam, & poſſe inuentorem tuta conſcientia theſauros inuentos retinere quoad vſque ſententia feratur: ſolus Molina aſſerit, ſi ante conſtitutionem iſtius legis prædicti theſauri inuenti tanquam vectigalia Regia ad fiſcum pertinebant, non videri hanc legem pœnalem, ſed diſpoſitiuam proprietatis rei, & ſic deberi fiſco Regio ante vllam ſententiam; planè res eſt adeò antiqua, vt difficile hoc conſtare poſſit; quare cùm in hoc puniatur peccatum in inuentione commiſſum, pœnalis ſimpliciter hæc lex videtur, & ita non debetur eius pœna, niſi poſt latam ſententiam, vt cæteri authores aſſerebant, quibus omnino conſentio. 32. Molin. Couar. Lopez. Aragoniu. Nauar. Sà. Valaſc.

De iure Regni Caſtellæ aſſerit Anton. Gomez *ad legem 45. Tauri, num 51.* vbi refert *leg. 8. tit. 12. lib. 6. ordinationum* ſancitum eſſe, deductis expenſis circa inuentionem theſaurorum factis tertiam partem inuentoris eſſe, reliquas duas ad Regem, & fiſcum pertinere, quòd ſi theſaurus in agro alieno inueniatur, aſſerit Antonius Gomez, tertiam illam partem diuidendam eſſe inter inuentorem, & dominum agri, modò theſaurus fortuito caſu inueniatur; nam ſi de induſtria reperiatur, aut arte magica, & illicita, vel prohibita, aſſerit totum pertinere ad dominum agri. Tandem poſtquam hæc aſſeruit, ſtatuit legem illam intelligendam eſſe ſolùm de metallorum venis, quas minas vocamus, non de theſauris, ſed circa theſauros ſtandum eſſe in Regno Caſtellæ diſpoſitioni iuris communis. 33. Ant. Gomez.

Molina tamen *tom. 1. de iuſt. diſp. 56. verſ. Couarruuias*, & idem Couarr. *ad regulam, Peccatum, part. 3 §. 2. num. 9.* refert *leg. 7. titulo 12. part. 6.* earumdem ordinationum Regni Caſtellæ aſſerentem quocumque in loco theſaurus reperiatur, ſolam quintam partem eſſe inuentoris; reliquas verò ad Regem pertinere, & nihil ad dominum loci, in quo theſaurus inuenitur, & addunt ita haberi 34. Molina. Couarr.

in

in antiquis ordinationibus manuſcriptis: in vulgatis autem,& impreſſis haberi quartam partem eſſe inuentoris, reliquas omnes Regis, & hoc poſteriori modo habet hodie, *l.* 1.*tit.* 13.*lib.*6. *nouæ collectionis*, cui eſt ſtandum. Hactenus egimus de inuentione theſaurorum de iure naturali, & gentium, de iure communi, de iure Luſitano & Caſtellæ; nunc de conſuetudine agendum.

35. Palud. D.Anton. Aragon. Paludanus *in* 4.*diſt.*15.*quæſt.*3.*art.*5. & D.Anton.2.*part.titulo* 1.*cap.*15.§.2.affirmant theſauros de conſuetudine vbicumque inueniantur, totos eſſe Principis,& hanc ſententiam probabilem putat Aragonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 1. Cùm verò in Regno Caſtellæ iuxta hanc communem conſuetudinem *lex* 1.*titulo* 13.*lib.*6.*nouæ collectionis* fuerit ſancita, in qua quarta tantùm pars inuentori tribuitur, & Regi reliquæ adſcribuntur, nulla de domino agri facta mentione in eo Regno,non eſt dubitandum nihil omnino domino prædicti agri deberi,nec mirum eſt,ſiquidem ſtando in ſolo iure naturali, & gentium, nihil illi debetur, & hæc lex diſpoſitioni iuris communis derogauit,vt optimè notat Molina *tom.*1.*de iuſt.diſp.*56.§. *Paludanus*, & nos diximus *num.*13.*huius capitis*. Molina.

36. Sotus. Sylueſter. Fumus. Medin. At verò Sotus *lib.*5. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.*3. & Sylueſter *verb.Inuentum, num.*13. & Polancus *in directorio*, & Fumus *verb. Inuentum*, *num.*2. & Medina *lib.* 1. *cap.* 4. *de reſt.* aiunt non eſſe hanc Paludani ſententiam ſequendam ex eo fundamento, quia conſuetudo illa non eſt introducta per modum legis, & ideo non poteſt obligare in conſcientia, ſed eſt introducta per modum violentiæ, vnde nunquam obtinuit, & ſi alicubi obtinuit, fuit per vim, & coactionem, atque adeò contra ius naturæ,& gentium introducta, & ideo non valet, quia conſuetudo, vt valeat, non debet habere principium coactiuum, ſed debet eſſe libera, & ſpontanea. Addunt etiam Sotus & Sylueſter contra iuſtitiam eſſe exigere Principem partem aliquam de theſauris inuentis,& idcirco conſuetudinem iſtam vim non habere in foro conſcientiæ, ſi alicubi introducta iam ſit.

37. Couarr. Molina. Meritò tamen Couarr. *ad regulam,Peccatum* 3. *part.*§.2. *num.*4. & Molina *tom.*1. *de iuſt. diſp.*56. *verſ.Sotus*, hanc Soti ſententiam impugnant,quia licèt ſtando in ſolo iure communi, & gentium, omnia ea inuenta,quæ domino carent, ſint primò occupantis, & inuenientis, nihilominus velut ius ciuile ſtatuere potuit, vt qui theſaurum in campo alieno reperiret,in vtroque foro ſoli,& poli teneretur dimidiam partem dare domino agri;qui verò illum de induſtria inueniret, teneretur eidem totum tribuere,vt ipſemet Sylueſter, & Sotus fatentur; cur etiam non poterit ſtatuere, vt ad ſuſtinendum pondus Reipublicæ theſauri deinceps inuenti pertineant integrè ad Regem,aut vt in illis certam aliquam portionem habeat,neque enim id quidem eſt ſtatuere aliquid contra ius gentium, aut naturale, ſed rationabile ex cauſa impedire,ne dominium theſauri inuenti ſit illius,cuius erat ſtando in ſolo iure gentium, aut naturæ, efficereque proinde,vt ſit alicuius alterius, maximè, quia de iure naturali tenentur Reges,& Principes defendere ſua Regna, & populos, & ad id poſſunt iuſta tributa imponere, ſi non habeant aliunde, vnde illa poſſint defendere; quare id tunc non eſt aliquid contra ius naturæ ſtatuere, ſed eſt potiùs mutare, ſeu commutare, eius obligationem ex iuſtiori, & potiori cauſa,ex hac materia, ſeu potiùs ex hoc loco in alium: id quod poteſt Reſpublica, & Principes iuſtiſſimè facere, ſicut poteſt efficere, vt venatio aliqua efficiatur illicita,quæ ſtando in ſolo iure naturæ, & gētium, erat licita, vt optimè probat Molina *tom.*1.*de iuſt. diſp.*43. Molin. Quare miror Sotum tam liberè improbare ſtatuta Principum, cùm nec facilè,nec ſine ſolidiſſimo fundamento improbanda ſint; ille verò, vt hoc ſtatutum improbet, nulli alteri fundamento innititur, quàm ei, quod refutauimus, & ita præter Molinam & Couarruuiam allegatos docent Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 175. Nauarr. & Caietanus 2.2. *quæſt.*66. *art.*5. *ad* 2. quatenus Caiet. affirmant in foro conſcientiæ circa theſaurorum inuentionem ſtandum eſſe diſpoſitioni legum ciuilium, quod planè non aſſererent, niſi exiſtimarent poteſtatem eſſe in Republica,ad applicandos theſauros inuentos iuſtiſſimis de cauſis alicui operi iuſtiori.

Neque obſtat quòd bona vacantia ad Regem in ſolidum nulla parte dempta pertineant, 38. *Bona vacantia ad quem pertineant.* quia theſauri inuenti non comprehenduntur inter bona vacantia, neque ad illa propriè pertinent, cùm diuerſus vtriuſque rei titulus in iure reperiatur; quando autem dubium eſt de qua re leges loquantur, titulus rubricæ explicat de qua materia ſint intelligendæ.

Ad pleniorem doctrinam huius rei dubitabis, 39. *Sententia prima.* an licitum ſit emere agrum, in quo ſcimus eſſe theſaurum, non indicato theſauro domino ipſius agri, nec aucto pretio illius. Partita eſt ſententia hac de re.

Prima affirmat,eam videtur tenere D.Thom.2.2. D.Thom. *quæſt.*66. *art.*5. quatenus innuit, eum, qui emit agrum, ſciens in eo latere theſaurum integrum, illum ſibi comparare,quod non diceret,ſi teneretur domino illius theſaurum indicare.tenet etiam expreſsè Sotus *lib.*5.*de iuſt.quæſt.*3 *ad* 2. Nauarrus *in ſumma Lat.cap.*17.*num.*175.Molina Theolog. *tom.*1. *de iuſt. diſp.*56. *verſ.dubium eſt deinde*, & *tom.* 2. *diſp.*333. *verſ. Illud obſerua.* Sylueſter *verb.Inuentum.* Rebellus 2.*part.lib.*9.*quæſt.*5.*n.*2. Sà *verb. Theſaurus, num.*2. Aragon.2.2.*quæſt.*66. *art.*1. Mercado *de contract. cap.*15. Rodriguez *in ſumma cap.*47.*num.*4. Lud. Lopez *part.*1.*inſtruct. cap.*1. hi omnes aſſerunt licitum eſſe domum emere,vbi ſcimus eſſe theſaurum, nec teneri emptorem id domino indicare, vel pretium augere. Fundamenta huius ſententiæ hæc ſunt. Sotus. Nauar. Molin. Sylueſter. Rebel. Sà. Arag. Mercado. Rodrig. Lopez.

Primò, quia dominus agri, prædij, vel domus nulla in re fraudatur, cùm theſaurus abſconditus nullius in bonis ſit, vt habetur §. *theſauros, Inſt. de rerum diuiſione.* Et hoc fundamentum eſt Rebelli & Leſſij *tom.*1. *de iuſt. lib.*2. *cap.*5. *dub.*15. *à num.*64. qui etiam hanc opinionem tenet. Rebell. Leſſius.

Secundò, quia quando fundus venditur,ſolùm emitur,& venditur id quod in eo fructiferum eſt, atque adeò ipſa ſoli ſuperficies,quæ eſt fructifera; theſaurus autem non eſt fructus agri,neque inter fructus computatur.

Tertiò, quia quamuis dominus agri prohibere poſſit in eo fodere, ſicut & venari, nihilominus ſtando in iure gentium, & naturali theſaurus latens non eſt domini agri,ſed inuentoris,& quamuis hæc ratio vim non habeat in metallorum venis, quarum dominium ad agrorum dominos ſpectat, vt doctè probat Molina tom. 2. *de iuſt. diſputat.* 354. Molin. id tamen de illis dicendum erit propter rationem Soti aſſerentis ſolam ſuperficiem agri, quæ ordinariè eſt fructifera, emi, & vendi.

Quartò,

Quartò, quia ſi ille, qui ſcit in alieno agro latere theſaurum, teneretur domino agri id indicare, cùm illum emit, ſic etiam ille, qui ſcit in alieno agro latere pretioſiſſimas herbas, teneretur illarum præſtantiam domino manifeſtare, antequam emat, hoc eſt falſum; ergo & illud. nam id felicitatis eſt ſcientiæ alicuius herbolarij, & nemo propter ſuam ſcientiam debet fieri deterioris conditionis; fieret autem deterioris conditionis ille, qui hoc ſciret, ſi teneretur id domino indicare, cùm ob id cogeretur maiori pretio emere, quàm quicumque alius, qui eam ſcientiam non haberet. Et tandem hæc opinio habere videtur pro ſe dictum Chriſti Domini *Matth.* 13. abſolutè dicentis, *Simile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem cùm inuenit homo, &c.* Vbi Chriſtus Dominus aſſerit poſſe prudentem hominem agrum illum emere, & nihil aſſerit de augmento pretij, aut de indicatione theſauri.

40. *Sententia ſecunda.* Secunda negat. Primò, quia plus valet domus, vel prædium ratione latentis theſauri, quàm ſine illo, vnde ſi dominus ſciret, multo pluris venderet, ac proinde genus quoddam fraudis, & doli videtur ille committere, qui prædium, vel domum emit, non aucto pretio, aut indicato theſauro, & conſequenter ratione doli, & fraudis videtur ad reſtitutionem obligari in conſcientia, & ante vllam ſententiam. Nec dictum Chriſti Domini fauet contrariæ ſententiæ, cùm ſolùm dicat poſſe ſcientem agrum illum emere, & nihil agat de pretio, maximè quia Chriſtus Dominus numquam fraudibus fauit, imò illius puriſſima doctrina ſemper ab illis aliena fuit.

Secundò, quia, vt docet Valaſcus 1 *part. de iure emphyt quæſt.* 15. *num.* 1. *verſ. Sunt tamen ad acquirendum dominium theſauri inuenti*, non ſufficit ſola pura, & ſimplex inuentio, aut ſcientia illius, ſed opus eſt inſuper apprehenſio; quare dum non apprehenditur, magis eſt domini agri, aut prædij, quàm ipſius inuenientis, aut ſcientis. non eſt improbabilis hæc ſententia, eam tenet Angelus, & Fumus *verb. Inuentum.* Tabiena *verb Reſtitutio*, §. 26. & videtur in eam inclinare Valaſcus *allegatus.* Prima tamen eſt tenenda, propter illius authores, & fundamenta. Nec ratio iſtius ſecundæ vrget, concedimus enim ad acquirendum dominium theſauri inuenti requiri apprehenſionem illius; negamus tamen, ante inuentionem eſſe domini agri, cùm de iure naturæ & gentium ſit primi inuentoris. *Angel. Fumus. Tabien. Valaſc.*

Capvt XXIII.

An debitor ſatisfaciat tradendo ſolutionem perſonæ fideli, vt Confeſſario, vel alteri, cui creditor debet.

SVMMARIVM.

Refertur prima ſententia affirmans ſatisfacere debitorem, vel furem ſi reſtituat Confeſſario, vel perſonæ fideli, vt tradat domino, & manere in conſcientia [illegible]ea obligatum, etiam ſi iſti non reſtituant. num. 1.

In Iubilæis ſi quis mittat per famulum eleemoſynam, & ipſe eam furetur, comparat Iubilæum, num. 2. 6. & 7.

Refertur ſecunda ſententia aſſerens non manere deobligatum in conſcientia ſi poſtea ei conſtet reſtitutionem non fuiſſe factam. num. 3.

Iudicium authoris. num. 4.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis, num. 5. *Fur, & debitor non tenentur per ſe ipſos reſtitutionem facere, tenentur tamen cum effectu reſtituere, ſicut cum effectu damnum intulerunt.* ibid.

An quando aliquis eſt excommunicatus ob retentionem debiti, ſi illud tradat Confeſſario, & abſoluatur, reincidat in excommunicationem, ſi Confeſſarius illud non tradat parti. num. 8. 9. & 10.

An quando Summus Pontifex concedit alicui diſpenſationem aliquam in irregularitate ex homicidio, vel alio delicto contracta cum hac clauſula, ſatisfacta parte, *ſufficiat veniam petere, ſine alia ſatisfactione.* num. 11.

An ille, qui ſoluit creditori ſui creditoris, maneat omnino liber in foro conſcientiæ, n. 12. *Satisfacit ſi de conſenſu ſui creditoris faciat,* ibi. *Sufficit tacitus conſenſus, qualis datur, ſi tuus creditor qui eſt in India, cui debes centum aureos, habet alium creditorem in Luſitania, cui ſimiliter centum debet,* ibi *Non ſatisfacit ſi deſit talis conſenſus tacitus, vel expreſſus.* ibid.

Quid de foro externo. num. 13. & 14.

Hic modus reſtituendi frequenter in praxi contingere poteſt. 1. *De modo reſtituendi.*

Primò, quia ſæpiſſimè Confeſſarij, cùm vident pœnitentes obliuioſos eſſe in reſtitutionibus antiquis, reſtitutiones ab illis petunt, moti charitate, vt eas tradant dominis ſuis, quo facto, & pœnitentes liberant ab eo onere, & peccato, & creditoribus conſulunt.

Secundò quia ſæpe ipſi pœnitentes, quia debitum, vel furtum eſt occultum, vt famæ ſuæ conſulant, id petunt à Confeſſario, & ei pretium rei reſtituendæ, vel rem ipſam tradunt; vt ipſi id ipſum domino tradant tacito nomine reſtituentis (ego verò numquam id facerem in primo caſu. In ſecundo rariſſimè id facerem, & petita poſtea ſchedula à domino, qua teſtetur ſibi traditum à me fuiſſe, tantum, quantum, pœnitens mihi tradidit, vt pœnitenti poſtea conſtet, ſe exolutum eſſe.) de hoc ergo modo reſtituendi nunc agimus, quia frequens eſt, aut ſaltem valde frequens eſſe poteſt. Et ſuppono reſtitutionem faciendam eſſe vel in pretio, vel in ſpecie, hoc eſt, reſtituendum eſſe pretium, vel æſtimationem rei furto ablatæ, quando hæc iam non extat. Quæro igitur, an quando debitor, vel fur tradidit vel pretium rei, vel rem ipſam perſonæ fideli, v. c. Confeſſario, vel viro graui, & religioſo, vt eam domino reſtituat, qui tamen de facto non reſtituit, vel quia eam conſumpſit, vel quia caſu periit apud ipſum, ita maneat, ipſe fur, vel debitor deobligatus in conſcientia ab ea reſtitutione, ac ſi cum effectu reſtitueret: qua de re partita eſt opinio. *Quæſtio.*

Prima affirmat. hanc tenet Scotus *in 4. diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 4. Gabriel *ibidem quæſt.* 2. *art.* 4. eam non improbabilem iudicat Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. cap.* 16. *dub.* 6. *in fine.* Fundamentum eſt, *Opinio prima. Scotus. Gabriel. Leſſius.*

Primò, quia nec fur, nec debitor per ſe ipſos immediatè tenentur reſtitutionem facere, ſed ſufficit, quòd faciant per alios prudentes, & fideles viros, ſed in hoc caſu fecit quantum potuit, & prudenter egit, eam perſonæ fideli tradendo; ergo deobligatus manet.

Secundò, quia is, qui illam tradendam, & reſtituendam

tuendam accepit; implicitè ſe obligauit ad illam domino tradendam, & conſequenter alterum deobligauit, & ſi non reſtituit, manet obligatus ad reſtitutionem; quare ſi fur, aut debitor,qui illam reſtituendam tradidit, non deobligaretur, & ad reſtitutionem iterum teneretur, ſequeretur,quòd dominus redderetur melioris conditionis propter furtum, cùm in hoc caſu duæ reſtitutiones ei eſſent faciendæ: at hoc nemo dicet; ergo intentum.

Tertiò, quia ſi debitor, & fur ex conſenſu domini & creditoris expreſſo rem alicui dandam traderent, ſatisfacerent, quamuis internuntius ille non reſtituat; ſed in noſtro caſu interuenit conſenſus tacitus; ergo id ſufficit ad illos deobligandos. Maior eſt certa. Minor probatur ex duplici fundamento.

Primò, quia taciti & expreſſi eadem eſt vis,eadem poteſtas.

Secundò, quia quando fur non poteſt reſtituere ſine propria infamia rem furtiuam,eandem numero, ſatisfacit reſtituendo pretium, & dominus rationabiliter tenetur conſentire; ſed in præſenti caſu ſupponimus non poſſe ſine periculo infamiæ, vel alterius ſimilis reſtituere per ſe immediatè; ergo tenebatur creditor conſentire, vt per alium reſtitueret.

Et pro hac opinione facit etiam, quòd in Iubilæis præcipitur certa eleemoſyna ad comparandas indulgentias, & ſi quis illam mittat per famulum, & hic eam furetur, quin det pauperibus, lucratur Iubilæum poſitis aliis requiſitis, & non videtur obligandus ad nouam aliam eleemoſynam faciendam, maximè ſi putabat ſeruum eſſe fideliſſimum, & experientia id compertum habebat; ergo ſimiliter non erit obligandus ad nouam reſtitutionem ille,qui reſtitutionem tradidit Confeſſario,aut viro pio,& fideli tradendam creditori,ſi ipſe poſtea malitia ſua eam illi non tradat,ſed furetur. Antecedens patet,quia perſona,quæ ratione neceſſitatis grauis,vel extremæ proximi tenetur dare eleemoſynam,ſatisfacit præcepto charitatis, mittendo illam pauperi per internuntium fidelē,quamuis ex malitia, & iniquitate internũtij, illi non detur:de conſequentia nemo dubitabit.nã malitia internuntij non debet nocere domino innocenti,qui fecit quantũ potuit,& debuit,vt præcepto charitatis ſatisfaceret,& indulgentiam lucraretur. Adde quòd ipſe internuntius tenetur eam poſtea pauperi reſtituere,& idem dicendum videtur,quando aliquis tulit excommunicationem pro furto, aut retentione debiti,& latro, vel debitor, furtum, & debitum tradidit fideli internuntio, & res non peruenit ad creditorem, fecit enim vnuſquiſque quantum potuit, & ſua diligentia, & voluntas bona exonerandi ſe ea obligatione, non debet ei nocere; noceret autem profectò ſi ad nouam reſtitutionem obligandus eſſet.

3. *Opinio ſecunda.* Secunda ſententia hac in re communior docet adhuc manere furem,& debitorem obligatum ad nouam reſtitutionem, ſi via aliqua ſciat, primam non habuiſſe effectum; hanc tenent Leſſius *citatus.* Molina *tom.3. de iuſt. diſp.751.§.Tertia concluſio, ad finem.* Toletus *in ſumma lib.5. cap.24.* Sayrus *lib.10. tract.5. cap.9. num.7.* Nauarrus *in ſumma Lat.cap.17.num.167.* D. Anton. 2. *part. titulo 2. cap.4.§.1.* hæc duplici fundamento innititur.

Leſſius. Molina. Toletus. Sayrus. Nauar. D.Anton.

Primum ſumitur ex *regula 55. de regulis iuris, in 6. Qui ſentit commodum, ſentire debet onus, & incommodum*; ſed fur, & debitor rem acceperunt in ſuum commodum proprium; tenentur igitur integrè, & cum effectu rem domino reſtituere, ſicut cum effectu damnum iniuſtè, & per iniquitatem dederunt, ſibi enim tribuant imprudentiam ſuam, ſi malè ſiſi ſunt de nuntij fidelitate,& malè creduli fuerunt,etiamſi pro fideliſſimis eos habuerint.

Secundum fundamentum ſumitur ex veriſſima ratione, quia res, quæ ita reſtituitur,quandiu non traditur creditori, eſt ſub dominio furis, & debitoris; ergo illis perit,ſi pereat; ergo tenentur iterum ad nouam reſtitutionem. Conſequentia eſt bona. Antecedens probatur efficaciter,quia ſi internuntius rem illam furetur,tenetur illam furi, & debitori reſtituere, à quo illam creditori tradendam accepit; ergo erat ſub dominio furis, & debitoris, & ſimiliter quandiu eſt in poteſtate internuntij,cenſetur eſſe ſub poteſtate furis,& debitoris,quia poſſunt illi mandatum illud,& conceſſionem reuocare. Adde

Tertium fundamentum,quia ſi fur, & debitor haberent apud ſe illam pecuniam, paratam ad reſtituendum, & latro alter eam furaretur,non manent illi immunes à reſtitutione illius, vt omnes fatentur, quia pecunia eis perit,qui domini illius ſunt; ſed eadem eſt ratio quando perit apud internuntium. ergo ad reſtitutionem ſimiliter tenentur.

Ita ſe habent hæ opiniones. Certè ego inclinarem in primam, niſi communis DD. ſententia pro iſta ſtaret ſecunda:nam ſi rationes primæ ſententiæ non ſunt fortiores, planè videntur æquales, quia tamen non oportet, nec in minimo fauere latronibus, iudico, id quod iudicauit Leſſius *dicto tom.1.de iuſt.lib.2.cap.16.dub.6.in fine*,primam videri probabilem, hanc verò ſecundam probabiliorem,& veriorem,& omnino tenendam,propter authoritatem tantorum Doctorum. 4. *Iudicium Authoris.* *Leſſius.*

Et verò fundamenta primæ ſic ſolui poſſunt. Ad primum dico non teneri furem,& debitorem per ſe ipſos immediatè reſtitutionem facere, teneri tamen cum effectu eam vel per ſe, vel per alium facere, & quandiu cum effectu non peruenit ad manus creditorum, non eſſe illos liberos à tali reſtitutione: ſicut enim cum effectu damnum iniuſtè dederunt, ita cum effectu tenentur illud reficere.Cùm autem reſtitutionem internuntio,quem fidelem,imò fideliſſimum putabant,creditori dandam tradiderunt, fecerunt quantum potuerunt, vt liberarentur à peccato iniuſtæ retentionis, non tamen, vt liberarentur à reſtitutione, ſi poſtea illis conſtet,eam domino non fuiſſe traditam; ſemper enim in illa traditione hæc tacita conditio incluſa erat ex natura rei; *Si res non perueniat ad dominum,iterum ſatisfaciam cum effectu, ſiquidem cum effectu dãnum dedi*. Et ratio eſt,quia hoc onus ſatisfaciendi cum effectu eſt intrinſecum tali debito, & quamuis dominus tacitè viſus ſit conſentire, & teneatur conſentire, vt reſtitutio per internuntium fiat, ſemper hic conſenſus ſecum intrinſecè defert eandem conditionem,videlicet, *Conſentio,dummodo mihi cum effectu damnum meum reſtituatur, ſicut cum effectu mihi iniuſtè fuit datum*; nec aliter tenetur conſentire: & ſic ſoluitur tertium argumentum; nec exemplum ibi allatum de eo, qui reſtituit per alium, vt famæ ſuæ conſulat, aliud probat. Ad ſecundum reſpondeo,internuntium manere obligatum,ſi res in manu ſua pereat, eam reſtituere eis, qui illam ei tradendam creditori dederunt, vt dictum manet. 5.

6. *An ſatisfaciat obligationi Iubilæi qui eleemoſynam miſit ad illud conſequendum, quam ipſius famulus furatus eſt.*

Argumenta, & rationes poſitæ in numero ſecundo de eleemoſyna miſſa per famulum ad conſequendum Iubilæum, quam famulus furatus eſt, peruнt; vt breuiſſimè explicemus illud dubium in materia indulgentiarum triuum, & commune, vtrùm ſcilicet ſatisfaciat obligationi Iubilæi, vel excommunicationis ille, qui eleemoſynam, vel rem reſtituendam tradit perſonæ ſuo arbitrio fideli, quamuis ipſa perſona eleemoſynam, vel reſtitutionem furetur. Et verò

Cordub. Corduba *quæſt. 16. de indulgentiis, propoſitione 3. §. verum eſt*, negat omnino eum conſequi indulgentiam Iubilæi, qui iuſſit per famulum eleemoſynam in eo præſcriptam dare, & non dedit. Ratio illius eſt, quia vna ex conditionibus requiſitis ad comparandam indulgentiam Iubilæi, eſt, eleemoſyna pauperibus detur; ſed hæc conditio cum effectu non impletur, quandiu cum effectu pauperibus non traditur. ergo non comparatur, quia deeſt conditio requiſita; defectus enim conditionis, quamuis ſine culpa mandantis contingat, facit vt actus à tali conditione pendens non ſubſiſtat; vt patet in eadem materia indulgentiarum, ſi aliquis morbo impeditus non ieiunaret, vel Eccleſiam non inuiſeret, quandò hic defectus aliunde ex vi Iubilæi non ſuppletur; & in eo, qui ex defectu intentionis ex parte miniſtri manet ſine ſacramento Pœnitentiæ, patitur enim ex malitia alterius, & in aliis ſimilibus exemplis ſæpe id contingit.

7. Sà. Affirmat Sà *verb. Indulgentia, num. 4.* Fundamentum eſt,

Primò, quia conditio illa ſolùm videtur in hoc conſiſtere, quòd eleemoſyna ex parte donatoris volentis Iubilæum conſequi donetur, quia hic actus eſt completus, & perfectus ex parte dantis, & re vera dedit, vt acciperet; ergo eo poſito cenſetur conditio impleta.

Secundò, quia primaria intentio Summi Pontificis reſpicit ad bonum ſpirituale dantis, bonum enim temporale, quod ſequitur ex eleemoſyna reſpectu pauperis, videtur ſecundaria, ac proinde quamuis hic ſecundus effectus deficiat, non videtur conditio deficere, quia primò intentio Summi Pontificis, perfectè conſequitur poſita largitione ex parte donantis.

Tertiò, quia ſuppoſita illa donatione, quæ ex parte donantis eſt omnino abſoluta, & poſtea non fuit reuocata, pauper acquiſiuit ius ad eleemoſynam, & ei facienda eſt reſtitutio, vt tradit

Leſſius. Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 18. dub. 6. à num. 46.* ſecus eſt in aliis donationibus. ergo pauperes non fraudantur omnino vtilitate temporali, quia internuntius tandem tenetur eis reſtituere, maximè quia Summus Pontifex non præcipit, vt eleemoſyna detur huic pauperi determinatè, & cum

Sanchez. Leſſio conſentit Sanchez *lib. 1. de matrimonio, diſput. 6. num. 9.* vbi ita dicit. *Si quis alicui mandaret certam eleemoſynam largiri, ac re integra mandans decederet fauore cauſæ piæ, non expirat mandatum obitu mandantis, & ideo eleemoſyna largienda eſt pauperi.* Hæc ille. Et ratio eſt, quia cùm tunc ob prædictum fauorem non expiret, nec reuocetur mandatum, & dominium ante acceptationem rei mandatæ acquiratur pauperi, ſequitur, quòd prædicta eleemoſyna neceſſariò ſit pauperi reſtituenda; quam doctrinam tenet etiam Tiraquel.

Tiraquel. Couar. Molina. *de priuileg. cauſæ piæ, priuileg. 82. & 132.* & Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 14. num. 16.* & Molina *tom. 2. diſput. 263. §. Dixi mandatum.* Cùm tamen mandatum extra cauſas pias expiret, ac reuocetur morte mandantis, & nemo ante acceptationem acquirat dominium rei ſibi promiſſæ, vel mandatæ, reſtitutio tunc facienda eſt hæredibus mandantis, vt tradit idem Sanchez *ibidem num. 7.* quia cenſetur mandatum reuocatum morte prædicti mandantis, quod patet ex *l. mandatum, C. mandati*, & habetur expreſsè *l. 2. §. ſed ſi quis, ff. de donat.* ibi, *Sed ſi quis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, vt ad me perferret, & ante mortuus fuerit, quàm ad me perferret, non fieri pecuniam dominij mei conſtat.* Vnde rectè infert idem Sanchez *allegatus, num. 8.* cum internuntium, qui ab aliquo aliquid accepit alteri donandum extra eleemoſynam, aut piam cauſam, ſi interim antequam res donata ſit, mandans moriatur, & nuntius iniuſtè donare diſtulit, teneri ad duplicem reſtitutionem, alteram hæredibus donatoris, ſeu mandantis, quia mandatum morte illius ante acceptationem fuit reuocatum; alteram donatario, quia iniquè & per iniuſtitiam cauſa fuit, ne acciperet, & qui alteri eſt cauſa damni, tenetur illud reſtituere, & idem docet etiam Molina *tom. 2. de iuſt. diſput. 263. §. iuxta hactenus dicta.* Sanchez. Molina.

Sed redeamus ad noſtrum inſtitutum; ex ſententia itaque Sà, tria videntur ſtatuenda. 8. *Triplex aſſertio ex ſententia Sà.*

Primum eſt, ſi dominus ante elapſum terminum ad conſequendam indulgentiam Iubilæi certior fiat, quòd eleemoſyna à ſe miſſa non fuit pauperi data, ſecurius eſſe aliam donare. Ratio eſt, quia damnum, quod ſequitur domino ex donatione ſecundæ eleemoſynæ, eſt parui momenti, & lucrum indulgentiæ eſt magnum, ac proinde omni ſecuritate procurandum.

Secundum eſt hanc ſecundam ſententiam Sà probabilem eſſe ex fundamento iacto, quia cùm hoc negotium totum pendeat ex intentione, & voluntate concedentis, rationabiliter credi poteſt, quòd Summus Pontifex ſolum intendat, vt quilibet quantum in ſe eſt donet; & à ſe abdicet dominium eleemoſynæ, & in pauperes, vel in cauſas pias illud transferat, ne malitia aliena innocens detrimentum tantæ gratiæ patiatur. Nec inferas inde ſequi poſſe aliquem indulgentiam conſequi; ſi deſiderium tantùm habeat dandi eleemoſynam, & ſi hanc habeat paratam, & latro illam furetur, quia quantum in ſe eſt facit, quod poteſt. Negamus enim illationem, quia nec deſiderium, nec præparatio proxima ad eam eleemoſynam dandam, eſt actio tranſlatiua dominij; ſicut eſt actio dantis de facto, vt patet.

Tertium eſt admiſſa probabilitate huius ſententiæ negandam eſſe paritatem rationis in reſtitutione, quam intendit inducere argumentum factum *num. 2.* Et maior ratio eſt, quia ſatisfactio ad comparandam indulgentiam tota pendet ex voluntate Summi Pontificis, & prudenter colligi poteſt illum ſolum intendere, quod aliquis donet quantum in ſe eſt, vt in ſimili docet Sayrus *in claui Regia, lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 9. §. Tertium eſt*, quando, ſcilicet, aliquis erat excommunicatus ob retentionem debiti, & abſoluitur, cùm illud tradidit Confeſſario, quamuis hic poſtea non reſtituat, docet enim in hoc caſu Sayrus manere abſolutum, quia quoad hunc effectum cenſetur ſatisfeciſſe parti. At acceptatio ad reſtitutionem pendet ex voluntate creditoris, qui habet ius acquiſitum, vt ſibi Sayrus.

ſibi tradatur res debita, & quandiu non traditur, non perdit ſuum ius.

9. Secundum dubium, quod ex vltimo argumento, *num.*2. poſito pro prima opinione, reſultat, & explicatione eget, eſt de excommunicato, qui ſolutionem dedit Confeſſario, & ab eo abſolutus eſt; poſtea verò ipſe Confeſſarius non reſtituit, vtrùm ſcilicet maneat omnino liber. Et quidem duo in hoc dubio docet Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *à num.* 19.

Sayrus.

Primum eſt de præſenti manere illum abſolutum, quia fecit quantum potuit, & ad quantum tenebatur de præſenti; facienti autem quod in ſe eſt, non denegatur gratia abſolutionis. ergo manet liber ab excommunicatione; deinde, quia ſi de præſenti eſſet impotens ad ſolutionem, data ſufficienti cautione, ſeu pignore Confeſſario, validè abſolueretur à tali excommunicatione, vt docet Soarius *de cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 5. *num.*4. & idem Sayrus *de cenſur. lib.*2. *cap.* 17. *num.*11. & alij. ergo à fortiori ſi Confeſſario pecuniam traderet dandam parti, quæ excommunicationem impetrauit, vt ille prædictæ parti debitum ſolueret.

Soarius. Sayrus.

Secundum eſt ſi prædictus pœnitens poſtquam ſciuit reſtitutionem non eſſe factam creditori, propoſuit ſe ſoluturum, cùm primùm poſſet adhuc manere abſolutum, quia à principio antequam ſciret defectum reſtitutionis, fuit validè abſolutus, & poſtea non peccauit de nouo in retentione, quia cùm de præſenti non poſſit ſoluere, vt ſupponimus, facit quantum in ſe eſt proponendo.

10. Si poſtquam cognouit reſtitutionem non eſſe factam, ſeu ſolutionem non eſſe datam creditori, propoſuit ſe ampliùs non ſoluturum, affirmat Sotus *in* 4.*diſt.*22. *quæſt.*1. *art.*2. poſt quartam concluſionem incidere de nouo in excommunicationem, quia quando aliquis à principio excommunicatur pro debito, ſi tunc eſt impotens ad ſoluendum, non contrahit excommunicationem; ſi tamen poſtea reddatur potens, & non reſtituat, incurrit illam, quia ſemper durat, ligátque ſubiectum quandiu ex malitia non reſtituitur; ſed in noſtro caſu, qui ita ſtatuit, ſe non ſoluturum, peccat de nouo. ergo contrahit de nouo excommunicationem. Negat tamen id Petrus Nauarra *lib* 4.*de reſt.cap.*5.*dub.*1.*num.*19. & Sayrus *in claui Regia, lib.*10. *tract.*5.*cap.*10. *à num.*9. *in fine.* Ratio illorum eſt, quia illa abſolutio data fuit abſolutè, & non fuit impoſita conditio ad reincidentiam. ergo quamuis poſtea reincidat in nouam culpam, non reincidit in nouam excommunicationem, quia ablata fuit ſine hoc onere: deinde, quia quamuis data eſſet ſub hac conditione, *ſi parti ſatisfiat cum effectu*; hæc conditio ex mente iudicis ſatis cenſeretur impleta per traditionem ſolutionis alteri factam, quia iudex ſolùm intendit, vt debitor ſatisfaciat, quantum in ſe eſt: vnde ſi ſolutionem tradiderit Confeſſario, & à ſe abdicauerit illius dominium, videtur ſatisfeciſſe intentioni iudicis quoad effectum obtinendi gratiam abſolutionis, quamuis non ſatisfecerit quoad effectum tollendi obligationem reſtitutionis, vt ſuprà diximus loquentes de indulgentiis. ego huic opinioni Sayri & Nauarræ adhæreo, propter ſua fundamenta, ex quibus fundamentum Soti ſatis corruit, & labefactum manet.

Sotus.

P Nauarra. Sayr.

11. Verùm verò quando conceditur à Summo Pontifice diſpenſatio in irregularitate ex homicidio, vel in alia ſimili ex delicto contracta, & additur in tali diſpenſatione, *ſatisfacta parte*, ſufficiat veniam petere, quamuis à parte non concedatur, dubitant aliqui; ſed pars negatiua verior eſt, & aſſignatur diuerſa ratio in hoc caſu, & in caſu abſolutionis excommunicationis, de quo egimus *numero præcedenti*, & in quo diximus opus eſſe (vt excommunicatus, ab excommunicatione abſoluatur, quando facultas abſoluendi illum, datur à iudice ſub conditione, vt priùs parti ſatisfaciat) quòd præcedat ipſa ſatisfactio realis, aut ſaltem quòd detur cautio, & ſatiſdatio vel oppignoratitia, vel ſaltem aliquando iuratoria ſatisfaciendi; quia in caſu excommunicationis, datur abſolutio bona fide, poſita prædicta cautione, aut ſolutione reali ex parte debitoris; at in caſu diſpenſationis huius irregularitatis, opus eſt, vt cum effectu ſequatur realis veniæ impetratio, quia non vult Summus Pontifex diſpenſare cum præiudicio partis, ſine eius vero, & proprio conſenſu; & ideo quandiu conceſſio veniæ non datur, non cenſetur impleta conditio, quam Summus Pontifex requiſiuit ad talem diſpenſationem.

12. Vltimum dubium huius capitis ſit, an ille qui ſoluit creditori ſui creditoris, maneat omnino in conſcientia deobligatus à reſtitutione; & caſus in hunc modum poteſt figurari. Debeo Sempronio decem aureos, & Sempronius meus creditor totidem aureos debet Titio; quæro, vtrùm ſatisfaciam ſoluendo eos Titio, ita vt in conſcientia maneam deobligatus. Reſpondeo; ſi de conſenſu tacito, vel expreſſo eos Titio creditori Sempronij creditoris mei ſolui, non eſt dubium manere me in vtroque foro deobligatum; dixi *tacito*; quia ſi ego debeam centum aureos Antonio, & ſim in India, vel in alia Regione, vel Orbis parte, ex qua difficillimum ſit eos mittere ad Antonium meum creditorem, qui in Luſitania viuit; & ſciam, & mihi euidenter, aut certò moraliter conſtet, prædictum Antonium creditorem habere in ea parte Indiæ, in qua ego ſum, alium creditorem, cui ille tantundem debet; ex tacito, & rationabili conſenſu ipſius Antonij mei creditoris eos potero ſoluere creditori illius; & conſequenter ea ſolutione, manebo in conſcientia eo debito exoneratus, ſoluendo tantundem creditori creditoris mei. Et ratio eſt, quia ſi ego poteram me eo debito exonerare, ſoluendo illos prædicto creditori Antonij mei creditoris de conſenſu expreſſo illius, etiam potero in prædicta circumſtantia me eo debito ſimiliter exonerare ſoluendo de conſenſu tacito ipſius, quia taciti & expreſſi eadem vis eſt, eadem poteſtas. Extra conſenſum verò tacitum, vel expreſſum mei creditoris, mihi videtur non poſſe me ſoluere creditori creditoris mei, ſi meus creditor tantundem ei debeat, quantum ego eidem creditori meo debeo. quia non video certum principium ob quod ſecurus eſſe poſſim in conſcientia, & deobligatus à tali debito; & quamuis Medina *quæſtione* 3. *cap.* 5. & Syluester *verb. Solutio*, *numero* 4. *ad finem primi* §. & gloſſa quædam, quam *ibi* citat Syluester, abſolutè dicant manere illum deobligatum in conſcientia, qui ſoluit creditori creditoris ſui; tamen iudico id ſolum verum eſſe, quando de conſenſu tacito,

De ſoluente creditori creditoris ſui, quid.

Medina. Syluest.

vel expreſſo creditoris ſui id efficit, ſemper autem talis conſenſus tacitus illius præſumi debet, quando ad exonerandam illius conſcientiam in aliqua occaſione, & circumſtantia, qua ſemel elapſa, nuſquam amplius habebit aliam ſimilem, aut difficillimè habebit ad ſe eo debito exonerandum; dixi, *difficillimè*, quia, moraliter loquendo, quæ difficillimè haberi poſſunt, impoſſibilia iudicantur, & nunquam haberi poſſe prudenter exiſtimantur. Hæc de foro interno, & conſcientiæ.

13. Bart. Reſpondeo ſecundò. In foro externo ita diſtinguit Bartol. *in l. ſolutum, §. ſolutum, ff. de pignorat. actione.* Si creditor creditoris mei habet bona aliqua obligata tali debito, & debitum eſt in eadem cauſa, ſeu eiuſdem rationis, & ſpeciei cum eo debito, quod ego debeo creditori meo, v. c. ego conduxi domum decem aureis ab eo, qui ab alio eam conduxerat iiſdem decem aureis, & ille nondum eos ſoluit creditori ſuo, liberor ipſo iure, & ſatisfacio in foro externo, ſoluendo illos decem aureos creditori creditoris mei, meo etiam creditore inuito, *l. vtrùm præſente, ff. de conſt. pecun.* & ita docet etiam expreſsè Syluester *verb. Solutio, num.* 4. Et ratio eſt, quia creditor mei creditoris poterat me iure compellere, vt ei illud ipſum debitum pro meo creditore ſoluerem, vt habetur in iure *in l. nomen, C. quæ res pignor. oblig. poſſ.* ergo ſi me poterat obligare, ſatis & abundè facio ei tantundem ſoluendo pro meo creditore, quin moleſtiam talis obligationis patiar; prudentis enim eſt vitare moleſtias, & vexationes forenſes. Item ſi negotiorum meorum geſtor mutuos accepit ab Antonio decem aureos, v. c. ad mea negotia peragenda, hos ego Antonio debeo, & poſſum illos ſoluere Antonio, & ſatisfacio, vt habetur *in l. ſi liber homo, ff. de negot. geſtis.* Si autem prædictus negotiorum meorum geſtor eos decem aureos mutuos ab Antonio accepit ad alia negotia diuerſa omnino, & ſeparata à meis, tunc ſi ſoluam Antonio illos ipſos decem aureos, quos debeo eidem negotiorum meorum geſtori eo volente, & conſentiente, ſine dubio liberor, & ſatisfacio in foro externo, vt docet Syluester *verb. Solutio, num.* 4 *ad finem*, & conſtat ex *l. inuito, ff. de ſol.* & *l. penult. & finali, ff. de negot. geſt.* ſi eo ignorante, tunc liberor ope exceptionis tantùm, quia ex quo meus creditor, ex mea ſolutione facta creditori ſuo, à tali ſolutione liberatur, etiam ſi fuerit inuitus, ſatisfactum eſt ei, *l. ſi opera, ff. de doli except. Inſt. quibus modis tollatur obligat. in principio, & l. penult. citata, ff. de negot. geſtis.* & ideo quoties meo creditori ſine mandato meo ſoluiſti, & me eo debito liberaſti, ſoluendo nomine meo, cogor habere ratum in iudicio, id quod pro me ſoluiſti, & obligor tibi actione negotiorum vtiliter geſtorum ad reſtitutionem pecuniæ pro me ſolutæ. ita idem Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *num.* 8. *ad finem*, & Platea *Inſtit. de actionib. §. Actionum.*

14. *Quid ſi ſoluam hæredi mei creditoris.* Idem quod dictum manet, dicendum eſt etiam, ſi ſoluam hæredi creditoris mei, ſimiliter enim liberor à ſolutione, quam debebam meo creditori, modò tamen ille ſit mentis compos, & maior vigintiquinque annorum, aut alteri de mandato illius, etiam ſi creditor ſit accuſatus ad mortem; patet ex *l. nihil intereſt, C. eo. & l. reo, ff. eodem*, quæ ſolutio poteſt etiam fieri ſocio creditoris mei, ſi vterque ad aliquid eſt obligatus in ſolidum, iuxta *leg. ſi vnus, ff. de pactis*, & *l. 2. & 3. ff. de duob. re. conſt.* & notatur *in cap. ex te, de iureiur.* Animaduertendum tamen eſt hìc, quòd ſoluens filiofamilias ſine conſenſu patris, aut minori, ſine conſenſu tutoris, vel curatoris, non ſatisfacit, vt expreſsè habetur *in l. 1. ff. ad Macedonianum, & l. pupillus, ff. de action. & obligat.* niſi ſolutum ſit conuerſum in vtilitatem patris, vel minoris; tunc enim hoc probato ſatisfacit, *l. 1. & 2. C. ſi aduerſus creditor. & l. quod ſi fortè, §. finali, & leg. pupillo, ff. de ſolut.*

CAPVT XXIV.

Quo tempore, & loco facienda eſt reſtitutio furti, & an expenſis creditoris, vel furis, ſeu debitoris.

SVMMARIVM.

Debita, & obligatio reſtituendi ex contractu in quo præfixus eſt terminus ad ſolutionem, ſtatim ſoluenda ſunt elapſo termino ante petitionem, numero 1.

Si nullus præfixus eſt terminus, & creditor debitum ſcit, & illud non ignorat, tunc requiritur petitio ante ſolutionem, nec debitor tenetur in vtroque foro illud ſoluere ante talem petitionem, num. 2. *verſ. Et licet.*

Si debitor citetur, & ad iudicium trahatur ante admonitionem, & petitionem debiti, condemnabitur creditor in citationis expenſis. num. 3.

In foro conſcientiæ ſi creditor debitum ſcit, non audet tamen ſaltem ex timore reuerentiali illud petere, tenetur debitor ante petitionem illud ſoluere, ibid.

Quando mora eſt breuis, & creditor eſt certus de ſolutione debiti, non eſt peccatum mortale debitum ſtatim poſt petitionem illius non ſoluere, num. 4.

Si obligatio reſtituendi oriatur ex furto quod adhuc extet apud furem, ſtatim tenetur fur illud reſtituere, niſi ex iuſta cauſa excuſetur, & quæ ſit iſta iuſta cauſa. num. 5. *&* 6.

An ille, qui ſtatim non reſtituit, cùm poteſt, plura peccata committat, quoties poteſt & non vult, num. 7.

An retentio alieni quoties aliquis poteſt reſtituere, & non vult, ſit peccatum actuale, an habituale. Refertur prima opinio docens eſſe peccatum habituale. num. 8.

Præfertur ſecunda aſſerens eſſe peccatum actuale, num. 9.

An quando retentio diu durat, ſit vnum peccatum actuale, an plura. num. 10. *&* 11.

Quomodo multiplicentur peccata interna, & externa. num. 12. *&* 13.

Vtrùm quo mora fuerit longior, maior ſit obligatio reſtituendi, & grauius peccatum. num. 14.

Quomodo ſe debeat habere Confeſſarius cum iis, qui poſſunt reſtituere, & non reſtituunt, num. 15. *An abſoluendi ſint, ſi poſſunt integrum debitum reſtituere, & nolunt reſtituere, niſi paulatim, ibid. &* 16.

An, qui ſemel, vel iterum Confeſſario reſtitutionem promiſit, & non reſtituit, abſoluendus ſit, num. 17.

Quid

Quid ſi concurrant aliquæ circumſtantiæ in quibus iudicet Confeſſarius abſolui poſſe. num. 18.
Vtrum abſolui poſſit ille, qui non vult reſtituere in vita, vult tamen poſt mortem relinquere id onus hæredibus ſuis. num. 19.
Vtrum pœnitens in materia reſtitutionis teneatur ſemper obedire Confeſſario. num. 20.

1. *Obligatio reſtituendi vnde oriunda, & quando ſit ſoluenda.*

OBLIGATIO reſtituendi vel oriri poteſt ex contractu iuſto, in quo ex conſenſu partium contrahentium præfixus, vel non præfixus eſt terminus ad ſolutionem; vel ex contractu iniuſto, & vſurario, vel ex delicto, & furto, quod adhuc extet, vel non extet apud furem; ſi debita, & obligatio reſtituendi oriantur ex contractu iuſto, in quo præfixus eſt terminus ad ſolutionem, ſtatim ſoluenda ſunt elapſo termino, & niſi ſtatim ſoluantur, incipit debitor eſſe in mora iniuſta ſoluendi, niſi ex conſenſu tacito, vel expreſſo creditoris, vel inaduertentia, aut aliunde ex aliqua cauſa iuſta excuſetur, & quandiu eſt in tali mora, & poteſt reſtituere, & non reſtituit, peccat mortaliter; quia mora damnum affert, & detrimentoſa eſt creditori, nec opus eſt, vt debitor admoneatur de lapſu termini, nec quod creditor debitum ab eo petat, talis enim petitio non eſt neceſſaria, quia tempus præfixum loco admonitionis, & petitionis eſt; ita communiter Doctores & Syluester *verb. Mora, numero* 1. Panormit. *in cap. licet Heli, de Simonia, num.* 13. & patet ex *cap. potuit, de locat.* & ex *l. magnam, C. de contrah. & commit. ſtipulat.* Limitat tamen Panor. modò ſint actor & reus eiuſdem fori, nam ſi ſint diuerſi fori, non tenetur, inquit, reus, ſeu debitor ire forum, vel domum alterius, ſed ſufficit, ſi ſit paratus ſoluere, quoties ſolutio à ſe fuerit petita, iuxta notata *in l. item nulla, ff. de conſt. pecun.* & *ibi* Bartolus & Albericus *in l. iubemus, C. de Epiſcop. & Cleric.* quod intelligendum eſt niſi aliter ſit ſtatutum in pacto. Sed hæc limitatio Panormitani locũ tantùm habere videtur in foro externo, nam in foro interno ſtatim elapſo termino, ſi debitor ex contractu poteſt ſoluere, & nullam habet cauſam excuſantem, tenetur ſoluere, *l. Celſius, §. 1. ff. de arb.* vbi iuſſus iudicis arbitrio ſoluere, certo die, excuſatur ſi eo die fuit impeditus ex iuſta cauſa; modò ſoluat quàm citiſſimè, ceſſante cauſa & impedimento, & idem ſtatuitur *in cap. cùm dilecto, de dolo & contumacia*; & in foro etiam externo id locum habet in aliis caſibus, in quibus non datur limitatio Panormitani, nec locum habet.

Syluester. Panorm. Bartol. Alberic.

2. *Quid ſi nullus præfixus ſit terminus ad ſoluendum.*

Si verò nullus terminus fuit præfixus ad ſoluendum, nec aliqua conditio appoſita, & creditor debitum ſuum non ignorat, & illud ſcit, tunc requiritur petitio debitoris ad ſoluendum, nec debitor tenetur ſoluere ante illam petitionem, tam in foro externo, quàm conſcientiæ. ita Bartolus *in l. non ignorat. C. de fruct. & litium exp.* & Angelus *in l. ſi manumiſſ. C. de obſ. pat. praſt.* & Syluester *verb. Mora, num.* 1. & *verb. Obligatio, num.* 9. & Panormitanus *in dicto cap. licèt Heli, de Simonia, num.* 13. & Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 2. vbi aſſerit non teneri eum, qui promiſit aliquam ducere, nullo affixo termino, eam ducere, niſi ad illius petitionem, & id ex eo probat, quia generale eſt omni debito in quo nullus terminus dictum fuit præfixus, quòd non teneatur debitor illud ſoluere, niſi priùs admonitus ſit à creditore, & requiſitus, & addit id procedere tam in foro ſoli, quàm poli, & pro hac ſententia citat multos, & patet ex *l. debitores præſentes, C. de pignoribus*, ibi, *Præſentes prius denunciationibus conueniendi ſunt.*

Bart. Angel. Syluester. Panorm. Sanchez.

Et licèt gloſſa *in dicto cap. licet Heli, de Simonia*, aſſerat in debitis pecuniariis petitionem eſſe de honeſtate, non de neceſſitate, tamen, vt docet Syluester, ſi debitor citetur, & ad iudicium trahatur, non præmiſſa petitione, & confiteatur debitum, vel de illo conuincatur, debet actor, & creditor damnari in expenſis, ſi debitor, ſeu reus poſſit in iudicio probare, ſe non fuiſſe requiſitum, nec actorem debitum à ſe petiiſſe, quia adhuc non erat in mora; licèt poſtea poſt talem citationem in ea ſit, quia citatio eſt loco petitionis, & ſic ſolùm in expenſis citationis damnabitur actor, ſeu creditor, & id etiam cum Syluestro ſentit Panormitanus *allegatus*, & benè ſentiunt.

3. *In foro conſcientia, quid.*

In foro tamen conſcientiæ, quando creditor debitum ſcit, & illud non ignorat; ſed illud petere non audet ex timore leui, etiam & reuerentiali, aut ſi ignorat, licèt non petatur, tenetur debitor ſine tali petitione illud ſoluere, ſi poteſt, & peccat mortaliter quoties poteſt ſoluere, & non ſoluit, quia mora ipſa damnum infert creditori: ſi tamen creditor debitum ſcit, & ſecluſo omni reſpectu timoris etiam leuis & reuerentialis illud petere poteſt, & non petit, videtur conſentire dilationi, & conſequenter excuſatur debitor à peccato iniuſtæ retentionis ex tacito conſenſu creditoris, & non tenetur illud ſoluere in vtroque foro, niſi petente creditore, ita Syluester *verb. Mora, num.* 1. Graphis *lib.* 2. *deciſion. aur. cap.* 131. *num.* 17. Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 197. & Sanchez *allegatus.*

Syluester. Graph. Nauar. Sanchez.

4. *Quando mora eſt breuis, & creditor de ſolutione certus, quid.*

Vtrùm verò ſi mora fuerit breuis, & creditor poſt petitionem debiti non patiatur damnum, & alioqui ſit certus de ſolutione, talis mora ſit peccatum mortale, dubitant aliqui DD. In partem negantem inclinare videtur Molina *tom.* 3. *de iuſt. diſp.* 753. *initio.* Ratio illius eſt, quia breuis & ſimplex dilatio, ex qua nullum ceſſat lucrum, nec emergit damnum, non videtur iniuria grauis reſpectu creditoris debitum petentis, vnde in his circumſtantiis videtur ſolùm culpa venialis. Et hæc ſententia fauorabilis eſt & probabilis, modò mora ſit breuis, quia parum pro nihilo reputatur, ac proinde ex paruitate temporis poterit debitor à mortali excuſari. Attamen ſi res ex longo tempore fuerit debita, & in ſe grauis, erit culpa mortalis, quia tunc nulla datur alia cauſa excuſans à tali reſtitutione, & alioqui ſimpliciter non poteſt dici breuis mora, cùm debitum ex tam longo tempore ſit contractum. ita docet D. Thomas 2. 2. *quæſtion.* 62. *artic. vltimo, in corpore.*

Molin. D. Thom.

5. *Quid ſi obligatio reſtituendi oriatur ex furto, quod adhuc extat apud furem.*

Si obligatio reſtituendi ortum habeat ex furto, aut ex re iniuſtè accepta, quæ adhuc extet apud iniuſtum poſſeſſorem, & detentorem, tunc ipſe data opportunitate ſtatim tenetur reſtituere ſub peccato mortali, niſi aliunde excuſetur ex alia cauſa iuſta. v. c. ſi credit, verum & pro certo habet, quòd talis detentio non ſit contra voluntatem domini, ſeu creditoris: deinde ſi creditor poteſt ad breue tempus carere re ſua ſine vllo ſuo damno, & incommodo, & debitor non niſi cum illis reſtituere poteſt, ita Diuus Thomas 2. 2. *quæſtione* 62. *articulo vltimo.* D. Thom.

Syluester. Molina. Valentia. Tolet. Turrian. Sayrus.

Syluester *verb. Reſtitutio* 5. *num.* 1. Molina *tom.* 3. *de iuſt. diſp.* 753. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 4. *quæſt.* 6. *puncto* 7. Toletus *in ſumma Lat. lib.* 5 *cap* 24. Turrianus 2. 2. *diſp.* 17. *dub.* 1. Sayrus *in claui Regia, lib* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *à num.* 1. & alij, quos Sayrus citat, & eſt communis Theologorum ſententia. Et fundamentum eſt, quia obligatio & præceptum reſtituendi ita eſt affirmatiuum, vt ſit etiam negatiuum. nam intrinſecè includit etiam præceptum negatiuum, non retinendi alienum inuito domino, & ideo pertinet ad ſeptimum præceptum Decalogi non furandi, ſed auferre rem alienam inuito domino, eſt peccatum mortale ex ſuo genere; ergo etiam retinere illam inuito domino, eſt idem atque continuare idem peccatum iniuſtæ acceptionis; atqui continuare idem peccatum eſt illicitum, & peccatum mortale; ergo ſtatim reſtituendum eſt id quod debetur, ſi debitor poteſt reſtituere, aliter perſeuerabitur in eodem peccato actuali retentionis iniuſtæ, quod eſt eiuſdem rationis cum peccato iniuſtæ acceptionis.

Confirmatur primò ex *l. eam, quæ* §. *quoties, ff. de verbor. obligat.* ex qua communiter dici ſolet id quod debetur ſine termini præfixione ſtatim deberi, & ideo in foro iudiciali ſiue præcedat, ſiue non præcedat admonitio, ſtatim iubetur ſolui, licèt actor condemnetur in expenſis citationis, ſi poſſit in iudicio probari admonitionem non præceſſiſſe: ergo idem eſt de foro conſcientiæ.

Sanchez. D.Thom. Soar. Azor. Sà Valentia. Fumus.

Confirmatur ſecundò, ex votis, & iuramentis, in quibus aliquid promittitur ſine termino præfixo, obligant enim ſtatim & primo quoque tempore data opportunitate, vt optimè probat Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 5. & docet D.Thom 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 3. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. quæſt.* 71. *art.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 2. Azor *lib.* 11. *Inſtit. moral. cap.* 15. *quæſt.* 20. Sà *in ſumma verb. Votum initio, num.* 28. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 4. *quæſt.* 3. *in tertia circumſtantia.* Fumus *verb. Votum, num.* 16. & alij quos citat Sanchez, & eſt communis DD. opinio, vnde qui non implet votum cùm primùm commodè poteſt, peccat contra votum; ergo etiam, qui non reſtituit ſtatim, cùm primùm poteſt; peccat mortaliter non reſtituendo.

7. *Quid de illo, qui ſtatim non reſtituit, cùm poteſt.*

Rogas etiam, vtrùm an qui non reſtituit, plura peccata committat quoties commodè poteſt, & non reſtituit.

Reſpondeo primò, quoad actum internum, & animum reſtituendi, id intelligi quòd vbi primùm aliquis recordatur, ſe eſſe obſtrictum re aliena, teneri habere intentionem reſtituendi, data opportunitate, quia ſine hac intentione non datur pœnitentia, nec debitor ceſſat à peccato: ille autem, qui eſt in peccato, tenetur illud deuitare, & ad Deum ſe conuertere.

Reſpondeo ſecundò, quoad actum reſtituendi externum intelligi moraliter, vnde ſi quis poſſit reſtituere, & recordetur nocturno tempore, vel in menſa, vel in concione, vel in Miſſa, & in aliis ſimilibus occaſionibus, non tenetur ſtatim ſurgere, & ab illis actionibus deſiſtere, vt ſtatim reſtituat, ſed data opportunitate morali, vt cum multis docet Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 1. §. *Qui verò,* & Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 54. *verſ. Secundo.*

Sayrus. Nauar.

8. *An retentio alieni, quoties aliquis poteſt reſtituere, & non vult, ſit peccatum actuale, an habituale.*

Dubium tamen præcipuum hîc eſt, an retentio alieni quando aliquis poteſt reſtituere, & non reſtituit, ſit peccatum habituale, an actuale. Et circa hanc dubitationem duplicem opinionem inuenio.

Prima docet eſſe peccatum habituale, eam tenet Caietanus 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. exiſtimat enim Caietanus, illam actualem retentionem, quamuis ſit voluntaria, & libera, non eſſe nouum peccatum actuale, ſed eſſe effectum iniuſtæ acceptionis præteritæ, ac proinde quandiu quis actu non reſtituit, manere in ſtatu peccati, ſeu in peccato habituali. Veluti poſtquam aliquis alia peccata committit, manet peccator in ſtatu peccati quandiu non pœnitet: vt, v c. cùm quis mentitur, manet mendax, & quandiu non pœnitet, manet in peccato habituali mendacij.

Contraria ſententia docet, illam retentionem eſſe peccatum actuale, non habituale, hanc tenet Vaſquez 1. 2. *diſp.* 75. *cap. vltimo.* Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *à num.* 13. Turrianus 2. 2. *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 3. & alij communiter hoc tempore. Fundamentum iſtius opinionis eſt, quia illa retentio alieni inuito domino, eſt quædam moralis vſurpatio rei alienæ, ſed huiuſmodi vſurpatio quando eſt voluntaria, & libera, eſt peccatum actuale; ergo & illa retentio. Confirmatur, quia præceptum reſtituendi ita eſt affirmatiuum reddendi vnicuique ſuum, vt ſit etiam negatiuum, non retinendi alienum, ſed quando aliquis animaduertit, ſe habere alienum, & poteſt illud reddere, & reſtituere, ſi non reſtituit, talis retentio eſt voluntaria, & libera; ergo eſt actualiter mala, & ideo vnuſquiſque tenetur ſtatim reſtituere, quia tenetur deſiſtere ab actuali peccato. Ego hanc opinionem ſequendam duco, vtpote veriorem, & probabiliorem. 9.

Vaſquez. Sayrus. Turrian.

Sed hinc inſurgit alia quæſtio, vtrùm ſcilicet, quando retentio diu durat, ſit vnum peccatum continuatum, an plura, & diuerſa numero peccata. Duplex etiam in hac quæſtione opinio inuenitur. 10.

Quid ſi retentio diu durat.

Opinio prima

Prima duo aſſerit. Primum eſt, vnum tantùm eſſe peccatum, quamuis multiplicentur actus interni, ſeu volitiones non reſtituendi, quia omiſſio illa externa eſt vna & eadem, & plures illæ volitiones, & actus interni in ea continuantur, & vniuntur moraliter, tanquam in eodem effectu externo; ergo licèt ſint plures volitiones, & plures actus interni, vnum tantùm eſt peccatum; ſic qui in breuiſſimo tempore plura furtiola committit, peccat mortaliter, quia illa furtiola licèt ſigillatim committantur, vniuntur in tempore. Secundum eſt, hoc peccatum eſſe notabiliter grauius, quo dilatio fuerit longior, & conſequenter hanc circumſtantiam eſſe neceſſariò aperiendam in confeſſione, quia qui rem detinet inuito domino, facit illi iniuriam; ergo quo diutius detinet, eo maior iniuria illi facit; ergo tenetur hanc maiorem rem iniuriam in confeſſione aperire.

Secunda ſententia docet plura eſſe, & diuerſa numero peccata. 11.

Opinio ſecunda.

Primò enim nouum peccatum ipſe debitor committit, quoties actualiter proponit non reſtituere, & per pœnitentiam retractat iſtud propoſitum, & iterum ad illud reuertitur, & proponit non reſtituere.

Secundò, actu de nouo peccat, quotiès creditor ſuum debitum petit, & ipſe poteſt ſoluere, & non ſoluit.

Tertiò, quoties videt creditorem egere, quamuis non petat.

Quartò,

Sotus. Nauar. Caiet. Quartò, quoties vtitur re aliena. Ita Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 4. Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 54. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. addunt aliqui toties de nouo peccare, quoties habens commoditatem reſtituendi, aduertit ſe debere, & non reſtituit, quamuis nullum habeat actum poſitiuum non reſtituendi, inter quos eſt Nauarrus *allegatus*, & Canus *in relect. de ſacram. pœnit. part.* 4. §. *rurſus etiam.* Canus.

12. Tria in hoc puncto communiter recipiunt Doctores.

Primum eſt, diuerſas voluntates internas, vel actiones externas, quando inter ſe ſunt connexæ, vel in aliquo effectu continuantur, non eſſe diuerſa numero peccata, ac proinde aliquando acceptionem, & retentionem continuari poſſe per aliquod tempus, & eſſe idem numero peccatum. v. c. furto quis aufert rem alienam, & per aliquod tempus ex vi primæ acceptionis moraliter continuatæ rem illam humeris portat, & modò hunc, modò illum locum tutum quærit, vbi ſecurè illam abſcondat, & reponat, huiuſmodi actiones externæ, & volitiones internæ moraliter vniuntur inter ſe, & vna ab alia dependet, & procedit, vt animaduertit Sayrus *in claui reg. lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. & Turrianus 2. 2. *diſp.* 17. *dub.* 1. *num.* 4. Sayrus. Turrianus.

Secundum eſt quando inter ſe moraliter diſcontinuantur, ſiue retentio comparetur cum acceptione, ſiue cum aliis retentionibus, eſſe diuerſa numero peccata; quomodo verò diſcontinuentur, ſeu interrumpantur, diximus in ſecundo præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ, vbi de numero peccatorum egimus. In caſu igitur præſenti interrumpuntur,

Primò, per ſomnum, tunc enim illa retentio, quæ datur inter dormiendum, non eſt moralis, nec libera, & ideo retentio moralis, & libera, quæ poſtea in vigilia ſuccedit, iam non continuatur cum præcedenti retentione libera, quæ dabatur ante ſomnum, & conſequenter hæc ſubſequens eſt diuerſa.

Secundò diſcontinuantur interrumpunturque per voluntatem contrariam. v. c. habuit quis propoſitum reſtituendi, quia hoc propoſitum eſt contrarium voluntati retinendi, per prædictum propoſitum interrupta fuit mala voluntas non reſtituendi, & retinendi.

Tertiò, interrumpuntur per impotentiam reſtituendi, quia quandiu talis impotentia durat, pro tunc retentio nõ eſt moralis, nec peccaminoſa, quia prædicta impotentia excuſat à reſtitutione, ſi tamen poſtea adueniat potentia, & debitor non reſtituat, iam hæc retentio eſt diuerſa à priori.

Quartò, interrumpuntur per alios actus, ſeu actiones diſparatas. v. c. quando quis occupatur ſine vlla recordatione debiti in aliis rebus, vt ſtudendo, negotiando, liberando, venando & ſimilibus actionibus, quæ nullam habent connexionem cum prædicta retentione.

Tertium quod communiter admittunt Doctores in hac materia eſt, vt optimè animaduertit Molina *tom.* 3. *de iuſt. diſp.* 753. §. *hæc verò*, quòd quando eſt valde difficile cognoſcere quot diuerſa numero peccata per has interruptiones fuerint commiſſa in longa retentione, & dilatione reſtituendi, ſufficere in praxi fori confeſſionis, & pœnitentiæ, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confeſſarij, ſi pœnitens declarat, quanto tempore fuerit in mora culpabili; hinc enim attenta quantitate negotiorum, quibus quis occupari ſolet, plus minuſve coniectare poterit Confeſſarius numerum peccatorum, neque enim hæc mathematicè, ſeu arithmeticè, ſed moraliter examinari poſſunt. Molina.

13. Sed hîc duo dubiola emergunt neceſſariò explicanda. Primum eſt quando, & quomodo per huiuſmodi interruptiones aliquis nouum committat peccatum. Reſpondeo cum Sayro *in claui regia lib* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *à num.* 18. tripliciter hoc fieri poſſe. *Quomodo multiplicentur peccata interna, quomodo externa.* Sayrus.

Primò, quando animaduertit ſe habere huiuſmodi obligationem reſtituendi, poteſtque reſtituere, & tamen per actum poſitiuum non vult reſtituere, dicendo, nolo reſtituere.

Secundò, quando ad prædictam obligationem animaduertit, poteſtque reſtituere, & merè negatiuè ſe habet, id eſt, nec reſtituit, nec facit propoſitum reſtituendi, quia tunc illa omiſſio eſt voluntaria, & libera, ac proinde peccaminoſa, & cum Sayro *allegato* conſentit Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 54 *verſ. ſecundò*, quatenus aſſerit eum, qui de nocte in lecto, vel de die in Eccleſia recordatur, ſe alienum habere, poteſtque reſtituere, teneri ſtatim proponere reſtitutionem facere data commoda arbitrio prudentis opportunitate, & peccare mortaliter ſi hoc non proponat. Si tamen quæras, vtrùm ſemper teneatur aduertere. Reſpondent aliqui non teneri ad hoc animaduertere pro quolibet tempore, & momento, ſed in aliquibus occaſionibus, v. c. quando vult teſtamentum facere, ad confeſſionem accedere, vel facere magnas expenſas, domos extruendo, prædia emendo, & in aliis ſimilibus occaſionibus, in quibus diſtrahit bona ſua, tenetur enim tunc animaduertere ad quantum debeat, & an ſe faciat impotentem ad ſoluendum, ita multi Doctores. Nauar.

14. Secundum dubiolum emergens eſt, vtrùm quo mora reſtituendi fuerit longior, eo maior ſit obligatio reſtitutionis. *An quo mora fuerit longior, eo maior ſit obligatio reſtituendi.*

Reſpondeo primò non eſſe dubium ex longiori mora maiorem inſurgere obligationem reſtituendi, quia ex illa maior pullular iniuria, & damnum creditoris, quo autem hæc maiora ſunt, maior conſequenter eſt obligatio reſtituendi.

Reſpondeo ſecundò, ſi ex hac mora oriatur nouum damnum creditori, vel lucrum, & intereſſe ceſſet, hoc etiam eſſe reſtituendum præter capitale, quia propter iniuſtam retentionem, horum omnium damnorum iniuſta cauſa fuit prædictus iniuſtus retentor, qui potuit ſoluere, & reſtituere, & non reſtituit, & qui alteri eſt iniuſta cauſa damni, tenetur illud ei reſtituere in conſcientia, ante vllam iudicis ſententiam, *cap. ſi culpa tua, de iniurijs & damno dato.*

Reſpondeo tertiò, ſi non detur nouum damnum, nec ceſſet lucrum creditori, nihil amplius teneri iniuſtum retentorem reſtituere, quàm ipſum capitale. Et ratio eſt, quia quamuis peccatum ſit maius, & maiori iniuria fiat creditori ex longiori mora in reſtituendo, & hoc ſit in confeſſione explicandum, tamen ratione iniuriæ, quæ præſcindit à damno, non debetur reſtitutio, ſed ſatisfactio per petitionem veniæ, vt ſæpe diximus, & patebit ampliùs in octauo libro & præcepto huius operis.

15. Agedum, inquires iam, quomodo ſe debeat agere Confeſſarius circa pœnitentem grauatum ære alieno, qui potuit reſtituere, & non reſtituit; nam *Quomodo ſe debeat habere Confeſſarius*

cum iis, qui poſſunt reſtituere, & non reſtituunt.

nam ſi non potuit ratione alicuius cauſæ iuſtæ, pro tunc non peccauit, & conſequenter abſoluendus eſt. ſi adhuc ea impotentia durat.

Primò igitur rogabis, an quando debitor poteſt integrum debitum ſimul reſtituere, & non vult illud, niſi paulatim, & per partes reſtituere, abſoluendus ſit. Eſt duplex ſententia hac de re.

Opinio prima.

Prima affirmat abſolui poſſe, & non peccare Confeſſarium concedendo illi hanc dilationem, ſi concurrant hæ tres conditiones.

Primò, vt creditor nullum patiatur damnum, aut perexiguum, & non conſiderabile ex mora, quamuis alioqui ſit inuitus.

Secundò, ſi debitor differat ſolutionem ob aliquod commodum proprium, quia paulatim negotiatur cum pecunia.

Syluest. P.Nauarra.

Tertiò, ſi Confeſſarius prudenter timeat, quòd pœnitens aliter nihil reſtituet. Ita docet Syluester *verb. reſtitutio 5. quæſt. 5.* & Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 4. dub. 11. num. 68.* & alij. Et fundamentum eſt,

Primò, quia in eo caſu prudenter agit Confeſſarius negotium creditoris, in eo enim caſu abſoluendo conſulit debitoris fragilitati, & creditoris vtilitati, & negando abſolutionem vtrique nocet.

Secundò, quia minus malum licitè conſuli poteſt volenti facere, & perpetrare maius, ſed ſi pœnitens non vult reſtituere totum, eſt maius malum; ergo licitè ei poteſt conſuli, quòd reſtituat per partes, quod eſt minus malum reſpectu creditoris, præſertim quia in eo caſu ſi creditor ſciret ſtatum pœnitentis, rationabiliter credi poteſt, quòd conſentiret.

16. *Opinio ſecunda.*

Secunda ſententia verior, probabilior, & tenenda negat omnino abſolui poſſe, & aſſerit peccare Confeſſarium concedendo illi hanc dilationem in prædictis circunſtantiis. Ita Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 4.* Aragon. *2. 2. quæſt. 62. art. 8.* Sayrus *lib. 10. in claui regia, tract. 5. cap. 5. à n. 27.* Fundamentum eſt, quia debitor poteſt ſoluere totum, vt ſupponimus, & non habet cauſam iuſtam, ob quam excuſetur à nouo peccato non ſoluendo totum in ſolidum; ergo cùm actualiter peccet non ſoluendo, eſt incapax abſolutionis. Minor probatur, quia

Sotus. Aragon. Sayrus.

Non poteſt excuſari ex vi licentiæ Confeſſarij, Confeſſarius enim non habet authoritatem ad illam concedendum, neque enim eſt procurator creditoris, ſed eſt iudex, & ſecundùm allegata & probata debet procedere in hoc foro, vnde cùm pœnitens fateatur ſe poſſe reſtituere, tenetur Confeſſarius ex vi ſui officij illum obligare ad eam reſtitutionem ſtatim faciendam.

Secundò, non excuſatur ratione ſui commodi, quia nemo poteſt ſuum commodum promouere cum damno, & præiudicio tertij: atqui creditor dum ſuum debitum integrè non recuperat, patitur damnum ſaltem illud, quod in priuatione rei ſuæ conſiſtit; ergo abſoluendus non eſt.

Tertiò, quia non poteſt præſumi in his circunſtantiis conſenſus creditoris, neque Confeſſarius eſt negotij geſtor reſpectu creditoris, ſed eſt iudex, vt dixi, loco Dei ad abſoluendum, vel condemnandum pœnitentem; quamobrem tenetur potius conſulere pœnitenti negando abſolutionem, imò tenetur ſibi conſulere non peccando, quàm conſulere quomodo temporali creditoris: neque hoc eſſet minus malum conſulere, vt patet, ſed malum facere, & peccare, vt conſtat ex dictis, quod nunquam eſſe poteſt licitum.

Secundò rogabis, an qui ſemel, vel iterum non reſtituit cùm poſſet, & id Confeſſario promiſit, abſoluendus ſit, antequam cum effectu, & in re reſtituat, ſi poteſt reſtituere. 17.

Quid de eo qui ſemel, vel iterũ Confeſſario reſtitutionem promiſit, & non reſtituit.

Reſpondeo primò, ſi debitum fuerit publicum, quale reperitur in publicis, & manifeſtis vſurariis, & raptoribus Eccleſiarum, nunquam ſunt abſoluendi, nec prima quidem vice antequam ſoluant, vel præbeant cautionem, idque propter ſcandalum populi.

Reſpondeo ſecundò, ſi excommunicatio impoſita ſit non ſoluenti, vt dicitur, imponenda in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 12.* non ſoluenti decimas, in quo præcipitur, *vt qui eas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur*, quod intelligendum eſt, modò poſſint ſoluere, tunc enim nec ſemel etiam abſoluendus eſt aliquis, donec realiter, & cum effectu reſtituat, ſi poteſt reſtituere, vt ſupponimus, & non vult; ſufficiet tamen cautionem præſtare in vrgenti caſu.

Reſpondeo tertiò, quando peccatum non eſt publicum, ille qui ter, vel quater in præcedentibus confeſſionibus Confeſſariis promiſit ſoluere, & reſtituere, & non reſtituit, non eſt abſoluendus ordinariè, & regulariter loquendo, donec realiter reſtituat. Ratio eſt, quia ſuppoſitis reincidentiis prudenter iudicat Confeſſarius, quòd poſtea non reſtituet; atqui quando Confeſſarius prudenter timet reincidentiam in culpam, non poteſt pœnitentem licitè abſoluere, donec auferat occaſionem proximam peccandi, quando nullum datur inconueniens, aut modicum datur, vt ſolet contingere in concubinariis: igitur non eſt abſoluendus in prædictis circunſtantiis.

Dixi ordinariè, & regulariter loquendo, quia tales poſſunt ſæpe concurrere circunſtantiæ ex parte pœnitentis doloris, & propoſiti emendationis, vel aliæ ſimiles rationes perſonæ, loci, & temporis, vt prudenter iudicet Confeſſarius, quòd pœnitens non reincidet, & conſequenter debeat abſolui, in quo magna Confeſſarij prudentia, & maturum iudicium requiritur; ita cum multis, quos citat, docet Sayrus *in claui reg. lib. 10. tract. 5. cap. 5. num. 26.* 18.

Quid ſi concurrant aliqua circunſtantia, in quibus iudicet Confeſſarius abſolui poſſe.

Sayrus.

Rogabis tertiò, vtrùm poſſit abſolui ille, qui non vult reſtituere in vita, ſed in articulo mortis, aut poſt mortem, relinquendo hoc onus hæredibus ſuis. Reſpondeo negatiuè. Ita D. Thom. *2. 2. quæſt. 62. art. vlt.* Toletus *in ſumma lib. 5. cap. 24.* Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 12. num. 72. alias 62.* Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 4.* & alij communiter, inter quos etiam eſt Syluester *verb. reſtitutio 5. num. 7.* Et ratio eſt, quia ſi poteſt reſtituere, & non datur cauſa iuſta reſtitutionis differendæ, tenetur ſtatim reſtituere, & peccat non reſtituendo. ergo eſt incapax abſolutionis, vt ſuprà diximus. Dixi, *ſi non datur cauſa iuſta differenda reſtitutionis*, quia alioqui poteſt dari cauſa ſufficiens ad prædictam reſtitutionem differendam poſt mortem. v. c. ſi debitor in vita non potuit reſtituere ſine infamia, vel aliquo alio graui damno, & tunc, ne etiam poſt mortem eadem ſequatur infamia, poterit id in teſtamento relinquere creditori, vel eius hæredibus per modum legati, quo pacto vidi aliquando à prudentibus, & ſapientibus Confeſſariis ita factum fuiſſe, vt famæ debitoris poſt mortem illius conſulerent. 19.

De nolẽte reſtituere in vita, volẽte tamen poſt mortem relinquere id onus hæredibus ſuis, quid.

D.Thom. Tolet. Nauar. Sotus. Syluest.

Si quæras, vtrùm pœnitens in materia reſtitutionis 20.

An pœnitens in materia reſtitutionis teneatur ſemper obedire Confeſſario.

tionis teneatur ſemper obedire Confeſſario. Reſpondeo affirmatiuè, ſi alioqui ipſe pœnitens non ſit Doctor, vel conſuluerit doctiores, & ex illorum conſilio iudicet ſe non teneri hic, & nunc ex aliqua cauſa iuſta ad id, quod Confeſſarius ei præcipit, quam fortè non percipit ipſe Confeſſarius, vel iudicat non eſſe ſufficientem, alij verò docti, & timorati iudicant eſſe ſufficientem.

SVMMARIVM.

Ordinariè loquendo res eſt reſtituenda in loco, in quo accipitur. num. 21.

Si debitum oriatur ex re accepta bona fide, tenetur debitor eam reſtituere in loco, vbi illam accepit, & non tenetur aliò mittere proprijs expenſis. num. 22.

Quid ſi ipſe detentor, & acceptor bonæ fidei mutet locum, & rem ſecum deferat an teneatur illam mittere proprijs expenſis ad priorem locum vbi tenebatur illam ſoluere. num. 23.

Quando res debetur ex contractu, & pacto, & in eo exprimitur locus, in quo ſit ſoluenda, ibi ſoluenda eſt. num. 24.

Quando res debetur ex contractu, & contractus fuit factus in vtilitatem vnius partis, reſtituenda res eſt in loco vbi fuit tradita expenſis illius in cuius vtilitatem contractus fuit celebratus. num. 25.

Quid ſi commodator rem commodauit in hoc loco, & poſtea diſcedat in alium longiorem, an tunc commodatarius, qui tenebatur illam ſoluere in loco, in quo rem accepit, teneatur illam mittere ſuis expenſis ad alium longiorem. num. 26.

Quid quando in contractu non exprimitur locus, in quo res eſt reſtituenda. num. 27.

An cenſus qui imponitur ſuper rem aliquam, ſoluendus ſit in loco in quo res eſt, an in loco vbi creditor exiſtit, quando nihil deductum fuit in contractu. num. 28.

Quid ſi cenſus ſit perſonalis tantum. num. 29.

Quando creditor ante tempus aſſignatum ſolutioni diſcedit à loco vbi debitor tenebatur ſoluere, non tenetur debitor mittere ſolutionem ſuis expenſis ad illum locum, ad quem diſceſſit. num. 30.

Quid ſi creditor dedit mutuum, vel vendidit dilata ſolutione, & poſtea in longiorem locum diſceſſit. num. 31. 32. 33.

An quando condemnatur aliquis pœna pecuniaria, vel confiſcatione bonorum, teneatur hanc condemnationem ad domum iudicis deferre. num. 34.

An quando debitor ex contractu fuit in mora ſoluendi tempore præfixo, teneatur ſolutionem ſuis expenſis in longiorem locum mittere, ſi creditor in illum diſcedat. num. 35.

An fur, & vſurarius teneantur ſuis expenſis reſtituere, quando creditor in alium locum profectus eſt. num. 36.

An teneatur fur & vſurarius eas expenſas facere ſi ſint maiores, aut æquales furto & vſuris. num. 37.

Refertur ſententia affirmans. ibid.

Iudicium authoris, & ſecunda ſententia negans ſub certa moderatione præfertur. num. 38.

21. VT procedamus cum claritate, & diſtinctione, nonnulla noſtro more ſunt notanda & ſupponenda, quæ ſemper ante oculos ſunt habenda, quia multum ad diſtinctionem inſeruire poſſunt. Supponimus igitur in primis, creditorem, & debitorem eſſe in diuerſis locis. Supponimus etiam, ordinariè loquendo, rem eſſe reſtituendam eodem loco in quo accipitur, vt colligitur ex *cap. Epiſcopus*, & *ex cap. reintegranda 3. quæſt. 1.* & notat Sayrus *in claui regia, lib. 10. tract. 5. cap. 4. num. 1.* Dixi, *ordinariè*, quia excipiuntur aliqui caſus, vt ex dicendis infrà patebit. Item ſupponimus debita poſſe eſſe contracta, vel ex contractu, vel quaſi contractu, vel ex delicto, vt ex furto, & iniuſta acceptione, & debita ex contractu, vel quaſi contractu ad tria capita reuocari poſſe. In primo capite continentur res, quæ eædem numero ſunt reſtituendæ, vt videre eſt in commodato, in depoſito, in pignore, &c. In ſecundo continentur res, quæ in pretio, vel in æſtimatione æquiualenti ſunt reſtituendæ, vt in mutuo, vendito, &c. In tertio continentur res, quæ debentur ex donatione, vel promiſſione gratuita, vt notat Leſſius *tom. 1. de iuſtit. lib. 2. cap. 15. dub. 18. num. 52.*

Res in quo loco reſtituẽda ſit. — Sayrus. — Leſſius.

His igitur notatis, & ſuppoſitis tria ſunt certa in hoc negotio. 22.

Si debitor oriatur ex re accepta bona fide, quid.

Primum eſt, quando debitum oritur ex ſola re accepta bona fide, teneri debitorem eam tantummodo reſtituere in loco vbi eam accepit, & non obligari eam mittere propriis expenſis domino abſenti. v. c. inueniſti rem alienam, & accepiſti eam, ſeruaſtique animo quærendi dominum illius; vel tibi appropriaſti credens eſſe tuam, quia habebas aliam ſimilem, ſatisfacis, reſtituendo in loco, vbi eam inueniſti, aut accepiſti. Ratio eſt, quia es poſſeſſor bonæ fidei, & talis poſſeſſor non tenetur cum ſuo damno domino ſatisfacere, & illum ſeruare indemnem, nam ſolùm tenetur rem cuſtodire ſaltem ex charitate, & monere dominum. Vnde ſi interim aliquas expenſas faciat in re cuſtodienda, & conſeruanda, poteſt illas deducere, ita communiter Doctores.

23. *Quid ſi ipſe detentor, & acceptor bonæ fidei mutet locum, & rem ſecũ deferat.*

An verò, quando talis detentor, & conſeruator bonæ fidei mutat locum, & ab illo in quo rem inuenit, in alium commeat, & eam ſecum defert, teneatur propriis expenſis ad priorem locum remittere, dubitatio eſt communis? Cui ſic reſpondeo, ſi bona fide eam ſecum detulit, vel quia non animaduertit eam eſſe alienam, vel quia commodè eam non potuit in eodem loco relinquere, vel quia ſi relinqueretur in illo conſeruari non poterat, periculo exponeretur vel amiſſionis, vel deteriorationis, non teneri ad tales expenſas, ita Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 15. dub. 18. à n. 52.* & Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 4. n. 11.* Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 33. §. in hac quæſtione.* Syluester *verb. reſtitutio 3. num. 8. in fine.* Et ratio eſt, quia cùm vtiliter rem alienam quis gerit, nemo tenetur propriis expenſis eam gerere, & conſeruare. *l. cùm pecunia ff. de negotijs geſt.* Vnde ſi tutor more ciuitatis mittit encænia magiſtro ſui pupilli, tenetur pupillus illam miſſionem poſtea ratam habere ratione ſuorum negotiorum vtiliter geſtorum, *l. cùm plures, ff. de adminiſtr. tutor.* quia talia encænia ex quo ſunt in vrbe conſueta, dicuntur quaſi debita, vt optimè animaduertit Syluester *allegatus*, ex gloſſa *in l. 1. §. ſed nonnullos, ff. de tutel. & rat. diſtr.* Et ſi maritus dotem vxoris expendit pro ea redimenda à captiuitate, vel pro redimendis propriis filiis ex eadem vxore ſuſceptis, tenetur illa id ratum habere eadem ratione negotiorum vtiliter geſtorum, vt docet Syluester *verb. reſtitutio 3. num. 8. verſ. ſextum*, & patet ex *l. ſed ſi ideo. ff. ſoluto matrimonio.*

Leſſius. Sayrus. Azor. Syluester.

Si maritus redimat ex dote vxorem vel filios ex ea vxore ſuſceptos à captiuitate, tenetur illa poſtea id ratum habere.

24. *Quando res debetur ex*

Secundum eſt, quando res debetur ex contractu, & pacto, & in eo exprimitur locus in quo reſtitui

contractu & pacto, & in eo exprimitur locus, in quo ſit ſoluenda, ibi ſoluenda eſt.

reſtitui debeat, ſtandum eſſe prædicto contractu, ſi eſt iuſtus, quia contrahentes mutuo conſenſu ſe obligarunt ad talem locum. v. c. ſi Titius det pecuniam Sempronio, eo pacto, & conditione, vt eam ſoluat ipſe Sempronius in loco vbi ipſe fuerit, & non in loco vbi Titius fuerit, tenebitur Titius ibi eam accipere, quia hic contractus, vt notat Azor. *tom.3. lib.4. cap.33. §. quartò dicimus*, potuit eſſe iuſtus, & cedere in vtilitatem vtriuſque. Similiter, qui locat rem ſuam, ſi in contractu locationis exprimatur, quòd pretium ſoluatur in domo locatoris, ſtandum erit contractu, dummodo ſit iuſtus, & habeat alias conditiones ad imponendum iuſtè hoc onus.

Azor.

25. *Quando res debetur ex contractu, & contractus fuit factus in vtilitatē vnius partis, quid.*

Tertium eſt, quando ex contractu eadem res numero debetur, & contractus fuit factus in vtilitatem vnius tantùm partis, reſtituendam rem eſſe in loco vbi fuit tradita, idque expenſis illius in cuius vtilitatem initus fuit contractus. Fundamentum eſt, quia in huiuſmodi contractibus implicitè ea conditio videtur includi, vt res in eo loco tradatur, in quo accipitur: deinde quia qui ſentit commodum, ſentire debet onus, iuxta regulam iuris notiſſimam; ſed onus tantùm contrahens ſentit commodum ex eo contractu; ergo is ſentire debet onus expenſarum. v. c. qui accepit veſtem, librum, triticum, vinum, &c. commodatum ab amico in domo amici, tenetur reſtituere propriis expenſis in domo eiuſdem amici commodantis, & loco in quo accepit, niſi aliter ille conſenſerit Idem dicendum eſt de debitis gratuitis ex legato, promiſſione, vel donatione. Si enim promiſſor, donator, vel teſtator non explicauit, vt ſuis ſumptibus res mittatur, tunc intelligitur quòd expenſis donatarij, promiſſarij, aut legatarij ad illos mittenda res ſit. Idem etiam dicendum eſt de depoſitario, qui gratis rem depoſitam cuſtodit. Ita communiter DD. Leſſius *tom.1. de iuſtit. lib.2. cap.15. dub.8.* Bald *tract.4. cap.5. dub. vnic. §. reſpondeo, & dico 1.* Azor. *tom.3 lib.4. cap.33. §. tertiò dicimus.* Molina *tom.3. diſp.752. aliàs 652. concluſ.2.* Si verò contractus cedat in vtilitatem vtriuſque, tunc æqualiter faciendæ ſunt prædictæ expenſæ; & ſi in maiorem vtilitatem alicuius cedat, huic etiam maior pars expēſarum tribuetur.

26. *Quid ſi commodator rem commodauit in hoc loco, & poſtea diſcedat in alium longiorem.*

Dubium verò non leue hîc inſurgit circa huiuſmodi contractus cedentes in vtilitatem vnius tantùm contrahentium, quid ſcilicet agendum ſit, ſi alter mutet domicilium, vel res aliò diſtrahatur. v. c. quid agendum ſit, quando commodator mutauit locum domicilij, vtrùm teneatur cōmodatarius rem ad illum mittere, ſoluendo expenſas illius maioris diſtantiæ. Reſpondent authores communiter negatiuè, quia commodatarius non accepit rem commodatam in eo loco remoto ad quem deceſſit commodator: deinde, quia non fuit cauſa illius maioris diſtantiæ; ergo nullo ex capite tenetur ad eas maiores expenſas, & idem dicendum eſt de depoſitario reſpectu deponentis. Sed quid quando res à domo depoſitarij transfertur à latrone, vel ab alio in alium locum. Reſpondeo, ſi ſine culpa depoſitarij id contingat, quærenda res eſt expenſis proprij domini, quia vitium adueniens rei depoſitæ, ſine culpa depoſitarij cedit domino ipſius rei; ſi tamen ex culpa depoſitarij lata proueniat, tunc ipſius expenſis quærenda eſt, quandò depoſitarius nihil pro depoſito accepit. nam ſi aliquid accepit, non ſolùm tenetur de culpa lata, ſed etiam de leui, non tamen leuiſſima.

Sed quid quando ex contractu non reſtituitur eadem res numero, ſed reſtituitur pretium, vel æſtimatio illius pro illa, in quo loco, & cuius expenſis fieri debet hæc reſtitutio? Dubium procedit tantùm quando in contractu non exprimitur locus, in quo pretium rei eſt ſoluendum. Quærimus igitur, vtrùm ex intrinſeca natura talis contractus teneatur debitor pretium ſoluere in loco, in quo rem accepit à creditore. Affirmatiua pars vera eſt, quam tenet Molina *tom.3. de iuſtit. diſput. 752. concluſ. 2.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib.2. cap.15. dub.8. num.56.* Azor. *tom 3. lib.4. cap.33. §. tertiò quandocumque*, & alij. Ratio eſt, quia, vt ſeruetur æqualitas, debet aſſignari locus certus, & determinatus, in quo fiat reſtitutio, ſed quando alius locus non aſſignatur, ſi in contractu non includatur intrinſecè, is locus in quo res traditur, non ſeruatur æqualitas in tali contractu; ergo implicitè includitur intrinſecè, quando aliud non exprimitur. Maior patet, quia ſi liberum eſſet debitori ſoluere vbicumque vellet, magnum detrimentum pateretur creditor; traderet enim rem ſuam Eboræ, & debitor teneretur ſoluere Romæ, ſi illò domicilium mutauerit, in quo magna datur inæqualitas. Minor inde probatur, quia in contractu mutui, venditionis, aut permutationis, id quod ſoluitur, ſiue ſit pretium, ſiue aliud ſimile, ſubſtituitur loco rei, quam debitor accepit; ſed in tali loco rem accepit; ergo ſubſtitutio debet eſſe æqualis non ſolùm in re, ſed etiam in loco, & conſequenter ſecundùm eundem locum æſtimandum eſt id, quod datur pro tali re, vnde ex vi contractus mutui, venditionis, vel locationis præcisè conſideratæ non poteſt quis obligari ad ſoluendum in alio loco, in quo rem non accepit, vt notat Leſſius *allegatus*, quia ſoluere in alio loco eſt nouum onus vltra principale. ergo ſi ex alio capite id non honeſtetur, non poteſt ex vi horum contractuum præcisè ſequi, vt in materia de contractibus latiùs ſolet examinari, atque expendi.

27. *Quid quando in contractu non exprimitur locus, in quo res eſt reſtituenda.*

Molin. Leſſius. Azor.

Rogas hîc, vtrùm cenſus, qui imponitur ex emptione, vel locatione ſuper rem aliquam, ſoluendus ſit in loco, vbi res eſt, an in loco vbi creditor exiſtit. v. c. venditur cenſus ſupra domum, vel agrum, quærimus, an ſoluendus ſit in loco vbi eſt domus, vel ager? Affirmant Doctores citati. Fundamentum eſt, quia talis cenſus eſt, realis, ac proinde ſoluendum eſt in loco vbi res eſt, eſt enim fructus rei, ſeu inſtar fructus ipſius rei; ſed fructus ex vi, & natura contractus præcisè ſpectati, & ſecluſa quacumque alia conditione traditur vbi naſcitur; ergo, &c. Dixi, *ex natura contractus*, quia aliquando ex conſenſu partium exprimitur quod feratur ad domum creditoris, & pro hoc onere minuitur aliqua pars cenſus. v. c. ſi in eodem loco in quo res naſcitur, debebat ſoluere decem, ſoluit 9. vel 8. cum onere ferendi ſolutionem ad domum creditoris, & hoc modo iuſtus eſt contractus, quia iuſtè componitur, & compenſatur illud onus. 28.

Cenſus qui imponitur ſuper rem aliquam, in quo loco ſoluēdus ſit.

Vtrùm verò quando cenſus eſt merè perſonalis, id eſt, cui ſola perſona debitoris eſt adſtricta, & obligata, non verò res alia, aut poſſeſſio hypothecata, ſoluendus ſit in loco, vbi perſona commoratur. Reſpondēdum eſt affirmatiuè, dummodo ipſe à priori loco non deceſſerit ad alium remotiorem. hinc iuxta aliquos colligitur emphyteutam teneri ſoluere penſionem emphyteuſis in loco vbi emphyteuſis eſt; niſi aliter expreſſum ſit in contractu emphyteutico, aut conſuetudo 29.

Quid ſi cenſus ſit perſonalis tātùm.

tudo regionis habeat, quia illa penſio eſt poſita in agro emphyteutico, non in perſona, iuxta aliquos, qui olim id exiſtimarunt: at alij meliùs cenſent, emphyteutas dominis directis eſſe perſonaliter obligatos ad præſtationem penſionis, & ideò ſoluendam eſſe penſionem in locis vbi domini directi commorantur, modò ipſi longiſſimè poſtea non diſceſſerint, ad alia loca valde diſtantia ab illis, in quibus res in emphyteuſim tradiderunt; & verò quòd emphyteutæ perſonaliter ſint obligati ad præſtationem penſionum pro rebus traditis in emphyteuſim, docet Sylueſter *verb. emphyteuſis*, *num.* 12. & alij communiter, & conſtat ex *l. Zenonis*, *& l.* 1. *&* 2. *C. de act. & obligat. & Inſt. de action.* §. *appellamus.* Vnde omnes actiones domini directi aduersùs emphyteutas ſunt perſonales, & non reales, & ſic caſu aliquo, vel alluuione deteriorato fundo, aut prædio emphyteutico non minuitur penſio, ſicut nec etiam augetur propter augmentum alluuionis, vt docet Valaſcus *de iure emphyteutico, quæſt.* 10. *num.* 7. *& quæſt.* 21. *num.* 3. *&* 4. vbi *in dicto num.* 4. dicit ſufficere partem aliquam manere, etiam non dimidiam, vt emphyteuta maneat adhuc obligatus penſioni, & id probat per multos, & multa iura; ſi tamen tota emphyteuſis funditus euertatur, & pereat, clades illa, & fatalitas domino directo imputatur, & liberatur emphyteuta à penſione; ſunt enim omnes actiones perſonales affixæ oſſibus noſtris. *l. quis ergo*, *ff. de pecul.* & ita præter Sylueſtrum *allegatum*, tenet Ioannes Andreas *ibi in addit.* & Baldus *in l.* 2. *C. eodem*, & Abbas Panormitanus *in cap. iudicatum*, *de immunitate Eccleſiarum.*

30. *Quando creditor ante tẽpus aſſignatũ ſolutioni diſcedit à loco, vbi debitor tenebatur ſoluere, quid.*

Sed inquies, quid faciendum ſit quando creditor, vel debitor mutant domicilium. Reſpondeo aliqua in hoc caſu eſſe communiter recepta apud authores.

Primum eſt, quando creditor ante tempus deſtinatum diſcedit ab eo loco, à quo ex natura contractus, vel ex conſenſu contrahentium fieri debet ſolutio, non teneri debitorem ſuis expenſis ei mittere ſolutionem, quia debitor ſolùm tenebatur ſoluere tali loco. Vnde ipſe ſibi imputet eas expenſas, ſiquidem mutari voluit. v. c. vendit quis Oliſipone ſuum equum, vel dedit mutuam pecuniam vſque ad quinque, vel ſex menſes, & poſt duos, vel tres proficiſcitur Romam, non tenetur debitor Romam mittere ſolutionem, ſed Oliſipone tantùm ſoluere, ita communiter DD.

31. *Quid ſi creditor dedit mutuum, vel vendidit dilata ſolutione, & poſtea in longiorem locum diſceſſit.*

Secundum eſt, ſi creditor dedit mutuum, vel vendidit dilata ſolutione, & non præfixit terminum, nec miſit, qui debitum recuperaret, & poſtea aliò diſceſſit, non teneri debitorem ex iuſtitia ſolutionem eò mittere propriis expenſis, ſed teneri tantùm paratum eſſe, vt ſoluat quando creditor petierit, ſi petat in loco vbi vendidit, & mutuum dedit. Ex charitate verò, ſi id poſſit facere ſine aliquo damno ſuo conſiderabili, & certus eſt ſe recuperaturum ſuas expenſas, quas fecerit in ſolutione mittenda, probabile eſt teneri; ſi verò non habeat huiuſmodi ſpem, certum eſt non teneri, ac proinde tuta conſcientia poteſt illam retinere, quandiu à ſe non petitur, quia rationabiliter iudicare poteſt, dominum non eſſe inuitum, imò irrationabiliter eſſet inuitus, vt de ſe patet, quia debitor ſolùm ex natura contractus, quando aliud in pactum non fuit à principio deductum, tenebatur ſoluere in loco à quo creditor diſceſſit, vt *ſuprà* diximus.

Tertium eſt, ſi creditor, quando non præfixit terminum ad ſoluendum rem ſecum erat delaturus, & eam reliquit debitori, ſeu mutuatario, & ex hoc capite illi ceſſauit aliquod lucrum, vel damnum emerſit. v. c. quia ſine expenſis, vel ſaltem multo minoribus rem ſecum delaturus erat, tunc teneri debitorem ad rem mittendam propriis expenſis, quatenus compenſet illud lucrum ceſſans, & damnum emergens. 32.

Quartum eſt, ſi debitor diſcedat à loco deſtinato ad ſolutionem, vel ex natura contractus, vel ex conuentione contrahentium, tunc teneri propriis expenſis in eodem loco à quo diſceſſit ſoluere, quia tunc ipſe fuit cauſa talium expenſarum; ac proinde eas ſibi imputet. hæc omnia quatuor aſſerta docent Sayrus *in claui regiâ lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. 8. *&* 11. Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 17. Molina *tom.* 3. *de iuſt. diſput.* 752. *in fine*, & conſentiunt communiter Doctores. 33.

Sayrus. P. Nauarra. Molina.

Agamus nunc de ſolutione debitorum ex delicto. Et

34. *Quid quando condemnatur aliquis pœna pecuniaria, vel confiſcatione bonorũ.*

Primum dubium hîc inſurgens eſt; an quando aliquis condemnatur pœna pecuniaria, vel confiſcatione bonorum, teneatur deferre ſuum debitum, ſeu hanc condemnatoriam ad domum iudicis condemnantis, vel ad domum creditoris. Pars negatiua communis omnino eſt, ſiue conſideretur pœna ante latam ſententiam, ſiue poſt latam ſententiam, ſufficit enim, quòd reus condemnatus, ſit paratus ad ſoluendum, quoties ſententia per iudicem aduersùs ſe ipſum executioni mandetur, nemo enim tenetur eſſe executor ſuarum grauium pœnarum, cùm id valde durum, & ſupra vires humanas ſit. Ita docet Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 9. Suarez *de fide, diſp.* 22. *ſect.* 2. *à num.* 3. Sanchez *tom.* 1. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 22. *à num.* 8. cum multis, quos *ibi* citat; & ratio eſt, quia ſi pœna non imponitur ipſo iure, creditor non habet ius ante ſententiam latam: ſi imponitur ipſo iure, vel ſententia iam lata eſt, debitor, ſeu reus non tenetur in ſe actiuè exequi ſententiam, ſed paſſiuè obedire, & ſuſtinere pœnam, vt communiter tradunt Doctores citati, & alij agendo de obligatione rei damnati; quamobrem nec etiam ſecuta ſententia condemnatoria, tenetur reus bona ſua offerre fiſco, ſed tantùm tenetur non reſiſtere, quia ſententia non condemnat illum vt bona tradat, ſed dat fiſco, & creditori actionem ea capiendi & petendi; ita præter citatos Molin. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 66. *verſ. addit optimè*, *& diſp.* 95. *verſ. ad ſecundum principale.* Simancas *de cathol. inſt. tit.* 9. *num.* 184. *&* 209.

P. Nauarra. Suar. Sanchez. Molina.

35. *Quid ſi debitor ex contractu fuit in mora ſoluendi tẽpor præfixo.*

Secundum dubium eſt, quando debitum ortum fuit ex contractu, & elapſo tempore præfixo ad ſoluendum, & debitor non ſoluens incepit eſſe in mora culpabili, vtrùm teneatur propriis expenſis ſolutionem mittere creditori abſenti, ſi hic in alium locum diſceſſit? Communis ſententia eſt. Si creditor ſolutionem ſecum portaturus erat ſine vllis expenſis, teneri debitorem cum propriis eam ad illum mittere. Ratio eſt, quia debitor ex vi contractus tenebatur ſoluere in eo loco, à quo diſceſſit creditor, ſed ex ſua culpa nõ ſoluit; ergo ſibi imputet damnum expenſarum, ſi quod poſtea patitur in mittenda ſolutione, quia hoc nouum onus proximè, & immediatè ex ſua culpa oritur; remotè verò oritur ex contractu, quia ex illo tenetur debitor ſeruare indemnem creditorem, nec creditor tenetur expectare in eo loco

ſolutio

ſolutionem, elapſo iam tempore, quo illa erat danda, quia hoc eſſet nouum onus, quod iniuſtè pateretur. Si verò creditor cum aliquibus expenſis portaturus erat ſolutionem, poteſt debitor illas deducere, quia debitor ſolùm tenetur ſeruare indemnem creditorem, id eſt, quò non ceſſet ei aliquod lucrum, nec damnum emergat ex culpa ipſius debitoris, ſed ſi debitor tempore præfixo, ſolueret, creditor aliò profecturus, facturus erat aliquas expenſas in deferenda pecunia, vel alia re ſimili pro ſolutione data; ergo ad has non tenetur debitor, quia non fuit illarum cauſa iniuſta, & conſequenter poteſt illas deducere: ita Molina *tom.3. diſp.752. concluſione 3* Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.15. dub.8. num.48.* Valentia *tom.3. diſp.15. quæſt.6. punct.8.* & alij, quos ipſi citant.

Molina. Leſſius. Valent.

36. *An fur, & vſurarius teneatur ſuis expenſis reſtituere, quando creditor in alium locum profectus eſt.*

Tertium dubium eſt, quando obligatio reſtituendi immediatè oritur ex delicto, v. c. ex furto, ex vſura, vel ex quacumque alia actione, vel retentione iniuſta damnoſa alteri. Vtrùm reſtitutio fieri debeat expenſis debitoris, v. c. furis, aut vſurarij, & in loco in quo dominus rem ſuam poſiturus erat, niſi ab eo furto, & vſuris tolleretur iniuſtè. Pars affirmatiua eſt certa, hanc tenent citati authores cum multis aliis, quos ipſi referunt. Fundamentum liquidiſſimum eſt, quia iniuſtus ablator tenetur dominum reponere in antiquo ſtatu, à quo eum iniuſtè deiecit, atque deturbauit. Atqui dominus rem ſuam poſſidebat in tali loco; ergo in eodem conſeruandus eſt indemnis; ac proinde ſi ad huiuſmodi conſeruationem requiruntur aliquæ expenſæ, iniuſtus detentor, & latro eas ſibi imputet, & ſuæ iniuſtitiæ, & nequitiæ; poterit tamen deducere expenſas, quas dominus rei facturus erat rem illam ſecum deferendo, aut rem alendo, & conſeruando; quòd ſi dominus nullas facturus erat, quia gratis ei commodabatur equus ad eam rem deferendam ad illum locum, in quo modò eſt, tunc tenetur debitor non deducere illas, quas facturus erat, niſi ei equus gratis commodaretur: itaque tenetur latro, & iniuſtus detentor ad omnes illas expenſas, quæ neceſſariæ ſunt, vt dominus reddatur indemnis, & in antiquo ſtatu, à quo iniuſtè deiectus fuit, reponatur, ac reſtituatur, id enim reſtitutio ſignificat.

37. *An teneatur fur, & vſurarius eas expenſas facere, ſi ſint omnino maiores, aut æquales furto & vſuris.*

Dubitant aliqui, quando res reſtitui nequeat ſine magnis expenſis, v. c. maioribus, quàm ipſa valeat, vel æqualibus, aut paulo minoribus, an teneatur debitor, ſeu fur, & latro has omnes facere, vt huiuſmodi res domino ſuo reſtituatur. Partita eſt ſententia.

Sententia prima.

Prima affirmat, eam tenet Caietanus *2.2. q.62. art.5. ad 3.* vbi diſtinguit, an reſtitutio facienda ſit ex delicto, ſeu ex cauſa iniuſta, vt ex furto, ex rapina, ex vſura: an ex contractu, & ſine iniuſtitia, vt ex inuentione, ſucceſſione, mutuo, depoſito, &c. & in primo caſu ait teneri furem ad expenſas, etiam in quadruplum, ſi aliter reſtituere non poteſt: in ſecundo negat, modò mora, aut fraus ex parte illius non detur, & id docet etiam Richardus *in 4. diſt.15.* & Sotus *ibidem*, quos citat, ac ſequitur Caietanus *ibidem*, docet etiam Valentia *tom.3. diſput.5. quæſt.6. punct.8.* Petrus Nauarra *lib.4. cap.3. dub.1. num.5. & 6.* & probabilem dicit Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.15. dub.8. n.50.* Et ratio illorum eſt, quia debitor tenetur ſeruare indemnem creditorem, quem iniuſtè læſit; ſed illæ expenſæ ſunt medium neceſſarium, vt dominus conſeruetur indemnis. ergo tenetur debitor eas facere. Minor patet, quia niſi illæ fiant, dominus carebit re ſua, cùm aliter non poſſit ei reſtitui, vt ſupponimus; ergo non ſeruatur indemnis, imò damnum patitur, quia adhuc re ſua iniuſtè priuatur. Confirmatur, quia iuſtitia & recta ratio poſtulat, vt debitor, ſeu latro nocens potius ſuſtineat illud damnum, quàm creditor innocens patiatur iacturam rei ſuæ. Tandem, quia velit, nolit ipſe latro, aut vſurarius, cùm rem iniuſtè furtis, & aliis modis iniuſtis à ſuis dominis abſtulerunt, ad id ſe virtute obligarunt, & conſequenter ex natura rei & iniuſtæ ablationis ex iuſtitia obſtricti manent, ad quaſcumque expenſas faciendas, vt rem illam furto ablatam domino reſtituant, alioquin non in minimo faueremus latrociniis, ſi latrones ob has expenſas magnas, & valorem rei furto ablatæ excedentes excuſaremus per aliquod ſaltem tempus, licèt omnino illos non excuſemus; nec dici poteſt huiuſmodi debitores obligari ad aliud, quàm ad reſtitutionem; non enim obligatur niſi ad reſtitutionem tantùm, per accidens enim eſt quòd ex tali reſtitutione maiores ſequantur expenſæ, quàm ſit proprium, quod eſt reſtituendum, tenetur enim debitor ad conſummatam reſtitutionem quæ per accidens eas requirit expenſas.

Richard. Sotus. Caiet. Valent. P. Nauarra. Leſſius.

38. *Sententia ſecunda.*

Secunda ſententia negat, & ait in prædictis circunſtantiis poſſe debitorem differre reſtitutionem, ſi detur ſpes, quòd poſtea prædicta reſtitutio fiat moderatis expenſis; & verò ſi talis ſpes non detur, non teneri cum tantis expenſis rem proprio domino mittere, ac reſtituere, ſed poſſe eam in bonum ſpirituale creditoris applicare pauperibus, & operibus piis ex tacita mente creditoris, & hanc tenet Molina *tom.3. de iuſt. diſp.752. concluſione 3. in fine.* Aragon. *2.2. quæſt.62. art.2. ad 3.* Salon. *ibidem*, & Leſſius *citatus dicto tom.1. de iuſt. lib.2. cap.15. dub.8. num.50.* & alij. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia iuſtitia ſolùm obligat ad æqualitatem; ſed magna videtur inæqualitas obligare debitorem, & furem, quòd expendat centum aureos, & eo plures, vt reſtituat alios centum, quos debet; ergo non videtur obligandus. Si quis dicat iuſtitiam obligare debitorem, primò & per ſe, vt ſoluat, & ſeruet indemnem creditorem, & conſequenter obligare ad media neceſſaria ad hunc finem, & illas expenſas, eſſe media neceſſaria ad talem finem, quibus debitor, ſeu latro, & fur voluntariè velit nolit ſe expoſuit, ac conſequenter etiam ad illas obligandum eſſe neceſſariò, pro vtroque foro. Reſpondent authores huius opinionis, quamuis iuſtitia obliget furem & debitorem, vt cum damno ſuo ſeruet indemnem creditorem, non obligare tamen, vt cum tam exceſſiuo damno id præſtet. Secundum fundamentum eſt, quia æquitas & ratio poſtulat, vt dominus in eo caſu conſentiat in tali modo reſtitutionis, nempe quòd fiat pauperibus, quòd ſi non conſentit, cenſetur irrationabiliter iniuſtus, quia alioqui obligaretur debitor, cogereturque incidere in magnam paupertatem, & à ſtatu ſuo cadere, quod eſt nimis durum. Ego vtramque opinionem iudico probabilem, primam tamen ſpectato rigore iuris probabiliorem exiſtimo; & in eam ſemper inclinarem, ſaltem in ea circunſtantia, in qua debitor à ſtatu ſuo non caderet, conſideraris enim & expenſis omnibus, illa præeſt, ac præfertur.

Molin. Aragon. Salon. Leſſius.

Iudiciũ Authoris.

CAPVT

Caput XXV.

Qualis ignorantia & impotentia excuſent à reſtitutione furtorum, & debitorum, & quid de extrema neceſſitate.

SVMMARIVM.

An debitores poſſint excuſari à reſtitutione, ob cauſas iuſtas, & quæ ſint iuſtæ cauſæ. num. 1.

Quid ſit ignorantia inuincibilis, & an ea excuſet à ſolutione debiti. num. 2.

Quid de ignorantia inuincibili iuris & facti. num. 3.

An ſi vnus teſtis omni exceptione maior affirmet alicui hæredi, inſtitutorem ſuum reliquiſſe alicui perſonæ certum legatum, teneatur hæres ei credere, & legatum ſoluere. num. 4. *Refertur prima ſententia affirmans.* num. 4.

Præfertur negans. num. 5. & 6.

An vnus teſtis fide dignus affirmans coniugem eſſe mortuum ſufficiat, vt alter coniux ad ſecundas nuptias tranſeat. num. 4. & 5.

Impotentia reſtituendi quomodo, & quatenus excuſet. num. 7. & 8.

An debitor, & fur excuſetur à reſtitutione, dum non poteſt reſtituere niſi cum propria infamia, aut ſcandalo aliorum. num. 9.

An extrema neceſſitas debitoris excuſet à reſtitutione, quando creditor eſt in eadem extrema neceſſitate. num. 10. 11. 12. *Refertur prima ſententia negans, & aſſerens teneri debitorem reſtituere in eo caſu eundem. v. c. equum extantem domino ſuo, ſi ſimiliter illo extremè indigeat ad ſaluandam vitam.* ibid.

Refertur ſecunda ſententia id negans ſub certis conditionibus & circunſtantiis. num. 13.

Præfertur vera ſententia, quæ eſt tertia, affirmans non teneri ſiue debitor prius, ſiue poſterius in eandem extremam neceſſitatem inciderit. num. 14. & 15.

Sed quid ſi extrema indigentia, & neceſſitas non ſit ipſius debitoris, ſed ſit parentum, fratrum, aut ſororum illius. num. 16. *Refertur prima opinio aſſerens reſtituendam eſſe rem dominio ſuo, non obſtante ea neceſſitate.* num. 16.

Præfertur contraria ſententia. num. 17.

An in neceſſitate extrema non ſolùm poſſit debitor licitè, ſed etiam teneatur eadem re ſuccurrere potius patri, & fratribus, & amicis, quàm creditori ſuo. num. 18. 19. & 20.

An debitores poſſint excuſari à reſtitutione ob cauſas iuſtas. Et quæ ſint cauſæ iuſtæ.

1\. Hactenvs egimus de tempore, modo & loco, quo facienda eſt reſtitutio, & quibus expenſis facienda eſt, creditoriſne, an debitoris, ſiue debitor fuerit ex delicto, vt fur, & vſurarius, ſiue ex contractu iuſto, vel iniuſto. Nunc agendum eſt de cauſis excuſantibus à reſtitutione, ſaltem pro aliquo tempore; nam præcipua quæſtio eſt, vtrùm extrema neceſſitas excuſet in totùm, an verò redeunte meliori fortuna teneatur debitor ſoluere, & reſtituere, de qua ſtatim agemus, licèt alibi iam aliquid egerimus de hac re. Quæſtio igitur iſta procedet de reſtitutione externa, nam interna ſemper eſt neceſſaria, ſi adſit aduertentia ad debitum: inquirimuſque, vtrùm aliquando excuſentur debitores per aliquod tempus à reſtituendo ob aliquas cauſas iuſtas, & rationabiles. Inquirimus etiam, an huiuſmodi cauſæ dentur, & quæ illæ ſint, & an illis poſitis eſſet pro tunc obligatio præcepti reſtituendi, & peccatum retentionis: & omnes huiuſmodi cauſæ ad tria capita reuocari poſſunt, ad ignorantiam debiti, ad impotentiam ad ſoluendum, & ad propriam neceſſitatem, niſi malis neceſſitatem ad impotentiam etiam reuocari poſſe, & ſic eſſe duo capita, nó tria.

2\. *Ignorantia inuincibilis quid ſit.*

Primò igitur ſi loquamur de ignorantia, duo in ea ſunt certa. Primum eſt, ignorantiam inuincibilem debiti, & quòd res ſit aliena, omnino excuſare à debiti ſolutione, reſtitutioneque, quandiu durat: dicitur autem ignorantia inuincibilis, illa quæ facta diligentia morali vinci non poteſt; & poteſt eſſe duplex. Vna dici poteſt ignorantia facti, altera ignorantia iuris: illa datur quando aliquis bona fide rem accepit credens eſſe ſuam, & adhibita diligentia non poteſt ſcire, an ſit aliena; iſta datur quando ius poſſidendi eſt obſcurum, v. c. an contractus ſit illicitus, vel licitus, & an aliqui viri ſapientes, & timorati iudicent eſſe licitum.

3\. *De ignorantia inuincibili iuris & facti quid.*

Vtraque ignorantia tam iuris, quàm facti excuſat ab obligatione reſtituendi, quandiu enim aliquis inuincibiliter ignorat rem eſſe alienam, vel contractum eſſe iniuſtum, retentio aliena non cenſetur voluntaria, nec culpabilis, vbi enim talis datur ignorantia, non datur voluntarium, & vbi non datur voluntarium, non datur culpa. Sed quando etiam aliquis dubitat an res ſit aliena, & facta morali diligentia arbitrio prudentis neceſſaria, talis ignorantia non vincitur, & manet idem dubium. ergo tunc melior eſt conditio poſſidentis; ergo in eó etiam caſu non tenetur reſtituere, quia ignorantia facti vinci non potuit. Sed poterit dubitans ea re vti, eamque diſtrahere paratus reddere pretium domino, ſi fortè poſtea negotium innotuerit. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp.* 11. *num.* 22. Si verò ignorantia ſit craſſa, ſeu vincibilis, aut (alio vocabulo) ſupina, quaſi fieret moralis diligentia, facilè quis deprehendere poterat rem eſſe alienam, vt quando quis emit rem à perſona ſuſpecta, v. c. ſacram ſupellectilem à milite, vel ruſtico, veſtem pretioſam à mancipio, non excuſatur à reſtitutione, quia ignorantia craſſa, & culpabilis, non excuſat à voluntario, & conſequenter nec à culpa, vt optimè docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp.* 32. *num.* 33. Sotus *in* 4 *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 2. *verſ. ex his primum.* Graphis 1. *part. deciſion. aur. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 20 & Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 20. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *puncto* 7. & Lopez 2. *part. inſtruct. conſc. cap.* 131. & probatur ex *l. regula* 9. *verſ. ſed facti ignorantia,* ibi, *Sed facti ignorantia ita demum cuiquam non nocet, ſi non ei ſumma negligentia obiiciatur.*

Sanchez. Sanchez. Sotus Graphis. Toletus. Valentia. Lopez.

4\. *Quid ſi vnus teſtis omni exceptione maior affirmet alicui hæredi, inſtitorem ſuum reliquiſſe alicui perſonæ certum legatum.*

Hinc verò rogas, ſi vnus teſtis omni exceptione maior, id eſt, cui nihil opponi poteſt, aſſirmet alicui hæredi teſtatorem relinquere tali perſonæ legatum, teneatur ille hæres ex vi huius dicti, & notitiæ præcisè ſumptæ ſoluere, ſeu reſtituere tale legatum; hæc quæſtio ſolùm procedit quando aliunde non conſtat hæredi de voluntate teſtatoris; & hac de re duplex poteſt eſſe opinio.

Opinio prima.

Prima affirmans, fundamentum illius eſt, quia vnus teſtis fide dignus nuntians mortem vnius coniugis, ſufficit vt alter ſuperſtes licitè contrahat ſecundum matrimonium, præſertim quando aliter conſtare non poteſt, vt docet Angel. *verb. matr.* 3. *imped.* 13. *n.* 4. Veracruz 1. *p. ſpecul. art.* 42. *concluſ.* 1. & videtur probari *ex cap. in præſentia, de ſponſal.* ibi, *Non permittas eos contrahere, donec certum nuncium de morte recipiant.* ſi ergo ſatis eſt certus nuncius, ſufficiet vnus teſtis, & ita docet

Angel. Veracruz.

Hoſtienſ. Abb. etiam Hoſtienſis *in dicto cap. in præſentia*, *ad finem*, & Abbas *ibi num.6.* vbi adeò mordicus defendit hanc ſententiam, vt cenſeat Bartolum, qui oppoſitum aſſeruit, immemorem fuiſſe huius textus. Si ergo vnus textus omni exceptione maior ſufficit ad hoc. ergo etiam ſufficiet, vt hæres obligetur ad reſtituendum legatum, vtrobique enim datur periculum violandi ius alienum; ſicut enim violari poteſt ius hæredis, ſi fortè teſtator non reliquit tale legatum alteri, ita etiam ius alterius coniugis ſi viuit.

5. Opinio ſecunda. Secunda tamen ſententia probabilior negat omnino.

Primò, quia ex dicto vnius teſtis nemo plenè conuincitur, nec tenetur ei fidem adhibere contra ſe, & cum damno ſuo, vt diximus *in præcepto* 4. *& lib.*4. de filio adulteræ, qui non tenetur credere matri dicenti illum non eſſe filium eiuſdem patris cum aliis fratribus, ac proinde non poſſe habere hæreditatem æqualiter cum illis.

Secundò, quia dictum vnius teſtis non ſufficit ad deſtruendam bonam fidem, obligat enim tantùm ad faciendam diligentem inquiſitionem de veritate, & quandiu veritas non inuenitur, poteſt res tutè retineri.

Tertiò, quia vnus teſtis, ordinariè loquendo, non ſufficit, ſi mortem alterius coniugis teſtetur, vt alter licitè contrahat ſecundum matrimonium, Sanchez. vt docet Sanchez *lib.2. de matrim. diſp.46. num.11. & 12.* quia dictum vnius, eſt dictum nullius, *l. iuriſiurandi, verſ. ſimili modo, C. de teſtib. & cap. veniens, de teſtib.* nam nuncius certus ille eſt, qui certum nunciat, vt colligitur ex *dicto cap. in præſentia, de ſponſal.* at non poteſt dici eſſe nuncius certus, & annunciare certum, quando vnus ſolus id teſtatur: tandem quia, vt inquit Sanchez *allegatus, num.11.* dictum vnius in cauſis pecuniariis non ſufficit; ergo neque etiam ſufficiet in cauſa ſecundi matrimonij contrahendi, in qua datur animæ periculum, & ſacramenti, & maximæ infamiæ, & dedecoris fœminæ ſecundò nubentis, ſi fortè adhuc prior vir ſuperſtes ſit, & ideo Bartol. cum Sancio expreſsè conſentit Bartol. *in l.2. §. ſi dubitetur, num.1 ff. quemadmodum teſtam. aperiantur.* Rodrig. Rodriguez *tom. 1. ſumma in 2. edit. cap.233. num.2.* vbi vltra certum nuncium alias mortis coniecturas requirit, & in hanc ſententiam incli- Lopez. nat Greg. Lopez *l.8. tit.9. 4. part. verb. algunos.* Primam tamen ſententiam ſolùm de caſu matrimonij loquens admittit Sanchez *allegatus, num.12.* in eo caſu, quo coniux obierit in loco diſtantiſſimo, & tam diſtanti, vt facilè nequeant aliæ probationes haberi, tunc enim ait conſiderata qualitate perſonæ, & conſideratis aliis ad coniectandum, an veriſimilia dicat, ſatis erit vnus teſtis, quando alia probatio plenior integrè habere nequit, quod iudicis arbitrio committitur; extra verò hunc caſum longiſſimæ diſtantiæ plena probatio deſideratur, & ita loquentes etiam de matrimo- Anton. Henriq. nio cum hac moderatione ſentiunt quoque Anton. *in dicta cap. in præſentia, de ſponſal. n.7.* Henricus *ibi num.6.* Alexand. de Neuo *n.13. & 14.*

6. Nec de caſu matrimonij deduci poteſt argumentum probans ad noſtrum caſum de teſtamento, ſeu delegato in teſtamento relicto, quia aliud eſt loqui de notitia ſufficienti ad deponendum ſcrupulum, vt aliquis poſſit licitè contrahere matrimonium, vel aliam exercere actionem; aliud verò de notitia obligante, & compellente ad reſtituendum, vel aliquid ſimile agendum cum damno proprio. nam ad hoc ſecundum requiritur longè maior probatio, vt patet. Vtrùm verò in aliquibus caſibus ſufficiat vnus teſtis ad plenam probationem, videri poteſt Farinacius *tract. de teſtib. quæſt.63. cap.1.* vbi agit de teſte vnico. *& q.64.* vbi agit de teſtibus ſingularibus, & in quibus criminibus faciat plenam probationem, & nos aliquid agemus infrà *in 8. præcept.*

De impotentia verò reſtituendi dico. Impoten- 7.
tia reſtituendi, ſi certa ſit, excuſat omnino, dum *Impotētia reſtituēdi quomodo, & quatenus excuſet.* durat, ab obligatione reſtituendi, nec pro tempore quo durat requiritur dilatio, vel remiſſio conceſſa ex parte creditoris. Et ratio eſt,

Primò, quia nemo tenetur ad impoſſibile, ſed durante impotentia, reſtitutio externa eſt impoſſibilis; moraliter loquendo; ergo nemo ad illam tenetur.

Secundò, quia, vt retentio ſit voluntaria, & moralis, requiruntur duæ conditiones, prima eſt poteſtas ad reſtituendum; ſecunda eſt aduertentia ad debitum; ergo ſicut ex ignorantia, ſeu inaduertentia inuincibili redditur retentio inuoluntaria, ita ex impotentia.

Tertiò, quia retentio tunc cenſetur voluntaria, & peccaminoſa, quando eſt contra voluntatem domini, ſeu creditoris; ſed in prædictis circunſtantiis dominus cenſetur irrationabiliter inuitus, vt patet. ergo, &c. Dixi, *ſi impotentia eſt certa*, quia quando non eſt certa, & manifeſta, debet debitor petere dilationem à creditore, ſi debitum eſt ſcitum, & non eſt occultum, vel ſaltem debet conſulere viros doctos, & timoratos, vt iudicent, an in talibus circunſtantiis excuſentur, ita D. Thom. *2.2. quæſt.62. art.8.*

Multiplex autem poteſt eſſe impotentia, quæ 8.
de facto excuſet à reſtitutione: vna eſt phyſica, *Impotentia de facto excuſans à reſtitutione, quotuplex ſit.* altera moralis. Impotentia phyſica, eſt impotentia abſoluta, quæ tunc datur, quando debitor nec de præſenti habet vnde reſtituere poſſit, nec probabilem ſpem habendi de futuro ex qua poſſit aliquid acquirere vt reſtituat, & hæc ſine dubio excuſat à reſtitutione, dum durat iuxta omnes DD. vt ait Syluester *verb. reſtitutio 5. num.4.* & idem penè eſt ſi habet quidem aliquid, ſed neceſſarium tantùm vitæ, quia talis dici poteſt nihil habere præter ipſam vitam, cùm tantùm habeat id ex quo vita pendet.

Moralis impotentia tunc datur, quando ali- 9.
quis, licèt de præſenti aliquid habeat, quod reſtituat, non poteſt tamen illo, ſine magno ſuo incommodo, carere, v. c. ſine infamia propria, vel ſcandalo aliorum, & hæc etiam excuſat, dum tempus durat prædictæ infamiæ, vel ſcandali, datur etiam quando debitores non poſſunt reſtituere, niſi à proprio ſtatu cadant; aliqui excuſant eos quando ad tantam parcitatem ſe reſtrinxerunt, vt magis ſe ſine indecentia magna reſtingere non poſſint, & de his duabus impotentiis phyſica, & morali latius per capita ſequentia diſputabimus.

Primò igitur circa impotentiam reſtituendi 10.
phyſicam inquires, vtrùm extrema neceſſitas debitoris excuſet à reſtitutione, quando creditor eſt in eadem neceſſitate extrema: eſt autem neceſſitas extrema, illa, in qua non ſolùm perditur vita niſi occurratur ſtatim, ſed etiam quando quis exponitur morali periculo mutilationis grauis, aut amentiæ. Duo in hac quæſtione ſunt certa. *An extrema neceſſitas excuſet à reſtitutione, quando creditor eſt in eadem extrema neceſſitate.*

Primum eſt ſi debitor extremè indigeat, vel alia perſona cui ex charitate debitor ipſe, & creditor teneantur ſuccurrere. Creditor autem non indigeat

indigeat extremè, non teneri debitorem in eo caſu ei reſtituere ſuam rem. Supponimus enim debitorem ſolùm habere rem vnam, qua poſſit ſibi vel alteri conſulere extremè ſimiliter indigenti, ſiue res talis, ſit omnino aliena, & furtiua, vt equus furto ablatus, quo poſſit fugere, & euadere periculum mortis, ſiue alio titulo debita. Et in hoc caſu dicimus non teneri debitorem ſoluere, aut equum reſtituere ſuo credito extremè non indigenti; indigenti tamen alteri extremè, cui ipſe velit ſuccurrere. Et ratio eſt, quia in eo caſu omnia ſunt communia, ſaltem quoad vſum, ac proinde irrationabiliter erit inuitus, ſi nolit, vt debitor ſibi, vel alteri extremè indigenti non conſulat ea re: ita Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. Molina *tom.* 3. *diſp.* 254. *initio.* Leſſius. Molina.

11. Secundum eſt, ſi creditor ſit perſona publica, ex cuius vita multum pendeat bonum commune Reipublicæ, & ſimiliter extremè indigeat, teneri debitorem cum periculo propriæ vitæ ipſi reſtituere; quia in eo caſu, quamuis talis perſona publica non eſſet creditor, tenebatur debitor ex charitate præferre bonum commune ſuo bono particulari propriæ vitæ, vt in materia de charitate tritum planè eſt, vbi videri poteſt Suar. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 1. & Tolet. *in ſum. lib.* 5. *cap.* 24. & alij. Suar. Tolet.

12. *Debitor an teneatur potius creditori ſuo quàm ſibi extremè indigenti conſulere.*

Dubium igitur eſt, an teneatur debitor, reſtituendo rem, creditori ſuo conſulere potius ipſi creditori extremè indigenti, quàm ſibi extremè ſimiliter egenti. Tripartita eſt ſententia.

Sentētia prima. Prima ſimpliciter affirmat; eam tenet Scot. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. Syluest. *verb. reſtitutio* 5. *quæſt.* 2. probabilem iudicat Azor. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 39. Ratio & fundamentum huius opinionis eſt, quia ſi debitor, & fur habet eandem rem numero, v. c. eundem equum, eundem gladium, eundem panem, quem iniuſtè furto abſtulit; adhuc eſt ſub dominio prioris domini; ſi verò iam non extat, quia iam conſumpta eſt, habet dominus, ſeu creditor ius ſtrictum ad illam rem, fundatum in dominio illius, ſed præter hoc dominium, & ius ſtrictum, quod creditor habet ratione debiti, & proprietatis, habet etiam aliud ius ratione neceſſitatis, & in hoc ſolo eſt æqualis cum debitore; ergo creditor ſemper debet præcedere, quia habet duplum ius, debitor verò vnum tantùm. Confirmatur, quia ſi creditor prius tempore in extremam neceſſitatem incidit, ex hoc etiam capite ratione neceſſitatis habet maius ius, quia qui prior eſt tempore, potior eſt iure; ſi poſterius tempore in eandem extremam neceſſitatē incidit, tamen aliunde ius creditoris ſemper eſt prius, quia eſt vetus dominus ipſius rei, & res vbicumque eſt, & in quocumque tempore, extremæ etiam neceſſitatis, clamat pro domino ſuo, ploratque pro illo. Et quamuis debitor poſſideat, tamen poſſeſſio non præualet dominio, vel iuri prouenienti ex debito, quod habet creditor; quare in omni circunſtantia tenetur debitor, ſeu fur in extrema neceſſitate rem domino ſuo reſtituere, quamuis ipſe in eadem extrema neceſſitate ſit. Sylueſter. Azor.

13. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia diſtinguit triplicem ſtatum in quo poteſt debitor conſiderari.

Primus eſt quando adhuc habet rem alienam eandem numero, cuius dominium nunquam acquiſiuit, quia eam iniuſtè obtinuit per furtum, vel vſuram, & in hoc ſtatu duo aſſerit; primum eſt, ſi creditor prius, vel ſimul tempore ad extremam neceſſitatem ſimul cum debitore deueniat, teneri in eo caſu debitorem illi rem reſtituere; quia pro parte creditoris ſtat dominium rei ſuæ, quod antea habebat, ſtat etiam ius, quod ratione neceſſitatis extremæ, prius, vel ſimul acquiſiuit: ex parte verò debitoris ſolùm ſtat iniuſta poſſeſſio. Sed dominium præualet poſſeſſioni iniuſtæ; ergo tenetur debitor de iuſtitia reſtituere, & conſequenter, ſi creditor moriatur, vel aliquod damnum patiatur ex defectu talis reſtitutionis, tenetur ad omnia damna, quia fuit illorum omnium cauſa iniuſta contra iuſtitiam, & in hoc puncto conſentit Petrus Lorca 2. 2. *diſp.* 38. *ſect.* 3. *num.* 11. qui, id etiam locum habere, exiſtimat in commodato, & depoſito.

Secundus ſtatus eſt, ſi debitor priùs tempore incidat in extremam neceſſitatem, quamuis poſtea creditor in eam incidat, & ſimul continuent eandem neceſſitatem, non teneri debitorem reſtituere, quia debitor ratione neceſſitatis extremæ priùs acquiſiuit dominium talis rei, quod antea non habebat, & creditor pro tunc illud perdidit, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, *l.* 1. §. *cùm in eadem, ff. ad legem Rhodiam de iactu, cap. exiuit, de verbor. ſignific.* Vnde illa res iure poli efficitur tunc in eo articulo detinentis, & ſuppoſito hoc dominio iuſtè illam pro eo ſtatu poſſidet. ergo cùm tunc in eo articulo habeat dominium, & iuſtam poſſeſſionem, & creditor neutrum habeat, non tenetur debitor ſe illa priuare, vt creditori conſulat.

Tertius ſtatus eſt, quando rem alienam eandem numero debitor habet ex iuſto contractu, commodati, mutui, locati, pignoriſve, v. c. habet equū accommodatum, vel locatum. Et tunc ſi vel vterque ſimul, debitor ſcilicet, & creditor, vel aliquis prius incidit in neceſſitatem extremam durante tempore locationis, vel commodati, docet non teneri debitorem eam reſtituere, quia iuſtè poſſidebat, dum tempus prædicti contractus non erat lapſum, iuſtéque habebat vſum talis rei ex prædicto contractu. Deinde ratione neceſſitatis habet pro tunc durante ea dominium; ſi dicas prius dominium proprietatis præualere ſecundo dominio neceſſitatis, negant huiuſmodi præferentiam: & hanc ſententiam ſic explicatam defendit Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap.* 1. *dub.* 9. & ex parte conſentit cum prima, ex parte verò diſſentit, vt conſideranti patebit. Vaſq.

Tertia ſententia probabilior, & communior docet, non teneri debitorem ad extremam neceſſitatem redactum in prædicto caſu quo creditor ſimul extremè eget, eam rem domino reſtituere, ſiue priùs, ſiue poſteriùs inciderit in eam neceſſitatem, ſiue res eadem numero iuſtè, ſiue iniuſtè acquiſita ſit, & ſiue extet, ſiue non extet, hanc videtur tenere D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 4. eam expreſsè tenent Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dubio* 1. *num.* 12. Malderus *tract.* 4. *cap.* 7. *dub.* 1. §. *dico primò.* Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 1. *ad* 4. Azor. *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *quæſ.* 6. §. *in hac diffiultate.* Toletus *in ſumma lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 8. & *lib.* 8. *cap.* 39. *num.* 3. Sayrus *lib.* 10. *tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 6. & alij qui generaliter loquuntur, ſiue res ſit vſu conſumptibilis, ſiue non ſit, ſiue ex contractu, ſiue ex delicto factus quis fuerit debitor. Fundamentum eſt, quia in extrema neceſſitate ceſſat ius gentium, ex quo orta fuit diuiſio rerum, & diuerſitas dominiorum, & redduntur res pro eo ſtatu neceſſitatis extremæ ad priorem ſtatum communitatis, & naturalem in 14. *Sentētia tertia.* D. Thom. Valent. Leſſius. Malder. Azor. Sotus. Tolet. Sayrus.

in quo omnia erant communia, & fiunt primò occupantis ſaltem quoad vſum, vt alibi diximus; fuerunt enim à principio res diuiſæ ſub ea conditione, vt pro ſtatu extremæ egentiæ ad priorem ſtatum redirent. Sed debitor præoccupauit ratione poſſeſſionis, quam habet, & in æquali neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis; ergo non tenetur pro tunc reſtituere, nec prior dominus cenſetur rationabiliter inuitus, quia ſua voluntate non poteſt licitè repugnare pacto illi redibilitatis, quo principio res ſaltem, quod ad vſum attinet, diuiſæ fuerunt, vt diximus. Et quamuis illa poſſeſſio ante tempus neceſſitatis fuerit iniuſta, tamen vbi primum coniuncta eſt cum neceſſitate extrema, ſtatim propter prædictum redibilitatis pactum fuit iuſta.

15. *Obiectio.* Oppones. Si debitor præoccupauit, ratione præoccupationis prior dominus cenſebitur; ergo priùs habuit dominium talis rei. *Refellitur.* Negatur illatio, quia præoccupare, eſt priùs apprehendere rem, illamque apud ſe habere, & adueniente tempore neceſſitatis debitor prius illam apprehendit, quàm creditor, & dominium quod habet creditor in hoc caſu extremæ indigentiæ vel ceſſat, vel ſaltem ſuſpenditur, & cùm res fiant communes ſaltem, quo ad vſum, qui prius apprehendit, habet ius vtendi. Vnde patet ſolutio ad fundamenta contrariarum opinionum, quia creditor in iis circunſtantiis non habet duplex dominium, hoc enim pro tunc ſuſpenditur, & ſolùm habet ius neceſſitatis præoccupandi illam, ſi poſſet; at cùm debitor præoccupatam rem habeat, præualet, & ideo poſtquam præoccupauit, non poteſt creditor per vim ab eo rem illam auferre, quemadmodum nec debitor poſſet illam auferre à creditore, vel ab alio æqualiter extremè egenti, etiam poſſidenti, quia tunc habet ius vtendi, & contra iuſtitiam peccaret, qui violenter tale ius læderet.

16. *Quid ſi extrema indigentia non ſit ipſius debitoris, ſed parentum, fratrū, aut ſororum illius.* Sed quid ſi extrema neceſſitas, & indigentia non ſit ipſius debitoris, ſed ſit parentum illius, aut fratrum, aut amicorum, vel etiam propinquorum, cognatorum, vel agnatorum, poterit ne prædictus debitor re illa illis ſuccurrere, relicto creditore, extremè ſimiliter egenti. Reſpondeo hac etiam in re partitam eſſe ſententiam.

Opinio prima. *Ledeſma. Azor. Tabien. Toletus.* Prima docet præferendum eſſe creditorem, eam tuentur Ledeſma 2. *part.*4. *quæſt.*18. *art.*5. Azor. *tom.*2. *lib.*12. *cap* 8 *quæſ.*6. Tabiena *verb. reſtitutio, quæſt.*4. Toletus *in ſumma lib.*5. *cap.*24. *num.*8. *in fine.* quamuis *lib.*8. *cap.* 17. *num.*4. hanc ſententiam indicet dumtaxat probabilem, & contrariam ſequatur, vt probabiliorem. Fundamentum illorum eſt, quia in eo caſu omnia ſunt communia, *l.*1. *§ cùm in eadem, ff. ad l. Rhodiam de iactu*, & tales conſanguinei, aut amici non poſſident, & in hoc ſunt æquales creditori, ſed creditor habet maius ius in rem illam, quia habet ius proprietatis, & dominij, ſeu debiti ex iuſtitia. ergo præualet, & præferendus eſt cõſanguineis, amicis, & propinquis. Secundò, quia obligatio, quam filius habet ſubueniendi pauperibus, eſt ex bonis propriis, non verò ex alienis; ſed in eo caſu debitor non habet illa bona, vt propria, ſolùm enim habet vſum illorum cum obligatione reſtituendi illa cùm venerit ad pinguiorem fortunam, vt capite ſequenti oſtendemus; ergo non poteſt cum illis ſuccurrere parentibus, prætermiſſo creditore.

17. *Opinio ſecunda.* *Malder.* Secunda docet præferendum eſſe patrem, vel matrem, vel alios conſanguineos, propinquos & amicos. hanc tenent Malder. *tract.*4. *cap.*7. *dub.*1. §. *dico primò.* Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap.*1. *dub.*9. Leſſius *lib.*2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.*14. Turrianus 2. 2. *diſp.*82. *dub.*9. *in fine.* Sayrus *lib.*10. *tract.*5. *cap.*6. *num.*9 & 10. Salon. 2. 2. *quæſt.*62. *art.*5. *controuerſ.* 9. Bañez *ibid. dub.*10. *concluſ.*2. Lorca 2. 2. *diſp.*38. *ſect.*3. *num.*12. & alij. *Vaſq. Leſſius. Turrian. Sayrus. Salon. Bañez. Lorca.* Fundamentum eſt, quia ſuppoſito quòd in extrema indigentia omnia ſint communia, res illa quæ extat apud debitorem, æqualiter communis eſt omnibus egentibus conſanguineiſque debitoris, & ipſi creditori, ſed poſita hac æqualitate, debitor tenetur ex pietate præferre conſanguineos ſuos, & amicos. ergo &c. Minor probatur, quia debitor exiſtens in propria neceſſitate, poteſt ſe præferre creditori, vt probauimus, ſed conſanguinei in primo gradu, adeò ſunt coniuncti ipſi debitori, vt reputentur quaſi eadem perſona, & eadem neceſſitas; ergo præferendi ſunt. Secundò, quia tales conſanguinei ratione æqualis neceſſitatis poterant ſibi vſurpare pro tunc rem illam exiſtentem in manu debitoris, quando nondum erat in manu creditoris; ergo debitor licitè, & iuſtè poteſt illis rem tradere, quia quando aliquis non habet cum quo ſubueniat alteri extremè egenti, niſi rem alienam, poteſt cum illa ſubuenire, vt notat Vaſq. *opuſc. de eleemoſyna, cap.*2. *dub.*1. Tandem, quia debitum pietatis eſt maximè naturale, debitum autem iuſtitiæ ſuppoſita communitate rerum ſuſpenditur pro tunc, vt ſuprà diximus. Amicus verò probatus cenſetur, vt communiter dici ſolet, *alter ego*, & ideo aliquando præferri poteſt ipſis conſanguineis, vt notat Sayrus *allegatus, num.*10. & Suarez *de charitate, diſp* 9. *ſect.*4. *num.*14 & 15. iuxta illud Eccleſiaſtici 6. *Amico fideli nihil eſt comparabile.*

Vtrùm autem non ſolùm poſſit debitor licitè, ſed etiam teneatur in ea circunſtantia neceſſitatis extremæ ſuccurrere potius patri, conſanguineis, & amicis, quàm creditori. 18. *In neceſſitate extrema cui debitor ſuccurrere potiùs debeat, an patri, fratribus & amicis, vel creditori ſuo.* Affirmant Salon. *citatus*, & Vaſquez *allegatus*, *num.*74. & alij. Nec fundamentum contrariæ opinionis vim habet, quia ius creditoris, quamuis ſit iuſtitiæ, pro tunc ſuſpenditur (vt diximus) ac proinde tunc, & in ea circunſtantia, ſuppoſita communitate, præceptum iuſtitiæ, & reſtitutionis non obligat, ſed præceptum pietatis: & licèt præceptum, & debitum iuſtitiæ dicatur ſtrictius, quàm debitum pietatis, id quidem eſt, ſuppoſitis terminis habilibus, id eſt, quando data opportunitate obligat, non verò quod ſimpliciter, & abſolutè ſit maius, & fortius, quàm debitum pietatis, hoc enim eſt abſolutius, & antiquius, & maximè intrinſecum, ac proinde dicitur naturale; debitum verò iuſtitiæ dicitur morale, nec illæ res in eo caſu extremæ neceſſitatis cenſentur alienæ, cùm ſint ſaltem quoad vſum, vt diximus, communes.

19. *Oppoſitio prima.* Oppones primò. Debitor non tenetur ſe præferre creditori, ſed reſpectu parentum, amicorum, & conſanguineorum, non habet maius ius, quàm reſpectu ſui; igitur quamuis poſſit licitè, non tenetur præferre parentes, amicos, & conſanguineos. Neganda eſt conſequentia, quia debitor ex charitate poteſt cedere iure ſuo reſpectu creditoris, vt docet Suarez *de charitate, diſp.*9. *ſect.*3. *num.*5. & 7. at ſuppoſito quòd pro tunc non obliget iuſtitia reſpectu creditoris, obligat pietas reſpectu patris, & ius paternum, fraternumque, & amicorum vrget, quo debitor non poteſt cedere, poteſt enim quis cedere iure ſuo, non alieno. Dico ſaltem reſpectu fratrum, & amicorum non

tenebitur.

tenebitur. Reſpondeo hoc concedere Sotum *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 1.* & Vaſquez allegatum *n. 74.* at contrarium eſt probabilius, quia ius fraternum & amicitiæ, eſt ius quoddam pietatis, quo nemo poteſt cedere, quando præceptum iuſtitiæ reſpectu creditoris, ſuppoſita conditione redibilitatis, & communitate non obligat.

20. *Oppoſitio ſecunda.* Oppones ſecundò, videri durum poſſe debitorem præferre creditori propinquos & amicos. Reſpondeo non videri id durum ſuppoſita communitate, vt diximus, quia cùm à principio rerum dominia ſub ea conditione diuiſa fuerint, vt in extrema neceſſitate, eaque durante res omnes quo ad vſum ſaltem fuerint communes, nulla fit iniuria creditoribus, ſi ceſſante iure illorum, loco illius ſubintret ius conſanguinitatis, & amicitiæ, imò ſublato illo, perſiſtat iſtud cùm ſit antiquius, & abſolutius. Dices hoc eſſe liberè dictum; nam hac etiam ratione dicere poſſumus res à principio ſub ea cōditione fuiſſe diuiſas, vt non ſolùm quoad vſum, ſed etiam, quoad dominium eſſent ſimiliter communes, & ſic redeunte poſtea meliori fortuna, non teneri debitores ea creditoribus reſtituere. Sed ad hoc dubium, & tacitam obiectionem capite ſequenti ſatisfaciemus, quamuis *in 4. libro*, & præcepto iam illi aliqua ex parte ſatisfecerimus; nunc autem fiet plenius, vt hanc ſpinam ſemper pungentem euellamus.

CAPVT XXVI.

Vtrùm accepta in extrema neceſſitate ſint poſtea reſtituenda.

SVMMARIVM.

Sunt aliqui caſus in quibus conueniunt Doctores accepta in extrema neceſſitate reſtituenda eſſe redeunte meliori fortuna. Primus eſt quando res accepta in extrema neceſſitate, ea tranſacta, extat. num. 1.

Idem eſt quando aliquis ante neceſſitatem extremam accepit mutuo ab aliquo pecuniam, triticum, vel vinum, & poſtea id in extrema neceſſitate conſumpſit. num. 2.

Secundus eſt quando aliquis exiſtit in extrema neceſſitate, & ſemper vim & violentiam à Domino aufert ſimiliter extremè illa egenti. num. 3.

Tertius eſt quando aliquis egit in hoc loco, & in alio habet vnde ſibi ſuccurrat. num. 4.

Extra hos caſus quæſtio grauis eſt, vtrùm res conſumpta in extrema neceſſitate in meliori fortuna reſtituenda ſit. Refertur prima ſententia affirmans. n. 5. *In extrema neceſſitate non transfertur dominium rei in illum, qui illam accepit.* ibid.

Refertur ſecunda negans. num. 6.

Iudicium authoris approbantis primam. num. 7.

Soluuntur argumenta ſecundæ opinionis. num. 8.

Præceptum eleemoſynæ obligat ad dandum aliquid exiguum ſine obligatione reſtitutionis, non ita in rebus magnis, quia tunc ſolùm obligat ad eripiendum pauperem ab ea neceſſitate per mutuum. n. 9.

Dominus rei non tenetur in extrema neceſſitate proximi illi dominium illius dare, ſed vſum tantum accommodare. num. 10.

An accepta iuſtè, vel iniuſtè ante extremam neceſſitatem, & in ea poſtea conſumpta, ſint poſtea reſtituenda. num. 11. 12. & 13.

An quando extrema neceſſitas fuit ficta, & mentita reſtituenda ſit poſtea res in ea data. Et an pauperes, qui fingunt paupertatem, teneantur ad aliquam reſtitutionem. num. 14.

An quando aliquis non habet alia bona, niſi illa, quæ reſtituere tenebatur, & ex illis ſubuenit extremè indigēti, teneatur illa poſtea reſtituere n. 15. & 16.

An qui non poteſt ex ſuo ſuccurrere extremè indigenti, poſſit ad id alienum rapere, & an tunc teneatur ad reſtitutionem. num. 17.

Quale ſit, & vnde proueniat hoc ius vtendi re aliena in extrema neceſſitate. num. 18. & 19.

Si proueniat ex iure naturali, & gentium, non ſequitur, quòd dominus rei teneatur dominium rei dare extremè indigenti. num. 20.

Soluuntur aliqua obiectiones. num. 21.

SVNT aliqui caſus in quibus dubitatum eſt apud authores, aut penè indubitatum, accepta, & conſumpta, in extrema indigentia, reſtituenda poſtea eſſe, redeunte meliori fortuna. Primus caſus eſt, quando res accepta in extrema neceſſitate, & indigentia, adhuc extat tranſacta neceſſitate, tunc enim reſtituenda eſt proprio domino, vt docet Leſſius *tom. 1. de iuſtit. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 3.* Syluester *verb. reſtitutio 5. quæſt. 2.* Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap. 1. dub 8.* v. c. Equus, quo aliquis vſus eſt ad euadendum extremum mortis periculum. Et ratio eſt, quia ſiue dominium, ſiue ſolus vſus ſit communis in extrema indigentia, ea peracta, iam non eſt cōmunis; ergo id quod remanet peracta ea neceſſitate, ſiue ſit res integra, ſiue aliqua pars illius, ad dominum pertinet, quia id quod remanet, iam non eſt neceſſarium ad euadendam neceſſitatem, cùm iam non duret, & ſit peracta. 1. *Caſus in quibus accepta in extrema neceſſitate, reſtituenda redeunte meliori fortuna. Caſus primus. Leſſius. Syluester. Vaſquez.*

Idem dicendum eſt, quando id quod conſumptum fuit, erat ſub dominio conſumentis ex contractu aliquo iuſto tranſlatiuo dominij. v. c. quando quis conſumpſit pecuniam, vinum, vel triticum, quod ante neceſſitatem accepit mutuum, vel venditum, tenetur enim poſtea ad reſtituendum pretium. Ratio eſt, quia debitor in eo caſu, conſumpſit quod ſuum erat, & conſequenter ipſi periit, & adhuc manet obligatio antiqua orta ex contractu, hæc enim non eſt conſumpta, nec perit, vt notat Vaſquez *allegatus*, & Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 6. num. 15.* & alij. 2. *Vaſq. Sayrus.*

Secundus eſt, ſi dominus rei exiſtat in extrema neceſſitate, & rem ſuam actu poſſideat, & alius in eadem ſimili extrema neceſſitate exiſtens ab eo rem illam violenter, eoque renitente actu, & contradicente auferat, & conſumat: is enim tenetur poſtea, redeunte meliori fortuna reſtituere; quia in eo caſu peccauit contra iuſtitiam. 3. *Caſus ſecundus.*

Primò, accipiendo eam per violentiam, eo actualiter reſiſtente.

Secundò conſumendo; ergo poſtea tenetur reſtituere: nam licèt ſit licitum accipere in extrema neceſſitate, eo quòd tunc omnia ſaltem quoad vſum ſint commmunia; tamen quando dominus rei æqualiter extrema indigentia premitur, & rem poſſidet, tunc non eſt communis, ſed popria poſſidentis domini, tam quoad dominium, quàm quo ad vſum; ergo iniuſtè auferetur, & cum obligatione reſtitutionis. ſecundò, quia in pari cauſa beatus eſt qui poſſidet, melior enim eſt conditio poſſidentis.

Tertius caſus eſt, quando aliquis eget in hoc loco habens in aliis vnde ſoluat, vel quia habet conſan 4. *Caſus tertius.*

conſanguineos, qui petenti dabunt facilè, vel quia eſt in ſpe proxima habendi, tunc enim non videtur dubium quòd teneatur reſtituere, quia talis neceſſitas non cenſetur extrema ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & qui taliter indigenti ſuccurrit, non videtur donare, ſed mutuare, nec in eo caſu tenetur donare, ſed ſatisfaceт mutuando, vel vendendo, & expectando pretium, vt notant Toletanus *lib.3. de reſt.cap.1.num.37.* Valentia *tom.3. diſp.3. quæſt.9. punct.4.* Toletus *de ſeptem peccatis, cap.36.* Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, cap.1.dub.6. num.35.* Sotus *lib.4. de iuſt. quæſt.7. art.1.* Bañez *2.2.quæſt.32 part.6.art.1.cap.115.*

Toletan. Valent. Tolet. Vaſq. Sotus. Bañez.

5. *An res conſumpta in extrema neceſſitate, in meliori fortuna reſtituẽda ſit.* Tota ergo difficultas eſt, vtrùm res conſumpta in extrema neceſſitate, quando conſumens illius dominium non habebat, in pinguiori fortuna ſit reſtituenda. Et vtrùm ratione extremæ neceſſitatis acquiratur dominium rei in eadem neceſſitate conſumptæ.

Sentẽtia prima. Prima ſententia negat omnino, & conſequenter ait reſtituendam eſſe æſtimationem, & valorem rei ſic conſumptæ, redeunte poſtea fortuna pinguiori. hanc tenet Ioannes Medina *C. de reſt. quæſt.3. in principio.* Nauar. *in ſumma cap.17.n.61.* & Apolog. *de reddit. Eccleſiæ. monit. 4. quæſt.2.* Toletus *in ſumma lib.5. cap. 24. num. 10. in fine.* Leſſius *lib.2. cap.16. dub. 1. num 8.* qui loquitur quando res conſumpta eſt magni pretij, itavt non præſumatur donata, ſed commodata, vel vendita à domino. Bellarm. *tom.3. lib.3. de bonis operibus, cap.8.* quatenus in eam ſententiam inclinat, quòd dominus rei non tenetur eam gratis donare in extrema neceſſitate, ſed ſatisfacere mutuando, vel dilata ſolutione vendendo. Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna cap.1.dub.6.* Malderus *tract.4. cap.7. dub.1. §. reſpondeo ſi debitum.* Ratio & fundamentum eſt,

Medin. Nauarr. Tolet. Leſſius. Bellarm. Vaſquez. Malder.

Primò, quia in extrema indigentia non transfertur dominium rei alienæ in perſonam, quæ illam conſumpſit, ſed ſolùm confertur ius vtendi illa pro illo tantùm tempore, ſed qui rem alienam conſumit, non habens dominium illius, tenetur illam reſtituere, data opportunitate; igitur meliori fortuna redeunte, ad reſtitutionem obligatur: nam in extrema neceſſitate non dicuntur res reduci ad ſtatum naturalem ex eo quòd fiant communes, & primò occupantis quoad dominium, ſed ſolùm quoad ius vtendi pro tunc; hoc enim ius ſufficit, vt conſulatur præſenti neceſſitati vitæ.

Secundò, quia non transfertur dominium ex voluntate domini, ad quem pertinebat res conſumpta, quia hic non tenetur de iuſtitia donare in eo caſu, vt communiter tenent Doctores, Valentia *tom.3. diſp.3. quæſt.9 punct.1.* Azor. *tom.2. lib.12. cap.9. quæſ.3.* Suarez *de charitate, diſp.7. ſect.6.* Et quamuis dominus rei teneatur ex charitate eleemoſynam facere, non tenetur eam facere donando omnino gratis, præſertim ſi res eſt magni momenti, ſed commodando, quia charitas ſolùm obligat, vt conſulatur indigenti cum minori damno conſulentis; ſed ſatis conſulitur extremè indigenti mutuando, vel vendendo, aut donando non abſolutè, ſed ſub eo onere, & conditione; vt ſi poſtea fiat potentior, reſtituat; hoc enim eſt valde conſentaneum rationi; igitur non transfertur dominium abſolutè ex voluntate particularis domini. Confirmatur, quia non transfertur ex authoritate publica Reipublicæ, vel Principis, non ex voluntate domini particularis,

Valentia. Azor. Suar.

non ex præcepto charitatis; ergo nullo modo transfertur.

Tertiò, quia contraria ſententia affirmans, non teneri accipientem conſumentemque rem in extrema neceſſitate, eam poſtea, cùm ſit potentior, reſtituere; non fundatur in iure aliquo, aut lege, non in aliqua iuſta, vel efficaci ratione; ergo non eſt omnino tenenda: nam *lex ſecunda in §. cùm in in eadem, ff. ad legem Rhodiam de iactu,* non aſſerit res fieri communes in neceſſitate extrema, ſed eſſe communicandas in quo charitatem indicat, non iuſtitiam, & iure optimo id ſtatuit, quia non patiuntur iura, vt eiuſdem rei dominium ſit penes plures in ſolidum, *l.3. §. ex pluribus, ff. de acquir. poſſeſſ.* & cauſa iuſta, & rationabilis fundata in naturali præcepto charitatis, imò ex illo deducta, non obligat ad donandam rem, extremam neceſſitatem patienti, vt dixi, ſed obligat tantùm ad ſubleuandum proximum ex ea neceſſitate, quod fieri poteſt commodando, vel locando ei rem illam, qua eget, non dominium in eum conferendo. Nec hic multum obligat effatum illud commune, *Neceſſitas omnia facit communia*; nam facit illa communia quoad vſum, non quoad dominium (vt dixi iam ſæpe) ſeu, quod idem eſt, facit illa communicanda. Concludendum igitur eſt in extrema indigentia proximi obligare proximos, ad ei ſuccurrendum tantum, quanto opus eſt ad eum ab ea indigentia liberandum, non tamen ad ei liberè & gratis rem donandam qua eget, ſi ſit magni momenti, illámque indigentiam & extremam neceſſitatem dare proximo illam patienti ius capiendi propria authoritate rem, qua indiget, non tamen ius transferendi dominium rei in illum, nec efficere illum dominum ipſius rei, & conſequenter, regulariter loquendo, teneri ad reſtitutionem, cùm ad pinguiorem deuenerit fortunam.

Secunda ſententia affirmat, aitque in extrema neceſſitate transferri dominium rei in proximum, qui eadem extrema inopia cruciatur, non tenerique proinde illam poſtea, cùm ſit potentior, reſtituere, ſi illam iam conſumpſit, quamuis ſit magni momenti; hanc defendunt Scotus *in 4. diſt.15. quæſt.2. §. ad argumenta.* Salon. *2.2. quæſt.66. art.7. concluſ.1. controuerſ.1.* Aragon. *2.2. quæſt.32. art.5.* Azor. *tom.2. lib.12. cap.8. quæſ.7. & cap.9. q.1.* Sotus *lib.4. de iuſtit. quæſt.7. art.1. ad 4.* Sayrus *lib.10. tract.5. cap.6. num.12. §. primò igitur, & §. ſecundò quando, num.14.* Suarez *in materia de charit. diſput.7. ſect.5.* Sylueſter *verb. reſtitutio 5. num.4.* In fundamento huius ſententiæ variant authores, aliqui enim exiſtimant in extrema neceſſitate ita omnia fieri communia, vt erant in ſtatu naturali ante diuiſionem rerum, & quemadmodum in eo ſtatu, qui primò occupabant, erant domini rei occupatæ, & non tenebantur eam, nec eius æſtimationem reſtituere, ita etiam in extrema neceſſitate contingit: hoc fundamentum videtur infirmum, quia quando res, quæ in extrema neceſſitate occupantur, non ſunt vſu conſumptibiles, vt equi, veſtes, & alia ſimilia, imò quamuis ſint vſu conſumptibiles, ſi non conſumantur integrè, quidquid ſupereſt, transacta neceſſitate, reſtituendum eſt, vt ſuprà diximus *num.1. 2. & 3.* ergo ratione neceſſitatis extremæ non acquiritur dominium eo modo, quo acquirebatur ante diuiſionem rerum, & conſequenter rerum communitas non eſt omninò ſimilis. Fundamentum ergo eſt,

6. *Secunda ſecunda.*

Scotus. Salon. Aragon. Azor. Sotus. Sayrus. Suar. Sylueſter.

Primò,

Primò, quia, qui rem in extrema neceſſitate conſumpſit non tenetur reſtituere, ratione rei acceptæ, quia hæc iam non extat, ſed conſumpta eſt, vt ſupponimus; neque ratione iniuſtæ acceptionis, quia non peccauit accipiendo, neque ex contractu, cùm nullus ibi interceſſerit; non apparet aliud principium vnde reſtituere teneantur; ergo re vera non tenetur.

Secundò, quia ſi extremè indigens accipiat equum alienum ad euadendam mortem, & equus in ea fuga moriatur, nihil tenetur reſtituere; ergo obligatio reſtituendi non oritur ex prædicto contractu tacito incluſo intrinſecè in tali acceptione.

Tertiò, quia præceptum eleemoſynæ in aliquo caſu obligat ad donandum omnino gratis, ſed non datur caſus in quo magis obliget, quàm in caſu extremæ neceſſitatis; ergo, qui rem in ea accipit, omnino gratis accipit vſum illius, & conſequenter ſine onere reſtituendi. Maior ſupponitur à Soario practicè certa, ſuprà allegato §. *Dico primo*; aſſerere enim quòd præceptum eleemoſynæ nunquam obliget ad donandum aliquid gratis, videtur repugnare pietati, & naturæ eleemoſynæ, communique hominum iudicio.

Quartò, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia quoad ius vtendi ex communi Doctorum ſententia, ſed qui habet ius vtendi, & conſumendi rem, nihil tenetur poſtea reſtituere, vt patet in conuiuiis, in quibus illi, qui habent ius vtendi, & conſumendi dapes, non tenentur illas reſtituere; ergo neque etiam illi, qui in extrema neceſſitate habent ius vtendi, & conſumendi res, illas tenentur poſtea reſtituere.

Quintò, quia dominus tenetur ex charitate in hac circumſtantia extremæ neceſſitatis illud ius vtendi concedere; ſed vſus harum rerum conſumptibilium non diſtinguitur à dominio; ergo redeunte poſtea meliori fortuna, non tenentur ij, quibus in extrema neceſſitate vſus harum rerum conceſſus eſt, illas reſtituere.

Sextò, quia ipſum ius naturale, & diuinum, hoc videtur concedere, cùm rationi valde repugnet quòd extrema neceſſitate afflicto addenda ſit alia reſtitutionis afflictio.

Vltimò, quia licèt dominus rei eam nolit in ea circumſtantia concedere, niſi ſub onere reſtitutionis, ſi melior fortuna arrideat, tamen ex natura rei cenſetur ille vſus in eo ſtatu liber ab omni onere reſtitutionis, quia dominus pro eo ſtatu non poteſt tale onus imponere, nec indigens illud acceptat expreſsè, vel tacitè, quia ſolùm acceptat eo modo, quo tenetur, non tenetur autem pro tunc acceptare onus, quod dominus non poteſt imponere; ergo ſi illi neceſſarius eſt ſolus vſus equi, aut veſtis, vel etiam conſumptio rei conſumptibilis, nihil poſtea debet pro tali vſu, vel conſumptione, quia ad vtrumque habet ius liberum. Vtrùm verò hoc ius appellari poſſit dominium in hoc caſu aliqui negant, quia dominium eſt poteſtas diſponendi de re aliqua ad libitum, & in eo caſu illa poteſtas eſt limitata ſolùm ad talem vſum, nempe, vt conſulatur tantùm illi neceſſitati præſenti, non extenditur autem ad diſponendum de re illa in alios vſus.

7. *Iudicium Authoris.* Ita ſe habent huiuſmodi opiniones ambæ ſatis probabiles. Primam tamen iudico probabiliorem, & tenendam, quia non patiuntur iura, vt dominium vnius eiuſdemque rei ſit apud plures, & rationes ac fundamenta primæ videntur fortiores, vt conſideranti patebit.

Soluuntur argumenta. Ad primam ergo rationem factam pro iſta ſecunda opinione, reſpondeo, teneri eum, qui in extrema eſt neceſſitate, poſtea reſtituere, ſi potentior fiat ex quaſi contractu tacito, quia illa acceptio eſt quaſi contractus tacitus in quo dominus conſenſit, vt alter accipiat ſub prædicta conditione, & onere reſtituendi arridenti poſtea fortuna meliori, & accipiens tacitè, & implicitè tenetur ſe ad id obligare, imò hoc eſt intrinſecum tali acceptioni, vt ſe obliget ad reſtituendum, ſi potuerit, hoc enim poſtulat ratio, & æquitas naturalis.

Ad ſecundam reſpondeo, primò, ſi equus in fuga moriatur caſu fortuito, quem vtens nec præuidit, nec præuidere potuit, tunc non tenetur reſtituere illum, quia cenſetur periiſſe caſu fortuito apud poſſeſſorem bonæ fidei ſine culpa illius. 8. Reſpondeo ſecundò, in eo caſu teneri reſtituere æſtimationem ipſius equi, ſi vſus ſit alicuius momenti, v. c. æſtimationem pro eo tempore, quo vſus illo fuit cum detrimento, & damno domini, ac ſi equus ille eſſet locatus, quia dominus equi non tenetur pati tale detrimentum omnino gratis. An verò quando vtens præuidit periculum equi, teneatur æſtimationem reſtituere? Affirmant Leſſius, & Malderus *allegati*, ex eo fundamento, quia ſuppoſita illa notitia iam non eſt caſus fortuitus, & vtens cenſetur tacitè ſe obligaſſe ad conſeruandum dominum indemnem.

Ad tertiam reſpondeo, præceptum eleemoſynæ in re parua, & exigua obligare ad dandum aliquid ſine obligatione reſtitutionis. At in rebus maioris momenti ſolum obligat ad eripiendum pauperem ex ea extrema neceſſitate, quam patitur, vel dando mutuum vel vendendo, vel accommodando, vt ſæpe diximus. 9.

Ad quartam reſpondeo, in extrema neceſſitate omnia eſſe communicanda charitate, ſi ſint alicuius momenti, & aliqua danda ſi ſint minoris momenti, conuiuia autem quando dantur, gratis, & liberaliter dantur; ſicut quotidie Summus Pontifex Fratribus Minoribus Diui Franciſci cibos apponit, cùm dominium rerum conſumptibilium, quæ in prædictis conuiuiis conſumantur, apud Summum Pontificum ſit, & ſolum vſum illarum rerum prædictis Religioſis concedit in opinione, quæ aſſerit, vſum à dominio in huiuſmodi rebus vſu conſumptibilibus diſtingui.

Ad quintam reſpondeo, non teneri dominum in extrema neceſſitate proximi vſum harum rerum conſumptibilium cum aliquo extrinſeco ſuo incommodo concedere, ſed ipſum tantùm vſum præciſum ab eo incommodo, ſi incommodum ſit alicuius momenti. nam ſi ſit exigui, ex charitate, & præcepto eleemoſynæ ad id tenetur; dominium verò rerum conſumptibilium ab vſu illarum diſtingui opinio eſt pro vtraque parte probabilis. 10.

Ad ſextam, negatur antecedens, ſolum enim ius naturale, & diuinum concedit, vt extrema paupertate laborantem ſubleuemus, quàm minori noſtro incommodo poſſumus, minus autem noſtrum incommodum eſt, ſi ille in rebus grauioribus ad reſtitutionem poſtea teneatur, cùm potentior fit, & eadem reſponſio dabitur vltimo argumento.

11. *An accepta ante extremam neceſſitatem, & in ea poſtea conſumpta, ſint reſtituenda.* Dubitabis tamen, vtrùm accepta iuſtè, vel iniuſtè ante extremam neceſſitatem & in ea, hoc eſt, in extrema neceſſitate conſumpta, ſint poſtea reſtituenda. Multa dubia in hoc dubio continentur.

Dubium primum. Primum eſt, vtrùm accepta in extrema neceſſitate ſiue magni, ſiue exigui momenti ſint, ſint poſtea reſtituenda, ſi dominus rei poſtea eandem extremam neceſſitatem patiatur; & ad hoc dubium reſpondendum eſt, ſi dominus rei ſimul, & eodem tempore cum auferente ad eandem extremam indigentiam deuenit, ei eſſe reſtituendam, quia in eo caſu nunquam amiſit dominium ſuum, & quia duobus concurrentibus præualet ille, qui potior eſt iure, argumento *l. quæritur, ff. de ſtatu hominum* & ita docet Syluester *verb. Reſtitutio 5. num.2* & communiter omnes, & patebit infrà, ex *cap. ſequenti à num.6* Et idem dicendum eſt, ſi dominus rei priùs in neceſſitatem extremam deuenit, vt patet: ſi verò accipiens prius in extremam neceſſitatem deuenit, aut res iam eſt conſumpta, aut non eſt; ſi eſt iam conſumpta, & non habet vnde reſtituat, quia nondum potentior factus eſt, ceſſat quæſtio cùm ſit incapax ad reſtituendum, ſi non eſt conſumpta, non tenetur illam reſtituere, ſi patitur eandem extremam indigentiam illius, quia vſus illius rei, cùm accepit, erat communis, ac proinde erat accipientis; quare iniuſtè & irrationabiliter quereretur dominus, ſi ſibi ea res tunc non reſtituatur, ſed de hac re redibit ſermo *capite ſequenti à num. 6.* & quæ *ibi* dixerimus de neceſſitate graui, huic loco accommodentur. (*Syluester.*)

Dubium ſecundum. Secundum dubium eſt de fure, vel vſurario, vel alio iniuſto poſſeſſore, qui rem acceperunt ante extremam neceſſitatem, cuius acceptio fuit iniuſta, & retentio, conſumptio tamen fuit iuſta, quia fuit in extrema neceſſitate, vtrùm ſcilicet, teneantur, illam poſtea in meliori fortuna reſtituere, maximè exiſtente domino in eadem extrema neceſſitate.

Opinio prima. Scotus. Syluester. Toletus. Prima ſententia affirmat, eam tenet Scotus *in 4. diſt.15 quæſt.2.§. Ad argumentum.* Syluester *verb. Reſtit 5. num.2.* Toletus *in ſumma lib.7. de ſeptem peccatis mortal cap.3.* Ratio illorum eſt, quia fur & alij ſimiles ante extremam neceſſitatem tenebantur reſtituere ex iniuſta acceptione, & debitum contractum ante extremam neceſſitatem, non extinguitur, ſed ſuſpenditur per illam, vt ſuprà diximus; igitur, ea tranſacta reuiuiſcet. Confirmatur, quia ille extremè indigens, qui aufert ab alio extremè indigenti rem, quam apud ſe habet, tenetur ſtatim illam reſtituere; & peccauit mortaliter accipiendo, &, ſi non ſtatim reſtituit, tenetur ad damna, quæ inde prouenerint, ſed hæc obligatio tota fundatur in acceptione iniuſta; ergo cùm in noſtro etiam caſu præceſſerit acceptio iniuſta, tenebitur ratione illius.

12. *Opinio ſecunda.* Secunda ſententia negat in eo caſu teneri huiuſmodi iniuſtos acceptores, & retentores poſtea illam reſtituere. ſi illam iam conſumpſerunt, hanc tuetur Petrus Nauarra *lib.4. de reſt. cap.4. num.25.* & alij. Et ratio illorum eſt,

Primò, quia conſumptio talis rei fuit iuſta, facta enim fuit tempore neceſſitatis, in qua detentor habebat ius conſumendi; ergo non tenetur illam poſtea reſtituere. Conſequentia probatur, quia non tenetur ex vi conſumptionis, vt patet, fuit enim iuſta; non ex vi acceptionis antecedentis iniuſtæ, quia iniuſtè detentor, & poſſeſſor, apud quem res perit, eodem modo, quo erat apud dominum peritura, non tenetur eam domino reſtituere, ſed ſi res tempore quo conſumpta eſt à fure, traderetur domino extrema patienti, ab eo conſumeretur eodem modo, quo conſumenda erat à fure; ergo non tenetur illam fur tradere, & reſtituere. nam illa conſumptio æquiparatur fortuitæ extinctioni.

Secundò, quia fundamentum contrarium non videtur habere vim, quia ſi res erat debita ex contractu tranſlatiuo dominij, iam erat ſub dominio conſumentis, ac proinde domino perit, non illi, qui fuit prior dominus, & eam vendidit, quia hic iam non erat dominus tempore neceſſitatis propriæ. Si debita erat ex furto, & delicto, licèt iniuſtus detentor, vt fur, & vſurarius non ſint domini, parum refert, quia cùm ipſi rem in extrema neceſſitate conſumpſerint, cenſetur perire ipſa res tunc, quia illa conſumptio æquiparatur extinctioni, cenſetúrque proinde perire eodem caſu, & modo, quo erat apud dominum peritura; ſi enim ea domino reſtitueretur, eadem neceſſitate abſumeretur, vt ſupponimus; res autem, quæ apud furem, vel iniuſtum detentorem perit, ſi eodem tempore, & modo apud dominum similiter eodem caſu peritura erat, domino perit, non furi.

Prima tamen opinio eſt verior, & tenenda, & hæc ſecunda parùm probabilitatis habet, quia illa conſumptio iuſti, vel iniuſti detentoris, acceptoriſve in extrema neceſſitate non poteſt æquiparari extinctioni, aliud enim eſt res perire, aliud conſumi in vſus proprios. nam res quæ pereunt, ſine vlla vtilitate pereunt; res autem, quæ tempore extremæ neceſſitatis conſumuntur, non conſumuntur, nec pereunt ſine vtilitate conſumentis, imò potiùs conſumuntur cum maxima vtilitate & commodo vitæ illius, quam ea conſumptione tuetur; quare eſt diuerſiſſima ratio inter extinctionem fortuitam, & conſumptionem, vt conſideranti patebit. 13. *Iudicium Authoris.*

Tertium dubium eſt, quid dicendum ſit, quando neceſſitas extrema fuit ficta, & ementita, an res ſit domino reſtituenda. Reſpondeo. Si dominus rei exteriùs paupertatem illam extremam videbat, aut de illa per aliquem fuit certior factus, ignorauit tamen eſſe mentitam, & fictam, & rem pro eleemoſyna donauit, credens neceſſitatem eſſe veram, alioqui non donaturus, ſunt aliqui, qui aſſerant, rem eſſe reſtituendam, quia nec de facto dedit, nec erat animo habituali, vt gratis daret, ſi fictionem ſciret, ita docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſput. 210. verſ. noſtra tamen*; ſed licèt hoc probabile ſit, dicendum eſt hanc quæſtionem coincidere cum illa, Vtrùm eleemoſyna data ob paupertatem fictam, & ementitam ſit reſtituenda? Et communiter reſpondent DD. ſi populus moueatur ad faciendam illam eleemoſynam (quod ordinarium eſt apud omnes, & regulariter ſolet contingere) ex ficta, & ementita miſeria, & paupertate, non teneri prædictos pauperes ob illam fictionem, & ementitam miſeriam, quam exteriùs repræſentant, ſiue illam extremam, ſiue non extremam fingant, prædictas eleemoſynas ſibi datas reſtituere. Et ratio optima eſt, quia tunc cauſa finalis, ob quam quis, & cuius amore finaliter eleemoſynam tribuit, eſt Deus, cauſa verò motiua, qua mouemur ad donandum, eſt ficta, & ementita miſeria, vnde cùm finaliter tribuamus eleemoſynam propter Deum, à quo remunerationem ſperamus, licèt alioqui non donaremus, ſi fictionem ſciremus, & niſi putaremus veram illam eſſe paupertatem, non tenentur tunc pauperes illam reſtituere. & quicquid alij Doctores dicant, hoc mihi ſemper verius viſum fuit, & ita docet Nauarrus *in ſumma Lat. cap.17. num.107.* Veiga *lib.2. caſu* (14. *Dubium tertium.* — *Molina.* — *Nauar. Veiga.*)

Medina. *caſu* 102. Medina *de reſt. quæſt.* 24. *pag.* 77. *corollario* 4.

15. *Dubium quartum.* Quartum dubium eſt quando extrema neceſſitas eſt aliena v.c. quando aliquis non habet alia bona, niſi illa, quæ reſtituere tenetur, & ex his ſubuenit extremè indigenti, an illa teneatur ipſe poſtea reſtituere. Et hæc quæſtio in multiplici ſenſu poteſt excitari, & per omnes diſcurremus, omnibuſque ſatisfaciemus.

Primus ſenſus eſt, quando illa bona erant ſub dominio creditoris, ſiue alioqui ſint debita ex contractu, ſiue ex delicto, & in hoc ſenſu non excuſatur poſtea à reſtitutione ille, qui illis proximo extremè indigenti ſuccurrit. Ratio eſt, quia debita contracta ex contractu, vel ex delicto, ſeu furto antecedenti, non extinguuntur per extremam neceſſitatem propriam, vt ſuprà reſoluimus; ergo à fortiori nec per extremam neceſſitatem alienam.

16. Secundus ſenſus eſt, quando debitor habebat rem alienam, eandem numero, quæ erat reſtitutioni obligata, & cùm ea conſuluit indigenti, & non habebat aliam, quæ ſuccurreret. Reſpondet Vaſquez *opuſc. de Eleemoſyna, cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 11. duo. Vaſquez.

Primum eſt debitorem conſulentem tali neceſſitati excuſari poſtea à reſtitutione, quia proximus extremè indigens habebat tunc ius vtendi tali re, & debitor licitè eum re illa ei potuit ſuccurrere, vt ſuprà diximus.

Secundum eſt extremè indigentem, qui talem rem conſumpſit, teneri poſtea, ſi potentior fiat, reſtituere creditori, iuxta primam opinionem, quam ſecuti fuimus, & explicauimus *num.* 5. & hæc reſponſio Vaſquez, eſt optima, & habet pro ſe omnes authores, quos *præfato numero* 5. pro noſtra prima opinione allegauimus.

17. Tertius eſt, an qui non poteſt ex ſuo ſubuenire extremè patienti, poſſit ad id alienum rapere, & an tunc ad reſtitutionem poſtea teneatur. Et verò quòd tunc poſſit aliena rapere, vt extremè indigenti ſuccurrat, omnes affirmant, tam primæ, quàm ſecundæ ſententiæ, & eſt indubitatum, quia vſus illius rei tunc eſt communis, & extremè indigens ius habet in illum, vt ex dictis patet. An verò teneatur poſtea reſtituere, & quis teneatur, an ille, qui rapuit, vt pauperi extrema patienti ſuccurreret; an ipſe pauper extrema tunc patiens, ſi potentior poſtea fiat, eſt dubium. Authores ſecundæ ſententiæ *num.* 6. explicatæ, quæ docet accepta in extrema neceſſitate non eſſe poſtea reſtituenda, facilè ſe ab hoc dubio expedient, dicendo, neutrum teneri poſtea reſtituere, hoc eſt, nec illum, qui accepit, vt proximo extrema patienti ſuccurreret, nec ipſum proximum extrema patientem, ſi poſtea ad meliorem fortunam deueniat, & præter illos id docet etiam Sà *verb. Eleemoſyna*, *num.* 8. Sà. Authores autem primæ conſequenter affirmabunt eam rem, ſi magni momenti fuerit, eſſe poſtea neceſſariò reſtituendam ſuo domino; quis autem eorum teneatur illam reſtituere, an accipiens, vt extremè indigenti ſuccurreret, an ipſe extremè indigens, ſi potentior fiat, apud illos non conſtat. Mihi videtur vtrumque teneri, primo loco illum, qui extrema patiebatur, quia totus rei prouentus ad illum ſpectauit, & apud illum erat; ergo ipſe tenetur primo loco ad prædictam reſtitutionem. Secundo verò loco, & in defectum illius ipſum accipientem, quia eo ipſo, quo illam rem rapuit, vt alteri ſuccurreret, velit, nolit, intrinſecè ex vi talis acceptionis ſe obligauit ad reſtitutionem illius, in defectum alterius. Hoc tamen intelligendum eſt, non in rebus minimis, ſed in rebus magni momenti, iuxta ſuperiùs dicta in prima opinione, quia minima ex charitate, & ex præcepto eleemoſynæ contento in illis verbis Chriſti Domini, *Ite in ignem æternum, eſuriui enim, & non dediſtis mihi*, &c. Lucæ 21. & in illis Diui Ioannis, *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei in illo manet*, tenemur pauperibus donare gratis, & liberaliter abſque vlla ſpe reſtitutionis.

Quintum dubium eſt, quale ſit, & vnde proueniat hoc ius vtendi re aliena in extrema neceſſitate, quia ſi prouenit ex iuſtitia, tenebitur dominus rei donare ex iuſtitia; & contra illam peccabit, ſi non donet, & conſequenter non tenebitur accipiens poſtea cùm potentior factus fuerit, reſtituere, quia ſuum accipit, ex iuſtitia ſibi debitum; quod tamen negat Soarius *de charitate, diſput.* 7. *ſect.* 6. Deinde quia, vt vſus rei alienæ in caſu extremæ neceſſitatis ſit licitus, vel debet præcedere petitio ex parte egentis, vel ſine petitione, poteſt res à domino auferri eo etiam inuito, & renitenti. Primum non poteſt ordinariè fieri, quia dominus ſæpe eſt abſens, & quia vrgens neceſſitas id non patietur; ſecundum non eſt admittendum, quia vbi datur vis, & violentia, datur iniuria. 18. *Dubium quintum.* Soar.

Reſpondeo prouenire ex iure naturali, & gentium, quia ante diuiſionem rerum, quando res erant communes, quoad dominium, vnuſquiſque habebat ius naturale ſibi applicandi id quod volebat; ſed ſuppoſita extrema neceſſitate, res fiunt communes. nam cùm à principio rerum dominia diuiſa fuerunt, ſub ea conditione diuiſa ſunt, vt in neceſſitate extrema iterum fierent, quoad vſum tantùm, communia, & cùm hoc factum ſit ducente face, ratione, & lumine naturæ, inde eſt, quòd ex iure naturali, & gentium, & communi vſu hominum, quia omnes in hanc rem conuenerunt, proueniat hoc ius vtendi in extrema neceſſitate rebus alienis. Et eſt adeò connaturale hoc ius hominibus, & humanæ noſtræ naturæ, vt nemo extrema patiens illi poſſit renunciare, & mortem potius pati, quàm re aliena ſibi conſulere, niſi detur cauſa iuſtiſſima, qualis eſt motiuum alicuius virtutis, amicitiæ, charitatis, patientiæ, &c. vt docet Sayrus *in claui Regia, lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 20. vide Soarium *de charitate, diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 7. 19. Sayrus. Soar.

Et ex hoc non ſequitur, quòd dominus rei teneatur ex iuſtitia donare illam proximo exiſtenti in extrema neceſſitate poſitiuè, ſed ſequitur quòd ex iuſtitia teneatur non impedire negatiuè vſum talis rei, & ius vtendi illa extremè indigenti, &, ſi impediat, teneri reſtituere damna quæ illi inde ſequuntur. Nec petitio requiritur, niſi, quando dominus rei eſt præſens, ſi tamen in eo caſu prætermittatur prædicta petitio, non erit peccatum mortale, quia iniuria, ſi qua ſit, non eſt grauis, cùm dominus non ſit rationabiliter inuitus circa ſubſtantiam, licèt ſit inuitus quoad modum accipiendi, imò fortè nec erit peccatum veniale, ſi ea petitio prætermittatur, cùm extremè patiens ius habeat in re aliena, & licitum cuique ſit iure ſuo vti, conſtat enim quòd homines in prima rerum diuiſione in hoc conuenerint, & non conſtat quòd in tali petitione conuenerint. 20.

Obiicies, nemini licet accedere ad non ſuam vxorem, quamuis detur extrema neceſſitas vitæ conſeruandæ, tuendæque; ergo etiam nemini li- 21. *Soluuntur aliqua obiectiones.*

cebit

cebit vſum rei alienæ vſurpare, quamuis detur extrema neceſſitas conſeruandæ vitæ vſu illius; ſicut enim extrema neceſſitas in vno caſu non tribuit ius licitè vtendi re aliena, ita non tribuet in alio. Reſpondeo eſſe diuerſam rationem, quia accedere ad non ſuam, eſt fornicatio; quæ ſemper eſt intrinſecè mala, & nunquam poteſt eſſe licita ex aliqua circumſtantia; vt enim acceſſus ſit licitus, requiritur quòd fœmina ſit ſua: ſit autẽ ſua per matrimonium, & conceſſionem diuinam, & non ſufficit quæcumque alia conceſſio; cùm ergo in eo caſu non detur matrimonium, nec diuina diſpenſatio, vt eſt omnino certum, ſemper ille vſus manet intrinſecè malus, qua de re videri poteſt Sanchez *lib.9.de matrim.diſput.17.num.15.* At in circumſtantia extremæ neceſſitatis vitæ tuendæ vſus rei alienæ eſt licitus, quia iure gentium, & naturali, hic caſus fuit à principio exceptus, vt diximus, & ex dictis patet abundè, ſatiſque.

Sanchez.

Capvt XXVII.

Vtrùm deiectio ſtatus, & neceſſitas grauis quandiu durant à reſtitutione excuſent.

Svmmarivm.

Quid ſit & quomodo intelligatur cadere à ſtatu, & ſtatum minuere. *num.* 1.

An liceat in graui neceſſitate propria authoritate rapere aliena abſque furto. Refertur prima opinio docens id eſſe licitum, & non eſſe furtum, num 2.

An poſtea in meliori fortuna, teneatur, qui ita accepit, reſtituere. *num.* 3.

Præfertur ſecunda aſſerens id illicitum eſſe, & eſſe furtum. *num* 4. *&* 5.

An quando creditor, & debitor ſimul exiſtunt in graui neceſſitate, excuſetur pro tunc debitor à reſtitutione. *num.*6. *&* 7.

An quando creditor non eſt in graui, neceſſitate, & debitor in illa exiſtit, teneatur debitor cum graui detrimento perſonæ, & rei familiaris rem reſtituere creditori. *num.*8.9. *&* 10.

An cum iactura ſtatus teneatur aliquis reſtituere, ſiue ſtatus ſit iuſtè, ſiue iniuſtè acquiſitus, num. 11.12.13. *&* 14.

Non tenetur Doctor vendere libros, nec miles arma, nec agricola boues quibus arat ad faciendam reſtitutionem. *num.* 15.

Nec comes tenetur vendere comitatum, nec nobilis ſeruire, aut vendere ſupellectilem neceſſariam ad decentiam ſtatus ad reſtituendum. *num.* 16.

Tenentur debitores minuere ſtatum, & reijcere ſuperflua, vt reſtituant. *num.* 17.

Vtrùm teneatur debitor præter principale reſtituere lucra ceſſantia, & damna emergentia, quando creditor patitur maius diſpendium ex eo quod debitor ſibi non reſtituat, quàm patiatur debitor ſi reſtitueret. *num.* 18.

Quid ſi ſtatus ſit iniuſtè acquiſitus, an tunc teneatur debitor cum iactura illius reſtituere. Refertur ſententia negans. *num.* 19.

*Præfertur affirmans, num.*20. *Quomodo poſſit ſtatus iniuſtè acquiri.* *ibid.*

*An ille qui bona fide à patre ſuo, vel amico bona accepit, quibus per aliquod tempus conſeruauit ſtatum ſuum, teneatur poſtea reſtituere, cum iactura talis ſtatus, ſciens bona illa iniuſtè eſſe acquiſita ab illis à quibus accepit, à n.*21.*vſque ad* 26.

Necessitas dupliciter conſiderari poteſt, vna eſt extrema, quæ in tuenda vita verſatur; altera grauis, quæ in tuendo ſtatu perſonis conuenienti conſiſtit. De prima egimus capite præcedenti. De ſecunda in hoc capite agemus. Multum autem intereſt inter cadere à ſtatu, & minuere ſtatum. nam cadere à ſtatu ille dicitur, qui omnino cogitur mutare ſtatum, v.c. ſi ſit Comes, & relicto ſtatu Comitis cogatur ſeruire Duci, vel Marchioni, vt ſeruiunt alij nobiles, qui non ſunt Comites. Similiter dicitur cadere à ſtatu ille, qui erat nobilis, & poſtea cogitur fieri artifex, & laborare, vt viuat, & qui ante manu, arteque vitam propagabat laborando, modò verò cogitur mendicare, quia cogitur vendere inſtrumenta artis ſuæ, & poſtea non habet alia quibus laboret, & vnde viuat, & ideo cogitur mendicare. Item dicitur etiam cadere à ſtatu ſuo ille, qui erat agricola, & cogitur vendere boues, & inſtrumenta, quibus arabat, vitamque ſuam propagabat, & viuere vel mendicando, vel cauando, aliiſque ſeruiendo. Minuere ſtatum dicitur ille, qui parciùs in eodem viuit ſtatu, v.c. quando aliquis manet in priori ſtatu, quem habebat, ſine notabili nota paupertatis moderatiùs, & parciùs viuens, vt quando nobilis ſolùm retinet familiam præciſè neceſſariam, & menſam moderatam reſcindendo alia, quæ ſine nota reſcindi poſſunt in victu, veſtitu, famulatuque: & ſic de aliis perſonis inferioribus, v.c. in artifice, qui panno bono induebatur, familiamque veſtiebat, vt induatur alio, & familiam veſtiat viliori; in agricola, qui intra ſuum ſtatum cum aliquali ſplendore, ſi ita dici poteſt, viuebat, vt ad ſtrictam moderationem illius ſtatus ſe reſtringat; & ſic de cæteris.

1. Neceſſitas hic quotuplex ſit.

Cadere à ſtatu, & ſtatum minuere, quid.

Primum ergo dubium, his poſitis, eſſe poteſt, vtrùm liceat propria authoritate rapere aliena in graui neceſſitate, & an talis acceptio ſit iniuſta, & habeat malitiam furti, & ad reſtitutionem obliget. Partita eſt ſententia.

2. Dubium primum.

Prima docet non habere malitiam, & rationem furti pro tunc talem acceptionem, & conſequenter in graui neceſſitate morbi, famis, nuditatis, eam acceptionem eſſe licitam, ſiuè palàm, ſiue occultè fiat; hanc tenent Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſt. cap.*1.*dub.*5.*num.*367. Angelus *verb. Furtum*, §.37. Sà *verb. Furtum, num.* 1. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.*17.*num.*118. Medina *C. de eleemoſyna, quæſt.*3. *& de reſt. quæſt.* 3. *cauſa* 1. & probabilem iudicat Leſſius *tom.*1. *de iuſt.lib.*2.*cap.*12.*dub.*12.*num.*71. *& cap.*16. *dub.*1.*num.*17. *&* 18. Vaſquez *de eleemoſyna, cap.*1. *dub.*7. *num.*60. Malderus *tract.*4. *cap.* 7. *dub.*1. §. *Dico primò.* qui omnes videntur loqui de neceſſitate valde graui, minori tamen quàm extrema. nam extrema neceſſitas illa eſt, à qua vita pendet neceſſariò. Fundamentum illorum eſt,

Opinio prima.

P.Nauarra. Angel. Sà. Nauarr. Medin. Leſſius. Vaſq. Malder.

Primò, quia diuites tenentur de iuſtitia ſuccurrere grauiter indigentibus; ergo hi licitè poſſunt ab eis rapere occultè illa, quibus indigent, ius enim, & debitum correlatiua ſunt, ac proinde ſi diues in eo caſu debet, neceſſariò habet pauper ius. Antecedens probatur, quia diuites compelli poſſunt à iudice vt conſulant grauiter indigentibus; ergo ad id tenentur.

Secundò,

Secundò, quia ſaltem ex charitate tenentur ſuccurrere tali graui neceſſitati; ſed hoc poſito, non erunt rationabiliter inuiti, ſi indigens rem accipiat occultè. ergo hic licitè poteſt pro tunc illam accipere, & non committit furtum. Maior à multis conceditur, quos refert Suarez *de charitate, diſp. 7. ſect. 3. num. 3.* Minor inde patet, quia, qui tenetur velle, non cenſetur rationabiliter nolle.

Suar.

Tertiò, quia id licitum eſt in extrema neceſſitate, vt capite præcedenti diximus; ergo, & in graui; quia in vtraque datur penè eadem ratio, & diuiſio rerum intrinſecè videtur illam conditionem includere, vt quiſque ſibi conſulat in neceſſitate graui, quando ab illa facilis eſt lapſus, imò illa eſt gradus vltimus ad extremam.

3. Si quæras ab his authoribus, an teneatur poſtea, cùm neceſſitatem euaſerit, & ad potentiam deuenerit, reſtituere. Reſpondent variè. nam qui, aiunt, accepta in neceſſitate extrema non eſſe reſtituenda, quos citauimus *cap. præcedenti, num. 7.* conſequenter dicunt, nec etiam accepta in graui neceſſitate reſtituenda eſſe, cùm hoc etiam in prima rerum diuiſione in pactum deductum fuerit. Qui verò affirmant, quos retulimus *capite præcedenti, num. 6.* conſequenter dicent à fortiori in graui neceſſitate accepta eſſe reſtituenda, & hanc opinionem ſecuti fuimus *dicto num. 6.* explicatam. Dico, à fortiori, quia re vera hoc ius vtendi re aliena in graui neceſſitate non eſt tam liberum, quàm liberum eſt ius vtendi illa in extrema neceſſitate, quia hæc minor eſt, quàm extrema, ac proinde æquitas, & recta ratio poſtulat, vt non æquiparentur in omnibus, ſed in aliquibus priuilegiis; quare ſtando etiam in opinione, quæ docet accepta in extrema neceſſitate non eſſe reſtituenda, dicendum videtur accepta in graui reſtituenda eſſe, quia licèt hæc neceſſitas æquiparetur cum extrema, quoad acceptionem, vt licitè, & ſine peccato furti accipiantur; non tamen æquiparantur quoad excuſationem reſtitutionis, vt patet.

4. *Opinio ſecunda.*

Secunda ſententia docet, non eſſe licitum in graui neceſſitate rem alienam vſurpare, & conſequenter eſſe peccatum furti, obligareque proinde ad reſtitutionem illum, qui eam in ea neceſſitate vſurpat: hanc docent Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 3. art. 4.* Salon *2. 2. quæſt. 66. art. 7. controuerſia 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 10. puncto 5. dub. 1. in fine.* Sayrus *in claui Regia, lib. 9. cap. 14. num. 17* Syluester *verb. Reſtitutio 5. num. 2.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 12.* & alij. Fundamentum

Sotus. Salon. Valent. Sayr. Syluester. Leſſius.

Primum deſumitur ex *cap. ſi quis, de furt.* vbi imponitur pœna furanti ob grauem neceſſitatem famis, vel nuditatis, ſed pœna ſupponit culpam; ergo qui in eo caſu furatur, peccat.

Secundò, quia dominus non tenetur de iuſtitia facere eleemoſynam in extrema neceſſitate, vt *ſuprà* diximus, & docet Sà *verb. Eleemoſyna, num. 2.* ergo à fortiori non tenebitur in graui. Nec obſtat quòd aliquando cogi quis poſſit per iudicem ad conſulendum tali neceſſitati, quia ad hoc ſufficit quòd ille actus ſit bonus, & debitus ex aliqua virtute, & non requiritur quòd ſit debitus ex iuſtitia.

Sà.

Tertiò, quia quamuis diues, qui habet ſuperflua ſimpliciter, quæ nec naturæ, nec ſtatui ſunt neceſſaria, teneatur ex charitate facere eleemoſynam grauiter indigentibus, vt docent Valentia *tom. 3. diſput. 3. quæſt. 9 puncto 4.* & Suarez *de charitate, diſp. 7 ſect. 3. num. 3. & 5.* Tamen non tenetur dare huic, vel illi determinatè; ergo rationabiliter eſt inuitus, ſi hic ab eo auferat rem, quam liberè poterat applicare pauperi cui vellet; conſequentia patet, antecedens probatur, quia neceſſitates graues ſunt multæ, & hic diues non tenetur conſulere omnibus, ſed iis quibus commodè poteſt, ac proinde eius prudentiæ, & prouidentiæ relinquitur electio, ſi enim relinqueretur arbitrio grauiter egentium, & quilibet haberet ius auferendi, facile diues ſpoliaretur, & à ſtatu ſuo caderet, quia multi ad eum concurrerent, vt patet. Et quamuis Vaſquez *ſuprà citatus, num. 61.* impugnare velit id quod aſſerimus, quod diues non teneatur ex ſuperfluis dare huic pauperi determinatè, & manere electionem perſonæ pauperis apud illum; illius tamen fundamentum ſolum probat, non manere hanc electionem apud illum, quando poteſt omnibus conſulere, quia tunc ſinguli poſſunt ſuam partem ab eo clàm auferre, quia ſingulis tenetur.

Valent. Suar.

Sed adhuc in eo caſu ſtare poteſt hæc ſecunda ſententia, quia tunc non tenetur ex iuſtitia, ſed ex charitate, & conſequenter peccare poterit indigens auferendo aliquando contra iuſtitiam. Deinde, quia quamuis teneatur ex charitate, hæc ſolùm obligat, vt ipſe diues prouideat in tali neceſſitate, & non confert ius pauperi, vt clàm vſurpet in eo caſu, in quo neceſſitas non eſt extrema. Ego hanc ſecundam ſententiam iudico probabiliorem, & ex dictis patet ſolutio ad fundamenta primæ contrariæ. 5.

Iudicium Authoris.

Secundum dubium eſt, vtrùm quando creditor ſimul & debitor exiſtunt in graui neceſſitate, excuſetur pro tunc debitor à reſtitutione. Aliqui affirmant, quia exiſtimant eandem rationem eſſe de graui neceſſitate, atque de extrema, ſed in extrema neceſſitate non tenetur debitor reſtituere, quàuis creditor ſit in eadem æquali extrema neceſſitate; ergo nec etiam tenebitur ſi exiſtant in eadem graui, & æquali neceſſitate: hanc opinionem iudicat probabilem Malderus *tract. 4. cap. 7. dub. 1. §. Dico 8.* & eam debent defendere authores primæ ſententiæ, *num. 3.* relati, ſi conſequenter loquantur. Negant alij, & melius, ac probabilius, & hi ſunt Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 39. §. In hac re,* Petrus Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 4. dub. 9. num. 53.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 19.* Toletus *in ſumma lib. 5. cap. 24.* & conſequenter debent negare omnes authores ſecundæ ſententiæ *num. 4.* explicatæ: & hi omnes communiter loquuntur tam de debitis, quæ ſunt contracta ex contractu iuſto, quam de iis, quæ ſunt contracta ex contractu iniuſto, & ex delicto, vt ex vſura, aut ex delicto, vt ex furto. Fundamentum eſt, 6.

Dubium ſecundum.

Mald.

Azor. P. Nauarra. Leſſius. Tolet.

Primò, quia ſi apud debitorem exiſtat eadem res numero iniuſtè accepta, debitor ſolum habet ius neceſſitatis, creditor verò habet ius neceſſitatis, & proprietatis coniunctum cum æquali iure neceſſitatis; ſed ius neceſſitatis, quando non eſt extremæ, non poteſt præualere contra ius proprietatis, quia res illa non fit communis ratione grauis neceſſitatis; igitur, &c.

Secundò, quia etſi res obnoxia reſtitutioni ſit ſub poſſeſſione & dominio debitoris quando poſſidet ex contractu iuſto, adhuc non excuſatur debitor, quia creditor habet ius ad illam, quod ius non ſuſpenditur ratione neceſſitatis grauis ipſius debitoris, ſolùm enim ſuſpenditur ratione neceſſitatis extremæ; ergo tenetur debitori illam reſtituere,

ruere, ſi creditor in æquali neceſſitate graui exiſtat.

Tertiò, quia in æquali indigentia graui creditor rationabiliter exigit ſuum debitum, vt ſibi conſulat, & debitor eſt iniuſtus ſi non ſoluat; ergo talis retentio eſt contra iuſtam voluntatem domini, & conſequenter illicita.

7. *Obiectio.* Sed obiicies; quando debitor eſt debitor ex iuſto contractu, & in æquali graui neceſſitate exiſtit cum ſuo creditore, habet triplicatum ius, & creditor ſolùm habet duplicatum: habet enim debitor ius proprietatis, ius neceſſitatis, ius poſſeſſionis. Creditor autem ſolùm habet ius neceſſitatis; ergo præualet debitor; ergo non tenetur reſtituere pro tunc. *Reſponſio.* Reſpondeo hoc verum eſſe in neceſſitate extrema, quia ratione illius neceſſitatis res fiunt communes quoad vſum, & conſequenter pro tunc ſuſpenditur debitum iuſtitiæ. At in neceſſitate graui cùm res non fiant communes, manet ius proprietatis apud creditorem, non apud debitorem, contra quod non præualet poſſeſſio debitoris, quia hic tenetur ſe priuare tali poſſeſſione, vt creditor ſeruetur indemnis.

8. *Dubium tertium.* Tertium dubium eſt, quando creditor non eſt in æquali neceſſitate graui, & debitor in illa exiſtit, an teneatur tunc debitor cum graui detrimento ſuæ perſonæ, ſanitatis, vel rei familiaris rem reſtituere creditori. Reſolutio huius quæſtionis facilis eſt apud illos, qui aſſerunt licitum eſſe in graui neceſſitate vitæ, ſanitatis, perſonæ, & rei familiaris rem alienam vſurpare; ſi enim acceptio tunc eſt licita, licita etiam erit retentio, & ita cohærenter dicent non teneri tunc debitorem ad reſtitutionem, & conſequenter loquendo ita dicent authores, quos citauimus *num.* 3. pro ea opinione, & quos *ibidem* videre poteris.

9. At in ſequenti opinione, quam ſecuti ſumus *num.* 4. quæ negat licitam eſſe eam vſurpationem in graui neceſſitate, non nihil difficultatis habere poteſt hoc dubium. Pro parte, quæ negat talem neceſſitatem non excuſare ſiue debita ſint iuſtè, ſiue iniuſtè contracta, hæ rationes ſtant, quia illa neceſſitas non excuſat acceptionem; ergo nec retentionem. nam quando acceptio eſt culpabilis, & peccaminoſa, retentio etiam eſt in eodem ordine culpæ, & peccati. Deinde, quia nemo poteſt vti re aliena, niſi in extrema neceſſitate, ſed quandiu debitor non reſtituit vtitur re aliena; ergo cùm debitor non ſit in extrema neceſſitate, non excuſatur à tali reſtitutione. Pro parte, quæ affirmat prædictam neceſſitatem grauem excuſare, quandiu durat, à reſtitutione, hæ rationes militant.

Primò, quia ſupponitur, quòd creditor non patitur nouum damnum ex dilatione, & quòd debitor illud patitur in propria perſona. ergo tenetur ipſe creditor ſaltem ex charitate conſentire, quòd reſtitutio, & ſolutio differatur.

Secundò, quia minor cauſa requiritur, vt dominus conſentiat in dilatione, quàm in prima ablatione, vt optimè notat Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 27. *Leſſius.* poſtquam enim res jam non extat apud debitorem, ſolum tenetur ex iniuſta retentione; ſed retentio, quæ fuit antea iniuſta, redditur modò iuſta ex graui neceſſitate debitoris; ergo quandiu iſta grauis neceſſitas durat, non tenetur debitor reſtituere.

Tertiò, quia debitor in caſu propoſito habet ius proprietatis, poſſeſſionis, & neceſſitatis; ergo creditor valde irrationabilis erit, ſi hoc non velit. Hæc ſententia videtur ſine dubio probabilior ſpectatis rationibus, & eam tenet Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 27. *num.* 56. & D. Anton. 2. *part. titulo* 2. *cap.* 8. Toletus *in ſumma lib.* 5. *cap.* 24. & alij. *Nauar. D Anton. Tolet.*

10. *Oppoſitio.* Oppones ex eo quòd creditor in hac circumſtantia teneatur conſentire, non ſequitur quòd debitor pro tunc non teneatur reſtituere. nam ſi de facto non conſentiat, non redditur retentio iuſta; ergo non excuſatur à culpa, maximè, quia creditor non tenetur conſentire ex iuſtitia, vt patet. Deinde, quia conſenſus debitus ſi in re non detur, non facit actum, vel contractum validum, imò neque licitum, vt patet, quando aliquis promiſit ficte, vel vendidit eadem fictione ſine intentione promittendi, vel vendendi, cùm tamen teneatur eam habere.

Tertiò, quia quando aliquis tenetur diſpenſare, ſi de facto non diſpenſet, inualidum erit matrimonium, & illicitus actus contra impedimentum in quo de facto non diſpenſatur, imò quando pœnitens tenetur conſentire, vt Confeſſarius aliquid reuelet ex confeſſione, ſi tamen de facto non conſentiat, peccabit Confeſſarius contra ſigillum reuelando, & tamen tenebatur pœnitens conſentire; ergo ſimiliter licèt creditor teneatur conſentire tali retentioni, tamen ſi de facto non conſentiat, non poterit detentor iuſtè detinere, nec à reſtitutione pro tunc durante ea neceſſitate excuſabitur. *Reſponſio.* Reſpondeo eſſe diuerſam rationem in noſtro caſu reſtitutionis, atque in omnibus aliis exemplis hîc allatis, quia natura furti hoc poſtulat, vt dominus ſit rationabiliter inuitus, ac proinde ſi talis non eſt, deficit malitia furti, quia ad hoc non requiritur poſitiuus conſenſus, quemadmodum requiritur in aliis exemplis allatis: vt verò irrationabiliter ſit inuitus, ſufficit, quòd conſenſus ſit debitus ex charitate, vel alia virtute.

11. *An cum iactura ſtatus teneatur aliquis reſtituere.* Præcipuum hîc dubium eſt, an cum iactura ſtatus teneatur aliquis reſtituere. Et notandum in primis ſtatum poſſe eſſe iuſtè, vel iniuſtè acquiſitum. Iuſtè, quia ex bonis propriis iuſto titulo acquiſitis comparatus eſt, v.c. ex legitima hæreditate, ex bonis, quæ à teſtatore legitimè, & iuſto titulo comparata fuerunt, nobis teſtamento relicta ſunt. Iniuſtè, vt ſi per vſuras, & latrocinia ad eum ſtatum quis deuenerit, aut per hæreditatem, ex bonis, quæ à teſtatore iniuſtè acquiſita ſunt, hæres tamen bona fide eam hæreditatem teſtamento ſibi relictam accepit, & durante ea bona fide acceptauit, comparauitque; poſtea verò ſciuit ea bona fuiſſe malè parta à ſuo benefactore, vt in filio vſurarij, cuius pater bona, quæ illi reliquit, iniuſtè per vſuras acquiſiuit. Deinde poteſt ſtatus eſſe iuſtè acquiſitus, & tamen debitor culpa ſua ab illo cadere, & ad magnam inopiam deuenire, v. c. quando habebat bona ſufficientia ad ſuum ſtatum conſeruandum, & ad debita ſoluenda, & tamen quia malè expendit in vſus illicitos, redactus eſt ad eas anguſtias, videns paulatim ſe in eas incidere, in quibus iam non poteſt ſoluere ſine iactura totali, vel notabili ſui ſtatus. Et his notatis dubium inſurgit, vtrùm cum iactura ſtatus, ſeu decidendo à ſtatu ſuo, teneatur quis reſtituere, an poſſit licitè differre vſque ad meliorem fortunam.

12. Olim fuerunt nonnulli authores, inter quos fuit Raymundus, & eius ſequaces, quos refert, ſed non ſequitur, Syluester *verb. Reſtitutio* 5. *numero* 3. quia affirmarunt reſtitutionem ſemper eſſe faciendam ſub obligatione peccati, non ſolùm

cum

cum iactura ſtatus, ſed etiam vſque ad mendicitatem propriam, & propriæ familiæ, excepta ſola extrema neceſſitate. Sed durum admodum putabant huiuſmodi authores eſſe præceptum reſtitutionis, & durā doctrinam tradiderunt, & ideo hodie ab omnibus deſeritur, & nullus, quē ſciam, ſequitur. Fundamentum illorū erat, quia contra voluntatem dominorum nihil poteſt retineri, domini autem ſemper ſunt inuiti, & volunt, vt ſibi rem ſuam reſtituant debitores, etiam cum mendacitate illorum, & familiæ. Sed hæc ratio perexigui momenti eſt, quando alienæ rei detentio eſt contra voluntatem domini inordinatam, iniuſtámque, iuſtè retineri poteſt, vt communiter Doctores etiam antiquiores affirmant, & hi ſunt Ioannes de Neapolis *quodlib. 9 quæſt. 21.* Scotus Nider, Nicolaus de Auſ. Archidiaconus, & alij, quos citat ac ſequitur Sylueſter *verb. Reſtitutio 5. num 3.* & id ex eo fundamento probant, quia ſi teneretur detentor iniuſtus reſtituere rem alienam cum mendacitate propria (ſola extrema neceſſitate excepta) ideo eſſet, quia domino inuito retineret, ſed dominus irrationabiliter tunc eſt inuitus; ergo, non tenetur tunc reſtituere. Confirmatur, quia ſi non eſſet vera illa maxima, quæ docet, iuſtè retineri poſſe rem quando dominus irrationabiliter eſt inuitus, ideo eſſet, quia voluntas domini, etiam irrationabilis circa reſtitutionem rei ſuæ extra extremam neceſſitatem, ſemper eſſet implenda in omni caſu; hoc autem eſt falſiſſimum, ergo non ſemper eſt implenda. Maior & conſequentia patent. Minor probatur, quia ſi hoc ita eſſet, ſequeretur quòd reſtitutio, quæ ordinatur ad bonum domini, aliquando ordinaretur in malum eius, vt ſi velit reſtitui ſibi gladium, quo ſe vel alium eſt iugulaturus: ſi velit reſtitui ſibi funem quo ſe vel alium eſt ſuſpenſurus; quod quis dicet? & ideo reiecta hac opinione antiquorum,

13. Communis hodie ſententia tenet neminē teneri cum iactura ſtatus iuſtè acquiſiti reſtituere, ſed poſſe differre ſolutionem, & reſtitutionem debiti quoad vſque potentior fiat, ſiue debitum ſit ex furto, & delicto, ſiue ex contractu, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, & ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter in eam venerit impotentiam: ita docent communiter DD. Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 4.* Sylueſter *verb. Reſtitutio 5. num. 3. & 4.* Scotus, Ioannes de Neapolis, & Archidiaconus, & alij quos *ibi* citat Salon *2.2. quæſt. 62. art. 8. controuerſia 3.* Aragonius *ibidem, concluſione 3.* Malderus *tract. 4. cap. 7. dub. 1. §. Dico 4.* Azor *tom. 3 lib. 4. cap. 39. §. In hac ergo.* Molina *tom. 3. de iuſt. diſput. 754. §. Quando autem*, vbi tamen excipit caſum, quando aliquis culpa ſua deuenit ad prædictam impoſſibilitatem, quem ſimiliter excipit Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 28.* quæ exceptio valde probabilis eſt, præſertim, quando præuidetur futura impotentia, tunc enim iactura & cadentia ab ſtatu imputetur debitori malè conſumenti. Sed cùm omnes alij Doctores loquantur abſolutè, & hunc caſum non excipiant, doctrina illorum communiter, & etiam in hoc caſu procedit, præuiſio enim illa peccatum fuit, non furti, ſed vel prodigalitatis bonorum, vel incuriæ, vel malitiæ. Fundamentum ſumitur primò, ex iure ciuili *l. In condemnat. de Rod. & Inſt. de act. §. vltimo, & l. 4 & 6. ff. de ceſſione bonorum*, vbi textus aiunt non eſſe æquum ſpoliare debitorem omnibus ſuis bonis, vt reſtituat; ergo

Sotus
Sylueſter.
Scotus.
Neapolis.
Archidiac.
Salon.
Aragonius.
Malder.
Azor.
Molina.
Leſſius.

ex vi iuris ciuilis relinqui debet prædicto debitori ſtatus decens, & conſequenter cum notabili detrimento illius, in neutro foro tenetur reſtituere. Sumitur ſecundò, ex ratione naturali, quia impotentia moralis quandiu durat, excuſat à reſtitutione; ſed in noſtro caſu datur impotentia moralis, quod enim eſt valde durum, & difficile, cenſetur moraliter impoſſibile; perdere verò ſtatum, vel notabilem lapſum ab illo pati, eſt valde difficile, vt patet experientia; ergo quandiu datur hæc impotentia, excuſat, quicquid ſit de radice à qua orta fuit, an fuerit culpabilis, vel inculpabilis.

Oppones tamen *in l. miles, ff. de re iudicata*, habetur non eſſe militem ſtatim obligandum, ſoluere 14. *Oppoſitio.*
inſolidum, ſed paulatim, nec cogitur mendicare. Item nobilibus habentibus debita concedi ſolet in iudicio congrua ſuſtentatio, quando via executionis, vel pignoris ab eis extorquentur debita; ſed hoc eſt priuilegium ſolum, & præciſè Nobilium; ergo non eſt extendendum ad alios, alioqui non foret priuilegium. Confirmatur, quia etiam in aliquibus contractibus hoc conceditur, vt debita, quæ ab illis reſultant, non extorqueantur vltra quàm poſſint debitores commodè: igitur ſi hoc ſpeciale eſt aliquibus debitis, non extendi debet, nec fieri debet commune omnibus debitoribus.

Reſponſio. Reſpondeo in primis prædictas leges agere de priuilegiis in foro externo, & nos agere de reſtitutione in foro interno, & in foro interno omnes manere obligatos ad reſtituendum æquali obligatione de iure naturali; ius autem naturale non obligat ad reſtituendū cum iactura ſtatus notabili.

Reſpondeo ſecundò, illa priuilegia concedere aliquid amplius, quàm id quod dicimus, concedit enim ne huiuſmodi perſonæ nobiles cogantur ſoluere vltra id quod commodè poſſunt, vt notat Molina *citatus*. Vtrùm verò ille cui ex priuilegio, vel per ſententiam iudicis aſſignatur certa portio pro alimentis, vel ex aliis partibus remanentibus ſoluat, maneat tutus in conſcientia, ſi portio ſibi aſſignata maior ſit, quàm requiratur ad ſtatum moderatum, ex dictis colligi poteſt.

Ex dictis hæc corollaria ſequuntur. 15.

Primum eſt non teneri Doctorem in conſcientia, nec iuris peritum vendere libros, nec militem arma, nec artificem inſtrumenta, nec agricolam boues, quibus arat, vt reſtituant, ſi huiuſmodi libri, & inſtrumenta ſunt neceſſaria, vt ſibi, & familiæ decenter conſulant, acquirendo illis congruam ſuſtentationem, ita authores allegati. *Corollaria. Primum.*

Secundum eſt, non teneri Comitem vendere comitatum, nec Nobilem ſeruitē, aut vendere ſupellectilem neceſſariam ad decentiam ſtatus, nec relinquere omnes famulos, & alium ornatum, qui neceſſarius arbitrio prudentis eſt, vt cum ſuis æqualibus conuerſetur. 16. *Secundum.*

Tertium eſt filium adulteræ, qui bona fide comparauit hæreditatem æqualem fratribus legitimis, qua conſtitutus eſt in ſtatu Nobilium, non teneri poſtea, cùm ſibi conſtat de ſua illegitimitate cum iactura ſtatus illam ſtatim fratribus reſtituere. *Tertium.*

Quartum eſt non obligari debitorem ad mendicandum, vt ſoluat ac reſtituat. *Quartum.*

Quintum eſt non teneri ipſos debitores reſtituere, ſi reſtitutio iniuncta redundet contra bonum commune, quia bonum commune ſemper peculiari creditoris bono præfertur. *Quintum.*

Sextum. Sextum eſt non teneri reſtituere, ſi reſtitutio redundet in malum corporis, vel animæ ipſius creditoris, vt ſi peteret ſuum gladium, vt ſe, vel alterum occidat.

Septimum. Septimum non teneri reſtituere ſi ex ea reſtitutione immineat furtum, vel proſtitutio mulieris, aut alia huiuſmodi, proximorum incommoda, donec ceſſent prædicta incommoda, quia ordine charitatis honor, & fama proximi debent rebus propriis corporalibus anteferri, argumento *cap. officij, de pœnit. & remiſſion.* hæc omnia corollaria deducuntur ex authoribus citatis *in num.* 5. *& à* 6. & deinceps, ita expreſsè docet Syluester *verb. Reſtitutio* 5. *num.* 3. (Syluester.)

17. *Octauum.* Vltimum corollarium eſt teneri huiuſmodi debitores non cadere à ſtatu ſuo, vt dixi; teneri tamen ſtatum reſtringere & reiicere ſuperflua, quæ ſolùm ad pompam, & humanum ſplendorem, maioremque abundantiam requiruntur, & ſolùm poſſunt retinere illa, quæ ad congruentem ſtatum præcisè neceſſaria ſunt, ſiue in victu, ſiue in veſtitu, ſiue in famulatu. ita communiter DD.

18. *An, & quando debitor teneatur præter principale reſtituere lucra ceſſantia, & emergentia.* Si quæras, quando debitor ob huiuſmodi impotentiam non reſtituit, & in futurum ceſſat lucrum creditori, vel emergunt damna maiora, quàm illa, quæ patitur debitor de præſenti, vtrùm teneatur debitor præter principale reſtituere poſtea huiuſmodi lucra ceſſantia, & damna emergentia? Affirmat Molina *tom.* 3. *diſp.* 754. *in fine*, & Sayrus *in claui Regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 6. *à num.* 33. & Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 32. loquens in eo caſu, in quo debitor culpabiliter incidit in impotentiam prædictam; negat verò in caſu, quo inculpabiliter in eandem impotentiam inciderit. (Molin. Sayrus. Leſſius.)

19. *Quid ſi ſtatus, ſit iniuſtè acquiſitus.* Hactenus egimus de illo, qui ſtatum iuſtè acquiſiuit. Inquires nunc, vtrùm teneatur quis reſtituere cum iactura ſtatus ſui iniuſtè acquiſiti, v.g. Mercator, vel miniſter Regius, qui modo ordinario viuebat, & poſtquam exercuit officium per vſuras, vel alios modos illicitos, & contra iuſtitiam magnam quantitatem pecuniæ acquiſiuit, imò etiam bona immobilia quibus familiam ſuam nobili apparatu cœpit tractare, de his enim, & de publicis vſurariis, quærimus, an teneantur ſtatim, & cum iactura etiam totali talis ſtatus reſtituere.

Sententia prima. Ratio dubitãdi eſt pro parte negatiua, quia nemo tenetur cum iactura proprij ſtatus bene acquiſiti, vt hactenus reſoluimus, reſtituere; igitur neque cũ iactura proprij ſtatus malè acquiſiti. Conſequentia patet, quia obligatio reſtituendi æquè reſultat ex radice iuſta, atque iniuſta; ergo ſi obligatio, cùm ſit æqualis, ſuſpenditur in primo caſu, etiam ſuſpendetur in ſecundo, & hanc ſententiam tenet Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. D. Anton. 2. *part. titulo* 2. *cap.* 8. *à columna* 4. & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 17. *num.* 58. *&* 57. vbi *in dicto num.* 57. aſſerit eum, qui debet centum aureos, quos non poteſt reſtituere ſine magno detrimento rei familiaris, hoc eſt, niſi domum ſuam, vel aliquod prædium multo minoris, quàm valeat, vendendo; non teneri ſtatim prædium vendere, vt reſtituat, & addit hæc verba, num. 58. *Quod noſtro iudicio, non ſolùm locum habet in debito, quod ex contractu licito, aut ex vltima voluntate, ſeu teſtamento oritur, ſed etiam in debito, quod ex furto, vel alio delicto naſcitur, quia quamuis hæc duo debita, quoad ſuam originem differant (quia in vnius origine peccatum eſt, & in alterius non) quoad hunc tamen effectum reſtitutionis, ſaltem in foro conſcientiæ ſimilia ſunt, ſiquidem vtrique debitor tenetur reſtituere, & ſicut in vtroque totalis impotentia totaliter excuſat, ita in vtroque mediocris impotentia,* (intellige temporalis,) *mediocriter,* (intellige ad tempus) *excuſare debet, argumento de toto ad partem,* l. quæ de toto, ff. de rei vendic. & cap. Paſtoralis, §. Item ſi totum, de officio delegati. *Hæc ille.* Vnde ſi incommodum vendendi prædium multo minoris, quàm valeat in omni caſu, hoc eſt, ſiue debitum iuſtè contractum ſit, ſiue iniuſtè, excuſat à reſtitutione debitorem, dum durat, à fortiori excuſabit etiam incommodum iacturæ ſtatus, ſiue ſtatus iuſtè, ſiue iniuſtè acquiſitus ſit. (Gabriel. D. Anton. Nauarr.)

20. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia affirmat teneri; hanc tenet Caietanus 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 3. Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 36. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *n.* 29. quod à fortiori dicent, ſi res aliena adhuc extat eademmet numero, vt cùm quis domos alienas, agros, villas, prædia, & ſimilia iniuſtè, & malè acquiſita poſſidet, & ex redditibus & prouentibus illorum ſtatum malè conſequenter acquiſitum conſeruat. Fundamentum huius opinionis eſt, quia talis iniuſtè fuit acquiſitus, & debitor nunquam fecit illum ſtatum ſuum, quia ſemper illum mala fide poſſedit; ergo iniuſtè ab illo conſeruatur, cùm ex bonis alienis furto ablatis conſeruet; ergo ſi ab illo cadat, non cadit à ſtatu ſuo; ergo tenetur reſtituere cum iactura, & cadentia illius, quæſtio enim procedit de ſtatu ſuo, non de ſtatu alieno. Confirmatur, quia talis debitor nunquam fuit iuſtus poſſeſſor illius ſtatus, imò ſemper fuit iniuſtus poſſeſſor illius; ergo reſtituendo non cadit à ſtatu ſuo, quia nunquam fuit iure ſuus, imò ſemper fuit alienus, ſed vnuſquiſque tenetur reſtituere, quando id poteſt facere ſine iactura ſui ſtatus; ſed hic iniuſtus poſſeſſor poteſt reſtituere ſine iactura ſtatus ſui; ergo tenetur reſtituere. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones. Hæc ſecunda ſine dubio tenenda eſt, quia probabilior, & verior videtur. (Sayrus. Caiet. Leſſius.)

21. *Quid ſi quis bona fide à patre ſuo, vel amico bona accepit.* Sed quid ſi quis bona fide res accepit à parente, vel amico, quibus per aliquod tempus ſuum ſtatum conſeruauit, & eadem bona fide poſſedit, poſtea verò ſciuit eas res eſſe alienas, & furto à parente ſuo, vel amico, & per vſuras fuiſſe acquiſitas, tenetur ne iſte ſtatim reſtituere cum iactura proprij ſtatus, ſicut tenentur poſſeſſores malæ fidei. Reſpondeo aut dubitat, aut certus eſt eas res fuiſſe à parente ſuo, vel amico furto, & per vſuras acquiſitas, iniuſtéque comparatas. Si dubitat tantùm, ſic ſtatuo incipiens bona fide poſſidere, ſi dubium ſuperueniat, an res ſit aliena, tenetur moralem diligentiam adhibere, vt veritatem aſſequatur, eaque præmiſſa, ſi veritatem aſſequi non potuit, non tenetur reſtituere, poteſtque poſtea ratione poſſeſſionis retinere, & practicè non dubitare, non obſtanti dubio ſpeculatiuo remanenti an res ſit aliena. Hæc ſententia eſt communiſſima. Eam tenet Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 35. *fine, & diſp.* 36. *concluſione* 1. Lud. Lopez 1. *part. Inſtruct. in* 2. *edit. cap.* 135. §. *Quare falſa eſt.* Salon 2. 2. *quæſt.* 61. *tract. de dominio, ad finem, fol.* 596. *& q.* 62. *art.* 6. *controu.* 4. *concl.* 4. Rodrig. *tom.* 2. *ſumma cap* 43. *n.* 4 Gratian. *reg.* 227. *n.* 5. Couar. *reg. poſſ.* 2. *p.* §. 7. *n.* 4. *& regul. Peccatum,* 3. *p. initio, n.* 4. Maſcard. *de probat. concl.* 1200. Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp* 41. *n.* 12. Cordub. *lib.* 3. *q.* 8. *coroll.* 3. *verſ. ad primã autem rationem.* Henriq. *lib.* 14. *de irreg. c.* 15. *fin.* Sylu. *verb. Præſcr.* 1. *q.* 3. *dicto* 3. *fin.* & alij Ratio eſt, (Molin. Lopez. Salon. Rodrig. Couarr. Sanchez. Cordub. Gratian. Henriq. Syluester. Maſcard.)

Primò,

Primò, quia in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis, *regul. In pari, de regulis iuris. in 6. & regul. In pari 170. ff. de regulis iuris*; ergo cùm in dubio ſit par vtriuſque cauſa, melior erit conditio poſſidentis, vt rem poſſit retinere.

Secundò, quia in foro externo veritate cognita defenditur hic in ſua poſſeſſione, nec aliquid reſtituere compellitur. ergo & in foro interno, quia iudicia hæc diuerſa non ſunt, niſi quando externum in præſumptione fundatur, internum autem veritatem nouit, vt docet Sanchez *lib. 1. de matr. diſp. 5. num. 20.* hîc autem cùm vtrumque iudicium veritate nitatur, id quod in vno dicitur, in alio ſimiliter eſt dicendum.

Tertiò, quia nullum aliud crimen in hac retentione admitti poteſt, niſi iniuſtitiæ; hîc autem nullum eſt crimen iniuſtitiæ in hac retentione, quia iniuſtitia importat inæqualitatem inter vtriuſque partis iura; hîc autem nulla eſt inæqualitas, imò eſſet, ſi daretur reſtitutio, quia licèt ius vtriuſque partis ſit æquale in dubio de proprietate rei, non tamen eſt æquale de poſſeſſione; poſſidens enim certus eſt de iure poſſidendi; ergo ſi maneat in eodem iure poſſeſſionis, in quo potior eſt illius cauſa, nulla eſt inæqualitas, ac proinde nulla iniuſtitia, tandem quia magna ſunt poſſeſſionis commoda, etiam in foro conſcientiæ, vt refert Maſcardus *allegatus*.

22. *Illatio prima.* Hinc infertur primò. Si neuter poſſideat diuidendam eſſe rem inter vtrumque, quia æquale eſt vtriuſque ius, idque tam in foro interno, quàm externo, ita Sanchez *allegatus, num. 15. & 16.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. in ſolut. ad 3.* Sotus *lib. 4 de iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad 3. verſ. De illo verò.* Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 2. in 2. edit. dub. 8. num. 50* Banhez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub. 6. circa primam concluſionem, concluſione 2.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 35. num. 1.* Aragon 2. 2. *quæſt. 65. art. 5. in ſolutione ad 3. circa tertiam propoſitionem.* hi omnes loquuntur de foro interno, & dicunt furto rem auferentem, vel ſcientem non eſſe ſuam, ſi dubitat quis ſit dominus illius, quo caſu perinde eſt, ac ſi nullus poſſideret, teneri reſtituere inter illos, quorum eſſe dubitat, & addunt, ſi dubium non ſit æquale, diuidendam eſſe iuxta dubij qualitatem, & proportionem. Et Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt. 45. art. 1. dub. 2. in ſolut. ad 3. prima ſententia*, & Sanchez *dicto lib. 2. de matr. diſp. 41. num. 16.* loquentes de foro externo.

Sanchez. Caiet. Sotus. P. Nauarra. Banhez. Henriq. Aragonius. Ledeſm. Sanchez.

23. *Illatio ſecunda.* Infertur ſecundò, ante præmiſſionem moralis diligentiæ arbitrio prudentis neceſſariæ ad cognoſcendum, an res ſit ſua, non poſſe bonæ fidei poſſeſſorem, & poſtea dubitantem, an res ſit aliena, illam diſtrahere: præmiſſa tamen hac diligentia, ſi adhuc manet æqualiter dubius, poſſe illam diſtrahere, & alienare admonito emptore de prædicto dubio, dummodo ſit paratus vero domino comparenti pretium illius reſtituere: ita Sanchez *dicto lib. 2 de matr. diſp. 41. n. 21. & 22.* Medina *C. de reſt. quæſt. 10. col. 2. verſ. Dico ſecundò.* Couarr. *regul. Peccatum 3. part. initio, num. 4.* Veracruz *3. part. ſpeculi, art. 13. in fine.* Banhez 2. 2. *quæſt. 62. art. 6. dub. 5. concluſ. 4. & 5.* & alij. Et ratio eſt, quia ſi alienet ante præmiſſam diligentiam, exponit ſe periculo difficiliùs reſtituendi, imò non reſtituendi rem propriam. nam quamuis ſit paratus reſtituere pretium illius, ſi dominus poſtea facta diligentia comparuerit, tamen iniuria fit domino, quia nollet pretium, ſed rem ſuam, quam nullo modo venderet, nec eo, nec maiori pretio. Quòd verò poſt præmiſſam diligentiam poſſit modo explicato alienare, inde patet, quia ſi iuſtè poteſt poſſidere poſtea in perpetuum, nulla eſt ratio ob quam non poſſit eo vſu perpetuo carere, illamque vendere, & alienare. nam ſicut iuſtè illi conceditur poſſeſſio; ita iuſtè illi concedenda ſunt ea, quæ ex iuſta poſſeſſione oriri ſolent, & effectus iuſtæ poſſeſſionis, quales ſunt venditio, & alienatio. Tandem probatur teneri admonere emptorem, quia aliàs rem vitioſam venderet tacito vitio, quo cognito emptor vel nullo modo emiſſet, vel viliori pretio, & idem poſſet ſequi damnum.

Sanchez. Medin. Couarr. Veracruz. Bañes.

Tunc autem, meo iudicio, intelligendum eſt, vt teneatur venditor emptorem admonere, quando datur moralis aliqua ſpes, quòd dominus poſtquam facta fuit diligentia, compareat; ſecus ſi moraliter loquendo, nulla ſit ſpes, quia tunc res non eſt vitioſa, ita docet Sanchez *allegatus, num. 22.* & Banhez *item citatus dicta concluſione 5.* Hinc fit ſi vendens non admoneat emptorem, caſu, quo tenetur admonere, teneri poſtea ad damnum inde ſecutum, vt docet Sanchez *dicto num. 22. in fine.* & Couarr. *ad regulam, Peccatum 3. part. initio, num. 4.* quia fraudulenter vitium rei tacuit, quod de iuſtitia tenebatur aperire, ex quo etiam ſequitur de iuſtitia teneri admonere emptorem. 24.

Sanchez. Bañez. Sanchez. Couar.

Quòd ſi facta diligentia maius ſit aliquantulum dubium, quòd res non ſit ſua, non tamen ſufficiens ad faciendum iudicium certum, quòd ſit aliena, ſed eſt ſufficiens, vt dubitans magis inclinet quòd ſit aliena. Sunt quidam, qui docent teneri huiuſmodi poſſeſſorem ſic dubitantem partem tantùm rei reſtituere pro ratione maioris illius inclinationis & dubitationis, & hi ſunt Salon 2. 2. *quæſt. 62. art. 6. controuerſia 4. concluſione 4.* Petrus de Ledeſma *de matrim. quæſt. 45. art. 1. ad 3. prima ſententia, dub. 2.* & Banhez 2. 2. *ante quæſt. 62. in præambulo ad illam, dub. vltimo, concluſione 2.* & Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 41. num. 19.* & idem Banhez 2. 2. *quæſt. 40. art. 1. dub. 5. concluſione 4.* Valentia 2. 2. *quæſt. 16. diſput. 3. puncto 2. col. 5. verſ. Si autem res in neutrius*, & hoc eſt probabile. At probabilius eſt nihil eum teneri reſtituere, & ita docet Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 10. num. 9.* vbi ſe corrigit. Vaſquez 1. 2. *quæſt. 19. art. 6. diſput. 66. cap. 7. num. 42.* Salas 1. 2. *quæſt. 21. tract. 8. diſput. vnica, ſect. 23. num. 231.* Et ratio eſt, quia certa poſſeſſio huic rationis inæqualitati præponderat. 25.

Salon. Ledeſma. Banhez. Sanch. Banhez. Valentia. Sanchez. Vaſquez. Salas.

Infertur tertiò. Si iſte, qui bona poſſedit, & rem ab initio accepit, qua per aliquod tempus ſuum ſtatum conſeruauit, poſt factam diligentiam inueniat certò moraliter rem fuiſſe iniuſtè acquiſitam, & ſibi ab iniuſto poſſeſſore, v. c. à latrone, vel ab vſurario datam, vel relictam; tunc quidem tenetur eam reſtituere cum iactura proprij ſtatus, ita docent communiter Doctores, Caietanus 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. in ſolut. ad 3.* Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad 3. verſ. De illo verò.* Angles *in floribus 2. part. quæſt. 2. de reſt. difficult. 4. dub. 4.* Nauarra *lib. 4. de reſt. cap. 2. in 2. edit. dub. 8. num. 50.* Rodriguez *in Bulla compoſit. §. vnico, num. 9. & tom. 2. ſummæ, cap. 41. num. 8.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 35. num. 1.* Aragon 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. in ſolut. ad tert. §. Circa tertiam propoſitionem.* Salon *ibidem, eodem art. 5. controuerſia 5.* & *ibidem* Banhez 26. *Illatio tertia.*

Caiet. Sotus. Angles. P. Nauarra. Rodrig. Henriq. Arag. Salon. Banhez.

dub.6.circa 1.concluſionem, concluſione 2. qui omnes dicunt ſcientem rem non eſſe ſuam, teneri illum reſtituere, ac tenetur fur, qui illam ab alio furto abſtulit: vnde ſequitur teneri illam reſtituere cum iactura proprij ſtatus, ſicut tenetur fur, ac malæ fidei poſſeſſor, vt diximus *num.20.* Et ratio eſt, primò; quia cùm primum poſt factam diligentiam inuenit non eſſe ſuam, & certo, & morali iudicio, id iudicauit, conſtituitur malæ fidei poſſeſſor, & non fit poſſeſſor, ac proinde ita manet, ac ſi illam non poſſideret, nec eſſet ſua, ſed aliena, & conſequenter ſtatus cuius conſeruatio ab illa re pendebat, iam non eſt ſtatus ſuus; ergo tenetur eam reſtituere, cum deiectione & iactura prædicti ſtatus, vt patet & docuimus, *num.20.* & rationes quibus *ibi* hoc probauimus, hîc accommodentur.

CAPVT XXVIII.

Vtrùm graue detrimentum in propriis bonis temporalibus, famæ, ingreſſus Religionis, & ceſſio bonorum ſit cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Detrimentum magnum, quod patitur debitor, ex eo quòd ſimul totum reſtituat, ſi non cadat à ſtatu ſuo iuſtè acquiſito, aut in grauem neceſſitatem incidat, non eſt cauſa excuſans à reſtitutione, num. 1.

Quomodo intelligatur quòd cum graui detrimento propriorum bonorum teneatur, vel non teneatur debitor reſtituere. à num. 2. vſque ad 5.

An teneatur quis reſtituere cum periculo famæ, & libertatis. num. 6. & 7.

Olim in lege vetere præcipiebatur, vt latro venderetur ad ſoluendum, & reſtituendum furtum, numero 8.

Reijcitur opinio aſſerens cum damno propriæ famæ reſtituendum eſſe, quando fama eſt vilis hominis, & bona ſunt magni momenti. num 9.

An ceſſio bonorum excuſet à reſtitutione, & quomodo, num. 10.

Ceſſio bonorum eſt medium miſerabilium, num. 11.

Quid ſit propriè loquendo ceſſio bonorum, num. 12.

Ceſſio bonorum in foro externo excuſat aliquando à carcere, & ab excommunicatione, nam qui cedit bonis, excommunicari non poteſt propter debita, num. 13.

An ingreſſus Religionis excuſet à reſtitutione, num. 14.

Quid ſi debita ſint incerta. num. 15.

Quid ſi manenti in ſæculo nulla ſit ſpes, quòd poſſit ſoluere. num. 16.

Quid quando debita ſunt certa, & eſt probabilis ſpes, quòd debitor manens in ſæculo, breuiter poterit ſoluere. num. 17. & 18.

Quomodo intelligatur illud breuiter, & quanto tempore tenetur debitor expectare, ne ingrediatur Religionem ad ſoluendum, num. 19. 20. 21. & 22.

Quid ſi dubium ſit quòd poſſit ſoluere expectato biennio, & manendo per biennium in ſæculo, num. 23.

Quid ſi debitor votum Religionis habeat, num. 24. & 25.

IN primis notandum eſt debitum magnum, in quo debitor cogitur detrahere magnam quantitatem pecuniæ, vel alterius rei familiaris, detrimentumque in hoc tantum conſiſtere quòd ſimul, & vno cumulo ſe debitor priuet hac ingenti quantitate bonorum, & pecuniarum, & ſi ex hoc non ſequatur extrema, vel grauis neceſſitas perſonæ, vel ſtatus, non eſſe cauſam ſufficientem ad differendam reſtitutionem. ita Sotus *lib. 4 de iuſt quæſt. 7. art. 4.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. puncto 7. cauſa 5* Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 24.* Toletus *in ſumma lib. 5. cap. 24.* Ratio eſt, quia, vt detrimentum graue excuſet dilationem ſolutionis, debet eſſe verè & propriè detrimentum in rebus debitoris, ſed priuare ſe illa quantitate, non eſt detrimentum in rebus debitoris, quia debita non computantur in rebus debitoris, ſed creditoris; ergo nullum accipit detrimentum in rebus propriis. Confirmatur, quia tantum dat, quantum accipit, & quantum debet; ergo non excuſatur à reſtitutione ex hoc tantùm capite, & conſideratione, alioqui eo melior eſſet conditio debitoris, quo plus deberet, nec poteſt dari magnum damnum propriorum bonorum, eo quòd ſint magnæ res alienæ reſtituendæ, vt benè docent Caietanus *in ſumma, verb. Reſtituere,* & Nauarrus *in manuali Lat. cap. 17. num. 59.* hoc enim non eſt ſuorum bonorum iacturam facere, ſed aliena relinquere.

1. Detrimentum magnũ non eſt cauſa excuſans à reſtitutione. *Sotus. Valent. Leſſius. Tolet.* *Caiet. Nauar.*

2. Secundò notandum eſt, detrimentum præcisè lucri ceſſantis, quod perdit debitor, quando per quatuor, vel quinque menſes differt ſolutionem, & negotiatur pecunia creditoris, vel re debita, ſi ſimiliter ex hoc non ſequatur extrema, vel grauis neceſſitas ſtatus, vel perſonæ, non eſſe etiam cauſam ſufficientem differendi debitorum reſtitutionem, ita docet Molina *tom. 3. diſp. 754. §. Quando detrimentum.* Leſſius & Nauarrus *numero præcedenti* allegati, & eſt communis ſententia, & fundamentum eſt, quia hoc non eſt amittere ſuũ, ſed relinquere alienum, & alieno non vti, & quia acceptio rei alienæ animo negotiandi & lucrandi eſt iniuſta, & non excuſatur à furto; ergo & retentio, par enim eſt vtrobique ratio, cùm finis reſpectu vtriuſque ſit lucrum ex negotiatione. Confirmatur,

Molin. Leſſius. Nauar.

Primò, quia ſi pecunia nondum eſſet expoſita negotiationi, & adeſſet terminus ſolutionis, non poterit licitè exponi; ergo quamuis ſit expoſita, non poteſt continuari.

Secundò, quia illa ceſſatio lucri non eſt detrimentum in re propria, ſed ſolùm eſt non vti in tali negotiatione re aliena, vt dixi. Arqui nemo habet ius vtendi re aliena rationabiliter inuito domino, & dominus cenſetur rationabiliter inuitus, quando cauſa vtendi ſua pecunia, eſt maius lucrum debitoris vtentis præciſum à quocumque detrimento ſtatus, vel perſonæ; ergo illa non eſt cauſa ſufficiens huius dilationis. Nec obſtat, quòd, qui negotiatur cum pecunia aliena, acquirat dominium rei, quam lucratur, quia hoc non tollit quominus talis negotiatio ſit illicita; ex actionibus enim illicitis aliquando comparatur dominium, vt patet in eo, qui furatur equum Eboræ, quem vendidit Oliſipone, & dominus Eboræ tunc

erat

erat venditurus, non tenetur enim iſte reſtituere domino equi maius pretium, quo illum vendidit Oliſipone, ſed pretium tantùm, quo dominus illum erat venditurus Eboræ, licèt pretium Oliſiponis ſit multo maius, quia ratione propriæ induſtriæ ex actione illa iniuſta & illicita acquiſiuit dominium illius maioris pretij.

3. Sed quid quando debitum contractum eſt ex iuſto contractu, v.c. ex mutuo, & debitor bona fide ante terminum deſtinatum ſolutioni expoſuit pecuniam negotiationi, emendo aliquas merces: poteſtne tùnc iuſtè differre ſolutionem. Affirmat Sayrus. Sayrus *in claui Regia, lib.10. tract.5. cap.6. num. 25. & 26.* cum multis, quos *ibi* citat, ex eo fundamento, quia in eo caſu factus eſt verè dominus mercium quas bona fide emit, ex pecunia quam iuſto titulo poſſidebat; ſed nemo tenetur vendere res ſuas viliori pretio, vt ſtatim reſtituat, vt docet Nauar. D. Anton. Leſſius. Molina. Valent. Nauarrus *in ſumma Lat. cap.17. num.57. ad finem.* D. Antonin. 2 *part. titulo 2. cap.8. à col.4.* Leſſius *tom.1. de reſt. lib.2. cap.16. dub.1. num.22.* Molina *tom.3. diſp.754. §. Quando detrimentum.* Valentia *tom.3. diſp.6. quæſt.6. puncto 7. cauſa 5.* & nos diximus *cap. præcedenti, num.19* Igitur poteſt tunc debitor iuſtè ſolutionem & reſtitutionem differre vltra terminum deſtinatum, quoad vſque merces conuenienti pretio vendat. Nec refert, quòd iudex in foro externo obligare poſſit debitorem ad vendendas merces, vt ſtatim ſoluat, ac reſtituat debitum, quia forum externum innititur in præſumptione, qua iudex præſumit adeſſe ibi fraudem, aut malitiam in non ſoluendo. Vtrùm verò idem dicendum ſit quando debitor differt ſolutionem huius creditoris, eo quòd probabilem ſpem habeat lucrandi aliquid, quo poſſit non ſolùm huic, ſed etiam aliis creditoribus ſatisfacere, dubitant nonnulli. Sayrus. P. Nauarra. Ego id probabile credo cum Sayro *in claui Regia, lib.10. tract.5. cap.6. num.42.* & Petro Nauarra *lib.4. de reſt. cap.4. dub.8. num.52.* eſt enim hæc cauſa valde rationabilis, & ſufficiens ad differendam per aliquod tempus arbitrio prudentis definiendum ſolutionem, & reſtitutionem, ne alij patiantur graue detrimentum, & erit creditori irrationabiliter inuitus, niſi in hoc tacitè conſentiat, dummodo damnum, quod patitur non ſit maius, quàm lucrum aliorum.

4. Hinc ſi debitor patiatur graue detrimentum, ſi hoc tempore vendat res ſuas, triticum ſcilicet, vel vinum, vel domum, minori pretio quàm valeat, poſt quatuor, aut plures menſes, v.c. centum aureis, & ſi illos expectaret, venderet ducentis aureis, tenetur creditor in conſcientia illos expectare, & irrationabiliter eſſe inuitus, niſi hoc vellet, quia graue detrimentum patitur debitor in re ſua, quam iuſtè habet acquiſitam, vt patet, & valde difficile eſt in tali caſu reſtituere, imò ex tali difficultate reſultat moralis impotentia, & impoſſibilitas, vt ſuprà diximus; ergo ea cauſa eſt ſufficiens ad differendam prædictam ſolutionem, & reſtitutionem, foret enim creditor irrationabiliter inuitus, ſi non conſentiret in tali dilatione, ita deducitur ex dictis, & expreſsè docent Molina, Leſſius, & Valentia modò *allegati.*

5. *Obiectio.* Sed obiicies, ſi dominus eſſet irrationabiliter inuitus, teneretur conſentire. non tenetur; ergo non eſt irrationabiliter inuitus. Maior, & conſequentia ſunt certæ. Minorem probo, quia ſi teneretur conſentire, non poſſet licitè exigere ſuum debitum in iudicio forenſi; nec etiam iudicis ſententia poſſet licitè executioni mandari, vendendo bona debitoris, in publica ſubhaſtatione, quia in publica illa ſubhaſtatione ordinariè res vendi ſolent minori pretio, quàm valeant, ſed poteſt iuſtè, & licitè petere ſuum debitum in iudicio, & ſententiam iudicis exequi vendendo ſub haſta res debitoris, vt quotidie fit; ergo non tenetur conſentire. Reſpondeo creditorem teneri *Solutio.* conſentire ex charitate, non verò ex iuſtitia, ac proinde in foro externo iuſtè agi ſecundùm ius iuſtitiæ: verùm verò peccet contra charitatem ſi in foro iudiciali in eo caſu debitum ſuum vrgeat, & petat, eſt dubium. Cui reſpondeo licitè agere, primò quando non datur periculum, vt debitor vendat res ſuas notabiliter pretio viliori: ſecundò quando ipſe creditor non poteſt via alia recuperare ſuum debitum, quia diu expectauit ſolutionem, tunc enim non videtur obligari ex charitate, ad diuriùs expectandum; extra hos duos caſus ſemper videtur contra charitatem agere, ſi hoc faciat, ſed id in materia de charitate examinari ſolet.

Sed dubitabis, an teneatur quis reſtituere cum 6.
periculo famæ, vel libertatis. Reſpondendū eſt, neminem teneri reſtituere cum periculo, & iactura *Dubium. Soluitur.* famæ, quia fama eſt altioris ordinis, & non eſt vendibilis, iuxta illud, *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, & licèt pecunia ſit menſura rerum omnium, eſt quidem menſura rerum omnium vendibilium; non autem famæ, quæ cùm alteriùs ordinis, & rationis ſit, & non computetur omnino cum bonis ſimpliciter externis hominum, non eſt vendibilis, ſed de hac re latiùs agemus in octauo libro, & præcepto. Nec ſimiliter tenetur quis reſtituere, quando ex eo quod rem reſtituat, maneat expoſitus periculo peccandi, & ſe infamandi, vel conſentiendi, quod perſona aliqua turpi lucro ſibi conſulat, in hoc enim caſu, communis eſt ſententia poſſe differri ſolutionem, & reſtitutionem debiti, ſiue ſit ex furto, ſiue ex titulo iuſto, aut iniuſto contractu: ita Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.16. num.21.* Molina *tom.3. diſp.754 §. Sicut autem.* Malder. *tract.4. cap.7. dub.1. §. Dico quintò.* Sayrus *in claui Regia, lib.10. tract. 1. cap.3. num.7.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap.17. num.57.* & alij, quos ipſi citant. Leſſius. Molin. Malder. Sayrus. Nauar. Et ratio eſt, quia periculum vitæ ſpiritualis, eſt grauius, & maius, quàm graue periculum vitæ, & ſtatus temporalis; ſed hoc excuſat, vt *ſuprà* diximus; ergo à fortiori excuſabit primum. Confirmatur, quia vnuſquiſque tenetur ex charitate cum detrimento temporali conſulere graui neceſſitati ſpirituali proximi, vt ex communi ſententia docet Suarez *de charitate, diſput. 9. ſection. 2.* Suar. ſed quando aliquis ex fragilitate propter inopiam, & defectum rerum temporalium eſt in periculo peccandi, cenſetur eſſe in neceſſitate graui ſpirituali; ergo quando datur periculum peccandi, vel alteri dandi anſam peccandi, poteſt quis differre reſtitutionem, & ſolutionem, quia hæc cauſa eſt ſufficiens differendi.

Si autem cum periculo, & iactura famæ, & ſta- 7.
tus, quandiu durat tale periculum, nemo tenetur reſtituere, vt iam reſoluimus, à fortiori non tenebitur cum periculo libertatis: quamobrem nemo tenetur ſuam vendere libertatem, vt reſtituat, ſiue debita ſint ex contractu, ſiue ex delicto, & furto, & quamuis perſona ſit vilis. ita Malderus *tract.4. cap.7. dub.1. §. Dico ſecundò.* Sayrus *lib.10. tract.5. cap.6. num.45.* Toletus *in ſumma lib.5. cap.17.* & alij Malder. Sayrus. Tolet.

alij communiter. Fundamentum eſt, quia libertas pluris æſtimatur, quàm iactura ſtatus, & æquiparatur vitæ. Deinde, quia debitor non cogitur mendicare, vt ſoluat, ex communi Doctorum ſententia; ergo nec vendere libertatem, quia vilior eſt ſtatus ſerui, quàm mendici.

8. Nec obſtat, quòd olim *Exod.*21. ſtatuerit Deus, vt latro venderetur, vt ſolueret, ac reſtitueret furtum, ſi aliunde nihil, quo reſtitueret, haberet. Nec quòd debitor teneatur reſtituere furtum, quando poteſt; cenſetur autem poſſe, quando habet aliquid pretio æſtimabile: libertas eſt pretio æſtimabilis, & ſeruitus eſt licita, vt alibi probauimus. Nam aliud eſt quærere, an per legem, vel ſententiam poſſit aliquis vendi, vt reſtituat aliud, an teneatur ſe ipſum vendere; quamuis enim primum admittatur, adhuc negatur ſecundum, quia nemo tenetur in ſe actiuè exequi pœnam. Accedit, quia nulla lex diuina hodie ad id obligat, illa enim Exodi iam non obligat in lege Euangelica. nam illa lex pertinebat ad leges ciuiles, quibus voluit Deus olim, vt populus ille Hebræorum regeretur, quæ cum populo illo, & lege veteri expirarunt, & ideo Deus tam ſeuerè olim furtum puniuit, vt cohiberet natiuam illius populi ad furandum inclinationem, nam ſicut honores diuinos à Deo viuo, & vero furto auferebant, & idolis, ac hominibus tribuebant (quæ vna cauſa fuit, vt illis corpus Moyſi abſconderet, vt communiter ſacræ Paginæ interpretes animaduertunt, ne illum loco Dei haberent, & illi diuinos honores tribuerent, & à Deo quaſi furto auferrent) ita ad furta temporalia maximè propendebant: nec quòd libertas ſit pretio æſtimabilis, ſequitur, quòd teneatur quiſque ſe ipſum vendere, vt ſoluat, ac reſtituat. quia eſt ſuperior omnibus bonis fortunæ. nam inter bona fortunæ temporalia, eſt maxima diuerſitas, & latitudo. Deinde dici poteſt libertatem non eſſe pretio æſtimabilem, ſicut nec vita, nec fama, iuxta illud,

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Sunt enim hæc bona, fama, vita, libertas alterius Ordinis ſuperioris, & diuerſa à bonis externis temporalibus, vt infrà patebit *in præcepto*, *& lib.*8. Vtrùm autem quando aliquis fuit cauſa iniuſta, vt alius perderet ſuam libertatem, teneatur propria libertate illam redimere. Affirmant communiter Doctores, quia tunc datur æquale damnum ex vtraque parte; ſicut enim cum periculo famæ propriæ, tenetur quis reſtituere famam alienam, ita & cum periculo libertatis tenetur reſtituere libertatem alienam quando inter famam, & famam, libertatem, & libertatem datur eadem æqualitas, plus minúſve.

9. *Reijcitur opinio aſſerens cum damno propriæ famæ reſtituendum eſſe.* Valent. Sotus. Molina.

Nec mihi vnquam placuit opinio, quæ affirmat teneri quemquam cum magno etiam damno propriæ famæ reſtituere damnum grauiſſimum bonorum externorum, licèt ſit grauiſſimorum Doctorum, inter quos eſt Valentia *tom.*3. *diſp.*5. *quæſtion.*6. *puncto* 7. *cauſa* 5. & Sotus *lib.*1. *de iuſt. artic.*3. *ad* 4. Molina *tom.*4. *diſp.*101. *concluſione* 2. & alij, quos referemus libro, & præcepto ſequenti, vbi hanc quæſtionem ventilabimus. Et ſemper arriſit ſententia, quæ negat perſonam etiam ignobilem, & vilem non teneri cum iactura famæ propriæ reſarcire damnum temporale, quamuis magnum, & pretioſum ſit, vt ablatio, & furtum maioratus, Marchionatus, aut Comitatus magnorum redditnum, quam tenent plures authores, & etiam grauiſſimi, inter quos eſt Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſt. cap.*2. *part.*2. *dub.*9. Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.*5. *dub.*10. §. 1. *num.*9. & Leſſius *lib.*2. *cap.* 10. *dub.*7. *num.*50. & Malderus *tract.*3. *cap.*4. *dub.* 10. & Turrianus 2. 2. *diſp.*17. *dub.*1. *num.*10. & alij, eſt enim fama bonum ſuperioris Ordinis reſpectu boni temporalis, quæcumque illa ſit, etiam hominis vilis, & abiecti, vt concedunt authores contrariæ ſententiæ; ſed bona temporalia quamuis creſcant, ſemper manent in ordine inferiori reſpectu famæ; ſicut plumbum, quantumuis in ingentem magnitudinem excreſcat, & pretio aurum ſuperet, nunquam ad ſuperiorem Ordinem auri aſcendet; ergo perſona etiam ignobilis nunquam tenetur ex iuſtitia, cum damno famæ propriæ compenſare, & reſtituere damna temporalia inferioris ordinis, cùm inter hæc dari nequeat æqualitas, nec fama compenſari poteſt pecunia, nec vendi; licèt enim pecunia ſit menſura rerum omnium, eſt quidem, vt dixi, menſura rerum omnium vendibilium, non inuendibilium, qualis fama eſt. Et ideo falſum eſt id quòd contrarij authores pro ſuo fundamento aſſumebant; videlicet, licèt fama ex ſuo genere ſit nobilior, & alterius Ordinis ſuperioris, quàm bona temporalia, tamen aliquam famam, v. c. vilis hominis, & abiecti apud homines prudentes prudentiſſimo iudicio minoris æſtimari, quàm aliquod bonum temporale, Marchionatus ſcilicet, maioratus, aut Comitatus; eſt enim hoc fundamentum falſum, quia nunquam poteſt dari illa æqualitas moralis inter famam, & bona temporalia; priuatio enim ſumit æſtimationem à forma priuata, & quemadmodum forma, ſeu fama ſemper eſt altioris Ordinis, ita etiam illius æſtimatio, & iactura ſemper erit excellentior. Nec prudentes contrarium iudicabunt, & quamuis vulgus imperitum arbitretur, & iudicet pluris æſtimari Marchionatum, & Comitatum inter homines prudentes, quàm fama ignobilis homuncionis; eſt iudicium vulgi, & hoc ſufficit, & ad ſummum hoc ſolum probat, quòd in aliquo caſu detur obligatio ex charitate, vel ex iuſtitia legali, reſtituendi bona temporalia externa, cum iactura famæ, non tamen ex iuſtitia commutatiua, de qua loquimur. nam cùm iuſtitia commutatiua verſetur inter res æquales, & eiuſdem ordinis, & æſtimationis; locum habere non poteſt in fama, quæ nullam habet æſtimationem.

Vaſquez. Leſſius. Malder. Turrian. P. Nauarra.

Veniamus ad ceſſionem bonorum, & inquires, vtrùm ceſſio bonorum temporalium excuſet à reſtitutione: & antequam ad dubium reſpondeam, ſuppono in primis cũ multis Doctoribus dari perſonas, quæ ex priuilegio non poſſunt in carcerem detrudi pro debitis, vt ſunt omnes mulieres, nullæ enim ex iure noſtro Luſitano *in nouis Ordinat. lib.*4. *tit.*76. *num.*6. poſſunt pro debitis ciuilibus, etiam poſtquam de illis iudicis ſententia damnantur, vinculari, incarceratiue, exceptis publicis meretricibus: & omnes homines, qui contraxerunt aliqua debita ex contractu, vel quaſi contractu, in quibus debitores nullam fraudem, nullamve malitiam commiſerunt, hi enim etiam debitores ante definitiuam ſententiam condemnatoriam, in carcerem trudi non poſſunt, quamuis non habeant vnde ſoluant, niſi ſuſpecti de fuga ſint; poſt ſententiam verò condemnatoriam iudicis, executio illorum bonis facienda eſt; & verò ſi illorum bona non ſufficiant ad ſoluenda debita, de quibus fuerunt damnati iudicis ſententia; tunc incarcerantur, cum aliis ibi præſcriptis, quæ in eo titulo videri poſſunt. 10.

An ceſſio bonorum excuſet à reſtitutione, & quomodo.

Suppono

11. *Ceſſio bonorũ eſt remedium miſerabile.*

Suppono deinde in fauorem, & bonum perſonarum, quæ pro debitis in vincula detrudi poſſunt, inuentum eſſe à iure remedium ceſſionis bonorum, & ideo à doctis, & iuris peritis appellatur *remedium miſerabile* ſeu *miſerabilium*, cedendo enim ſuis bonis, non poſſunt in vincula trudi pro debitis, vt decernitur *in l. 1. C. qui bonis cedere poſſunt*, & de iure Luſitano *lib. 4. tit. 74.* vbi multa, & ſcitu digna, quæ ad iudicium forenſe ſpectant, ſtatuuntur, quæ *ibi* videri poſſunt, & circa explicationem huius legis videre poteris, ſi libuerit, Doctiſſimum Barboſam Regis Philippi prudentis Conſilarium incorruptum ſemper, & integerrimum *in l. alia, §. eleganter, num. 57. ff. ſoluto matrimon. ad finem pagina* 390. & Phœbum *tom. 1. deciſ. 3.* vbi doctè diſcutit illam quæſtionem, an nobili pauperi in propria domo pro debitis incarcerato Luſitanè *preſo ſobre menagem*, teneatur creditor præſtare alimenta, ſicut tenetur illa præſtare, ſi eſſet in vinculis publicis, quam pro parte affirmatiua reſoluit, & ita iudicatum fuit in Senatu Regio Oliſiponenſi anno 1613. ex eo fundamento quòd verè & propriè dicitur incarceratus, ac ſi verè & realiter eſſet in carcere publico, ex textu *in l. qui neque, §. ſolitum, ff. de verb. ſignificatione*, & quòd Nobilis nullum alium carcerem habet pro debitis, quàm domum ſuam, vt probat Tiraquel. *de nobilitate cap. 20. num. 30. & 31.* ad quod allegat *l. 1. ff. de cuſtodia reorum*. — Barboſ.

12. *Quid ſit propriè loquendo ceſſio bonorũ.*

Suppono tertiò, cedere bonis nihil aliud eſſe, quàm tradere, ſeu dimittere bona ſua creditoribus, cum certis ſolemnitatibus, vt inde compenſari poſſint, de quibus videri poteſt Molina *tom. 2. diſput. 572.* & Malderus *tract. 4. cap. 7. dub. 3.* qui multa tradunt, quæ magis ad forum externum, quàm ad forum conſcientiæ ſpectant, & ideo in quæſtionibus ad forum conſcientiæ pertinentibus magis immoramur.

13. *Ceſſio bonorũ an, & quomodo excuſet à reſtitutione.*

His ſuppoſitis dubium eſt, an & quomodo ceſſio bonorum à reſtitutione excuſet. Reſpondeo primò in foro externo excuſare à carcere modo prædicto. Deinde excuſare ab excommunicatione, poſtquam enim debitor ceſſit bonis, non poteſt excommunicari pro tali debito, vt habetur *in cap. Odoardus, de ſolution.* Si tamen debitor poſtea peruenerit ad pinguiorem fortunam, non excuſatur à reſtitutione, quia remedium ceſſionis, ſolùm eſt pro impotentiæ tempore. Dubium verò eſt, an in foro conſcientiæ poſſit huiuſmodi debitor qui bonis ſuis ceſſit, abſcondere ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſuam commodam ſuſtentationem, & familiæ. Aliqui id concedunt quando debitum eſt ex contractu, aut quaſi contractu, negant verò, quando debita contracta ſunt ex furto, ſeu delicto, & in hanc partem videtur inclinare Leſſius *tom. de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 3. num. 45.* Probabilius tamen eſt in omnibus debitis id licitum eſſe, quia ceſſio bonorum eſt priuilegium de iure ciuili introductum in fauorem debitorum, ne pro ære alieno moleſtentur in carcere, ac proinde non tollit, nec impedit, vel limitat ea, quæ ſunt de iure naturali; igitur, non obſtante hac ceſſione poteſt quis vti in foro conſcientiæ ea facultate, qua vti poterat in neceſſitate graui naturæ, vel ſtatus, de quibus ſuprà egimus. Ita docet Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 7. num. 3.* Turrianus *2. 2. diſp. 17. dub. 2.* Malderus *tract. 4. cap. 7. dub. 3. §. dubitatur.* — Sayrus. Turrian. Malder.

14. *Ingreſſus Religionis an excuſet à reſtitutione.*

Dubitatur verò, vtrùm ingreſſus Religionis excuſet à reſtitutione, v. c. eſt aliquis multo ære alieno grauatus; is ſi in ſæculo maneret, acquireret bona, quibus poſſet reſtituere; per ingreſſum autem, & profeſſionem Religionis fit impotens ad reſtituendum; quærimus an is poſſit licitè Religionem ingredi, & an profeſſio facta cum prædictis debitis teneat, ac valeat. Et in primis conſtat, & certum eſt peccare debitorem lethaliter ſi cùm bona habeat ad ſoluendum creditoribus ſuis, non ſoluat ante ingreſſum Religionis, aut ſufficienter diſponat, vt tempore ſtatuto illis ſoluatur, quia cùm poſſit ſoluere, tenetur de iuſtitia curare, vt ſuus Religionis ingreſſus in creditorum præiudicium minimè cedat.

15. *Quid ſi debita ſint incerta.*

Conſtat etiam, ſi debita ſint incerta, quorum domini ignorentur, nec facta diligentia ſciri poſſunt, & ideò pauperibus eſſe reſtituenda, poſſe huiuſmodi debitores Religionem ingredi licitè, etiamſi in ſæculo manentes, acquirere poſſent, vnde ſoluerent: ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi, cap. 19. num. 4.* Aragonius *2. 2. quæſt. 88. art. 12. circa ſolutionem ad 1. fol.* 1044. Manuel Rodriguez *quæſtionum regul. tom. 3. quæſt. 10. art. 9. notab. 1.* quia nihil tam pium eſt, quàm ſe Deo in Religione dedicare. Eſt tamen, vt notat *ibi* Sanchez, hoc intelligendum, quando ipſe debitor, nomine proprio, debitor horum incertorum debitorum conſtitutus eſt. nam ſi iuſſus eſſet pauperibus bona aliqua aliena erogare pro eleemoſynis, & ipſe ea conſumpſiſſet, non reputaretur bonorum incertorum debitor qui ſolo iure Eccleſiaſtico tenetur ea pauperibus reſtituere; ſed de hoc ita iudicandum eſſet ac de quocumque alio rei certæ debitore, & naturali iuſtitiæ lege ad reſtitutionem teneretur non aliter quàm ad quæcumque alia debita certi domini, idem ſentit Paludanus *in 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 1. num. 16. concluſ. 7.* vbi aſſerit non teneri monaſterium ſuccedens in bona profitentis, ſoluere incerta eius debita, niſi quando nomine proprio ea debebat. — Sanchez. Arag. Rodrig. Palud.

16. *Quid ſi manenti in ſæculo nulla ſit ſpes quòd poſſit ſoluere.*

Conſtat denique, qualiacumque ſint debita, ſiue certa, & certis creditoribus debita, ſiue incerta, ſi debitor illa non poteſt ſoluere, nec vlla probabilis ſpes eſt acquirendi in ſæculo bona, quibus poſſit ſoluere, poſſe licitè debitorem Religionem ingredi, quia cùm extra Religionem in futurum non poſſit ſoluere, fruſtrà occaſione æris alieni ſoluendi maneret in ſæculo: ita docet Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 19. num* 5. Et idem dicendum eſt, quando conſtaret, quòd intra Religionem poſſet æquè, aut meliùs ſoluere, ſeu lucrari bona quibus ſolueret, iuxta eundem Sancium & Nauarrum *in commentario 1. de regularibus, n. 8.* — Nauarr.

17. *Quid quando debita ſunt certa, & eſt probabilis ſpes quòd debitor manens in ſæculo, breuiter poterit ſoluere.*

Difficultas ergo in eo conſiſtit, an quando debita ſunt certa, & debitor pro nunc eſt impotens ad illa ſoluenda, at probabilis ſpes eſt, quòd manens in ſæculo acquirat arte, vel induſtria bona, quibus ſoluat, non autem in Religione, an teneatur non ingredi donec ſoluat, & conſequenter, an tunc peccet mortaliter ingrediendo illam poſt factam ceſſionem bonorum. partita eſt ſententia.

Opinio prima.

Prima negat poſſe hanc licitè ad Religionem tranſire: ita Gerſon. *2. part. tract. an liceat grauato debitis intrare Religionem, Alphabeto 39. litera X.* & *ibi* refert multos Doctores Pariſienſes id affirmantes, & Supplementum Gabrielis *in 4. diſt. 38. art. 2. difficult. 12.* Carbon. *de reſt. quæſt. 85. dub. 3.* Fundamentum illorum eſt, — Gabr. Carbon.

Primò, quia iniqua eſt profeſſio quæ iuri naturali repugnat, quale eſt ius iuſtitiæ, quo obligatur debitor ſuis creditoribus, cùm per Religio-

nis ingreſſum reddatur impotens ad implendum hoc ius naturale.

Secundò, quia nullum lucrum poteſt licitè acquiri, nec ſpirituale, nec temporale, cum præiudicio tertij: at huiuſmodi debitor acquireret lucrum ſpirituale cum præiudicio tertij; ergo non poteſt licitè Religionem ingredi debitis grauatus. Confirmatur, quia nemo licitè poteſt furari bona quibus poſſet ad Religionem diſtantem ſe recipere: igitur nec illam ingredi cum debitis alienis.

Tertiò, quia præceptum iuris naturalis præferendum eſt conſilio ingreſſus Religionis. Tandem, quia volentes ingredi religionem interrogantur, an ære alieno ſint grauati, quod fruſtrà fieret, ſi poſſent licitè illam cum debitis alienis ingredi. Adde quòd filius cuius parentes neceſſitate laborant, non poſſunt licitè ad Religionem tranſire, ſi in ſæculo iuuare illos poſſint, & in Religione non poſſint. ergo nec debitor potens in ſæculo ſoluere, ad illam licitè poterit tranſire.

18. *Opinio ſecunda.*

D Thom. Caiet. Palud. Anton. Sanchez. Roſell. Angel. Syluester. Tabien. Armil. Viguer. Aragon, Sà.

Secunda affirmat poſſe huiuſmodi debitorem licitè ad Religionem tranſire cedendo bonis in creditorum fauorem, nec teneri expectare in ſæculo donec poſſit ſoluere. hanc tenet D. Thom. 2.2. *quæſt. vltim art.6. ad* 3. & *ibi* Caietanus. Paludanus *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 5. D. Antonin. 2. *part. titul.* 11. *cap.* 2. §. 1. *in fine.* Sanchez *lib* 4. *Decalog. cap.* 19. *num.* 7. Roſella *verb. religio* 2. *num.* 5. *& verb. reſtitutio* 16. *num.* 1. Angelus *verb. Religioſus, num.* 6. *&* 8. Syluester *verb. religio* 2. *quæſt.* 4. Tabiena *verb. religio, quæſt.* 11. *num.* 12. & *ibi* Armilla *num.* 5. Viguetius *lib. inſt. moral. cap.* 17. §. 1. *verſ.* 23. Aragon 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *circa ſolutionem ad* 1. *fol.* 1044. Sà *verb. religio, num.* 1. & hanc ſententiam aiunt Angelus, Sà, Syluester, Tabiena, & D. Antonin. 3 *part. tit.* 16. *cap.* 2. §. 3. procedere etiam in eo caſu, quo debitor creditoribus iuraſſet, ſe ei ſoluturum, quia prædictum iuramentum ſemper eſt intelligendum, dummodo non obſtet Religionis ingreſſus. Fundamentum D. Thomæ, quod cæteri approbant, eſt, quia liberi hominis perſona non eſt creditoribus obligata, ſed eius bona. ergo illis cedendo ſatisfaciet; ſed hæc ratio nutat: nam ſi ita eſſet, ſequeretur quòd pereuntibus rebus omnibus debitoris, periret actio ac ius creditoris, & quòd non reuiuiſceret redeunte fortuna meliori, quia bona illa præſentia erant præſentibus debitis alligata, non futuris, futura enim non ſubſiſtebant, ſicut ſubſiſtebant debita, & ſic liberaretur debito, etiamſi in ſæculo maneret, & ita iniquè poſt latam ſententiam detruderentur debitores in carcerem, qui bonorum ceſſionem facerent in fauorem creditorum, & iniquæ eſſent leges ciuiles, quæ id ſtatuerent, cùm non contra perſonas, ſed contra res procedendum eſſet. At hæc omnia videntur abſurda. Fundamentum igitur eſt, quia non ſolùm bona, ſed etiam perſona debitoris eſt obligata debitis creditorum, ſed non ita prædicta perſona eſt illis debitis obligata, quaſi illa met ſit debita, & quaſi captiua inſtar perſonæ ſeruorum. Sed tantùm ſit obligata ad illis ſatiſfaciendum; ſola autem bona ſunt priori modo alligata. Vnde ſolùm tenetur perſona ſoluere, quando moraliter eſt potens ad ſoluendum; at reputatur moraliter impotens, quando aut non proximè, aut non niſi cum magna difficultate bona poterit comparare, quibus ſoluat; ſicut enim, vt *ſuprà* diximus, moraliter reputatur impotens ille, qui nequit abſque famæ, vel honoris iactura acquirere, ita qui non poteſt abſque notabili difficultate, vel abſque maximo boni ſpiritualis detrimento, quale eſt diu expectare in ſæculo, amittendo interim maximum ſtatus Religionis emolumentum, eo vel maximè quòd valde ſit incerta ſpes eo tempore acquirendi, cùm morbo, ac multis aliis cauſis impediri valeat in ſæculo.

Hæc poſterior ſententia eſt verior, & tenenda, non abſolutè, vt iacet, ſed ſub duplici moderatione limitata. 19.

Quomodo intelligatur illud breuiter. *Conditio prima.*

Prima eſt, quando debitor in ſæculo manens non poſſet breui tempore acquirere bona, quibus poſſit ſoluere. nam ſi arte, ingenio, vel induſtria polleat, aut munus obeat, quibus breui poſſit acquirere bona ad ſoluendum, non poterit licitè Religionem ingredi, & in hoc caſu vera eſt prima ſententia: nam ſi diu, & multum tempus expectandum ſit in ſæculo, vt hæc bona acquirat, non tenetur illud expectare, ſed poteſt licitè ad Religionem tranſire; & in hoc ſenſu verior, & tenenda eſt poſterior ſententia, & cum hac moderatione eam expreſsè tenet Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 19. *num.* 8. & Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 17. *concluſ.* 3. & Nauarrus *commentario* 1. *de regular. num.* 8. ſpecialiter *in ratione* 6. *& in ſolut. ad* 4. & Azor. *lib.* 12. *Inſt. moral. cap.* 1. *quæſ.* 5. & Petrus Nauarra *lib* 4 *de reſt. cap.* 4. *difficult. vltim. in noua edit. num.* 78. *&* 79.

Sanchez. Maior. Nauar. Azor. P. Nauarra.

Quòd ſi ab huiuſmodi authoribus petas quantum tempus teneatur debitor expectare, ſpecialiter id explicat Maior dumtaxat dicens biennium, aut triennium, Nauarrus vnum, aut alterum annum. Sanchez cum Maiore conſentit, & ego cum Sancio, & hoc tempus non ſolùm expectandum eſt, quando intra illud ſpes eſt ſoluendi integrum debitum, ſed etiam, quando in eo poteſt notabilis pars ipſius debiti ſolui, ſecus quando tantùm modica, vt optimè animaduertit Sanchez *dicto num.* 8. 20.

Quanto tempore teneatur debitor expectare, ne ingrediatur Religionem ad ſoluendum.

Secunda conditio eſt, quando eo tempore biennij expectato moralis ſpes eſt, vt abſque notabili difficultate poſſit ſoluere, ſi enim notabilis eſſet difficultas, non teneretur eo tempore expectare, ſed poterit ſtatim ingredi Religionem, vt poſterior ſententia docet, & Nauarrus *allegatus dictis numeris* 8. *&* 9. & Sanchez *loco item allegato*, & cum his duabus limitationibus conditionibuſque amplectenda eſt ſecunda ſententia, in quam plures, & grauiores Doctores inclinant. 21.

Conditio ſecunda.

Nec argumēta primæ multum conuincunt: nam 22.

Ad primum dico, his duabus limitationibus admiſſis non repugnare profeſſionem cum iure naturali, quia ius naturale in materia iuſtitiæ exiſtente hac impotentia non obligat.

Ad ſecundum dico, nefas eſſe lucrum ſpirituale cum præiudico tertij furando eius bona intendere, quia furtum (ſi ita licet appellare) in ſola extrema neceſſitate licet. At non eſt illicitum id intendere, non ſoluendo debita, quia multo minor cauſa, & neceſſitas à ſolutione, & reſtitutione excuſat, quàm à furto.

Ad tertium dices in hoc caſu non omitti præceptum abſque iuſta cauſa excuſanti.

Ad quartum dico id meritò peti, & quæri, vt maturius ij, qui futuri ſunt Religioſi, deliberent, quid illis magis conueniat, & an illi immunes ſint culpæ ſuſcipiendo Religionem.

Ad vltimum dico magis vrgere præceptum ſuccurrendi parentibus, quàm ſoluendi creditoribus, cùm

cùm ſolutio hæc differri poſſit ratione magnæ neceſſitatis parentum.

23. *Quid ſi dubium ſit an debitor poſſit ſoluere expectato biennio.* Sed quid ſi dubium ſit an eo biennio expectato, debitor poſſit ſoluere? Exiſtimat Sanchez *citatus dict. lib. 4. Decalog. cap. 19 num. 9.* non poſſe licitè Religionem ingredi, quia ius creditorum in hoc dubio præualet, poſſident enim ius, vt indemnes ſeruentur, & ſibi ſoluatur. Et idem addit Sanchez. Videtur dicendum, etiam ſi rationes vtriuſque æquè probabiles eſſent, quia tunc verum eſt dicere dari probabilem ſpem proximæ, ac facilis ſolutionis, ſed meliori conſilio recepto, tandem reſoluit idem Sanchez ſtantibus rationibus vtrinque probabilius licitum eſſe quamcumque partem etiam minus probabilem amplecti, dummodo ſit probabilis, vt in caſu duarum opinionum contingit, quia in eo caſu ſemper manet probabile non dari eam ſpem, & ideo iudicare probabiliter poſſumus, non teneri huiuſmodi debitorem in eo caſu differre Religionis ingreſſum.

Mens Authoris. Ego ſententiam Sancij approbo, quæ omnia locum habent quando debita naſcuntur, vel ex mutuo contractu, & vtrinque obligatorio, vel ex delicto. nam ſi ex liberali promiſſione oriantur, verius eſt nunquam teneri debitorem manere in ſæculo, vt ea ſoluat, quia liberales promiſſiones etiam acceptatæ ſemper ſub hac conditione illis intrinſecè addita intelligendæ ſunt, dummodo Religionis ingreſſum non retardent, & ita ſpecialiter docet idem Sanchez *allegat. num. 10. C. de reſt. quæſt. 3. cauſa 8. in ſolut. ad 4.* Gerſon. *2. part. tractatus, an licet grauato debitis intrare religionem, Alphabeto 30. litera X. & Y.* & Supplementum Gabrielis *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. dub. 1. corollario 2* & Carbon. *de reſt. quæſt. 85. dub. 3.* quamuis illi præter noſtrum Sancium ex diuerſo fundamento id affirment, ex eo ſcilicet, quia tunc ea promiſſio commutetur in melius: ſed hoc illorum fundamentum nec ipſe approbo, nec Sancius approbat, quia promiſſio homini facta, & acceptata nequit in melius commutari abſque illius conſenſu, vt diximus *tom. 1. huius operis*, vbi de votorum commutatione egimus; quare fundamentum Sancij præualet.

Sanchez. Gerſon. Gabriel. Carbo.

24. *Quid ſi debitor votū Religionis habeat.* Quando verò debitor votum Religionis habet, & accedit tempus, quo votum obligat, docent nonnulli eſſe differendum Religionis ingreſſum, ſi adſit ſpes probabilis potentiæ ſoluendi, expectato breui tempore bienni, abſque magna difficultate; quia quando datur ſpes probabilis potentiæ ſoluendi abſque magna difficultate intra illud breue tempus, non obſtat votum ingrediendi Religionem, ſuperueniens tali obligationi ſoluendi, nec enim licitum eſt alicui ſe voto obligare, cum creditorum damno, ne votum ſit iniuſtitiæ vinculum, contra *cap. quanto, de iureiurando*, nec vinculum poſterius præiudicare poteſt, iuxta *cap. veniens, & cap. intellecto, de iureiurand.* quòd ſi votum anteceſſit hæc debita, idem etiam dicendum eſt, quia ſuperuenit notabilis mutatio vinculi iuſtitiæ ratione debiti, quæ mutatio iuſtã cauſam præbet differendi votum ingreſſus Religionis, vſque ad prædictũ tempus, nec votum tunc violatur, etiamſi eſſet votum ingrediendæ Religionis incerto tempore: ita docent Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 19. num. 11.* Nauarrus *in commentario 1. de regularib. num. 8. in ſolut. ad 4.* Azor. *lib. 12. Inſt. moral. cap. 1 quæſ. 5.* D. Thom. *in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 7.* & ibi Palud. *quæſt. 3. art. 2. num. 15.* & Turrecrem. *17. quæſt. 1. in ſumma art. 5. num. 25.*

Sanchez. Nauar. Azor. D. Thom. Palud. Turrec.

25. In dubio autem, an expectato eo tempore, potens ſit debitor ad ſoluendum, ſi votum debitum præceſſit, præualet vinculum voti, & ſtatim cum eo dubio, non obſtante debito poterit Religionem ingredi; ſi votum poſt debitum fuit emiſſum, præualet vinculum debiti, & tenetur expectare, quia vinculum præcedens poſſidet, & excuſatio orta ex vinculo ſubſequenti eſt dubia, & nulla cauſa dubia orta ex vinculo ſubſequenti, quando dubium eſt, an iuſta ſit, excuſare poteſt ab obligatione, & tranſgreſſione vinculi prioris: ſi autem rationes illius ſpei, quòd poterit ſoluere, vel non ſoluere expectato illo biennio, vtrinque ſint probabiles, tunc dabitur electio debitoris, vt diximus *num. 23.* ita docet Sanchez *lib. 4. Decalogi cap. 19. num. 12.*

Capvt XXIX.

Vtrùm profitente debitore cum magnis debitis, ijs non ſolutis, profeſſio ſit valida, & teneatur Monaſterium ea ſoluere.

SVMMARIVM.

An ratiocinijs adſtricti, & debitis grauati ante conſtitutionem Xiſti V. attento iure antiquo poſſent ad Religionem admitti, & an profeſſio illorum valeret. num. 1.

An attento nouo iure Xiſti V. & Clementis VIII. valeat profeſſio eorum, qui ſunt adſtricti ære alieno, aut ad ratiocinia obligati. num. 2. & 3.

An fœminæ comprehendantur his nouis conſtitutionibus. num. 4. *Quid de Equitibus & Clericis Ordinum militarium, etiam Diui Ioannis.* ibid.

Quid quando facultates debitoris ſatis ſunt ad ſoluendum. num. 5.

Quid quando debita non ſunt magni momenti. n. 6.

Quid quando debita etiam magni momenti ſunt incertorum dominorum, ſeu creditorum. ibid.

Quid de debitoribus, qui ſine culpa ſua ad impotentiam ſoluendi deuenerunt. num. 7. *Quid ſi creditores profeſſioni conſentiant, aut Monaſterium ſe ad debita profeſſi obliget, & quid de illis, qui ex ſola promiſſione liberalitatis debitores ſunt magnæ quantitatis.* ibid.

Quid ſi culpa ſua ingentem æris alieni vim contraxerunt, & poſtea ceſſionem bonorum fecerunt in fauorem creditorum. num. 8.

Quid ſi debita ſint publica, Regis, aut ciuitatis. num. 9.

An Monaſterium teneatur ſoluere debita Religioſorum, qui in eo profeſſi ſunt. num. 10. *Quid ſi Monaſterium fuit heres profeſſi.* ibid.

Religioſi eo ipſo quòd profitentur in Monaſterio hæreditatis capaci, ſi de bonis ſuis ante profeſſionem iuxta formam Concilij Trident. non diſpoſuerunt, manent prædicta bona Monaſterij. num. 11.

Quid ſi ante profeſſionem diſpoſuerunt per vltimam voluntatem. num. 12.

An prædictus Religioſus poſſit poſt profeſſionem teſtamentum illud reuocare. num. 13.

An Religioſus profeſſus teneatur manibus laborare, vt ſoluat, & an Prælatus teneatur ei ad id licentiam dare. num. 14. & 15.

An

An quando non poteſt laborare in Monaſterio, poteſt autem extra, habitu dimiſſo, acquirere vnde ſolutat, teneatur Prælatus ei licentiam dare, vt habitum dimittat. num.16. & 17.

An ſi in Monaſterio laboret, poſſit Monaſterium deducere expenſas alimenti. num.18.

1. *De ratiociniis adſtrictis, & debitis grauatis ante cõſtitutionem Xiſti V. quid iure antiquo.*
Nauarr. Roſell. Angel. Sylueſter. Fumus. Tabien. D.Anton. Sanchez.

PROFESSIO debitoris ingenti ære alieno grauati, & obligati ad ratiocinia ſtando in iure communi antiquo ante Motum proprium Xiſti V. licèt eſſet illicita, erat tamen valida, quia nullibi irrita reddebatur, vt benè docet Nauarrus *lib.3. conſiliorum titulo de regularibus, in 1. edit. conſil 26. n. vnico in ſecunda, conſilio 3. num. vnico*, & Roſella *verb. religio 2. n.4.* Angelus *verb. religioſus, num. 10.* Sylueſter *verb. religio 2. quæſt.6.* Fumus *verb. religio, num.5 & ibi* Tabiena *quæſt.11. num.12.* & tradit D. Anton.3. *part.tit.16 cap.2.§.5.* & patet ex *cap. legem diſt.53. & ex cap. vnico, de obligat. ad ratiocinia, & ex l. officiales, C. de Epiſc. & cleric.* vide Sancium *lib.4. Decalog. cap.19. num.19*

2. *Quid attento nouo iure Xiſti V.*

Ex nouo tamen iure Xiſti V. in ſua conſtitutione contra criminoſos, & ingenti ære alieno oppreſſos, & ratiociniis obligatos irrita eſt, ille enim anno 1587. in ſuo Motu proprio fecit illos inhabiles ad profeſſionem, itavt profeſſio illorum non valeret, qui fuerint ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum grauati, vel reddendis rationibus ita obligati, vt ex huiuſmodi cauſa lis aliqua, vel moleſtia illata ſit, vel timendum ſit ne alicui inferatur. Hic autem Motus proprius Xiſti V. locum non habet in Monialibus, vt ipſemet declarauit in alio Motu proprio, quem ad prioris declarationem edidit. §. *cæterum quæ à nobis*; quare ſi fœmina ære alieno grauata, vel reddendis ratiociniis obligata ingredi vellet Religionem, peccabit quidem iuxta ea, quæ diximus in capite præcedenti *à num.14 vſque ad 25.* profeſſio tamen illius valida erit, quia quoad fœminas nihil innouauit Xiſtus V. & ſtandum eſt iure communi antiquo.

3. *& Clementis VIII.*

Poſtea verò Clemens VIII. in alio Motu proprio, quem hac de re expediuit, temperauit Motum proprium Xiſti V. quoad hoc tantummodo, vt profeſſio illorum valeret, quoad illicitam verò illorum receptionem, & pœnas recipientium in ſuo vigore reliquit Motum proprium Xiſti V. Quamobrem valet hodie profeſſio eorum, qui ſunt multo ære alieno oppreſſi, & reddendis ratiociniis obligati, etſi illicitè in Religione admittantur, quia iure communi valebat, & Motus proprius Xiſti V. qui eam irritam reddebat, eſt quoad hoc tantùm per Clementem VIII. reuocatum, & ad terminos iuris communis redactum, vt optimè animaduertit Sanchez *lib.4. Decalog. cap.19. num.19. ad finem.*

4. *An fœminæ cõprehendantur his nouis conſtitutionibus.*

Sicut autem Motus proprius Xiſti V. non habebat locum, nec intelligebatur de Monialibus, vt ipſemet declarauit, & diximus *num.2.* Ita non habebat locum in iis, qui recipiuntur ad Ordines Equitum militares, etiamſi ſint Clerici, etiam Diui Ioannis Hoſpitalarij, ſeu Equitum Militenſium, quos vulgus Commendatores appellat, primò quia quamuis illi reuera Religioſi ſint, in odioſis tamen non veniunt Religioſorum nomine; ſecundò, quia retinent ſua bona patrimonialia, in ſæculo viuunt, & ratione Commendarum acquirunt bona, quibus poſſunt, & melius, quàm antea ſoluere; quare per talem ingreſſum nec redduntur impotentes ad ſoluendum, nec inhabiles ad profitendum, & conſequenter nec comprehenduntur in Motu proprio Xiſti V. qui ſolùm ratione impotentiæ ad ſoluendum, quam propter Religionis ingreſſum incurrebant illi, qui multo ære alieno erant grauati, illorum profeſſionem irritauit, ita docet Sanchez *allegatus, num.25.* & Azor. *lib.12. Inſt.moral. cap.3. quæſ.8. fine.*

De Equitibus & Clericis Ordinum militarium etiam Diui Ioannis, quid.
Sanch. Azor.

5. *Quid quando facultates debitoris ſatis ſunt ad ſoluendum.*
Sanch. Rodrig.

Illud etiam certum in prædicto Motu proprio Xiſti V. non comprehendi ære alieno grauatos, quando eorum redditus, & facultates ſufficiunt ad ſoluenda debita, patet ex illis verbis illius, *ſuprà vires ſuarum facultatum*, docet Sanchez *dicto lib.4. Decalogi cap.19. num.24.* Rodriguez *tom.2. ſumma cap.1. num.7. & quæſtionum regular. tom.3. quæſt.10. art 9. notabili 2.*

6. *Quid quando debita non ſunt magni momenti.*

Nec etiam quando debita non ſunt magni momenti, quia bis dicitur in eo Motu proprio, *ingenti ære alieno*, & ita docet Sanchez *modò allegatus.* Et addit. Nec etiam credo comprehendi ibi grauatos ære alieno incertorum dominorum, quod erat pauperibus reſtituendum, & rationem huius rei reddit *num.4* prædicti capitis decimi noni; quia nihil ita pium eſt, ac ſe & ſua Religioni dedicare, & quia nomine pauperum, etiam Religio venit, vt ſuprà diximus cum multis: adde etiam aliam rationem, quia intentio Xiſti V. videtur fuiſſe obuiare præiudicio, quod certis, & indubitatis creditoribus ſequebatur. Quando tamen iuſſus eſſet aliquis illud ingens æs alienum incertorum dominorum pauperibus erogare, & illud ipſe inſumpſiſſet in proprios vſus, & commodum ſuum, tunc comprehenderetur in hoc Motu proprio Xiſti V. quia iam conſtituitur debitor æris alieni ingentis erga illum, qui illud iuſſit erogare, ita idem Sanchez *dict. lib.4. Decalog.cap.19. num.24.* iunctis iis quæ docet *eodem cap. num.4.*

Sanch.

7. *Quid de debitoribus, qui ſine culpa ſua ad impotentiam ſoluendi deuenerunt.*

Nec etiam comprehenduntur debitores illi, qui ſine ſua culpa ad impotentiam ſoluendi, reſtituendique deuenerunt. nam Motus proprius Xiſti V. expreſsè loquitur, qui culpa ſua ad eam impotentiam redacti ſunt, & ſupponit expreſsè culpam ibi, *Multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni*; ita Sanchez *modò allegatus.* Nec comprehenduntur debitores, in quorum profeſſione creditores conſentiunt, quia tunc perinde eſt ac ſi debitum remitterent, & illis ſolutum eſſet. Nec ſimiliter quando Monaſterium, aut quiſpiam alius eorum debita ſolueret, quia iam ſunt ære alieno liberati. Nec illi qui ex ſola promiſſione liberali debitores ſunt, etiam acceptata, quia promiſſiones liberales, vt diximus *cap. præcedenti*, Religionis ingreſſum non impediunt, & quia Motus proprius loquitur de iis, qui facultates ad pecuniam contraxerunt, & poſt contractionem decoxerunt, ita Sanchez *lib.4. Decalog. cap.19. num.27. & 28.*

Sanch.

8. *Quid ſi culpa ſua ingentem æris alieni vim contraxerunt, &c.*

Tandem exiſtimat Sanchez *ibid. num. 26.* non comprehendi etiam in eo breui, qui culpa ſua ingentem æris alieni vim contraxerunt ſupra ſuas vires, ſi ceſſionem faciant ſuorum bonorum, & illa relinquant creditoribus ſuis, & nulla ſit ſpes probabilis, quòd ſi maneant in ſæculo, poſſint ſoluere; quia Motus ille proprius ſolùm videtur comprehendere illos, qui Religionem ingrediuntur, vt liberentur eo ſoluendi onere, in creditorum præiudicium: non autem eos, qui fruſtrà, & abſque aliqua creditorum vtilitate manſuri ſunt in ſæculo, & ita docet Sanchez *lib 4. Decalogi cap. 19. num. 26.* & Manuel Rodriguez *tom.3. quæſt.*

Sanchez. Rodrig.

quaſt. regular. quaſt. 10. *art.* 9. *notabili vltim.* Non placet tamen Rodriguez *ibi notabili* 1. *&* 4. quatenus ait comprehendi etiam in prædicto Motu proprio Xiſti V. illos, qui damnati ſunt iudicis ſententia, vt ſoluant ingentem pecuniam propter ſatisfactionem alicuius delicti, quod commiſerũt, propter deflorationem virginis, vel quid ſimile. nam illum reprobat Sanch. *modò allegat.* (& bene) primò, quia reuera ſi non dicuntur ingenti ære alieno grauati: ſecundò, quia pecuniam non contraxerunt, nec collegerunt à creditoribus, & poſt contractionem decoxerunt, de quibus ſolùm loquitur Motus proprius, vt diximus.

9. *Quid ſi debita ſint publica, Regis, aut ciuitatis.* Intelligitur autem prædictus Motus proprius de iis, qui ære alieno, & ratiociniis ſunt grauati, ſiue ratiocinia ſint publica, Regis ſcilicet, vel Reipublicæ, ſiue priuata, hoc eſt alicuius hominis particularis, quia Summus Pontifex in eo non diſtinguit an illa ſint publica, an priuata, ſed loquitur abſolutè, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & ita docet Rodriguez *tom.* 2. *ſumma cap.* 3. *num.* 8. *& quaſt. regularium tom.* 3. *quaſt.* 10. *art.* 11. & Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 19. *num.* 29. (Rodrig. Sanchez.)

10. *An Monaſterium teneatur ſoluere debita Religioſorum, qui in eo profeſſi ſunt.* An autem Monaſterium teneatur ſoluere debita eorum, qui cum illis in prædicto Monaſterio profeſſionem fecerunt, eſt dubium graue, quod pertinet potius ad votum paupertatis Religioſorum. Illud certum, ſi Monaſterium hæres factus eſt ipſius profitentis, teneri conſequenter ex vi hæreditatis, & ſucceſſionis bonorum illius ad debita prædicta, ſiue illa excedant bona, in quibus Monaſterium ſucceſſit, ſiue non: ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 38. *quaſt.* 4. *art.* 1. *num.* 16. vbi dicit teneri Monaſterium in profitentis bona ſuccedens ſoluere debita certa illius, non verò incerta, & vidi in Senatu Regio Luſitaniæ Portuenſi fuiſſe iudicatum contra quoddam Monaſterium, quod acceptauit hæreditatem cuiuſdam defuncti, qui prædictum Monaſterium hæredem inſtituit ſuorum bonorum, vt ſolueret debita defuncti, cùm tamen illa longiſſimè hæreditatem, & bona Monaſterio relicta ſuperarent. Si verò Monaſterium non ſuccedit via hæreditatis in bonis profitentis, non tenetur illius debita ſoluere. Sed hæc alibi fuſiùs tractabuntur.

11. Certum etiam videtur Religioſorum (eo ipſo, quòd profitentur in aliquo Monaſterio Religionis capacis hæreditatis, & acquiſionis bonorum) bona omnia, de quibus antea iuxta formam conſuetam Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *c. ap.* 16. de Regularibus non diſpoſuerunt, pertinere ad Monaſterium; tenetur tamen Monaſterium ad debita illorũ ante profeſſionem contracta iuxta vires bonorum ipſorum Religioſorum: nam eo ipſo quòd quis in huiuſmodi Monaſteriis bonorum capacibus ritè profitetur, bona omnia ipſius, de quibus ante profeſſionem ſaltem per vltimam voluntatem non diſpoſuit, pertinent ad Monaſterium non ſolùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad poſſeſſionem, vt habetur *in Auth. nunc autem, C. de Epiſcop. & cleric. & in Authent. ingreſſi, & in Auth. ſi qua mulier, C. de ſacroſ. Eccleſ. & in cap. ſi qua mulier* 19. *quaſt.* 3. & docet Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 40. *verſ. eo ipſo.* & Nauarrus *in cap. non dicatis, num.* 78. cum quadam gloſſa, & Panormitano, quem *ibi* citat: Monaſterium tamen non tenetur ad omnia debita talis Religioſi contracta ante profeſſionem, ſed iuxta vires dumtaxat bonorum, quæ ex illo Religioſo illi obuenerunt, vel in futuro obuenient, vt ſpeciatim notauit Nauarrus *ibi num.* 74. & Molina *allegatus.* Et ratio eſt, quia non ſolùm bona acquiſita ipſius Religioſi, ſed etiam in poſterum acquirenda erant obligata debitis illius, nec ſolùm debita, ſed etiam perſona, iuxta ea, quæ diximus *capite precedenti.* (Molina. Nauar. Panorm.)

12. *Quid ſi ante profeſſionem diſpoſuerunt per vltimam voluntatem.* Imò & bona de quibus Religioſus per vltimam voluntatem diſpoſuit, pertinent ad Monaſterium vſque ad mortem naturalem ipſius Religioſi, eo modo, quo pertinuiſſent ad illum, ſi in ſæculo maneret, & in illo teſtatus eſſet; quare ſi illi, quibus relinquuntur, moriantur ante talem Religioſum, euaneſcit diſpoſitio illa vltima, & bona omnino ad Monaſterium pertinent, ita Molina *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 140. *verſ. quin & bona.* Panormitan. *in cap. in præſentia, de probation. n.* 58. Nauarrus *in cap. non dicatis, num* 86. Emanuel à Coſta *cap. ſi pater, part.* 2. *verb. teſtatore mortuo, num.* 6. *&* 7. & Couar. *cap.* 1. *de teſt. num.* 6. Bartol. & communis DD. quam referunt; quod tamen intelligendum eſt, niſi Religioſus aliud in ſuo teſtamento declarauerit, nempe, vt bona ſua omnia, aut talia, vel talia, ſtatim profeſſione emiſſa, aut à tali, vel tali tempore ſpectauerint omnino ad illum, cui illa teſtamento reliquit. Ita Couarruuias *cap. allegato in fine numeri* 8. & Molina *allegatus.* Et ratio eſt patens, quia potuit ante ſuam profeſſionem diſponere de ſuis bonis pro arbitratu ſuo. (Molina. Panorm. Nauar. Coſta. Couar. Bart.)

13. *An prædictus Religioſus poſſit poſt profeſſionem teſtamentũ illud reuocare.* An verò Religioſus ille, qui condito teſtamento ante profeſſionem, & poſtea illam emiſit in Monaſterio bonorum capaci, & ius habente ad bona ſuorum Religioſorum, poſſit poſt prædictam profeſſionem emiſſam illud reuocare, ſaltem in Monaſterij fauorem, licèt Bartolus *in Authent. ſi qua mulier,* & pauci affirmauerint, tamen Panormitan. *in cap. in præſentia, de probationibus, num.* 61. & communis ſententia, quam Nauarr. *in cap. non dicatis, num.* 85. & Couarr. *in cap.* 2. *de teſtam. num.* 9. & Molina *dict. tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 140. *verſ. vtrùm verò Religioſus,* ſequuntur, meritò id negant, quia eſt per profeſſionem mortuus mundo, & viuit in Chriſto, & quia vt nihil poſtea proprium habere poteſt, ita nec diſponere poteſt de bonis, quæ antea habebat, vnde ſicut teſtari poſt profeſſionem non poteſt, ita nec reuocare teſtamentum, eiuſdem enim poteſtatis eſt concedere, & reuocare. (Panorm. Nauar. Couar. Molina.)

14. *An Religioſus profeſſus teneatur manibus laborare, vt ſoluat.* Sed hæc obiter dicta ſint ad firmandum intellectum in doctrina tradita: dubitabis tamen, an obligatio reſtituendi non extinguatur omnino per profeſſionem Religionis, & an teneatur Religioſus laborando, vel exercendo artem aliquam, quam in ſæculo callebat, ſiue alio modo accommodato acquirere bona, quibus poſſit reſtituere, & an etiam teneatur Prælatus illi dare licentiam ad laborandum, & acquirendum ad hunc reſtitutionis finem?

Sentẽtia prima. Prima ſententia affirmat extinctam eſſe omnino obligationem reſtituendi per profeſſionem, & conſequenter negat eum teneri laborare, vel ſcribere, negat etiam teneri ſuperiores hanc licentiam illi dare, vt compararet bona ad ſoluendum. Ita docet Syluester *verb. religio* 2. *quaſt.* 4. Tabiena *ibi, quaſt.* 11. *num.* 12. Aragon. 2. 2. *quaſt.* 62. *art.* 8. *in caſu* 8. excuſanti à reſtitutione. Paludan. *in* 4. *diſtinct.* 38. *quaſt.* 3. *ad* 2. *num.* 15. D. Anton. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2. §. 1. *fine, &* 3. *part. titul.* 16. *cap.* 2. §. 3. Roſella *verb. religio* 2. *num.* 5. *& verb. reſt.* 16. *n.* 1. (Syluester. Tabien. Aragon. Palud. Anton. Roſell.)

Angelus

Angel. Sanchez.

Angelus *verb. religioſus, num.* 1. & Sanchez *lib.* 4. *Decalog. cap.* 19. *num.* 14. Fundamentum eſt

Primò, quia is Religioſus profitendo ceſſit bonis ſuis, ac proinde iam ſoluendi præcepto liberatur, & per profeſſionem incapax factus eſt acquirendi proprium, & ſolùm tenetur Religionis obſequio cui ſe per profeſſionem tradidit.

Secundò, quia ſicut per ceſſionem bonorum factam in fauorem creditorum liberatur quis ab obligatione debitorum, vt diximus *cap. præcedenti à num.* 18. ita per profeſſionem Religionis, in qua profeſſionis bonis ceſſit, & ſi ille aliqua habebat, illa vbicumque poſt illius profeſſionem ſunt, his debitis obligata ſunt.

Tertiò, quia extraordinarium medium eſt, & valde difficile, cogi in Religione bona acquirere ad ſoluendum creditoribus, maximè quia licèt quis peccarit ingrediendo & profitendo in Religione, tamen per profeſſionem iam impotens factus eſt ad ſoluendum, reſtituendumque, & ita nec Prælatus illi eam licentiam concedere tenetur.

Quartò, quia ideo Xiſtus V. in ſuo Motu proprio, de quo *ſuprà* egimus, irritauit profeſſionem illorum, qui ingenti ære alieno grauati, & ratiociniis obligati in Religione profitebantur, quia per profeſſionem extinguebatur omnino obligatio reſtituendi, & quamuis Clemens VIII. hunc Motum proprium quoad irritationem profeſſionis reuocauit, non inde ſequitur quòd reuiuiſcat iterum obligatio reſtituendi, cùm hæc natura ſua per validam profeſſionem extinguatur. quare cùm ex mente, & decreto Clementis VIII. valida maneat profeſſio, extincta etiam omnino manet prædicta obligatio, & ita præter authores allegatos docet etiam Sayrus *in claui regia tract.* 5. *cap.* 7. *à num.* 14. & Malderus *tract.* 4. *cap.* 7. *dubio* 4. §. *dico ſecundò.*

Sayrus. Malder.

15. *Sententia ſecunda.*

Secunda ſententia docet non extingui omnino obligationem reſtituendi per profeſſionem Religionis, & teneri Religioſos modo aliquo licito laborare, qui Religioſum ſtatum non dedeceat, vt creditoribus reſtituant, teneri proinde Prælatos illis hanc licentiam ad acquirendum dare: ita Medina *C. de reſt. quæſt.* 3. *cauſa* 8. *in ſolut. ad* 5. Nauarrus *in commentario* 1. *de regularibus, num.* 8. Angles *in floribus* 2. *part. q. quis à reſt. ſit liber, art.* 2. *difficultate* 12. Maior *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 17. *concluſ.* 4. & addit Nauarrus Prælatos debere illis hanc licentiam concedere, etiam in multis horis ad diuina deputatis, & ad Monaſterij officia. Fundamentum eſt, quia obligatio reſtituendi eſt de iure naturali, & tandiu durat, quandiu datur poteſtas reſtituendi; ſed per profeſſionem non tollitur poteſtas laborandi, ſeu alio modo decenti acquirendi bona, quibus fiat reſtitutio; ergo iure naturali tenentur laborare, & illa acquirere: ſed hoc argumentum iam ex dictis ſolutum manet; negatur enim per profeſſionem non tolli poteſtatem moralem laborandi, tollitur enim prædicta poteſtas moralis laborandi, vt Religioſi acquirant, & extinguitur debitum per ceſſionem bonorum, quæ in profeſſione neceſſariò fit.

Medina. Nauar. Angl & Maior.

16. Hinc deducitur non eſſe verum id, quod Medina, & Angles allegati aſſerunt, quando ſcilicet prædictus Religioſus non poſſet in Religione laborare, nec apparet aliud remedium, quo poſſit, niſi dimittendo habitum, vt extra eam laborando acquirat, vnde ſoluat teneri ad id, & teneri etiam Prælatum hanc ei licentiam concedere, niſi cauſa iuſta obſit; & addit Medina Prælato iniuſtè hanc licentiam neganti excuſari Religioſum. Sed Angles poſt *difficultatem* 12. *dub.* 7. ait Prælato ei hanc licentiam neganti ad dimittendum habitum, teneri eum dimittere habitum, quæ omnia duriſſima ſunt, eſt enim hoc medium reſtituendi inconſuetum, & à communi vſu hominum valde alienum, & irrationabiliter eſſent inuiti creditores, ſi hoc vellent; quare huiuſmodi authores non ſunt modò audiendi, nec ſequendi, ita Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſt. cap.* 4. *in fine*, & Sanchez *allegatus, dict. lib.* 4. *Decalog. cap.* 19. *num.* 15.

P. Nauarra. Sanchez.

17. Imò addit Sanchez *ibi num.* 17. ſi Prælatus concedat Religioſo licentiam, vt extra Monaſterium retento habitu laboraret, ad ſoluendum debitum, vel vt intra Monaſterium ad eundem finem operaretur, non teneri adhuc ipſum Religioſum laborare, quod apertè ſentiunt authores omnes, quos pro noſtra ſententia *num.* 14. retulimus ex eo quòd abſolutè prædictum Religioſum ab hoc onere eximant: & hoc veriſſimum eſt, de labore extra Religionem ſuſcipiendo.

18. Si autem prædictus Religioſus laboraret intra Monaſterium, vt hæc debita in ſæculo contracta ſolueret, non conſtat inter Doctores, an poſſet Monaſterium deducere expenſas alimentorum illius. Quidam enim affirmant deducendas eſſe, ne ille Religioni oneroſus ſit. ita Rainerius apud Syluestrum *verb. religio* 2. *quæſt.* 6. & 4. Alij meliùs & probabilius putant non eſſe deducendas huiuſmodi expenſas, ſi ipſe Religioſus Religioni inſeruiat iuxta ſuæ regulæ præſcriptum, quia cùm Religioni inſeruiat, eius expenſis alendus eſt, iuxta *cap. cum ſecundùm, de præbendis*, & ita docent Innocentius *in rubrica de obligatis ad ratiocinia, num. vnic.* & *ibi* Antonius *cap. vnic. num.* 15. Ioannes Andreas *num.* 15. Hoſtienſis *fine.* Abbas *n.* 8. Cardinalis *num. vnic. quæſt.* 2. Ancharranus *num.* 2. Aſtenſis 2. *part. ſummæ lib.* 6. *tit* 19. *quæſt.* 6. Archidiac. *in cap. præterea, ad finem num.* 51. D. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 2. §. 3. Syluester *verb. religio* 2. *quæſt.* 4. Nauarrus *commentario* 1. *de regular. num.* 8.

An ſi in Monaſterio laboret, poſſit Monaſterium deducere expenſas alimenti.

Innoc. Anton. Andreas. Hoſtienſ. Abbas. Cardin. Anchar. Aſtenſis. Archidiac. D. Anton. Syluester. Nauar.

CAPVT XXX.

Vtrùm compenſatio, remiſſio, excommunicatio, & graue damnum quod ſequitur creditori, vel alteri tertio ex tali reſtitutione, ab illa pro tunc excuſent.

SVMMARIVM.

De liquido ad non liquidum, & de incerto ad certum non fit compenſatio ignorante creditore. numero 1.

Quæ conditiones requirantur, vt compenſatio licitè, & validè ignorante creditore fieri poſſit. ibid. & 2.

In quibus rebus fieri poſſit compenſatio. num. 3.

An quando debitum ex vna parte eſt reale, & ex altera ex promiſſione fieri poſſit compenſatio. à n. 4. *vſque ad* 13. *Promiſſio ſimplex & gratuita acceptata an obliget ex iuſtitia, an ex fidelitate. ibid.*

An debita realia ignorante creditore compenſari poſſint donis gratuitis miſſiuis. num. 14.

An Prælatus, vel Princeps Eccleſiaſticus ſatisfaciat ſalario debito ſuis famulis, dando eis officium, vel beneſi

beneficium Eccleſiaſticum habens iuriſdictionem. num.15. Et quid ſi non habeat. ibid.
Quid ſi poſt datum, aut procuratum beneficium famulus remittat ſtipendium, & ſalarium ſibi debitum. num.16.
Quid ſi officium ſit temporale, vel dignitas, aut forus in domo Regia. num.17.
Remiſſio ex parte creditoris excuſat à debito. num.18.
Quas conditiones requirat, vt ſit valida. ibid. vſque ad 21.
An quando debitor debet creditori 100. aureos, & poſtulat remitti ſibi quinque, & creditor remittit credens ſibi non plures deberi, & debitor quando id petijt ſimiliter credebat ſe non amplius debere, maneant omnes centum aurei remiſſi. n.22.
An ad valorem remiſſionis requiratur ablatio pecuniæ debitæ. à num 23. vſque ad 25.
Si debitor eſt excommunicatus vitandus, non poteſt ob id differre ſolutionem. num.26.
Quid quando creditor eſt excommunicatus, an tunc poſſit ei debitor differre ſolutionem ratione excommunicationis in iudicio, vel extra illud. à n.27. vſque ad 31.
Vtrum graue damnum ipſius creditoris, vel alicuius tertij ſit cauſa ſufficiens, ob quam debitor poſſit licitè differre ſolutionem. à n.32. vſque ad 34.

1. NON loquimur de compenſatione, quæ fit ex mutuo conſenſu debitoris, & creditoris, hæc enim certum, & indubitatum eſt, quòd excuſet, ſed loquimur de recompenſatione, quæ fit creditore ignorante. Notabis autem, vt compenſatio ſit licita quando fit propria authoritate creditore ignorante quatuor, vel quinque conditiones requiri.

De liquido ad liquidum, & de incerto ad certum, nõ fit compenſatio ignorante creditore. Sylueſter. Graphis.

Prima eſt, vt debitum ſit omnino certum, & liquidum, & de iuſtitia; ſi enim fuerit debitum incertum, & non liquidum, non poteſt fieri recompenſatio; de incerto enim ad certum, de non liquido ad liquidum non poteſt fieri recompenſatio certa & indubitata: ita Sylueſter *verb. compenſatio, num.2. ad finem*, & Graphis *lib.4. deciſ. aur. cap.8. num 12. & 13.* & Doctores communiter, & patet ex noſtro iure Luſitano *in nouis Ordin. lib.4. tit.78. init. & ex l. finali, C. de compenſat. & ex cap. bona fides, de depoſito, in gloſ.* & idem Sylueſt. *verb. furtum, num.17.* nam, vt ipſe Sylueſter *ibidem* ait, indecens eſt, iniuſtum, & abominabile, quòd in re dubia, incerta & non liquida, certa detur ſententia, qualis datur per certam recompenſationem: ſimiliter ſi debitum fuerit ex gratitudine, & non fuerit ex vtraque parte iuſtitiæ, non poteſt fieri compenſatio: nam ſi alicui ſis obligatus debito iuſtitiæ, & ille tibi ſit obligatus debito gratitudinis antidoralis, non poteris tibi compenſare tua propria authoritate, quia non datur recompenſatio, niſi vtrimque detur debitum ex iuſtitia, aut vtrinque fidelitatis, & gratitudinis, ita Graphis *lib.4. deciſ. aur. cap.8. num.12. & 13.*

2.

Quæ cõditiones requirantur vt compẽſatio ignorante creditore poſſit fieri licitè.

Secunda, vt non poſſit debitum aliter recuperari, niſi per occultam compenſationem, vel ſaltem non poſſit recuperari via iudiciali, vel quacumque alia, niſi magna moleſtia, verecundia, aut expenſis, aut cum magna iactura beneuolentię, vel fauoris: ita Sylueſter *verb. furtum, num.17.*

Tertia, vt res, quæ accipitur pro compenſatione ſit propria ipſius debitoris, & non ſit aliena?

Quarta vt fiat ſine ſcandalo, & ſine præiudicio, & grauamine alicuius tertij, quia nemo debet cum alterius iactura, & præiudicio locupletari, bonumque ſuum procurare, ita Sylueſter *allegatus*, & Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.12. dub.10.* Saytus *in claui regia lib 9. cap.14. dub.2.*

Leſſius. Saytus.

Notandum ſecundò compenſationem ordinariè ſolùm dari poſſe inre bus, quę in ſuo genere recipiunt functionem, id eſt, quando vna res poteſt recipere functionem ex toto pro alia, quales ſunt res, quæ communiter conſiſtunt in numero, pondere & menſura, vt vinum, triticum, oleum, pecunia, & aliæ eiuſdem rationis; vnde excitant authores hanc quæſtionem: Petrus debet Antonio 100. aureos, & Antonius debet Petro equum totidem aureis valentem, quæritur vtrùm detur mutua compenſatio in huiuſmodi rebus, & conſequenter, vtrùm poſſit Antonius ſibi recompenſare in equo illis centum aureis æſtimato. Negat Panormitanus *in cap. bona fides, de depoſito*, & Sylueſter *verb. compenſatio, num.2.* quia poteſt Petrus habere maiorem affectionem ad ſuum equum ob alia commóda, quàm habebat Antonius ad pecuniæ quantitatem. Vnde cum præiudicio, iniuria, & incommodo tertij compenſatio licita eſſe nõ poteſt. 3.

In quibus rebus fieri poſſit compenſatio.

Panorm. Sylueſter.

Affirmat vera ſententia, ſi loquamur de recompenſatione in foro conſcientiæ, eam defendunt Valent. *tom.3. diſp.5. quæſt.6. punct.7. cauſa 7.* Arag. *2.2. quæſt.72. art.8. cauſa 4* Saytus *lib.10. in claui regia tract.5. cap.7. num.10* & alij, quos ipſi citant. Fundamentum eſt, quia talis compenſatio eſt iuſta; ergo licita, nam cùm materia, de qua agitur, ſit iuſtitiæ, ſi illicita eſſet, ideo eſſet, quia in ea ius iuſtitiæ alicuius offenderetur; non offenditur, ergo eſt licita: quòd non offendatur patet, quia datur æquiualens ex vtraque parte iuxta communem æſtimationem expenſis omnibus circunſtantiis, & commodis. ergo eſt iuſta; ergo deobligat in foro conſcientiæ; quòd ſi aliquis ex contrahentibus damnum aliũde patitur ex ea recompenſatione, id aliunde erit reſtituendum; quare in foro conſcientiæ, videtur ſine dubio eſſe licita. His poſitis dubitatur,

Valent. Aragonius. Saytus.

Primò, vtrùm quando debitum ex vna parte eſt reale, & ex altera ex promiſſione, poſſit dari compenſatio inter vtrumque debitum. v.c. Petrus debebat Antonio realiter 100. aureos, quos ab illo, vel furto abſtulit, vel mutuos accepit, & Antonius debet Petro 100. etiam aureos, quos illi promiſit ſimplici promiſſione quam ille acceptauit; quæro vtrùm fieri poſſit compenſatio inter vtrumque debitum. Reſolutio huius quæſtionis pendet ex illa, vtrùm promiſſio ſimplex acceptata obliget in foro conſcientiæ ex iuſtitia promittentem, an ex fidelitate: multum enim refert ſcire, qua ratione obliget. nam ſi obliget ex fidelitate, non obligatur promittens ad reſtitutionem, etiamſi promiſſionem violet, & non impleat, peccabit tamẽ mortaliter contra fidelitatem iuxta materiæ, aut rei promiſſæ quantitatem. Dixi, *in foro conſcientia*, quia in foro externo, ſi talis promiſſio per teſtes probari poſſit, iudicandum eſt eam obligare ex iuſtitia, vt ſtatim patebit ex dicendis. 4.

An quando debitũ ex vna parte eſt reale, & ex altera ex promiſſione.

Secundò, quia ſi non obligat ex iuſtitia promittentem, non poteſt promiſſarius in conſcientia ſua authoritate rem ſibi vindicare, & recõpenſare.

Tertiò, quia ſi obligat tantùm ex fidelitate, & non ex iuſtitia, non tranſibit ad hæredes promittentis, vt in particulari de hac obligatione ſimplicis promiſſionis notauit Salon. *tom.1. de iuſtit. quæſt.5. de dominio, art.3. dubio 3.* Et ratio eſt, quia fidelitas cadit in perſonam, & non in bona; iuſtitia autem primò, & per ſe cadit in bona, & ideo per-

ſe, & ex vi ſua non tranſit ad hæredes de iure naturali, & in foro conſcientiæ; nam in foro externo tranſibit, quia præſumunt leges voluiſſe ſe promittentem ex iuſtitia obligare, vt docet Suarez *tom. 1. de auxilijs, in relect. libert. diuinæ, diſputat. 2. ſect. 2. folio mihi 412. ad finem ſectionis.*

Suar.

5. Partita ergo eſt opinio hac de re.

Promiſſio ſimplex acceptata an obliget ex fidelitate.

Opinio prima.

Prima docet promiſſionem ſimplicem acceptatam, obligare tantùm ex fidelitate, & honeſtate morali, atque adeò ex genere ſuo eſſe tantùm peccatum veniale illam frangere; ex accidenti tamen, & per accidens poſſe eſſe peccatum mortale, ſpectata materiæ promiſſæ grauitate, & quantitate; niſi promittens ſpeciali ſua intentione de iuſtitia ſe velit obligare, ac proinde promiſſorem non eſſe mendacem, nec iniuſtum violando promiſſionem, ſed tantùm infidelem, & mutatorem voluntatis. quòd non ſit iniuſtus, nec mendax, patet, quia quando promiſit, verum animum habuit promittendi, & poſtea ſi mutauit voluntatem, & fidem alteri datam violauit, non mentitur, nec iniuſtus eſt; ſed infidelis, quia fidem frangit, & ideo ex vi promiſſionis ad nullam reſtitutionem per ſe & ex obiecto obligatur; in hac tamen violatione pro varietate rei magnæ, aut paruæ promiſſæ, & pro qualitate perſonarum culpa mortalis contra fidelitatem committi poteſt. hanc ſententiam ſic explicatam defendit Suar. *de auxil. in relect. de libert. diuina diſp. 2. ſect. 2. fol. mihi 412.* Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 262. §. illud deinde, & §. illud poſtremò.* Azor. *tom. 1 lib. 11. cap. 5. quæſ. 3. fine.* Henriquez *de excommun. lib. 13. cap. 17. §. 5.* & Sanctus Doctor *2. 2. quæſt. 88 art. 1.* & Caietanus *ibi*, & videtur docere Nauarrus *in ſumma cap. 18. num. 6.* & addit Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 16. à num. 2.* (vbi etiam hanc opinionem tenet) promiſſionem ſimplicem etiam iuratam non inducere obligationem iuſtitiæ, quia iuramentum non addit nouum vinculum iuſtitiæ erga homines, ſed religionis erga Deum.

Suar. Molina. Azor. Henriq. Caiet. Nauar.

Probatur primò, hæc ſententia ex fundamento Molinæ, & Henriquez, quia ſimplex promiſſio eſt gratuita, & liberalis, & ex mera voluntate procedens: ergo non eſt credendum voluiſſe aliquem tribuere alteri ex hac promiſſione ſua liberali ius iuſtitiæ ex bonis ſuis, ſed voluiſſe tantùm fidelitatem ſuæ propriæ perſonæ obligare: in poteſtate tamen promittentis erit velle ſe ex iuſtitia obligare; ſed quando id non conſtat, credendum eſt voluiſſe ſe tantùm ex fidelitate obligare, & in foro interno, & conſcientiæ ſtandum eſt intentione promittentis; quare ſi dicat voluiſſe ſe obligare ex iuſtitia, ex iuſtitia obligabit promiſſio; ſi dicat ex fidelitate, ex fidelitate obligabit; ſi dicat ſe voluiſſe obligare, & ignoret, an ex iuſtitia, an ex fidelitate, ſtandum eſt natura promiſſionis, quæ cùm ſit liberalis, obligat tantùm ex fidelitate, & conſequenter, niſi ſpecialiter ſe velit promittens ex iuſtitia obligare, ſemper obligabitur ex fidelitate tantùm; in foro verò externo, & iudiciali, ſemper præſumitur voluiſſe ſe ex iuſtitia obligare, maximè ſi promiſſio facta fuit ſcriptura, vel ſcripto, & per ſchedulam, vel coram teſtibus, ita Molina.

6. Probatur ſecundò, ex fundamento Soarij, quia ſimplex, & pura promiſſio non includit actualem donationem, ſed puram obligationem perſonalem in futurum; ergo non inducit obligationem iuſtitiæ: obligatio enim iuſtitiæ ſupponit in te ius iuſtitiæ aduerſùs me, ante promiſſionem nullum ius iuſtitiæ habebat promiſſarius aduerſùs promittentem; per promiſſionem autem acceptatam nihil iuris præſentis ei dedit, quia fuit promiſſio de dando in futurum, & quia promiſit ſe daturum; & aliud eſt promittere ſe aliquid in futurum daturum, aliud actu dare, alioqui talis promiſſio de futuro eſſet donatio actualis, & non pura promiſſio de futuro. Dices, dedit ius ad rem promiſſam. Id negatur omnino, quia illud ius, moraliter loquendo, eſt res quædam, quæ à Iuriſperitis vocatur incorporalis, vnde ſi promiſſio fuit de futuro, per illam promiſſionem, nec illud ius promittens actu dedit promiſſario, ſed promiſit ſe daturum in futurum. Confirmatur, quia promiſſio liberalis pendet ex voluntate promittentis, qui poteſt nolle ſe in præſenti obligare ex iuſtitia, ſed tantùm ſuam fidem adſtringere, & ita de facto ſe homines adſtringunt, niſi aliunde conſtet voluiſſe ſe ex iuſtitia obligare.

Non negat tamen hæc opinio, nec negare po- 7.
teſt ex accidenti poſſe ex hac promiſſione obligante ex fidelitate tantùm reſultare obligationem iuſtitiæ, videlicet quando ex illa ſequitur notabile damnum promiſſario, vt ſi promiſiſti alicui mutuos centum aureos, & ille promiſſioni tuæ fidens non ſibi prouidit aliunde ex quo graue in rebus ſuis detrimentum patitur, teneris ad reſtitutionem, quia fuiſti illi cauſa damni efficax, & ita ſpeciatim docet Sanchez *lib. 1. de matrimonio diſp. 5. num. 1.*

Sanchez.

Secunda opinio contraria docet promiſſionem 8.
gratuitam, & liberalem acceptatam obligare ex iuſtitia poſt acceptationem, non ante acceptationem. Ita docet Sanchez modò citatus *num. 10. & numero vltimo*, affirmans in poteſtate promittentis eſſe velle ſe obligare quocumque modo, dum tamen non habet intentionem obligandi ſe ex fidelitate ſpecialiter, ſed ſimpliciter promittit rem notabilem ex natura promiſſionis manere obligatum ex iuſtitia, non ex fidelitate, non ſolùm ex accidenti, & per accidens ratione damni inde reſultantis, ſed etiam ex vi ipſius promiſſionis, ita docet etiam Leſſius *tom. 1. lib. 2. dubio 8. num. 55.* Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 18. num 6.* Sotus *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. art. 1. ad 1.* Couarr. *cap. quamuis pactum, part. 2. §. 4. num. 24. & 25.* Angelus *verb. pactum, num. 4.* Sylueſter *ibi quæſt. 4. & verb. lex, quæſt. 10.* Rebellus *2. part. lib. 18. q. 1. init.* Probatur

Promiſſio ſimplex acceptata an obliget ex iuſtitia.

Opinio ſecunda.

Leſſius. Nauar. Sotus. Couar. Sylueſter. Rebel.

Primò, quia promiſſio ſimplex poſt acceptationem tranſit in pactum nudum, eo quòd conſtet ex conſenſu duorum; pactum enim nihil aliud eſt, quàm duorum, vel plurium conſenſus in idem: ex pacto autem nudo oritur ciuilis obligatio, & datur actio in promiſſario, & hæredibus illius aduerſùs promittentem, illiuſque hæredes, vt patet ex *l. ſi quis argentum, §. vltimo. C. de donat. & ex lib. 4. Ordinat. Luſitan. titulo 55. in veteribus, in nouis titulo 70. & ex cap. 1. de pactis.*

Secundò, quia omnis promiſſio ſimplex acce- 9.
ptata, vbi primùm acceptata eſt, tribuit ius, & actionem in foro externo, & promiſſor cogitur eam implere, & hæredes illius ad id coguntur; ergo inducit ſtrictam obligationem iuſtitiæ. ergo promittens peccat contra iuſtitiam illam non implendo; ergo tenetur ex iuſtitia implere, & non violare.

Tertiò,

Tertiò, quia repugnat, vt alteri velit ſe per promiſſionem obligare ad aliquid, & nolit ei dare ius ad rem promiſſam, quia hæc duo, *volo me tibi obligare,& volo tibi ius ad rem dare in qua me obligo*, ſunt correlatiua. ergo poſito vno, neceſſariò ponitur alterum; ante acceptationẽ enim promiſſio non obligat, poſt acceptationem obligat; neceſſaria eſt ergo acceptatio, vt obliget, ſed non alia ratione neceſſaria eſt, niſi quia promiſſarius per acceptationem promiſſionis acquirit ius in rem promiſſam; ergo poſita promiſſione,& acceptatione, neceſſariò ponitur obligatio.

10. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, vtraque probabilis. Prima in foro conſcientiæ, de quo agimus, eſt probabilior, & ideo ſequenda; hæc ſecunda procedit ſolùm in foro externo propter præſumptionem, præſumunt enim leges promittentem voluiſſe ſe ex iuſtitia obligare, ne fruſtratoria videretur promiſſio: poſt ſententiam tamen datam in foro externo, tenebitur promittens ex iuſtitia promiſſum ſoluere, & parere ſententiæ.

11. Fundamenta huius ſecundæ opinionis ſic ſoluuntur.

Ad primum reſpondeo promiſſionem ſimplicem poſt acceptationem tranſire in pactum ſpectato foro iudiciali, & externo, quia iura ciuilia præſumunt promittentem habuiſſe animum ſe ciuiliter, & ex iuſtitia obligandi, & ideo leges, & iudices obligant promittentem, & illius hæredes, ad ſoluendum promiſſum promiſſario acceptanti, illiuſque hæredibus; nos verò loquimur de foro interno, & de obligatione naturali, quæ oritur ex tali promiſſione, ſecluſa ordinatione, & diſpoſitione iuris ciuilis. Eadem reſponſio datur *ad ſecundum*, & addimus in foro conſcientiæ ſolùm ex obligatione pacti conſurgere obligationem iuſtitiæ, quando pactum eſt vtrinque oneroſum, ſecus quando eſt nudum pactum, factum in materia omnino liberali, & gratuita, in qua nullam promittens obligationem habet, niſi quam ipſe ſibi vult imponere; cùm ergo non conſtet voluiſſe ſe per illam ſimplicem, & nudam promiſſionem obligare, dicendum eſt ex fidelitate tantùm obligare ſe voluiſſe: dicetur autem hæc obligatio latiſſimo modo & impropriiſſimè obligatio ex iuſtitia, quia fides eſt pars potentialis iuſtitiæ, & ad illam reducitur, quatenus alium reſpicit, vt bene notat Suarez, & Sotus *locis allegatis*. Ad id quod additur promiſſionem acceptatam tranſire in pactum; reſpondeo tranſire in ſimplex, & nudum pactum, non autem in pactum vtrinque oneroſum, ſeu, quod idem eſt, tranſire ſpectato foro interno, in pactum fidelitatis, non iuſtitiæ.

12. Ad tertium reſpondeo verum eſſe, requiri acceptationem, vt promiſſio obliget; nego tamen cauſam ob quam requiratur eſſe, quia ille cui promiſſio fit, proprium ius iuſtitiæ in foro conſcientiæ ex tali acceptatione acquirat, acquirit enim tantùm ius fidelitatis: enimuero ante acceptationem erat illa promiſſio veluti ſuſpenſa, & tantùm conditionata, & per acceptationem tranſit in abſolutam, cùm enim illa promiſſio facta ſit in fauorem tertij, intrinſecè ſecum defert hanc conditionem; *ſi illi placuerit, & ab illo acceptata fuerit*. Antequam ergo promiſſarius acceptet, non obligat ex fidelitate; ita reſpondet Suarez *de auxilijs in relect. libertat. diuinæ, diſp. 2. ſect. 2. fol. mihi* 412.

Ad quæſtionem igitur *num.* 4. poſitam, vtrùm detur compenſatio inter debitum reale, & debitum ex promiſſione ſimplici acceptata; reſpondeo in noſtra opinione probabiliori, quæ docet promiſſionem ſimplicem acceptatam obligare tantùm in conſcientiæ foro ex fidelitate, non ex iuſtitia, non poſſe dari talem compenſationem, nec fieri propria authoritate, cùm debita ſint diuerſæ rationis, non eiuſdem, compenſatio enim ſolùm datur inter debita iuſtitiæ, vel fidelitatis ex vtraque parte. Quare cùm vnum debitum ſit ex iuſtitia, & alterum ex fidelitate, non poteſt fieri hæc compenſatio, propria authoritate. Nec refert quòd promiſſio ſimplex acceptata, ſit iuramento confirmata, quia, vt optimè ait Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. à num.* 2. iuramentum addit vinculum Religionis erga Deum, non iuſtitiæ erga hominem, cui promiſſio fit. Poſt ſententiam autem iudicis, qua obliget promittentem ad ſoluendam rem promiſſam promiſſario, cùm tunc promittens teneatur ex iuſtitia parere, & implere, ac ſoluere promiſſionem ipſi promiſſario, habere locum poterit recompenſatio, vt patet. 13.

An detur cõpenſatio inter debitum reale, & debitũ ex promiſſione ſimplici acceptata.

Dubitatur ſecundò, vtrùm debita realia compenſari poſſint propria authoritate donis gratuitis miſſiuis. v. c. filius Titij furto abſtulit à Sempronio 20. aureos, & ei mittit munera, vel ſimul, & vno cumulo, vel per partes, & diuerſa tempora, quæ valore æquent prædictos viginti aureos, vel ei gratuita obſequia præſtat tantùndem valentia arbitrio prudentis. Rogas an compenſatio hîc locum habere poſſit, videtur enim dari poſſe, quia qui debent, non cenſentur gratis, & liberaliter donare; ergo illa obſequia, & munera compenſari poſſunt, detrahendo illorum æſtimationem à debito. Reſpondeo, ſi debitor expreſsè voluit per illa munuſcula gratificari ſuo creditori, non poſſe id poſtea deducere, & compenſare, quia abſolutè tranſtulit dominium in creditorem ſine vllo onere, & dependentia: ſi autem ea munera & obſequia fecit ſine tali intentione expreſſa gratificandi ſuo creditori, reſpondent aliqui, ſi quando id fecit, oblitus erat debiti, non præſumi donaſſe gratis, & quamuis in ea obliuione debiti vellet donare, gratis poſſe poſtea mutare intentionem, & compenſationem facere, quia ſi meminiſſet debiti, non donaſſet ſimpliciter gratis, & liberaliter, ſed donaſſet in compenſationem. Si autem quando id fecit, non habuit expreſſam, & formalem voluntatem, & intentionem gratificandi ſuo creditori, & optimè memor erat debiti, nec tamen meminit compenſationis, tunc eſt dubium an voluerit compenſare, & in dubio potius præſumendum eſt voluiſſe ſoluere, & compenſare, quàm gratis donare: nemo enim præſumitur de ſuo liberalis, quando eſt debitor. 14.

An debita realia propria authoritate compenſari poſſint donis gratuitis miſſiuis.

Dubitatur tertiò, vtrùm quando Prælatus, vel alia nobilis perſona famulum habet, cui obſequiorum temporalium ſtipendium, ac ſalarium debeat, & illi dedit, vel ab alio ei obtinuit beneficium, vel officium Eccleſiaſticum quod habeat iuriſdictionem adnexam, poſſit excuſari ab obligatione reſtituendi debitum ſalarium, & an poſſit dari aliquam compenſationem inter ſalarium, & beneficij valorem. Reſpondeo, ſi beneficium eſt Eccleſiaſticũ, & ab Epiſcopo, ſuo famulo conferatur, vel ipſe Epiſcopus, aut alius dominus Eccleſiaſticus, aut ſæcularis ab aliquo Prælato, aut domino 15.

An Prelatus vel alia nobilis perſona ſatisfaciat ſalario debito ſuis famulis, dando eis officium, vel beneficiũ Eccleſ. habens iuriſdictionẽ

domino ſæculari ſuo famulo beneficium impetret, non poſſe abſque vitio ſimoniæ cum illo recompenſare debitum ſalarij, quo erga famulum erat obſtrictus, ita Valentia *tom.3. diſp.5.quaſt.6. punct. 7. cauſa* 7. Aragonius 2. 2. *quaſt.* 72. *artic.*8. *cauſa* 4. Sayrus *in claui regia lib.*10.*cap.*7.*à num.*10. Nauarrus *in ſumma cap.*17. *num.*81. Et ratio eſt,

Arag. Sayrus. Nauar.

Primò, quia per ſpirituale non poteſt ſolui temporale, iuxta *cap.quàm pio* 1. *quaſt* 2. vt latè probat idem Nauar *in cap. cùm ſecundum, de prabendis*; ſed beneficium Eccleſiaſticum, vel officium habens iuriſdictionem adnexam ſpiritualem, eſt quid ſpirituale, & ſeruitium famuli, eſt quid temporale; ergo non poſſunt compenſari, & conſequenter impetratio, vel collatio illius non excuſat à ſoluendo debito temporali.

Secundò, quia illa interceſſio pro obtinédo beneficio non poteſt loco pretij dari famulo, nec eſt pretio æſtimabilis, nec vendi poteſt, quia eſt quidam fauor, qui ordinatur ad aliquid ſpirituale; quare vendi non poteſt abſque vitio ſimoniæ, vt communiter Doctores docent, & probat Leſſius *tom.*1.*de iuſt.lib.*2.*cap.*14. *dub.*9. *à num.*64.

16\. *Quid ſi poſt datum beneficium famulus remittat ſalarium ſibi debitum.*

Si tamen poſt datum, aut procuratum, & obtentum Eccleſiaſticum beneficium, aut officium ſimiliter Eccleſiaſticum habens iuriſdictionem ſpiritualem adnexam creditor ille, ſeu famulus, cauſa gratitudinis debitum ſibi ſalarium domino ſuo ſibi danti, vel impetranti prædictum officium, aut beneficium remiſerit, dominus à reſtitutione ſalarij liberabitur, non ex vi collationis, aut impetrationis prædicti officij, aut beneficij, ſed ex vi gratuitæ, & liberalis, antidoraliſque remiſſionis. ita Nauarrus, (vt optimè) *in ſumm. Lat.cap.*17. *num.*87. & alij communiter.

17\. *Quid ſi officium ſit temporale.*

Dubitatur quartò, verùm fieri poſſit hæc recompenſatio quando officium, aut munus, vel id, quod obtinetur, non eſt ſpirituale, ſed merè temporale, nempe officium temporale, ſeu ſæculare, vt dignitas, vel honor ſæcularis in domo Regia, vulgo, *forus nobilitatis*, Luſitanè *foro de fidalgo, foro de nobreza*, vel priuilegium aliquod alicuius immunitatis. Et ad hoc

Reſpondeo primò, ſi Nobilis ille, & dominus id petit à Rege, vel Principe pro ſeruitiis, & obſequiis à ſe Regi ipſi & Regno impenſis, vt poſtea famulo ſuo, & vt tale, id ſcribitur in libro Regiæ domus, vulgo *Das merces*, in quo continentur beneficia temporalia, quæ Reges ſolent efficere Nobilibus, pro ſeruitiis ſibi impenſis, bene quidem poſſe compenſari ſalarium famulo, cum tali officio, priuilegio, foro, vel dignitate ſæculari, ſi ſit æqualis, ac æquiualens. Ratio eſt, quia totum hoc eſt quid temporale, & datur à Principe cum facultate dandi famulo, & quia datur pro meritis ipſius petentis, quæ ſunt pretio æſtimabilia, & ab ipſo applicantur famulo loco ſalarij. ergo iuſta eſt talis compenſatio. ita Doctores communiter cum Cabedo *tom.*1. *deciſ.* 167. & idem eſt ſi obtinuit commendam famulo, vt docet Suarez *tom.*1.*de religione lib.*4.*cap.*27.*num.*10. vbi probat *in fine numeri*, non eſſe ſimoniam obtentionem, & impetrationem commendæ militaris ob pecuniam procurare, non directè emendo illam, ſed per fauorem, vel interceſſionem procurando. Et ratio eſt, quia commendæ militares, vt tradit *ibidem* Suarez *num.*6. & Victoria *de releſt. num* 45. & Aragonius, quem Suarez *dicto num.*6. allegat, reuera ſunt temporalia ſubſidia, vel ſtipendia pro muneribus, & obſequiis temporalibus Regi & Regno impenſis, & ideo per ſe ſpectatæ, non ſunt materiæ ſimoniæ, quia non ſunt materiæ ſimoniæ, quia non ſunt aliquid ſpirituale, vel ſpirituali adnexum, & addit Suarez ita ſentire viros doctos tam Luſitaniæ, quàm Caſtellæ, in quibus Regnis hæ commendæ frequentiores ſunt, & *ibidem* probat iure diuino non eſſe prohibitum has commendas vendere, & *num.*9. aſſerit non conſtare venditionem harum commendarum eſſe prohibitam iure aliquo humano, vel ſimpliciter, vel intuitu Religionis factam, & ideo, inquit ille, *Credo non eſſe etiam hanc venditionem ſimoniam contra aliquod ius humanum, aut Eccleſiaſticum, ex ipſa tamen rei natura, & conſiderata inſtitutione harum commendarum illicitum erit illas vendere aliunde formaliter, & directè, vt ſic dicam.* Hæc ille.

Cabed. Suar.

Reſpondeo ſecundò, quando aliquis vult impetrare à Rege, vel Pontifice priuilegium aliquod, vel diſpenſationem, vel aliam ſimilem gratiam, quæ ordinariè negotiari ſolet pro pecunia; alius verò ſe offert volenti illam impetrare ad illam ei obtinendam pro pretio ordinario, eo quòd habet amicos apud huiuſmodi Principes, qui eam ſibi gratis obtinebunt, poſſe hoc pretium tuta conſcientia retinere, & ſi alioqui eſt debitor occultus reſpectu prædictam gratiam petentis poteſt compenſare debitum eo modo, ita docet Corduba *in ſumma quaſt.*99 Ludouic. Lopez 1 *part. inſtruct. cap.*130. Sayrus *in claui regia lib.*10. *tract.*5.*cap.*7. *num* 12. Fundamentum eſt, quia æſtimatio huius gratiæ tantum valet, quantum debitum æſtimabatur, & negotiatio illius pretio iuſto æſtimari ſolet, amiciſque propter illum laborem, & induſtriam, quam in ea comparanda poſuerunt, manet ille obligatus ad ſimilia obſequia; ergo iuſtè poteſt accipere pretium, quod pro tali negotiatione dari ſolet, & conſequenter, cum illo pretio compenſare debitum occultum, dummodo nihil amplius à creditore accipiat. 18.

Cordub. Lopez. Sayr.

De remiſſione ſtatuo ſic. Remiſſionem debiti ex parte creditoris certum eſt excuſare à reſtitutione. Ratio eſt, quia remiſſio eſt quædam donatio, ſed creditor quando eſt dominus rei, poteſt eam donare; ergo poteſt etiam remittere: tres tamen conditiones requiruntur, vt prædicta remiſſio ſit licita, & valida. 19.

De remiſſione ſententia Authoris.

Prima eſt poteſtas ex parte remittentis: ſi enim creditor non habet poteſtatem remittendi, remiſſio eſt nulla. Vnde quando filiusfamilias aliquid donauit ex bonis parentum, non poteſt remittere obligationem reſtituendi illud ſine conſenſu parentum, quia quemadmodum donatio fuit irrita, & nulla ex defectu poteſtatis, ita & remiſſio, & idem eſt de pupillo reſpectu tutoris, & de minori, & de amente reſpectu curatoris, & de Religioſo reſpectu Prælati, & ſic de aliis.

Secunda eſt, vt talis poteſtas non ſit impedita iure, quamuis enim creditor ſit dominus rei ſuæ, & potuerit eam donare, & remittere, abſolutè loquendo, poteſt tamen lex irritare talem remiſſionem ob bonum commune, reddendo debitorem inhabilem ad illam remiſſionem, & de facto illam irritauit ius canonicum *in cap. ſtatutum, de reſcriptis, in* 6. quando iudex Eccleſiaſticus aliquid accipit præter eſculenta, obligatur enim ille in eo capite ad reſtitutionem, & ibi irritatur remiſſio huius obligationis, vt latiùs videbimus

Graphis. Syluester. Franc. Turrecr. mus *in libro ſequenti*, & docet Graphis *lib. 2. deciſionum aurear. cap. 131. num. 15.* Syluester *verb. index 1. quæſt. 8. verſ. 2.* Francus *in dict. cap. ſtatutum 2. & 3. limitatione.* Turrecremat. *in cap. ſi res 14. quæſt. 6. num. 2. & in cap. exigit, & in cap. felicis, de cenſibus*, etiam irritatur ſimilis remiſſio reſpectu viſitatoris.

Tertia, eſt vt remiſſio ſit voluntaria, & libera, vt verò talis ſit, requiritur quòd ab ea abſit omnis metus, & fraus. nam ſi ſit extorta per metum, fraudem, vel ignorantiam, non valebit.

20. Hinc ex defectu huius tertiæ conditionis non valet illa remiſſio quam creditor facit ad inſtantiam debitoris, dicentis, vt ſit contentus quinquaginta, pro centum aureis, quos ei debet, alioqui nihil ei ſoluturum eſſe. Cùm eum in iudicio non poſſit obligare, quia non ſponte, ſed metu creditor remittit debitum, metu, inquam, amittendi omnes centum aureos. ita Graphis *lib. 2. deciſ. aur. cap. 131. num. 16.* & Syluester *verb. reſt. 7. quæſt. 1. & 2.* Graph. Syluester. Nec valet etiam remiſſio illa, ſeu potiùs dilatio ſolutionis, nec excuſat à peccato, quæ fit cùm creditor non petit debitum à debitore ſuo, ob metum reuerentialem, vel ob ignorantiam ipſius debiti, ſi debitor aliunde poteſt ſoluere, & reſtituere, quia in eo caſu creditor nec ſciens, nec ſponte dilationem concedit: excuſatur tamen ipſe debitor à peccato inuitæ retentionis, ſi creditor ſcit debitum, & non ignorat illud, & tamen non petit ob aliquem reſpectum, qui eum inuoluntarium non reddat, quia tunc cùm à creditore debitum ſcitum non petatur, probabiliter credere poteſt debitor, ſibi à creditore eam dilationem concedi, vt docet Graphis *allegatus*, & Syluester *verb. mora, quæſt. 1. in fine*, & Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 17. num. 79.* & facit textus *in l. omnibus obligat. ff. de regul. iuris*, & nos iam *ſuprà* diximus. Graph. Syluest. Nauar.

21. Similiter ex defectu huius tertiæ conditionis non excuſatur mercator, qui fallit creditores ſuos, & occultat multa de bonis ſuis, vt non perueniant ad ſuos creditores, & poſtea diſſimulanter quærit compoſitionem ab eis, de minori quantitate, quàm debeat, cùm tamen poſſit totum ſoluere, quia non ſponte, ſed coactè & per fraudem remittunt. ita Graphis *dicto lib. 2. cap. 131. num. 18.*

22. Quæſtio. Si quæras, quando debitor debet 10. aut 20. aureos, & rogat creditorem, vt remittat quindecim, & creditor illos ei remittit bona fide, credens ſibi non amplius deberi, & ipſe etiam debitor ex obliuione naturali, vel ex alio capite, ſimiliter etiam quando id à creditore poſtulauit bona fide, credebat ſe plus non debere, vtrùm in eo caſu cenſeatur totum debitum 10. aut 20. aureorum remiſſum. Pro parte affirmatiua facit, quòd debitor bona fide, & ſine vlla fraude, tacuit aliam quantitatem, & alioqui creditor libenter remiſit, & ita affectus erat, vt ſi totum debitum ei proponeretur, totum remitteret, vnde videtur, quòd illa remiſſio virtualiter extendatur ad alias partes oblitas, & non petitas. Pro negatiua verò facit, quòd remiſſio creditoris ſolùm fuit voluntaria reſpectu illius partis, quam debitor propoſuit, non verò reſpectu aliarum, quas ignorauit; ergo videtur non extingui obligatio circa alias, niſi detur noua remiſſio, ex parte creditoris cognoſcentis illas. Solutio. Reſpondeo reſolutionem huius dubij multum pendere ex coniecturis, certum enim eſt requiri ſcientiam, tam de perſona debitoris, quàm æqualitate, & quantitate debiti. Vnde ſi creditor ita eſt affectus, vt remittat quantitatem minorem, & non remitteret, ſi ſciret eſſe maiorem, nec plus remitteret, quàm de facto remiſit, tunc non deobligatur debitor, ſi tamen ex coniecturis colligi poſſit quòd ita remiſit illam partem, vt etiam remitteret virtualiter, ſeu implicitè, totum, deobligabitur debitor. In dubio autem conſulendus eſt creditor, & petenda noua remiſſio.

Maius dubium eſt, an quando aliquis debitor petit remiſſionem à creditore, & ſe in manibus illius ponit, dicens ſe paratum eſſe reſtituere iuxta poſſibilitatem ſuam, orat tamen eum, vt miſericorditer ſecum agat, & remitat totum, vel partem, liber ſit à reſtitutionis onere, ſi de facto creditor remittat. Et hac de re eſt duplex opinio. 23. An ad valorem remiſſionis requiratur oblatio pecuniæ debitæ.

Prima negat niſi offerat, vel numeret pecuniam creditori, vel ſaltem paratus ſit verè, & ex animo ad ſoluendum, ſi ille non remittat. hanc tenuerunt Doctores antiquiſſimi, quos citat, ſed non ſequitur, Syluester *verb. reſtitutio 7. num. 2.* Inter quos eſt quidam Gerardus de Sonis; & Dinus *in reg. peccatum, lib. 6.* vbi aſſerit liberatum manere ſi pecunia erat parata, aliàs non manere; & Laurentius de Ridol. *in tract. de vſuris*, vbi dicit non ſatis eſſe paratam eſſe pecuniam ad ſolutionem, ſed opus eſſe, vt offeratur, & Ioan. Andreas *in dicta reg.* vbi aſſerit non eſſe liberum à reſtitutionis onere, ſi non intendebat reſtituere, manere verò ſi reuera id intendebat. Fundamentum illorum eſt, Opinio prima. Syluest. Dinus. Ridol. Andreas.

Primò, quia obligatio per eas cauſas tollitur, per quas inducitur, & ponitur, ſed non potuit induci ex parte creditoris per ſolam voluntatem mutuandi, vel vendendi, ſed per realem traditionem rei; ergo etiam non tolletur obligatio ſoluendi ex parte ipſius creditoris per ſolam voluntatem remittendi, ſed per realem donationem poſt traditionem & acceptionem pecuniæ.

Secundò, quia ex parte debitoris non potuit obligatio reſtituendi induci per ſolam voluntatem furandi, niſi reuera daretur furtum reale, realiſque ablatio; ergo ſimiliter non poteſt tolli ex parte debitoris per ſolam voluntatem ſoluendi, niſi detur vera & realis oblatio.

Secunda opinio affirmat non requiri illam oblationem pecuniæ ex parte debitoris, nec quòd debitor ſit paratus ad ſoluendum, ſed requiri ſolam & meram voluntatem verbis, vel ſignis declaratam ipſius creditoris, vt valida ſit remiſſio, & vt debitor ab illius onere omnino liber, & immunis maneat, nec etiam requiri, quod debitor habeat reuera voluntatem reſtituendi dum remiſſionem petit; nam illa voluntas ſolùm eſt neceſſaria, ne ipſe in peccato exiſtat volendo retinere alienum inuito domino; non verò neceſſariò requiritur, vt remiſſio ſit valida, ita docent ex antiquis Syluester *verb. reſtitutio 7. num. 2. gloſſa 2. in reg. peccatum, in 6.* Goffred. *in ſumma.* Archidiaconus *cap. quamquam, de vſuris, lib. 6.* Ægidius Verueceна, & Lapus & alij *allegati* à Syluestro: ex nouioribus id docet Malderus *tract. 4. cap. 7. dub. 2.* Molina *tom. 3. de iuſtit. diſput. 757.* Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 39.* Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 8. à num. 8.* Leſſius *tom. 1. de iuſtit. cap. 16. dub. 2.* Ratio eſt, quia remiſſio debiti pendet à voluntate debitoris, ſed creditori; ergo ſiue debitor ſit paratus, ſiue non ſit paratus ſoluere, & ſiue offerat, ſiue non offerat pecuniam, & ſiue habeat animum reſtituendi, ſiue non habeat, cùm 24. Opinio ſecunda. Syluest. Goffred. Archie. Malder. Molin. Azor. Sayrus. Leſſius.

cùm remiſſionem petit, ſi creditor tenera illi debitum remittat, manebit ab illius onere abſolutus. Conſequentia eſt bona. Maior patet, quia in translatione dominij ſolùm attenditur voluntas domini, *Inſtit. de furtis*, §. *placuit*, *l. inter omnes*, §. *pecun. ff. eodem*, qui non ſolùm amico, & petenti remiſſionem, ſed etiam inimico, & non petenti, ſicut donare, ita & remittere gratis poteſt, cùm remiſſio nihil aliud ſit, quàm quædam liberalis, & gratuita donatio: ergo qualicumque modo creditor indicet ſe velle remittere, liber ab ea reſtitutione debitor manebit, quia dicitur *in l. 1. ff. qui ſatiſdare cog. ſatisfacit quicumque deſiderium implet creditoris, etiamſi non ſoluat.* id eſt, cuicunque voluit creditor remittere.

25. Non obſtat quòd *in reg. peccatum, de regulis iuris in 6.* ita dicatur. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, nam ibi nomine reſtitutionis, intelligitur etiam remiſſio, & intelligendum eſt niſi reſtituatur ablatum, vel remittatur. Ad fundamenta primæ opinionis ſic reſpondeo.

Ad primum concedo maiorem, & minorem. Nego conſequentiam, quia plus requiritur ad conſtituendam obligationem, quàm ad illam tollendam, tollitur enim per ſolam remiſſionem, & non conſtituitur, niſi per ſolam traditionem, plus enim ad conſtituendum, quàm ad deſtruendum ſemper requiritur. Et idem reſpondeo

Ad ſecundum; ſimiliter enim negatur conſequentia, quia remiſſio ſolùm pendet ex voluntate creditoris deſiſtentis à iure & dominio, quod habebat in ſuo, & ad ſuum debitum; poſita verò hac deſiſtentia, extinguitur debitum: at ad inducendam obligationem requiritur, quòd debitor aliquid accipiat, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè.

26. *An excommunicatio excuſet à reſtitutione.* Circa excommunicationem, an illa à reſtitutione excuſet. Illud certum eſt, ſi debitor eſt excommunicatus, & nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor, non poteſt ipſe ratione prædictæ excommunicationis differre ſolutionem ſuo creditori, quia ſi poſſet, eſſet maximus fauor ipſius excommunicati: excommunicatio autem non fauet excommunicato, nec vt fauor illi imponitur, ſed vt pœna medicinalis ad reſipiſcencendum. Similiter illud etiam eſt certum quando creditor eſt excommunicatus, non tamen nominatim denunciatus, nec notorius clerici percuſſor, non excuſari debitorem à ſolutione debiti, nec poſſe illam differre ratione prædictæ excommunicationis creditoris ſui, quia talis excommunicatus eſt toleratus, ac proinde non prohibetur aliis communicatio cum illo, vt habetur *in Extrauag. Martini V. Ad euitanda*, vt latè probauimus *in 2 præcept. ſanctæ Matris Eccleſiæ.*

27. *Quid quando creditor eſt excommunicatus.* Dubium ergo ſolum eſſe poteſt, vtrùm debitor poſſit differre ſolutionem quando creditor eſt excommunicatus vitandus; & hac de re partita eſt ſententia.

Sentētia prima. Prima docet non ſolùm non poſſe licitè debitorem, ſed etiam teneri tunc debitum creditori ſuo excommunicato vitando non reſtituere: hanc tenet Panormitanus *in cap. veritatis, de dolo & contumacia, num. 39. & in cap. cenſuris, lib. 2 cap. 9. num. 21.* eam non improbabilem iudicat Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 9.* Fundamentum illius eſt, Panorm. Leſſius.

Primò, quia cum excommunicato vitando non licet excommunicare, niſi in caſibus à iure expreſſis; ſed reſtitutio eſt quædam communicatio, & nullibi excipitur in iure, nec permittitur, cùm tamen permittantur alij actus, vt patet ex *cap. inter alia, de ſententia excommun. & ex cap. quoniam multos 11. quæſt. 3.* Vbi hæc communicatio permittitur vxori reſpectu mariti, filiis reſpectu patris, ſeruis reſpectu domini excommunicati vitandi; non tamen permittitur debitori reſpectu creditoris, ſimiliter excommunicati; igitur non licet debitori ei ſoluere, dum eſt excommunicatus, & tenetur non ſoluere, quia tenetur illum euitare, & cum illo non communicare.

Secundò, quia creditor excommunicatus vitandus non poteſt exigere ſuum debitum in iudicio, nec debitor tenetur ei reſpondere; ergo non poteſt illud petere extra iudicium, & conſequenter nec debitor poteſt licitè illud ei offerre; ſi enim creditor peccat exigendo, etiam peccabit debitor ſoluendo, & illi reſpondendo, quia cooperatur peccato alterius.

Alij limitant hanc ſententiam, & duo aſſerunt. 28.

Primum eſt in debitis gratuitis. v. c. ex promiſſione liberalis iuramento etiam firmata, non teneri debitorem, nec poſſe licitè reſtituere durante excommunicatione creditoris, quia illa promiſſio cùm ſit liberalis, non obligat vltra intentionem promittentis; qui autem ita promiſit, ſeu iurauit, non intendit ſe obligare ad ſoluendum eo tempore, quo creditor eſt excommunicatus vitandus, & excommunicatione impeditus.

Secundum eſt in aliis debitis ortis, v. c. ex contractu, vel ex delicto teneri reſtituere, quia cùm hæc debita ſint ſtricti iuris, non recipiunt illam interpretationem fauorabilem, quam recipiunt debita gratuita, ita hanc ſententiam limitat Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 8. num. 12.* Sayrus.

29. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia probabilior, & tenenda ſine vlla limitatione docet, non ſolùm poſſe licitè, ſed teneri debitorem pro tunc reſtituere, ſi completus eſt terminus præfixus ad ſolutionem: hanc tenent Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 16. dub. 9.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 7.* Toletanus *lib. 4. de reſt. cap. 4. dub. 15. num. 84.* Suarez *de cenſuris diſp. 15. ſect. 8.* Maldet. *tract. 4. cap. 7. dub. 6.* & alij communiter. Et ratio eſt Leſſius, Valent. Tolet. Suar. Mald.

Primò, quia excommunicatio non priuat creditorem iure quod habebat petendi ſuum debitum extra iudicium, nec illud ſpecialiter ſuſpendit; talis enim effectus non reperitur inter effectus excommunicationis; ergo ſi illud ius adhuc pro tempore excommunicationis perſeuerat, etiam debitum vrget ex parte debitoris, quia ius & debitum ſunt correlatiua, vt diximus.

Secundò, quia communicatio neceſſaria non prohibetur cum communicato, vt omnes concedunt: illa autem reſtitutio, & actiones ad eam requiſitæ, eſt quædam communicatio neceſſaria, & debita ex iure diuino, & naturali, & non eſt prohibita, & conſequenter eſt licita?

Ad fundamenta contraria reſpondeo in iure non fuiſſe expreſsè exceptam hanc communicationem cum creditore, & quia breuis, & leuis eſt; communicatio verò vxoris cum marito excommunicato, ſeruorum cum dominis, filiorum cum parentibus eſt quotidiana, & maior, & ideo excepta fuit, quia de illa poterat eſſe aliqua dubitatio, non de iſta; & quia hæc etiam communicatio cum creditore dici poteſt, etiam excepta ſaltem implicitè, quatenus non prohibetur communicatio neceſſaria, ſub qua hæc etiam comprehenditur. 30.

Ad confirmationem reſpondeo creditori excommuni

communicato non eſſe prohibitum petere priuatè ſuum debitum, & conſequenter licitè petitur, & ſoluitur. Nec valet argumentum à prohibitione in iudicio, quia cùm ea prohibitio ſit pœnalis, & loquantur textus expreſsè de prohibitione publica,& iudiciali, non debet extendi ad priuatam; & quia in publica, & iudiciali petitione eſt maior ratio prohibitionis, propter ſcandalam, quæ ratio non militat in petitione priuata; vnde quando in aliquibus capitibus iuris Canonici prohibetur creditor ne petat ſuum debitum, & abſoluitur debitor ab obligatione reſpondendi, intelligitur de petitione iudiciali, & publica, non verò de priuata.

31. Ad limitationem Sayri reſpondeo, videri eam ſine fundamento adhibitam.

Primò, quia de intentione iurantis & promittentis non conſtat, an ſe voluerit ex iuſtitia obligare, an non.

Secundò, quia ille author concedit illam communicationem eſſe licitam in debitis vtrinque onerosis, quia eſt neceſſaria; ergo etiam non eſt prohibita, neque illicita in debitis gratuitis, quia vtrumque debitum, tam gratuitum, quàm oneroſum fuit prius ipſa excommunicatione, & per illam non fuit ſuſpenſum. An verò contractus celebratus ab ipſo excommunicato ſit validus, videri poteſt Suarez *de cenſuris, diſp.* 15. *ſect.* 8. *num.* 8. vbi affirmat hos contractus, ſi alium defectum non habeant, validos eſſe ac firmos, quantum ad ſubſtantiam eorum, & mutuam obligationem, & eſt communis Canoniſtarum ſententia *in cap. ſi verò, de ſentent. excom. & in cap. veritatis, de dolo & contumacia*, quos refert & ſequitur Couarruuias *in cap. Alma mater* 1. *part.* §. 1. *num.* 9. Ioannes de Lignano *tractatu de cenſuris*, §. 15. & pro hac ſententia citatur textus *in cap. Felicis*, §. *verum, de pœnis, in* 6. in quo expendenda ſunt illa verba. *Et debitorum illorum, quæ contracta fuerunt de poſtmodum acquiſitis, repetitio non negetur*; id eſt, non negetur cuidam excommunicato poſtquam abſolutionem obtinuit (de illo enim *ibi*, & vitando ſermo erat) ſupponit ergo Summus Pontifex, contractus ab illo factos durante excommunicatione fuiſſe validos, & probari id poteſt hac inductione. nam matrimonium cum excommunicato vitando contractum validum eſt, *cap. ſignificaſti, de eo qui duxit*. Profeſſio in Religione facta ab excommunicato valida eſt, *cap. cùm illorum, de ſent. excomm.* Donatio ab excommunicato facta valida eſt, *cap. inter dilectos, de donat.* ergo idem cenſendum eſt de aliis contractibus.

An contractus celebratus cum excommunicato vitando valeat. Suar. Couarr.

32. *An graue damnum differat ſolutionem.*

Vltimum dubium, quod in titulo huius capitis quæritur, eſt, vtrùm graue damnum temporale, vel ſpirituale ipſius creditoris, vel alicuius tertij ſit cauſa ſufficiens, ob quam debitor poſſit licitè differre ſolutionem, & reſtitutionem debiti, & furti? Pars affirmatiua eſt vera, & certa, quam tenent communiter DD. D Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *ad* 6. Banhez, Aragonius, & alij *ibidem*. Toletanus, *lib.* 4. *de reſt. cap.* 4. *num.* 37. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *puncto* 7. Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tractat.* 5. *cap.* 8. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap* 16. *dub.* 4. Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 39. *in fine*, §. *tertia cauſa*. Ratio eſt, & quia in eo caſu nulla fit iniuria creditori differendo debitum, & quia debitor vtiliter tunc gerit negotium creditoris, impediendo eius damnum ſpirituale, vel temporale; & idem eſt ſi ea dilatione impediat ſimile damnum ſpirituale, vel temporale alicuius tertij, & à fortiori quando eſt commune. Ex dictis ſequitur,

D. Thom. Banhez. Arag. Tolet. Valent. Sayrus. Leſſius. Azor.

Primò, non teneri debitorem ſoluere ſuo creditori pecuniam, ſi videt illum ea abuſurum in rebus illicitis, dummodo detur ſpes quòd ex tali retentione peccatum impediatur. 33.

Secundò, non teneri depoſitarium reddere gladium domino ſuo, quando illud petit ad nocendum alteri.

Tertiò, non eſſe etiam reſtituendum, quando ex tali reſtitutione ſequitur damnum publicum.

Si tamen hîc quæras, vtrùm non ſolùm licitè poſſet retinere, ſed etiam teneatur in eo caſu retinere, & non reddere rem alienam.

Reſpondeo primò, aliquando teneri debitorem ex charitate non reſtituere, quando ex tali reſtitutione ſequitur peccatum proximi, quod debitor retinendo debitum poteſt impedire ſine graui incommodo ſuo. Ratio eſt, quia reſtituens in illis circumſtantiis cenſetur proximè cooperari ad illud damnum. Aliquando ex iuſtitia, ſi ex tali reſtitutione ſequatur mors, vel mutilatio iniuſta tertij, quia cùm illa mors ſit contra iuſtitiam, & iſte per illam reſtitutionem, quæ ordinatur ad illam, proximè etiam ad illam cooperetur contra iuſtitiam, ſimiliter peccabit.

Reſpondeo ſecundò, prædictam obligationem non reſtituendi dari quando datur probabilis ſpes impediendi damnum, & quando id fieri poteſt ſine damno æquali, vel maiori ipſius debitoris, vt iam diximus *ſuprà*.

Reſpondeo tertiò, quando damnum ſolum eſt ipſius creditoris, v. c. quia petit ſuam pecuniam, vt ludat, vel conſumat illicitè & profuſè cum prodigalitate, aliqui exiſtimant non poſſe licitè debitorem eam negare, vel retinere. Alij tamen probabilius credunt teneri ſaltem ſub veniali eam negare, ſeu pro tunc non dare, ſi id incommodè poſſint, ea negatione, & dilatione, id impedire, ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. *num.* 57 & Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 39. & alij. Leſſius. Azor.

Dices, creditor habet ius petendi ſuum debitum etiam in prædictis circumſtantiis; ergo ei negari non poteſt ſine iniuria. Antecedens patet, quia nullus datur titulus, nulla ratio ob quam tale ius tunc deperdatur. Conſequentia patet, quia Parochus non poteſt negare ſacramentum Euchariſtiæ ſubdito petenti & exiſtenti in peccato, quod ipſe ſolus nouit, quia habet ius petendi, quamuis alioqui peccet petendo. Deinde vxor non poteſt negare debitum marito habenti votum caſtitatis, quia habet ius petendi, quamuis peccent petendo. Reſpondeo, quamuis illud ius non extinguatur ex parte creditoris in his circumſtantiis, tamen quodammodo ſuſpenditur, quatenus illius vſus eſt illicitus, ac proinde ex parte debitoris non fit ei iniuria, quia irrationabiliter eſt inuitus. 34. *Obiectio.* *Solutur.*

Ad primam confirmationem dico, illud ius ſubditi reſpectu Parochi non eſſe propriè & directè ad petendum ſacramentum Euchariſtiæ, ſed ne infametur ex negatione illius, ex qua reuelatur peccatum occultum.

Ad ſecundam reſpondeo, ſi vxor commodè poteſt impedire peccatum mariti debere id facere, non tamen, quando non datur ſpes impediendi.

CAPVT XXXI.

Vtrùm, qui impedit, vel extrahit aliquem à Religionis ingreſſu, teneatur aliquid reſtituere, quomodo?

SVMMARIVM.

Duplex damnum reſultat ex retractione, & impedimento alicuius à Religione. num. 1.

Quæ cauſæ poſſunt eſſe iuſtæ ad ſuadendum alteri ne Religionem ingrediatur, aut ne poſt ingreſſum profiteatur. num. 2.

An qui malitioſè, & per fraudem ſuadet alteri ne profiteatur, & ne Religionem ingrediatur, teneatur ad reſtitutionem aliquam, vel Religioni, vel ipſi impedito. Refertur prima opinio aſſerens teneri ipſi impedito orationibus reſtituere damnum ſpirituale inde ſibi reſultans, & teneri Religioni reſtituere damnum ſpirituale & temporale. num. 3.

Præfertur ſecunda, & aſſeritur, quid tenendum ſit in hoc negotio. num. 4.

An quando impediens vim & fraudem ſuſtulit, reuelando illam, impedito teneatur reſtituere damna tam Religionis, quàm impediti, quæ illis dedit dum fraudem non ſuſtulit. num. 5. & 6.

Qui iuſtis de cauſis impedit aliquem, aut retrahit à Religione, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur, num. 7. Excommunicatio Concilij Tridentini impoſita ipſo facto iis, qui ſine cauſa iuſta impedierint aliquem, à Religionis ingreſſu, aut ad illam ingrediendam coëgerint, ſolùm loquitur de illis, qui impediunt, aut cogunt fœminas. ibid.

Quomodo eſt facienda reſtitutio, quando aliquis per vim, & fraudem impeditur, aut retrahitur ante profeſſionem. num. 8.

Religio dum quis non profitetur non habet ius firmum, & ſtabile in illum. num. 9.

Quilibet iudex prudens in foro externo ſi illi conſtet de vi, & fraude, poteſt iuſtè condemnare ad reſtitutionem damni illum, qui illud per talem vim & fraudem dedit. num. 10.

Quid faciendum ſit à iudice Eccleſiaſtico quando data iuſta cauſa, vult extrahere nouitium à Religione, vel aliquem impedire ne illam egrediatur, & quis ſit legitimus iudex huius negotij, n. 11. & 12.

Quid ſi aliquis nouitius à Religione impediatur, aut extrahatur à perſona priuata odio, & maleuolentia, non tamen per vim, nec fraudem, an tunc ipſa perſona priuata ad aliquam reſtitutionem teneatur, & cui. num. 13. 14. 15. & 16.

Vtrùm teneatur nouitius, quando Religionem egreditur, reſtituere Religioni expenſas victus, & veſtitus, quas in ea fecit, & an Religio illi teneatur aliquid reſtituere ratione laboris & ſeruitij in ea impenſi ſi ſine cauſa nouitium dimittat, à num. 17. vſque ad 20.

1. FVRTI etiam ſpecies committitur, quando dolo, & fraude aliquem à Religione extrahimus, vel illum impedimus, ne illam ingrediatur. Sequitur igitur, vt etiam de de hoc furto, & reſtitutione illius aliquid aſſeramus.

Duplex damnum ex retractione, & impedimento alicuius à Religione.

Animaduerto igitur primò, duplex damnum in præſenti negotio conſiderari poſſe, vnum reſpectu perſonæ impeditæ, vel extractæ à Religione, quod eſt ſpirituale præcipuè, & in eo conſiſtit, quòd amittat Religionem, cùm enim hæc ſit ſtatus perfectionis, ſchola virtutis, & medium efficaciſſimum ad ſalutem illo bono ſpirituali, & medio ſalutis priuatur ille, qui hoc ſtatu priuatur, & cum illo multis aliis bonis, etiam temporalibus priuatur, de quibus videri poteſt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 23. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 1. & alij. Alterum eſt damnum reſpectu Religionis, quod poteſt eſſe ſpirituale, & temporale: ſpirituale, quia perſona impedita, vel extracta multum promouere poterat Religionem illam doctrina, virtute, ſanctitate, & exemplo. Temporale, quia fortè ratione talis perſonæ, veniret Religioni, ſi eſt capax bonorum, hæreditas magna, vel aliæ eleemoſynæ ex concionibus, lectionibus, & aliis ſimilibus actionibus, item honor, & authoritas maxima, ſi talis perſona de præſenti iam erat inſignis Doctor, Lector, Concionator, vel Prælatus, vel de futuro id eſſe poterat, quibus omnibus emolumentis priuatur Religio, & Monaſterium, eo quòd impediatur ingreſſus talis perſonæ, vel poſt ingreſſum extrahatur.

D. Thom. Valentia. Azor. Suar.

Animaduerto ſecundò, ſi detur iuſta cauſa poſſe aliquem ſuadere licitè alteri, ne ingrediatur Religionem, & aliquando, vt ex illa egrediatur. 2.

Cauſæ iuſtæ ad ſuadendum alteri ne Religionem ingrediatur, aut ne poſt ingreſſum profiteatur, quæ.

Prima eſſe poteſt, ſi ille, qui vult ingredi, non ſit vtilis Religioni, vel ratione imbecillitatis, vel peruerſitatis naturæ, malæque indolis, vel alicuius impedimenti.

Secunda eſt grauis neceſſitas parentum, fratrum, ſororum, de qua latè egimus *lib.* 4. *in tom.* 1. *huius operis*, & videri poteſt Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 4. *cap.* 20.

Sanchez.

Tertia eſt, ſi ob bonum commune talis perſona magis neceſſaria ſit in ſæculo, quàm in Religione, de quibus, & de aliis videri poteſt Molina *tom.* 4. *de iuſt. tract.* 4. *diſp.* 51. §. *Tertia verò pars.* Sayrus *in claui Regia, lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 25. Malderus *tract.* 8. *dub.* 3. §. *At quæres.*

Molina. Sayrus. Malder.

Quæſtio igitur procedit quando aliquis impeditur, vel extrahitur ſine iuſta cauſa, & in ea certiſſimum, & indubitatum eſt grauiſſimè peccare illum, qui tunc extrahit, aut impedit. Poteſt verò hoc fieri vel per vim, & fraudem, ac dolum, vel per ſimplicem ſuaſionem, & ſimiliter extractio poteſt eſſe à nouitiatu, vel poſt profeſſionem, & de ſingulis his circumſtantiis aliquid agendum nobis eſt.

His neceſſariò animaduerſis. Primum dubium eſt, vtrùm, qui malitioſè, & per fraudem impedit aliquem, ne Religionem ingrediatur, teneatur aliquid vel ipſi impedito, vel Religioni reſtituere; & partita eſt ſententia. 3.

Dubium de eo, qui malitioſè impedit alterum ne ingrediatur Religionem. Sententia prima.

Prima affirmat teneri ipſi impedito reſtituere damnum ſpirituale, ſuadendo illi iterum per ſe, vel per alium, vt Religionem ingrediatur, & orationibus id à Deo poſtulando, & inſuper teneri Religioni reſtituere damnum ſpirituale, & temporale,

Primò laborando, vt idem iterum ingrediatur.

Secundò, ſi id non fiat, ſuadendo alteri æquali, vt ingrediatur.

Tertiò, ſi neuter ingrediatur, teneri ipſum ſuaſorem, ſi vtilis eſt Religioni, ingredi, loco illius, quem

quem impediuit, quòd ſi nullo ex prædictis modis fieri poſſit reſtitutio, docet hæc opinio teneri ſuaſorem ex ſuis bonis temporalibus tantum reſtituere, quantum arbitrio prudentis illa damna æſtimentur; & idem aſſerit quando nouitius, vel profeſſus extrahitur à Religione, ſed cum hac diſtinctione, vt minus æſtimentur quando aliquis impeditur ante ingreſſum Religionis, quàm quando extraxit illum è nouitiatu poſt Religionis ingreſſum; plus verò quando extrahitur profeſſus poſt profeſſionem; hanc ſententiam ſic explicatam defendunt multi ex Theologis antiquis *in* 4. *diſt*. 15. vbi Scotus *quæſt*. 3. *ad* 2. Paludanus *q*. 2. quibus videtur fauere D. Th *ibid*. *q*. 3. *a*. 1. Adrian *ibid*. *quæſt*. 27. vbi idem tenet. & D. Anton. 1. *part*. *titulo* 2. *cap*. 2. §. 1. Fundamentum huius opinionis eſt, quia, qui impedit alicui bonum ad quod, qui erat in proxima potentia conſequendi illud, tenetur illud reſtituere; ſed perſona, quæ malè conſulitur, erat in proxima potentia, & occaſione ad comparandum bonum Religionis, & alia commoda, quæ inde ſequuntur; ergo tenetur impediens, vel extrahens illa ei reſtituere. Similiter, quia Religio ipſa erat in proxima potentia ad bona ſpiritualia, & temporalia comparanda, quæ ex ingreſſu, & profeſſione talis perſonæ illi poterant prouenire; ergo etiam impediens, & retrahens tenetur ipſi Religioni hæc bona reſtituere. Confirmatur, quia, qui impedit eleemoſynã, quam diues volebat largiri pauperi, tenetur reſtituere tantum, quantũ æſtimatur illa ſpes, quam pauper habebat ad comparandam illam eleemoſynam; ergo etiam hæc perſona impediens tenetur prædictam reſtitutionem facere; nam illa perſona vel habebat actualem voluntatem ingrediendi Religionem, vel erat proximè diſpoſita ad illam voluntatem, vel erat in nouitiatu cum hac voluntate profitendi; ſimiliter Religio mediante hac voluntate, & ingreſſu, acquirebat ius ad omnia commoda, & emolumenta, quæ illi ex tali perſona obuenire poterant; igitur hæc omnia, cùm ſint pretio æſtimabilia, tenetur impediens, & extrahens reſtituere.

Scotus. Palud. D Thom. Adrianus. D. Anton.

4. *Sententia ſecunda.*

Secunda ſententia probabilior, & tenenda,

Docet primò, eum, qui alicui ſuadet, ne ingrediatur Religionem, grauiter peccare, ſi malitiosè impediat, & ſine cauſa; primò contra charitatem, quia impedit maximum bonum ſpirituale tali perſonæ; ſecundò, contra virtutem Religionis, quia retrahit talem perſonam à diuino cultu, & obſequio.

Docet ſecundò, quando qui vult ingredi, aut poſt ingreſſum, profiteri, impeditur ſuaſionibus, precibus, quæ importunæ non ſint pretio, & præmiis ſine vi, & fraude, quamuis impediens id faciat ex amore illius perſonæ, & odio Religionis, peccare grauiſſimè, non tamen teneri ad reſtitutionem ipſi impedito, vel Religioni, & quia impeditus voluntariè conſentit, ſine vlla coactione, & quia Religio nondum habebat ius firmum, & ſtabile in talem perſonam, vel eius bona temporalia, vel ſpiritualia, quod enim habebat, erat infirmum, mutabile, & variabile pendens à voluntate talis perſonæ, quæ omnino voluntariè mutauit; & reuocauit voluntatem ſuam, & in hoc nullam iniuriam intulit Religioni; ergo conſequenter neque illam intulit, qui ei ſuaſit talem mutationem, quemadmodum ille, qui ſine vi, & iniuria tertij impedit legatum, officium, vel beneficium, vel alia bona ei non debita de iuſtitia; non tenetur ea illi reſtituere, vt iam alibi ſæpe diximus, quamuis id faciat animo nocendi, dummodo non faciat per iniuriam, fraudem, & metum, & teſtimoniis falſis; vnuſquiſque enim habet ius iuſtitiæ ne per iniuriam ei impediatur bonum, aut mediis iniuſtis.

Docet tertiò, impedientes per vim, & fraudem, teſtimoniis falſis, & iniuriis teneri de iuſtitia auferre huiuſmodi cauſam, ſi adhuc res integra eſt, & reponere impeditum in ſuo ſtatu in quo antea erat: & hanc opinionem docent Sayrus *in claui Regia*, *lib*. 11. *cap*. 1. *num*. 29. & 30. Rebellus 1. *part*. *lib*. 4. *quæſt*. 15. *num*. 1. Molina *tom*. 4. *de iuſt*. *tract*. 4. *diſp*. 51. *concluſione* 1. Leſſius *tom*. 1. *de iuſt*. *lib*. 2. *cap*. 8. *dub*. 3. *num*. 12. & 13. Vaſquez *opuſc*. *de reſt*. *cap*. 8. *dub*. 2. *num*. 33. Malderus *tract*. 8. *dub*. 3. Turrianus 2. 2. *diſp*. 15. *dub*. 2. *à num*. 1. *vſque ad* 8. Sotus *lib*. 4. *de iuſt*. & *iure*, *quæſt*. 5. *art*. 3. Nauarrus *in ſumma Lat*. *cap*. 12. *num*. 44. Caietanus 2. 2. *quæſt*. 62. *art*. 2. & Beia *part*. 2. *caſu* 3. & alij. hi omnes conueniunt teneri huiuſmodi impedientes ex charitate malum conſilium retractare, & bonum dare, vt talis perſona conſtituatur in eadem voluntate ingrediendi Religionem, aut in ea profitendi, & de iuſtitia media iniuſta, & iniurioſa, quibus vſi ſunt, auferre, vt mendacia, teſtimonia falſa, & alia huiuſmodi.

Sayrus. Rebellus. Molina. Leſſius. Vaſquez. Malder. Turrian. Sotus. Nauar. Caiet. Beia.

Docent tandem huiuſmodi authores nullum eſſe peccatum diſſuadere ingreſſum Religionis alicui, aut profeſſionem in ea ſi detur iuſta, & rationabilis cauſa, de qua re infrà ſtatim agemus.

5. *An impeditus per vim, & fraudem teneatur reſtituere damna.*

Tota controuerſia eſt, vtrùm impediens per vim, & fraudem teneatur reſtituere prædicta damna; & de damnis futuris iam diximus teneri ex iuſtitia ad auferendam vim, & fraudem ſe retractando. De damnis verò præteritis, v. c. ſi per aliquot menſes conſeruauit illam cauſam iniuſtam, & impediuit ne Petrus ingrederetur, aut profiteretur in hoc, vel illo Monaſterio, & conſequenter toto illo tempore Monaſterium priuauit bonis temporalibus, & ſpiritualibus, quæ ex tali perſona illi prouenire poterant; & ipſam perſonam impeditam priuauit ſimiliter illis etiam bonis ſpiritualibus, & temporalibus, quæ illi ex Religione poterant obuenire, inquirimus vtrùm teneatur impediens hæc damna reſarcire tam Religioni, quàm perſonæ impeditæ; & partem quæ negat tuentur multi loquentes de damnis reſpectu perſonæ impeditæ, quæ illi obuenerunt, ex eo quòd Religionem non fuerit ingreſſa, aut profeſſa: tenet hoc Sayrus *lib*. 11. *cap*. 1. *num*. 33. Aragon 2. 2. *quæſt*. 62. *art*. 2. Ledeſma 2. 4. *quæſt*. 18. *art*. 2. *dub*. 1. qui loquuntur de damnis reſpectu Religionis, quæ illi obuenerunt ex eo quòd Religionem citiùs non fuerit ingreſſus (ſed eadem eſt ratio de damnis reſpectu perſonæ impeditæ, & reſpectu Religionis, vt patet) & ideo hanc opinionem tuentur Sotus *dicto lib*. 2. *de iuſt*. *quæſt*. 5. *art*. 3. Nauarrus *in ſumma Lat*. *cap*. 12. *num*. 44. Caietanus 2. 2. *quæſt*. 62. *art*. 2. & Beia 2. *part*. *caſu* 3. Fundamentum illorum eſt,

Sayrus. Aragonius. Ledeſm.

Sotus. Nauarr. Caiet. Beia.

Primò, quia reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, & ſupponit violatum ius alicuius, ad quod reſarciendum iuſtitia ordinatur: atqui in propoſito caſu nec Religio habebat ius iuſtitiæ in talem perſonam, quæ illam ingredi volebat, & per fraudem impedita fuit, ne illam ingrederetur: nec perſona impedita habebat ius iuſtitiæ in Religionem, & eius bona; ergo nullo modo tenetur doloſè, & per

vim,

vim, & fraudem impediens, hæc damna ex iuſtitia reſtituere. Conſequentia patet. Maior probatur, quia ius quod Religio habebat in bona, quæ illi prouenire poterant ex ingreſſu talis perſonæ, erat fundatum in voluntate ipſius perſonæ, quam voluntatem ſine iniuria ipſius Religionis mutare poterat; vnde ſi nullam efficit iniuriam Religioni mutando voluntatem, nec etiam illam efficiet ille, qui illi per vim, & fraudem perſuaſerit, vt illam mutet. Similiter ius quod perſona impedita habebat in bona ipſius Religionis, tam temporalia, quàm ſpiritualia, totum erat fundatum in voluntate ipſius perſonæ, & in voluntate illorũ Religioſorũ, quorum Religionẽ ingredi volebat, quam etiam tam ille, quàm illi ſine vlla iniuria reſpectiuè mutare poterant; cùm ergo illud ius iuſtitiæ, ſi quod erat, ſit deambulatorium fundatum in huiuſmodi voluntatibus, & non firmum, & ſtabile, ſequitur, vt nulla obligatio iuſtitiæ illius reſarciendi detur, ſi fortè per fraudem, & iniuriã violetur. nam ius iuſtitiæ ex quo reſultat hæc obligatio reſtitutionis, eſt verum iuſtitiæ ius, firmũ, ſtabile, inuiolabile, & nõ ius iuſtitiæ ſecũdùm quid, quale illud eſt, quod in voluntate alterius fundatur: ſolùm enim iuſtitia tunc obligat ad tollendam fraudem, & iniuriam, ſi damnum non ſit datum; ſed hoc eſt impedire de iuſtitia damnum futurum, & non eſt reſarcire damnum præteritum iam datum, vt de ſe patet.

Secundò, quia reſtitutio non obligat in conſcientia, niſi in illis caſibus, in quibus ſi veritas in foro externo conſtaret, poſſet iudex ad reſtitutionem obligare; ſed nullus iudex, nec etiam Prælatus, aut Papa, ſi veritatem ſciret, & ei conſtaret in foro externo de tali ſeducente, eum obligaret ad reſtitutionem in hoc caſu, quo aliquem per fraudem, & dolum extraxit à Religione; ergo nec etiam Confeſſarius, & iudex fori interni eum ad eam obligabit. hæc opinio eſt ſatis probabilis.

6. Pars tamen affirmatiua verior, & probabilior videtur, & ideo ſequenda, quam tenet Vaſquez *opuſc. de reſt. cap 8. dub. 2. num. 38. §. Quod ſi aliquis.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib 2. cap 8. dub. 3. num.* 15 Rebellus 1. *part. lib* 4 *quæſt.* 15. *à num.* 2. Turrianus 2 2 *diſp.* 15 *dub.* 2. *num.* 9. Molina *tom.* 4. *de iuſt. tract.* 4. *diſp.* 51. §. *Sexta concluſio.* Malderus *tract.* 8. *dub.* 3. Fundamentum eſt, quia, qui impedit per vim & fraudem, ne aliquis legatum, officium, aut beneficium, vel alia bona illi de iuſtitia non debita alteri renunciet, ac relinquat, aut donet, tenetur ei reſtituere aliquid arbitrio prudẽtis, non totum legatum, officium, aut beneficium. Sed in noſtro caſu tam is, qui vult Religionem ingredi, impeditur à conſecutione bonorum ſpiritualium, & temporalium, quæ illi ex illa obuenire poterant, quàm Religio à conſecutione illorum bonorum, quæ illi ex ingreſſu talis perſonæ prouenirent, & per vim, & fraudem, & iniuriam impeditur; ergo impediẽs tenetur huiuſmodi damna tam Religioni, quàm perſonæ impeditæ reſtituere. Minor & conſequentia patet; quia ſupponimus, re vera retraxiſſe hominem vi, & fraude, fraudulẽtiſque rationibus à Religione imponendo teſtimonia falſa, & alia mendacia Religioſis, & Religioni, ne illam ingrederetur, & dicendo Religioſis ſimilia mendacia, de perſona, quæ Religionem volebat ingredi, ne illam reciperẽt, & acceptarent. Maior in qua eſt difficultas probatur, quia vnuſquiſque habet ius iuſtitiæ ne per iniuriam, & fraudulenta medacia impediatur, à conſecutione boni, quod alter illi conferre vult, & in eo illi fit maxima iniuſtitia, & iniuria; ergo peccat contra iuſtitiam ille, qui ita impedit; ergo tenetur ad reſtitutionem pro damno dato; quamuis enim de præſenti nec Religio habeat ius firmum & ſtabile in perſonam volentem illam ingredi, & in bona illius, niſi mediante voluntate talis perſonæ, quæ mutari poterat. nec talis perſona in Religionem, niſi mediante voluntate Religioſorum volentium illam admittere; tamen tàm Religio, quàm perſona impedita habent de præſenti ius iuſtitiæ, ne illis fiat iniuria, & talis voluntas iniuſtè illis auferatur, auertatur, & impediatur reſpectiuè vnius ad alium.

Dixi *per vim, & fraudem,* quia ille, qui retrahit alium à Religione, iuſtis de cauſis, & bona intentione, nullo modo peccat, nec ſimiliter ad reſtitutionem aliquam tenetur, nec excommunicationem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 18 *de Regularibus,* incurri, illis impoſitam, qui impediunt mulierum voluntatem vel Religionis accipiendi, vel voti emittendi, quomodocumque ſine iuſta cauſa impediunt, aut ad Religionem ingrediendam inuitas, & nolentes compellunt. Verba Concilij ita habent: *Anathemati ſancta Synodus ſubijcit omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos, ſæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam poſſeſſionem, vel ad ingrediendum Monaſterium, præterquam in caſibus iure expreſſis. Quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut poſſeſſionem emittere, quomodocumque eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo ſine iuſta cauſa impediuerint.* Vbi 7.

Notandum eſt, primò in hac excommunicatione Concilij non comprehendi illos, qui homines impediunt à Religione, aut ad illam nolentes compellunt, ſed illos tantùm, qui fœminas impediunt, aut compellunt. eſt enim hæc excommunicatio ipſo facto, pœna grauis, & non extenditur ad alias perſonas, vnde cùm Concilium loquatur de fœminis, non eſt extendenda ad viros, vt optimè notat Sayrus *lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 28. & Molina *tom.* 4. *de iuſt. diſp* 51. *in fine*, §. *Illud poſtremò.*

Notandum ſecundò, non comprehendi etiam illos, qui bona intentione, & iuſtis de cauſis impediunt, vt patet ex vltimis verbis Concilij, *quoquo modo ſine iuſta cauſa impediuerint.* In quibus iuſtis cauſis numeratur illa, qua credimus volentem ingredi, aut profiteri in Religione, nullatenus Religioni conuenire, nec ipſi fore vtilem, & illa etiam, quod in Monaſterio, in quo ingredi deſtinauit, diſciplina religioſa non ſeruetur, licèt talis Religio toleretur ab Eccleſia: & ita etiam docet Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 12. *num.* 44. 45. & 46. & Caietanus 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 9. quem *ibi* citat. Sed hæc ad materiam excommunicationis ſpectant. Veniamus ad noſtram.

Si ab authoribus huius ſecundæ opinionis probabilioris inquiras, quomodo eſt facienda iſta reſtitutio, & quantum teneatur reſtituere huiuſmodi impediens. 8.

Vaſquez. Leſſius. Rebell. Turrian. Molina. Malder.

Conc. Trid.

Notandum primum.

Sayrus. Molin.

Notandum ſecundum.

Reſpon

Reſpondent primò, non teneri in primis ſe ipſum donare Religioni loco illius, quem impediuit, ſi ille noluerit Religionem ingredi, teneri verò ſe ipſum retractare,& illum conſiliis, & rationibus ad Religionem, à qua auertit, exhortari, & impedimenta, quæ per fraudem poſuit, tollere; ſi tamen non poſſit tollere, non teneri, vt dixi, loco illius ingredi, & in hoc conueniunt omnes authores citati *num* 4.

Primò, quia hoc medium eſt valde extraordinarium, & nullum eſt peccatum tam graue in mundo, ob quod pro pœnitentia ingreſſus Religionis imponi poſſit.

Secundò, quia, vt conſtat ex Concilio Trident. *numero præcedenti* allegato, ingreſſus Religionis debet eſſe maximè voluntarius, & ex diuina vocatione, non autem ex humana neceſſitate, & reſtitutione.

Tertiò, quia hæc eſt communis praxis, quamuis extractus ſit profeſſus, vnde etiam colligitur quòd huiuſmodi impediens non tenetur de iuſtitia alium inducere, vt ingrediatur loco impediti, ob rationes modò factas.

Reſpondent ſecundò, ſi impediens voluerit,& vocetur à Deo, & ſit æqualiter Religioni vtilis, ſufficienter reſtituere ingrediẽdo Religionem pro illo exemplo D. Raymundi, de quo narratur ſe dediſſe Religioni Prædicatorum, quia nouitium impediuit, non tamen, vt dixi, ad id teneri, & idem dicendum eſt ſi alium æqualem inducat, qui maximè voluntariè Religionem ingrediatur.

Reſpondent tertiò, ſi impediens impedimenta de facto non ſuſtulit (tolluntur autem, quando efficit, vt quem impediuit, Religionem iterum ingrediatur) nec ipſe vult ingredi, nec alium ad Religionem inducit æquè vtilem Religioni ac illum, quem impediuit teneri illum ad reſtituenda omnia damna temporalia ſecundùm eam quantitatem, qua fructus in ſpe communiter æſtimari ſolent, iuxta maiorem, vel minorem ſpem quam Religio de illo habere potuit, conſideratis circumſtantiis bonorum, mutabilitatis humanæ, & aliis impedimentis, quæ hîc interuenire poterant, & quia huiuſmodi damna poſſunt eſſe in duplici differentia, vna reſpectu bonorum, quæ titulo hæreditatis Monaſterio obuenire poterant, altera reſpectu bonorum, quæ talis perſona ipſi Religioni ſua induſtria lucrari,& acquirere poterat, ſuoque labore, concionando, legendoque, &c. Vtraque damna, conſideratis prædictis circumſtantiis iuxta maiorem, vel minorem ſpem fructus reſtituenda ſunt.

9. *Religio an habeat ius firmum in eum qui non profitetur.*

Ad fundamenta primæ opinionis iam reſponſum manet ex dictis.

Ad primum enim dico Religionem non habere ius firmum, & ſtabile in prædictam perſonam impeditam, ſed mutabile, & variabile fundatum in mutabilitate voluntatis ipſius perſonæ,& ideo non eſſe reſtituendum damnum inſolidum, ſed detracta æſtimatione huius mutabilitatis; licèt enim Religio non haberet hoc ius firmum, habebat tamen probabilem ſpem habendi illud, quæ ſpes eſt pretio æſtimabilis,& iniuſtè per iniuriam, & fraudem, fuit ipſa Religio priuata tali ſpe, quare iuxta maiorem, vel minorem, firmiorem, vel infirmiorem ſpem, quam habebat, reſtitutio ei facienda eſt; & quamuis ipſa perſona impedita ſine iniuria Religionis poterat mutare voluntatem, non tamen alter potuit abſque iniuria illius, & peccato iniuſtitiæ, eam per vim,& fraudem deturbare à tali voluntate, habet enim vnuſquiſque ius ne per vim, & fraudem impediatur ab aſſecutione alicuius boni. Et idem dicendum eſt de reſtitutione, quæ facienda eſt ipſi perſonæ impeditæ reſpectu bonorum, quæ illi prouenirent ex ingreſſu Religionis, vt patet, quia licèt hæc penderint ex voluntate Religioſorum, qui illum erant admiſſuri, tamen illa ſpes, quam habebat, pretio erat æſtimabilis, & pro maiori; vel minori infirmitate illius, arbitrio prudentis reſtitutio facienda eſt, detracta æſtimatione mutabilitatis, tam ipſius perſonæ impeditæ, quàm ipſorum Religioſorum, quia ſimiliter per iniuriam deturbata fuit talis perſona illa ſpe, & ſpoliata.

Ad ſecundum dico quemlibet iudicem prudentem in foro externo, ſi illi de hac veritate conſtaret, poſſe iuſtè,& iuridicè obligare impedientem iniuſtum ad huiuſmodi reſtitutionem faciendam, & ad hoc teneri, & ideo non eſſe mirum, ſi iudex etiam fori interni, qualis eſt Confeſſarius in tribunali veritatis, & conſcientiæ illum obliget, vt ex dictis conſtat. 10. *Quis iudex poſſit condemnare ad reſtitutionem damni.*

Notabis autem dupliciter poſſe extrahi nouitium à Religione. 11. *Extractio & depoſitio nouitij facta à poteſtate publica.*

Primò à poteſtate publica ad inſtantiam conſanguineorum, vel parentum, & tunc deponitur, ſeu depoſitatur nouitius in aliqua Religioſorum domo, vel ſæcularis magnæ virtutis, & confidentiæ, vt examinetur de voluntate, & vocatione, ad quod examen nouitius non accedit ſponte,& voluntariè, ſed ex imperio poteſtatis publicæ, voluntariè enim,& ſponte ipſe poterit Religionem deſerere, ſi voluerit; ad id enim nouitiatus tempus ſtatutum eſt, vt videat, an ſibi Religio conueniat, & vt Religio experimentum faciat, an ille ſibi ſit vtilis. In hoc ergo examine duo ſunt communiter recepta.

Vnum eſt poteſtatem ſæcularem non poſſe cogere Religionem ad ita exponendum nouitium, depoſitandum ve, niſi illi ex parte Religionis vis fieret manifeſta; & verò ſi extra hunc caſum miniſtri ſæculares id tentarent, grauiſſimè peccarent, & vim inferrent Religioni, vſurpando iuriſdictionem Eccleſiaſticam, impediendoque iniuſtè nouitium, vel exponendo illum ſine cauſa iuſta,& legitima periculo perdendi Religionem, & excommunicationem Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 18 *de Regularibus*, ipſo facto impoſitam iis, qui ſine iuſta cauſa perſonam aliquam retrahunt à Religione, incurrerent ſi fuerit fœmina, non maſculina ipſa perſona, quæ extrahitur, vel tali periculo exponitur, de qua re ſuprà egimus *num*. 7.

Alterum eſt quando id fit ex authoritate Eccleſiaſtica Summi Pontificis, vel Nuntij Apoſtolici,& tunc, vt licitè fiat, debere dari,& præcedere ſufficientem cauſam ab ipſo priùs examinatam, & approbatam, v.c. ſi ei priùs conſtet ingreſſum non fuiſſe legitimum ex aliquo defectu, vel nouitium fuiſſe deceptum, aut leuiter motum; probatio verò huius cauſæ incumbit parentibus nouitij, vel aliis, qui illius egreſſum requirunt, vnde ſi fiat ſine cauſa iuſta, vel ſine ſufficienti examine cauſæ, erit illa depoſitio,& extractio illicita, & peccaminoſa, quia fieret motalis violentia Religioni, & quia exponeretur nouitius graui periculo Religionis deſerendæ, vt optimè notat Rebellus 1. *part. lib.* 5. *quæſt*. 15. *in fine.* & Molina *tom*. 4. *tract*. 4. *diſput*. 51. *concluſione* 1. §. *Secunda verò pars,* non tamen incurretur excommunicatio in Concilio Tridentino impoſita ipſo facto iis, qui quouis modo Rebell. Molina.

modo ſine iuſta cauſa impediunt Religionis ingreſſum, niſi perſona, quæ ſic impeditur, ſit fœmina, quia Concilium loquitur dumtaxat de impedientibus fœminas, quæ excommunicatio, cùm ſit pœna, non eſt extendenda ad perſonas maſculinas, vt *num.* 7. diximus, imò affirmat Rebellus *allegatus*, & optimè, teneri Prælatos Religionis ex officio prædictos nouitios in eo caſu defendere, quantum licitè potuerint. Hactenus de extractione, & depoſitione nouitij facta à poteſtate publica.

12. *Extractio nouitij quæ fieri poteſt à perſona priuata.* Secundò fieri poteſt à perſona priuata, & hæc extractio vel fieri poteſt vi, & fraude, vel ſine vi & fraude, ſed ex cauſis iuſtis, vt ſuprà diximus; ſi fiat ſine iuſta cauſa, ſed per vim, & fraudem, iam diximus teneri extrahentem ad reſtitutionem modo explicato *à num.* 8. ſi fiat iuſta de cauſa ſine vi & fraude, iam etiam diximus *num.* 7. eam extractionem non eſſe peccaminoſam, imò eſſe licitam & honeſtam.

13. *Quid ſi aliquis nouitius impediatur à Religione, aut extrahatur à perſona priuata.* Sed quid ſi ea extractio fiat à perſona priuata ſine cauſa vlla iuſta, imò cum cauſa iniuſta, v. c. ex odio in Religionem diſſimulato, aut in nouitium, non tamen per vim, metum, aut fraudem. Reſpondeo in hoc caſu certum videri non teneri prædictum extrahentem ad vllam reſtitutionem reſpectu ipſius nouitij, vel nouitiæ, & quia ſublata vi, & fraude volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, odium autem ſi quod ibi occultè datur, ſolum efficiet, vt ea extractio ſit peccatum contra charitatem, non contra iuſtitiam; & quia ſemper in eius perfecta libertate fuit conſeruare bonum, quod habebat, & conſequenter illi imputabitur damnum. ſiquidem ab eo bono voluntariè, & ſine iniuria ſibi ab alio illata cecidit.

14. *An extrahens hoc caſu teneatur reſtituere damnum.* Vtrùm verò teneatur extrahens in hoc caſu damnum Religioni reſtituere, eſt duplex opinio.

Opinio prima. Rebellus. Prima affirmat; eam tenet Rebellus 1. *part. lib.* 4. *quæſt.* 15. *num.* 5. Fundamentum illius eſt, quia in eo caſu ſemper fit iniuria Religioni, quamuis non fiat nouitio.

Primò, quia Religio habet ius cuſtodiæ ſupra nouitium, & ideo eum alit ſuis expenſis, & inſtruit ſuis laboribus; ergo qui illum extrahit ſine conſenſu Religionis, violat illud ius, quemadmodum, qui pignus, vel depoſitum extrahit à manu depoſitarij, quamuis dominus conſentiat, violat ius cuſtodiæ, quod habet depoſitarius.

Secundò, quia quando puella eſt ſub poteſtate patris, quamuis liberè conſentiat in violatione ſuæ pudicitiæ, & conſequenter ei non fiat iniuria, nec debeatur reſtitutio, tamen fit iniuria parentibus, eiſque reſtitutio debetur, quia ipſi conſenſum non præſtiterunt, & conſequenter violatur ius cuſtodiæ, quod parentes habent.

Tertiò, quia Religio poteſt procedere in foro externo contra huiuſmodi extrahentes, & ſolicitantes, & conſequenter habet ius puniendi, ſeu faciendi illos puniri, quod ius violatur; ergo ei fit in ea violatione iniuria, & conſequenter ratione ipſius iniuriæ reſtitutio debetur.

15. *Opinio ſecunda.* Secunda tamen ſententia probabilior, & tenenda negat, deberi tunc aliquam reſtitutionem ipſi Religioni, & hæc eſt praxis communis, eam defendunt Turrianus 2. 2. *diſp.* 15. *dub.* 2. *num.* 7. & 8. Malderus *tract.* 8. *dub.* 3. *dicto* 2. § *Sed verius.* Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap* 8. *dub.* 3. *num.* 14. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 4. *ad* 1. Vaſquez *opuſculo de reſtitutione, cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 34. & 35. Sayrus *in claui Regia, lib.* 11. *cap.* 1. *num* 29. Fundamentum eſt, quia nouitius ſponte exiens ſine conſenſu Religionis, ad nullam ei tenetur reſtitutionem, nec peccat contra iuſtitiam; ergo neque ille, qui eum ſine vi, & fraude ad id induxit. Conſequentia eſt bona. Antecedens eſt certum, quia nouitius nondum eſt obligatus Religioni, nec Religio habet ius aliquod in eius perſonam, quoad effectum retinendi illum abſque illius voluntate; ergo poterit liberè exire quando voluerit, & hæc eſt communis ſententia Doctorum, quam tenet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 1. & Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. & *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 2. & 4.

Turrian. Malder. Leſſius. Sotus. Vaſquez. Sayrus. Sanchez. Suar.

16. Et non ſolùm liberè, ſed etiam licitè, & ſine peccato poterit nouitius exire, etiamſi nullam habeat cauſam rationabilem exeundi, vt *ibidem* notat Suarez, modò non habeat votum perſeuerandi, hoc enim, ſecluſo hoc voto, licitum illi eſt ex obiecto. Fundamentum eſt, quia ex vi ingreſſus nulla datur promiſſio, vel pactum tacitum, vel expreſſum perſeuerandi, nec datur aliud caput ex quo talis obligatio oriatur, ex circumſtantiis tamen & accidenti ſæpe erit peccatum egredi, vel ratione finis, vel ex alio capite, ſed hac de re latè egimus *in* 2. *lib. & præcepto huius operis.*

17. *An nouitius egrediens Religionem teneatur ad expenſas.* Dubitant aliqui, vtrùm teneatur nouitius reſtituere Religioni expenſas, quas in ea fecit, & conſequenter, vtrùm teneatur Religio reſtituere aliquid nouitio ratione ſalarij pro obſequio illi impenſo tempore nouitiatus.

Reſpondeo primò, ſi eius labor, vel ſeruitium in Religione erat neceſſarium, quale cenſetur illud, quod per alium faciendum erat cum expenſis Religionis, & alioqui huiuſmodi ſeruitium eſt æquiualens expenſis, nec Religionem nouitio ad aliquid teneri, nec nouitium Religioni.

Reſpondeo ſecundò, quamuis non laborauerit, nec labor ipſius eſſet in Religione neceſſarius, non obligari illum ad vllam reſtitutionem Religioni faciendam, vt tenet Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 6. *cap.* 10. *à num.* 2. & Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 5. Ratiò eſt, quia redditus Monaſterij aſſignari ſolent pro alimentis, non ſolùm Profeſſorum, ſed etiam nouitiorum: Deinde, quia nouitij ſub ea libertate admittuntur, & aluntur, vt ipſi experiantur Religionem, & ſi placeat, voluntariè ſe obligent in futurum; tandem quia hæc eſt communis praxis Religionum. Vnde quamuis etiam labor nouitij Religioni impenſus multum excedat ciborum, & veſtitus expenſas, tamen nihil poſtea ſi eiiciatur ei debetur, quia ex tacita conuentione, fundata in praxi omnium Religionum ita conuentum eſt, & ſub ea tacita conditione fuit ingreſſus, vt ſi eiiceretur, nec ipſe Religioni, nec Religio ipſi ad inuicem pro ſeruitio, aut expenſis ad aliquid teneretur.

Sanchez. Suar.

18. Reſtat vt ſoluamus argumenta facta pro opinione Rebelli. Ad primũ, dico illud ius cuſtodiæ, quod habet Religio ſuper nouitium eſſe, dependens ab illius voluntate, ac proinde tandiu ſolùm durare, quandiu ipſe vult permanere.

Ad primum exemplum de pignore, & depoſito reſpondeo hoc ius eſſe abſolutum & independens ab eo qui illud violat; & ideo ibi datur iniuſtitia.

Ad ſecundum reſpondeo in eo caſu non debe ri patri puellæ reſtitutionem, ſed ſatisfactionem pro iniuria, vt ſuo loco diximus; deinde quamuis deberetur reſtitutio, adhuc eſt diuerſa ratio in noſtro caſu, quia illud ius paternum eſt independens

à vo

à voluntate filiæ, & hæc ita conſentiens, vel egrediens à voluntate patris facit illi iniuriam.

Ad tertium. Reſpondeo Religionem habere ius ad puniendum iuridicè ſolicitantem nouitium ad egrediendum, quia talis ſolicitatio eſt crimen, & conſequenter punibile in iudicio; at ex hoc non colligitur quòd Religio habeat ius retinendi nouitium.

19. *Oppoſitio.* Oppones primò. Prælatus Monaſterij dimittens nouitium ſine cauſa, peccat, & facit iniuriam nouitio, eique obligatur ad reſtitutionem; ergo nouitius deſerendo Religionem ſine cauſa, facit etiam illi iniuriam, & conſequenter, qui illum inducit, peccabit contra iuſtitiam, tenebiturque ad reſtitutionem. Conſequentia patet, quia obligatio debet eſſe mutua, alioqui dabitur contractus inæqualis. *Reſponſio.* At reſpondeo Prælatum in eo caſu peccare contra charitatem debitam nouitio, quia illum priuat tanto bono, & contra Religionem ipſam, ſi nouitius illi futurus erat vtilis: non peccare verò contra iuſtitiam, quia ibi nulla vis, & fraus interceſſit, neque enim ſuperior tenebatur ex aliquo pacto tacito, vel expreſſo illum conſeruare. Sed dato, & non conceſſo quòd ſuperior contra iuſtitiam peccaret nouitium ſine cauſa dimittendo, negamus adhuc nouitium peccare, neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam, ſine cauſa egrediendo, quia Prælatus ideo peccat, quia abutitur poteſtate ſibi à Deo commiſſa ad vſum rationabilem, qualis ille non eſt, quando ſine cauſa dimittit. Deinde, quia poteſtas datur in bonum Religionis, cui Prælatus ſine cauſa non poteſt cedere. At nouitius poteſt cedere iure ſuo, alioqui non ſe obligauit Religioni per ingreſſum.

20. *Inſtantia.* Dices, Religio poteſt punire nouitium ob delicta patrata in Religione, &, ſi talia ſint, vt dimiſſio non cenſeatur pœna ſufficiens, poteſt illum incarcerare, vt docet Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 10. num.* 18. *Suar.* Ergo Religio habet ius retinendi nouitium, & conſequenter ipſe egrediendo violat hoc ius Religionis. *Diluitur.* Reſpondeo Religionem habere ius puniendi nouitium ratione delicti, non verò obligandi illum directè ad perſeuerantiam, aliud enim eſt loqui de poteſtate iuriſdictionis, & punitionis ratione delicti, aliud de iure obligandi illum ad perſeuerantiam, hoc enim nullum habet Religio, illud verò habet, & maior ratio eſt, quia ius puniendi eſt neceſſarium ad bonum Religionis, ius retinendi non ita, imò repugnat libertati, quæ nouitiis conceditur ad eligendam profeſſionem.

Capvt XXXII.

Vtrùm, qui extrahit profeſſum à Religione, teneatur aliquid ipſi Religioni reſtituere, & quantum.

Svmmarivm.

Religioſi Societatis Ieſu poſt vota biennij, & ante profeſſionem ſunt verè Religioſi, & deſinunt eſſe nouitij, & de hac re non licet dubitare, num. 1.

An qui ſine vi, & fraude extrahit profeſſum à Religione, aut Religioſum Societatis Ieſu poſt vota biennij teneatur Religioni reſtituere damna illi inde ſecuta, num. 2. *& an ad aliquid teneatur ipſi Religioſo. ibid.*

An ius, quod Religio acquirit poſt profeſſionem in ſuum Religioſum, ſit propriè ius iuſtitiæ, & vnde oriatur, à num. 3. *vſque ad* 12.

An qui per vim, & fraudem extrahit aliquem Religioſum profeſſum à Religione, teneatur reſtituere damna inde reſultantia Religioni & Religioſo, num. 12. *Et quomodo, & an teneatur ad tollendam vim, & fraudem. num.* 13.

Ex dictis, & reſolutis in ſuperiori quæſtione manet magna ex parte quæſtio iſta, de profeſſo reſoluta, &, vt præſens quæſtio plenè intelligatur, oportet, vt tota doctrina capitis præcedentis in memoria habeatur, pendet enim hæc ex illa; claritatis tamen, & diſtinctionis cauſa, has quæſtiones diuiſimus, ne prolixitate, & longitudine illarum faſtidio eſſemus. I. Cùm autem de Religioſis profeſſis agimus, conſequenter agimus de Religioſis Societatis Iesv, qui vota biennij, ſeu Collegij emiterunt, quia licèt olim aliqui dubitarint, an ipſi poſt huiuſmodi vota eſſent verè Religioſi, inter quos fuit doctiſſimus Nauarrus, vt ſtatim patebit, qui poſtea ſe retractauit; tamen hodie iam de hac re dubitari nequaquam licet, vt dicere aggredimur. *De Religioſis Societatis Iesv.*

Quæſtio igitur procedit tam de profeſſis in quacumque Religione, quàm de Religioſis Societatis Iesv, qui conſueta vota ſimplicia poſt biennium nouitiatus emittunt; per eà enim vota deſinunt eſſe nouitij, & licèt profeſſi non ſint, tamen veri Religioſi conſtituuntur, & manent, ſéque cum ſuis omnibus actibus tradunt Societati, ita vt Societas acquirat in eos verum ius, ſintque quoad omnes ſuas operationes ipſi ſubditi, non aliter, quàm profeſſi, vt definit Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, confirmata per omnes ferè Summos Pontifices, qui illi in Cathedra D. Petri poſtea ſucceſſerunt, qua de re iam dubitare non licet poſt hanc definitionem Sedis Apoſtolicæ, vt *ibidem* in eadem Bulla dicitur, & docet latè Sanchez *lib. 7. de matr. cap. 25. num. 15. & lib. 4. Decalogi, cap. 33. num. 23.* Valentia 4. *part. diſp.* 10. *queſt. 5. de matrim. puncto 3. vbi de imped. voti*, & Henriquez *lib. 12. de matr. cap. 5. num. 3. iuncto commento, litera N, & num.* 6. & licèt olim Nauarrus *in cap. non dicatis, num. 15. 12. queſt.* 1. videatur ſentire non eſſe veros Religioſos illos, qui in Societate Iesv vota ſimplicia poſt nouitiatus biennium emiſerunt conſiderata Religioſi ſtatus firmitate, ſed ſolùm ex priuilegio ex eo fundamento, quòd crediderit ſola vota ſolemnia eſſe de Religionis eſſentia, in quibus eſt perfectiſſima traditio, qua Religioſus ſolemniter ſe tradit Religioni, & acceptatio Religionis, qua dominium in omnes actiones ipſius Religioſi acceptat; tamen id ſcripſit Nauarrus ante prædictam definitionem Gregorij XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, poſtea enim viſa ea Bulla recantauit palinodiam in nouiori editione *commento 1. de Regul. num. 19. corollario 16.* nam per ea vota biennij fit traditio, quæ verè reddit perſonas illorum ſubiectas, ac mancipatas arbitrio & poteſtati ſuperiorũ, ita vt minimè in poſterum licitum, aut liberum eis ſit, abſque crimine apoſtaſiæ ab eo inſtituto recedere, & ea vota acceptáuit à ſuperiore nomine Dei ex facultate Sedis Apoſtolicæ, nec obſtat poſſe illos à Societate dimitti, & poſt dimiſſionẽ manere à votis liberos, & licitè, & validè poſſe matrimonium poſt eam dimiſſionẽ inire, quia ad firmitatẽ, & immutabilitatẽ *De Profeſſis in quacumque Religione.* *Sanchez. Valent. Henriq. Nauar.*

ſtatus Religioſi ſufficit ipſos ius non habere recedendi propria authoritate, ab eo ſtatu. nam de eſſentia ſtatus Religioſi vt definitur in prædicta Bulla *Aſcendente Domino*, non ſunt vota ſolemnia, ſed eſt certa vitæ conditio approbata à Sede Apoſtolica, qua viuitur in paupertate, caſtitate, & obedientia voto firmitatis, & immobilitatis, externa quadam cæremonia, per quam res pateat Eccleſiæ, facto, quæ omnia reperiuntur in prædictis biennij votis. Nec obſtat etiam quòd in votis ſimplicibus ſola promiſſio reperitur, & non traditio; quare ſi hæc vota ſimplicia ſunt, non poſſe in illis prædictam traditionem reperiri. Reſpondeo enim primò cum Valentia *dicta 4. part. diſp. 10. quæſt. 5. de matrim. puncto 3.* & cum Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 25. num. 15. ad finem*, id verum eſſe ſi loquamur de votis ſimplicibus conſideratis abſtractè, & præcisè ſecundùm generalem rationem, & communem conſiderationem votorum ſimplicium. At vota hæc ſimplicia Societatis Iesv vltra hanc rationem communem, & promiſſionem, continent etiam traditionem perfectam, vt explicauimus, non præcisè, vt ſimplicia ſunt, ſed vt talia vota Religionis ſimplicia; licèt enim ſola vota ſolemnia contineant traditionem perfectiſſimam, tamen hæc vota ſimplicia eam perfectionem traditionis continent, quæ ſufficit ad perfectum verumque Religionis ſtatum approbatum à Sede Apoſtolica. Ex quibus omnibus ſatis conſtat prædictos Religioſos Societatis noſtræ, qui poſt biennium nouitiatus vota ſimplicia emittunt, veros eſſe Religioſos, non ex priuilegio Apoſtolico, ſed ex natura ſtatus Religioſi à Chriſto Domino inſtituti, & à Sede Apoſtolica confirmati, quia verus Religionis ſtatus iis tantùm votis ſimplicibus eſt contentus. ita idem Sanchez *allegatus*. Henriquez, Valentia & Nauarrus *locis citatis*. His præmiſſis,

Valentia. Sanch.

2. *Dubium de eo qui ſine vi & fraude extrahit profeſſum à Religione.*

Primum dubium hîc emergens eſt, vtrùm, qui ſine vi, & fraude extrahit Religioſum profeſſum à Religione, teneatur Religioni reſtituere damna illi inde ſecuta? Et in primis certum eſt non teneri aliquid reſtituere ipſi Religioſo, quem ſine vi prædicta, & fraude extraxit, iuxta ea, quæ diximus *in capite præcedenti, num. 13.* quia ſublata vi, & fraude nulla ei fit iniuria; volenti enim, & conſentienti, nulla fit iniuria; ſemper enim in voluntate profeſſi erat, & libertate illius perſeuerare in ſua profeſſione, & remouere omnia impedimenta, quæ huic rei obſtare poterant. Dubium ergo ſolùm eſſe poteſt, vtrùm huiuſmodi extractor teneatur reſtituere Religioni damna omnia illi ſecuta ex tali extractione, v.c. prædia, donationes, hæreditates, quæ Religioni capaci bonorum ratione talis profeſſi prouenire poterant; item eleemoſynæ, vel quæcumque alia emolumenta, quæ ipſi ſuo labore, & induſtria docendo, poſtulando, concionando Religioni acquiſierat, aut acquiſiturus erat, & hac de re duplex eſt ſententia.

Sententia prima. Molina. Vaſquez. Turrian. Azor. Reginald.

Prima affirmat teneri extrahentem reſtituere Religioni huiuſmodi damna, & lucra acquirenda pro iuſta illorum æſtimatione arbitrio prudentis facienda: hanc ſententiam defendunt Molina *tom. 4. de iuſt. tract. 4. diſp. 51. concluſione 2. & ſequentibus.* Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 8. dub. 2. num. 38.* Turrianus *2.2. diſp. 15. dub. 2. num. 10. & 11. & diſp. 16. num. 11.* Azor *tom. 3. lib. 5. cap. 2. §. Poſtremò Titius.* Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 10. tract. 4. cap. 21. num. 309.* teneri, inquam, ad hanc reſtitutionem Religioni,

Primò, faciendo, vt Religioſus profeſſus egrediatur.

Secundò, ſi id non obtineat donando de ſuis bonis temporalibus quantum arbitrio prudentum damna illa æſtimabantur.

Tertiò, addit Molina *citatus concluſione 5.* ſi neutro ex prædictis modis poteſt, & alioqui ſuo ingreſſu damna in ſolidum, vel magna ex parte compenſare poteſt, teneri ad huiuſmodi ingreſſum, niſi Religio id remittat; ſed in hoc tertio modo non conueniunt Authores alij citati. Fundamentum eſt, quia Religio habet ius acquiſitum ad bona Religioſi profeſſi tam acquiſita, quàm acquirenda, ſed qui ſine vi, ac fraude conſulit egreſſum Religioſo profeſſo, priuat Religionem eo iure; ergo peccat contra iuſtitiam, & conſequenter tenetur ad damna, quæ Religioni ex tali iniuſtitia ſequuntur. Minor patet, quia priuando Religionem ſuo Religioſo, priuat etiam illam illo iure, quod ratione illius habebat. Maior probatur, quia ratione profeſſionis in aliis Religionibus, & ratione votorum ſimplicium poſt biennium nouitiatus in noſtra Religione Societatis, Religioſus manet obligatus Religioni, & hæc acquirit ius iuſtitiæ in eius perſonam, & in omnes operationes illius, & conſequenter, ſi Religio eſt capax acquirendi, acquirit ius in omnia bona, quæ ratione perſonæ talis Religioſi, vel operationum, & actionum illius ei cum morali probabilitate obuenirent.

Molina.

Aut Religioſum Societatis Ieſu poſt vota bienny.

Si ab huiuſmodi authoribus petas, an hoc ius, quod Religio acquirit, ſit, propriè loquendo, ius rigoroſæ, & commutatiuæ iuſtitiæ; variè reſpondent nam Molina *citatus, §. Priorem verò, ad finem*, ait, non eſſe propriè ius rigoroſæ iuſtitiæ, quia prouenit ex voto, quo Religioſus ſe tradit, & obligat Religioni ad obediendum, ſeruiendum, & laborandum iuxta regulam, & inſtitutum prædictæ Religionis, addit tamen Molina *ibi* eſſe quaſi ius iuſtitiæ, quia ex eo quòd prædictus Religioſus ſe obligauit ad ſeruiendum, Religio acquiſiuit ius aliquod ad actiones eius, & omnes prouentus illarum, quemadmodum hæres ex voto reali defuncti, quo aliquid donum promiſit Eccleſiæ, tenetur illud ſoluere ex iuſtitia, qui Eccleſia mediante tali voto acquiſiuit quaſi ius iuſtitiæ ad rem promiſſam per tale votum.

3. *An ius quod Religio acquirit poſt profeſſionem in ſuum Religioſum ſit propriè ius iuſtitiæ.*

Vaſquez, & Turrianus *allegati* admittunt ius iuſtitiæ propriæ, & rigoroſæ proueniens ex eo quòd ſuperior habeat ius præcipiendi ſubdito, vt operetur, & mediante hoc labore aliquid lucretur Religioni, & in eo caſu priuatur hoc iure. Verùm nec prima reſponſio Molinæ, nec hæc vltima Vaſquez & Turriani placent,

Vaſquez. Turrian.

Primò, quia conſulens in tantum peccat, in quantum ſuo conſilio inducit Religioſum ad peccandum; ſed Religioſus ſolùm violat ius obedientiæ egrediendo, & non iuſtitiæ; ergo etiam conſulens huiuſmodi tantùm ius offendet, ſuadendo illi egreſſum, & non ius iuſtitiæ, ac proinde non obligabitur ad reſtitutionem. Maior eſt certa. Minor probatur, quia ille Religioſus ex vi voti tenetur perſeuerare, & non egredi à Religione, non ex vi iuſtitiæ, ac proinde egrediendo non peccat contra iuſtitiam, ſed contra votum obedientiæ, & confirmatur, quia ſi talis Religioſus poſt huiuſmodi egreſſum maneret in ſæculo cum facultate, & diſpenſatione Summi Pontificis,

&

& eum eadem beneficium, vel penſiones Eccleſiaſticas obtineret, non tenetur ex prædictis redditibus præterita damna Religioni reſtituere; ergo peccauit ſolùm contra obedientiam egrediendo. Confirmatur adhuc, quia ipſe Religioſus egrediens eſt cauſa exequens principalis, & immediata illius damni; conſulens verò eſt cauſa minus principalis, ſed quando cauſa principalis deobligatur à reſtitutione, & non peccat contra iuſtitiam, minus etiam principalis conſequenter deobligatur, & contra iuſtitiam non peccat.

Secundò, quia Religio non habet ius ſtrictum in bona acquirenda labore, operatione, & induſtria Religioſi, neque enim Religioſus tenetur de iuſtitia laborare præcipiente ſuo ſuperiore, vt aliquid acquirat, ſed ſolùm ex obedientia; ergo conſulens egreſſum, qui priuat Religioſum occaſione obediendi, mediante qua laborare poterat, & acquirere aliquid Religioni, non priuat ipſa Religionem bonis ſibi ex iuſtitia debitis. nam ſi Religioſus manens in Religione, nollet iubente ſuperiore operari, peccaret tantùm contra obedientiam, non contra iuſtitiam, & conſequenter non teneretur reſtituere illa lucra ceſſantia Religioni; ergo etiam neque conſulens. nam Religioſus non obligatur Religioni, vt mercenarius, cuius opera ſunt debita ex iuſtitia ſoluenti pretium mercedis, ſed vt filius reſpectu patris; quis autem obligabit filium ad reſtitutionem, ſi præcipiente & iubente patre, noluerit laborare, cùm tamen ſi laboraret, poſſet parentem ditare.

5. Alij dicunt hoc ius eſſe propriè iuſtitiæ commutatiuæ, & oriri immediatè ex ipſa profeſſione, quæ nihil aliud eſt, quàm contractus quidam oneroſus, vltro citròque obligatorius, quo profeſſus fidem ſuam adſtringit Deo, & obligatur Religioni ad permanendum in ea, & non egrediendum, & ad laborandum, & ſeruiendum in omnibus, in quibus iuſſus fuerit iuxta Religionis inſtitutum, & Religio ipſa Dei nomine per ſuos ſuperiores obligatur Religioſo ad alendum eum, tractandum, & retinendum ſecundùm Religionis inſtitutum, vt docet Nauarrus *lib.* 3. *conſil. titulo de Regular. in* 1. *edit. conſilio* 5. *num.* 1. *in ſecunda conſilio* 26. *num.* 1. Azor *tom.* 1. *num.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſ.* 5. *in fine.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 25. *num.* 11. *ad finem.* Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 2. *à num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 14. *&* 19. & idem Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 6. *cap.* 9. *à num.* 7. omnis autem contractus vltro citròque obligatorius inducit ex vtraque parte obligationem iuſtitiæ. Vnde ſicut ſi Religio abſque vlla cauſa negaret victum, & veſtitum Religioſo, aut eum eiiceret, peccaret contra iuſtitiam, quia frangeret contractum ortum ex ipſa profeſſione, & poſſet eam Religioſus in foro externo obligare ad ſe alendum extra Religionem, niſi vellet eum iterum admittere: ita viciſſim poteſt Religio obligare Religioſum ex iuſtitia ad laborandum intra Religionem decenter ad ſuum ſtatum legendo, vel docendo, vel concionando, aut aliter intra Monaſterium iuxta ſuum ſtatum laborando, & in foro externo per legitimos iudices ad id poterit prædictum Religioſum obligare, vt contractus ſit ex vtraque parte æqualis: & conſequenter debent dicere huiuſmodi authores non ſolùm peccare contra obedientiam prædictum Religioſum ſi iuſſus noluerit laborare, ſed etiam contra iuſtitiam, quia frangit præceptum obedientiæ, & contractum tacitè promiſſum in profeſſione, & teneri hanc duplicem circumſtantiam in confeſſione explicare, quia vtraque inducit ſuum peccatum diuerſum ſpecie ab alio, vnum contra obedientiam, alterum contra iuſtitiam: & debent etiam addere teneri ipſum Religioſum reſtituere Religioni eo modo, quo poteſt damnum, quod illi illius cauſa prouenit, ſi iuſſus laborare noluerit, cedendo, v.c. vſu rerum, ſi quas de licentia ſuorum ſuperiorum habet, quæ ſibi non ſunt adeò neceſſariæ, eumque Religioni ad vſum aliorum Religioſorum dimittendo, aut in poſterum fortiùs laborando, vt damnum datum reſarciat, hæc enim duo corollaria neceſſariò ex hac explicatione reſultant, vt conſideranti patebit; quòd verò inter Religionem & Religioſum detur contractus ex iuſtitia, probatur, quia profeſſio eſt quædam donatio, vel traditio, per quam Religioſus ſe tradit Religioni, ſed per traditionem, & donationem acquiritur verum dominium. ergo verum ius iuſtitiæ. ergo Religio ex vi profeſſionis acquirit verum ius iuſtitiæ in perſonam Religioſam, quod ius violatur in extractione; ergo Religioſus egrediendo peccat contra iuſtitiam, & conſequenter conſulens talem egreſſum contra iuſtitiam peccabit.

Nauar.

Azor.
Sanchez.
Suar
Leſſius.

Secunda ſententia negat teneri extrahentem, & Religioſum extractum ad vllam reſtitutionem Religioni de iuſtitia faciendam in prædicto caſu, ita docet Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 3. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſt. cap* 2. *num.* 23. Sayrus *in claui Regia, lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 30. Leſſius *lib.* 2. *cap* 8. *dub.* 3. *num.* 16. vbi dicit eſſe probabilem. Malderus *tract.* 8. *dub.* 3. *dicto* 3. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 6. *puncto* 5. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 7. *quæſ.* 8. & alij. Fundamentum illorum eſt, 6.

6. *Sententia ſecunda.*
Sotus.
P Nauarra.
Sayrus.
Leſſius.
Malder.
Valent.
Filliuc.

Primò, quia lucra futura, quæ Religioſus acquiſiturus erat in Religione, non debebantur de iuſtitia ipſi Religioni, nec Religioſus de iuſtitia tenebatur in Religione permanere, aut in ea laborare, ſed ex voto, & obedientia; ergo qui illa impedit, non tenetur illa de iuſtitia Religioni reſtituere. Conſequentia eſt bona. Antecedens probatur, quia Religioſus ex vi profeſſionis non ſe obligat de iuſtitia ad manendum in Religione, & laborandum in ea, ſed ſolùm ex obedientia ad parendum Prælato; ergo lucrum reſultans ex illo labore non eſt debitum ex iuſtitia, nec peccat contra iuſtitiam ipſe Religioſus egrediendo.

Secundò, quia ſi Religioſo manenti in Religione aliquis conſilium daret, aut ſuaderet, ne laboraret, vel nè permitteret ſibi fieri aliquas donationes, vel eleemoſynas, non illas teneretur reſtituere Religioni, quia non erant debitæ de iuſtitia, ſed ſolùm pendebant ex voluntate Religioſi, & ex voluntate donantium, quæ ſimiliter non erant de iuſtitia debitæ.

Tertiò, quia quamuis tam Religioſus egrediens, quàm conſulens egreſſum, faciant aliquam iniuriam Religioni communi modo loquendi, tamen hæc iniuria non eſt directè contra iuſtitiam, ſed eſt ſacrilegium quoddam contra virtutem Religionis, quia obligatio permanendi in Religione non oritur ex contractu, ſed ex voto; ex violatione autem voti perſeuerandi nulla reſultat obligatio reſti

reſtitutionis, quia non datur ibi peccatum iniuſtitiæ.

Quartò, quia licèt admittamus dari ibi peccatum iniuſtitiæ contra Religionem, ſeu Monaſterium, adhuc negamus dari tam in Religioſo, quàm in conſulente obligationem reſtituendi prædicta lucra ceſſantia, & damna, quæ in Religione eueniunt, quia in eo caſu duo conſiderari poſſunt.

Primum eſt ipſa egreſſio, quæ repugnat perſeuerantiæ, & reſpectu huius datur vera iniuſtitia, quia perſeuerantia ex vi traditionis debetur de iuſtitia Religioni.

Secundum eſt voluntas laborandi, & procurandi ea emolumenta, cui opponitur priuatio talis voluntatis, & priuatio etiam procurandi Religionis commoda, & bona; ſed hæc voluntas non eſt debita iuſtitia; ergo nec eius priuatio eſt contra iuſtitiam; ergo etiam conſulens talem priuationem non peccabit contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem vllam tenebitur. Nec obſtat hæc omnia damna fundari in ipſa extractione à Religione; quare cùm extractio ſit iniuſta, ea omnia oriri ex iniuſtitia, & conſequenter eſſe reſtituenda. Reſpõderi enim poteſt exactione iniuſta naſci ſemper obligationem reſtituendi damna, quæ per ſe & immediatè inferuntur ex tali actione; at in noſtro caſu quamuis ſupponatur actio illa, & egreſſio iniuſta, tamen hæc non eſt immediata cauſa illorum damnorum, ſed voluntas ipſius Religioſi, quia quamuis non egrederetur, & non operaretur in Religione, non teneretur ad reſtitutionem. ergo nec conſulens teneretur ad illam, ſi id conſuleret.

7. Neque etiam obſtat argumentum, quod deduci poteſt ex *cap. ſi ſeruus, diſt.* 54. vbi Epiſcopus ſcienter ordinans ſacris Ordinibus ſeruum alienum inuito domino, tenetur reſtituere lucrum, quia facit contra ius domini extrahendo hoc modo ſeruum ab eius ſeruitio. Nec etiam obſtat quòd ille, qui ſeruo ſuadet fugam, vel otium, tenetur domino reſarcire, & quòd Religioſus in iure æquiparatur ſeruo, vt notat Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 8. nam licèt Religioſus in aliquibus comparetur ſeruo ratione humilitatis, non eſt tamen tam ſubiectus Religioni, & ſuperiori ſuo, quàm ſeruus domino, quia dominus habet verum dominium in ſeruum, poteſtque illum vendere, & donare, non tamen habet Religio, & Superior hoc dominium in Religioſum. Deinde, quia Religioſus reſpectu Religionis, & Prælati eſt filius ſpiritualis, quæ eſt tertia ſpecies filiationis, differtque à filio naturali, & adoptiuo, & licèt Religiones ſint capaces dominij, non tamen capaces illius Religioſi ſunt. Tandem quia, qui ſuadet ſeruo fugam, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad æſtimationem ipſius ſerui, quia ille tenetur ſe domino reſtituere, eo modo quo diximus *in* 4. *lib.* & præcepto huius operis, vbi de obligatione ſeruorum in dominos egimus, & in hoc libro vbi de furtis mancipiorum tractauimus, & quia ſeruus eſt res domini, & qui illi ſuadet fugam, ſuadet conſequenter furtum ſui; at Religioſus non eſt res ſuperioris, & Religionis, ideo qui illi ſuadet, & conſulit egreſſum, non illi ſuadet furtum, vt patet.

Suar.

8. Et licèt, qui ſuadet ſeruo otium, teneatur ad reſtitutionem damnorum quæ ſequuntur, quod tamen negat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 10. qui exiſtimat ſeruum non obligari ex iuſtitia ad operandum, ſed ex obedientia, ac proinde quando ipſe ſine conſilio alterius otiatur, non teneri domino reſtituere damna, quæ illi inde ſequuntur, & in hoc differre à mercenario, quia iſte immediatè conducitur ad operandum, & accipit pretium pro labore, & opere, & ideo ſi otietur, tenetur reſtituere: tamen qui ſuadet Religioſo fugam, & otium, non ideo tenebitur ad reſtitutionem, ſi Religioſus fugiat, aut non operetur, quia ſeruus eſt poſſeſſio domini primò, & per ſe ordinatus ad illius vtilitatem temporalem. At Religioſus non ordinatur primò & per ſe in vtilitatem temporalem Prælati, & Religionis, ſed ad propriam vtilitatem ſpiritualem, vt communiter docent Doctores, & notat Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 22. & Saytus *in claui Regia, lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 32.

Leſſius.

Suar.
Saytus.

Ita ſe habent hæ opiniones, vtraque ſatis probabilis. Prima tamen probabilior eſt, & fortiores rationes habet: & in ea hæc tria videntur mihi probabiliora. 9.

Primum eſt conſulentem, & ſuadentem fugam Religioſo peccare contra iuſtitiam, quemadmodum peccat Religioſus fugiendo, vt probant rationes, & authores pro prima opinione allegati.

Secundum eſt teneri ipſum Religioſum reſtituere ea omnia bona Religioni, quæ iam in Religione habebat acquiſita, ſi Religio, cauſa fugæ, & egreſſus illius, illa amiſit, vel damnum aliquod in illis accepit, v.c. bona, quæ titulo hæreditatis pertinebant ad talem Religioſum, & in quæ iam Religio ius habebat acquiſitum, & quæ titulo donationis ei iam data erant, & quæ iam proprio labore acquiſierat, dum etiam erat in Religione, & conſequenter teneri etiam conſulentem, & ſuadentem fugam in defectum illius ea omnia reſtituere. Et ratio eſt, quia profeſſus quicquid acquirit, Religioni acquirit, vt omnes concedunt, & probat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 10. *&* 11. & Sanchez *tom.* 2. *Decalogi, lib.* 7. *cap.* 12. ergo ſi in huiuſmodi bonis iam acquiſitis defraudetur Monaſterium, vel Religio ratione iniquæ extractionis, neceſſariò ſunt reſtituenda.

Leſſius.
Sanchez.

Tertium eſt, quando Religioſus extractus extra Religionem de facto non acquirit, ſi tamen in ea maneret, acquireret docendo, vel concionando, licèt huiuſmodi lucra ceſſent ratione ipſius extractionis, nec ipſum Religioſum, nec conſulentem, aut ſuadentem fugam teneri ea reſtituere. Ratio eſt, quia hæc lucra non erant acquiſita, ac proinde Religio nondum habebat ius quæſitum in illis, nec ea bona erant veluti incorporata, & vnita bonis Religionis, haberet tamen, & incorporarentur mediante voluntate Religioſi, ſi ipſe Religioſus non fugeret, aut vellet operari, ſed Religioſus ſine iniuſtitia poterat non habere hanc voluntatem, & non operari; ergo qui illi ſine vi, & fraude ſuaſit prædictam omiſſionem, ſuadendo fugam, non eſt cauſa iniuſta, à qua immediatè oriatur illud damnum, & conſequenter non tenetur ad reſtitutionem, & hoc eſt, quod docent omnes authores citati pro ſecunda opinione.

At dices, qui ſuadet fugam, vt admittimus, peccat contra iuſtitiam; ergo tenetur reſtituere lucra ceſſantia, quæ ex tali fuga Religioni obuenerunt. nam ſi ipſe maneret in Monaſterio, laboraret, & quia fuga iniuſtè ſuaſa, 10. *Inſtantia.*

ſuaſa, & conſulta fuit in cauſa non laborandi, & non acquirendi, neceſſariò dicendum eſt teneri conſulentem, & ſuadentem illam in defectum ipſius Religioſi ad hanc reſtitutionem, quia qui cauſa eſt damni alteri, tenetur illud ei reſtituere ſi cauſa fuit efficax, & de facto illud ei dedit.

Soluitur. Reſpondeo id eſſe probabile, & id videri velle probare authores omnes primæ opinionis, vt conſtat ex illorum fundamentis, & rationibus. At probabilius eſt id, quod diximus, quia fuga non fuit cauſa proxima, & immediata priuationis, & damni reſpectu lucri ceſſantis, & boni acquirendi, ſed damni emergentis, & bonorum iam acquiſitorum, & quæ iam erant in Religione incorporata, cauſa enim proxima, & immediata damni lucri ceſſantis, quo Religio priuatur, eſt voluntas ipſius Religioſi, qua volendo fugam, noluit laborare, & acquirere, & ſicut, qui ſine vi & fraude, ſuaderet Religioſo manenti in Religione ne laboraret, non teneretur ad reſtitutionem, ita neque qui conſulit fugiat, quia perinde eſt ac conſulere, vt fugiendo non laboret.

11. Ex dictis concordatæ manent hæ duæ opiniones; vt prima procedat de bonis acquiſitis, non acquirendis; ſecunda de bonis acquirendis, non acquiſitis, & quamuis ex vi contractus tacitè celebrati in profeſſione, inter Religioſum, & Religionem, de quo egimus *in num.* 5. teneatur Religioſus de iuſtitia permanere in Religione, non effugere, & in ea laborare, & operari, iubente, & præcipiente ſuperiore; tamen, id intelligendum eſt, modò Religioſus præcipiatur, & mediante hoc præcepto obligat iuſtitiæ contractus; quare cùm mediante præcepto, & voluntate Religioſi obliget, inde fit, vt non teneatur Religioſus, nec conſulens ad lucra ceſſantia, quæ ex fuga Religioni prouenire poſſunt, quia ipſa fuga non eſt directa, & immediata cauſa illorum; cùm verò ſit directa, & immediata cauſa bonorum iam acquiſitorum, ad illa tenetur ipſe Religioſus primò, & principaliter, in defectum verò illius tenetur conſulens.

12. *Alterum dubium de eo qui per vim extrahit aliquem Religioſum profeſſum à Religione.* Secundum dubium eſt, vtrùm, qui per vim, & fraudem extrahit talem Religioſum profeſſum à Religione, teneatur ad prædicta damna. Et in hoc dubio tria ſunt certa.

Primum eſt teneri ad tollendam vim, & fraudem, ſi adhuc durat.

Secundum eſt poſtquam remouet, ac tollit cauſam iniuſtam, vimque & fraudem, non teneri ad damna, ſi poſtea in futurum ſequantur aliqua, quia ceſſante cauſa iniuſta, iam non imputantur damna extrahenti, ſed ipſi Religioſo.

Tertium eſt, reſpectu extractionis conſiderari duplicem iniuſtitiam.

Vna eſt ratione ſuaſionis ad egreſſum, quæ opponitur perſeuerantiæ debitæ ex iuſtitia, vt eſt probabilius.

Altera eſt ratione violentiæ: & ratione prioris tenetur reſtituere damna in bonis iam acquiſitis. Ratione poſterioris dubium eſt, an teneatur reſtituere lucra ceſſantia, ſeu bona acquirenda, quæ ipſe Religioſus acquirere poterat, ſi in Religione maneret, & quæ pro eo tempore, quo cauſa iniuſta durauit, non acquiſiuit. Pars affirmatiua eſt communior, eam tenet Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 16. Malderus *tract.* 8. *dub.* 3. *dict.* 3. & alij omnes citati *num.* 2. Ratio eſt, quia qui per iniuriam & fraudem impedit aliquem à conſecutione bonorum, quæ ſibi de iuſtitia non erant debita, vt à conſecutione legati, officij, aut hæreditatis, tenetur ad reſtitutionem faciendam pro valore maioris, aut minoris ſpei conſequendi ille, qui per iniuriam, ſeu vim, & fraudem fuit impeditus, vt ſuprà *capite præcedenti* diximus, erat enim illa ſpes pretio æſtimabilis, & quamuis legans, aut officium, vel beneficium largiens mutari poterat, & non largite, nec legare, ideo id in æſtimatione detrahendum eſt, pertinet enim id ad maiorem, vel minorem ſpem conſequendi, & comparandi prædicta bona, vt patet; quare ea reſtitutio arbitrio prudentis facienda eſt conſideratis omnibus circumſtantiis, quæ augere, vel minuere poterant hanc ſpem, quæ eſt pretio æſtimabilis. Atqui in noſtro caſu per iniuriam, per vim, & fraudem impeditur Religioſus à voluntate acquirendi ea bona, & lucra Religioni; ergo impediens tenetur illa reſtituere, quæ reſtitutio arbitrio prudentis facienda etiam eſt.

Leſſius. Maldez.

Si obiicias, illa vis, & fraus ſolum eſt cauſa proxima, per ſe & immediata ipſius extractionis, non verò omiſſionis procurandi ea lucra, cauſa enim immediata huius omiſſionis fuit voluntas ipſius Religioſi extracti, ac proinde ſolùm obligari inferentem vim, & fraudem ad reſtituendum Religioſum, non ad lucra ceſſantia. 13. *Obiectio.*

Diluitur. Reſpondemus enim illam vim & fraudem eſſe cauſam immediatam, tam reſpectu extractionis, quàm reſpectu omiſſionis, quia in vtramque influit per ſe; & ex natura ſua eſt iniuſtitia. At conſilium ſimplex, & ſimplex ſuaſio ſine vi, & fraude in tantum eſt contra iuſtitiam, in quantum mouet ad iniuſta, ſeu ad ipſam iniuſtitiam, & ideo conſulens ſine vi, & fraude ſolùm eſt cauſa extractionis immediata, & per ſe, non omiſſionis acquirendi prædicta bona; vnde fit, vt ille qui per vim, & fraudem fugam conſuluit, teneatur ad reſtitutionem tam damni emergentis, quàm lucri ceſſantis, hoc eſt, ad reſtitutionem tam damni dati in bonis acquiſitis, quàm in acquirendis; ille verò, qui ſine vi, & fraude eam conſuluit, teneatur ſolùm ad reſtitutionem damni dati in bonis acquiſitis, non in acquirendis, ſeu (quod idem eſt) ad reſtitutionem damni emergentis, non lucri ceſſantis.

CAPVT XXXIII.

Soluuntur alia dubia tam ad reſtitutionem furti, quàm ad modum, & ordinem reſtituendi ſpectantia.

SVMMARIVM.

Vtrùm debita certa prius ſoluenda ſint, quàm incerta, quamuis debita incerta ſint antiquiora, numero 1. *Si res eadem, quæ fuit furto ablata, cuius dominus ignoratur, exiſtit in manu furis, prius illa eſt reſtituenda pauperibus, quamuis nihil ſuperſit ad reſtituendum creditoribus certis.* *ibid.*

Quando debitor habet debita incerta, & ſimul habet debita certa, prius ſoluenda ſunt certa, quamuis nihil ſuperſit ad ſoluenda debita incerta, num. 2. 3. *&* 4.

An debita ex delicto, v. c. ex furto, prius ſoluenda ſint, quàm debita ex contractu, à n. 5. vſque ad 8.

Vtrùm in aliquibus caſibus debitum ex contractu præferendum ſit debito ex delicto, à num. 9. vſque ad 13.

An debita ex contractu licito præferenda ſint debitis ex contractu illicito, & vſurario. num. 13.

An debita ex contractu vtrinque oneroſo præferenda ſint debitis ex contractu gratuito, v.c. ex promiſſione liberali acceptata. num. 14. & 15.

An debita vtrinque oneroſa præcedant legatis, quæ teſtator relinquit certis, & determinatis etiam perſonis. num. 16.

An hæres teneatur ſoluere rem legatam, aut valorem illius quando conditor teſtamenti adhuc viuens illam alienauit ex donatione gratuita. num. 17.

Quid ſi illam alienauit ex venditione, aut alio contractu oneroſo. num. 18.

Legatum à debitore relictum creditori ſub conditione, vt creditor eo ſit contentus pro debito, eo ipſo quòd acceptatur à creditore, nihil ei amplius debetur, quamuis debitum ſit maius. num. 19.

An quando debitor relinquit creditori ſuo aliquod legatum ſine declaratione, quod illud ei pro debito relinquit, computandum ſit tale legatum cum debito, quando aliunde non conſtat, teſtatorem voluiſſe, vt computaretur. num. 20. & 21.

1. EST hæc quæſtio grauis de præferentia debitorum, & ideo aliquantulum in ea immorabimur: ne tam vtili, & neceſſaria doctrina, lectores, & amicos fraudemus, & per dubia, & quæſtiones peculiares illam tractabimus, vt faciliùs hæc doctrina addiſcatur, dubia enim particularia, cùm breuia ſint, faciliùs memoriæ adhærent.

An debita certa priùs ſoluenda ſint, quàm incerta, quamuis debita incerta ſint antiquiora. P. Nauarra. Valentia. Tolet.

Primum igitur dubium eſt, vtrùm debita certa prius ſint reſtituenda, quàm incerta, quamuis debita incerta, ſint antiquiora. In hoc dubio certum omnino eſt, quando apud debitorem exiſtunt eædem res numero, quorum domini ignorantur, diſtribuendas eas eſſe pauperibus, quamuis nihil aliud ſuperſit ad ſoluenda debita certa: ita Petrus Nauarra *lib. 4. de reſtitutione, cap. 6.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. puncto 1.* Toletus *in ſumma lib. 5. cap. 25. num. 1.* vbi aſſerit debere debitorem, quando habet apud ſe rem alterius, quocumque modo illam habeat, ſiue furto ablatam, ſiue depoſitatam, ſiue inuentam, priùs reſtitutionem facere ipſius rei domino, ſi non ignoratur, vel pauperibus, ſi dominus ignoratur, quia illa res nondum tranſiuit in habentis dominium, docet etiam Molina *tom. 3. diſp. 760. §. Quamuis autem.* Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 1. num. 4.* Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 36. §. Secundò notandum.* Sayrus *lib. 1. tract. 5. cap. 10. num. 4.* Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 11. in principio*, propono rem exemplo. Inter bona debitoris inuenitur calix, torques, equus, liber, vel quid ſimile, de quibus conſtat fuiſſe furto ablata; ignoratur tamen in particulari cui perſonæ, vel Eccleſiæ furata ſint, tunc calix tradendus eſt Epiſcopo, vt illum applicet alicui Eccleſiæ, & alia furta ſi facta priùs debita diligentia, domini non appareant, aut Eccleſia cuius ſit calix, applicanda ſunt pauperibus, aut operibus piis, quicquid ſit de debitis certis. Fundamentum eſt, quia res illæ in indiuiduo extant, & ſunt alienæ, vt conſtat, ſed debitor non poteſt ſoluere debita certa ex bonis alienis, ſed ex propriis ſuis; ergo illæ res, quæ in indiuiduo ſunt alienæ, reſtituendæ ſunt illis, ad quos in eo ſtatu pertinent, quales ſunt pauperes, & non aliis creditoribus.

Molina. Leſſius. Azor. Sayrus. Vaſq.

2. *Quando debitor habet debita incerta, & ſimul certa, quæ priùs ſoluenda ſint.*

Quando verò debitor habet debita incerta, quia multa, v.c. malè acquiſiuit, quæ iam non extant, & ſimul habet debita certa, & habet propria bona, quæ non ſufficiunt ad ſatisfaciendum vtriſque creditoribus certis, & incertis, communis ſententia eſt teneri priùs reſtituere debita certa, quamuis nihil ſuperſit ad incerta, & quamuis incerta ſint priora. Ita Authores *numero præcedenti* allegati, & Emanuel Rodriguez *tom. 2. ſummæ cap. 46. num. 2.* Ratio in promptu eſt, quia quando concurrunt duo præcepta, vnum naturale, & alterum humanum, ſi vtrumque ſimul ſeruari non poteſt, fortius eſt ſeruandum, & præcedit obligatio naturalis, quia eſt fortior, & in iis circumſtantiis ceſſat, vel ſuſpenditur obligatio ex præcepto humano; ſed obligatio ſoluendi debita certa eſt de iure naturali, & obligatio diſtribuendi debita incerta pauperibus, probabile eſt quòd ſit de iure humano; ergo debitor non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur præferre obligationem naturalem, & priùs ſoluere creditoribus certis, his enim fit iniuria non ſoluendo, quia ſunt determinati, & certi, quia habent ius ſtrictum; pauperibus verò, vel cauſis piis non fit iniuria. Rodrig.

3. *Obiectio.*

Obiicies primò, quando eadem res numero, quæ fuit ablata, cuius dominus ignoratur, extat apud debitorem, non tenetur debitor de iure naturali eam applicare pauperibus, quamuis in eo caſu diuidenda ſit potius pauperibus, quàm reſeruanda creditoribus ignoratis, vt *num. 1.* diximus; ergo ex eo quòd obligatio reſtituẽdi debita certa, ſit de iure naturali, non præfertur obligationi reſtituendi debita incerta. Reſpondeo eſſe diuerſam rationem, quia quando res adhuc extat eadem numero, datur obligatio naturalis deſumpta ex re accepta, non retinendi illam, & præter hanc obligationem datur alia humana, quæ determinat, cui applicanda ſit, ac proinde in eo caſu ius naturale non obligat ad ſoluendum creditori certo cum tali re, quæ eſt ſimpliciter aliena: at poſtquam res iam non extat, & debitor habet alia bona propria, quorum eſt verè dominus, tunc ex talibus bonis propriis obligat ius naturale ad ſoluendum priùs creditoribus ſuis. An verò ſi debitor faceret compoſitionem cum Bulla *Cruciata*, circa talem rem incertam, cuius dominus ignoratur, adhuc exiſtentem, teneretur cum illa ſoluere debita certa, eſt dubium; cui reſpondendum eſt affirmatiuè, quia tunc ex vi compoſitionis, iam res illa facta eſt propria, & idem eſt ſi ex authoritate Principis, vel ex alio capite propria fieret, vt notant Sayrus *in claui Regia, lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 5.* & Molina *tom. 3. lib. 4. cap. 36. §. Dubium eſt.* *Solutio.* Sayrus. Molina.

4. *Alia obiectio.* Couar. Arag. Rodrig. Molina.

Obiicies ſecundò, obligatio dandi pauperibus debita incerta poſtquam res eædem numericè non exiſtunt, etiam eſt de iure naturali, vt docet Couarruuias *ad reg. peccatum, part. 3. num. 2.* Aragonius *2. 2. quæſt. 62. art. 5. ad 3.* Rodriguez *in ſumma part. 2. cap. 41. concluſ. 8.* Molina *tom. 4. diſp. 746. §. cum communi tamen*, & alij; ſed tunc concurrunt duo præcepta naturalia; ergo vtrumque æqualiter obligat, & conſequenter non ſunt præferenda debita certa; ſed bona debitoris æqualiter diuidenda ſunt inter pauperes & creditores certos. Reſpondeo in ea opinione Couarruuiæ, & Molinæ, argumentum magnam vim habere, difficilémque eſſe rationem, ob quam in eo caſu præferantur bona debita certa, & ideo Molina *Diluitur.*

modò

modò allegatus §. *quamuis autem*, inclinat in hanc partem quòd bona debitoris ſint æqualiter diuidenda inter pauperes, & prædictos creditores certos, exiſtimat enim dari æqualem obligationem inter ipſos pauperes, & creditores certos, quia non tam conſiderandum, inquit, eſt ius pauperum, quàm ius prioris domini, quem repræſentant pauperes. At in opinione alia, quæ docet non deberi pauperibus de iure naturali, ſed de iure humano, in eo caſu reſtitutionem; argumentum vim perexiguam habet, quia quamuis prior dominus, quem pauperes repræſentant, habeat ius ſtrictum, tamen ſuppoſita incertitudine ipſius domini, deuoluitur ius determinandi ad ſupremum Principem, quid faciendum ſit de ipſis debitis, ipſe verò iam determinauit, quòd dentur pauperibus ſi id fieri poſſit ſine iniuria tertij: & cùm in noſtro caſu dentur creditores certi, quibus fieret iniuria, & præiudicium, vult Princeps, vt his potiùs ſatisfaciat ex bonis debitoris, quia hoc magis ſpectat ad bonum commune. Sed nihilominus perſiſtendo in prima opinione dico ius naturale habere magnam latitudinem; quædam enim principia iuris naturalis obligant rigoroſiùs, alia minus rigorosè intra idem ius; vnde cùm res eædem numero certæ, & determinatæ, quorum domini ignorantur, extant, obligat rigoroſum ius naturæ, vt eædem diuidantur æqualiter inter pauperes, & creditores certos. Cùm verò iam non extant, & conſumptæ ſunt, fortius ius naturæ poſtulat vt bona debitoris diuidantur inter creditores certos, relictis pauperibus; quia ſuppoſito quòd tales res iam non extent, & ſuppoſita incertitudine priorum creditorum, in quorum ius pauperes ſuccedunt, ius naturæ dictat, fortius eſſe ius certorum, quàm incertorum creditorum.

5. *An debita ex delicto prius ſoluenda ſint, quàm debita ex contractu.* Secundum dubium eſt, vtrùm debita ex delicto. v. c. ex furto prius ſint reſtituenda, quàm debita ex contractu, ſecluſo priuilegio aliquo, quo aliquis in ſolutione præferatur.

Sētētia prima. Salon. Rodrig. Medina. Leſſius. Prima ſententia docet debita ex delicto præferri debitis ex contractu iuſto. eam tenet Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8. Emanuel Rodrig. *in ſumma part.* 2. *cap* 46. *concluſ.* 11. Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 2. *ſolut.* 9. & eam non improbabilem iudicat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14. *in fine*, & in eam propendet D. Thom. *opuſc.* 75. *cap.* 10. Ratio illorum eſt, quia fur iſte tenetur reſtituere ex duplici titulo, primò ratione iniuſtæ acceptionis, ſecundò ratione iniuſtæ retentionis: debitor autem ex contractu licito ſolùm ex vno titulo, tenetur reſtituere, nempe ratione iniuſtæ retentionis. Addit etiam hæc opinio inter debita certa prius eſſe faciendam reſtitutionem debitorum, licitè contractorum, quàm vſurarum, quia in vſuris acceptis dominus non fuit ſimpliciter inuitus. & ita addit Tabiena *verb. reſtitutio*, §. 25. & Toletus *in ſumma cap.* 5. §. *tertia reg.* Rodriguez *tom.* 2. *ſummæ cap.* 46. *num.* 10. (Tabien. Tolet. Rodrig.) Nec obſtat quòd etiam vſurarius teneatur vſuras reſtituere ratione iniuſtæ receptionis, & iniuſtæ retentionis, quia maior iniuria fit ei, à quo per furtum res auferuntur, quàm fiat mutuatori, à quo vſurarius vſuras accipit, ſiquidem ipſe mutuator in vſuris non fuit ſimpliciter inuitus, ex quo etiam infertur debitum illud, quod ratione rapinæ debetur, præferendum quoque eſſe debitum, quod ratione tantùm furti debetur, quia maior iniuria fit ei, à quo per rapinam, & actualem violētiam res auferuntur, quàm ei, à quo per furtum illo inſciente ſuffurantur: & confirmatur, quia à maiori iniuria, & delicto prius eſt recedendum, nam alioqui quandiu quis non reſtituit, cenſetur in eo maiori delicto perſeuerare, & continuare.

Secunda docet debita ex contractu ex natura ſua eſſe præferenda debitis ex delicto, eam tenet Caietanus *verb. reſtitutio, cap.* 8. Medina *lib.* 1. *ſummæ, cap.* 14. §. 33. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 10. §. *quartò ex debitis.* Sylueſter *verb. reſtitutio* 6. *quæſt.* 5. *in fin.* Ratio illorum eſt. 6. *Sententia ſecunda.* Caiet. Medin. Valent. Sylueſter.

Primò, quia in contractu iuſto creditor dedit debitori rem æquiualentem, ſub eo onere, vt ſibi pretium, vel aliud æquale reſtitueret, & debitor ſe expreſsè obligauit; ergo dupliciter obligatur, primò ex re accepta, ſecundò ex voluntate expreſſa; in debito verò ex delicto obligatur ex re accepta, & ex voluntate tacita, velit enim nolit, quando quis furatur aliquid, tacitè ſe obligat ad reſtitutionem, quamuis expreſsè nolit ſe obligare, non ita tamen obligatur ex voluntate expreſſa, & ſic maior fit iniuria creditori cuius voluntas expreſsè offenditur, quàm creditori, cuius voluntas tacita violatur, vbi enim eſt maius inuoluntarium, maior iniuria, & offenſio datur; igitur ratione maioris iniuriæ, & obligationis præferendum eſt debitum ex contractu, debito ex furto. Confirmatur, quia creditor ex contractu iuſto ſcit & non ignorat illud debitum, creditor ex furto ignorat debitum, quia ignorat furem: nemo autem dubitauit maiorem iniuriam fieri ſcienti ſibi fieri, quàm ignoranti.

Secundò, quia qui à ſe voluntariè abdicauit dominium rei ſuæ, & illud cum eo onere ſoluendi in debitorem tranſtulit, magis illum obligauit, quàm alius, qui inuoluntariè ſe habuit; magis autem obligatus maiorem obligationem habet ſoluendi & reſtituendi, ſed creditor ex contractu iuſto magis obligauit debitorem ſuum, quia voluntariè à ſe abſtulit dominium rei, & illud tranſtulit in ipſum; quàm dominus rei furto ablatæ, qui nunquam tranſtulit dominium illius in furem; igitur ratione maioris obligationis præferendum eſt debitum ex contractu iuſto prædicto debito ex furto, vt de ſe patet.

Tertia ſententia verior, & probabilior, & ideo tenenda duo aſſerit. 7. *Sententia tertia.*

Primum eſt debita ex delicto, & ex contractu eſſe æqualia ex natura ſua, & nullam habere inter ſe præferentiam, bonaque debitoris eſſe pro rata cum proportione diuidenda inter huiuſmodi creditores.

Secundum eſt inter debita ex delicto nullum ſimiliter dari ordinem, nullam præferentiam, ſi inter ſe comparentur: hanc tenent Toletan. *lib.* 4. *de reſt. cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 43. Azor. *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 36. *quæſt.* 2. §. *hac opinio.* Sayrus *in claui regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *dub.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 3. Turrianus 2. 2. *diſp.* 19. *dub.* 2. Vaſquez *opuſcul. de reſtit. cap.* 11. *dub.* 2. vbi latè de hac materia, & Nauarrus *in ſumma Latina cap.* 17. *à num.* 88. (Tolet. Azor. Sayrus. Leſſius. Turrian. Vaſquez. Nauarr.)

Primum probant ex his fundamentis, primò, quia hîc radices reſtituendi, ſunt iniuſtitia, quæ datur in violatione contractus iuſti, & quæ datur in furto, ſeu in delicto; ſed neutra ex his iniuriis eſt maior, & efficacior altera; ergo nullum habent ordinem prioritatis. Maior & conſequentia eſt bona. Minor, in qua eſt difficultas, probatur primò, quia vtraque eſt obligatio ex iuſtitia, & quòd vna à principio coniuncta ſit cum peccato,

& altera non ſit, non confert maius ius creditori, vt patet, ſed ſolùm arguit maiorem culpam ex parte debitoris: ſecundò quia obligatio reſtituendi ſumitur ex damno, non ex iniuria præciſa ab illo; ergo quamuis debitum ex delicto inceperit cum iniuria, & debitum ex contractu inceperit ſine illa, parum refert ad ordinem reſtituendi: tertiò, quia quemadmodum poſtquam delictum factum eſt, retentio alieni eſt iniuſta; ita poſtquam elapſum eſt tempus ſtatutum in contractu ad ſoluendum, retentio ſolutionis eſt iniuſta, niſi detur cauſa excuſans.

Secundum quod aſſerit hæc opinio, probant illius authores, quia quemadmodum ex iniuria præciſa à damno non oritur obligatio reſtituendi, ita neque ex maiori iniuria maior obligatio; & quia reſtitutio eſt receſſus à peccato, quod committitur in retentione iniuſta, & hæc retentio non eſt diuerſi ordinis, quamuis in principio ſupponat maiorem culpam: tandem quia culpa dici poteſt maior, vel quia maius damnum intulit intenſiuè, vel extenſiuè, in quo ſenſu maius peccatum eſt furari centum, quàm decem, vel quia habet ſecum adnexam circunſtantiam violentiæ, vel ex alio ſimili principio: ſed ex eo quòd damnum ſit maius, ſolùm ſequitur obligatio reſtituẽdi maiorem quantitatem; non verò quòd detur ordo prioritatis, aut præferentiæ; ex circunſtantia verò violentiæ ſolùm ſequitur iniuria, ex iniuria autem, vt diximus, vt præſcindit à damno, ſolùm debetur ſatisfactio, non reſtitutio: atque ita manet hæc vltima opinio ſatis probata, & rationes aliarum ſolutæ.

8. Vtrùm verò ratione alicuius delicti, v. c. furti, vel vſuræ, bona vſurarij, vel furis ipſo iure, & facto maneant hypothecata pro debitis, & ratione hypothecæ præferenda ſint debitis ex contractu, vel ex aliis delictis non priuilegiatis, eſt alia quæſtio, quam tractat Molina *tom. 2. diſp. 329.* hîc enim ſolùm loquimur de his debitis, prout ex natura ſua conſiderantur.

Molina.

9. Tertium dubium eſt, vtrùm in aliquibus caſibus debitum ex contractu præferendum ſit debitis ex delicto: caſus de quo præcipuè dubitari poteſt, eſt quando quis rem vendidit, & tradidit emptori dilata ſolutione, & non accepit ab eo pretium, & res vendita adhuc manet eadem numero apud ipſum emptorem: tunc quæritur vtrùm ſi debitor non habeat bona ex quibus ſoluat hoc debitum, & alia ſi quæ habeat, teneatur priùs ſoluere venditori, vel illi tradere rem, quam ab eo accepit. Similis caſus eſt, ſi creditor dedit pecuniam mutuam alicui, vt aliquid emeret, & adhuc eadem pecunia exiſtit; idem etiam eſt de aliis rebus traditis ex quocumque alio contractu oneroſo. Et in hoc dubio duo ſupponunt & animaduertunt Doctores.

An in aliquibus caſibus debitum ex cõtractu præferendum ſit debito ex delicto.

Primum eſt, ſi res illa vendita ad Eccleſiam, vel ad fiſcum, aut ad minorem pertineat, prius ſoluendum eſſe creditori, Eccleſiæ ſcilicet, fiſco, vel minori ſuum debitum, quàm aliis, quia reſpectu harum perſonarum per traditionem talis rei non transfertur dominium donec pretium in re ſoluatur; idque ex priuilegio talibus perſonis conceſſo; ergo res adhuc manet ſub earum dominio, & conſequenter, ſi eis non detur pretium, poſſunt eam vendicare, vbicumque fuerit inuenta, vt ex aliis notat Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 2.* Et idem eſt de quacumque alia re, ſi venditio fiat, ſub ea conditione, vt non transferatur dominium per traditionem, donec pretium in re ſoluatur: ſimiliter ſi emptor tradat pignora venditori, tunc pignus manet obligatum pro pretio, non verò res vendita, quamuis extet, vt notat Malder. *tract. 4. cap. 6. dub 4.*

Leſſius.

Malder.

Secundum quod ſupponunt, & animaduertunt Doctores, eſt in iure dari quaſdam hypothecas prouenientes ex mutuo. v. c. ſi pecunia detur mutua ad reficiendam domum, nauem, prædium, vel ædificium ne pereat, vel ne deterius fiat, tunc domus, vel nauis manent obligatæ mutuanti ex tacita hypotheca, & idem eſt de pecunia quæ datur mutua ad portandas merces, vel ad conducendam domum in qua ſeruentur, vel ad conſeruandam quamlibet rem, huiuſmodi enim res cenſentur tacitè hypothecatæ tali pecuniæ, vt dicemus *infrà*, & tunc hoc debitum præfertur omnibus ratione hypothecæ ſpecialis, ſi debitor non habet aliunde alia bona vnde ſoluat, vt docet Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num. 52.* & notat Azor. *tom. 3. lib 4. cap. 37. à principio*; quomodo verò hoc intelligendum ſit, & quomodo huiuſmodi hypothecæ præferantur, ſunt aliæ quæſtiones, de quibus ſuo loco agendum erit; vide *caput 34. num 17. & caput 35.* quibus locis aliquid dicemus ad hanc rem ſpectans. His animaduerſis,

Nauar. Azor.

Quæſtio modò eſt, vtrùm in re vendita ſine pretij traditione, & ſine pignore, ſuppoſito quòd per talem venditionem tranſlatum ſit dominium in emptorem, quod fieri poteſt, ſi concedatur dilatio aliqua ad ſoluendum pretium, ſicut etiam transfertur per mutuum, vtrùm, inquam, in eo caſu res illa ex natura ſua maneat obligata pro pretio: qua de re partita eſt ſententia. 10.

An in re vẽdita ſine pretij traditione, vel ſine pignore, res illa ex natura ſua maneat obligata pro pretio.

Prima negat omnino, & conſequenter docet, hoc debitum non eſſe præferendum aliis: eam tenet Petrus Nauarra *lib. 4. de reſtit. cap. 6. dub. 1. num. 9.* Turrianus 2. 2. *diſp. 19. dub. 1. num. 6.* Malderus *tract. 4. dub. 4. cap. 6 § hac quidem.* Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap. 11. dub. 1. num. 16.* & alij. Fundamentum illorum eſt,

Sententia prima.

P. Nauar. Turrian. Malder. Vaſq.

Primò, quia talis res non habet hypothecam legalem, ſeu de iure poſitiuo, nullibi enim in iure de illa conſtat.

Secundò, quia non habet illam de iure naturali, quia contrahentes non ita conuenerunt, nec in pactum deduxerunt, vt res illa maneret obligata pro pretio, vt ſupponimus, aliter enim iam daretur hypotheca expreſſa.

Tertiò, quia non datur talis hypotheca ex vi contractus, quia venditor dominium rei tranſtulit abſolutè in emptorem ſine tali obligatione etiam tacita, ergo venditor ſolùm habet ius, ſeu actionem perſonalem in emptorem ſimplicem, & nullibi in iure priuilegiatam, & conſequenter non tenetur emptor prius ſatisfacere venditori, quàm aliis creditoribus.

Secunda affirmat rem illam manere obligatam venditori, & tunc priùs teneri emptorem ſoluere ex illa, & cum illa ipſi venditori, quàm aliis creditoribus ſuis, etiamſi ipſi in debito ſuo ſint priores, quando emptor ipſe non habet aliunde, vnde omnibus ſoluat. Hanc tenet Caietanus *in ſumma verb. reſtitutio, cap. 8.* Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 10. num 9.* vbi multos refert, quos *ibi* videre poteris, Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 2. num. 11.* Rodriguez *tom. 2. ſumma cap. 46. num. 4.* & Nauar. *in ſumma Lat. cap. 17. num. 49.* vbi pro hac parte affert *l. 3. ff. in quibus cauſis pignus, vel hypoth. tac. contrah.* per argumentum à fortiori, & proba

Sententia ſecunda.

Caiet. Sayrus. Leſſius. Rodrig. Nauar.

Maldez. Armilla. Syluester. Medin. probabilem iudicat Malderus *citatus*, tenet etiam Armilla *verb. reſtitutio*, *num.* 36. Syluester *verb. reſtitutio* 6. *quæſt.* 5. Medina *C. de reſt. quæſt.* 2. §. *tertium dictum.* Roſella, vt refertur à Syluestro *allegato.* Ratio illorum eſt triplex; prima, quia aliqui authores volunt probare dati ibi hypotheca de iure poſitiuo, quos refert Sayrus: ſecunda, quia quamuis hæc non detur, videtur dari iure naturali ex natura rei ex tacito conſenſu contrahentium, quamuis enim venditor transferat dominium talis rei in emptorem, non ſemper illud transfert omnino abſolutè, ſed cum hac conditione tacitè incluſa in ipſo contractu, vt quandiu res extat in propria forma numerica apud ipſum emptorem, maneat obligata pro pretio, & ita ordinariè acceptatur ab emptore, quia hæc conditio ex æquitate naturali, videtur intrinſeca huic contractui, vt notat Malderus & Leſſius *citati.* Et verò quòd res hæc quandiu extat in ſpecie, maneat hypothecata iure naturali pro ſuo pretio, cum priuilegio præferentiæ aliorum omnium debitorum antiquiorum, videntur etiam aſſerere Armilla, & Caietanus *citati.* Tertia, quia valde difficile eſt, quòd venditor re ſua adhuc extante, oculis videt, pedibus terit, & manu contrectare poteſt, priuetur & pretio illius, & videat aliis creditoribus ex tali re prius ſatisfieri, quàm ipſi, repugnat enim hoc omni æquitati naturali; quare ſemper prædicta conditio cenſetur extrinſeca tali contractui, & hoc fundamentum non ſolùm probat præferendum eſſe hoc debitum aliis ex delicto, quando non ſunt priuilegata, ſed etiam aliis priuilegiatis.

12. Si tamen res empta iam non eſt in poteſtate emptoris, eſt tamen pretium illius; quia eam vendidit, vel permutauit, vel cum illa aliam acquiſiuit, aſſerunt communiter Doctores pretium, & quamcumque aliam rem cum ea acquiſitam, aut permutatam non manere hypothecatam loco prioris, quod egregiè probat Sayrus *citatus num.* 10. cum aliis, quos refert. Fundamentum eſt, quia pecunia, & quæcumque res alia, quæ datur primo emptori, pro re quam emit, non ſubrogatur loco rei venditæ, nec ſuccedit in obligationibus illius, quia obligatio ex parte primi venditoris ſolùm erat ſupra rem à ſe venditam, quandiu apud ipſum primum emptorem extabat in eadem forma numerica, ac proinde poſtquam ab eo tranſlata eſt in ſecundum emptorem, iam deſinit eſſe cum eo onere, ſeu conditione. Et idem eſt de re, quam mutuatarius emit proprio nomine pecunia mutuata, exceptis caſibus aliis in quibus id exprimitur.

13. *An debita ex contractu licito præferenda ſint debitis ex contractu illicito, & vſurario.* Vtrùm autem etiam debita ex contractu licito, v. c. ex mutuo, vel vendito præferenda ſint debitis ex contractu illicito, qualis eſt vſurarius contractus, & alij ſimiles, in quibus manifeſta iniuſtitia cernitur, & qui iure poſitiuo ſunt prohibiti, quæſtio eſt, cuius pars negatiua conſtat ex dictis: videri etiam poteſt Sayrus *in claui regia lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 26.

14. *An debita ex contractu vtrinque oneroſo præferenda ſint debitis ex contractu gratuito.* Quartum dubium eſt, vtrùm debita ex contractu ex vtraque parte oneroſo, qualia ſunt quæ oriuntur ex mutuo, emptione, permutatione, locatione, &c. præferenda ſint debitis ex contractu gratuito, v. c. ex promiſſione liberali acceptata, quamuis promiſſio gratuita, & liberalis fuerit prior, caſus in hunc modum figurari poteſt. Promiſit aliquis liberaliter alicui centum aureos, poſtea verò contraxit debita ex mutuo, vel vendito, vel ex furto, & delicto, & non habet bona ad omnia hæc debita ſoluenda; quærimus vtrùm ex natura rei prius teneatur ſoluere debita oneroſa, quàm debita ex gratuita, & liberali promiſſione, quamuis illa ſint priora. Reſpondeo ſi promiſſio liberalis ſolùm obliget ex fidelitate, qua de re egimus *cap.* 30. certum eſt præferenda eſſe debita contracta ex contractu, ex vtraque parte oneroſo, & ex delicto, quia hæc ſunt ex iuſtitia rigoroſa, ac proinde præcedunt debitis ex aliis virtutibus. Si verò promiſſio gratuita, & acceptata obliget ex iuſtitia, tunc datur maior ratio dubitandi, quia in eo caſu promiſſio facta fuit tempore habili, quando promittens erat in ſtatu fortunæ pinguioris, & conſequenter fuit valida, & ex tali promiſſione acceptata, reſultauit etiam obligatio ex iuſtitia, vnde manet æqualis aliis obligationibus, quia, vt ſupponimus, non ſunt priuilegiatæ ex aliis capitibus; ergo non ſunt præferendæ; ſed bona debitoris pro rata videntur diuidenda inter promiſſarium, & alios creditores.

Communis tamen ſententia eſt, debita ex contractu rigoroſo, & vtrinque oneroſo natura ſua præcedere, & priùs eſſe ſoluenda, reſtituendaque; eam tenet Petrus Nauarra *lib* 4. *de reſt. cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 45. & *dub.* 15. *num.* 50. Molin. *tom.* 3. *diſp* 760. *in fine.* §. *illud tamen.* Rodriguez *tom.* 2. *ſumma cap* 46. *num.* 9. Syluester *verb. hæreditas* 5. *quæſt.* 9. Sayrus *in claui regia lib.* 10 *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 34. cum multis, quos citat, idque ſiue promiſſio ſimplex obliget ex fidelitate, ſiue ex iuſtitia. Fundamentum eſt, 15. Nauar. Molina. Rodrig. Syluester. Sayrus.

Primò, quia illa promiſſio intrinſecè eſt conditionata, & ſecum defert hanc conditionem: *promitto, & intendo me obligare quantum commodè poſſum.* Sed obligatio ſub his terminis facta intelligitur ſatisfactis aliis debitis, ita vt promittens non maneat in ægeſtate; igitur ſemper alia debita ex natura ſua præcedunt, ſiue promiſſio fuerit prior, ſiue non.

Secundò, quia debita ex contractu vtrinque oneroſo, & ex furto, ſeu delicto ſunt neceſſaria, debita verò ex promiſſione gratuita, ſunt liberalia, & voluntaria; ergo hæc ſunt poſtponenda, quemadmodum opus ex conſilio poſtponitur ſemper operi ex præcepto, quia iſtud eſt neceſſarium, & illud voluntarium.

Similiter etiam debita vtrinque oneroſa, natura ſua præcedunt legatis, quæ teſtator relinquit, quamuis fiant certis, & determinatis perſonis, vel cauſis piis, quando teſtator habet prædicta debita oneroſa, quia voluntas defuncti in huiuſmodi legatis ſemper intelligitur, deducto ære alieno, & ſatisfactis debitis oneroſis; deinde quia legata relinquuntur ex propriis bonis, nullum autem bonum proprium habet ille, qui non habet, niſi ea, quæ alij ſunt debita, quia debita non computantur cum propriis, & ita ſiue legata ſint antiquiora, ſiue non ſint, ſemper poſtponenda ſunt debitis oneroſis; ita docet Sayrus *in claui Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 36. Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.* 11. *dub.* 6. & *opuſc. de teſtibus, cap.* 8. §. 5. *dub.* 9. Turrianus 2. 2. *diſputat.* 19. *dub.* 4. *à num.* 3. An autem poſtponenda ſint etiam huiuſmodi legata debitis ex contractu gratuito, & ex promiſſione ſimplici, & liberali acceptata, videtur affirmandum, quia legata ſemper intelliguntur relicta ſatisfactis priùs debitis, & hæc, ſiue promiſſio acceptata obliget ex iuſtitia, ſiue ex fidelitate, re vera ſunt debita; quare priùs detrahenda 16. *An debita vtrinque oneroſa præcedāt legatis.* Vaſquez. Turrian.

henda ſunt, cùm debita non computentur cum bonis propriis.

17. *An hæres teneatur ſoluere rem legatam, aut eius valorē, quando conditor teſtamenti illam alienauit.*

Item ſi poſt conditum teſtamentum rem legatam in illo, aut partem illius conditor teſtamenti alienauit ex donatione merè gratuita,& liberali, & nulla vrgente neceſſitate, cenſetur reuocaſſe legatum, quoad eam partem, quam ita alienauit, niſi legatarius ſufficienter probet contrariam fuiſſe teſtatoris voluntatem: ita docet Molina *tom* 1. *de iuſt. tract.* 11. *diſp.* 194. *verſ. ſi tamen quis*, & conſtat ex *l. legatum ſub conditione*, §. *vltimo,ff. de adim. legat. & ex l. rem legatam, eodem tit.* idque verum eſt, ait Molina, etiam ſi donatio nulla ſit, vt patet euidenter ex *l. citata*, & affirmat *gloſſa* 1. §. *ſi rem ſuam, Inſt. de legibus.* Molina.

18. Item ſi rem legatam, aut partem illius titulo oneroſo alienauit, v. c. venditione, aut permutatione, etiamſi nulla neceſſitate cogente id fecerit, cenſetur etiam reuocaſſe legatum niſi legatarius contrariam voluntatem illius probet; ita docet Molina *citatus*,& patet ex *l. fideicommiſſa quocumque*, §. *ſi rem*, *ff. de legat.* 3. *& ex l. rem legatam, ff. de adimend. legat.* & affirmat *gloſſa* 1. §. *ſi rem ſuam, Inſt. de legat.* & gloſſa *l. qui poſt, verb. dedit, C. de legatis.* Et in huiuſmodi euentis in quibus donatione ſimplici, & gratuita, vel contractu oneroſo ademptum cenſetur legatum, & reuocatum, etiamſi legator rem, quam ita alienauit, poſtea emat, aut quacumque alia ratione illius dominium poſtea acquirat, non reuiuiſcit legatum, ita habetur *l. cum ſeruus*, *ff. de adim. legat. & l. qui res*, §. *arcam ff de ſolut.* Et ratio eſt, quia quod ſemel extinctum eſt, nunquam poſtea reuiuiſcit, niſi de nouo ſuſcitetur.

19. *De legato à debitore relicto creditori ſub conditione.*

Legatum à debitore relictum creditori ſub conditione, vt eo ſit contentus pro debito, non ſolùm computatur in debito, ſed etiam eo ipſo, quod acceptatur, nihil amplius ei debetur, niſi fraus ex parte debitoris interueniſſet: nam tunc incrementum deberetur, idque ſiue debitum oriatur ex contractu aliquo oneroſo, ſiue ex promiſſione gratuita, ſiue ex delicto, damno, & furto, ſiue ex legis diſpoſitione. ita Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 200. *verſ. ſiue aliquid.* Et ratio eſt, quia eo ipſo quòd legatum ſub ea conditione relictum acceptauit, videtur renunciaſſe vniuerſo debito,& ita habetur *cap. officij, de teſtam.* & docet gloſſa *ibidem.*

20. *Quid ſi debitor relinquit creditori ſuo aliquod legatum ſine declaratione, quòd illud ei relinquit pro debito.*

Dubitant tamen Doctores, an quando debitor relinquit aliquod legatum ſuo creditori, ſine conditione, & declaratione, quòd eo contentus ſit pro debito, & quando aliunde non conſtet teſtatorem. & debitorem in compenſationem illud reliquiſſe, computandum ſit huiuſmodi legatum cum ipſo debito, an vltra debitum poſſit creditor legatum ſibi relictum accipere in integrum. Et antequam reſpondeam, notandum eſt debitum interdum oriri poſſe ex voluntate debitoris. v. c. ex pacto, promiſſione, aut quaſi contractu hominis, vel ex facto aliquo, aut delicto, vt ex damno,& ex furto; interdum ex legis diſpoſitione, vt v. c. debitum quo patres tenentur tradere filiis dotem, & quo tenentur eis dare ſuas legitimas portiones, hæc enim debita dotium, & legitimarum ex iuris diſpoſitione oriuntur. Reſpondeo ergo primò quando debitum non oritur ex iuris diſpoſitione, legatum à debitore creditori relictum non compenſatur cum debito, ſed legatarius creditor accipit illud integrum, & inſuper exigere poteſt totum ſuum debitum, niſi aliunde conſtet teſtatorem in compenſationem debiti illud reliquiſſe; ita docet Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 200. *verſ. reliqua, quæ,& verſ. hoc iacto fundamento*, vbi dicit hanc eſſe communem Couarr, *in cap. officij, de teſtam. num.* 2. Anton. Gomez *tom* 1. *variar. reſol. cap.* 12. *num.* 27. Emanuel à Coſta *cap. ſi pater, part.* 1. *verb. legauit, à num.* 17. *fol.* 88.& id probant textus *in l. creditorem,& in l. Lucius, in principio, de legat.* 2. *& in l. creditor, C. de legatis*, *& in l. vnic.* §. *ſciendum, C. de rei vxor. act.* vbi habetur legatum à marito vxori relictum non eſſe computandum cum dote, ſed vxorem habere illud vltra dotem, quia maritus ei debebat dotem ex contractu inter vtrumque celebrato, & non præciſè ex iuris diſpoſitione. Vnde quotieſcumque debitum eſt contractum ex pacto, vel facto & non præciſè ex iuris diſpoſitione, legatum compenſandum non eſt cum tali debito. Excipit tamen Couarruuias *citatus*, quod etiam approbat Molina *allegatus*, *verſ. hoc iacto fundamento, ad finem.* Niſi quando teſtator in foro conſcientiæ debitor erat alicuius quantitatis, quam in exteriori foro ſoluere non poterat, quia tunc præſumendum eſt velle ipſum teſtatorem, debitoremve cum eo legato debitum compenſare ad exonerandam conſcientiam, cùm nemo præſumatur ex ſuo ſine cauſa pro tunc liberalis. Molina. Couar. Gomez. Coſta.

Reſpondeo ſecundò, quando debitum oritur præciſè ex iuris diſpoſitione, legatum tali creditori, ſeu quaſi creditori factum, cenſetur factum in recompenſationem debiti, niſi aliud aliunde ex mente teſtatoris conſtet: ita authores citati, & Molina *allegatus*, *verſ. ſecunda concluſione*, & hoc probat *Authent præterea, C. vnde vir & vxor, & l. ſi cùm dotem*, §. *ſi pater. ff. ſolut. matrim.* vbi quando à patre dos filiæ debetur, eo quòd filia ſit ſub patris poteſtate,& ex legis,& iuris diſpoſitione teneatur tunc pater filiā dotare, ſtatuitur, vt ſi quid pater tali filiæ teſtamento leget, computandum ſit cum dote quam illi tradere tenebatur. Probat etiam *l. quoniam nouella, & l omni modo, C. de inoffic. teſt.* vbi data in dotem, vel relicta à parente legato filio, vel filiæ, computat filius, vel filia in legitimam ſibi ex ipſis parentis bonis debitam. Nec obſtat *cap. officij, de teſtam.* vbi cum de iuris communis diſpoſitione Epiſcopo debeatur certa portio de bonis à teſtatore relictis Monaſterio, vel parœciæ, in quibus ſepelitur, & quidam teſtator legatum reliquiſſet Epiſcopo, quod illam æquabat, non computatur legatum cum debito, & tamen debitum illud ſolùm, & præciſè ex iuris diſpoſitione debeatur. Reſpondent enim *ibi* Panormit. *in dict. cap. num.* 4. & Couar. *num.* 3. eſſe diuerſam rationem, quia illa portio non eſt debita ex iuris diſpoſitione à teſtatore ipſi Epiſcopo, qui tale legatum ei reliquit, ſed ei eſt debita ab Eccleſia, vel Monaſterio, in quo teſtator ſepelitur, & ſic diuerſa omnino ratio eſt, vt notat Molin. *dict. tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 200. *verſ. ſecunda concluſio, iuncto verſ. ſequenti, incip. ſi quis aduerſus.* 21.

***

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Soluuntur alia dubia: agitur de creditore cui totum debitum prætermiſſis alijs creditoribus datum eſt.

SVMMARIVM.

Contractus, & promiſſiones per quos debitor contrahens, aut promittens non fit magis impotens ad ſoluenda priora debita, quàm antea erant, ſunt validi. num. 1.

An debitor cæteris paribus teneatur ſemper prius ſoluere debita antiquiora, & an ratione antiquitatis detur præferentia in debitis, quando omnia ſoluere non poteſt; poteſt autem aliqua, aut vnum ſolum. Refertur prima opinio affirmans. num. 2.

Præfertur ſententia negans. num. 3.

An creditori pauperi ſoluendum ſit, quando omnibus ſolui non poteſt; etiam ſi diuites ſint priores. Quidam affirmant. num. 4.

Alij probabilius negant, modò neceſſitas, aut paupertas creditoris tanta non ſit, vt ſit extrema, aut quaſi extrema. num. 5.

An quando debitor omnibus creditoribus ſoluere non poteſt, poſſit in conſcientia præferre illum, qui prius ſuum debitum petiuerit, ſiue in iudicio, ſiue extra illud, vel aliquem ratione amicitiæ, gratitudinis, aut conſanguinitatis, quamuis alij ſint antiquiores. num. 6. 7. & 9.

Vtrùm ex vi petitionis, prioris creditoris, teneatur debitor creditori prius petenti ſoluere, quamuis alia debita ſint priora. num. 8.

An ille creditor cui debitum ſatisfactum eſt prius prætermiſſis alijs creditoribus antiquioribus, quin ipſe ſuum debitum petierit ſiue in iudicio, ſiue extra illud poſſit illud tuta conſcientia retinere, quando debitor non poteſt alijs ſoluere. num. 11. 12. 13. & 14.

Quid quando prætermiſſus creditor habet priuilegium perſonale, vt in debitis cæteris creditoribus præferatur, & ille cui integrè ſatisfactum eſt illud non habet. num. 15.

Si hæres debitoris præferat vnum creditorem alijs, an poſſit ille tuta conſcientia retinere id, quod ab eo accepit. num. 16. *Si ad manus vnius creditoris res aliqua perueniat, quæ non ſit hypothecata alijs antiquioribus, poteſt ille eam retinere.* ibid. *Quid ſi ſit hypothecata.* ibid.

Quæ perſonæ habeant priuilegium perſonale, vt in ſolutione ſuorum debitorum cæteris præferantur. num. 17.

An illi, qui habent priuilegium perſonale, præferendi ſint illis, qui non habent. num. 18.

An inter priuilegiatos detur aliqua præferentia. num. 19. vſque ad 23.

1. *De contractibus debitoris grauati ære alieno, aut furto.* SED quid de debitore ære alieno, aut furto grauato, qui ſi aliquid de nouo promittat, vel donet, aut alienet contractu aliquo oneroſo, fit impotens ad priora debita, valebunt ne contractus, promiſſiones, donationes, aut alienationes in hoc ſtatu factæ.

Reſpondeo primò, duo hîc eſſe certa. Primum eſt omnes contractus, per quos ipſe venditor non fit magis impotens ad priora debita, quàm antea erat, eſſe validos, & manere in eodem ordine cum prioribus. v. c. ſi de nouo accipiat pecuniam mutuam, & emat equum, domum, prædium, vel agrum, validi ſunt huiuſmodi contractus, quia in his & aliis ſimilibus tantum accipit, quantum à ſe alienat, ac proinde non fit magis impotens, quàm antea erat.

Reſpodeo ſecundò, poſſe licitè facere, & eſſe validos omnes contractus, qui neceſſarij ſunt ad vitam alendam, & honorem proprij ſtatus tuendum ac conſeruandum. v. c. poteſt promittere, vel alienare, quæ neceſſaria ſunt ad alimenta vxoris, filiorum, ad obſequia famulorum, ſine quibus non poteſt conſeruari in ſuo honore. Fundamentum eſt, quia hæc neceſſitas excuſat debitorem à ſoluendis prioribus debitis in tali ſtatu, & ratione illius poterat ea differre in meliorem fortunam; ergo tenetur in eo caſu ſoluere hæc debita neceſſaria.

Dubium ergo eſt, vtrùm ratione antiquitatis præciſè detur prælatio, ſeu præferentia in debitis, itavt debitor teneatur in conſcientia debita antiquiora priùs ſoluere, quando omnia non poteſt ſoluere. Partita eſt ſententia. 2. *An ratione antiquitatis detur præferentia in debitis.*

Sententia prima. Salon. Valent. Tolet. Leſſius. Malder. Suar. Prima affirmat, hanc tenet Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8. *in fine*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *puncto* 10. Toletus *in ſumma lib.* 5. *cap.* 25. *verſ. vltimum tenent*; eam non improbabilem iudicat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 6. & probabilem credit Malderus *tract.* 4. *cap.* 6. §. *obijcies*, & eam videtur tenere. Suarez *opuſc. de iuſt. ſect.* 3. *num.* 2. Fundamentum ſumitur,

Primò, ex illa regula iuris, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*; ergo ex ſola ratione temporis, ſeu antiquitatis, ſi cætera ſint æqualia debita, habent ius prælationis. Conſequentia eſt bona, quia illa regula eſt certa, & confirmat id in multis caſibus, nempe in expectatiua gratiarum, in iure ſuffragij ferendi in capitulis, in debitis realibus, & in perſonalibus.

Secundò, quia creditor antiquior diutiùs caruit re ſua; ergo ſtrictius ius habet, vt ei prius reſtituatur, quia, qui diutiùs caruit, eo maius damnum accepit.

Tertiò, quia debitor in principio erat magis potens ad ſoluendum, ſed per debita ſubſequentia redditus eſt impotens, veluti in fraudem, & damnum prioris creditoris; ergo prius reſtituendum eſt debitum antiquius, ne patrocinium fraudibus præbeatur.

3. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia verior, & communior negat debita antiquiora eſſe præferenda ex eo ſolùm quòd antiquiora ſint, & conſequenter docet eſſe pro rata diuidenda inter omnes creditores, eam tenent Leſſius & Malder. *citati*, D. Anton. 2 *p. tit.* 2. *cap.* 7. §. 3. Molin. *tom.* 2. *diſp.* 536. Vaſq. *opuſc. de reſt. cap.* 11. *dub.* 2. *à num.* 48. Fundamentum eſt, *Mald. Anton. Molina. Vaſq.*

Primò, quia huiuſmodi præferentia non datur, nec colligitur ex iure poſitiuo canonico, vel ciuili. Nam regula citata ſolùm applicatur debitis realibus, ſeu habentibus hypothecam, non autem debitis perſonalibus, qui non habent aliquam hypothecam; & id ſatis colligitur ex multis iuribus, *cap. qui priores in pignore, l. priuilegia, ff. de priuileg. credit.* Nec ſumitur ex iure naturali, ſi enim eſſet de iure naturali, non negaretur in iure poſitiuo, ſed ſupponeretur, quia leges, & iura poſitiua ciuilia, & canonica ſupponunt ius naturale & non negant illud, alioquin iniuſta eſſent.

Secundò, quia ex præciſa antiquitate non ſequitur maior iniuria, nec maius damnum, abſolutè loquendo,

loquendo, quia debitum poſterius poteſt eſſe longè maius, ac proinde maius incommodum patietur creditor eo breuiori tempore, quàm creditor antiquior, vt patet. Accedit, quòd ex eo quòd creditor prior patiatur damnum ex maiori dilatione grauius, & grauius quàm creditor poſterior; inde ſolùm infertur quòd damna emergentia ſi dentur, debeant prius reſtitui antiquiori creditori, non tamen ſequitur ius prælationis, & præferentiæ in ſolutione debiti, ſeu capitalis; nec etiam debitor fit impotentior quando debita contracta fuerunt vel ex mutuo, vel ex empto, vel ex permutato; nec præſumendum eſt poſteriora debita facta fuiſſe in fraudem priorum creditorum, dum id non conſtat, & euidenter probatur.

4.
An creditori pauperi prius ſoluendum, quàm diuiti, etiamſi hic prior ſit.

Aliud dubium eſt, vtrùm creditori pauperi prius reſtituendum ſit, quàm aliis diuitibus, etiamſi diuites priores ſint: caſus eſſe poteſt, quando aliquis furto abſtulit aliquid à paupere, vel ab eo accepit mutuum, vel ex locato, & conducto ei aliquid debet, & ſimul debet aliis creditoribus diuitibus, qui priores fuerunt in debito, & tunc inquirimus, vtrùm hoc debitum pauperi præferendum ſit aliis ratione paupertatis. Duplex eſt ſententia in hoc negotio.

Sententia prima.
D Thom.
Sylueſter.
Medin.
Malder.
Leſſius.

Prima affirmat, hanc tenet D. Thom. *opuſc* 37. *cap.*18. Syluester *verb. reſtitutio 6 num* 5. Medina *C. de reſt quæſt.*2. §. 3. eam probabilem putant Malderus *tract* 4 *cap.*6. *dub.*8. & Leſſius *lib.*2. *cap.*15. *dub.*7 Ratio eſt.

Primò, quia debitori priùs petenti prius ſoluitur totum debitum, quàm aliis non petentibus; ſed paupertas tacitè clamat, & petit pro paupere; ergo priùs illi reſtituendum eſt integrum debitum, quamuis nihil ſuperſit aliis creditoribus, & illi ſint antiquiores. Conſequentia patet, quia taciti & expreſſi eadem vis eſt, eadem poteſtas, & ſicut petitio expreſſa præbet nouum ius, & veluti nouum priuilegium petenti, ita etiam tacita præbebit.

Secundò, quia pauper patitur maius damnum, quàm diues; ergo maior ei fit iniuria in retentione ſui debiti, & conſequenter præferendus eſt.

5.
Sententia ſecunda.
Malder.
Leſſius.
Turrian.
Azor.

Secunda probabilior, & communior negat ratione paupertatis dari aliquam præferentiam in debitis: ita docent Malderus, & Leſſius *allegati.* Turrianus 2.2. *diſp.* 19. *dub.*3. Azor. *tom.* 3. *lib.*4. *cap.*36. *quæſ* 4 qui duo aſſerunt.

Primum eſt, ſi creditor pauper exiſtat in extrema neceſſitate, vel quaſi extrema, ratione illius præferendum eſſe; quia in eo caſu charitas obligat debitorem ad conſulendum pauperi ex proprio; quanto ergo magis eum obligabit ad conſentiendum, vt debitum pauperis præferatur ſuo in ſolutione.

Secundum eſt ſublato eo caſu prædictæ extremæ, vel quaſi extremæ neceſſitatis, pauperem ratione paupertatis non eſſe præferendum. Fundamentum eſt, quia non præfertur iure poſitiuo, vt patet, nullibi enim in iure reperitur talis præferentia. Non iure naturali, ex eo enim quòd pauper ſit, ſolùm ei de iure naturali, debetur eleemoſyna ex charitate, quando fieri poteſt, ſine iniuria tertij; ſed in neceſſitatibus ordinariis, & communibus, ſi præferretur, fieret iniuria aliis creditoribus; ergo non eſt præferendus; tandem quia neceſſitati ordinariæ ſatis conſulitur dando ei partem debiti pro rata, ſicut datur aliis, & quia ex maiori damno non ſequitur præferentia, ſed ad ſummum, quòd cæteris paribus detur ei maior quantitas; & petitio illa implicita, & tacita ſolùm obligat ex charitate.

6.
An ex petitione expreſſa, vel ex gratitudine poſſit dari prælatio in debitis.

Hinc ſequitur tractandum, vtrùm ex petitione expreſſa creditoris, vel ex gratitudine debitoris dari poſſit prælatio in debitis. hoc eſt, vtrùm debitor teneatur, vel ſaltem poſſit licitè priùs ſoluere creditori prius petenti, quàm aliis non petentibus, vel poſterius petentibus. Pars affirmans communis eſt, quando alij creditores non ſunt priuilegiati, ita Sayrus *lib.* 10. *in clauſ regia tract.*5. *cap.*15. *num.* 35. Malderus *tract.*4. *cap.*6. *dubio* 6. Leſſius *lib.*2. *cap.*15. *dub.*5. Turrianus 2.2. *diſp.*19. *dub.*3. *num.*6. Azor. *tom.*3. *lib.*4. *cap.*36. *quæſ.*6. in eam magis inclinat Molina *tom.*2. *de iuſtit. diſput.*536. §. *cæterùm interrogabis*, & alij; inter quos eſt Nauarrus *in ſumma Lat. cap.*17. *num.*52. & Syluester *verb. reſtitutio* 6. *quæſt.*8. An verò hoc intelligatur de petitione in iudicio, & poſt ſententiam latam, an etiam de petitione priuata, & extra iudicium, dubitant aliqui. Sed de vtraque id intelligit Azor, & id alij ſupponunt. Fundamentum eſt, quia creditor ratione petitionis acquiſiuit nouum ius perſonale, & conſequenter in eo caſu habet duplex ius in debitorem, vnum ratione debiti, alterum ratione petitionis, & alij non petentes vnum tantùm habent ius, vnde petens præferendus eſt aliis non petentibus. An etiam præferendus ſit aliis creditoribus poſterius petentibus, poterat eſſe maius dubium, quia hi etiam habent duplex ius eiuſdem rationis; ſed ius quod in antiquitate, ſeu temporis prioritate fundatur, non eſt priuilegatum, vt *infra* probabimus, vbi dicemus debitum ex ſola antiquitate non habere priuilegium præferentiæ, vnde qui priùs petiit, non videtur præferendus aliis poſterius petentibus. At dicendum eſt aliud eſſe ius petitionis debiti, aliud ius antiquitatis, ſeu contractionis ipſius debiti. & ideo ius petitionis inducere nouum priuilegium, ius autem contractionis nullum priuilegium inducere, nam illa prior petitio fuit veluti quædam apprehenſio manus creditoris in rem ſibi debitam, & non eſt negandum maius ius habere, qui priùs apprehendit, quàm qui poſterius; contractio autem debiti, fuit veluti quædam dimiſſio ex parte creditoris; quare manifeſtum eſt, eſſe diuerſam rationem inter priorem petitionem debiti contracti, & inter priorem contractionem ipſius debiti.

Sayrus.
Malder.
Leſſius.
Turrian.
Azor.
Molin.
Nauar.
Syluest.

7.

Si quæras, an hoc priuilegium, quo acquiritur nouum ius prælationis ex priori petitione debiti, ſit de iure poſitiuo, an de iure naturali. Reſpondeo probabilius eſſe, quòd ſit de iure poſitiuo, & aliqui authores id colligunt ex *l. pupillus. ff. quæ in fraud. cred.* & Nauarrus *allegatus in ſumma Lat. cap.*17. *num.*52. & Syluester *verb. reſtitutio 6. dicta quæſt.*8. & quamuis petitio potiùs videatur ſupponere ius petendi, quàm ius nouum inducere, tamen quia illa diligentia ex parte creditoris in præueniendo, & poſtulando ſuum debitum, eſt maximè conſiderabilis, ideo videtur ei conceſſum hoc priuilegium à iure communi, & ab aliis ſpecialibus Regnorum, ſicut enim negligentes homines quaſi puniuntur legibus præſcriptionis, ita diligentes in recuperandis ſuis debitis veluti præmiantur his fauoribus & priuilegiis.

Nauar.
Syluester.

8.
An ex vi petitionis detur præferentia.

Vtrùm autem ex vi huius priuilegij obligetur debitor in conſcientia ad prius ſoluendum petenti, an verò ſolùm illi concedat ſecuritatem

ne

ne ab illo tale debitum iterum repetatur in iudicio, eſt dubium, quod mouent aliqui. Sed probabilius eſt obligari in conſcientia, & ita docet
Nauar. Rodrig. Nauarrus *modò allegatus*, & Rodriguez *tom.2. ſummæ cap.46. num.13.* quod ex dicendis infrà magis conſtabit. Vnde tuta conſcientia poteſt creditor, quando videt, vel timet debitorem eſſe in periculo, vel iam eſſe in paupertate, ratione cuius non poſſit omnibus creditoribus ſatisfacere, petere ſuum debitum integrè, & accipere illud, quamuis nihil ſuperſit aliis, nec poteſt iuſtè poſtea angi ſcrupulis, an ipſe id fecerit in fraudem aliorum creditorum, & an illis ad aliquam reſtitutionem teneatur, cùm ius habeat ad recuperandum ſuum, & priuilegium præferentiæ ratione prioris diligentiæ, & petitionis; deinde quia ipſe non recipit pluſquam dedit, quod tamen intelligendum ſemper eſt, vt optimè notat Rodriguez *allegatus*, & ex dictis patet, quando cæteri creditores non habent ius ad bona debitoris ratione hypothecæ; quia in huiuſmodi caſu non erit licitum ipſis creditoribus recipere ſuum debitum, nec ipſi debitori illud eis ſoluere, ſi non ſint alia bona, ex quibus eis ſolui poſſit, cùm ratione hypothecæ priuilegium habeant reale in bona debitoris, & priuilegium reale ſemper præcedit, & fortius eſt priuilegio perſonali præferentiæ, quod ius diligentioribus creditoribus concedit; & ita etiam
Sylueſt. præter Rodericum, docet Syluester *verb. reſtitutio 6. num.5.* quod latiùs probabimus infrà *cap. ſequenti, num.7* & *ibi* etiam Syluester optimè contra aliquos animaduertit, bona vſurarij nullo modo eſſe hypothecata vſuris, & pro hac parte, & ſua ſententia citat Hoſtienſem, Archidiaconum, Federicum, & Gofredium *in cap. quamquam, de vſuris, lib.6.* Et ratio illorum eſt, quia de iſta hypotheca non habemus textum expreſſum; quare ceſſat opinio eorum, qui dicebant teneri vſurarium in conſcientia priùs ſoluere ſuis creditoribus non petentibus, à quibus iniuſtas vſuras accepit, quàm aliis creditoribus petentibus, eo quòd bona vſurarij eſſent illis hypothecata, quod non ita eſt.

9. *An ratione amicitiæ, gratitudinis, cõſanguinitatis.* Dubitabis tamen an ratione amicitiæ, gratitudinis, vel conſanguinitatis poſſit debitor licitè creditori non petenti prius integrum debitum ſoluere, cùm tamen nihil aliud habeat, vnde cæteris ſatisfaciat. Caſus eſt quando debitor videt ſe non poſſe omnibus creditoribus integrè ſatisfacere, & inter eos habet vnum magis amicum, gratum, conſanguineum, aut affinem; qui non petit debitum, nec etiam alij, & tunc quærimus, vtrùm licitè, & tuta conſcientia poſſit amico, titulo, & intuitu amicitiæ, conſanguinitatis, affinitatis, vel propinquitatis, aut gratitudinis plenè ſatisfacere, aliis inſatisfactis manentibus. Pars negatiua eſt
Sayrus. Malder. Turrian. Azor. Molina. communis; hanc tenent Sayrus *lib.10. in claui regia tract.5. cap.10. num.35.* Malderus *tract.4. c.6. dub.6.* Leſſius *lib.2. cap.15. dub.5.* Turrianus *2.2. diſp.19. dub.3. num.6.* Azor. *tom.3. lib.4. cap.36. quæſ.6.* & Molina *tom.2. de iuſtitia diſp.536.* Ratio eſt; quia talis creditor in eo caſu non eſt melioris conditionis, cùm non acquiſierit nouum ius præferentiæ, nouumve priuilegium ratione petitionis; titulus autem amicitiæ, gratitudinis, conſanguinitatis, &c. non ſufficit, vt amicus, propinquus, &c. præferantur cum damno, & præiudicio aliorum, quia ſunt æquales in iure iuſtitiæ; quare contra iuſtitiam peccat debitor, ſi alicui ex his creditoribus ratione alicuius ex prædictis titulis integrum debitum ſoluat, & ſatisfaciat aliis inſatisfactis relictis, quia in eo caſu inter omnes creditores cum proportione ad debita illorum, bona debitoris diuidenda erant, & conſequenter etiam dicendum eſt, peccare mortaliter prædictum debitorem, qui id facit, niſi aliunde excuſetur, vel ratione paruitatis materiæ, vel ex ignorãtia probabili iuris, vel facti, vel ex neceſſitate extrema, vel quaſi extrema, aut ſaltem graui, vt docet Sayr. *cit. n.36.*

Dices, qui priùs ſoluit vni creditori, non violat ſubſtantiam iuſtitiæ, quia reuera ſoluit quod debet, ſed ſolùm violat modum, qui conſtituitur in ordine reſtituendi; ergo non peccat mortaliter, vel ſi peccat, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam. Conſequentia probatur, quia præceptum charitatis non obligat ad modum charitatis; ſed ad ſubſtantiam actus, vt dici ſolet in materia de legibus; & docet Suarez *lib.2. cap.10. & lib.3. cap.28. de legibus*; ergo etiam præceptum iuſtitiæ non obligabit ad modum iuſtitiæ, ſed ſolùm ad ſubſtantiam actus ipſius iuſtitiæ. Confirmatur, quia ille ordo conſiſtit in eo quòd bona debitoris cum proportione diſtribuantur; ergo pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, & non commutatiuam, & conſequenter ſi prætermittatur, non datur obligatio reſtituendi in ea prætermiſſione. 10. *Inſtantia.* Suar.

Reſpondeo primò, cum modum pertinere ad iuſtitiam commutatiuam, & in eo violari ſubſtantiam reſtitutionis; eſt enim reſpectu iuſtitiæ commutatiuæ modus ſubſtantialis, non accidentalis; quia iuſtitia commutatiua, quæ vnicuique tribuit id, quod ſuum eſt, obligat in eo caſu ad non ſoluendum vni integrè cum damno, & præiudicio aliorum. *Soluitur.*

Reſpondeo ſecundò, illam diuiſionem, ſeu diſtributionem pertinere in tali caſu ad iuſtitiam cõmutatiuam, quia omnis iuſtitia commutatiua, & rigoroſa eſt diſtributiua quatenus vnicuique ſuum reddit, non tamen omnis diſtributiua eſt commutatiua; quia diſtributiua diſtribuit iuxta merita vniuſcuiuſque officia, aut beneficia Reipublicæ: at commutatiua reddit ſuum cuique, & ideo eſt maxima differentia inter vtramque iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam, vt in multis probat Azor. *tom.3. lib.4. cap.26. quæſ.8.* Azor.

11. *Dubium circa creditorẽ cui debitum ſatiſfactum eſt prius, prætermiſſis alijs creditoribus antiquioribus.* Præcipuum dubium eſt circa creditorem cui debitum ſatisfactum eſt integrè, prætermiſſis aliis æqualibus, & antiquioribus creditoribus, & ideo inquirimus, an tuta conſcientia retinere poſſit id, quod accepit, quando ipſe ſuum debitum à debitore ſiue in iudicio, ſiue extra illud, non petiuit, ſed debitor illud ei dedit; cùm tamen non haberet vnde aliis creditoribus ſatisfaceret, & id fecit eis prætermiſſis, & inſatisfactis relictis; an teneatur aliis creditoribus ſatisfacere diuidendo id, quod accepit inter ſe, & inter alios creditores pro rata debitorum.

Sententia prima. Prima ſententia affirmat non poſſe prædictum creditorem integrum debitum retinere, & teneri illud pro rata, & pro portione debitorum inter ſe, & alios diuidere eam, docet Vaſq. *opuſc. de reſtit. cap.11. num.99.* Turrianus *2.2. diſp.19. dub.4. n.5. in fine.* Azor. *tom.3. lib.4 cap.26. quæſ.8.* & alij. Fundamentum illorum eſt, Vaſquez. Turrian. Azor.

Primò, quia debitor in tali caſu, peccat contra iuſtitiam commutatiuam ſoluendo vni integrè, cum damno, & præiudicio aliorum, vt *ſuprà* probauimus; igitur creditor peccat contra iuſtitiam accipiendo, & retinendo id, quod excedit partem ſibi contingentem, attenta proportione aliorum debitorum

debitorum,& conſequenter tenetur exceſſum aliis reſtituere. Conſequentia patet, quia ideo debitor peccat contra iuſtitiam; quia creditores habent ius ad ſuas partes, & conſequenter habent ius,vt bona debitoris inter eos diuidantur pro rata, & proportione debitorum; ſed creditor accipiendo lædit ius aliorum,& facit eis iniuriam; ergo ſimiliter tenetur eis ad reſtitutionem pro rata illis contingenti.

Secundò,quia creditor retinet id, quod nō erat ei debitum in tali caſu, illæ enim partes debebantur aliis, qui habebant ius ad illas; ergo non poteſt eas retinere. ergo tenetur eas reſtituere.

12. *Sententia ſecunda.* Secunda ſententia in iis circunſtantiis,ait quando alij creditores inſatisfacti manent, non teneri creditorem cui integrum debitum ſolutum eſt, ad illam reſtitutionem aliis faciendam, ac proinde poſſe tuta conſcientia totum retinere; ita docet *Molin. Leſſius. Mald. Sayrus. Rodrig.* Molina *tom.3. de iuſt. diſp.536. à num.42. §. hoc loco eſt obſeruandum*, Leſſius *lib.2. cap.15. dub.5. num.41.* Maldetus *tract.4. cap.6. dub. 6.* Sayrus *lib.10. tract. cap. 10. num. 34.* Rodriguez *tom.3. ſummæ cap.46. num.13.* qui dicunt hunc creditorem, quantumuis ſciat hoc fieri, cum detrimento aliorum ſecurum eſſe in vtroque foro. Fundamentum ſumitur ex *l. qui autem, §. apud Labionem, ff. de his,quæ in fraud.credit.& ex l. pupillus, ff. eodem*, vbi in eo caſu negatur actio aliis creditoribus ad petendum in iudicio exceſſum, quam prædictus creditor iam habet,attenta quantitate debitorum aliorum creditorum, ſed huiuſmodi leges ſunt iuſtæ; ergo etiam vim habent in foro interiori, & conſequenter hic creditor in neutro foro tenetur reſtituere. Probatur

Secundò, quia totum id quod accepit huiuſmodi creditor, ſuum eſt; ergo non peccauit accipiendo, nec retinendo illud.

Tertiò, quia tali creditori licitum eſt prius petere ſuum debitum, & ratione petitionis acquirit nouum ius, vt *ſuprà* diximus; ergo licitum eſt accipere, cui enim licitum eſt petere, licitum eſt accipere, cùm hæc relatiua ſint, & ratione poſſeſſionis, & acceptionis acquirit nouum ius, non ſolùm perſonale, ſed etiam reale in re ſibi tradita, & ſibi debita; ac proinde non tenetur aliquam eius partem reſtituere; nam quemadmodum diligentia in petendo confert ius; ita etiam diligentia in accipiendo, & retinendo.

13. Nec obſtat fundamentum contrariæ opinionis.

Primò, quia debitor ex eo tunc peccat contra iuſtitiam, vni integrè ſuum debitum ſoluendo in damnum aliorum creditorum; quia ei prohibitum eſt per legem præferre non petentem: at creditor non peccat contra iuſtitiam accipiendo ſine petitione;quia non eſt ei prohibitum accipere,& poſſidere id, quod ſuum eſt; imò videtur ei conceſſum per leges, vt dictum eſt.

Deinde, quia creditor nullam vim intulit debitori, & aliunde non tenetur ex charitate cum tanto ſuo onere impedire peccatum debitoris, tandem quia licèt alij creditores ſint æquales in iure, tamen cùm hoc ius ſit perſonale tantùm in perſonam debitoris, creditor cui integrè ſatisfactum eſt, non tenetur aliis reſtituere, nec ratione rei acceptæ, quia hæc non erat eis ſpecialiter hypothecata, vt ſupponimus; nec ratione iniuſtæ acceptionis, quia ſuum accepit, & non peccauit accipiendo, & acceptando. Confirmatur, quia quamuis debitor in huiuſmodi circunſtantiis non teneatur vni creditori integrum debitum ſoluere, imò teneatur non ſoluere, ipſe tamen creditor poteſt integram ſolutionem accipere, quin lædat ius aliorum, quia reuera accipit, quod ſuum eſt, & quamuis ei non ſit hoc totum debitum in iis circunſtantiis ex parte debitoris, ita tamen ex ſuppoſitione, quod ei totum datur, iam ſuum eſt; difficile enim eſt, & ſupra vires humanas, eum obligare ad ſe ſpoliandum.

Oppones,promiſſiones, & contractus non neceſſarij, quibus debitor iam grauatus fit impotens ad ſoluenda priora debita, non obligant debitorem, nec valent, vt *ſuprà* diximus, quia cenſentur factæ in fraudem aliorum creditorum, & illis datur actio ad eos reſcindendos; ſed in noſtro etiam caſu reſtitutio integra quæ fit vni creditorum, cedit in fraudem, & detrimentum aliorum; ergo in neutro foro erit valida. Negatur conſequentia, 14. *Obiectio.*

Primò,quia in prædictis contractibus ita diſponitur in iure; at in reſtitutione,de qua loquimur, non datur eadem diſpoſitio iuris, vt notat Molina *tom.3. de iuſt. diſp.536. à num.42. §. hoc loco eſt obſeruandum.* *Eliditur.* *Molina.*

Secundò, quia etiam in primo caſu de alienationibus, non ſemper,qui accepit, tenetur in conſcientia reſtituere,quidquid ſit de foro externo.

Dices, *in l. pupillus, ff. de his, quæ in fraudem creditor.* conceditur actio repetendi. Reſpondeo quicquid ſit an ea deciſio ſit ſpecialis in ea gratificatione facta à tutore, tamen ex ea non colligitur,quòd creditor teneatur in conſcientia reſtituere ante ſententiam latam, ſed poſt eam, vt notat Leſſius *lib.2. cap.15.dubit 5. à num.41.* *Inſtantia.* *Leſſius.*

Poteſt tamen contingere, vt creditor prætermiſſus habeat priuilegium perſonale, vt cæteris creditoribus præferatur, & ille cui integrè ſatisfactum eſt,illud non habeat, & tunc dubium eſt, an ille cui ſatisfactum eſt, teneatur reſtitutionem facere creditori priuilegiato prætermiſſo Reſpondent Molina, & Leſſius *allegati*,& Rodrig.*tom.2. ſummæ cap.46. num.13.* negatiuè,& ita cohærenter videtur reſpondendum in hac ſecunda ſententia; quia qui ita accepit, non tenetur alteri priuilegiato ratione rei acceptæ; hæc enim non erat alteri hypothecata, nec tenetur ex iniuſta acceptione, quia ſuum accepit, & non peccauit accipiendo; ergo quamuis debitor peccauerit, eum præferendo, ipſe tamen non peccauit accipiendo, nec tenetur reſtituere. Confirmatur, quia creditor qui accipit ſuum debitum, non tenetur aliquas partes aliis æqualibus reſtituere, vt *ſuprà* probauimus; ergo idem dicendum eſt de toto reſpectu alterius priuilegiati; quia ſicut hic ratione ſui priuilegij habebat ius, vt totum ſuum debitum præferretur, ita alij æquales habebant ius ad ſuas partes pro rata, & ne in illis poſtponerentur aliis, ſed ex eo quòd poſtponantur ſolum, ſequitur peccare debitorem dando, non verò creditorem accipiendo; igitur,&c. 15.

Ex dictis colliguntur hæc corollaria.

16. *Corollaria. Primum.* Primum eſt, ſi hæres debitoris præferat vnum creditorem aliis, poſſe hunc tuta conſcientia retinere id quod ab eo accepit; quia eadem eſt ratio de hærede, atque de ipſo debitore, quem hæres repræſentat.

Secundum. Secundum eſt, ſi ad manus creditoris res aliqua perueniat, & quæ non ſit hypothecata aliis creditoribus, poſſe cum illa compenſare ſuum debitum; quia in hoc non facit iniuriam, aut violentiam ſuo debitori; quia occultè (vt ſuppono) ſuum

ſuum damnum compenſat, quidquid de detrimento aliorum, quod ille non intendit, nec ex hac compenſatione ſequitur per ſe, ſed per accidens, non enim hic creditor tenetur cum tanto ſuo detrimento aliis conſulere, & à ſe auferre rem, quam iam poſſidet; eo enim ipſo quòd poſſeſſor eſt melior eſt illius conditio.

Tertium.

Tertium eſt, ſi res quæ ei datur à debitore, vel ad eius manus occultè peruenit, alioqui erat hypothecata aliis creditoribus, teneri tunc in conſcientia illis ſatisfacere ratione rei acceptæ, quæ habet huiuſmodi onus.

Dubium de creditore non priuilegiato, an poſſit ſuũ debitum integrè petere, quando alÿ creditores sũt perſonaliter priuilegiati.

Dubitant tamen DD. vtrùm creditor non priuilegiatus poſſit ſuum debitum integrè petere, quando alij creditores ſunt perſonaliter priuilegiati, multi enim id negant, & nihilominus admittunt poſſe in conſcientia accipere, & retinere integram ſolutionem; & ratio illorum eſt, quia debitor in eo caſu peccat ſoluendo, & creditor petendo inducit illum ad tale peccatum, quod eſt illicitum, huius opinionis videtur eſſe Rodrig. *tom. 2. ſummæ cap 46. num. 13.* Cæterùm dicendum eſt, non peccare prædictum creditorem petendo ſuum debitum, ita Molin. *tom. 2. diſp. 537. §. cæterum interrogabis*; quia vnuſquiſque habet ius ad petendum ſuum, & alioqui ratione diligentiæ acquirit nouum ius præferentiæ, & conſequenter debitor non peccat tunc ſoluendo, vt non bene alij dicebant, nec iſte petendo, illum ad peccatum inducit.

Molina.

17. *Quæ perſonæ habeant priuilegium perſonale, vt præferentia in debitis.*

Sunt autem multæ perſonæ; quæ habent priuilegium perſonale in iure, vt cæteris creditoribus proponantur, de quibus extat titulus in iure ciuili de priuilegiis creditorum.

Primò enim conceditur hoc priuilegium perſonale ſponſæ de futuro, quæ dotem ſponſo tradidit, & poſtea non eſt ſecutum matrimonium; habet enim tunc priuilegium perſonale, vt ex bonis ſponſi ei priùs reſtituatur dos, vt habetur *in l. quæſitum. §. ſi perſona, ff. de priuileg. creditorum,* quod priuilegium tranſit ad hæredes ſponſæ ſi ſint filij, aut deſcendentes, non verò ad alios, vt probat Molina *tom. 2. de iuſt diſp* 438.

Molina.

Secundò, conceditur pupillo, vt ex bonis ſui tutoris, imò etiam ex bonis geſtoris ſuorum negotiorum ei priùs ſoluatur, & idem eſt de minore, fatuò, & prodigo reſpectu ſuorum curatorum; an verò hoc priuilegium tranſeat ad hæredes, videri poteſt Molina *tom. 2. de iuſt. diſp. 536 à num. 26.* ſimiliter, an ſit pure perſonale, an cõiunctum cum hypotheca, non diſputamus modò; de his tamen, & ſimilibus priuilegiis perſonalibus, vide Molinam *citatum*, & Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 38.* & Leſſium *lib. 2. cap. 15. dub. 4. num. 34.*

Molin. Azor. Leſſius.

Notandum.

Notabis tamen, vt iam ſuprà diximus, creditores habentes priuilegium reale, ratione hypothecæ ſemper eſſe præferendos creditoribus illis, qui priuilegium perſonale duntaxat habent; vt notat Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5.* Eſt enim fortius priuilegium reale, quàm perſonale; cùm res debitorum, & illorum bona iam ſint obligata, & hypothecata debitis creditorum, & ideo dicitur priuilegium reale, quia directè eſt priuilegium ad res, & bona creditorum, non ad perſonas; ſed de hoc agemus infrà *cap. ſequenti, num. 7.* Inter creditores autem habentes priuilegium reale ij omnibus præferuntur gaudentibus ſimili priuilegio reali, qui alicui debitori mutuum dederunt pro reficienda domo, naui, prædio, aut alia re ſimili; quia eo ipſo huiuſmodi res pro quibus reficiendis debitum contractum eſt, manent ſpecialiter hypothecatæ tali debito, vt docet Molina *tom. 2. diſput.* 438. & Nauarrus *in ſumma cap 17. num. 52.* Leſſius *tom. 1. de iuſtit cap. 25. dubio 4.* Azor. *tom 3. inſt. moral. lib 4. cap. 57.* Malderus. *tract. 4. cap. 6. dub. 5.* Vaſquez *opuſculo de pignoribus, & hypothecis*; & patet ex *l. 2 ff. qui potior. in pignor. habeantur* In iſtis autem habentibus expreſſas hypothecas, qui prior eſt tempore, potior eſt iure, iuxta regulam iuris *in 6.* & idem in tacitis, *l. ſed ſi fundus, C. eodem titulo.* Semper tamen præferendi ſunt illi creditores, qui mutuum dederunt pro reficienda domo, prædio, vel naui; quamuis ſint poſteriores tempore, quia eo ipſo, quòd pro tali re reficienda, & conſeruanda aliquid mutuum dederunt, ratio poſtulat, vt cæteris creditoribus realibus præferantur, etiamſi ipſa res aliis prius eſſet alio titulo, quàm refectionis, & conſeruationis ſui ipſius hypothecata, cùm in ea conſeruanda illis etiam conſultum ſit; nam ſi alioqui periret, etiam illi periret: conſeruata autem omnibus prouentum afferre poteſt, & ideo ratio poſtulat, vt in hac præferentia conſeruatori ſuo ius gratificetur, ſed nos modò agimus de habentibus tantùm priuilegium perſonale.

Molina. Nauar. Leſſius. Azor. Malder. Vaſq.

18. *An illi qui habent priuilegium perſonale præferendi ſint illis, qui non habent.*

Et inquirimus, vtrùm illi, qui habent priuilegium perſonale, præferendi ſint illis, qui non habent priuilegium. Pars affirmatiua vera eſt; quam tenet Molina *tom. 2. diſput. 536. à num. 26.* Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 38.* Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 4. à num. 34.* Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 27.* Rodriguez *tom. 2. ſummæ cap. 46. num 13.* Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5.* Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 17. num. 52.* & alij communiter Fundamentum eſt, quia huiuſmodi creditores habent duplex ius, vnum ratione debiti, quod eſt æquale cum aliis non priuilegiatis; aliud ratione priuilegij, & in hoc illos excedunt. Potuit enim lex ob iuſtas cauſas, illis concedere hoc ius ſpeciale præferentiæ, & de facto illud conceſſit.

Molin. Azor. Leſſius. Sayrus. Rodrig. Syluest. Nauar.

19. *An inter priuilegiatos detur aliqua præferentia.*

Inquirimus ſecundò, vtrùm quando creditores priuilegiati ſunt æquales in priuilegio, quales ſunt omnes habentes priuilegium reale ſimiliter inter ſe comparati, detur inter eos præcedentia ratione prioritatis priuilegij. Pars negatiua eſt communis, loquendo ſpecialiter de habentibus priuilegium perſonale, ſi inter ſe comparentur; hanc tenent expreſſè Azor *tom. 3 lib. 4. cap. 38. quæſ. 3.* Vaſquez *opuſculo de reſtit. cap. 11. dub. 2. num.* 48. Leſſius *lib. 2. cap. 15. dubio 4. à num. 34.* & alij, qui communiter docent regulam illam iuris *lib. 6 Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*; locum tantùm habere in debitis realibus, ſeu in habentibus priuilegium reale hypothecæ. Fundamentum illorum ſumitur ex *l. priuilegia, ff. de priuileg. credit.* vbi dicitur ad præcedentiam inter priuilegiatos perſonales attendendam eſſe cauſam priuilegij, non verò antiquitatem temporis; vt notat Vaſquez, & confirmatur, quia ſi attenderetur antiquitas temporis, vel attenderetur antiquitas debiti, vel antiquitas priuilegij; non attenditur antiquitas debiti, vt diximus *num. 2. huius capitis,* non antiquitas priuilegij, vt patet ex prædicta lege; ergo non datur talis præcedentia ratione prioritatis priuilegij perſonalis. Nec obſtat quòd ex antiquitate in petitione debiti iudiciali, & extraiudiciali oriatur præcedentia, vt *ſuprà* diximus *num. 6.* quia hæc

Azor. Vaſq. Leſſius.

hæc conceditur à iure in eo caſu ſpeciali ratione diligentiæ.

20. Inquirimus tertiò, vtrùm inter huiuſmodi creditores priuilegiatos perſonaliter dentur aliqui magis priuilegiati, qui ratione maioris priuilegij habeant ius præcedentiæ reſpectu aliorum. Reſpondeo affirmatiuè, vt habetur *in l. priuilegia, ff. de priuileg. creditor.* quæ maior præcedentia ſumitur ex cauſa priuilegij. v. c. ſi vni concedatur ex cauſa priuata, alteri ex cauſa publica, priuilegium conceſſum ex cauſa publica præcedit priuilegio conceſſo ex cauſa priuata. Item ſi concedatur ex cauſa pia, & vna ſit magis pia, quàm alia, illa præcedit, vt notat Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 34. quæſ. 4.* Quando enim eſt eadem, & æqualis cauſa, tunc bona debitoris pro rata, & cum proportione inter creditores diuiduntur, ita vt maiori debito maior detur pars.

Azor.

21. Sed quid ſi creditores ita ſe habeant, vt vnus habeat chirographum priuatum, & alter habeat ſcripturam publicam, præualet ne hic ſecundus primo. Affirmat Azor *citatus, tom. 3. lib. 4. cap. 38. quæſ. 4.* dummodo chirographus priuatus non ſit ſubſcriptus tribus, vel pluribus teſtibus integræ fidei, ſi enim hoc numero teſtium ſubſcriptus fuerit & ſit tempore antiquior, quàm ſcriptura publica, præfertur, quia ratione teſtium habetur pro publica ſcriptura.

Idem.

22. Inquirimus quartò, an quando dantur plures creditores priuilegiati priuilegio perſonali, & alius non priuilegiatus ſuum debitum petiuit in iudicio, ſententiamque obtinuit, vt ei ſolueretur, an ratione huius ſententia præferendus ſit aliis priuilegiatis. Molina *tom 2. diſp. 536. num. 43. §. obſeruandum* Quattuor ad hanc quæſtionem reſpondet.

Molina.

Primum eſt, ſi non priuilegiatus ſententiam obtinuit, non tamen mandauit executioni præferendum eſſe priuilegatum, vel magis priuilegiatum; vt colligitur ex *l. inter eos, & in l. in iudicati action ff. de re iudicata*, iunctis gloſſis *ibi*.

Secundum eſt, ſi non priuilegiatus ſuam ſententiam mandauit executioni, præferendum eſſe priuilegium, vel magis priuilegiatum: vt colligitur ex *l. inter eos, & l. in iudicati action. ff. de re iudicata*, iunctis gloſſis *ibi*.

Tertium eſt, ſi non priuilegiatus ſuam ſententiã mandauit executioni, & via iuridica res debitoris vendita eſt, & ex pretio illi ſolutum eſt, debitum vel ſaltem res illi fuit oppignorata, tunc præferendum eſſe hunc non priuilegiatum. Fundamentum eſt, quia priuilegiatus, de quo loquimur, ſolùm habebat ius perſonale; at hic creditor, qui ſententiam, & executionẽ obtinuit, ſi res vendita fuit, & pretium ei traditũ, acquiſiuit dominiũ illius. Si fuit oppignorata, cùm hoc pignus ſit iudiciale, iam habet ius naturale, & cõſequẽter præfertur perſonali.

Quartum eſt ſi vterque ſententiam obtinuit, & qui poſterius obtinuit, prius illam mandauit executioni, huic ſecundum præferendum eſſe, & ita docet etiam Vaſq. *opuſc. de reſt. c. 11. dub. 5. à n. 100.*

Vaſquez.

Capvt XXXV.

Agitur de creditoribus hypothecarijs. Quæritur vtrùm, & quomodo inter ſe comparati præferantur.

Svmmarivm.

Res hypothecatæ ad quemcumque tranſeant, ſemper cum onere reali, & obligatione hypothecatæ tranſeunt. num. 1.

Vſus pignoris, & hypothecæ ad quid fuerit inuentus. num. 2.

Diſcrimen inter pignus, & hypothecam. num. 3. & 6.

Creditores hypothecarij, qui ſint. num. 4.

Hypothecata diuiditur in tacitam, & expreſſam, qualis vtraque ſit. num. 5.

Hypotheca expreſſa appellatur etiam conuentionalis. num. 6.

Creditores hypothecarij, ſeu reales ſemper præferuntur in ſolutione debitorum creditoribus perſonalibus. num. 7.

Priuilegium perſonale cauſa funeris præfertur priuilegio reali hypothecæ. num. 8.

An inter creditores reales, & hypothecarios inter ſe comparatos detur ordo prælationis, & vnde ſumatur talis ordo. num 9.

Hypotheca prior ſemper præfertur poſteriori. numero 10.

In quibus caſibus hypotheca poſterior præfertur priori. num. 11. 14. remiſſiuè.

Vtrùm quando res, quæ erat hypothecata, cum iure prælationis tradita fuit à debitore alteri creditori hypothecario poſteriori, & minus principali poſſit ille tuta conſcientia eum retinere, & quid ſi ad eius manus deueniat. num. 12. & 13.

Quid ſi creditor hypothecarius poſteriori bona fide rem prius alteri in hypothecam traditam accepit, eademque bona fide illam conſumpſit. num. 14.

Quid ſi tunc res ad fiſcum pertinebat. num 15.

An creditor ille, qui pecuniam ſuam habet depoſitam apud depoſitarium, vel apud alios nummularios præferendus ſit aliis creditoribus hypothecariis, num. 16.

An leges humanæ, quæ præſcribunt ordinem reſtituendi, obligent in conſcientia. num. 17 & 18.

Ordo reſtitutionis, quando eſt neceſſarius, & quando non eſt. num. 19.

Et quæ bona prius, quæ poſterius reſtituenda, & ſoluenda ſunt. num. 20. & 21.

Hactenvs egimus de hypothecariis perſonalibus; nunc agendum eſt de realibus. 1.

Res hypothecata cũ onere reali, & obligatione ſemper tranſeunt.

Notandum in primis eſt, quando res aliqua in pignus traditur, aut hypothecæ ſubiicitur, ſiue ex pacto inter debitorem, & creditorem, ſiue ex iuris diſpoſitione, ſiue hypotheca ſit tacita, ſiue expreſſa, ſiue vniuerſalis omnium bonorum, ſiue ſpecialis aliquorum, quæ ſpeciatim aſſignentur, ſemper creditorem comparare ius in re, & in pignore, vt de huiuſmodi bonis ſibi ſoluatur debitum, quando aliunde non fuerit, vnde ſibi ſolui poſſit, quare ad quemcumque bona illa tranſeant, cum illo onere reali, ac obligatione tranſeunt; ita docet Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 2. verſ. quando item res*, & communiter DD. & patet ex *cap. ex literis, de pignoribus*, & ex iure Luſitano *in nouis ordinationibus, lib. 4. titulo 15.* & patebit etiam ex iis, quæ dicemus *cap. 36. num. 15. & cap. 41. num. 3.*

Molina.

Notandum ſecundò, contractum pignoris, & hypothecæ ad nihil aliud fuiſſe inuentum, niſi ad concedendum ius in re pignori, & hypothecæ ſubiecta, idque ad ſecuritatem debiti, & creditorum, vt patet ex *l. horum, ff. de damno infecto, iuncta l. quid de creditoribus, eodem titulo*, vbi dicitur creditorem habere ius in re, & ſermo eſt de creditore, cui pignus, aut hypotheca conſtituta fuit: ita Molina *allegatus, verſ. Aſſerendum hoc.* 2.

Vſus pignoris, & hypothecæ ad quid fuerit inuentus.

Notandum

3. Notandum tertiò, hoc diſcrimen eſſe inter pignus, & hypothecam, quod, vt habetur §. *item Seruiana, verſic. inter pignus, Inſtit. de act.* pignoris appellatione, ea propriè res venit, quæ ſimul etiam traditur creditori, maximè ſi mobilis ſit; at ea quæ ſine traditione, nuda conuentione tenetur, propriè hypotheca appellatur. Comparatur verò ius in re comparatione eius rei, quæ in pignus, vel hypothecam datur ſola pactione, & contractu, aut iuris diſpoſitione abſque alia traditione, vt patet etiam ex *l. 1. ff. de pignoratitia act.* cuius hæc ſunt verba. *Pignus contrahitur, non ſolum traditione, ſed etiam nuda conuentione, etſi non traditum eſt.* In hac autem lege pignus impropriè, & latè vſurpatur, vt hypothecam etiam comprehendat, vt optimè docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 2. verſ. aſſerendum hoc.*

Pignus & hypotheca differunt. Molina.

4. Notandum quartò, ex dictis colligi creditores hypothecarios eſſe illos, quibus res debitorum manent obligatæ pro debito, & hæc obligatio dicitur hypotheca, ratione cuius res ita ſubiicitur creditori pro tali debito, vt ad quaſcumque poſtea manus quocumque titulo deuenerit, ſemper tranſeat cum ſuo onere; ſemper enim creditor habet ius in re, in tali re ſibi hypothecata, vt ex illa ſuum debitum recuperet.

Creditores hypothecarij qui ſint.

5. Notandum quintò, hypothecam diuidi in tacitam, & expreſſam. Tacita alio nomine appellatur legalis, quia inducitur beneficio legis, & iuris diſpoſitione, & tunc datur, quando ex vi iuris aliqua, aut omnia bona debitoris obligantur, & hypothecantur pro debito, quamuis id non exprimatur à debitore, ſic bona mariti ex iuris ciuilis diſpoſitione hypothecata ſunt vxori pro dote, quamuis maritus expreſsè eam nõ obliget in contractu dotali; ſic etiam bona hæretici à die commiſſi criminis ex iuris diſpoſitione cenſentur hypothecata fiſco Regio; & habet fiſcus ius in re ad illa, & poteſt illa auferre, & vindicare ab illis poſſeſſoribus ſub quibus fuerint; nam cùm ex iuris diſpoſitione fiſco ſint hypothecata, ea de cauſa ad quemcumque poſſeſſorem quocumque titulo tranſeant, & perueniant, onus illud ſecum deferunt, vt fiſco debeantur, ſed de hypotheca tacita, & legali dicemus *infra in toto cap. 36. ſequenti.*

Hypotheca diuiſio in tacitam, & expreſſam, & qualis vtraque ſit.

6. Hypotheca expreſſa (appellatur etiam conuentionalis) eſt illa, quæ oritur ex pacto, & conuentione inter ipſos contrahentes inita, v. c. quando debitor expreſsè contractu obligauit omnia, vel aliqua bona pro debito. Diſtinguitur autem hypotheca à pignore, vt dixi,

Hypotheca expreſſa, appellatur etiam conuentionalis, quæ.

Primò, ex parte materiæ nam pignus ordinariè fieri ſolet in rebus mobilibus; hypotheca autem in rebus immobilibus.

Secundò, pignus, vel eſt iudiciale quando ex ſententia, aut mandato iudicis aliquid traditur in pignus, vel ex conuentionali, & ex voluntate contrahentium pendet. De pignoribus, & hypothecis videri poſſit Vaſquez *in opuſc. de hac materia, à pag. 279.* & Molin. *tom. 2. de iuſt. diſp. 528.* Hæc enim breuis notitia ſufficit ad rem præſentem. His notatis inſurgunt hîc aliqua dubia.

Vaſquez. Molin.

7. Primum eſt, vtrùm creditores hypothecarij ſemper præferantur aliis, hoc eſt, vtrùm habentes priuilegium reale ratione hypothecæ, ſiue tacitæ, ſiue expreſſæ, præferantur habentibus priuilegium perſonale tantùm. Et pars affirmatiua eſt vera, eam tenet Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5.* & id ſatis probauimus *cap. 34. num. 8.* Rodrig. *tom. 2. ſummæ cap. 46. num. 13.* Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 37. & 38. q. 1.* Malder. *tract. 4. c. 6. dub. 5.* Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 13.* Molin. *tom. 2. diſp. 536. num. 33. §. poſt hæc omnes*, & alij. Fundamentum eſt, quia creditores hypothecarij, ſiue hypotheca ſit tacita ex iuris diſpoſitione, ſiue expreſſa ex contrahentium conuentione, habent duplex ius, alterum in re ſibi hypothecata, alterum in perſonam debitoris; creditores verò ſimplices, & non hypothecarij habent vnum tantùm ius in perſonam debitorum; ſeu vt verius dicam creditores hypothecarij habent ius primariò in re, ſecundariò in perſonam debitorum. Creditores verò ſimplices habent ius primariò ad perſonam, ſecundariò ad res ſuorum debitorum; & ideo illud primum dicitur ius reale, iſtud perſonale; ſemper autem ius reale præualet perſonali, quia priuilegium perſonale, ordinariè loquendo, nunquam cenſetur conceſſum contra priuilegium reale.

An creditores hypothecarij ſemper præferantur creditoribus perſonalibus. Syluester. Rodrig. Azor. Mald. Sayrus.

8. Secundum eſt, vtrùm aliquando creditor perſonalis præferatur creditori reali, & hypothecario. Reſpondeo affirmatiuè; & caſus eſt, quando priuilegium perſonale datur ex cauſa funeris. Vnde expenſæ funeris moderatæ prius ſoluendæ ſunt, quàm ſatisfaciendum ſit creditoribus hypothecariis habentibus tacitas, vel expreſſas hypothecas in bonis debitoris defuncti; vt eſt textus *in leg. penultima, ff. de Relig. & ſumpt. fun. & in l. ſi quis, §. primo, ff. eod. tit.* nec ſolùm expenſæ funeris, ſed etiam expenſæ factæ pro condendo teſtamento, & faciendo inuentario; quia hæ etiam ad funus ſpectant. Vnde ſi hæ expenſæ totam hæreditatem defuncti, ſeu bona omnia illius exhauriant, hæres defuncti nõ tenetur ad alia debita illius; an autem prædictæ expenſæ funeris ſint moderatæ, vel immoderatæ, arbitrabitur prudens conſideratis circunſtantiis qualitatis, & facultatis perſonarum, ſi enim ſunt immoderatæ, cenſendæ ſunt factæ de bonis ipſius hæredis; quia expenſas ſuperfluas ad honorem, & pompam humanam ſpectantes de alieno facere non poterat. Ita patet etiam ex *l. ſancimus, C. de iur. delib.* docet Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5.* Molina *tom. 2. diſp. 536. num. 32.* Malderus *tract. 4. cap. 6. dub. 6. §. reſpondeo affirmatiuè, dub. 7.* Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 37. § ſextò expenſæ, & cap. 38. §. primò igitur.* Sayrus *in claui regia lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 23* Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 4. in principio.* Fundamentum eſt, quia in hoc caſu funeris, hypothecarij creditores cenſentur rationabiliter conſentire, & ſi non conſentiant, cenſentur irrationabiliter inuiti. Deinde, quia ſi defunctus nulla alia bona habeat ex quibus moderatè ſepeliri poſſit, cenſetur in extrema neceſſitate eſſe; & in extrema neceſſitate de huiuſmodi bonis poſſunt fieri prædictæ funeris expenſæ, & nomine expenſæ funeris, non ſolùm intelliguntur expenſæ, quæ fiunt in ipſo funere, & expenſæ quæ fiunt in ſcribendo, & approbando teſtamento, & inuentario, iuxta omnes citatos authores; ſed etiam expenſæ, quæ fiunt in toto morbo præcedente mortem, vt docet Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 11. num. 83. §. eadem ratione ſequitur.*

Priuilegium perſonale præfertur priuilegio reali. Syluest. Molin. Malder. Azor. Sayrus. Leſſius. Vaſq.

9. Tertium dubium eſt, vtrùm in creditoribus hypothecariis inter ſe comparatis detur ordo prælationis; & vnde ſumatur hic ordo. Reſpondent aliqui hypothecam expreſſam ſemper præferri tacitæ, ita Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5.* Nauarrus *in ſum. Lat. cap. 17. num. 50.* & pro hac parte citat *l. aſſiduis, C. qui potiores in pign. habeantur,*

An inter creditores hypothecarios inter ſe comparatos detur ordo prælationis, & vnde ſumatur talis ordo. Syluester. Nauar.

& l. quamuis, de priuilegijs fiſci. Toletus *lib. 5. cap. 25.* Fundamentum eſt, quia hypotheca expreſſa continetur in ipſo contractu ex voluntate expreſſa contrahentium; hypotheca verò tacita ſolùm habetur ex beneficio legis, & ex diſpoſitione iuris; ſed lex concedens hoc ius, & priuilegium, non cenſetur præiudicare iuri alterius acquiſito per contractum; ergo hypotheca expreſſa præualet tacitæ: at meliùs, & veriùs alij hoc negant, & reſpondent ſi hypotheca tacita ſit antiquior, præferendam eſſe hypothecæ expreſſę. Ita Mol *tom. 2. de iuſt. diſp. 536. §. inter habentes pignus* Malderus *tract. 4. cap. 6. dub. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 4.* Fundamentum illorum eſt fortius,

Molina. Malder. Leſſius.

Primò, quia expreſſa voluntas paucorum contrahentium non poteſt præualere diſpoſitioni iuris: præualeret autem, ſi hypotheca expreſſa, quæ pendet ex voluntate ipſorum contrahentium, præferretur hypothecæ tacitæ inductæ ex beneficio legis, & diſpoſitione iuris.

Secundò, quia ſicut lex, & iuris diſpoſitio non præiudicat iuri acquiſito per contractum, ita contractus non poteſt præiudicare iuri acquiſito per legem, ac proinde ex antiquitate hypothecæ colligendum eſt ius præcedentiæ, non verò ex eo quòd vna expreſſa ſit, & altera tacita.

10. *Hypotheca prior ſemper præfertur poſteriori.*

Illud tamen eſt certum, nunquam hypothecam generalem, præferri particulari, nec particularem generali, ex eo præciſè, quòd generalis, aut particularis ſit, & in hoc conueniunt Doctores. Probabilius etiam eſt hypothecam realem antiquiorem, ſiue expreſſa, ſiue tacita; ſiue generalis, ſiue ſpecialis ſit, ſemper præferri hypothecæ poſteriori, iuxta communem DD. ſententiam. Fundamentum ſumitur ex regula iuris, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.* Quare hæc regula à DD. communiter applicatur debitis realibus, ſeu habentibus hypothecam, non verò aliis, vt expreſsè docet Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 4. & 6.* & Sayrus *lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 19.* & Syluester *verb. reſtitutio 6 num. 5. & verb. pignus, num. 1. verſ. duodecimo,* & patet ex *l. interdum, ff. qui potior. in pignor. habeantur;* optimè tamen animaduertit Molina *tom. 2. de iuſt. diſput. 536. §. licet,* regulariter hoc intelligendum eſſe, quando contractus in quo res hypothecæ, vel pignori ſubiicitur, fuit completus. v. c. hypothecauit aliquis domum, vel fundum alicui pro mutuo pecuniæ quam nondum accepit à mutuante; deinde eandem domum, vel fundum alteri hypothecauit, & ſtatim ab eo accepit pecuniam mutuam; in hoc caſu hæc ſecunda hypotheca præcedit, quia eſt ex contractu perfecto, & completo, prima verò non ita.

Leſſius. Sayrus. Syluester.

11. *In quibus hypotheca poſterior præfertur priori.*

Rogabis tamen, an ſemper & in omnibus caſibus prior, & antiquior hypotheca ſit præferenda poſteriori, an verò dentur aliquæ limitationes, & exceptiones, in quibus hypotheca poſterior præferatur priori. Reſpondeo dari aliquas, & eſſe illas, de quibus plenè dicemus alibi, & videri poteſt Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 4.* Malderus *tract. 4. cap. 6. dub. 5.* Azor. *tom. 3. lib. 4. cap. 37.*

Leſſius. Malder. Azor.

12. *Quid quando res hypothecata vni, cum iure prælationis, tradita fuit alteri creditori poſteriori.*

Quartum dubium eſt, quando res quæ erat vni hypothecata cum iure prælationis, tradita fuit à debitore alteri creditori hypothecario poſteriori, & minus priuilegiato, vel ad eius manus deuenerit, vtrùm hic tuta conſcientia poſſit eam retinere. Ratio pro parte affirmatiua eſt, quia creditor non priuilegiatus, ſi in debito præferatur aliis priuilegiatis perſonalibus, poteſt iuſtè retinere id, quod accepit, vt *ſuprà* reſoluimus; ſed eadem videtur ratio quando creditores ſunt hypothecarij, & vnus eſt magis priuilegiatus, quàm alius; ergo licèt fuerit priùs hypothecata creditori magis priuilegiato, & de facto tradatur alteri minus priuilegiato, iuſtè illam retinere poterit. Minor probatur; quia quemadmodum in primo caſu, quamuis creditor perſonaliter priuilegiatus habeat maius ius in perſonam debitoris, quàm ille, qui non eſt perſonaliter priuilegiatus, tamen quia ille apud ſe rem habet, quam ſine dolo, & fraude accepit, non tenetur eam reſtituere; ſic in ſecundo caſu cùm vterque habeat ius in re, quamuis prior creditor ſit magis priuilegiatus, tamen quia minus priuilegiatus illam iam poſſidet, ratione poſſeſſionis videtur præcedere, quamuis alter habeat ius prælationis.

Nihilominus communis ſententia eſt, ſi res extat, etiamſi bona fide accepta fuerit, & cum 13.
ignorantia alterius hypothecæ magis priuilegiatæ, teneri tamen in conſcientia hunc creditorem poſtquam ſciuit, & notitiam habuit de alterius hypotheca, rem illi reſtituere. Et idem eſt, ſi eam vendidit, & pretium iam conſumpſit, tunc enim ſi bona fide conſumpſit, tenetur ad id ſolum in quo factus eſt ditior, ſi mala, ad totum & integrum pretium rei. Fundamentum eſt, quia in hoc caſu tenetur ex re accepta, hæc enim quandiu extat in ſe vel in effectu, vel pretio, aut valore ſuo, pertinet ad priorem creditorem magis priuilegiatum, non ad poſteriorem. Nec eſt eadem ratio quando debitores ſunt perſonales, quia tunc cùm priuilegiatus non habeat ius in re, alter non priuilegiatus, qui eam accepit, non tenetur ex re accepta, nec iniuſta acceptione, vt patet, & aliunde ratione poſſeſſionis multum videtur excedere aliũ creditorem priuilegiatum; at in caſu hypothecæ poſſeſſio ſecundi creditoris nullo modo ei fauet, quia eſt iniuſta ſupra rem alteri obligatam. Nec refert, quòd minus priuilegiatus bona fide illam acceperit, ignorando rem alteri magis priuilegiato, eſſe prius hypothecatam; id enim ſolùm excuſabit eum à peccato iniuſtæ acceptionis, non iniuſtæ retentionis, à die enim, quo ſciuit rem prius eſſe alteri hypothecatam, iniuſtè retinet. Ita communiter DD. Emanuel Rodriguez *tom. 2. ſumma cap. 46. num. 13.* Nauarrus *in ſumma Latin. cap. 17. num. 52.* Syluester *verb. reſtitutio 6. num. 5. quæſt. 8.* Hinc infertur, vt optimè animaduertunt Nauarrus, & Rodericus, peccare grauiter generos, & nurus recipientes, aut retinentes de bonis ſocerorum id, quod eis debetur, ſcientes eorum bona aliis magis priuilegiatis deberi, & eſſe prius hypothecata, & teneri ad reſtitutionem.

Rodrig. Nauar. Syluest.

14. *Quid ſi creditor poſterior rem bona fide accepit, & conſumpſit.*

Quintum dubium eſt, quando creditor poſterior minus priuilegiatus rem bona fide accepit, & conſumpſit, & in nullo factus eſt ditior, vtrùm teneatur in conſcientia, quando poſtea id ſciuit, reſtituere æſtimationem talis rei. Reſpondeo negatiuè. Fundamentum eſt, quia poſſeſſor bonæ fidei non tenetur in eo caſu ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, vt patet, nec ex aliquo contractu tacito, quaſi verò illa conſumptio ſit cõditionata, & cum onere, vt ſi poſtea conſtet de priori hypothecario, ei reſtituatur; quia hæc conditio tacita ſine fundamento ibi admitteretur, cùm non includatur in tali conſumptione, nec admittatur à DD. etiam in conſumptione rei alienæ reſpectu veri domini; ergo à fortiori non eſt admittenda reſpectu hypothecarij.

Sed

15. *Quid ſi tunc res ad fiſcum pertinebat.*

Molina.

Sed rogabis, an quando res conſumpta ad fiſcum pertinebat, habeat fiſcus actionem ex peculiari priuilegio ad agendum contra creditorem, qui bona fide conſumpſit. De hac quæſtione videri poteſt Molina *tom. 2. diſp. 536. num. 20.* vbi exiſtimat non concedi actionem fiſco repetendi rem conſumptam bona fide, & ideo reſoluit in nullo foro teneri huiuſmodi creditorem aliquid in hoc caſu reſtituere, ſi conſtet de bona fide. Nec obſtat *l. pecunia, ff. de priuilegiis fiſci,* vbi conceditur actio fiſco ad repetendam prædictam rem bona fide conſumptam; quia huiuſmodi lex fundatur in mera præſumptione malæ fidei, nos autem ſupponimus conſtare euidenter de bona fide conſumentis, & ideo ſi in foro externo de tali bona fide conſtet, ceſſabit talis actio, & non concedetur; ſed hęc magis ad Iuriſperitos, quàm ad forum conſcientiæ Theologorum ſpectant, & ideo breuiter nos expediuimus ab hac quæſtione.

16. *An creditor, qui pecuniã ſuam habet depoſitam apud numularios, vel alios, præferendus ſit aliis creditoribus hypothecariis.*

Sextum dubium eſt, vtrùm creditor ille, qui pecuniam ſuam habet depoſitam apud numularios, vel apud alios, præferendus ſit aliis priuilegiatis hypothecariis. Ratio dubitandi ſumitur ex *l. ſi ventri, §. in bonis, ff. de priuileg. cred.* vbi expreſsè dicitur creditores deponentes eſſe poſt priuilegia, id eſt, poſtponendos eſſe priuilegiatis, è contrario verò *in l. ſi hominem, §. quoties, ff. depoſiti,* expreſsè dicitur præferendos eſſe, quæ leges videntur inter ſe pugnare: vt tamen illarum intellectum percipiamus,

Depoſitum quotuplex ſit.

Notandum eſt, depoſitum eſſe duplex; vnum quod tranſit in dominium depoſitarij, qualis cenſetur pecunia; quæ apud aliquem deponitur numerata, non tamen obſignata ſtemmate, vel clauſa in arcula, vel ſaccis. Alterum eſt depoſitum, quod non tranſit in dominium depoſitarij; ſed manet ſub dominio deponentis, qualis eſt pecunia obſignata, aut ſacculis, vel arcis clauſa, & aliæ res ſimiles, hoc ſecundum depoſitum præfertur omnibus debitis, & de eo intelligitur lex *ſi hominem*; primũ verò non ita, & de illo loquitur lex *ſi ventri*, & conſequenter non ſibi contra dicunt huiuſmodi leges, quia loquuntur de diuerſis depoſitis. ita docet Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 34. quæſ. 5.* & Saytus *in claui Regia, lib. 10. tract. 5. cap. 10. num. 20. quæſ. 5.*

Azor. Saytus.

17. *An leges humanæ, quæ præſcribunt ordinem reſtituendi, obligent in conſcientia.*

Septimum dubium eſt, vtrùm leges humanæ, quæ præſcribunt ordinem reſtituendi, obligent in conſcientia, an ſolùm præbeant actionem ad comparandum debitum in foro externo. Duo genera legum hìc poſſunt conſiderari, primo genere continentur illæ quæ in vnoquoque Regno, vel Prouincia circa hanc materiam eſſe ſolent. In ſecundo ponuntur leges ciuiles iuris communis inſertæ in corpore ipſius iuris. Communis omnium ſenſitiua eſt, vbi dantur leges particulares loci Regni, aut Prouinciæ, has eſſe obſeruandas; vbi verò hæ non reperiuntur, obſeruandum eſſe ius commune, & in conſcientia omnes obligare, hoc eſt, tam leges particulares, quàm leges iuris communis, vbi non dantur particulares; ita Azor *tom. 3. lib. 4. cap. 36. quæſ. 7.* Turrian. *2. 2. diſput. 19. dub. 4. num. 5. cap. 10. num. 12.* Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 11. dub. 2. num. 50.* Fundamentum eſt, quia lex humana potuit ob bonum commune conferre ius prælationis aliquibus creditoribus, comparatione aliorum, & de facto illud contulit; ergo obligat in conſcientia. Maior patet, quia ſicut lex præſcriptionis ob bonum commune poteſt auferre dominium à priori domino, & de facto illud aufert, & tranſacto tempore præſcriptionis illud confert in poſſeſſorem bonæ fidei, ad puniendam negligentiam, & iniuriam dominorum; ita conſiderata qualitate debiti, & creditoris, poteſt conferre ius præferētiæ, & de facto confert; quia hoc expedit bono communi ad impediendas lites, & ad ſecuritatem contrahentium. Conſequentia probatur, quia illæ leges non ſunt præſumptiuæ, id eſt, non fundantur in præſumptione; ſed ſunt directiuæ intendentes bonum commune; deinde contrahentes in ſuis contractibus tacitè includunt hanc conditionem, vt debita, & contractus fiant iuxta formam, modum, & ordinem præſcriptum in prædictis legibus; ergo tacitè ſe obligant ad ſeruandum talem ordinem, & conſequenter ad illum tenentur in conſcientia.

Azor. Turrian. Leſſius. Saytus. Vaſquez.

18. *Obiectio.*

Obiicies, hæ leges in conſcientia æqualiter obligant debitorem, & creditorem; ſed ſimplex creditor, qui à debitore alteri creditori perſonali priuilegiato præfertur, non tenetur in conſcientia ex vi harum legum illi reſtitutionem facere, vt ſuprà diximus; ergo non obligant in conſcientia. Maior patet, quia lex contulit creditori priuilegiato illud ius prælationis, & creditor quicumque ſit quando contrahit cum debitore, contrahit in forma legis, & conſequenter iam ſe exponit periculo illius prælationis; ergo poſtea non poteſt ſimiliter creditor retinere integrum debitum quod accepit prætermiſſo priuilegiato. Reſpondet Molina *tom. 2. diſp. 536. in fine,* leges, quæ præſcribunt prælationem creditoribus perſonalibus, potiùs videri pro foro externo. At illæ quæ reſpiciunt debita realia in vtroque foro obligare; quæ verò ſit maior ratio in vno, quàm in alio, non aſſignat. Ad argumentum ergo reſpondendum eſt illas leges obligare debitorem in conſcientia ad ſeruandum hunc ordinem. Deinde obligare etiam creditorem priuilegiatum, vt illi ſtet, ſi debitor alium creditorem non priuilegiatum præferat, vel inter æquales pro rata diuidat, tenetur enim tunc contentus eſſe cum ſua parte, & non poteſt debitorem pro maiori vexare, nec eam per vim auferre, non tamen obligare creditorem abſolutè, vt ſe ſpoliet partibus, quæ ex voluntate debitoris, vel aliunde ſine vi, & fraude ad illius manus perueniunt; ſuppoſito enim quòd tales res non ſunt obligatæ alteri, & alioqui ſunt in manu creditoris; videtur rationi, & æquitati conſentaneum, ne lex humana tunc creditorem obliget cum tanto rigore; alia tamen eſt ratio, quando res hypothecata erat, vt *ſuprà* diximus.

Diluitur. Molina.

19. *Ordo reſtitutionis quando neceſſarius, & quando non.*

Ordo autem reſtitutionis non eſt neceſſarius, quando debitor poteſt ſoluere omnia debita, quæ contrahit. quando autem non habet bona quibus omnibus ſuis creditoribus ſatisfaciat, conueniunt DD. priùs eſſe reſtituendas eas res alienas, quas vnuſquiſque apud ſe habet, quæque apud illum extant, quocumque modo habeat ſiue furto, ſiue depoſito, ſiue inuento, reſtituendas, inquam, eſſe dominis, vel pauperibus in dominorum defectum, quia ſi extant huiuſmodi res, nondum illæ in habentis dominium tranſierunt: itaque primo loco reſtituenda ſunt ea bona, quæ nunquam fuerunt ſub dominio debitoris, qualia ſunt bona furtiua depoſita, & inuenta, & alia ſimilia, quæ adhuc apud ipſum extant in eadem ſpecie numerica, hæc enim ſimpliciter ſunt aliena. Ita Baldus *in l. pro debito, C. de bon. auct. iud. poſſid.* quem omnes DD ſequuntur. Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 25. initio.* Syluester *verb. Reſtitutio 6. num. 5.* Idem dicendum eſt de re empta, ſed non ſoluta, & de re alterius,

Bald.

Tolet. Syluester.

quæ ab eo fuit ſine iuſta cauſa abdicata, & alteri collata, v.c metu, vel iniuria, *l. metum, §. cùm autem, ff. quod metus cauſa ſit*, Baldus, Sylueſter, & Toletus *allegati*, itaque iuxta communem DD. ſententiam reſtitutio, quæ ratione rei acceptæ facienda eſt, priùs fieri debet.

20. Secundo loco facienda eſt reſtitutio ratione acceptionis iniuſtæ, ſeu iniuſtæ actionis, & tunc oportet priùs reſtituere certa, id eſt, ea quorum domini cognoſcuntur, quàm incerta, quorum domini ignorantur; ita etiam DD. communiter Toletus, Baldus, & Syluester *allegati*, & omnes quos citauimus *cap. 33. num. 1.* Quod caput omnino vide, ibi enim ordinem poſuimus, quo debita de contractu, & ex delicto ſoluenda ſunt; & inquiſiuimus, an aliquo principio debita ex contractu licito prius ſoluenda ſint, quàm debita ex furto, & vſuris.

Et quæ bona priùs, quæ poſteriùs reſtituenda ſint.

Tertio loco reſtituendum eſt creditoribus hypothecariis, & inter hos illi præferendi ſunt, qui habent hypothecam magis priuilegiatam, ſiue ratione temporis antiquioris, ſiue ex alia cauſa inter creditores hypothecarios cæteris paribus præferuntur vxores pro dotibus ſuis, non ſolùm omnibus habentibus priuilegium perſonale prælationis; ſed etiam omnibus habentibus hypothecam etiam anteriorem, vt vult Syluester *verb. Reſtitutio 6. num. 5. verſ. Secundo poſt*, & id probat ex *l. aſſiduis, C. qui potior. in pign. habeantur*, & facit *l. vbi, C. de iur. dom. & l. 2. C. de ſeru. pignor. dat.* Non tamen præferuntur vxores filiis ex priori matrimonio agentibus de dote materna contra nouercam, *C. qui potior. in pignor. habeantur, leg. vltima*, ſed de hac præferentia dicam latiùs alibi. 21.

LIBER

LIBER OCTAVVS

In octauum Præceptum Decalogi.

AGGREDIMVR *octauum Præceptum, quod totum ſitum eſt, in proximorum iniuriis, in iudicio, & extra iudicium, contra proximum, & dictis & factis: & primùm agemus de verborum iniuriis extra iudicium proximo illatis, ac proinde de detractione, & contumelia, de honore, & dedecore, de infamia, & bona fama, & de iudicio temerario, & in ſuſurratione aliquid miſcendum erit. Poſtea agemus de teſtimoniis falſis in iudicio dictis, & de peccatis, quæ in iudicio à iudice, tabellione, & perſonis, ex quibus iudicium externum conſtituitur, committuntur: hæc enim omnia ſub iſto præcepto comprehenduntur, & ad finem de horum reſtitutione, Deo dante, tractabimus, quantum per anguſtias temporis permiſſum fuerit.*

CAPVT I.

Quid ſit fama, & infamia, detractio, & contumelia, honor, & dedecus, quomodo inter ſe diſtinguantur, & an ex ſua natura huiuſmodi vitia peccata ſint mortifera, & quàm grauia.

SVMMARIVM.

Quid ſit fama, & infamia apud Iuriſtas & Theologos, num. 1. *Refertur ſpecies infamandi.* ibid.
Quid ſit detractio, & quomodo definiatur, num. 2.
Quid ſit contumelia. num. 3.
Contumelia vnde dicta. num. 4.
Quid ſit honor, num. 5. *Poteſt aliquis eſſe vitioſus & dignus honore.* ibid. fine.
Quibus modis detractor, & contumelioſus poſſint honorem alicui auferre. num. 6.
Quid ſit dedecus. num. 7.
Detractio, & contumelia ex ſuo genere ſunt peccata mortifera, & grauius peccatum eſt contumelia, quàm detractio. num. 8.
Contumelia, & detractio grauiora ſunt peccata, quàm furtum ex genere ſuo. num. 9.
Sunt minora, quàm homicidium. num. 10.
Homicidium grauius peccatum eſt, quàm adulterium, & adulterium, quàm detractio, & contumelia. num. 11.
Ledere famam alicuius per detractionem, & contumeliam, eſt grauius peccatum furto, leuius homicidio, & adulterio. num. 12.

1\.
Infamandi ſpecies.

NOTARI velim primò plurimas eſſe ſpecies infamandi aliquem, quæ omnes ad quatuor præcipuas reducuntur, de quibus ſpeciatim agemus, ad detractionem ſcilicet, contumeliam, iudicium temerarium, & inſuſurrationem; hi ſunt quatuor præcipui infamandi modi, quos inuenio apud authores, de quibus in toto hoc opere breuiter, & dilucidè agemus. Videndum tamen priùs erit, quid ſit fama, & honor, vt videamus quantum ſit malitiæ in vnaquaque harum ſpecierum; apparent enim magis contraria ex contrariorum aſpectu, & oppoſitione.

Fama quid ſit.

Famam igitur ſic deſcribunt Iuris Canonici periti, vt habetur in gloſſa *cap. veſtra, de cohabitatione Clericorum & mulierum, Eſt illæſa dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus.* At iuris ciuilis periti ita eã deſcribunt. *Fama eſt id, quod à maiori parte populi publicatur.* Ita Alexãd. *conſ.* 20. *& conſ.* 117. *vol.* 4. *& conſ.* 150. *vol.* 5. *concl.* 4. vnde cõcludit teſtes, qui dicunt ſe audiuiſſe, & publicè ita dici, non probare famam, niſi addant ſe audiuiſſe à maiori parte populi, & idem vult Curt. *in conſilio* 82. *in ſexta concl.* & eam amplectitur idem Alexander *conſil.* 57. *volum.* 3. & Decius *in conſil.* 57. *vol.* 2. *& conſil.* 133. *colum.* 5. Verùm hi non attingunt medullam, attingunt corticem, non frangunt nucem. Fama igitur, vt melior fert opinio Theologorum, ſic propriè deſcribi poteſt. *Eſt bona multorum æſtimatio de aliquo concepta circa eius vitam, & mores.* Ita docet Toletanus *lib.* 2. *de reſt. cap.* 4. *num.* 1. Toletus *lib.* 5. *ſumma cap.* 63. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 9. *art.* 1. *initio, verſ. quinque ſunt.*

Alexand.
Curt.
Decius.
Toletanus.
Toletus.
Sotus.

Infamia quid.

Hinc è contrario *infamia eſt mala multorum æſtimatio de aliquo concepta circa eius vitam, & mores.* Conſiſtunt formaliter fama, & infamia in iudicio, & æſtimatione interna hominum, bona,

vel

vel mala circa aliquem, eiuſque vitam,& mores; quamuis ordinariè,& vulgò ſermo ille, & rumor externus,quibus bonam,vel malam noſtram æſtimationem,opinionémque erga aliquem declaramus,fama,à fando dici ſoleat; infamia autem non ſolùm vitiis,& malefactis publicè geſtis,ſed etiam frequenter per peccatum detractionis contrahitur.

& vnde dicta.

2. *Detractio quid.* *D Thom.* *Caiet.* *Sotus.*

Eſt autem detractio *iniuſta læſio, ac denigratio bonæ famæ alicuius per occulta verba.* Ita D Thomas 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. Caietanus *ibi*, & Sotus *lib.* 5. *de iuſt.quæſt.* 10 *art.* 2. *initio, verſ.ad quæſtionem.* Et ſicut dupliciter poteſt quis in furto proximo nocere,vel per rapinam cum manifeſta violêtia,vel clàm,& ſubdolè per occultum furtum,ita verbis dupliciter poteſt quis proximum lædere,

Primò, ſi manifeſtè, & coram ipſo proximo, quem lædimus, illum conuiciis proſcindamus, & hoc eſt contumelia.

Secundò, ſi occultè, & in abſentia illius, eius famam corrodamus, & eſt detractio. Vnde duo requiruntur ad detractionem; primò, vt aliquid dicatur, aut agatur, ad hoc,vt bona fama, & æſtimatio alicuius in mente alterius denigretur, extinguatúrque; ſecundò, vt id, quod dicitur, vel fit ad famam in mente alterius extinguendam,fiat occultè.nam ſi quis in præſentia alicuius,famæ illius, dictis, vel factis detrahat, iam non erit ſimplex detractio, ſed contumelia.

3. *Contumelia quid.*

Eſt igitur contumelia, peccatum, quo vel dictis, vel factis & irriſionibus in præſentia alicuius honorem illius lædimus, & violamus. propriè loquendo in verbis tantùm conſiſtit, impropriè verò in factis poſita eſt, quatenus rationem habent ſignificandi; nam,vt docet D.Auguſt. *lib.*2. *de doctrina Chriſtiana*, & Sotus *ſtatim citandus*, verba inter homines primas partes habent ſignificandi: facta autem, & res habent ſecundas, & ſic,vt illic docet D Auguſtinus, rebus etiam ipſis conuenit ſigna eſſe aliarum rerum, ſed impropriè. nam iuxta Ariſtotelem *Peribermenias* 1.*cap.*1. verba ſunt indicia earum conceptionum, quas in animo habemus, ex quo fit vt ratio contumeliæ propriè in verbis inueniatur. Hinc dupliciter differt detractio à contumelia,

Detractio & contumelia differunt.

Primò in modo, quia detractio ſemper fit occultè, & in abſentia, contumelia manifeſtè, & in præſentia,& ideo de ratione intrinſeca contumeliæ eſt quòd fiat in præſentia; ſicut enim honor non exhibetur niſi præſenti,vel abſenti, conſiderato vt præſenti, ita contumelia illi oppoſita non fit,niſi præſenti, vel abſenti conſiderato, vt præſenti nam ille, qui honorat aliquem in abſentia, deſiderat maximè, vt illi innoteſcat bonum teſtimonium, quod habet de illius excellentia.

Secundò, differt prædicta detractio à contumelia in fine, in eo quòd detractio directè lædat famam, contumelia honorem,vnde cùm fama, & honor ſint res diſtinctæ, diſtincta erunt hæc quoque vitia; ita docent communiter Theologi cum D Thom.2.2.*quæſt.*73 *art.*1.*in corpore.* Caietanus *ibi* Sotus *lib.* 5. *de iuſt.art.*1.*initio* §. *Quinque ſunt.* Sayrus *lib.*1 2.*cap* 9.*num.*2. *in claui Regia.* Syluester *verb.contumelia, quæſt.*1. Toletus *lib.*5. *cap.*9. *ſummæ* Nauarrus *cap.*12.*num.*7. Filliucius *in octauum præceptum,cap.*3.*tract.*40.*num.*66.

D.Thom. *Caiet.* *Sotus.* *Sayrus.* *Syluester.* *Tolet.* *Nauar.*

4. *Contumelia vnde dicta.* *D. Iſidor.*

Venit autem contumelia à verbo *Contumeo*, quia ille, qui contumelioſus eſt in aliquem, præſente illo, ſuperbus eſt, & verbis tumet in contemptum illius: vnde D Iſidorus *in ſuis Etymologiis*,ita ait. *Contumelioſus ille dicitur, qui velox eſt, & tumet verbis iniuria in aliquem, illo præſente.* Et gloſſa ſuper illud ad Romanos 1. *Contumelioſos ſuperbos,elatos,inuentores malorum.Contumelioſi illi ſunt,inquit,qui dictis & factis, contumelias, & turpia verba dicunt in alios,quibus honorem illorum lædunt, ac offendunt.* Ex quo fit,vt nullum factum, quatenus res eſt, rationem habeat contumeliæ; ſed quatenus verba imitatur, & vim habet ſignificandi. Exemplo res patet,nam dum quis oſtium alicuius infringit furandi animo, non contumelioſus, ſed latro dicitur; ſi autem in contemptum domini illud effringat,contumelioſus erit, quia eo facto ſignificat, ſe dominum contemnere; quapropter volunt aliqui contumeliam à contemptu dici, & deduci nomen contumeliæ à verbo *contemno*, ſed minus propriè.

Eſt autem honor, iuxta D.Thomam 2. 2. *quæſt.* 103.*art.*1.*ad* 2.*& art.*2.*ad* 2 Caietan.*ibi*,& Thomiſtas, *teſtificatio quædam bonæ opinionis, & excellentiæ alterius, verbis,vel ſignis externis facta*; magis autem externis ſignis, quàm verbis conſiſtit; verbis, vt cùm quis aliquem honorificè compellat,vocando eum prudentem,ſapientem,nobilem, virtute præditum; ſignis, vt in geniculationibus, corporis ſubmiſſione,capitis inclinatione, & ſimilibus; cùm enim homines volunt honorari, teſtimonium ſuæ propriæ excellentiæ quærunt, vt bene animaduertit D. Thomas *citatus art.* 1. *in corpore.* Exhibetur autem honor alicui vel propter excellentiam dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, quæ ineſt perſonæ; vel propter diuitias, ſanguinis nobilitatem, vel ob quamuis aliam excellentiam extrinſecam; nam quamuis honor, iuxta Philoſophum *Ethicor.* 1. ſit *exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis*; tamen nomine virtutis intelligitur excellentia aliqua ſuperioritatis, quam in alio recognoſcimus, neque oportet,vt ille, qui honoratur, ſit excellentior honorante,ſed ſufficit, quòd ſit excellentior quibuſdam aliis; ſic Rex honorat Duces,Comites,Marchiones, & artifices excellentes minores ſe,& verò quòd Philoſophus nomine virtutis,intelligat etiam excellentiam aliquam temporalem,patet,quia virtus maiori quoque præmio digna eſt, quàm honoris: eſt tamen honor ſignum demonſtratiuum ipſius virtutis, vt declarat D.Thom.2.2.*quæſt.*103. *art.* 1. *ad* 2. explicans in hanc rem illud Matthæi 5. *Neque aſcendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Vnde patet, poſſe aliquem eſſe vitioſum, & dignum honore,quia in homine vitioſo, poteſt dari ratio excellentiæ, & ſuperioritatis, propter quam honore dignus habeatur.

5. *Honor quid.* *D Thom.* *Caiet.*

Ariſtot.

Poteſt eſſe aliquis vitioſus,& dignus honore.

Dupliciter autem poteſt detractor, aut contumelioſus honorem alicui auferre, mediatè, & immediatè. Mediatè quidem auferendo ab eo per furtum, quod in eo eſt cauſa honoris,v.c.à diuite ſubſtantiam, ob quam ab aliis honoratur, & huic honori poteſt homo renunciare,& de facto renunciant omnes Religioſi quatenus per votum paupertatis renunciant bonis temporalibus & diuitiis, ex quibus conſurgit honor, & titulis etiam temporalibus,vt docet D.Thom.2.2.*quæſt.*186. *art.*2. *ad* 4.& Soarius *tom.*3.*de Relig.lib.*8.*cap.*4.*num.*3. & qui aufert ſcientiam à ſapiente per cerebri læſionem, à viuente vitam,& his ſimilia; vnde ſolus ille honor verus eſt,qui veræ virtuti debetur,cùm ex nulla extranea cauſa, ſed à ſolo Deo pendeat; huiuſmodi autē dedecorationes non faciunt propriam ſpeciem,ſed referuntur ad alias iniurias,v.c.

6. *Contumelioſus quotupliciter poſſit auferre honorem alicui.*

D.Thom. *Soar.*

ad furtum, ad homicidium, & ſenſus priuationem, immediatè auferendo alicui honorem directè & propriè, v.c. afferendo per detractionem & contumeliam in aliorum notitiam, id quod honori proximi officit; ſicut enim honor excellentiæ debetur, ita notitia turpitudinis, cauſa eſt honorationis: afferre autem aliquid in notitiam alterius, pertinet ad rationem ſigni. Vnde cùm, vt *num.* 3. diximus, verba inter homines primariò ſignificent, ſunt enim verba, ſeu locutiones indices cõceptuũ, qui reſident in animo, iuxta Ariſtotelem ſuprà citatum; ſecundariò verò res inde fit, vt ratio detractionis & contumeliæ primariò in verbis, ſecundariò in rebus conſiſtat, vt patet & dictum manet.

Ariſt.

7. *Dedecus quid.*

Ex dictis facile eſt intelligere, quid ſit dedecus, *eſt enim teſtificatio quædam malæ opinionis, vel peſſimæ æſtimationis alicuius hominis verbis, vel ſignis, & magis ſignis, quàm verbis manifeſtata.* Vnde ſi quis hominem virum fuſte cædat, animo dehoneſtandi illum, & auferendi honorem, & ſimiliter verbis iniurioſis offendat, eodem animo, magis illum dehoneſtat fuſte, quàm verbis, vt patet.

8. *Detractio & contumelia quid.*

Patet ſimiliter ex dictis, detractionem, & contumeliam ex ſuo genere eſſe peccata mortifera, cùm vtraque lædat proximum in re graui & contra iuſtitiam, rem grauem & magno pretio æſtimabilem ab eo iniuſtè auferat, detractio famam, contumelia honorem; vnde colligitur grauius quidem eſſe peccatum contumeliæ, quàm detractionis, quia contumelia fit in præſentia, detractio in abſentia, vt expreſsè docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 3. *ad* 2. *& quæſt.* 73. *art.* 1. *in corpore.* Caietan. *ibi.* Sotus *lib.* 5. *de iuſt. art.* 1. *initio,* § *Quinque ſunt*; magis enim (abſolutè loquendo) offenditur quis in præſentia, quàm in abſentia. Præterea contumelia aufert formaliter, ac denigrat honorem; detractio formaliter aufert, & denigrat famam; fama autem ordinatur ad honorem, tanquam ad finem, vnde in ratione finis nobilius quid eſt honor, quàm fama, & cùm peccatum eo grauius ſit, quo nobiliori virtutis fini opponitur, inde eſt, quòd grauius quoque peccatum ſit contumelia, quàm detractio. Vltimò, quia contumelia includit ex ſua natura maiorem contemptum proximi, quàm detractio, quia fit in præſentia; ergo eſt grauius peccatum; ſicut rapina eſt grauius peccatum furto, quia fit in præſentia, cum iniuria, & violentia domini; furtum clàm in abſentia, & illo inſcio. Nec refert quòd inter res temporales videatur fama eſſe pretioſior, vt docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 2. *in corpore,* iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni, & pretioſi.* nam vt ibidem aſſerit D.Thomas, ideo fama inter res temporales cenſetur pretioſior omnibus, quia per defectum illius impeditur homo ad multa, & præclara agenda; at per defectum honoris ad plura, & clariora agenda impeditur, vt patebit conſideranti.

Contumelia peccatum grauius, quàm detractio. D.Thom. Caiet. Sotus.

9. *Contumelia & detractio ſunt grauiora peccata, quàm furtũ.*

Rurſus, cùm contumelia ſit iniuſta læſio honoris, & detractio famæ, & fama, & honor maiora ſint bona, quàm diuitiæ, & quàm alia bona externa, & temporalia, quæ furto ſunt obnoxia, iuxta illud Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* & illud Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine,* &c. Inde eſt quòd peccata detractionis, & contumeliæ eo ſint grauiora ex genere ſuo, quàm furtum, quo præſtantius eſt nomen bonum, ac bona fama, quàm diuitiæ multæ, vt docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 3. *ad* 2. Dixi, *ex genere ſuo,* quia ratione exiguitatis materiæ, in qua quis famam, aut honorem alterius lædit, poteſt eſſe veniale, & furtum ob grauitatem materiæ poteſt eſſe mortale; vt ſi de induſtria in materia leuiſſima de aliquo detrahas, aut illum inhonores, & quia ratione circumſtantiarum fieri poteſt, vt aliquod furtum ſit grauius, quàm aliqua detractio, & aliqua detractio, quàm adulterium, infamare enim totum aliquem ſacrum Ordinem, aut aliquem Prælatum Eccleſiaſticum, grauius eſt peccatum, quàm adulterium.

10. *Sunt maiora quàm homicidium.*

Licèt autem contumelia, & detractio grauiora ſint peccata, quàm furtum ex ſuo genere; minora tamen ſunt, quàm homicidium, nam eo eſt peccatum grauius, quo maius eſt nocumentum, quod infert hominibus, & quo maior eſt læſio, quam illis affert, vnde cùm maius ſit bonum vitæ, quàm bonum famæ, & honoris, cùm hæc ſint bona reparabilia, & illud irreparabile; perſpicuum eſt maius eſſe peccatum homicidij, quàm detractionis, & contumeliæ, vt bene docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 3. imò inter cætera peccata, quæ committuntur in proximum, homicidium eſt grauius, iuxta D.Thom. *ibidem,* per quod tollitur vita proximi, actu exiſtens, nocet enim homini in meliori bono, nempe in vita, quæ eſt bonum irreparabile.

D.Thom.

11. *Homicidium grauius peccatum, quàm adulterium.*

Poſt homicidium autem, eſt adulterium, vnde etiam homicidium eſt grauius adulterio; adulterium autem grauius eſt peccatum, quàm peccatum detractionis, & contumeliæ, iuxta eundem D.Thomam *allegatum,* quia per adulterium impeditur via ordinaria ad generationem humanam, per quam datur introitus ad vitam; via autem ordinaria eſt coitus matrimonialis, & non extra matrimonium. Nec refert quòd adulterium vniat duos, marem, & fœminam in vnam carnem; detractio autem, & contumelia diuidat homines in charitate vnitos, in quantum vnus per hoc, quod mala alterius manifeſtat, & bonam famam illius denigrat, proximos ab eo occaſionaliter diuidit, ac ſeparat, vt dicamus maius eſſe peccatum detractionis, & contumeliæ, quàm peccatum adulterij, quia deformitas adulterij non ſumitur ex coniunctione corporum, ſed ex deordinatione generationis humanæ, per quam impeditur via ordinaria ad vitam hominis generandi.

Et adulterium, quàm detractio, & contumelia.

Nec etiam refert quòd detractio & contumelia occidant animam; homicidium autem, & adulterium corpus proximi, vt inde quis inferat, grauius eſſe peccatum detractionis, & contumeliæ, quàm homicidij & adulterij, & eo grauius, quo grauius eſt occidere animam, quàm corpus, quia adulterium, & homicidium vtrumque occidunt, & anima per peccatum mortale, quod committitur; & corpus, quod occiditur, vt manifeſtum eſt, & docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 3 *ad* 2.

12. *Lædere famã alicuius per detractionem & contumeliam eſt grauius peccatum furto, leuius homicidio, adulterio.* Leſſius. D.Thom. Caiet. Sotus.

His veluti præmiſſis ſic firmiter ſtatuo: lædere famam alterius per detractionem, vel contumeliam, eſt peccatum lethiferum ex genere ſuo, grauius quidem furto, leuius tamen homicidio, & leuius adulterio, ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 3. *num.* 11. 12. *&* 13 D.Thom. 2.2. *quæſt.* 73. *art.* 1. 2. *&* 3. Caietanus *ibi.* Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 9 *art.* 1. *&* 2. quòd ſit ex genere ſuo peccatum mortale, patet.

Primò, quia nihil æternam meretur pœnam, niſi mortale ſit crimen; conuitiator autem, & detractor iudicio Chriſti Domini merentur æternam pœnam, iuxta illud Matth. 5. *Qui dicit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis*; ergo detrahere de fama alicuius eſt peccatum mortale ex genere ſuo.

Secundò

Secundò, quia lædit hominem in grandi, & notabili illius bono, nempe fama. Quòd ſit grauius, probatur, quia famæ bonum excedit bonum pecuniæ,& quia quo bona magis ſunt ab homine remota, minùs ab eo æſtimantur,& quia melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, *Prouerb.* 22. Quòd ſit leuius homicidio, inde eſt manifeſtum, quia bonum famæ eſt magis externum homini, quàm vita, nam bonum vitæ eſt irreparabile, & bonum famæ reparabile,ac proinde eſt minus præſtans,quàm vita; quòd etiam leuius ſit adulterio, patet; quia adulterium triplicem continet malitiam,

Primò, contra bonum prolis naſcituræ, impediendo viam naturalem generationis illius.

Secundò contra ſanctitatem matrimonij.

Tertiò,contra iuſtitiam,& ius coniugis: at detractio, & contumelia vnam tantùm malitiam continet,nempe contra bonum famæ;hoc tamen non tollit,quod ratione circumſtantiarum, & grauitatis materiæ ex parte furti, leuitatis autem ex parte detractionis, aliquod furtum ſit grauius aliqua detractione, vt ſi fureris ab homine aliquid, ex quo vita illius pendeat omnino.

CAPVT II.

Vtrùm Chriſtianus teneatur contumeliam ſuſtinere, an poſſit contumeliâ contumeliam, & detractionem detractione repellere, & quando detractores, auditores & relatores peccent mortaliter, vel non peccent.

SVMMARIVM.

Vnuſquiſque Chriſtianus tenetur habere animum paratũ ad præferendas cõtumelias & detractiones, n.1. Licitè tamen poteſt aliquando contumeliã contumelia,& detractionẽ detractione repellere, ibid.

Qui directa intentione nocendi de alio detrahit, peccat ex genere ſuo mortaliter; qui verò ex loquacitate detrahit, ſine intentione nocendi ex genere ſuo,talis detractio,cùm ſit materialis,eſt venialis, ex grauitate tamẽ materiæ poteſt eſſe mortalis,n.3.

Quando poſſit eſſe venialis detractio cum formali intentione nocendi. num. 3.

An ſit peccatum mortiferum reuelare defectus naturales alicuius,vt quòd ſit ignobilis,filius Presbyteri, ignauus, illiteratus, &c. num.4.

Qui de aulico dicit illum eſſe amoribus deditum, de milite decepiſſe puellam, habere concubinam, non eſſe veritatis amatorem, & de nobili iuuene eſſe prodigum, an mortaliter peccet. num.5.

An peccet mortiferè,qui generalibus nominibus peccatorem aliquem infamat, appellando illum ſuperbum,auarum, &c. Et quid ſi perſona ſit valde grauis. num.6.

In detractionibus, & contumeliis ad indicandum an ſit mortale, vel veniale peccatum, ad quid attendendum eſt. num.7.

Qui audit grauiter de alio detrahentem,ita vt illum ad detrahendum animet, moneat,vel excitet,grauius peccat, quàm detractor. num.8. & 9.

Quid de eo qui audit ex odio,& lætatur, non tamen monet & excitat, num.10.& 11.

Cui peccatum detractionis non placet, audit tamen, & non reſiſtit, cùm poſſit, quando peccet mortaliter, & quando venialiter, num.12.& 13. Quid ſi ſuperior non impediat. ibid.

Non eſt peccatum detractionis ſi quis ſeruato ordine correctionis fraternæ patefaciat crimen occultum ſuperiori de ſubdito ſuo. num.14.

STatuo primò. Vnuſquiſque Chriſtianus tenetur animo eſſe præparato ad preferendas omnes contumelias, & detractiones; licitè tamen aliquando poteſt illatam detractionem,& contumeliam ſimili contumelia, & detractione repellere. 1. *Concluſio prima.* Probatur prima pars quoad animi præparationem; quia in his,quæ contra nos ſiunt, neceſſaria nobis eſt patientia in animi præparatione,iuxta expoſitionem D. Auguſtini ſuper illud Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe illi & alteram*,hoc eſt,eſto præparatus, vt ſi neceſſe fuerit,alteram percuſſionem ſuſtineas, & iuxta expoſitionem D. Ambroſij *lib.* 10. *in Lucam*,explicans illud Chriſti Domini Lucæ 22. *Domine, ecce ſunt duo gladij hic;qui non habet, vendat tunicam ſuam,& emat gladium.* O Domine, inquit D. Ambroſ. *cur iubes me emere gladium, quem vetas promi;mitte gladium tuum in vaginam, ſi quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe illi & alteram? vt ſit,inquit,parata defenſio,non vltio neceſſaria,& videatur potuiſſe vindicare iniuriam, ſed noluiſſe.* Præparatio autem animi nobis à Chriſto præcipitur, præcepto affirmatiuo; præceptum autem affirmatiuum non obligat pro ſemper, ſed cùm neceſſe fuerit,& ratio,ac circumſtantia temporis poſtulauerit; ergo licèt animum habere teneamur præparatum ad ſuſtinendas æquanimiter detractiones, iniurias, & contumelias perferendas, non tamen ſemper re ipſa illas tenemur ſuſtinere,ſed cùm ratio poſtulauerit, ac proinde licitè poſſumus aliquando contumeliam contumelia, & conuitium conuitio propellere ad noſtram iuſtam defenſionem;& ita docet Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 9. *art.* 3. §. *Hoc tamen ſolemne.* Sayrus *in claui Regia*, *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 11. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum*, *cap.* 3 *num.* 85.& D.Thom. 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 3. Caietanus *ibi*,& alij; quod duplici ex capite probatur.

D.Auguſt. D.Ambroſ. *Conuitium conuitio repellere aliquando licitum.* Sotus. Sayrus. Filliuc. D.Thom. Caiet.

Primò,propter bonum contumelioſi,vt tumentem illius animum infringamus,ne iniuriis,& detractionibus inſoleſcat, & aſſueſcat, iuxta illud Prouerbiorum 26. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne ſibi ſapiens videatur.*

Secundò, propter bonum tam præſentium, quàm abſentium,qui contumeliis affectum ſolent nonnunquam minoris facere,ac reputare; ex quo ſequitur quòd eius authoritas, & doctrina minus proficiat. Vnde D. Gregorius ſuper Ezechielem Prophetam, homil. 9. *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita,debent, ſi poſſunt,detrahentium verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterunt, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Nec obſtat illud eiuſdem ſapientiæ Prouerb. 26. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis ei videaris*, non enim hic locus contrarius eſt illi primo, nam illic ſolùm nobis conceditur iuſta defenſio, hîc autem prohibetur iniuſta offenſio,& ideo hîc dicitur,ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis ei videaris, quod perinde eſt ac dicere, ne ei reſpondeas animo offendendi, & conuitiandi illum,vt ille facit,ſed reſponde illi,te iuſtè defendendo, D. Gregor.

fendendo, quantùm ſatis ſit, vt iniuriam à te propellas, & illius infringas audaciam, neque vt ei ſubſultes, aut illum in vindictam lædas.

2. Nunquam enim nobis eſt licitum propria authoritate iniurias vindicare, adeſt enim ad hoc negotium publica authoritas tribunalium iuſtitiæ præparata; quare quando contumelioſo nobis reſpondere liceat, prudentia maxima opus eſt, ne labamur: & ideo in primis ad propellendam contumeliam, nunquam nobis eſt licitum, falſum teſtimonium alicui affingere, quia id eſt pernicioſum mendacium, neque etiam licitum nobis eſt, defectum vllum publicum, vel occultum per modum vindictæ conuitianti, aut detrahenti obiectare, ſed per modum defenſionis, vim vi repellendo: hoc eſt, non licet illi obiicere crimen quod impertinens eſt ad obterendam eius authoritatem, ſed illud tantùm, quod ad id eſt neceſſarium: vt ſi me quiſpiam latronem appellet, aut ſicarium, vel dicat, me originem à ſãguine Hebræorum habere, quæ eſt apud Luſitanos maxima, & fœdiſſima iniuria, poſſum dicere eum eſſe mendacem, & in confirmationem ad infirmandam eius fidem patefacere illius mendacia, vt in eo, in quo me vult lædere, ei fides minuatur, & non habeatur: ſi autem me appellat latronem, non licet mihi eum ſicarium appellare, nec ſi me concubinarium appellat, mihi licet eum latronem vocare; ſicut non licet percutientem repercutere, iam enim id vindicare erit iniuriam non repellere, vt optimè notauit Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 9. art. 3. §. Hoc tamen ſolemne, ad finem*; poſſum tamen illum appellare mendacem, & verbis, & exemplis oſtendere illum mentiri, & mendaciis eſſe aſſuetum, vt ſic ei fides infringatur. *Soto.*

3. *Concluſio ſecunda.* Veniamus ad ſecundam partem tituli, quando ſcilicet detrahens, & auditor peccent, vel non peccent lethiferè; qua de re ſtatuo ſecundò, ſi directè intendas, detrahendo lædere famam alterius, erit formalis detractio, & graue peccatum mortale: ſi autem id non intendas, ſed quia loquaculus es, & cum quadam loquacitate, & leuitate animi alterius peccata, aut defectus enarres, erit detractio materialis, quia læſio famæ alienæ non eſt à te intenta, nec directè volita; mortalis tamen, aut venialis erit iſta materialis detractio, iuxta grauitatem, aut exiguitatem materiæ, in qua famam alterius offendis; nam ſi grauiter famam proximi lædis, erit peccatum mortale, ſi leuiter, veniale; ita docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 73. art. 2. in corpore.* Caietanus *ibi*, Leſſius *lib. 2. cap. 11 de detract. & contumelia, dub. 3. num. 11. 12. & 13.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10 art. 1. & 2. concl. 1. & 2.* Toletus *lib. 5. ſumma cap. 63. num. 5.* Syluester *verb. Detractio, num. 2.* & alij communiter. *D. Thom. Caiet. Leſſius. Sotus. Tolet. Syluester.*

Probatur primò, quia peccata verborum, maximè ſunt ex intentione dicentis iudicanda; ſed detractio, & contumelia ſunt peccata verborum; ergo ſi intentio detrahendi deficiat, non erit propriè, & formalis detractio, ſed materialis. Antecedens probatur; quia cùm verba ſoni tantùm ſint, & re ipſa non offendant facto, ſed ſignificatione, ſignificatio autem ex intentione proferentium ad aliquid exprimendum pendeat, inde eſt quòd detractio, & contumelia, non cenſeantur formaliter tales, niſi ex intentione conuitiandi, & detrahendi proferantur; dicetur autem quis ex intentione detrahere, non ſolùm quando directè, & ex animo id proponit, & facit; ſed etiam quando animaduertit id, quod dicit, famam proximi lædere, & ſine legitima cauſa proferendi id profert, vt docet Sotus *allegatus, concl. 1.*

Probatur altera pars, quia cùm quis expreſsè non intendit lædere famam alterius, ſed ex quadam loquacitate, & leuitate animi, narrat peccata, & defectus illius, deficit intentio detrahendi; ergo non eſt detractio formalis, ſed tantùm materialis, & quaſi per accidens, erit tamen peccatum mortale, ſi verba grauiter offendant famam proximi, quia implicitè vult grauiter lædere, qui verba vult dicere, ex quibus grauis læſio famæ proximi ſequatur. nam licèt quis ex animi leuitate, vel ob cauſam non neceſſariam, ea verba proferat, poterunt verba adeò grauia eſſe, vt grauiter, & notabiliter famam illius lædant, & tunc ſine dubio erit peccatum mortale, quia etſi deficiat intentio detrahendi, tamen hoc ipſum genus verborum ex ſe peccatum eſt mortale, vt patet. Hîc illud ad rem venit D. Chryſoſtomi *homil. 22. ad Populum Antiochenum*, ſuper illud Pſalmi 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos, prohibe linguam tuam à malo. Ecce clamat, inquit, Propheta, dicens, Quis vult emere vitam æternam. Non habes, inquit, argentum abſque argento tolle; non habes pecunias, non lacrymas, non compunctionem. Prohibe linguam tuam à malo, & in ſalutem tibi ſufficiet.* Vnde ſi ſolùm cohibere linguam ad merendam gloriam ſufficit, planè ſufficiet exercere ad demerendam. *D. Chryſoſt.*

Sic ſtatuo tertiò, ſi id quod profertur, & narratur, leue ſit, & parum lædat famam proximi, veniale tantùm peccatum erit, etiamſi ex intentione lædendi enarres, vnde narrare defectus veniales alicuius, veniale tantùm erit, ita Leſſius *ſuprà allegatus, num. 13.* D. Antoninus *2. part. titulo 8. cap. 4.* Syluester *verb. Detractio, num. 2.* Ratio eſt, quia cùm nemo ſit ab his leuibus defectibus liber, non notabiliter læditur fama proximi per illorum narrationem. *Concluſio tertia. Leſſius. D. Anton. Syluester.*

Poteſt tamen iuxta hos authores tam grauis eſſe perſona, vt de ea huiuſmodi defectus veniales publicare, cenſeatur mortale, & graue nocumentum famæ illius: vt ſi quis dicat de viro graui, & Religioſo eum eſſe mendacem: ita Leſſius *dicto lib. 2. cap. 11. de detract. & contumelia, dub. 3. num. 14.* & Salon *2. 2. quæſt. 6. art. 3. dub. 3.* *De viro graui dicere eſſe mendacem eſt peccatum mortale. Leſſius. Salon.*

Ex dictis patet, ordinariè loquendo, non eſſe peccatum mortiferum reuelare defectus naturales alicuius, ſiue veros, ſed occultos, ſiue falſos, niſi inde aliquod notabile damnum ſequatur, ſiue illi defectus naturales ſint animi, ſiue ſint corporis animi, vt ſi dicas, alium eſſe ignorantem, nullius animi, & iudicij: corporis, vt ſi de eo dicas eſſe cæcum, claudum, aut gibboſum. Idem dicendum de defectibus natalium, vt ſi dicas alium eſſe filium Clerici, ſpurium, natum ex Hebræis, aut ex adulterio; excipe, niſi ex eo putetur valde apud illos, qui id audiunt fore deſpiciendus, tunc enim mortale erit, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumelia, dub. 3. num. 15.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 307.* Filliucius *tractat. 32. de iniuſt. & reſtitut. cap. 9. numero 230.* Nauarrus *in ſumma Latina, capit. 18. numero 25. 23. & 22.* ibi, *detegere falſos defectus naturales, puta quòd aliquis ſit luſcus, claudus, mancus, gibboſus, ignarus, & alia huiuſmodi, quæ non pertinent ad bonam famam moraum, non eſt ex ſuo genere, nec regulariter* *4. An reuelare defectus alicuius naturales ſit p.m. Leſſius. P. Nauarra. Filliuc. Nauar.*

mortale, quia id de ſe non infert damnum notabile famæ, nec eſt cauſa inferendi illud; hæc ille. Ratio eſt, quia vitia naturalia ex ſe, & ex natura ſua, non important infamiam, ſicut important moralia, vnde ex natura, & genere ſuo, non erit peccatum mortale illa de aliquo dicere, aut reuelare; per accidens tamen mortale erit, veluti ſi animaduertas exinde malum notabile poſſe proximo aduenire, aut ſi in præſentia alicuius hæc, & ſimilia de illo dicantur, quia eſt notabilis contumelia quando perſona eſt grauis, ſecus ſi vilis, & abiecta.

5. *Dicere de aulico eſſe amoribus deditum, de milite decepiſſe puellam, non eſt peccatum mortale.*

Similiter quando ratione ſtatus, & conditionis perſonæ, vitia moralia & peccata de ſe mortalia iuxta hominum æſtimationem non cenſerentur grauiter famam lædere, horum reuelatio, aut impoſitio, non eſt peccatum mortale, ſed veniale: vt ſi quis de aliquo iuuene dicat illum illicitos, & inhoneſtos habere amores, ac de milite illum commiſiſſe duellum, aut decepiſſe puellam, vel habere concubinam, vel de eo, qui conſuetudinem iurandi habet, cum aliquando in communi conuictu hominum à veritate labi, vel de nobili adoleſcente quòd ſit prodigus, aut deditus amoribus, ita Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. §. ſequetur in medio, & lib. 5. quæſt. 10. art. 2. concl. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 3. num. 17.* Lopez *1. part. inſtruct. cap. 285.* Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 2. 66. n. 5.* Caietanus *2. 2 quæſt. 73 verſu 2, Ad hoc dicitur.* Filliucius *tom. 2. tract. 32 cap. 9 num. 231.* Corduba *de detract. quæſt. 2.* Ratio eſt, quia hæc iuxta communem hominum æſtimationem reſpectu harum perſonarum, non important communiter infamiam, licèt ex ſua natura abſolutè peccata mortalia ſint; oportet tamen in his magnam cautelam habere, quia cùm de ſe mortalia peccata ſint, grauiter nocent, & ſolùm per accidens dicimus grauiter non nocere reſpectu harum perſonarum. Vnde D. Chryſoſt. *homil. 31. ad Populum Antiochenum*, explicans illud Pauli ad Epheſ. 4. *Sit ſermo bonus ad ædificationem, vt det gratiam audientibus, laudatricem, inquit, linguam habeamus, vt amabiles ſimus; ac deſiderabiles, ſed iam ad id malitiæ omnia deuenerunt, vt quæ celare oportebat, in his multi glorientur.*

Sotus. Leſſius. Lopez. Tolet. Caiet. Filliuc. Cordub. D. Chryſoſt.

6. *An qui generalibus nominibus peccatorem aliquem infamat, peccet mort.*

Idem dicendum eſt, ſi generalibus nominibus peccatorum, natura ſua tã mortalia, quàm venialia comprehendentibus, aliquem infames, id enim veniale tantùm peccatum, regulariter loquendo, erit: vt ſi de aliquo dicas illum eſſe ſuperbum, auarum, iracundum, ita Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumelia, dub. 3. num. 18.* Syluester *verb. Detractio, num. 2.* Fillincius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. numero 232.* D. Anton. *2. part. tit. 8. cap. 4. initio.* Nauarrus *in ſumma cap. 18. num. 24.* Ratio eſt, quia hæc nomina, regulariter loquendo, non ita accipiuntur, vt ſonent peccata mortalia, ſed vt naturalem inclinationem, vel leues defectus notent. Et licèt peccata mortalia importent, tamen audientes debent illa in meliorem partem accipere. Fieri tamen poteſt, vt ratione grauitatis, & authoritatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia in hac, vel illa circumſtantia, pro grauibus vitiis habentur, mortale peccatum ſit, vt optimè Nauarrus & Leſſius animaduertunt *locis allegatis*. quare maxima circumſpectione, & animaduerſione in his dicendis, opus eſt; teſtatur enim Nauarrus *num. 25.* ſe noniſſe virum quendam inſigniter probum, & eruditum à comparando egregio munere fuiſſe impeditum ob culpas veniales vanitatis, & iracundiæ falſas, & quendam alium ob falſos defectus generis, & natalium, & viſus, & virium naturalium, ab amicitia, ſibi valde vtili, & honorabili fuiſſe repulſum.

Leſſius. Syluester. Filliuc. D. Anton. Nauar.

Quare ex modò dictis, an, & quando ſit peccatum mortale ex circumſtantiis non ſolùm ex parte perſonæ de qua hæc vitia dicuntur, ſed etiam ex parte perſonarum, coram quibus dicuntur, & ex parte loci, & modi pendet, & ad hæc omnia attendendum prudenti Confeſſario eſt, ad iudicandum, an ſit, vel non ſit peccatum mortale detractionis, & infamiæ, vt optimè docet Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 64. num. 5.* Nauarrus *in ſumma cap. 18. num. 25.* Leſſius *allegatus*, & Caietanus *2. 2. quæſt. 73. art. 2. §. Ad hæc dicitur*, aliique communiter. nam aliquando vitium impoſitum vni perſonæ, leuis eſt infamia, aliquando nulla; multi enim de vitiis ſe ipſos iactant, & gloriantur, cùm malè fecerint, vt iuuenes de re venerea, milites de homicidiis, & concuſſionibus: aliquando hæc eadem vitia graui perſonæ imponere peccatum erit mortale, vt Epiſcopis, & grauibus perſonis Religioſis, & Eccleſiaſticis, Monachis, & Monialibus; creſcit enim iniuria, & materia detractionis ex perſonarum grauitate, vt patet. Conſideranda etiam eſt circumſtantia perſonarum, coram quibus detrahitur & numerus, & qualitas illarum, nam apud vnum diffamare, minus eſt, quàm apud multos, & maius eſt diffamare apud vnum virum grauem, à quo is, qui infamatur, pendet, quàm apud multos, à quibus non pendet, vt docet Sotus *lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 10. art. 2. concluſione 4.* quare quando detractio fuerit mortalis, vel venialis, iudicabit prudens ex omnibus circumſtantiis optimè perpenſis, vt optimè docet Toletus *allegatus dicto num. 5.* 7.

Tolet. Nauar. Leſſius. Caiet.

Maius peccatum eſt infamare aliquem apud virum grauem, quàm apud multos à quibus non pendet.

Auditores detractionum duplici modo ſe habere poſſunt, vno modo ſi audiant detractores directè, & libenter, ita vt illos ad detrahendum dictis, factis, & conniuentia inducant, & animent; alio modo indirectè, ſcilicet, quando non reſiſtunt, & reſiſtere poſſunt; & hoc adhuc dupliciter contingere poteſt, quandoque, quia peccatum detractionis placet, ſed propter aliquem humanum timorem non reſiſtitur detrahenti; quandoque quia non placet. per hæc omnia diſcurremus. 8.

Sic ſtatuo quartò. Qui ita audit grauiter de alio detrahentem, vt detractorem ad detrahendum excitet, inducat, & animet, grauius peccat mortaliter, quàm ipſe detractor, idque ſiue verbis, ſiue modis, ſiue geſtibus id efficiat, ita D. Thom. *2. 2. quæſt. 73. art. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 4. num. 19.* Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 67. initio.* Syluester *verb. Detractio, num. 3.* Nauarrus *in manuali Lat. cap. 8. num. 50.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 4.* Quòd grauius peccet, probatur, quia non ſolùm peccat affectu, & voluntate detrahendi ſicut detractor; ſed etiam quia alteri eſt cauſa detractionis eum mouendo, & animando ad malum, nam detractor ſolùm eſt cauſa ſui peccati; ille verò & ſui & alterius, & tenetur ad reſtitutionem, niſi detractor ipſe reſtituat. Vnde D. Bernard. *lib. 2.* de conſideratione, ad finem, *Detrahere, vel detrahentem audire, vtrum horum deteſtabilius ſit, non facilè dixerim.* 9.

Concluſio quarta. Qui excitat, & animat detrahentem, grauius peccat, quàm ipſe detractor.

D. Thom. Leſſius. Tolet. Syluester. Nauarr. Sotus. D. Bernard.

Statuo quintò. Qui non excitat detractorem ad detrahendum, ſed tantùm ex odio, de detractione lætatur, mortaliter peccat, minus tamen ex obiecto, quàm qui actualiter mouet, & incitat, niſi 10.

Concluſio quinta.

aliunde

aliunde maius ſit odium, peccat, inquam, propriè contra charitatem, quia alieno malo graui lætatur; contra iuſtitiam verò impropriè, quatenus eo opere gaudet, quo alteri iniuſtè damnum infertur, & ſic non tenetur ad reſtitutionem ſi eſt perſona particularis, & non ſuperior, qui ex officio teneatur impedire, poteſt tamen tam grauis eſſe perſona quæ lætatur, & tantæ authoritatis, vt ea lætitia ſit animatio quædam, & ad detractionem moralis inductio, & tunc peccabit directè contra iuſtitiam, grauius quàm detrahens, iuxta dicta, num. præcedenti, ita Leſſius *cit.* & Toletus item *allegatus*; aliquando tamen poteſt quis delectari; ſed non ex odio, ſed ob vanitatem, & otioſitatem, & tunc frequenter eſt veniale peccatum, poteſt tamen eſſe mortale in iis caſibus, in quibus poteſt facilè detractionem grauem, & graue damnum famæ proximi impedire, & non impedit, vt ſtatim dicemus. *Leſſius. Tolet.*

11. *Inſtantia.* Dices, tenebatur impedire damnum, quod inferebatur famæ alterius, & non impediuit; ergo eſt cauſa damni, & tenetur ad illius reſtitutionem.

Diluitur. Reſpondeo teneri ex charitate, non ex iuſtitia, quando id ſine ſuo graui incommodo, & detrimento poterat efficere, vnde non eſt cauſa damni per iniuriam.

Fieri tamen poteſt, vt quis eloquentia detrahentis artificioque, & ingenio lætetur, & nullo modo ei placeat detractio, & tunc quidem mortale non erit; ſi verò de vtroque ſimul lætetur, mortale erit, quia iam conſentit in peccato alterius, ita Leſſius *allegatus num.* 20. & probatur ex illo D. Pauli ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

12. *Concluſio ſexta.* Statuo ſextò. Cui peccatum detractionis non placet, audit tamen illa, & non reſiſtit, cùm facilè poſſit, vel ob negligentiam, verecundiam, aut timorem, peccat quidem aliquando venialiter, aliquando mortaliter, ſemper contra charitatem, nunquam contra iuſtitiam, niſi ex officio teneatur reprehendere; peccat mortaliter quando infamia eſt grauis, & facilè reſiſtere poteſt, & impedire, & non impedit, ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 4. *in corpore.* Caietanus *ibi.* Sotus *lib.* 5. *de iuſtitia, quæſt.* 10. *art* 4. *concl.* 2. & 3. Leſſius *ſtatim allegandus,* & alij. Et ratio eſt quia charitas obligat, vt graue damnum proximi impediamus, quando ille illud patitur inuitus, ſi commodè & ſine noſtro magno detrimento poſſumus, vnde ſi ſit ſuperior, qui ex officio teneatur impedire alterius infamiam, tenebitur id facere, & ad reſtitutionem obligabitur, ſi non efficiat, in defectum ſubditi detrahentis. Vnde ſuperior, qui non impedit ſubditum de fama alterius non ſubditi detrahentem, cùm facilè impedire poſſit, tenetur ad reſtitutionem, niſi ſubditus reſtituat, vt docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 23. *num.* 122. Ratio eſt, quia ex officio illi incumbit ſubditum impedire, & corrigere, ne alteri iniuſtè noceat; ſi igitur non impedit, cenſebitur cauſa moralis damni, ſicut ſi Prætor non impediat furta, & latrocinia ciuitatis, tenebitur ad reſtitutionem, quia indirectè cenſetur cauſa illorum. Vnde ſi ſubditus in abſentia ſuperioris famam alterius læſerit, non tenetur ſuperior illam reſtituere, ſubdito non reſtituente, quia non cenſetur tunc cauſa damni, cùm abſens non potuerit impedire. Peccat ideo venialiter, *D. Thom. Caiet. Sotus Leſſius. Leſſius.*

13. Primò, ſi detractio ſit leuis.

Secundò, ſi ſit grauis, fiat tamen apud vnum, vel duos viros prudentes, & cordatos; qui rem omnino ſilebunt, & apud quos perinde erit, ac ſi apud nullum fieret: iuxta Leſſium *lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel dub.* 4. *num.* 22. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. *initio.* Cordubā *quæſt.* 2. *concl.* 5. Toletanum *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 4. *num.* 334 Secus iuxta Sotum *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 10. *art.* 2. *concl.* 4. vbi aſſerit maius peccatum eſſe infamare aliquem apud vnum virum grauem à quo infamatus pendet, quàm apud multos, à quibus non pendet. Opinio Soti placet mihi, & ratio eius videtur concludens; ſi tamen vir grauis talis ſit, vt ab eo nec modò pendeat, nec pendere poſſit in futurum is, qui per detractionem infamatur, non erit improbabilis prima opinio iuxta aliorum mentem, quamuis, meo iudicio, ſemper improbabilis ſit, nam etſi huiuſmodi vir grauis id apud ſe conditum ſuo ſeruet in pectore, tamen proximus apud illum magnum famæ patitur detrimentum. *Leſſius. Caiet. Cordub. Toletanus.*

Tertiò, veniale peccatum erit, ſi nimia verecundia, vel animi puſillanimitate non audeat reſiſtere, ſic D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 4. Caietanus *ibi,* & Leſſius *allegatus,* & Toletus *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 67. *num.* 3. & 4. quia tunc valde difficile eſt, efficaciter impedire, niſi fortè valde atrox ſit infamia, & grauiſſima proximi incommoda ex ea ſequantur, tunc enim vi ſibi illata, & excuſſa verecundia, tenetur quis modeſtè reſiſtere ſi cogitat ſe poſſe malum impedire, aliàs non; hæc autem regulanda ſunt per regulas fraternæ charitatis, vt bene notat Caietanus *allegatus.* *D. Thom. Caiet. Leſſius. Tolet.*

Quartò, ſi prudentialiter cogitat detractorem breuiter, & efficaciter dictum reuocaturum, & emendaturum, quod dixit.

Quintò, ſi hîc, & nunc prudenter iudicat, auditores non credere, ſic Leſſius *allegatus,* & Toletus *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 67. *n.* 4 Nauar. *cap.* 18. *n.* 37. *Tolet. Nauarr.*

14. Notabis tamen non eſſe detractionem, ſi quis ſeruato ordine correctionis fraternæ patefaciat ſuperiori crimen proximi, vt emendetur, quia non eſt iniuſta famæ læſio, nam pro ſalute animæ proximi iuſtè exponi poteſt periculo fama illius, quia ſalus eſt bonum ſuperioris Ordinis, & pro bonis ſuperioris Ordinis iuſtè, & licitè exponuntur bona Ordinis inferioris, & ſi proximus hoc non vult, irrationabilis eſt; hoc autem locum habet quando veroſimiliter creditur proximū eſſe emendandum, & ſeruato ordine charitatis à Chriſto Domino præſcripto, aliàs non: ſi enim ſpes emendationis non detur, locum non habet fraterna charitas; hoc autem procedit, regulariter loquendo, non in peculiari inſtituto alicuius Religionis, vt *infrà* videbimus. ita communiter DD. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. q.* 1. *art. tertiò ſequitur, verſ. præterea requiritur.* *Sotus.*

SVMMARIVM.

De referente detractionem auditam.

Referens detractiones, quatenus peccet, vel non peccet mortaliter. num. 15.

Qui delicta aliena à ſe audita abſque affirmatione refert apud illos, quos non putat ea credituros, peccat venialiter. num. 16.

Quid ſi crimen auditum ſiue verum, ſiue falſum, ſit valde atrox, vt hæreſis, ſodomia, proditio Principis, vel patriæ. num. 17.

Quid ſi referat apud illos, quos ex mera leuitate putat credituros. num. 18. & 19.

Quid ſi referat delicta aliena audita affirmando ea eſſe vera apud illos, quos putat ea credere, num. 20.

Quid ſi apud illos, quos non ex leuitate ſua, ſed ex natura rei exiſtimat, ea eſſe vera credituros, num. 21.

Quid de eo qui delicta apud illos refert, qui ea ſciebāt, ſed iam ſunt omnino obliti & delicta ſepulta, num. 22. An ille qui adoleſcens ſe iactauit de ſtupro puellæ, teneatur ſenex ſe retractare apud illos, coram quibus ſe adoleſcens iactauit. ibid.

An ſit peccatum mortale referre peccatum vnius occultum vni viro prudenti, & cordato, qui celabit illud, perinde ac ſi illi non fuerit dictum, num. 24.

Hiſtoriographi, an peccent mortaliter ſcribendo in hiſtoriis temporum aliorum vitia. num. 25.

Aſtrologi, an peccent mortaliter, ſi falſa vitia hominibus imponant. num. 26.

15. CIRCA referentem notabis, illum vel poſſe delicta aliena à ſe audita otioſè referre, abſque affirmatione, vel cum affirmatione; & vel apud eos, qui ea nequaquam ſint credituri, vel apud eos, qui ea ſunt credituri, itémque vel apud paucos, & ſimiliter apud vnum tantùm virum grauem, & prudentem, qui ea delicta crediturus eſt, ea tamen celabit omnino, & perinde erit, ac ſi nulli diceret, & poſſe illa referre non ſolùm præſentibus, ſed etiam in poſterum venturis, vt Hiſtoriographi, qui annales ſcribunt, in quibus hominum defectus referunt, perpetuò hominum memoriæ adhæſuros, & apud illos qui re vera illa ſciunt, ſed iam obliuiſcuntur de illis.

16. *Concluſio ſeptima.* Statuo ſeptimò. Ille qui delicta aliena à ſe audita otioſè, abſque affirmatione apud illos refert, quos putat ea non credituros, non peccat mortaliter; ita Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 5. num. 24.* & Sotus *lib. 4 de iuſt. quæſt. 6. art. 3 verſ. Secundo modo.* Nauarrus *in man. Lat. cap. 18. n. 49. & 50.* Ratio eſt, quia ſi auditores id non credunt, nullam incurret proximus infamiam, vt patet.

Leſſius. Sotus. Nauar.

17. Si tamen crimen auditum, ſiue verum, ſed occultum, ſiue falſum ſit (paria enim ſunt hæc quoad infamiam, vt infrà patebit) eſt valdè atrox, vt hæreſis, patriæ & Principis proditio, vel ſodomia, & veriſimile eſſet auditores illud non credituros, ſed in malam ſuſpicionem perſonæ, de qua narratur, venturos, non carebit culpa lethali prædicta narratio, ſi perſona, de qua narratur, fuerit grauis, & honeſta. Et ratio eſt, quia hoc ſi non in totum aufert bonam famam, debilitat tamen illam, & ita infirmat in aliorum animis, vt rem in dubium vertant; in dubio autem fauendum eſt innocenti, & poſſeſſori bonæ famæ: ille autem, de quo id narratur, eſt poſſeſſor ſuæ famæ bonæ, quia ea verba de ſe continent grauiſſimam infamiam, & qui illa vult dicere otioſè, & abſque vlla neceſſitate, implicitè vult infamare, licèt enim non habeat intentionem detrahendi, & infamandi; tamen hoc ipſum genus verborum ex ſe, & ex ſua natura peccatum eſt lethale grauiſſimum, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 73. art. 2. in corpore.* Caietanus *ibi,* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 1. & 2. concl. 1. & 2.* Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 63. num. 5.* Sylueſter *verb. Detractio, num. 2.* Leſſius *allegatus,* & alij; quare cùm auditores in dubio, vel ſuſpicione relinquat, iniuriam ſine dubio facit relator illi, de quo id ipſum refert, vt patet.

D. Thom. Caiet. Sotus. Toler. Sylueſter. Leſſius.

18. Sed quid ſi quis audita crimina aliorum refert apud illos, quos ob meram leuitatem putat ea eſſe credituros, etiam nullam aliam occaſionem dederit, vt ea delicta credantur, præterquam quòd ab ipſo narrentur, imò addat, ſe ita audiuiſſe, ſed nullo modo ea credidiſſe. v. c. audit honeſtam vicinam ſuam de nocte amicum recepiſſe, & id ſtatim in aures viciniæ inſuſurrauit, addens, hoc ego audiui, ſed non credo. Reſpondeo ea de re partitam eſſe opinionem.

Opinio prima. Prima docet eſſe peccatum mortale contra charitatem, non contra iuſtitiam, ac proinde non teneri hunc relatorem ad reſtitutionem, quòd ſit peccatum mortale, docet Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 5. num. 25.* Sylueſter *verb. Detractio, quæſt. 4. verſ. quinto.* D. Thom. 2. 2. *q. 73. art. 4. in corpore.* Caietanus *ibi verſ. ad cuius euidentiam.* Sotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 4.* Adrianus *citatus* à Nauarr. *cap. 18. num. 50.* & alij. Et ratio eſt, quia qui animaduertit ex ſuis dictis, & factis, proximum paſſurum graue aliquod detrimentum in fama, honore, vel fortunis, tenetur illud impedire, ſi commodè poteſt; atqui is poteſt facilè abſtinere à relatione, & narratione talis criminis; ergo tenetur ſub culpa mortali ceſſare ab ea relatione, quamuis detrimentum illud formaliter non proueniat ex ſua narratione, ſed ex malitia auditorum.

Leſſius. Sylueſter. D. Thom. Caiet. Sotus. Adrianus. Nauarr.

Quòd autem non teneatur ad reſtitutionem, docent iidem authores, & probant, quia hic non directè infamat, nec formaliter, ſed tantùm per accidens, & materialiter, quia illius narratio non eſt ex natura ſua talis, quæ fidem faciat; ergo quòd auditores credant, & non habeant bonā famam & opinionem erga illum propter narrantis dicta, id ex malitia illorum prouenit, non ex malitia relatoris, quia non fuit cauſa efficax damni, ita narrando, ſed merè per accidens, ſicut qui narrat audita ab hominibus fide parum dignis, manifeſtatis authoribus, non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi videat auditores id ex ſua leuitate credituros, imò etiamſi id malo animo faciat, quia intentio nocendi non obligat ad reſtitutionem, quando opus de ſe non eſt proximo detrimentoſum, vt latè probauimus *in quinto præcepto de homicidio, lib. 3. cap. 1. num. 7.* & docet Leſſius *lib. 2. cap. 9. de iniuriis in corpus proximi, dub. 16. num. 113.* Nauarr. *in manuali Latino, cap. 17. num. 71.*

Leſſius. Nauar.

Secunda opinio affirmat peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtituendam famam proximo; quia eſt hoc genus detrahendi admodum ingenioſum, peſtilens & nociuum. nam quo quis ſe ſanctiùs iuſtificat, eo grauiùs nocet, quia maiorem ſibi fidem, & authoritatem conciliat, ſic enim fama, vt ait Poëta, vires acquirit eundo. quare non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam peccabit proximum infamando prædicta narratione, & licèt in reſtitutione famæ non teneatur dicere ſe fuiſſe mentitum, quia re vera, vt audiuit, narrauit: tamen tenetur non ſolùm dicere, ſe leuitèr fuiſſe locutum, ſed etiam operam dare, vt ſiniſtram opinionem, quam auditores imbiberunt, abiicant, ac deponant, ſi fortè res publicari incipiat, ita docet expreſsè Sotus *lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 6. art. 3. verſ. quartus denique, folio mihi 316. colum. 2.* Confirmatur hæc opinio ex opinione illorum, qui dicunt deponere pecunias ſecuritatis cauſa apud vſurarium, qui illis abuſurus eſt, ad exercendas vſuras, ſi aliunde deponens habeat, vbi æquali ſecuritate ſuas pecunias cuſtodiat, eſſe peccatum mortale contra iuſtitiam, 19. *Opinio ſecunda.*

Sotus.

D Thom. Nauarr. Salon Turrian. Vaſq.

iuſtitiam, & hi ſunt D. Thom. *quæſt.13. de malo, art 8. ad 18.* Soto *lib.6. de iuſt. quæſt.1. in fine.* Nauarrus *in ſumma cap.14. n.30. illatione 12. alias n. 40.* Salon *2.2. quæſt.78. art.4. controuerſ.4.* Turrian. *tom.2. in 2.2. D. Thom. dub.2. num.2.* Confirmatur etiam ex Vaſq. *opuſc. de ſcandalo, dub.6. n.44.* vbi docet veram eſſe illam regulam, ſcilicet, quoties ſcandalum paſſiuum proximo ſequitur cum damno temporali alterius contra iuſtitiam, ceſſandum eſſe omnino ab opere, etiam ſi ſcandalum ſequatur ex malitia alterius, alioquin imputandum eſſe damnum, occaſionem ſcandali præbenti, cum obligatione reſtituendi. Et ex his opinionibus prima eſt probabilior, & tenenda; iſta tamen ſecunda, ſi bene intelligatur, nec diſplicet omnino, nec improbabilis eſt.

20. *Concluſio octaua.*

Statuo octauò. Qui delicta aliena à ſe audita cum affirmatione, quòd reuera fuerint commiſſa, apud illos refert, quos putat ea credituros, peccat lethaliter contra iuſtitiam proximum infamando, & tenetur illi famam reſtituere: hæc patet ex dictis, quia ſi crimen eſt falſum, imponit illud per affirmationem; ſi eſt verum, ſed occultum omnino, manifeſtat illud contra iuſtitiam, quia dum eſt occultum, ſoli Deo reſeruatur. Hæc à nemine negatur, & probatur ab omnibus qui dicunt peccare mortaliter illos, qui alium per detractionem infamant, ita D. Thom. *2.2. quæſt.73. art.1.2. & 3.* Caietanus *ibi*, & res eſt certiſſima. Vnde optimè in hanc rem D. Chryſoſt. *homil.3. ad Populum Antiochenum*, explicans illud Pſalmi 56. *Lingua ipſorum gladius acutus*, & illud, *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Illa*, inquit, *gladius, hæc calamus erat, quia illa referendo mortalia, mortem operata eſt; hæc diuinam legem ſcribendo vitam, & propterea accuſans dicebat, Os illorum maledictione, & amaritudine plenum eſt, & de ſe ipſo, os meum loquetur ſapientiam.*

D. Thom. Caiet. D. Chryſoſt.

21. *Concluſio nona.*

Statuo nonò. Qui refert audita apud illos, quos credit non ex leuitate ſua, ſed ex rei natura, ita credent, ac ſi ipſe aſſeueranter affirmet, vel eo modo, vt auditores meritò poſſint induci ad opinandum malum de proximo, quamuis nominet narratores à quibus ipſe audiuit, peccat lethaliter cótra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem famæ, ſiue crimen ſit falſum, ſiue verú, ſed omnino occultum: ita Sotus *lib.4. de iuſtitia, q.6. art.3. cap.11. de detract. & contumelia, dub.5. num.28.* Nauarrus *cap.18. num.50.* Sylueſter *verb. Detractio, quæſt.4.* & communiter omnes, patet quia ſi aſſeueranter diceret Petrum adulterium perpetraſſe, & alij id credant, eſto occultè illud committeret, peccaret contra iuſtitiam, & teneretur ad reſtitutionem. Secundò, quia tunc re vera eſt cauſa efficax infamiæ, quam patitur proximus; ergo tenetur ad reſtitutionem, & peccat contra iuſtitiam.

Sotus. Nauar. Sylueſt.

22. *Concluſio decima.*

Statuo decimò. Ille, qui delicta refert alicuius apud illos, qui illa ſciuerunt, ſed de illis ſunt omnino obliti, peccat lethaliter non ſolùm contra charitatem, ſi credat illum ingentem inde mœrorem accepturum, ſed etiam contra iuſtitiam, ita Nauarrus *in ſumma Lat. cap.18. num.47. & 48.* D. Anton. *2. part. tit.2. cap.5. §.3.* Toletus *lib.5. ſumma cap 65. §. Secunda concluſio*, & patebit infrà *cap.4. num.5. & 6.* quia ſi illud crimen ita iam ſit ſepultum, & de eorum memoria deletum, vt credantur de illo nunquam amplius recordaturi, perinde eſt illud renouare, ac de nouo illud alicui affigere, vnde non approbo opinionem Caietani *2.2. q.62. art.2. ad 2 dubium*, dum aſſerit, eum, qui adoleſcens falsò apud æquales iactauit ſe cum aliqua puella rem habuiſſe, & poſteà infamiæ, quam illi intulit ſenex, recordatur, teneri apud eoſdem mendacium reuocare, nec illam approbat Nauar. *in ſumma Lat. cap.18. num.47.* ſi iniuria iam ita ſepulta eſt, vt nemo de illa recordetur, quòd peccet contra charitatem patet, quòd contra iuſtitiam, inde manifeſtè eſt, quia perinde eſt, tunc ac de nouo infamare.

Nauarr. D. Anton. Tolet. Caiet. Nauarr.

23. *Concluſio vndecima.*

Statuo vndecimò, grauius peccare eos, qui delicta aliena referunt apud plurimos, quàm qui referunt apud paucos, & apud Nobiles & graues, ac conſpicuos viros, quàm apud ignobiles & infimæ ſortis homines, & teneri hanc circumſtantiam, vtpote notabiliter aggrauantem in confeſſione aperire in opinione eorum, qui dicunt circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe de neceſſitate confeſſionis, creſcit enim infamia, & iniuria ex numero, & grauitate perſonarum, coram quibus detrahimus, & infamamus, vt optimè docet Toletus *lib.5. ſummæ cap.64. n.5.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap.18. n.25.* Caietanus *2.2. quæſt.73. art.2. §. Ad hoc dicitur.* Leſſius *lib.2. cap.11. de detract. & contumel. dub.3. à num.18.*

Tolet. Nauar. Caiet. Leſſius.

24. *Concluſio duodecima.*

Statuo duodecimò. Licèt multi authores, inter quos eſt Caietanus *2.2. quæſt.73. art.2. dub.1.* quem citat Sotus *lib.5. de iuſt. quæſt.10. art.2. concluſione 4. fol. mihi 451. col.1. initio*, & Pedraza *præcepto 8. dub.1.* Nauarrus *cap.18. num.33.* Graphis *lib.1. deciſion. aur. cap.137.* Tabiena *verb. Detractio, num.3.* Sà *verb. Infamare, num.4.* Petrus Nauarra *lib.2. cap.4. de reſtit. num.334.* Corduba *tract. de detractione, quæſt.2. concl.2.* exiſtiment non eſſe peccatum mortale, cùm quis occultum crimen alienum vni cordato viro ſecretò detegit; apud quem ita celabitur, ac ſi nunquam dictum eſſet, tamen verius eſt iuxta eundem Sotum *ibi*, cui conſentit etiam Leſſius *lib.2. cap.11. de detract. & contumelia, dub.11. num.70.* & fauet D. Thom. *2.2. quæſt.73. art.1. ad 2.* hoc graue eſſe detractionis peccatum; mallet enim vnuſquiſque ſuum crimen notum eſſe potius tribus, aut quattuor minoris authoritatis, quàm vni viro grauiſſimo; quia quamuis ex vna parte maius ſit periculum diuulgationis apud vnum virum grauiſſimum, quàm apud plures alios minoris authoritatis viros, infamia enim non eſt ſolùm accipienda in rigore vocis quando apud plures, ſed etiam ſecundùm rei naturam; quamobrem peccant omnino lethaliter illi, qui niſi vrgentiſſima ſit cauſa corrigendi fratris, vni quantumuis prudenti viro crimen occultum alienum reuelant, nam quamuis illud ſeruet in pectore, tamen alius apud illum graue patitur famæ, & honoris detrimentum, & ita præter Doctores allegatos, tenet etiam Salon *2.2. quæſt. 73. art.2. controuerſia 1.* Valent. *ibi punct.2. dub.1.* Suar. *tom.4. diſp.34. ſect.1. num.2.* Filliucius *tom.2. tract.10. in octauum præceptum, cap.3. num.90.* Banhez *2.2. quæſt.73. art.2.* Molina *tom.2. de iuſt. diſp. 29.* Malderus *tract.7. cap.1. de iniur. in honore, & fama, dub.4. folio mihi 538. col.2.*

Caiet. Sotus. Pedraza. Nauar. Graphis. Tabien. Sà. P. Nauarra. Cordub. Sotus. Leſſius. D. Thom. Salon. Valent. Filliuc. Suar. Molin. Malder.

25. *Concluſio decimatertia.*

Statuo decimotertiò, ſcribentes annalium hiſtorias, non peccant mortaliter, quamuis aliqua turpia enarrent, quæ non ſunt omnino ſecreta, quia id non eſt illis vitio vertendum, ſed officio tribuendum, debent enim fideles eſſe in hiſtoriis conſcribendis; peccabunt tamen lethaliter, ſi ea turpia facta ſcribant, quæ ſunt omnino ſecreta, ſi tamen inuidia, aut odio mortali, vel alio prauo affectu illecti quempiam alicuius vitio notent, non ſunt à peccato liberi, maximè cùm nobili alicui

familiæ notam aliquam inurunt, quæ apud poſteros in perpetua hominum memoria manebit affixa: ita docent, & optimè Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 2. verſ. de Hiſtoricis.* Malderus *tract. 7. cap. 1. de iniuriis in honore & fama, cap. 1 dub 8 folio mihi 542. col. 1.* Molina *ſuprà allegatus*, & Adrianus *quodlib. 11. quæſt. 1.*

Sotus. Malder. Molina Adrianus.

26. *Concluſio decima quarta.* Circa Aſtrologos ſtatuo quartodecimò, hos peccare lethaliter, & teneri ad reſtitutionem, ſi falſa hominibus vitia imponant, latrocinia, & alias turpitudines, nam præterquam quòd ſcientia illorum non ſit certa, ſed coniecturis nitatur, & vt plurimum, vt ſibi authoritatem concilient, plurima mendacia fingant, non eſt tanta vis aſtris attribuenda, vt propterea infames homines reddantur, vnde in iure ciuili ſtatuitur, ſi Aſtrologus conſultus furem aliquem eſſe dixerit, municipialibus legibus damnari poſſe, non poſſe tamen cum illo de iniuria agi, *l. item apud Labeonem, §. ſi quis Aſtrologus*, & ideo etiam *l. nemo, C. de maleficiis*, cautum eſt, vt nemo aruſpicem, aut Mathematicum côſulat, propterea quòd impoſtores ſint, & publici infamatores, & ideo tanquam tales in vltimas terras in exilium ſint emandandi, vt optimè docet Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 10. artic. 2. verſ. Aſtrologos denique, fol. mihi 52. col. 1.* ſed loquitur de iudiciariis, non de Mathematicis abſolutè.

Capvt III.

An liceat aliquando alterum infamare falſum crimen imponendo, aut occultum aperiendo; ſoluuntur multa dubia, agitur de libellis famoſis.

Svmmarivm.

Referuntur modi quibus alter infamari poteſt, n. 1.

Nunquam eſt licitum alium infamare, illi falſum crimen imponendo. num. 2. & cap. 5. num. 3.

An liceat illum, qui falſis virtutibus, & modis bonam famam comparauit, infamare, manifeſtando illius delicta quando ea falſa fama nocet, vel non nocet aliis. num. 3. & 4.

An qui audit notabilem defectum alicuius, ſiue naturalem, ſiue moralem, & procurat ſcire veritatem illius, peccet lethaliter, & quando. num. 5.

Inquirere de vita aliorum, an de ſe ſit mortale, n. 6.

An peccet mortaliter contra iuſtitiam, qui infamat illum, qui falſis virtutibus bonam famam comparauit, quando illa nemini nocet. num. 7.

An illum qui iam de vno crimine publicè infamatus eſt, liceat de aliis infamare ſi ſint eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei. num 8 9. & 10.

An detrahere de fama mortui, occulta illius delicta manifeſtando, ſit mortale contra iuſtitiam, num. 11. *Cui facienda ſit reſtitutio famæ mortui*, n. 12.

An infamans congregationem, vel Religionem, aut Monaſterium vel aliquem ex Religioſis per libellos famoſos, peccet mortaliter contra iuſtitiã, n. 13.

An incurrat excommunicationem ipſo facto, n. 14.

Quomodo hæc reſtitutio facienda ſit. ibid.

Quatenus peccent contra iuſtitiam detractores Religionum, vel Religioſorum non incurrendo in excommunicationem, ſolum enim incurritur per libellos famoſos contra Religionem, non contra vnum Religioſum. num. 15.

Vtrùm conficientes libellos famoſos mortaliter peccent, num. 16. *Et an excommunicationem ipſo facto incurrant, ſi contra alias perſonas illos conficiant.* ibid. vſque ad 22.

Qua pœna in iure ciuili puniantur illi, qui conficiunt, vel diuulgant libellos famoſos contra aliquem. num. 23.

Mvltis modis fieri poteſt detractio, & infamatio, 1. *Modi quibus alter infamari poteſt.*

Primò, crimen falſum ſibi, vel alteri imponendo.

Secundò, manifeſtando verum, ſed occultum.

Tertiò, augendo.

Quartò, in malam partem vertendo bonum factum.

Quintò, negando rectè facta alterius.

Sextò, tacendo ea in loco, & tempore, quo eam taciturnitatem, vituperationem prudentes iudicent.

Septimò, ſimulatè, ironicè, & frigidè aliquem laudando, vt quando quis ſimulat ſe velle aliquem laudare, & nihil affert laude dignum.

Octauò, minuendo rectè facta alterius. Hos omnes modos vno diſticho comprehendit Toletus *lib. 5. cap. 63. num 6. & 7.* vt firmiùs memoriæ affigantur, ibi illum vide, & ſic habet. Toletus.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudátve remiſsè.

2. *Infamare alium nunquã licitum* Certum in primis eſt nunquam eſſe licitum alterum infamare, falſum illi crimen imponendo, affingendóque, quia hoc eſt graue peccatum mortale ex ſuo genere, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 72. art. 3.* Caietanus *ibi*, Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10 art. 1. & 2. & lib. 4. quæſt. 6. art. 3. verſ. poſt hæc ergo, fol. mihi 315. col. 1.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 18. num. 47.* & deinceps. Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 64. num. 1.* Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumelia, dub. 3. per totam.* Syluester *verb. Detractio, num. 2.* & communiter omnes, à nemine negatur, & patebit *infrà, c. 5. num. 3.* Probatur, quia peccatum detractionis ex ſuo genere eſt peius, quàm furtum, magis enim lædit proximum, quàm furtum; nam per furtum auferuntur pecuniæ, per detractionem fama, quæ præſtantior eſt pecuniis, iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi.*

D. Thom. Caiet. Sotus. Nauar. Tolet. Leſſius. Sylueſter.

Nec refert quòd hoc peccatum ſit communiſſimum, vt docet gloſſa ſuper illud Prouerbiorum, *Cum detractoribus ne commiſcearis*; dum aſſerit hoc vitio totum orbem laborare, vt inde illius grauitatem minui dicamus, imò inde magis augetur, & debet perſequi tale peccatum, iuxta illud Dauid Pſalmo 100. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc proſequebar.* Dixi *iniuſtè imponendo*, propter iudicem, apud cuius tribunal innocens probatur nocens, & quem ipſe innocentem agnouit, quo caſu iuſtè illum damnat, & falſum illius crimen facto ipſo, & ſententia probat, iuſtè tamen, & ideo nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur, vt docuimus *in 5. præcepto de homicidio*, & docet Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. verſ. Poſt hæc ergo, poſt initium, fol. mihi 315. col. 1.* nam extra hunc caſum nequit iudex ipſe, ſicut nec vlla alia priuata perſona, in nullo vitæ caſu ſciens, & prudens falſum crimen de alio aſtruere, vel illud ei affingere, aut imponere.

3. *An liceat infamare illum qui falſis* Deinde obſcuratur fama alicuius contra iuſtitiam, verum crimen illius, ſed occultum detegendo, vel in iudicio, vel extra iudicium. Hinc iam

primum

virtutibus bonam famã comparauit.

primum dubium inſurgit, an liceat eum, qui falſis virtutibus, & ſimulatis artibus bonam famam ſibi comparauit infamare, crimen & peccata illius occulta manifeſtando, vt ſic famam illam iniuſtè, & illicitè ſibi partam amittat. Reſpondeo breuiſſimè cum diſtinctione, ſi huiuſmodi falſæ famæ acquiſitio in perniciem Reipublicæ vergat, vt ſi quis ſe fingat peritum Medicum, Aduocatũ, Confeſſarium, pharmocopolam, & de hoc conſtet alicui, licitum eſt illum infamare, veritatem aperiendo, imò non ſolùm id licitum eſt, ſed expedit huiuſmodi fallacias detegere, ne populus pereat, quia ille ius non habet ad falſam famam, cum aliorum damno retinendam, præſertim cùm ea ſit indignus, & tota in pernicioſo errore fundetur. Si autem ea ſimulatio nemini noceat, vt quando pauper fingit pietatem, vt eleemoſynas ſibi compareti, non licet occulta pauperis peccata manifeſtare, niſi ex illa hypocriſi damnum tertio obueniat, cùm enim verè pauper ſit, capax eſt eleemoſynarum. Idem dicendum eſt de illis mulierculis, quæ foris ſanctitatem fingunt, vt eleemoſynis victitent, quæ licèt occultis vitiis laborent, non tamen ſunt manifeſtandæ, ſi pernicioſæ Reipublicæ non ſint, ſuis enim occultis peccatis ſibi tantùm perniciem, non aliis afferunt.

Filliuc. Sotus. Leſſius. Cordub. Tolet. P. Nauar.

Idem de iis, qui ſimulant nobilitatem, eruditionemque ſine periculo, & nocumento aliorum; ita communiter DD. Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum praeceptum Decalog. cap. 4. num. 107.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 2. verſ. poſt hoc ſubſequitur.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. dub. 10. n. 64.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 341.* & Corduba *quæſt. 2. de detract. concl. 4. ad 2.* Tolet. *lib. 5. ſumma cap. 65. verſ. primus caſus.*

4. Adrian. Diſtinguit tamen hîc Adrianus *quodlibeto 11. quæſt. 1.* de fama orta ex virtutibus intellectualibus, vt quòd ſit peritus, & ſapiens; & ex virtutibus naturalibus, quòd ſit nobilis & diues, & de fama orta ex virtutibus moralibus, quæ ad honeſtatem vitæ pertinent, vt quòd ſit ſanctus, bonus, modeſtuſque vir; & ſi fama parta ſit falſis virtutibus moralibus, affirmat licitum eſſe eam fictionem, & mendacium propalare, ſiue vergant, ſiue non vergant in damnum aliorum, quia bonus Chriſtianus debet potius hæc occultare, ſi habeat, quàm mendaciis acquirere, vt prodat; ſi verò ſit parta falſis virtutibus naturalibus, ſeu intellectualibus, illicitum eſſe ait, id manifeſtare, quando non vergunt in damnum aliorum, ſecus ſi vergant, vt vergit in hæreticis, qui falſis interpretationibus Scripturæ, fictis miraculis, & reuelationibus, aliiſque impoſturis ſe fingunt doctos, & à Deo miſſos, vt populum decipiant, tunc enim non ſolùm licitum, ſed obligatio erit eos manifeſtare.

Verùm hæc diſtinctio accommodata non eſt, cùm famam partam falſis virtutibus, ſiue moralibus, ſiue naturalibus, ſi nociua populo ſit, teneamur ex charitate manifeſtare, & aliquando ex iuſtitia, ſi ſuperiores ſimus, licèt occultus impoſtor infametur, nullus enim ius habet, vt cum aliorum damno falſo ſibi famam acquirat, vt docent authores allegati.

5. *Inquirens de aliquo quatenus peccet, vel non peccet.* Hinc, qui audit notabilem defectum alicuius, ſiue moralem culpæ, ſiue naturalem natalis, & procurat veritatem cognoſcere, eam inquirendo, aliquando mortaliter peccabit, aliquando non peccabit, nec venialiter quidem. nam ſi id faciat ex cauſa, & bono aliquo fine, vel ad electionem alicuius officij, vel beneficij, vel cauſa matrimonij contrahendi, nec venialiter peccabit, modò ab iis informationem accipiat, qui veritatem fideliter aperiant, & malitioſè non obſint; peccabit verò mortaliter contra charitatem, vel iuſtitiam, ſi ſine cauſa malo animo, & ſine faciat: res enim ex fine bonitatem, aut malitiam ſumit, ita docet Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 361.* Corduba *in ſumma quæſt. 57.* Et ratio eſt, quia eo ipſo, quòd quis vult matrimonium contrahere, officium, vel beneficium obtinere, neceſſariò debet etiam velle, vt informationes conuenientes de illo accipiantur, & nulla ei iniuria in eo fit, eo enim quòd vult officium, matrimonium, aut beneficium, hanc licentiam tacitam de ſe inquirendi dedit. P. Nauarra. Cordub.

6. *Inquirere de vita aliorũ, an ſit mortale.* Secluſa autem cauſa iuſta, & honeſta, inquirere de vita aliorum ob meram curioſitatem & leuitatem naturalem ex obiecto, non erit peccatum mortale, ſi perſona inquirens ſit grauis, & prudens in quadam opinione (quamuis grauitas, & prudentia meo iudicio ſtare non poſſit cum inquiſitionis leuitate) quia reuelare proximi defectum vni, vel alteri viro prudenti, ac ſapienti, qui non poteſt obeſſe, & ita rem ſilebit, ac ſi nulli diceretur, non eſt peccatum mortale, vt diximus *cap. præcedenti num. 24.* & talis cenſeri debet perſona, quæ ſine malitia de altero inquirit, maximè ſi per ſe, & non per alium inquirit.

Verùm hæc opinio eſt minus probabilis, licèt eam præter eos, quos citauimus *dicto num. 24. capitis præcedentis*, teneat P. Nauarra, & Cordub. *proximè ſuperiori numero alleg.* nemo enim ius habet ad inquirendum de fama, & vita alterius, niſi ſuperior ſit, cui id ex officio & munere incumbat, nec aliquis poteſt tuta conſcientia, ſecluſa cauſa, crimen, aut defectus morales proximi alteri patefacere, qui ius, & cauſam non habeat, inquirendi, quamuis is, cui reuelantur, vir prudens, ac cordatus ſit, vt reſoluimus, ac ſtatuimus *cap. 2. num. 25.* Nauar. Corduba.

7. *An peccet contra iuſtitiam, qui infamat illum, qui falſis virtutibus famã acquirit.* Diximus *num. 3.* peccatum eſſe contra charitatem infamare eum, qui fictionibus, & illicitis artibus bonam famam acquirit, quando huiuſmodi ficta, & ſimulata fama, iis artibus parta, nemini nocet. Dubium inſurgit modò, an etiam peccet contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur, qui hoc efficit: videtur enim non peccare contra iuſtitiam,

Primò, quia hypocrita nullum ius habet ad talem famam, cum mendaciis, ſic acquiſitam; ſi igitur nullum ius habet ad illam, nulla ei iniuria fit, ſi ab eo auferatur.

Secundò, quia quamuis ſit contra iuſtitiam occultum crimen aliorum patefacere, vt dicemus *infrà*; tamen hoc proprium videtur hypocriſis, vt eam patefacere, non ſit contra iuſtitiam, quia intendit decipere, & in falſam opinionem alios pertrahere; & certè his rationibus ductus Adrianus *quodlibeto 11. quæſt. 1.* ait ſolum eſſe peccatum contra charitatem, non contra iuſtitiam, ac proinde ad nullam teneri reſtitutionem, qui hoc fecerit. At verius eſt eſſe contra iuſtitiam; quia quandiu eius malitia eſt occulta, & bonam famam poſſidet, ſine nocumento, & damno tertij, ius habet, vt non iudicetur malus, quia palam nihil improbè geſſit; qui autem prædictam hypocriſim manifeſtat, facit vt poſitiuè iudicetur malus, ac proinde ei facit iniuriam; poſſidenti enim aliquid ſine iniuria alterius, iniuria fit, ſi id ab eo inuito auferatur. Neque obſtat quòd intendat ea hypocriſi falſam opinionem ſuæ virtutis aliis ingenerare, quia Adrian.

Z 4 quia

quia per hoc non efficaciter lædit, nam alij non tenentur poſitiuè credere eſſe talem. Neque etiam hæc eſt bona conſequentia. Titius nullo iure hanc rem poſſidet; ergo non ei fit iniuria, ſi ab eo auferatur, nam etiam latro nullo iure poſſidet rem furto ablatam, & tamen ei fiet iniuria, ſi ab eo furto auferatur; quia ſolus is, qui verus eſt dominus, eam ab ipſo ſine iniuria poteſt auferre; at nullus eſt dominus famæ, quam alter falſis virtutibus acquiſiuit, vt illam ſine iniuria ab eo auferat, ita docet Leſſius *lib.2. cap.11. de detract. & contumelia, dub.10. num.60.* Leſſius.

8. *An illum qui de vno crimine publicè infamatum liceat infamare de alijs.*

Dubium ſecundum ſit, an illum, qui iam de vno, aut altero crimine infamis eſt, liceat de aliis occultis delictis ab ipſo perpetratis infamare coram illis, qui iam ea crimina, de quibus infamis eſt, ſciunt, & alia occulta neſciunt: & de hac re ſic ſtatuo primò, vel illa alia crimina ſunt affinia, & eiuſdem ſpeciei, & rationis cum illis, de quibus eſt iam infamatus; vel diuerſæ: itemque vel ſunt circunſtantiæ illorum criminum, de quibus iam eſt notatus infamia, vel non ſunt; ſi eiuſdem rationis, & ſpeciei ſint, aut circunſtantiæ criminis iam noti, ſtatuo non eſſe peccatum mortiferum ea aperire apud eos, qui iam illis affinia cognoſcunt, & principale delictum ſciunt; ſed circunſtantias illius ignorant. v. c. eſt quis famatus de multis furtis, non erit peccatum mortale vnum aliud furtum occultum illius reuelare, in eo enim non notabiliter fama illius læditur, quia iam eſt ſatis læſa: ſimiliter eſt adulterium vnius publicum, non erit mortiferum peccatum, ſi de illo narres, quòd ſcripſerit, vel munera miſerit, quòd tali, vel tali modo indutus, aut veſtitus illud commiſſurus abierit, & quòd tali, vel tali loco perpetrauerit, licèt hæ circunſtantiæ ignorentur; quia acceſſorium ſequitur principale, at principale iam eſt notum. Item non erit mortale ſi de ebrioſo dicas illum non curare familiam, rixari cum vxore: nec de illo qui inſigne furtum commiſit, affirmare minora commiſiſſe, quia hæc ſunt neceſſariò illis affinia, & non cenſetur noua infamia; opus autem hîc eſt magna prudentia, ad iudicandum, an crimina ſint annexa, necne, ſemper tamen hoc erit veniale peccatum, ita docet Leſſius *lib.2. cap.11. de detract. & contumel. dub.4.* Petrus Nauarra *lib. de reſt. cap.4. num.231.* Corduba *quæſt.2. concluſ.5.* & alij, inter quos eſt Malder. *de iuſtitia tract.7. cap.1. de iniur. inhon. dub.7. fol. mihi 541. col.2.* Leſſius. P. Nauarra. Cordub. Malder.

9. Si verò crimina non ſint eiuſdem ſpeciei, & rationis, nec illis de quibus iam quiſque infamis eſt, affinia: ſtatuo mortiferum peccatum eſſe cum de illis infamare, etiamſi de aliis maioribus iam ſit infamia notatus, vt ſi coram hominibus, qui ſciunt aliquem eſſe ebrioſum, dicas, illum eſſe furem, cùm tamen id ignorent; de fure eſſe publicum concubinarium, & de publico concubinario, eſſe homicidam. nam qui eſt infamis in vno genere vitij, non ideo amiſit ius, quod habet ad bonam famam in aliis virtutibus; ita Leſſius, Corduba, Malderius & Petrus Nauarra *modò allegati*, & eſt communis ſententia Doctorum contra Paludanum *in 4. diſtinct.19. in fine*, & contra Sylueſtrum *verb. detractio, num.2. ad finem*, contrarium aſſerentes, ex eo fundamento, quia cùm in grauioribus iam ſit infamatus, nulla ei fiet iniuria, ſi minus grauia delicta de eo affirmentur, ſi ab eo perpetrata reuera ſint, ſecus, ſi ea illa affingas, vt ſi de notorio homicida veram fornicationem, ſed occultam, patefacias, & dicas illum etiam eſſe fornicarium; ſed reuera meliùs noſtri aſſeuerant Doctores, non enim ille, qui eſt infamis in vno genere vitij, in alio diuerſi generis cenſetur infamis, & pro noſtra opinione eſt etiam Adrianus *quodlibeto 11. artic.1.* & Nauarrus *in ſumm. Latina cap.18. num.42.* & Nauarrus citat etiam D. Thomam *2.2. quæſt.73. art.1.* & Caietanum *ibi*; ſed illi ibi nihil hac de re aſſerunt. Et fundamentum præcipuum noſtræ opinionis eſt, quia ſicut diuerſarum virtutum diuerſa eſt laus; ita diuerſorum criminum diuerſa eſt infamia; fama enim non eſt quid ſimplex, ſed conſtat ex variis quaſi partibus, quarum vna non pendet ab aliis, ac proinde iactura facta de vna parte, non cenſetur facta de aliis. Palud. Sylueſter. Adrian. Nauar. D.Thom. Caiet.

Nec obſtat regula iuris in 6. *Semel malus, ſemper præſumitur malus*; id enim intelligendum eſt iuxta gloſſam ibi, *in eodem genere mali, non in diuerſo.* Vnde ſemel teſtimonium falſum proferens in iudicio in vna cauſa, poteſt ei poni exceptio, & non admitti ad iurandum in alia, quia præſumptio eſt contra illum, quòd ſemel malus inuentus ſit in eodem genere mali, patet ex *cap. paruuli 22. quæſt.5.* & ſemel calumnians, ſemper præſumitur calumniaturus, *l.2. ff. de accuſatoribus, & l. eos, ff. eodem.* Et poteſt hæc dici præſumptio hominis; quia contra hominem, ſic præſumitur, poteſt etiam dici præſumptio facti, quia ex ſemel facto, ſic præſumitur, & ſimiliter poteſt dici præſumptio iuris, quia ius ſic præſumit ex facto, vt patet ex legibus allegatis; ſi tamen quis probet, quòd ſit emendatus, & verè pœnituerit, vlteriùs malus non dicetur. *l. teſtimonium, ff. de adilitio edicto, cap.2. de reſcriptis.* 10. *Quomodo intelligatur regula, ſemel malus ſemper præſumitur malus.*

Tertium dubium ſit, an detrahere de fama mortui, occulta illius delicta reuelando, ſit peccatum mort. v. c. moritur Clericus, vel fœmina coniugata; quæro, an de his poſtea reuelans concubinatum, vel adulterium occultum, peccet mortaliter contra iuſtitiam, & quidem quòd non ſit mortale, illa ratio probat. 11. *An ſit peccatum detrahere de fama mortuorum.*

Primò, quia fama eſt bonum temporale, & bona temporalia, mortuis iam non proſunt; ſunt enim mortui, ac ſi nunquam eſſent. At ſine dubio dicendum eſt grauiter peccare eos, qui mortuis detrahunt, quia, etſi illi non viuant, viuunt tamen in opinione hominum; quæ opinio ſi bona ſit, magni eſt momenti, & valde æſtimabilis; homines enim prudentes, & ſapientes non ſibi ſolùm, ſed aliis viuunt, & proſunt; hinc ſæpe grauiſſimos labores exantlant, vt bonam opinionem ſui nominis poſteris relinquant; quare mortale erit ſine dubio de mortuis, in materia graui detrahere, etiamſi in viuos eis propinquitate coniunctos ea infamia non redundet.

Secundò, quia reuera ex tali detractione ſcandalum generatur, & inſuper nocent viuentibus, qui mortuis ſunt coniuncti, vt filiis, conſanguineis, & amicis.

Tertiò, quia alioquin non eſſet peccatum mortale affingere falſa teſtimonia vita functis, in eorum dedecus, nec etiam falſum dicere de Sanctis, quod impium eſt dicere; ſtatuendum igitur eſt, grauiſſimum peccatum eſſe contra iuſtitiam detrahere de fama mortuorum, & ita tenet expreſſè

P.Nauar. Angles. Malder.

expreſsè Petrus Nauarra *lib.2. de reſtit. cap.4. à num.351.* & Angles *in 4. ſentent. quæſt. de reſtit. honoris.* Malderus *de iuſt. tract.7. cap.1. de iniurys in honore, & fama, dub.8. fol. mihi 541. col.2.* & Molina Theologus *tom. 1. diſput. 28.* aſſerunt tamen Malderus, & Molina (& bene) cæteris paribus minus peccatum eſſe infamare mortuum, quàm viuum; quia ad tranſigendam vitam valde illis neceſſaria eſt fama, ſi non ad vitam abſolutam, ſaltem ad vitam honeſtè tranſigendam.

Molin.

12. *Cui facienda ſit reſtitutio famæ mortui.*

Reſtitutio autem famæ mortuorum, non eſt facienda illius hæredibus iuxta prædictos hos authores, quia iniuria eſt merè perſonalis, & iniuria merè perſonalis non tranſit ad hæredes. Crederem igitur eam reſtitutionem faciendam eſſe ipſis defunctis, tenerique proinde detractores, ſe retractare, ne fama illorum pereat. Iam verò ſi infamia defuncti redundet aliquo modo in familiam, & conſanguineos illius, iiſdem tenebitur detractor ſatisfacere, iuxta hos DD.

13. *An infamans congregationem, &c. peccet contra iuſtitiam.*

Quartum dubium ſit, vtrùm infamans Congregationem, Religionemve, vel aliquem ex illa, peccet mortaliter contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur. Et quidem; ſuppono in primis valde periculoſum eſſe hodie in fide, detrahere de Religioſorum ſtatu in communi, propter hæreticos oſores caſtimoniæ, paupertatis, obedientiæque, in quarum virtutum ſolenni voto tota diſciplina religioſa eſſentialiter conſiſtit, odio enim habent caſtitatem, odio habent obedientiam, & paupertatem, & ideo linguas ſuas veneno plenas in ſtatum religioſum exacuunt, vt optimè notarunt Becanus *tom.3. quæſt.3. de Eccleſia reformata, concluſ.6. verſ. alterum donum, folio mihi 184.* & Petrus Nauarra *lib.2. de reſtit. cap.4. num.354.* hinc illud celeberrimum, imò putidiſſimum Lutheri elogium in lib. de vita coniugali, *Si non vult vxor, veniat ancilla.* O nouum & ſpurcum Euangeliſtam! quis non miretur hos nouos Euangeliſtas non poſſe viuere ſine vxoribus; quæ tanta carnis rebellio? in iis qui ſe iactant agi puriſſimo Spiritu Chriſti, vt Eccleſiam labentem reforment. Audiant Chriſtum dicentem, *Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt, propter regnum cælorum.* Audiant Ioannem Apocalypſis 14 *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, hi ſequuntur agnum quocumque ierit, virgines enim ſunt;* caſti igitur ſequuntur agnum, hæretici impudici Diabolum, & ideo ſi non vult vxor, veniat concubina, putida Diaboli voce inclamant.

Becan. P.Nauar.

14. *An incurrat excommunicationem ipſo facto.*

Notandum eſt ſecundò non ſolùm peccare mortaliter contra charitatem & iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſed etiam incurrere excommunicationem ipſo facto huiuſmodi detractores, & infamatores Religionis Diui Dominici, & Franciſci, vt docet Bartholomæus Medina *cap.14. fol. mihi 184* quæ excommunicatio eſt Papæ reſeruata; at meliùs docent Petrus Nauarra *dicto lib.2. de reſtit. cap.4. num.354.* & Syluester *verb. excommunicatio 7. excommunicatione 48.* & Sayrus *in claui regia, tom. 1. lib.4. cap.4. num.10.* & Graphis *lib.2. deciſion. aurear. cap.137. num.15.* Nauarrus *cap.27. num.109.* non incurrere hanc excommunicationem illos, qui priuatim de aliquo Religioſo, aut de præfatis detrahunt Ordinibus; ſed illos tantùm, qui libellos famoſos, vel cantilenas, vel rhythmos conficiunt, vel detinent apud ſe, vel publicant in prædictorum Ordinum, & ſtatus religioſi infamiam, non in infamiam vnius tantùm Religioſi (& idem dicendum eſt de quauis alia religione mendicante per extenſionem eiuſdem priuilegij) patet ex quodam priuilegio Alexandri IV. incipit, *Ex alto*, & ex alio quod incipit, *Non ſine multa.* vt notat Syluester *verb. excommunicatio 7. excommunicatione 48.* & Fillucius *tract.40. in octauum præceptum Decalogi cap.3. num.81.* Ea autem reſtitutio facienda eſt in ſcriptis, in quibus ſe quiſquam tenetur retractare, eaque debet euulgare ſicut prædictos libellos, & cantilenas euulgauit, vt eadem via reſtituatur fama, quæ fuit ablata, iuxta DD. allegatos, & ſpecialiter iuxta Graphim, & ſi cognitus fuit infamans, debet ſcripta, quibus ſe retractat, firmare, vt famam cum effectu reſtituat.

Medin. P.Nauar. Syluester. Sayrus. Graph in Nauar. Syluester. Fillius.

15. *Quatenus peccent cōtra iuſtitiam detractores Religionum.*

Notandum eſt tertiò, tunc peccare mortaliter contra iuſtitiam detractores Religionum, non tamen incurrere excommunicationem, quando detrahunt de perſona particulari, iam enim diximus, excommunicationem incurri ſolùm per libellos famoſos, cantilenas, & rhythmos, cùm tota Religio infamatur, aut Monaſterium, collegium, Conuentus, aut domus profeſſa Religioſorum: vt ſi dicas, in tali Religione, aut Monaſterio nullam eſſe obſeruantiam, laxatam eſſe omnino religioſam diſciplinam, omnes eſſe infames, & ſimoniacos, niſi id aliàs eſſet notorium, & in eo caſu, quo tota Religio infamatur, non ſufficit remiſſio iniuriæ à ſolo ſuperiori facta, ſed opus eſt, vt fiat de conſenſu omnium Religioſorum, cùm omnes ſint infamati; ſi tamen aliquis peculiaris Religioſus ſit infamatus, remiſſio illius tantùm ſufficiet: ita docet Petrus Nauarra *lib.2. de reſt. cap.4. num 335.* & Sà *verb. infamare, n.2.* Sotus *lib.4. de iuſt. quæſt. 6. art.3. §. ex qua quidem, verſ. ex his autem, fol. mihi 319. col.2.* vbi inquit, ſi infametur ſuperior alicuius Religionis de vitio aliquo, cuius infamia reſultet in perſonam illius tantùm, & non in alios, vt ſi infametur de crimine, in quo ſubditi cùm illo non participent, puta quòd ſit iracundus, aut ebrius, ſatis eſſe reſtitutionem illi fieri, aut ab eo ſolùm remiſſionem illius impetrare, etſi ille remiſſionem infamiæ concedat, licèt malè faciat, & peccet, habet enim famam ſuam officio ſuo (dum eſt Prælatus) emancipatam; ſi tamen eam iniuriam ſibi illatam remittat, crediderim, inquit Sotus, nihilominus infamatorem totum manere; neque quippiam amplius deberi Collegio, ſicut ſi ſuam prodigeret pecuniam, qua egebat, aut erogaret in pauperes, eſt enim ipſe dominus ſuæ famæ, licèt malè illam diſpenſet; ſecus ſi crimen in totum Collegium redundaret: vt ſi infamaretur de hæreſi, aut ſimonia, vnde ſubditi infamiam quoque ſubirent, tunc enim Collegio etiam deberetur reſtitutio, & non ſufficeret remiſſio à ſuperiore tantùm conceſſa.

P.Nauar. Sà. Sotus.

16. *An conficientes libellos famoſos peccent contra charitatem.*

Dubium hìc inſurgit ſpeciale, an conficientes libellos famoſos, peccent mortaliter contra charitatem, & iuſtitiam, & iure communi excommunicati ſint, non ſolùm quando illos conficiunt in præfatas Religiones, ſed etiam in perſonas particulares, dico, iure communi, quia ob priuilegium conceſſum Religionibus iam conſtat ex *num.14.* quo pacto illi ipſo facto ſint excommunicati. Breuiter reſpondeo non ſolùm peccare mortaliter contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam; contra charitatem, quia lædunt proximum in re graui, qualis eſt honor & fama:

contra

contra iuſtitiam, quia vnuſquiſque iure poſſidet honorem, & bonam famam, quam iuſtè, & labore proprio acquiſiuit, vnde non poteſt illis iuſtè ſpoliari, niſi ex legitima cauſa, & à legitimo ſuperiore, qualis non eſt ille, qui libellum famoſum compoſuit; & confirmatur, quia plus hi famam proximi, & honorem lædunt, quàm cæteri, qui verbo ſolùm dehonorant, cùm huiuſmodi ſcripta plurimorum manus terant, faciliùs euulgentur, & firmius hominum memoriis adhæreant, quàm verba; vnde ſi ſolùm qui verbis famam proximi lædunt, mortaliter peccant, vt probatum manet *in cap.1. num.8.* à fortiori, hi etiam mortaliter peccabunt, & ſpecialiter ita docet Filliucius *tractat.40. in octauum præceptum* Filliuc. *Decalog cap.30. num.80.*

17. Non ſunt tamen huiuſmodi nequam homines libellos famoſos conficientes ipſo iure excommunicati in iure communi, ſed poſſunt excommunicari, maximè ſi illos conficiant contra perſonas Eccleſiaſticas. Patet, quia nullibi in iure communi talis excommunicatio contra illos fertur, vt Sayrus. teſtatur Sayrus *in claui regia lib.4. tom.1. cap.4.* Nauar. *num.10* Nauarrus *cap.18. num.35.* Syluester *verb.* Syluest. *libellus, num.5.* & Filliucius *citatus, num.81*, con- Filliuc. tra Salonem *2. 2. quæſt 72. art. 2. controuerſia 2.* qui aſſerit eſſe ipſo facto excommunicatos, præſertim ſi libellus ſit contra Papam, vel Cardinales, ſed, vt notat Filliucius, id nullo ſolido fundamento probat, cùm tantùm dicat haberi eam excommunicationem in quibuſdam Extrauagantibus Pij V. nec tamen illas in particulari referat, nec verba proferat ex quibus id colligatur: vnde credo cum Filliucio eas tantùm contineri excommunicationem ferendam, vel latam in caſu aliquo particulari per ſententiam ab homine.

18. Dixi, *in iure communi*; quia in iure aliquo particulari diœceſis Prouinciæ, vel Regni, poterit eſſe excommunicatio lata, quæ in tali Prouincia locum tantùm habebit, & Regno.

19. Quòd vero excommunicandi ſint, probatur ex *cap. quidam maligni, & ex cap. ſi qui inuenti 5. quæſt. 1.* ſi libelli ſint contra Eccleſiaſticos. nam ſi ſint contra ſæculares, iure Canonico tantùm virgis cædendi ſunt. vt patet ex *cap. qui in alterius 5. quæſt. 1.* quas pœnas innouarunt Pius V. *in Bulla 147.* & Gregor. XIII. *in Bulla 7.*

20. Illi verò, qui huiuſmodi libellos infamatorios reperiunt, ſi animaduertant illos eſſe infamatorios, tenentur eos reſcindere, & delere antequam ad aliorum manus deueniant; quòd ſi non faciant, vltra peccatum mortale, quod committunt, habentur etiam in iure tanquam cooperatores, & ſubiiciuntur iiſdem pœnis, ita habetur *in Bullis citatis*, & capitibus iuris *allegatis*, aliæ etiam pœnæ de iure ciuili incurruntur, tam contra hos, quàm contra conficientes latæ, ſed illud ad nos non pertinet, & inſuper Pius V. *dicta Bulla 147.* incipit, *Romani Pontificis*, iiſdem pœnis ſubiicit eos, qui huiuſmodi libellos inueniunt, & non corrumpunt antequam vim illorum manifeſtauerint, & eos, qui in iiſdem libellis de aliqua perſona particulari oblocuti fuerint, cuius famæ, aut honori vera etiam exprimentes detraxerint. Non dicetur tamen libellum, vel ſcripturam inuentam manifeſtare, qui vni tantùm perlegit, ita Burſatus *conſil.99. lib.1. num. 17.* Cephal. *conſil.341. lib.3. num.28.* quia manifeſtum dicitur quod pluribus innoteſcit, iuxta Bartolum *in l. heres palam 21. ff. de teſtamentis, num.2.*

Contrarium tenet Cherubinus *in dicta Bulla ſcholio 1.* quia Papa iubet quòd inueniens libellum rumpat, & nulli dicat inuentum, dum dicit, *Nec eius vim manifeſtet*; ſed prima opinio præualet, eſt enim conſtitutio pœnalis, & ideo reſtringenda.

Ad finem huius capitis, quæret aliquis, an conficientes libellos famoſos, ſi ſuperioris edicto, vel ſub cenſura iubeantur, vt ſe ipſos prodant, ſe prodere teneantur. Et ratio dubitandi eſt, quia D. Gregor. *in cap. quidam maligni 5. quæſt.1.* excommunicat quemdam, qui libellum famoſum occultè contra alium confecerat, niſi ipſe ſe proderet, vt ita vel probaret, quod obiecerat, vel ſi non probaret, publicè ſe retractaret; vnde gloſſa *ibi* ſentit teneri huiuſmodi homines ſe prodere, ſi iubeantur, ob criminis videlicet atrocitatem. Alij tamen ſentiunt in prædicto capite non fuiſſe præceptum, vt ſe proderet abſolutè; ſed fuiſſe præceptum ſub conditione, vt ſcilicet, vel ſe proderet, vel fuerit excommunicatus, ſi ſe non proderet. ita Caietanus *2. 2. quæſt.69. art.2.* quæ opinio ſupponit poſſe quempiam excommunicari pro peccato præterito, quatenus præteritum eſt, quod hodie communiter non admittitur, vt alibi diximus; quamuis enim poſſit ferri cenſura pro peccato præterito, quatenus pœna eſt, in vindictam ſceleris commiſſi, non tamen quatenus cenſura eſt, & pœna medicinalis, vt pluribus probat Suarez *tom.5. de cenſuris, diſp.4. ſect.5.* Suar. quem vide. 21.

Dicendum ergo eſt,

Primò, neminem teneri ſe prodere ſi occultus ſit, quia nemo tenetur, per ſe loquendo, ſe infamare quando delictum eius eſt occultum; in aliquo tamen caſu peculiari per accidens quando quis alium iniuſtè infamauit, & aliter non poteſt tolli illius infamia, vel aliud nocumentum imminens infamato ex illa iniuria, tunc poſſe iuſtè obligari per excommunicationem ad ſatisfaciendum illo modo, ſe prodendo, quod contigit in illo caſu prædicti cap. *quidam maligni*; cenſuit enim D. Greg. Papa eum, qui libellum ſcripſerat, non potuiſſe aliter ſatisfacere, niſi ſe proderet, fama enim reſtituenda eſt cum læſione etiam famæ propriæ, vt *infrà* dicemus, vt ita vel probaret quod obiecerat, vel confiteretur ſuam falſitatem; quod ſi id facere nequiuiſſet, excommunicatus maneret; hoc enim ipſo, quòd ſatisfacere noluiſſet, ad quod de iuſtitia tenebatur, poterat pro tali peccato, quod adhuc durabat moraliter, excommunicari, ita reſpondet Suar. *lib.5. de cenſ.* Suar. *diſp.4. ſect.5. num.6.* quam reſponſionem approbat Filliucius *tom.2. tract.40. in octauum præceptum Decalogi, cap.3. num.84.* Filliuc.

Aliter etiam reſponderi poteſt, tale præceptum ſe prodendi duobus modis conſiderari poſſe. Primò ſecundùm præcipuam, vel formalem obligationem, quæ erat, vt tolleretur eo modo infamia proximo illata; prodendo enim ſe, ad vnum ex duobus manet obligatus, vel ad probandum crimen obiectum, vel ad ſe retractandum, & ad hoc ſecundum tenetur ex ſuppoſitione, quòd id eſſet medium neceſſarium ad reſarciendum famam proximi læſam, vnde ſi poſſet alio modo tolli ea infamia abſque manifeſtatione infamatoris, non teneretur ille ſe manifeſtare, & ita non maneret excommunicatus, vnde ſi ſufficiat ſe retractare per ſcripta, talem excommunicationem non incurret, vt inſinuat Sotus *de tegendo ſecreto,* Sotus. 22.

m.2.

Suar. Salon. *m.2. quæſt.6. art.2.*& hoc etiam approbat Suarius *allegatus*, *num.*17. & Salon.2. 2. *quæſt.69. art.2. controuerſia 7. ad* 3. quos vide.

23. *Quam pœnam incurrant conficientes libellos famoſos.* Qui libellum famoſum contra alterius honorem conficiunt, in quo vera etiam illius crimina, ſed occulta manifeſtantur, ſecundùm ius ciuile capitali ſententia puniuntur. *l. vnic. C. de famoſis libellis*; quod procedit planè etiam quando prædictum libellum ignarus quis inuenerit, & non ſtatim lacerauerit, vel occultauerit; ſed dolo euulgauerit, quia tunc quaſi author huius delicti capitali ſententiæ ſubiicitur *in d. l. vnica*,& patet ex *cap. ſi qui viuenti* 5. *quæſt.*1. & idem dicendum eſt de eo, qui dicit per huiuſmodi libellos, famam illius, contra quem proferuntur, non lædi, iuxta Graphim *lib.2. deciſion. aur. cap.137. num.16.* in quo nimis videtur rigoroſus.

CAPVT IV.

Vtrùm liceat crimen proximi, quod publicum eſt in vna parte, in alia vbi ignoratur, diuulgare.

SVMMARIVM.

*Crimen vel publicum eſſe poteſt in vno loco iuridicè per ſententiam, vel extra iudicium per publicum factum, quod commiſſum ſit in loco publico. v. c. in foro, in platea, vel per rumorem, & communem famam. num.*1. *Fama publica non ſufficit ad damnandum aliquem in iudicio. ibid. verſ. ſecundo. Quæ iudicia ſufficiant ad torturam. ibi verſ. nec etiam. Quæ ſufficiant ad capturam. ibi verſ. ſufficit tamen.*

*Manifeſtare crimen alicuius quocumque modo publicum in vno loco, in alio vbi non eſt publicum animo nocendi ſemper eſt mortale contra charitatem. num.*3.

*Si crimino ſus publicus, vel per iudicis ſententiam, vel per publicum factum, iam eſt bonam famam aſſecutus, vel illius delicta iam obliuiſcuntur, peccat contra charitatem, & iuſtitiam ille, qui iterum infamat, vel in eodem loco, vel in diuerſo abſque legitima cauſa, & ad reſtitutionem tenetur. num.*4. 5. *&* 6.

*Quæ cauſa legitima eſſe poteſt delicta illius manifeſtandi, & iterum infamandi. num.*7. *&* 8.

*Quid ſi nondum bonam famam ſit conſecutus. n.*9.

*An ſit peccatum mortale contra charitatem, & iuſtitiam delicta illius, quæ patrata fuerunt in occulto, & ſenſim per rumorem fama ſparſa ſunt, & facta publica narrare in alio loco vbi ignorantur, vel in eodem loco iis perſonis, quæ ignorant. n.*10.

*Quid ſi infamatum iuridicè in vno loco, vel per factum quod publicè commiſit in alio loco infamemus ad quem fama illius delicti nunquam perueniet, vel non niſi poſt longiſſimum tempus. num.*11. *&* 12. *Et quid ſi breui tempore perueniat. ibid. & num.*9.

*Quid ſi cum illo tertia alia perſona innocens narrando factum infametur. num.*13.

*Quid ſi ipſi infamato præter infamiam damnum aliquod obueniat. num.*14. 15.

*Multa ſiunt contra voluntatem noſtram, quæ nobis ſunt damnoſa, & ad reſtitutionem non obligant, & quæ n.*16. *An qui ſine vi, & fraude alterum à beneficio & legato impedit, ad reſtitutionem obligetur. ibid.*

*An teneatur ad reſtitutionem ille, qui aliquid accepit ab alio, vt confiteatur in Quadrageſima, aut vt Chriſtianus fiat. num.*17.

*An teneantur ad reſtitutionem iudex, & teſtes, qui aliquid acceperunt pro ferendo teſtimonio vero, & ſententia iuſta, & quid ſi iniuſta. num.*18.

*An qui aliquid accepit pro reddendo depoſito, teneatur illud reſtituere. num.*19.

*An fur, & homicida teneantur reſtituere id, quod acceperunt, ne furentur, & occidant. num.*20.

*An peccet mortaliter ille, qui alibi diuulgat crimen illius, quem ſcinit condemnatum fuiſſe iniuſtè à iudice, aut per falſos teſtes. num.*21.

NOTANDVM eſt primò, dupliciter poſſe eſſe aliquem in eodem loco, & vrbe infamatum. 1.

Primo modo authoritate publica in iudicio damnatum per iudicialem ſententiam, aut confeſſionem rei, vt quia conuictus eſt furti in iudicio contradictorio, & publicè punitus eſt, aut quia pro crimine hæreſis publicam ſuſtinuit ſententiam, & pœnitentiam, vel quamuis aliam infamiæ labem contraxit in iudicio.

Quibus modis dici poſſit quis publicè infamatus. Secundo modo per publicum factum viciniæ, & vrbis extra iudicium, vt quia commiſit homicidium in loco publico, in foro publico, vel via publica, eo tempore quo multis patere potuit, vel quo notum eſt maiori parti vrbis, viciniæ, loci, vbi illud commiſit, aut quia eſt publicus, & manifeſtus latro, aut famoſus homo in hoc, vel illo delicto: nam licèt fama publica, regulariter loquendo, non plenè probet in criminalibus, nec ſufficiat ad condemnandum aliquem in iudicio, vt probat Bartol. *in l. de minore, §. plurimum, num.30. ff. de quæſt.* Felinus *in cap. veniens* 1. *num.7. de teſtibus*, & Decius *cap.1. num.36. de appellationibus*, amittitur tamen bona fama, & opinio hominis voce publica delicti commiſſi; in iudicio autem, nec ſemiplenam probationem in criminalibus facit, vt tenet gloſſa *in dict. cap. veniens, verb. illorum*, & ſequitur *ibi* Baldus, Imola, Antonius de Butrio *num.*10. Abbas *num.*8. Felinus *num.*12. Decius *num.*25. & Bartol. citatus *dict. leg. de minore, ff. de quæſtion. § plurimum, num.*30. Nec etiam facit plenum iudicium ad torturam, niſi ſaltem duorum teſtium adminiculo adiuuetur, ac fulciatur, vt docet Ioannes Andr. *in additionibus ad Specul. tit. de probationibus, §. ad videndum, num.19. & in tit. de notorio crimine, § fama eſt. verſ. caſus.* Antonius Butrio *cap.* 3. *loco, num.19. de probat.* Bartol. *in l. miles, C. de quæſtion.* Alexand. *conſil.5. num.3. vol.1.* Iaſon *in repet. leg. admonendi, num.* 25. *ff. de iureiurando.* Marcus Mantuan. *conſil.148. num.7.* Paris de Put. *tract. de ſyndicatu, verb. an fama.* Blancus *de iudic. num.*213. non adminiculantur autem huiuſmodi teſtes ſi dicant ita publicè dici, quia tunc totum illorum teſtimonium ad famam refertur, vt optimè probat Bartol. *in l. de minore, §. plurimum, num.21. ff. de quæſt.* cuius doctrinam communiter eſſe probatam teſtatur Imola *in l. hæredes, num.1. in fine.* Iul. Clarus *q.31. verſ. fama ſola*; ſufficit tamen ad inquirendum ad capturam. Brunus *in conſil. crimin. conſil.115. n.53. tom.2.* & Lud. Cato *conſil. crimin. conſil.99. n.32.* Quod ego intelligo quando captura eſt communis, non quando æquiparatur torturæ iudicio prudentum, qualis eſſet illa, in qua quis ſolus in carcere clauderetur obſcuro.

Fama publica ſufficit ad condemnandum aliquem in iudicio. Bartol. Felin. Decius. Abbas. *Fama publica an faciat plenum indicium ad torturam.* Ioan. Andr. Butr. Bart. Alexand. Iaſon. Mantuan. Blancus. Imol. Clarus. Brun. Catus.

Notan

2. Notandum eſt ſecundò, illum, qui infamatus eſt vel in iudicio, vel per publicum factum, dupliciter ſe habere poſſe, aut enim poſt talem infamiam iam eſt bonam famam conſecutus; vel quia vitam emendauit; vel quia longo temporis interuallo iam omnia delicta illius oblita ſunt, aut nondum bonam famam eſt conſecutus, & omnia in memoria hominum ſunt. His notatis,

3. *Concluſio prima.* Sic primò ſtatuo firmiter, manifeſtare crimen alicuius quocumque modo infamati, vel in iudicio, vel extra illud, intentione ei grauiter nocendi, peccatum eſt mortale contra charitatem. v. c. ſi aliquis eſt publicè in iudicio conuictus, & punitus pro hæreſi, aut latrocinio; tamen alius id ignorat omnino, & id ei manifeſtat quis intentione nocendi, peccat mortaliter contra charitatem: ita communiter DD. & facilè probatur, quia peccatum ſolo conſenſu in ratione peccati conſummatur, ita docet P. Nauarra *lib.2.de reſt.c.9.num.*288. §.*at verò*, & Leſſius *lib.*2. *cap.*11.*dub.*13. *num.*78. Toletus *lib.*5. *ſumma cap.*65. *verſ. quarum prima.* & patet ex Leuitico 15. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

P. Nauarra. Leſſius. Toletus.

4. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecùdò, ſi homo infamatus vel crimine publico, quod in publico loco, & conſpectu omnium patrauit, vel per ſententiam iudicis, bonam famam rectè factis conſecutus eſt, vel iam delicta illius diuturnitate temporis perpetua obliuione obliterata ſunt, qui abſque legitima cauſa illius peccata iterum manifeſtat, vel in eodem loco, in quo illa perpetrauit, vel in alio, iis, qui illa ignorant, peccat contra charitatem, & contra iuſtitiam; & tenetur ad reſtitutionem: quòd contra charitatem peccet aſſerunt communiter DD. Sot. *lib.*5. *de iuſt. quæſt.* 10 *art.*2.§. *ad quæſtionem*, *verſ. hæc tamen,fol.mihi* 451. *col.*2. Leſſius *tom.*1.*lib.*2.*c* 11. *de detract.& contumel.dub.*13.*num.*82. Tolet *lib.*5. *ſumma cap.*65. *verſ. ſecunda concluſio.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap.*18.*num.*47. *verſ ex iiſdem cauſis.* D. Anton.2.*part.tit.*2.*cap.*2. §.3. Ratio eſt, quia iam acquiſiuit bonam famam, & illam actu iuſtè poſſidet, vel eſt tanta obliuio prædictæ infamiæ, ac ſi nunquam infamatus fuiſſet, nec tale delictum ab eo commiſſum; ergo contra charitatem ſine dubio peccabit ille, qui abſque vlla cauſa proximum iterum infamauerit, illius delictum manifeſtando, & ponit exemplum Toletus in eo, qui iam multis annis Romæ fuit per Inquiſitores publicè punitus, & tamen poſtea verè reſipuit; & bonam famam recuperauit, nec eſt qui recordetur illius criminis, & de hoc aſſerit peccare contra charitatem illum, qui illius crimen iterum manifeſtat, quia proximo nocet in re graui, nempe in fama bona, quam iuſtè acquiſiuit de nouo.

Sotus. Leſſius. Tolet. Nauar. D Anton.

5. Tolet. Adrianus. Quòd verò peccet contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur, docet expreſsè Toletus *dict. lib.*5. *ſummæ c.*65.§.*ſecunda concluſio.* & debet docere Adrianus *quodlib.*11. *quæſt.*1. quatenus abſolutè affirmat peccare contra iuſtitiam illum, qui eum, qui in vno loco infamatus eſt, manifeſtat in alio, ex eo fundamento, quia licèt per iudicis ſententiam, aut per publicam famam perpetrati delicti fuerit illi fama antecedens ablata, tamen non fuit illi ablata fama ſubſequens, quam ipſe poſtea rectè factis acquiſiuit, & quam tempus illi conciliauit, vnde verè & iuſtè poſſidet bonam famam ſequentem, quam ſine iuſta cauſa illi auferre, in quam opinionem inclinant etiam Nauarrus & D. Antonin. *allegati.* Negant verò Sotus, & Leſſius *numero proximo citati*, ex his fundamentis,

Primò, quia ille iure & publico præconio in pœnam delicti commiſſi priuatus eſt ſua fama, adeò, vt cuique data ſit facultas, ſcelus illud propalandi: ergo qui hominem ſic infamat, nec peccat contra iuſtitiam, nec ad vllam reſtitutionem tenetur.

Secundò, quia etſi ius habeat ad famam ſequentem, non tamẽ ius habet, vt non dicatur fuiſſe malus pro illo tempore, quo ſua crimina publicata fuerunt; ergo qui narrat eum olim ea feciſſe, non illi facit iniuriam, modò id ita cautè efficiat, vt non indicet de præſenti eſſe malum, quòd ſi aliqui ex tali narratione præteritæ infamiæ occaſionem accipiant dubitandi de præſenti probitate hominis, ſaltem ex charitate tenebitur eam ſuſpicionem amouere.

Ego primam opinionem Toleti cenſeo probabiliorem, quia dum quis refert infamiam antiquam, neceſſariò bonam famam præſentem mordet, & minuit, redditque hominem ſuſpectum aliis: at licèt quis per bonam famam præſentem, non acquirat ius, vt non dicatur fuiſſe malus, acquirit tamen ius, vt eius fama præſens, quam vel rectè factis, vel diuturnitate temporis acquiſiuit, non minuatur, vt patet. 6.

Sed conſequenter rogabis, quæ cauſa ſit iuſta detegendi delictum antiquum. Reſpondeo in duobus caſibus dari cauſam iuſtam. 7.

Cauſa iuſta referendi delictum antiquum alicuius, quæ.

Primò, ad vitandum detrimentum aliquod proximi temporale, vel ſpirituale, vt in fama, diuitiis, bonis temporalibus, & ſpiritualibus. v. c. cenſetur quis hîc bonus vir, cùm tamen alibi ſit infamatus latrocinij, verſaturque inter homines pecunioſos; vnde periculum eſt, ne illorum pecunias rapiat, tunc licitum erit illos admonere, illum conuictum fuiſſe latrocinij, ſi aliter id impediri non poſſit. Similiter ſi quis ſe Medicum magnum, ac peritum iactet, cùm ſit ignarus, licitum erit illius inſcitiam aperire; quia eſt in aliorum detrimentum, in quo caſu licebit etiam occultum crimen manifeſtare, vt diximus *cap.*3. *num.*3 quia eſt in aliorum damnum, ac detrimentum. Itemque ad vitandum damnum proximi ſpirituale, in quo etiam caſu licebit occultum crimen aperire, vt ſi aliquis eſt hæreticus, qui Romæ fuit de hæreſi conuictus, & verſatur in loco vbi periculum eſt inficiendi alios, tunc licebit id reuelare, imò tenebimur ex charitate, ſimiliter licebit malos mores aliquorum manifeſtare, vt communefaciamus alios, ne illorum familiaritate corrumpantur, peruertanturque. ita Toletus *allegatus, dict. lib.*5. *ſummæ cap.*65.§.*primus*, & §.*ſecundus.*

Secundò, quando vergit in publicum detrimentum: vnde ſi quis beneficium, vel dignitatem aliquam vult accipere, ſi de iure eſt inhabilis, nec illam iure poteſt accipere, licitum eſt inhabilitatem illius reuelare, quamuis occulta ſit, & quia vergit in publicum detrimentum, & quia eo ipſo quòd illam voluit conſequi, cenſetur in ea reuelatione conſentire; qui enim vult formam, neceſſariò debet velle id ſine quo talis forma conſequi non poteſt. Sic Tolet. *allegat.* §. *tertius eſt*, & Nauarrus *in cap. inter verba num.*854. 8.

Tolet. Nauarr.

9. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, ſi publicè, aut iuridicè aliquis infamatus eſt, quia. v. c. iuridicè fuit damnatus, aut in publico loco, & conſpectu delictu perpetrauit, nondum eſt bonam famam conſecutus, regulariter loquendo, non eſt peccatum mortale cõtra iuſtitiã, neque

neque contra charitatem in eadem vrbe, vel loco, vel in alio diuerſo in quem fama illud eſt breui allatura,crimen illius neſcientibus prodere,& manifeſtare,erit tamen ſemper veniale,ita Malderius *de iuſtitia,tract.7.cap.1. de honore & fama, dub.6. initio,* Toletus. *verſ. Reſpondeo, folio mihi 540. col.2.* Toletus *lib.5. ſumma,cap.65.§. Tertia concluſio,& §. Quarta concluſio,* Petr. Nauar. Petrus Nauarra *lib.2. cap.4. num.295. & 251.* & Leſſius. Leſſius *tom. 1. lib.2. cap. 11. de detract. & contumel. dub.18.num.78.* quatenus docent non eſſe peccatum mortale, neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam crimen publicum alicuius in vno loco,in alio manifeſtare, in quem fama communis illud erat breui allatura; & idem docent etiam omnes, qui abſolutè dicunt,id non eſſe peccatum mortale, neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam, ſiue fama illuc breui eſſet peruentura, ſiue non eſ- Caietan. ſet;& hi ſunt Caietanus *opuſculo 31.& 16.reſponſio-* Sotus. Maior. Filliucius. *ne 9.* Maior.*in 4.diſt.21.q.2.* Filliucius *tom.2.tract.31. cap.9.num.234.* Sotus *lib.5.de Iuſt.q.10.art.2. §. Ad* Petr. Nauar. *quæſtionem,verſ. Hac tamen diſcordia.* Petrus Nauar. S.Thom. *lib.2.cap.4. n.286.* D.Thom.*in 4. ſentent.diſt.19.q.2. art.3.ad primum & ſecundum.* v.c.hodie, vel heri,vel hebdomoda præterita fuit Petrus virgis cæſus publicè pro latrocinio in hac vrbe,non eſt peccatum mortale id in ea dicere iis, qui id adhuc ignorant, nec ad aliam ſcribere,ad quam facta delicti eſt breui tempore peruaſura. Probatur, quia quando crimina ſunt publica,& notoria,vel iure,vel facto,authores illorum amiſerunt ius ad bonam famam, dum nouam non recuperant, & per accidens eſt, quòd alij ea ignorent; ergo nulla eis iniuria fit, ſi illorum infamia publicetur hîc, aut alibi vbi fama illa breuiter publicabitur. Probatur adhuc, quia ſi crimina per ſententiam iudicis ſint publica,iniuſtè queruntur, quia iuſtè in pœnam delicti bona fama priuantur,& infamia notantur,& id intendunt iudices, vt res ab omnibus ſciatur, & fiat publica in bonum publicum, & aliorum emendationem; ſi ſunt publica euidentia facti,iam ſponte(velint nolint) videntur ceſſiſſe iure ſuo, quod habebant ad bonam famam; nam eo ipſo quòd veriti non ſunt crimen in publico loco perpetrare, vel illius indicia dare manifeſta,videntur parum curaſſe,vt ſciatur,aut non ſciatur alibi,etſi nolint, & inuiti ſunt, ſunt irrationabiles.

10. Si verò ſint publica communi rumore ſparſæ

Quid ſi ſint publica communi rumore.

famæ, quia,v. c. aliquis in aliqua domo coram aliquibus peccauit, & poſtea ſenſim res euulgata eſt, & publico rumore ſparſa, non cenſetur hîc nec formaliter, nec virtualiter ſpernere ſuam famam, aut cedere iure illius; ac proinde peccatum erit mortale contra iuſtitiam, & contra charitatem illius crimen,vel in eodem loco,vel alibi manifeſtare, & ad reſtitutionem, eo modo, quo fieri illa Sotus. poteſt, tenebitur reuelator: ita Sotus *lib.5. de iuſt. q.10. art.2.§. Ad quæſtionem, verſ. Hac tamen diſcor-* Malderius. *dia*, & Malderius *de iuſt.tract.7.cap.1. de hon. & fama, folio mihi 541. verſ. cæterùm,col.1.* Ratio eſt

Primò, quia hîc illa non eſt iure priuatus, nec publico, & notorio facto, quia non publicè, nec notoriè illud commiſit; per publicum autem rumorem, nemo licitè priuari poteſt ſua fama, & quia plerunque ſunt falſi huiuſmodi rumores, & quia ſi domicilium mutet,reputabitur illic eſſe ſecretum delictum.

Secundò, quia alioquin licentia maxima concederetur hominibus detrahendi de aliis, ſunt enim homines ad hoc vitium proni; quare opus eſt eos in officio continere, & non eis licentiam laxare, & videtur in hanc opinionem conſentire Toletus *lib.5. ſumma, cap. 65. verſ.4. concluſio.* Toletus. Licèt alij abſolutè velint publicè alicubi infamatum non eſſe mortale alibi prodere, & manifeſtare, & non diſtinguunt de publicitate facta ex delicto, quia videlicet illud publico in loco, & in conſpectu multorum fecit. Et de publicitate facta ex prædicto rumore ſparſæ famæ, cùm tamen delictum perpetratum ſit in occulto, & ita docet Caietanus *tom. 1. in opuſculo 31.* & Saà *verb.* Caiet. *infamare, num. 5.* Saà. Verùm ego opinionem Soti probo propter illius rationes, & fundamenta. nam cùm per iniquitatem, & peccatum reuelatum ſit factum, & peccatum in occulto commiſſum, qui hoc ſcit, & adhuc illud manifeſtat, conſentit, & auget ipſum peccatum, illúdque quantum eſt ex parte ſua, continuat, iuxta illud ſacræ paginæ Pſalm.49. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*, & illud Prou.24. *Cum detractoribus ne commiſcearis.*

Tota difficultas eſt, an ſit peccatum mortale 11. contra iuſtitiam, vel contra charitatem infamatum iuridicè, vel publicè, quia publico in loco delictum commiſit, alibi, in eo loco diuulgare ad quem fama illius delicti vel nunquam erit peruentura, vel non niſi longiſſimo pòſt tempore. Affirmat Adrianus *quodlibeto 11. quæſt. 1.* Adrianus. Fundamentum illius eſt, quia qui in vno loco amiſit famam, non ideo eſt alibi infamatus, nec ideo illam amiſit in alio loco, in quo vel nunquam, vel nonniſi longiſſimo pòſt tempore infamia illius peruentura eſt. ergo cùm ibi retineat bonum nomen, ſiue ad eum locum domicilium mutet, ſiue non mutet, contra iuſtitiam erit, & charitatem, illum ibi eo bono nomine priuare. Negant alij communiter, vt Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. &* Leſsius. *contumelia, dub.13.num.75.& 78.* Caietanus *tom.2.* Caietan. *opuſcul.31. reſponſione 9.* D. Thom. *in 4. diſt.19.q.2.* S.Thom. *art. 3. ad 1. & 2.* Bartol. *in l. ex ea, ff. de poſtulan-* Bartol. *do.* Nauarrus *in manuali Latino, cap. 18. num.26.* Nauarrus. Petrus Nauarra *lib.2.de Reſt.cap.4.num.286.& 288.* Petr. Nauar. Sotus *lib. 5. de Iuſt. q.10.art. 2. fol. mihi 451. col. 2.* Sotus. Maior. *in 4. diſt.21.q.2.* ac Toletus *lib.5.ſumma,c.65.* Maior. Toletus. *verſ. Poſterior eſt,ad finem,* docet eſſe peccatum mortiferum contra charitatem, non contra iuſtitiam, in eo caſu, in quo veroſimiliter crederetur, quòd nunquam fama illius criminis ad locum diſtantem perueniret. At non eſt niſi veniale iuxta alios; & fundamenta ſunt eadem, quæ pro tertia concluſione *num.9.* allata ſunt; quia ſi eſt iuridicè,& per ſententiam iudicis iuſtè de delicto damnatus, iuſtè priuatus eſt fama, & iure illam non habet, ſicut non haberet brachium, ſi ab eo amputaretur. Vnde iniuſtè queri poteſt de ſua infamia, id enim iuſtè in te nolunt iudices, cùm delinquentes condemnant,vt eorum delicta publicentur,quô alij faciliùs emendentur. Si verò crimen publico in loco commiſit, & in conſpectu multorum perpetrauit, ſibi tribuat eam infamiam,quia ſponte,velit,nolit, ſuam famam obiecit, & perdidit, vnde nullum erit peccatum mortale illius, delictum alibi per literas publicare, vel verbo narrare. Et confirmatur hæc doctrina conſuetudine vniuerſi orbis, nuſquam enim homines iudicant, ſe iniuriam facere, aut peccare contra aliquam virtutem,ſi publica crimina alibi referant,vel literis ad amicos tranſcribant.

Oppones (quod erat totum fundamentum 12. Adriani,) qui in hac vrbe amiſit famam,non ideo *Inſtantia.* eſt alibi infamis; ergo cùm ibi retineat bonum nomen, contra iuſtitiam erit, ſi illo priuetur. Re- *Reſponſio.*

ſpondeo retinere in aliis locis bonam famam de facto, non de iure, poſtquam enim crimen publicum factum eſt, vel per iudicis ſententiam, vel per publicitatem facti, quia inſpiciente populo id fecit, amiſit ius famæ, ita vt nemo ex iuſtitia teneatur ampliùs priorem æſtimationem de illo retinere. Vnde eſt poſſeſſor bonæ famæ in alio loco de facto, non de iure, ſic reſpondent Leſſius, & Caietanus *locis citatis*.

13. *Excipe duos caſus.* In duobus tamen caſibus peccatum erit mortale, infamatum alibi infamare, illius delictum publicando, ob quod alibi contraxit infamiam.

Primò, quando cum illo ſimul tertia aliqua perſona innocens infamaretur, vt ſi frater diffamati eſt in eo loco, in quo delictum fratris illius publicatur; quia ex tali infamatione reſultat infamia innocenti fratri, & tunc peccatum eſſe contra *Tolet.* iuſtitiam, docet Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 65. verſ. Prior*, non enim iuſtè frater innocens infamatur ob infamiam perſonalem nocentis fratris, vt patet.

14. Secundò cùm diffamato aliquod aliud detrimentum præter infamiam obueniet, quia forſan occidetur, vel in carcerem detrudetur, vel aliquo alio bono temporali priuabitur, vt ſi ei auferatur penſio, negentur alimenta, & his ſimilia, & tunc quidem peccatum erit contra iuſtitiam illum alibi infamare, delictum illius publicando in loco vbi ignoratur, ad quem fama illius non perueniet, aut non niſi longiſſimo pòſt tempore perueniet, & ad reſtitutionem tenebitur, qui id fecerit, ita docet expreſsè Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 65. verſ.* *Idem.* *Poſterior eſt.* Fundamentum illius eſt, quia ille ſolus per ſententiam iudicis, & patrationem delicti in loco publico amiſit ius ad famam & honores publicos, non ad penſionem, non ad alimenta, non ad conſeruationem bonorum patrimonialium; quare contra iuſtitiam faciet, & ad reſtitutionem tenebitur, qui per publicationem delicti in cauſa fuerit, quòd ille in talibus accipiat detrimentum; accipiet autem illud, ſi ob eam cauſam incarceratus fuerit, aut aliis bonis temporalibus priuatus, qui enim alteri cauſa eſt damni efficax per iniuriam, tenetur illud reſtituere. At Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 13. num. 81.* & Petrus Nauarra *lib. 2. de Reſt. cap. 4. num. 288. §. An verò.* Meliùs exiſtimant ſolum eſſe peccatum contra charitatem, & non contra iuſtitiam, ad nullámque proinde reſtitutionem teneri illum, qui infamatum alibi publicauerit, etiamſi ob id detrimentum ei obueniat in bonis temporalibus, idque aduertat optimè, & id ea intentione faciat; & fundamentum illorum eſt, quia ſolùm ex charitate tenemur vitare damnum proximi, quando ſine vllo, aut cum paruo noſtro detrimento id facere poſſumus. Vnde cùm ille non teneatur impedire tale damnum ex iuſtitia, ſed ex charitate ſolùm, abſtinendo ab ea infamatione eo tempore, & loco, quo animaduertit poſſe inde infamato, huiuſmodi detrimentum temporale obuenire, ſolum contra charitatem peccabit, ex obligatione enim charitatis non inſurgit reſtitutio iuſtitiæ, nec deprauata intentio nocendi facit, vt contra iuſtitiam peccet, quando actus exterior non eſt contra illam, ſed magis aggrauat peccatum contra ipſam charitatem, vt patet.

15. Neque obſtat fundamentum Toleti, quia per accidens eſt quòd ex tali narratione delicti damnum temporale obueniat infamato, ſequitur enim illud damnum ex publicatione delicti illius, vnde cùm illa publicatio tunc non ſit contra iuſtitiam directè, ſed contra charitatem, nulla inſurget reſtituendi obligatio, cùm illi nulla fuerit facta iniuria in tali publicatione delicti.

Dices, fuit illa publicatio contra voluntatem infamati; ergo fuit illi iniurioſa; ergo contra iuſtitiam: ſi contra iuſtitiam; ergo tenetur lædens ad reſtitutionem damni. Reſpondeo non valere hanc conſequentiam. *Eſt hoc contra voluntatem noſtram; ergo eſt nobis iniurioſum*; quia multa fiunt contra voluntatem noſtram, quæ nobis iniurioſa non ſunt, licèt nobis ſint damnoſa, patet in eo, qui ſine vi & fraude, ſed veris rationibus legatum, aut beneficium impedit, quod quis alteri conferre volebat, & facit, vt alteri amico ſuo, vel extraneo conferatur, is enim nullo pacto tenetur ad reſtitutionem, etiamſi malo animo, & intentione faciat, vt eſt communis opinio, quam docet Leſſius *loco citato, & lib. 2. cap. 12. de iniuriis fortun. dub. 18. num. 118.* & Nauar. *in ſumma Lat. cap. 17. à num. 69.* & Sotus *lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad finem.* Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 19. verſ. Altera vt impeditus*, & Sayrus *in claui Regia, lib. 9. cap. de reſt. bon. extern. num. 18.* Contra Caietanum *2. 2. q. 62. art. 2.* & Couaruuiam *ad regulam peccatum, p. 2. q. 16.* & contra Maiorem *in 4. diſt. 15. q. 16.* qui docent impedientes beneficia, aut officium aliis, ex cauſis etiam veris, teneri ad reſtitutionem, ſi faciant ex odio, ſecus ſi non ex odio; ſed præualet noſtra opinio,

16. *Obiectio.* *Soluitur.* *Leſſius.* *Nauarrus. Sotus. Tolet. Sayrus. Caiet. Couarr. Maior.*

Primò, quia conferens non tenebatur ex iuſtitia conferre, neque teſtator relinquere ex iuſtitia legatum, ac proinde hæc impedientes non faciunt contra iuſtitiam.

Secundò, quia ſolùm habet vnuſquiſque ius, vt per fraudem, dolum, & iniuriam non impediatur à conſecutione officij, beneficij, aut legati: at hic non per vim, neque per fraudem, aut dolum impeditur, ſed rationibus congruentibus, & veris conferentem ad aliud faciendum mouemus; quare nulla ei iniuria fit, licèt contra voluntatem illius fiat. Neque obſtat, quòd hic ſit dignior, quia neuter ius habet ad illud legatum, officium, aut beneficium, niſi in libera voluntate collatoris; ergo ſi relinquas collatorem in ſua mera, & libera voluntate, etiamſi rationibus veris, & munuſculis illum ad alium inclines, ac deflectas, quamuis alioquin contra charitatem pecces ex odio, ſine cauſa illum impediendo, non tamen facis contra iuſtitiam; & ſic ad nullam reſtitutionem obligaberis.

Ex quo principio multi reſoluuntur caſus ſcitu digni. 17.

Recipiens aliquid ne accuſet in communibus viſitationibus, non tenetur illud reſtituere.

Primus eſt cum, qui aliquid accepit ab alio, vt confiteretur in Paſchate, vt Chriſtianus fieret, ne fornicaretur, ne blaſphemaret, ne in communibus viſitationibus alium accuſaret, licèt peccet, non teneri reſtituere id quod accepit; quia non tenebatur ex iuſtitia, ſed ſolùm ex præcepto obedientiæ, & charitatis hæc facere; ſecus ſi aliquid daretur Parochis, vt conferant Sacramenta, vel, vt ritè conferant, quia iſti ratione officij ex iuſtitia id nõ ſolùm tenentur efficere; ſed ritè, ac debito modo efficere, ita Leſſius *tom. 1. lib. 14. de reſt. rei acceptæ, dub. 9. à num. 63.* Scotus *in lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 2.* Couar. *ad reg. Peccatum, part. 2. §. 3.* & alij quos citant. *Leſſius. Scotus. Couarr.*

18. Secundus eſt, teneri iudicem, & teſtẽ in conſcientia de iuſtitia reſtituere id, quod accepit; vt iuſtam ſententiam, & teſtimoniũ ferat, non tamen pro iniuſta ſententia, aut teſtimonio (quando datum eſt timore iniuriæ, aliàs non dandũ) ſecus ſi inſtar muneris liberalis detur, vt maiorẽ, quàm tenetur, ponere diligẽt

diligentiam in cauſa ponat, licèt enim teſtis non teneatur teſtimonium ferre ex iuſtitia, ſed ex charitate tantùm, tamen eo ipſo quòd teſtimonium actu profert, tenetur ex iuſtitia veritatem dicere, ita Conar. Leſſius & Sotus *allegati*, & de hac re infrà latiùs agemus.

19. Tertius eſt, nihil poſſe exigi, aut accipi pro reddendo depoſito, commodato, vel inuento, aut pro ſoluendo debito, & teneri ad reſtitutionem, qui pro his aliquid accepit, cùm de iuſtitia id teneatur efficere, intellige pro pura redditione, aut ſolutione debiti nihil habente laboris, aut periculi pretio æſtimabili. nam pro hoc labore, & periculo pretio æſtimabili aliquid exigi poteſt arbitrio prudentis, ſic authores *allegati*.

20. Quartus eſt, teneri furem in conſcientia, & ex iuſtitia reſtituere id quod accepit, ne furetur, homicidam, ne occidat, detractorem, ne detrahat, quia hoc illi tenentur ex iuſtitia efficere, ita authores *allegati*, quorum doctrina an vera omnino ſit, infrà examinabimus.

21. *Quid ſi per falſos teſtes condemnatus fuit.* Sed quid ſi iudex iniuſtè, & per teſtes falſos latrocinij reum damnauit infamauitque, aut ſine ſufficiente probatione de occulto crimine publicè puniuit, & quid, quando reus ſua crimina occulta per tormenta confeſſus fuit, & propter eam confeſſionem iniuſtè condemnatus fuit à iudice latrocinij, vel aliàs infamis criminis; peccabit ne tunc contra iuſtitiam, qui crimen huius rei ſic condemnati, & infamati à iudice, alibi vbi illud ignoratur, publicauerit. Certè adhuc exiſtimat Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 13. num. 77.* (Leſſius.) non eſſe peccatum contra iuſtitiam, quia quamuis reus per iniuriam à iudice iniuſtè, & contra ius damnatus non amittat ius ad ſuam famam; tamen iſte non amittit ius ad illam præcisè per illam iniuriam formaliter, ſed ex quadam conſecutione; quia videlicet ex iniuria ſequitur publicum fieri, & manifeſtum hoc crimen. Vnde eo ipſo quòd huiuſmodi crimen publicum factum eſt, ius amiſit, vt homines benè circa illud de tali reo ſentiant. Verùm non approbo hanc rationem, & opinionem, imò contrarium cenſeo dicendum cum Soto *lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 1. ſub concluſionem 4.* & cum Nauarro *in manuali Latino, cap. 18. num. 26. ad finem*, (Sotus. Nauarrus.) quia quæ contra iuris ordinem diuulgata ſunt, propter infamiam proximi diuulgari non poſſunt in alio loco, ad quem nondum infamia illa peruenit, imò ſi peruenit, tenemur ex charitate veritatem aperire, vt à proximo contra iuſtitiam infamato infamiam propellamus; ſicut enim contra iuſtitiam infamatus eſt primò, ſic contra iuſtitiam eadem infamia continuatur alibi, non enim tractu temporis, aut mutatione loci deſinit illa infamia eſſe iniuſta: ex qua reſponſione ſoluitur fundamentum Leſſij, quamuis enim conſecutiuè crimen alioquin verum, ſed occultum, & non probatum fiat publicum, ſemper iſta publicitas fit contra iuſtitiam, & contra illam continuatur, vt patet. Si tamen ipſe reus poſt tormenta confeſſionem criminis ratificaret, ſine metu aliorum tormentorum, & ſic poſtea diuulgaretur, tunc quidem valebit ſententia Leſſij, quia tunc iam dedit cauſam iuſtam diuulgationis; nam confeſſio ratificata poſt torturas, & torſiones, valet in iudicio; non valet autem ſi poſtea non ratificetur, quia cùm extorta ſit tormentorum vi, cenſetur iniuſta, & ideo, niſi de nouo extra tormenta ratificetur, non ei adhibetur fides in iure; patet ex *cap. 1. 15. q. 6.* docet Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detract. & contum. dub. 8. n. 55. §. Tertiò.*

Capvt V.

Quæritur, an ad vitanda tormenta poſſimus crimen falſum alicui imponere; agitur de apertione literarum.

SVMMARIVM.

Referuntur dubia, quæ hîc ſunt tractanda. num. 1.
An ad vitandum tormentum torturæ in iudicio, vel graue damnum noſtrum, poſſimus affingere alicui crimen falſum, refertur opinio affirmans. num. 2.
Aſtruitur negans. num. 3. An ad vitandam eam torturam poſſimus reuelare crimen verum, occultum nobis ſub ſecreto commiſſum. cap. 6. num. 9. & 10.
Soluuntur rationes primæ opinionis. num. 4.
An poſſint Sacerdotes crimina grauia ſibi ſub ſecreto commiſſa extra confeſſionem aliis pernicioſa, vt proditiones patriæ, homicidia, &c. iudici denunciare abſque periculo irregularitatis. num. 5.
Vtrùm officiales regiarum apothecarum teneantur ad reſtitutionem, ſi ſciant aliquos mercatores deferre ſuas merces ſine ſolutione tributorum, & id non impediant, cùm poſſint, & quales officiales, an ſcribæ, an cuſtodes, an Prouiſores regiarum gazarum. n. 6. & 7.
Quid de cuſtodibus lignorum, & defenſarum regiarum, Luſitanè das Coutadas. num. 8.
Quatenus ſit licitum, vel non licitum alienas literas aperire. num. 9. 10. 11. 12. & 13.

Svmmatim attingemus dubia, quæ hîc tractari poſſunt. Primum eſt, an ad vitandum graue damnum noſtrum poſſimus abſque peccato falſum crimen alicui imponere, aut verum, ſed occultum, & nobis ſub ſecreto commiſſum patefacere in tormentis. v. c. ne torqueamur, & an ad impediendum malum, quod inde tertiæ perſonæ euenire poteſt, poſſimus licitè in iudicio, aut extra illud occultum alicuius crimen nobis in cuſtodiam ſecreti traditum reuelare, an poſſimus aperire epiſtolas, quando illas malum aliquod aduersùs nos habere ſuſpicamur, & in diſcurſu etiam huius capitis alia dubia attingemus, quæ neceſſariò erunt ſcienda. 1.

Primum igitur dubium eſt, an ad vitandam torturam in iudicio, vel graue damnum extra illud, poſſimus licitè crimen falſum proximo affingere. Partem affirmatiuam tenere videtur Caſſianus, quem allegat, ſed non ſequitur, Sylueſter *verb. mendacium, num. 2.* aſſerebat enim Caſſianus licitum eſſe mentiri ob magnam vtilitatem aſſequendam, vel magnum malum fugiendum; & pro hac parte argumentari poſſumus in hunc modum. 2. *An crimen falſum proximo affingere liceat.* (Caſſian. Sylueſter.)

Primò, quia perinde eſt reuelare crimen verum alicuius, quod omnino eſt ſecretum, & occultum, quàm affingere ei falſum; ſed poteſt quis in tortura poſitus ad vitanda ea tormenta, & graue ſuum damnum, reuelare crimen verum, occultum ſub ſecreto etiam ſibi commiſſum, quando ex hac reuelatione nullum aliud timetur proximi incommodum, quàm infamia, vt docent communiter DD. Sotus *lib. 5. de Iuſt. q. 10. art. 2. verſ. Ex his igitur, col. 1. ad finem.* Leſſ. *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumelia, dub. 8. n. 54.* Nauar. *c. 18. à num. 54. vſque ad 55.* Malder. *tract. 7. c. de iniuriis in honore & fama, dub. 11. §. Dico ſecundò.* (Sotus. Leſſius. Nauarr. Malder.) Ergo etiam poterit licitè illi crimen falſum affingere ad vitanda prædicta tormenta, & damnũ graue. Maior patet, quia id quod eſt occultũ,

non eſt ſubiectum cognitioni humanæ & publicæ: ergo ſicut eſt contra iuſtitiam imponere alicui crimen falſum, ita & crimen verum, ſed occultum alicuius, alteri reuelare. Minor probatur, quia cum tanto damno proprio, detrimentóque nemo tenetur tacere crimen occultum alicuius ſibi etiam ſub ſecreto commiſſum, etiamſi iactura vitæ, aut famæ proximi ex tali reuelatione timeatur; cum tanto enim damno proprio nemo tenetur alterius vitam, aut honorem ſeruare; excipe niſi ſint ſecreta Principis, ex quorum manifeſtatione grauiſſima incommoda in Republica timeantur; hæc enim non licet aperire ſub quibuſlibet grauiſſimis etiam tormentis, vt ſtatim patebit.

Secundò, quia confeſſio per vim in tortura extorta non valet in iudicio, niſi poſtea extra illam ratificetur; non cenſebitur ergo iſta cauſa damni, ſi poſitus in tormentis crimen falſum alteri affingat, ex quo damnũ inde illi ſequatur. Sed totum id tribuetur iudici nequiſſimo illũ tormẽtis imponẽti, & probationẽ accipienti, vnde non debebat accipere.

3. Nihilominus dicendum eſt illicitũ omnino eſſe, falſum crimen proximo imponere, ſiue ad vitãdam torturam in tormentis, ſiue ad quodcumque aliud graue malum noſtrum impediendum. An verò liceat verum, ſed occultum reuelare nobis etiam ſub ſecreto commiſſum, dicemus infrà *c.6.n.9.* Sot. *lib.4. de iuſt.q.6.art.3.verſ.poſt hæc ergo,col.1.* Leſſ. *tom.1.de iuſt.lib.2.c.11.de detract.& contum.dub.7.&* 8. D.Th. *2.2.q.72.art.3.& q.110.art.1.& 4.* Caiet. *ibi.* Nauar. *c.18.n.3.* Syluest. *verb.mendacium,n.2.* & communiter Doctores. Hæc patet ex *c.3. n.2.* Sed probatur,

Sotus. Leſſius. S.Thom. Caietan. Nauarrus. Syluester.

Primò, quia pernicioſum mendacium, quod alteri eſt grauiter nociuum, nunquam eſt licitum proferre, ſiue in iudicio, ſiue extra illud proferatur, ſed qui crimen falſum valdè nociuum alteri affingit, profert pernicioſum mendacium; igitur illicitè, & iniuſtè illud profert.

Secundò, quia omne mendaciũ eſt ex ſe malum, & nec etiam ad vitanda tormenta pro vita alicuius licet mentiri, ſecundùm D.Th. omnes Theologos, & Canoniſtas, & patet ex *c.ſuper eo, de vſuris*, & ex *cap.mihi 21.q.11.* nullum enim mendacium eſſe poteſt abſque peccato, quia ex genere ſuo intrinſecè eſt malum, licèt non omne ſit intrinſecè mortale, mendaciũ enim vel eſt iocoſum, & officioſum, vel pernicioſum. Iocoſum in quo tantùm delectatio quæritur; officioſum, quod nemini nocet; & aliquando prodeſt, quæ duo mendacia licèt ex ſe, & ex genere ſuo ſint mala, cùm nulla cauſa poſſint cohoneſtari, tamen non ſunt mortalia, niſi cũ iuramento firmentur. Pernicioſum quod alicui nocet in rebus temporalibus, aut ſpiritualibus, & hoc ex genere ſuo ſemper eſt mortale, ſit tamen veniale ex leuitate materiæ; & ratio ob quam omne mendacium ex ſuo genere ſit intrinſecè malũ, eſt, vt ait D.Th. *2.2. q.110.art.4.in concluſione*, quia eſt actus cadens ſuper indebitam materiam, cùm enim voces naturaliter ſint ſigna intellectus, & naturaliter ſignificent conceptus mentis, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente, & ideo ait Ariſt. in 4. Ethic. *Omne mendacium eſt peccatum, & per ſe prauum, & fugiendum; omne autem verum, bonum eſt laudabile, & amplectendum*; & ſic ex dictis patet omne mendacium eſſe intrinſecè malum, & peccatum, non tamen omne eſſe intrinſecè peccatum mortale, nam ſolùm mendacium pernicioſum intrinſecè, & ex ſua natura eſt peccatum mortale, per accidens tamen, & ex leuitate materiæ poteſt eſſe veniale: mendacia autem iocoſa & officioſa intrinſecè, & ex ſua natura ſunt peccata venialia, per accidens verò ratione iuramenti, aut ſcandali poterunt eſſe mortalia. Vnde cùm impoſitio falſi criminis in materia graui ſit graue, & pernicioſum mendacium proximo nociuum, pronum eſt intelligere, nunquam eſſe licitum falſum crimen alicui imponere ſiue ad torturam, ſiue ad quodcunque malum fugiendum: & potius mala quæquè nobis eſſe ſubeunda, quàm vel leue mendacium proferendum.

Omne mendacium eſt intrinſecè malum, non tamen eſt intrinſecè mortale.

S.Thom.

Ariſtot.

4. Neque obſtant rationes in contrarium adductæ *num.2.* neque authoritas Caſſiani. Caſſianus enim vel lapſus eſt, vel voluit ſignificare licitum eſſe aliquãdo mentiri ob magnum bonum; hoc eſt vti amphibologiis, quæ ſecundùm ſpeciem reſpectu illorum ad quos dicuntur, mendacia videntur, cùm tamen reuera non ſint.

Ad ſecundam rationem dices aliud eſſe crimen verum, ſed occultum dicere; aliud falſum imponere, & licèt ſit illicitum, & contra iuſtitiam vtrumque facere ſine cauſa; at cum cauſa graui, qualem habet ille qui vult vitare tormenta, licitũ, iuſtumque eſt, crimen verum, ſed occultum ſub ſecreto nobis commiſſum propalare, cùm verum dicamus, & non mendacium, illicitum verò, crimen falſum alicui imponere, cùm mendacium proferamus.

Ad id quod additur, id quod occultum eſt non eſſe ſubiectum cognitioni humanæ. Reſpondeo inde ſolùm ſequi peccare mortaliter iudicem, qui iuridicè non interrogat, & poſſe à reo, vel teſte amphibologicè deludi ſi intelligant illum non procedere iuridicè. Si tamen aliquis ſciens optimè iudicem non iuridicè ac legitimè, ſed contra iuſtitiam interrogare, vel quia non habet ſemiplenam probationem, vel quia non eſt legitimus iudex, aut ſine proceſſu interrogat, metu mortis, vel torturæ, tunc quidem eum, qui crimen proximi verum, ſed occultum iudici manifeſtaret, etiamſi ſub iuramento interroget, non excuſarem à peccato mortali contra iuſtitiam, & ab obligatione reſtitutionis, & quia cooperatur cum iniuſtitia iudicis, & quia poſito, quòd in forma iudicij interrogetur, tenetur ex iuſtitia dicere veritatem, ſecundùm formam à iure præſcriptam, ius autem requirit, vt veritas non dicatur, niſi iudici legitimè interroganti, extra iudicium verò interrogatus à quolibet particulari, poteſt licitè ob metum mortis, vel torturæ, aut grauis alterius damni crimen alicuius verum, & occultum manifeſtare, etiamſi ſibi ſit ſub ſecreto commiſſum, quia tunc ſolum ex charitate tenetur illud occultare, & charitas non obligat cum tanto detrimento. In dubio autem, an iudex iuſtè, & iuridicè interroget, ſemper præſumendum eſt iuſtè, & iuridicè interrogare.

5. Secundum dubium eſt, vtrùm poſſint Sacerdotes proditiones, homicidia, & alia delicta patrata, vel patranda denunciare iudicibus ſibi etiam ſub ſecreto extra confeſſionem commiſſa abſque periculo irregularitatis ob id incurrendæ cum periculo mortis, vel infamiæ proximi ex tali denunciatione ſecutæ. Affirmant communiter DD. modò proteſtentur coram iudice, ſe id ſolum facere ad cauenda mala, quæ impendent, vt ſine pœna effuſionis ſanguinis impediantur, idque etiamſi iuraſſent ſe nihil dicturos; ita Nauarrus *in ſumma Lat. cap.18.num.54.ante finem.* Caietanus *2.2.q.33.art.7.* Innocentius *in cap. qualiter, 1. de accuſation.* Panormitan. *in cap. dilecta, de exceſſibus Prælator.* & idem Nauarrus *in cap. Sacerdos, à num. 116. vſque ad numerum 151.* argumento *cap. Epiſcopus,*

Clerici an poſſint denunciare & accuſare crimina mortis digna, ſine irregularitate.

ne

ne Clerici, vel Monachi, *lib.* 3. vbi habetur non incurrere irregularitatem Epiſcopum, vel Clericum habentem iuriſdictionem, ſi mandauerit iudici ſæculari ſuæ iuriſdictionis, vt bonam iuſtitiam adminiſtret, etiam ſi iudex prædictum reum vltimo ſupplicio condemnet, dummodo non mandauerit, vt illum vltimo ſupplicio damnaret, ſed ſolùm vt iuſtitiam faceret, tunc enim etiam ſi iudex ſæcularis exceſſerit, non eſt id imputandum ipſi Epiſcopo, vel Prælato, ſed iudici. Hæc tamen proteſtatio ſolùm videtur neceſſaria quoad forum externum, ſed hac de re latiùs dicemus *infrà*.

6. *Regiarum apothecarum officiales, quando teneantur ad reſtitutionē.*

Tertium dubium eſt, vtrùm officiales regij regiarum apothecarum teneantur ad reſtitutionem in eo caſu, quòd ſciant aliquos mercatores ſecretò ſuas merces abſque tributorum ſolutione in domos aſportare, idque non obuient cùm poſſint, & quòd ipſi mercatores eis id reuelent ſub ſecreto, vt ſecuriùs id efficiant; & ad reſponſionem huius dubij animaduertendum eſt aliquos eſſe officiales, & miniſtros regios in regiis apothecis, qui ſolùm pro munere habent expedire negotiantiū merces poſtquam in regias apothecas illatæ ſunt, vt ſcribæ, iudices, Prouiſores, & alij huiuſmodi; habet enim vnuſquiſque ſuum munus à Rege diſtributum, pro quo proprium ſtipendium, & ſalarium ab eo meretur, & iuramentum accipit pro illo fideliter obeundo? His animaduerſis reſpondeo eos quibus iniunctum eſt munus cuſtodiendi has merces, & illas fideliter inuehendi, adducendíque in prædictas apothecas, vt lictores, cuſtodes, & ſi quo alio nomine appellentur, quique ob id ſalarium à Rege ſtipendiúmque accipiūt, teneri ad reſtitutionem; peccant enim contra iuſtitiam, cùm ad hoc ſint ſtipendio à Rege conducti, ſi his latrociniis non obuient; vnde ratione huius ſtipendiariæ conductionis tenentur Regi de damno ſecuto, quia non accuſando illos, & non apprehendendo merces, ſunt in cauſa Regi damni illius, ita docent Petr. Nauarra *lib.* 3. *de Reſt. c.*4.*n.*142. & Salon. 2.2.*q.*62. *art.*7.*controuerſia* 5. & Sotus *lib.*1.*de iuſt.q.*6.*art* 6.*concl.*4.*in fine*. Et idem dicendum de his cuſtodibus, qui loca lignationum, nemora, & defenſas Principum, Luſitanè *Coutadas* vocant, certo ſtipendio conducti non cuſtodirent, etiamſi aliqua pœna poſita ſit lignantibus, aut venantibus in illis, iuxta probabilem opinionem; quamuis alij velint, non teneri eos ad reſtitutionem, ſi aliqua pœna poſita ſit huiuſmodi venatoribus, & lignatoribus, qua de re vide Toletum *lib.* 5. *ſumma, c.*20.*à* §.*Dico primò*. Neque obſtat quòd ſub ſecreto eis id mercatores reuelent, vt ſecuriùs id efficiant, quia ſecretum non obligat quando vergit in damnum tertij, vt eſt communis doctrina.

Petr. Nauar. Salon. Sotus.

7. *De aliis officialibus regiis quid.*

De aliis verò officialibus regiis, quorum munus tantùm eſt prædictas merces expedire, vt Prouiſores, iudices, ſcribæ, etſi qui ſunt alij, dico mihi videri eos peccare mortaliter cōtra charitatem, niſi huiuſmodi damnis obuient, cùm poſſint, non tamen contra iuſtitiam, ac proinde ad reſtitutionem, non teneri, quia illorum munus non eſt vigilare ne huiuſmodi merces clam abſque tributorum ſolutione aſportentur, ſed illas expedire, imò nec etiam peccant contra charitatem, quando ex eo quòd id manifeſtent, infamia, aut grauis pœna aſportantibus ſequatur; ſolùm autem tenentur huiuſmodi cuſtodes Regi reſtituere tributū, quod mercatores erant ſoluturi, ſi illud iuſtum erat; ſecus ſi iniuſtum, aut ſi iniuſtam compenſationem aliquorum debitorum id faciant, non verò mulctas, aut pœnas, veluti amiſſionis bonorum captorum: aut alias pecunias, ſi fortè impoſitæ ſint huiuſmodi mercatoribus; primò, quia hæc non debentur, niſi poſt latam ſententiam, deinde quia non tenentur ex officio accuſare illos, vt Rex ditatur mulctis; ſed ſolùm tenentur accuſare, vt damna impediantur, & vectigalia iuſta ſoluantur, vnde ſolùm tenentur ex iuſtitia tantum reſtituere, quantum illi ſoluturi erant.

8. *Quid de cuſtodibus lignorum, & defenſarum regiarum.*

Idem de cuſtodibus lignorum, & defenſarum; hi enim ſolùm tenentur etiam de damno dato, ſi illud non impediant, cùm poſſint, non verò de pœnis, & mulctis pecuniariis, quæ lignatoribus, aut venatoribus imponuntur; quia leges pœnales, & commiſſoriæ non ſunt primariò factæ, vt Reſpublicæ, & Principes ditentur, ſed vt ipſæ leges ſeruentur; deinde, quia huiuſmodi cuſtodes non tenentur hos accuſare ex iuſtitia, vt Reges ditentur mulctis, & pœnis, ſed ne damnum patiantur: ita docet Leſſius *lib.*2.*c.*13.*de cooperatione ad damnum, dub.*10.*num.*73. Nauar.*cap.*25.*n.*34. Syluest.*verb. Reſtitutio*.3.*q.*5.

Leſſius. Nauarrus. Syluester.

9. *Literas alienas an aperire liceat.*

Dubitant aliqui, an licitum ſit, & quatenus alienas literas aperire, maximè ſi ſint infamatoriæ. In primis ſi illæ habeantur pro derelictis, licita eſt illarum apertio, & lectio, tunc autem pro derelictis habentur, quando ignoratur, tam mittens, quàm ille ad quem mittuntur: ita Syluester *verb. falſarius*, *n.*2. Saâ *verb. litera*, *n.*1. Deinde ſi illas ob curioſitatem aperias ſine animo, & periculo nocendi. v.g. vt ex barbaro, vel eleganti ſtylo voluptatem capias, vel ex ſola cauſa ſciendi noua nuncia, veniale tantùm eſt, iuxta Nauarrum *in ſumma Lat. cap.*18. *n.*53. Saâ *verb. littera, num.* 1.

Syluest. Saâ. Nauarrus.

Item licita erit illarum apertio ſi fiat de conſenſu mittentis, vel eius ad quem mittūtur tacito, vel expreſſo, ita Nauar. & Sylu. *locis citatis*, & Saâ *verb. litera, n.*2. Quòd ſi à principio bona fide putabas illis eam apertionem, vel lectionem non diſplicituram, & poſtea inueniſti diſplicere, nullū erit peccatum, nec veniale quidem; quia bona fides te excuſabit.

Lethalis autem culpa erit eas apetire, licèt non legas, vel legere ſimul, & aperire eo animo, vt grauiter noceas. nam vbi primùm animum quis habuit nocendi grauiter, grauiter peccabit, etiamſi epiſtolas non legat. 10.

Idem dicendum eſt de eo, vt doctè animaduertit Nauarrus *citatus*, qui legit ſcripturas alienas, quæ ſunt in ſecreto loco, animo nocendi, ſecus ſi fiat ob leuitatem, vel curioſitatem humanam, quia tunc veniale tantùm erit.

Inſtantia. Dices, ille qui aperit, & legit cauſa captandæ voluptatis ex barbaro, vel eleganti ſtylo, inuito domino id facit: ergo peccabit mortaliter. *Expeditur.* Reſpondeo, non peccare mortaliter, tum ex leuitate materiæ (paruitas enim materiæ ſemper excuſat) tum ex fine carente deformitate mortali.

Poteſtates publicæ habent legitimam authoritatem aperiendi, aut legendi epiſtolas, quales ſunt ſuperiores Religionum, aut Monialium, & Præfecti vrbium in finitimis hoſtium locis, tempore belli. Ita Syluester *verb. falſarius, n.*2. Nauarrus *cap.*18. *num.*53. Saâ *verb. litera, num.* 1. 11.

Syluester. Nauarrus. Saâ.

Hoſtis epiſtolas mittentis, & illius ad quem mittuntur, ſi probabiliter credit, ſibi ex illis, vel alteri proximo iniuſtum aliquod damnum poſſe euenire, iuſtè & licitè eas poteſt aperire, & non dare, & generaliter loquendo, quoties quis ex aliquibus epiſtolis graue aliquod malum iniuſtum ſibi timet, licitè poterit eas aperire, vel comburere ad vitandum illud malum, quamuis ſint ſuperioris; ita Syluester & Nauarrus *allegati*, & D. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *cap.* 23. §.5. Syluester citat Archidiaconum. 12.

Syluester. Nauarrus. D. Antonin.

Nauarrus citat *cap. non inferenda*, 23. *q*. 3. Idem dicendum eſt quando quis dubitat prudentialiter, an in illis graue aliquod malum aduersùs ſe ipſum contineatur; debuit enim ſcribens ſibi prouidere, ne ad illius manus deuenirent; ídque quamuis promiſeris, & iuraueris te illas fideliter daturum; iuramentum enim non eſt vinculum iniquitatis, eo autem ipſo, quòd iniuſtum malum contineant, ſi promiſſio, & iuramentum obligauerint, vinculum eſſent iniquitatis.

13. Epiſtolarum delator ſi eas aperiat, & oſtendat aduerſario mittentis, vel eas clauſas, aut apertas eidem tradat, peccat lethaliter, ſolùm enim quando prudentialiter credebat aliquod malum iniuſtum in illis, vel contra ſe, vel contra proximum contineri, licitè eas poterat legere, & comburere, ad obuiandum malo; non autem eas tradere aduerſario mittentis, ita docet Sylueſter *verb. falſarius, num*. 2.
Sylueſter. & inſuper punietur ſecundùm eundem Sylueſtrum tanquam falſarius, argumento *l*. 1. §. *is qui*, *ff. ad legem Corneliam de falſariis*; quod notandum eſt contra Aduocatos, & Notarios oſtendentes iura partis aduerſæ, nam ij etiam tamquam falſarij puniuntur, vt dicemus *infrà*.

Capvt VI.

An liceat ad vitandum graue damnum noſtrum, v. c. torturam, vel aliud proximi temporale, vel ſpirituale damnum detegere crimen alterius occultum nobis ſub ſecreto reuelatum.

SVMMARIVM.

Explicatur titulus propoſitus. num. 1.
Si delictum ſit occultum, & vergat in damnum aliorum, licitè illud poſſumus manifeſtare ad impediendum damnum. num. 2. & 7.
Si per correctionem fraternam ſufficienter impediatur non licet. num. 3.
Monitio fraterna non obligat quando putatur monenti nocitura, aut non profutura monito. num. 4.
Nec quando eſt periculum in mora. ibid.
An peccet quis mortaliter, & contra iuſtitiam, & obligetur ad reſtitutionem quando correctio fraterna prætermittitur, dum non eſt periculum, & putatur profutura, & non nocitura. num. 5. & 6.
Quid ſi delictum occultum nobis ſub ſecreto ſit commiſſum extra confeſſionem, an tunc illud poſſimus licitè reuelare, quando in noſtrum, vel proximi vergit detrimentum. num. 7.
Et an tunc omitti poſſit fraterna correctio. ibid.
An qui ſolus nouit impedimentum matrimonij, teneatur illud manifeſtare. num. 8.
Ad vitandum noſtrum graue damnum, v.g. tormentum in tortura, poſſumus licitè crimen alterius nobis ſub ſecreto commiſſum reuelare. num. 9. & 10.
Quid ſi ſit ſecretum Principis, vel exercitus, & nobis mors immineat, niſi reuelemus. num. 11.
Quid ſi ſecretum alicuius per vim, & fraudem acceperimus, an tunc poſſimus illud ad vitandum noſtrum damnum detegere. num. 12.

1. IN hac quæſtione ſermo eſſe poteſt, vel de crimine vero, ſed occulto nobis ſub ſecreto naturali relato, quando ſecretum vergit in detrimentum proximi, vel quando non vergit, itémque de crimine occulto vergente, vel non vergente in damnum proximi, nobíſque ſub ſecreto non commiſſo, & de vtroque crimine, & ſecreto breuiter agemus.

De crimine occulto, nobis ſub ſecreto non commiſſo.

2. *Concluſio prima.*

Statuo primò, ſi delictum ſit occultum, nobíſque ſub ſecreto non commiſſum, & vergat in graue damnum proximi, licitè poſſumus illud manifeſtare ad prædictum damnum impediendum, ſiue illud ſit ſpirituale, ſiue temporale, cum damno etiam famæ delinquentis; ita docet Nauarrus *c*. 18. *num*. 31. Sotus *lib*. 5. *de iuſt. q*. 7. *art*. 1. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 11. *de detract. & contumel. dub*. 9. *num*. 87. Sylueſt. *verb. ſecretum*, §. *Primum*. Sayro *in claui Regia, lib*. 11. *cap*. 4. *de reſt. honor. extern. num*. 4. vbi loquitur tam de damno publico, quàm de damno proximi priuato.

Nauarrus. Sotus. Sylueſter. Leſſius. Sayrus.

Probatur primò, quia licèt quis teneatur crimen proximi ex iuſtitia non reuelare, ne illud infamet, quando eſt omnino occultum, tamen cùm id vergit in detrimentum alterius, licitè poteſt illud reuelare, quia criminoſus non habet ius tuendi ſuam famam cum detrimento famæ, vel bonorum proximi innocentis, ex quo etiam ſequitur neminem poſſe iuſtè, & licitè tueri famam proximi delinquentis, cum damno proximi innocentis.

Secundò, quia vnuſquiſque habet ius ad manifeſtandum id quod in ſua cognitione occultum latet, ſi ex occultatione illius aliis graue damnum obueniat: nam ſi quiſque poteſt alterius crimen occultum manifeſtare, ad vitandum proprium damnum, vt omnes concedunt, quomodo non poterit ad vitandum damnum proximi, quem tenetur ſicut ſeipſum diligere? Exemplis res clara fiet. Noui ego Petrum eſſe furem, aut gerere ſe pro Medico perito, aut hominem hæreticum peruertentem alios, viuere inter Catholicos, poſſum monere eos, vt iam dixi, inter quos illi viuunt, & quos iſte curat, vt ſibi caueant. Item, commiſiſti homicidium, imponitur innocenti, qui ob id eſt ſuſpendendus, aut aliter puniendus, poſſum te manifeſtare, quamuis ob id ſuſpendaris, imò in aliquibus caſibus aliquando fiet, vt non ſolùm poſſim, ſed etiam tenear ex charitate, v. c. quando damnum quod aliis impendet eſt graue, & quod tibi ſequitur, eſt perexiguum. In dubio autem, vtrùm aliquod præponderet, inclinandum eſt in fauorem innocentis.

3. *Concluſio ſecunda.*

Statuo ſecundò, ſi tamen ad vitandum illud damnum non eſt neceſſarium crimen alterius manifeſtare, & per correctionem fraternam ſufficienter vitabitur, tunc quidem non licebit illud aperire, prætermiſſa eadem correctione, ſimiliter non licebit aperire ſi mea apertio, ac manifeſtatio nihil iuuaret, ad damnum auertendum: ita docet Leſſius *lib*. 2. *cap*. 11. *de detract. & contumel. dub*. 9. *n*. 60. Henriq. *lib*. 11. *de matrimonio, cap*. 14. *num*. 5. *in fine*. Nauarr. *in ſumma Lat. cap*. 22. *num*. 83. Rodrig. *tomo* 1. *ſumma, in* 2. *editione, cap*. 217. *num*. 7. Gutier. *lib*. 1. *quæſtionum Canonicarum, cap*. 11. *num*. 27. & 28. Sanch. *lib*. 3. *de matrim. diſput*. 13. *num*. 3. vbi docet impedimentum matrimonij, quod ortum habet ex peccato occulto, non eſſe ſtatim denunciandum, ſed præmittendam eſſe fraternam correctionem, vt ab eo matrimonio deſiſtat impeditus, & ſi monitis non acquieſcat, tunc denunciandum eſt. Ratio eſt, quia eſſet tunc contra charitatem id efficere; tenemur enim malo obuiare, cum minima læſione proximi quantum fieri poteſt, lex enim charitatis exigit, vt correctio fraterna præmit

Leſſius. Henriq. Nauarrus. Rodrig. Gutier. Sanchez.

præmittatur, vt peccatum vitemus, quam minimo damno famæ proximi poſſimus, iuxta illud Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.*

4. Hoc tamen intellige, quando eſt probabilis ſpes quòd profit correctio, & tibi non obſit, aliàs nõ teneris illa vti, ſed poteris illam prætermittere, maximè ſi periculum ſit in mora, quod dum ea fit priùs factum committatur, proximo noceatur, vel matrimonium ineatur, vt docet Sanchez *allegatus dicto num. 3. in fine.* Sayro *in claui Regia, lib. 11. cap. 4. de reſt. bonorum externorum, num. 4.* Vt tamen monitio ſecreta non putetur profutura; non ſatis eſt ſemel fieri, & non prodeſſe, ſed oportet iterum, atque iterum fieri, dummodo iudicio prudentis ſperetur emendatio, vt ſuadet D.Thom. *2.2. quæſt. 33. num. 8. ad 1.* Syluest. *verb. Correctio, quæſt. 5.* Tabiena *ibi num. 7.* Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. 2. p. dubio vlt. editione 1. num. 136.* Sanch. *allegatus*, & D. Anton. *2. part. tit. 9. cap. 6. §. 4.*

Sanchez. Sayrus. D.Thom. Syluest. Tabiena. P.Nauarr. Sanchez. D.Anton.

5. Si prætermittatur correctio fraterna, dum non eſt periculum in mora, & ſperatur profutura, & non nocitura, dubium eſt, an committatur tunc peccatum contra iuſtitiam, an ſolùm contra charitatem, ſi crimen occultum proximi manifeſtetur, quando vergit in detrimentum tertij. Leſſius *d. tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 9. num. 62.* aſſerit eſſe contra iuſtitiam, & conſequenter reſultare obligationem reſtitutionis famæ proximi, cuius crimen occultum manifeſtatur. Probat, quia nemo habet ius ad infamandum proximum per talem reuelationem, omiſſo faciliori medio, ac remedio à Chriſto relicto, vt malum impediatur; ergo contra iuſtitiam peccabit id faciendo. hanc opinionem dicit Leſſius eſſe communem, & illam videtur tenere Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 4. de ſecundo infamandi modo, num. 6.* dum aſſerit contra facientem peccare iniuſtè famam proximi lædendo, ſicut Medicus, ait, qui ſanare poteſt abſque abſciſſione membri, iniuriam faceret abſcindendo illud, & conſequenter teneretur ad reſtitutionem.

Leſſius. Sayrus.

6. Verùm exemplum illius non venit ad rem, quia Medicus ex officio & ex iuſtitia tenetur curare quam minimo damno poteſt propter ſtipendium ſibi datum; iſte verò ex charitate tantùm monere. Quamobrem dicendum eſt, peccare ſolùm contra charitatem, non contra iuſtitiam illum, qui prætermiſſa hac correctione fraterna, dum vtilis ſperatur, & non eſt periculum in mora, crimen verum, ſed occultum alteri nociuum ſtatim manifeſtat, & conſequenter ad reſtitutionem non teneri. Ratio eſt, quia nemo tenetur ex iuſtitia confugere ad faciliorem modum, ſed tenetur tantùm ex charitate id facere; ergo non peccabit contra iuſtitiam, ſi iſtud medium relinquat, & illud aſſumat, & conſequenter dico contra Leſſium, vnumquemque hominum ius habere ad manifeſtandum peccatum proximi nociuum alteri, vt hoc nocumentum impediat: cùm enim nemo habeat ius ad nocendum alteri, conſequenter non habet ius ad famam, per quam alteri nocere parat: vnde ei non fit iniuria, nec iuſtè queri poteſt, quòd ſibi iniuſtè fama auferatur, ſed ſolùm quòd ſibi illicitè, & prætermiſſo faciliori medio à Chriſto Domino relicto auferatur, cùm malum proximi alio modo poſſet obuiare.

7. *De crimine ſub ſecreto commiſſo.* Egimus adhuc de crimine occulto, nobis ſub ſecreto non commiſſo; veniamus ad illud, quod ſub ſecreto nobis committitur, & de hac re ſtatuo tertiò. Quamuis crimen occultum alteri ſit ſub ſecreto naturali, extra confeſſionem tamen commiſſum, licitè poterit illud manifeſtare, ſi inde graue damnum proximo obueniat, ſiue temporale, ſiue ſpirituale, præmiſſa priùs fraterna correctione, ſi illa profutura ſperatur, & non datur periculum in mora, & etiamſi iuraſſet ſe illud non manifeſtaturum, quamuis inde committentis ſequatur infamia, aut illi periculum mortis immineat, eſt communis iſta doctrina, illam docent Nauarr. *in ſumma Lat. cap. 18. num. 55. & cap. 8. num. 18.* D.Thom. *2.2. quæſt. 70. art. 1. ad 2.* Caiet. *ibi.* Sotus *de teg. ſecreto, membr. 2. quæſt. 7. concluſ. 4. & in 4. diſt. 18. quæſt. 4. art. 5. concluſ. 5. & lib. 5. de iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad 1.* Medina *lib. 2. ſumma cap. 4. fol. mihi 266. col. 1.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 21. num. 3.* Ludou. Lopez *1. part. inſtruct. cap. 37. §. penult.* Emmanuel Rodriq. *tom. 2. ſumma cap. 53. num. 4.* Sanchez *lib. 3. de matrim. tom. 1. diſp. 13. num. 6.* & Palud. *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. n. 31.* Et ratio eſt, quia lex naturalis ſeruandæ charitatis vincit legem de ſeruando naturale ſecretum, famámque proximi illæſam; nemo enim tenetur tueri famam proximi nocentis cum damno graui proximi innocentis; ſicut enim nemo habet ius tuendi propriam famam cum damno alterius; ita nemo illi iniurioſus eſt, ſi crimen illius manifeſtet, etiam ſub ſecreto commiſſum, quando illud ſecretum vergit in detrimentum graue alterius, etiamſi illi iurauerit ſe illud ſeruaturum, quia iuramentum contra bonos mores iure naturali inductos, & contra ipſum ius naturale non obligat, nullum autem hîc maius ius naturale eſſe poteſt, quàm illud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Vnde ſicut nullus vult, vt ſibi ab alio damnum inferatur ad tuendam propriam famam, ita non debet ipſum damnum alteri inferre ad tuendam ſuam. Conſiderandum tamen erit ſemper quodnam damnum præponderet, vt ſecundùm regulas charitatis debita manifeſtatio fiat delicti occulti.

Cõcluſio tertia. Nauarr. D.Thom. Caiet. Sot. Medina. Henriq. Lud.Lopez. Sanchez. Palud.

Ex principio hoc infert Sanchez *modò allegatus*, in denuntiationibus ſponſaliorum teneri, qui nouit impedimentum alterius ex delicto occulto ortum illud manifeſtare, etiamſi ipſe ſolus nouerit, & probari tale impedimentum in iudicio non poſſit, & ſecretò ſibi committeretur, & iuraſſet ſe illud non manifeſtaturum, quia ſi impedimentum eſt dirimens, tendit in damnum alterius bona fide contrahentis; quòd ſi mala fide vterque contrahit, tendit in damnum vtriuſque & iniuriam ſacramenti, & damnum prolis, qua illegitima naſcetur; ſi eſt impediens tantùm, tendit in iniuriam Sacramenti, & damnationem vnius, vel vtriuſque contrahentis, ſi vterque cum eo non ignorato impedimento contrahat. nam quamuis in multis rebus non teneatur quis denuntiare, & manifeſtare, niſi id quod probare poteſt in iudicio, tamen in præſenti caſu de matrimonio, vbi agitur de impediendo peccato, & in noſtro caſu vbi agitur de impediendo damno alterius, quod extra formam iudicij ex ſimplici narratione delicti impediri poteſt, ſemper licitum erit illud impedire, etiamſi quiſque ſolus id ſciat, & in iudicio id probare non poſſit, nam talis denuntiatio, vt optimè probat Sanchez *lib. 1. de matrim. tota diſp. 71.* non tendit ad punitionem delicti commiſſi, ſed ad vitandum, ne committatur, & ſaltem cùm impedimentum occultum matrimonij reuelatur, oſtendit viam ſuperiori, vt de veritate diligenter inquirat. 8. *Illatio.*

Statuo quartò. Ad vitandum tuum graue damnum, v.c. diuturnum tormentum poteris licitè alte- 9. *Concluſio quarta.*

rius crimen occultum, & peccatum tibi ſub ſecreto reuelatum manifeſtare, etiamſi inde mors illi immineat, aut infamia ſequatur, qui tibi illud reuelauit: limitatur tamen hoc tripliciter, modò illud ſecretum ſine vi, & fraude ab eo acceperis, & modò grauiſſima incommoda non timeantur, vt ſi eſſet ſecretum Principis, exercitus, vel Reipublicæ, & modò non ſit ſecretum in confeſſione ſacramentali apertum. Concluſio habet tres partes.

Primam partem, quæ docet quando ſequitur graue damnum proximo, licitum eſſe manifeſtare peccatum alterius ſibi ſub ſecreto reuelatum, etiamſi inde mors ei, qui illud tibi reuelauit, & damnum famæ ſequatur: tenet Leſſius *tom.1.lib.2. cap.11.de detract. & contumel. dub.8.à num.54.vſque ad 55.* Nauarrus, P. Nauarra *ſtatim allegandi.*

Primò, quia ſi illud non teneor ſeruare, quando vergit in damnum proximi, vt diximus *n.7.* multò minus teneor quando vergit in meum damnum; nemo enim magis proximus eſt, quàm quiſque ſibi.

Secundò, quia non teneor cum tanto meo incommodo ſeruare vitam, aut famam proximi.

Tertiò, quia illud ſecretum eſt veluti quoddam depoſitum apud me occultatum, quod non teneor cum tanto damno meo ſeruare occultum; ſi tamen ſine cauſa proderem, inferrem iniuriam deponenti, & tenerer ad reſtitutionem, ſi pro depoſito aliquid accepi, quia voluntariè eſſem cauſa damni proximo illati.

10. Non negamus, quin ſæpe laudabilius ſit dura quæque pati, quàm ſecreta nobis commiſſa, & crimina occulta pandere; qui tamen pandit, & reuelat, non peccat, quando ad impediendum graue damnum proximi reuelat, imò tunc tenetur reuelare, niſi maiora ſequantur incommoda.

11. Secunda pars concluſionis, quæ aſſerit, ſecreta Principum, ex quibus grauiſſima incommoda timentur, non licere aperire, etiam ſub tormentis cum iactura vitæ, & bonorum omnium: docent idem Leſſius, Sotus, & Nauarrus *locis allegatis*, & P. Nauarr. *lib.2.cap.4.num.130.* & Malderus *de iuſt. tract.7.cap.1. de iniur. in honore, & fama dub.10. 11. verſ. Dico tertiò, fol. mihi 545. col.1.* Si enim eſt ſecretum Regis ſiue exercitus, vel Reipublicæ, ex cuius reuelatione, vel vita, vel fama Regis, vel magnum aliquod bonum publicum pendet, non licet illud reuelare, quia præeunte naturæ lumine docemur bonum commune anteferendum eſſe priuato: vnde ſequitur militem Hiſpanum à Gallo in bello captum, quamuis tormentorum vi torqueatur, aut occidatur, non poſſe tuta conſcientia ſecreta iuſta ſui exercitus aperire; nec econtra Gallum militem ſecreta exercitus Galliæ, quando ea ſecreta conducunt ad conſeruationem totius exercitus, vt docet Nauarrus *in ſumma lat. cap.18. num.54.*

Leſſius. Sotus. Nauarr. P. Nauarr.

12. Tertia pars concluſionis, quæ aſſerit modò illud ſine vi, & fraude acceperis, maiorem habet difficultatem; nam Sotus *lib.5. de iuſt. quæſt.10. art.2. ad finem*, & alij dicunt neminem poſſe reuelare illud ſecretum, quod per vim, vel fraudem ab alio extorſit, etiamſi necandus ſit, quia eo ipſo, quod per vim accepit, ſemper eſt contra iuſtitiam illud reuelare, & idem docet etiam Sayrus *in Claui Regia, lib.11. cap.3. de reſtit. bon. extern. num.41.* Nauarrus autem *in ſumma latina, cap.18. num.54.* diſtinguit de damno irreparabili, videlicet vita & mutilatione, quæ reparari non poſſunt, & de hoc dicit, ſi timeatur, licitum eſſe cum illius timore ſecreta aperire, etiamſi vi, & fraude extorta fuerint: de damno autem reparabili, veluti de amiſſione, & iactura famæ, & pecuniæ, aſſerit non poſſe abſque peccato aperire, etiamſi hæc amittantur: cum Nauarr. conſentiunt Leſſius *tom.1. lib.2. cap.11. de detract. & contumel. dub.8. n.55.* & P. Nauarr. *lib.2. de reſtit. cap.4. num.131.* Ratio illorum eſt,

Sotus. Sayrus. Nauarr. Leſſius. P. Nauarr.

Primò, quia ille, qui per vim, & fraudem huiuſmodi ſecretum extorſit, quando poſtea graui metu vitæ, vel famæ propriæ amittendæ, aut metu iacturæ bonorum externorum magni momenti illud reuelat, non intendit vitam, aut famam alienam auferre, infamare, vel occidere, ſed vitare ſuum damnum, & per accidens eſt, quòd inde ea mala ſequantur, quæ ille nullo pacto intendit.

Secundò, quia peccatum iniuſtitiæ iam tranſactum eſt, & tranſacto peccato ius habet, vt in tanto periculo conſtitutus ſecreta vi extorta reuelet, ſicut qui furatus eſt equum, poteſt illo vti in extrema neceſſitate tuendæ vitæ, etiamſi dominus illo etiam ad vitam tuendam egeat, & in eadem neceſſitate extrema ſit. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones. Vtraque probabilis: prima probabilior eſt, quia licèt peccatum extorſionis ſecreti præteritum fuerit, at durat adhuc, moraliter loquendo, in effectu ſuo, hoc eſt, in obligatione ſeruandi ſecreti, & effectus iniuſtitiæ continuatur per reuelationem illius, vt patet.

Nec fundamenta ſecundæ opinionis conuincunt.

Ad primum reſpondeo parum referre, quòd ille non intendat infamare, aut occidere, vt dicamus per accidens eſſe, quòd inde occiſio, aut infamia ſubſiſtat, quia illa reuelatio eſt iniuſta, cùm iniuſtè fuerit extorta, & non ſolùm eſt de ſe illicita, ſed etiam iniuſta, & contra iuſtitiam, vnde non poteſt hîc ratio charitatis militare, vt dicamus præceptum charitatis prius obligare ergà ſe ipſum, quàm erga proximum.

Ad ſecundum reſpondeo peccatum iniuſtitiæ, & iniuriam, adhuc moraliter durare. nam quamuis actio extorſionis fuerit tranſacta, iniuria tamen adhuc moraliter durat, quia non fuit adhuc ſatisfactio illius exhibita, & continuatur, imò de nouo ſuſcitatur per ſecreti reuelationem, vt diximus.

CAPVT VII.

Vtrùm peccata occulta reuelari poſſint ſuperioribus cum ſubditorum infamia, non præmiſſa correctione fraterna.

SVMMARIVM.

Peccata Religioſorum vel poſſunt eſſe publica, vel ſecreta, & occulta, & hæc, quæ noceant, vel non noceant alijs. n.1.2.& 3.

Si peccata Religioſorum ſint publica, & manifeſta, ſiue vergant, ſiue non vergant in damnum aliorum, licitum eſt ea manifeſtare ſuperioribus ad punitionem prætermiſſa monitione fraterna. n.4.

Si ſunt occulta, & nociua alijs, vel Religioni, denuntiari etiam poſſunt ſuperioribus, prætermiſſa fraterna monitione, niſi quis firmiter credat, quòd ſtatim per correctionem fraternam emendabuntur. n.5.

Si periculum eſt in mora, nunquam eſt præmittenda fraterna correctio. n.6.

Imò tenetur quis ſtatim ſuperiorem admonere, ea prætermiſſa, ibid.

Quid

Quid ſi non vergant in detrimentum aliorum, ſed ſolùm in damnum illa committentium. n.7.

Capitula Religioſorum, in quibus ſunt acclamationes contra fratres abſque vlla correctione fraterna, ſolùm intelligenda ſunt de delictis leuibus, & venialibus, non mortalibus. n.8.9.10.11.

An quando Inquiſitores, Viſitatores, & alij etiam Prælati Religionum præcipiunt ſub maiori excommunicatione, vt ſcientes crimina ſuorum ſubditorum ſibi reuelent, ſemper id intelligendum ſit, prætermiſſa fraterna correctione, ſi crimina ſint occulta, & putatur profutura, & non eſt periculum in mora. n.12.

1. DICAM priùs quid de iure communi dicendum ſit: deinde de iure peculiari aliquarum Religionum aliquid adnectam, vt breuiter, & dilucidè omnia comprehendamus.

2. *De peccatis Religioſorum tum publicis, tum ſecretis, & occultis.* Notandum in primis eſt peccata Religioſorum, vel poſſe eſſe publica, vel occulta, vel poſſe vergere in damnum commune Religionis, vel in damnum tantùm Religioſorum illa committentium. Priora ſunt illa, quæ toti Religioni graue aliquod nocumentum afferunt temporale, vel ſpirituale, vt hæreſis, quæ alios inficit, & qua hæreticus priuatim alios à fide auertit ſiue Religioſos, ſiue ſæculares, proditio patriæ, vel ciuitatis: occulta machinatio contra Principem, aut Regem legitimum: Apoſtaſia à Religione, inductio ad hæc omnia, & alia id genus. Ita D.Thom. 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *in corpore.* Caietan. *ibi in reſponſione ad* 3. Item quodcunque aliud crimen graue occaſionem præbens peccandi aliis, vel externis, vel religioſis, quale erit ſolicitare alios ad peccatum, & reliqua ex quibus infamia, aliúdve detrimentum graue temporale, vel ſpirituale reſultat, in Monaſterium, veluti occiſio alicuius Religioſi, introductio fœminarum in Monaſterium, ingreſſus in domos fœminarum ſuſpectæ famæ, ſeminatio diſcordiarum inter fratres, impugnatio inſtituti Religionis, furtum magni momenti, iuxta D.Thom. *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *quæſtiuncula* 10. *ad* 2. & his ſimilia.

3. Poſteriora, quæ ſolùm vergunt in damnum peccantium, & non ſunt nociua aliis Religioſis; vt ebrietas, mendácia, furtiola, non ſeruare ieiunia, & conſuetudines Religionis, non recitare horas canonicas, & his ſimilia. His notatis,

4. *Concluſio prima.* Statuo primò, ſi peccata ſint publica, & manifeſta, ſiue vergant in damnum commune Religionis, ſiue in damnum tantùm peccantium, licitum eſt ea ſuperioribus manifeſtare ad punitionem, prætermiſſa omni correctione fraterna, & licitum eſt etiam peccantes publicè, publicè arguere, & punire, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue*, id eſt, vt explicat D.Thom. cum D. Auguſt. quem allegat 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *in corpore.* Peccantes publicè, publicè argue. Vnde in denuntiationibus, & inquiſitionibus generalibus, ſi peccata ſint publica, & manifeſta, poſſunt denuntiari, nulla correctione præmiſſa: nam præceptum naturale præmittendæ correctionis fraternæ à Chriſto Domino explicatum Matth. cap. 18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, &c. ſolùm habet locum, quando peccatum eſt occultum, & ſolùm in te peccat, non quando peccatum eſt publicum omnibus, quia tunc non ſolùm in te peccat, ſed etiam in alios, quos turbat, inficit, & quibus ſcandalum eſt, & tunc locum non habet correctio fraterna, ſed publica punitio, & denuntiatio. [margin: D.Thom. D.Auguſt.]

5. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò. Si peccata Religioſorum grauia, & occulta ſint pernicioſa aliis Religioſis, & in graue damnum totius Religionis temporale, vel ſpirituale vergant, vt ſunt omnia, quæ retulimus *num.* 2. licitum eſt illa ſtatim ſuperiori reuelare tanquam patri, omni correctione fraterna poſtpoſita, niſi aliquis firmiter credat, & exiſtimet, quòd ſtatim per ſecretam correctionem emendabitur frater, & peccata impediet. Ita expreſsè D. Thom. 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *in corpore, & ad* 5. Caiet. *ibi in reſponſione ad* 3. Syluester *verb. Correctio, quæſt.* 7. Sotus *in relectione de teg. ſecret. membro* 2. *quæſt.* 4. *concluſ.* 3. *dub.* 4. Nauarrus *in ſumma lat. cap.* 4. *num.* 14. *verſ. quintò dicendum.* Banhes 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. *in reſponſione ad* 6. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 4. *de ſecundo infam. modo, num.* 13. vbi citat multos Patres pro hac parte, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 5. *dub.* 3. & communiter omnes: & ratio, ac fundamentum D.Thom. & Caietani eſt, quia ſi firmiter credit, quòd per ſecretam admonitionem impediet, tenetur in conſcientia illam præmittere, & peccabit mortaliter ſi omittat, tunc enim, & bonum commune, & bonum famæ proximi ſaluari poteſt, & tenemur ſeruare præceptum, & ex charitate vtrique conſulere, quàm minimo damno ipſius proximi poſſimus. At ſi firmiter, & indubitanter hoc non credit, licitum eſt ſtatim ea ſuperiori tanquam Patri reuelare poſthabita prædicta correctione fraterna. Fundamentum eſt [margin: D.Thom. Caiet. Syluest. Sot. Nauarr. Banhes. Sayrus. Valentia.]

Primò, quia, regulariter loquendo, his malis aliter occurri non poteſt, niſi ſuperiori tanquam patri reuelentur.

Secundò, quia, priuatus homo, ac Religioſus rariſſimè ſua priuata monitione ea poterit impedire, & fratrem emendare, nam præceptum de admonitione facienda à Chriſto Domino impoſitum eſt in ordine ad emendanda peccata: quando autem emendari non poſſunt modo ab eo præſcripto, ſi alius offeratur, quo poſſint emendari, is ſeruari debet, & parum curanda eſt infamia peccantis, cùm maior ſit Religionis infamia, quæ vitatur, & quia conſcientia eſt præferenda famæ.

Si tamen periculum eſt in mora, quòd alij inficiantur, aut quòd decus Religionis peribit, dum ea monitio fit, non ſolùm licitè poterit, ſed etiam ſtatim, ea prætermiſſa, tenebitur quis id reuelare Prælato tanquam patri, vt præſenti malo occurrat. Ita Sanchez *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 13. *num.* 30. vbi loquitur non de peccatis occultis Religioſorum, ſed de omnibus peccatis occultis generatim, quæ aliter emendari non poſſint, niſi reuelando ea iis, qui poſſunt ea cauere. Et Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *de reſtit. bonorum extern. cap.* 4. 6. [margin: Sanchez. Sayrus.]

7. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, ſi peccata occulta ſint grauia, & non vergant in damnum commune Religionis, ſed ſolùm in damnum peculiare peccantium, qualia ſunt, quæ *num.* 3. retulimus: nunquam eſt licitum ea reuelare ſuperioribus, ſiue vt patribus, ſiue vt iudicibus, prætermiſſa correctione fraterna. Ita D.Thom. 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *& art.* 8. *ad* 4. Sayrum *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 14. *de ſecundo infamandi modo, n.* 8. Banhes 2.2. *quæſt.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. Nauarr. *in manuali lat. cap.* 8. *num.* 14. *in fine.* P. Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 11. *num.* 131. Sotus *in relect. de teg. ſecreto, membr.* 2. *quæſt.* 4. *concluſ.* 3. *dub.* 3. Ratio eſt, quia tenemur de præcepto naturali occurrere damno proximorum, & fratres emendare, quàm minimo damno illorum poſſumus: poſſumus autem eos emendare, modo præſcripto, correctionis fraternæ; ergo tenemur illud ſeruare. Confirmatur, quia ſicut Medicus corporalis ſi poteſt ægrotum curare [margin: D.Thom. Sayr. Banhes. Nauarr. P.Nauarr. Sotus.]

ſine

ſine abſciſſione membri, tenetur id efficere; ita ille, qui tenetur emendare fratrem, ſi poteſt illum emendare, ſalua eius fama, id tenetur efficere: eſt enim fama magnum bonum peccatoris, & illi valdè vtilis, non ſolùm in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, quia timore infamiæ futuræ multi in officio continentur, & à peccatis retrahuntur: fama autem amiſſa, & verecundia, cùm ſe infamatos vident, maiori licentia peccant, vt experientia patet. Deinde, quia vno Religioſo infamato, cæteri quoque modo aliquo infamari videntur: ſed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit dominus, vt ſaltem cum diſpendio famæ fratris conſcientiæ per reuelationem, & denuntiationem peccati illius conſulamus. Vnde patet poſſe eſſe de neceſſitate præcepti, quòd ſecreta admonitio præmittatur, & non præmittatur iuxta diuerſos caſus, & peccata publica, & non publica, nociua, vel non nociua aliis.

8. Doctrina hactenus tradita eſt vera, ſcio tamen eſſe aliquos Doctores, qui audent affirmare in eo caſu, quo quiſque Religioſus priuatus præmiſſa admonitione fraterna, æquè bene, ac ſuperior poſſit occulto peccato ſui fratris occurrere, ſiue illud vergat in damnum aliorum, ſiue ſolùm in priuatum damnum peccantis, poſſe adhuc licitè id reuelare ſuperiori, relicto & prætermiſſo fraternæ correctionis præcepto, & teneri illud reuelare, ſi id ſuperiores imperent præcepto aliquo generali, vel ſpeciali. Ita Richard. *in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. ad 2.* & Gabriel *in Canone Miſſæ, quæſt. 4. num. 4. fine.* Fundamentum illorum eſt,

Richard. Gabriel.

Primò, quia non videtur probabile eſſe ea, quæ in communi conſuetudine omnium Religionum fiunt contra præceptum Chriſti, ſed conſuetum eſt in omnibus Religionibus, quòd in Capitulis aliqui contra aliquos proclament de culpis, nulla ſecreta admonitione præmiſſa; ergo videtur quòd hoc non ſit de neceſſitate præcepti: vnde ſi hoc non eſt de neceſſitate præcepti, infertur, rectè poſſe vnumquemque Religioſorum reuelare peccata grauia occulta cuiuſuis Religioſi ſuperiori ſuo, vt ea emendet, maximè tanquam patri, omni ſecreta admonitione prætermiſſa.

Secundò, quia non obſtat infamatio illius Religioſi, cuius delicta occulta ſuperiori tanquam patri reuelantur, nam apud pium, & prudentem Prælatum, & fidelem amicum, cui ea reuelantur, & qui non ſit ei nociturus, ſed profuturus, vel nullam patietur infamiam, vel leuiſſimam, vt patet.

Tertiò, quia cùm huiuſmodi reuelationibus ſeruatur puritas, & perfectio Religionum in ſua primæua diſciplina, & ex illarum amiſſione deſtruitur puritas, & perfectio earum: quare ſi moraliter certum ſit, quòd pius, & prudens ſuperior ex tali reuelatione non ſit proceſſurus ad pœnam delictorum, ſed ad remedium, & bonum Religioſi delinquentis, non erit neceſſaria, & ceſſabit talis monitio.

Quartò, quia eſto incurrat infamiam apud ipſum ſuperiorem, tamen conſcientia, & ſalus animæ præferenda eſt bonæ famæ, bona enim temporalia, & inferioris ordinis, & famæ, & diuitiæ poſthabenda ſunt bonis ſpiritualibus, ſaluti videlicet animarum, & emendationi deerrantis fratris.

9. Verùm hæc opinio ſtando in iure communi, nullo modo eſt probabilis; ſtando verò in iure, & ſtatutis aliquarum Religionum, ſtatim dicemus; quare eius rationes, & fundamenta ſic ſoluuntur.

Ad primum dices: proclamationes illas, quæ in Capitulis Religioſorum abſque vlla ſecreta admonitione fiunt, eſſe de aliquibus culpis leuibus, quæ famæ non derogant, & eſſe potius quaſi quaſdam commemorationes oblitarum culparum, quàm accuſationes, aut denuntiationes: vnde ſi eſſent aliqua de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui in talibus proclamationibus peccatum fratris publicaret: ita, & optimè, reſpondet D. Thom. *2. 2. quæſt. 33. art. 7. ad 4.* 10.

Proclamationes Capitulorum Religioſorum ſunt tantùm de venialibus defectibus.

D.Thom.

Ad ſecundum dices, falſum eſſe non manere Religioſum infamatum, cuius delicta pio, & prudenti ſuperiori, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe, tanquam patri, manifeſtantur: multo enim grauior eſt infamatio apud vnum grauem, & prudentem virum, à quo quis pendet, quàm apud multos, à quibus non pendet, vt latè probauimus *cap. 2. num. 24.* maximè, quia ex reuelatione ſuperiori tanquam patri facta, pio, & prudenti, poteſt ſuperior procedere ad negationem ſuffragij, ad officia Religionis, ad mutationem domus, & Monaſterij, ad remotionem ab officio, & ad alias res, quæ notam infamiæ naturaliter afferre poſſunt, vt ſtatim dicemus.

Ad tertium nego meliùs conſeruari omnes Religiones in primæua puritate ſui inſtituti, & diſciplinæ religioſæ, ſi nulla præmiſſa monitione fratres ſtatim deferantur ad ſuos ſuperiores, tanquam pios, & prudentes patres, de delictis occultis, quæ non ſunt aliis nociua, cùm æquè poſſint emendari per ſecretam admonitionem, de quo procedit quæſtio: imò aſſero religioſam diſciplinam, & puritatem Religionis, tunc poſſe magis à ſua primæua puritate collabi, quàm in ea conſeruari; cùm enim decor, & puritas Religionis præcipuè conſiſtat in bona Religioſorum, & hæc magis pendeat ex æſtimatione, & iudicio prudentium, & ſuperiorum, quàm ex aliorum iudicio, ſi Religioſi apud iſtos infamentur: conſequenter Religio à primæua puritate deficiet, vt patet, & quod additur nullo modo apud ſuperiores, prædictos Religioſos infamari, ridiculum omnino eſt, cùm enim fama conſiſtat in bona æſtimatione, neceſſariò illam non habebit, qui delicta occulta, & grauia alicuius agnouerit; hoc tamen non tollit quòd poſſit dari ſpecialis Religio, in qua ob eius munia & miniſteria ſpiritualia, & occupationes cum proximis frequentes, & magnæ vtilitatis ſpiritualis illorum ad eius conſeruationem neceſſariò requiratur hæc famæ renuntiatio, vt ſtatim patebit.

Ad quartum reſpondendum eſt conſcientiam, 11.
& bona ſpiritualia ſuperioris Ordinis, vt ſalus, præferendam eſſe famæ, & bonis temporalibus inferioris Ordinis, quando vtrumque ſeruari non poteſt: ſecus autem quando vtrumque ſeruari poteſt, vt ſupponimus, fieri poſſe per admonitionem fraternam, vt ex dictis patet.

Ex dictis inferes, quando Epiſcopi, Viſitatores, 12.
& Prælati Religioſorum, & alij ſuperiores regulares, aut ſæculares Eccleſiaſtici præcipiunt ſub excommunicatione ipſo facto, vt ſcientes crimina intra certum terminum ſibi reuelent; ſemper intelligendum eſſe ſeruato ordine correctionis fraternæ, ſi crimina ſint occulta, & putetur correctio profutura, & non eſt periculum in mora, etiamſi id præcipiant ſpecialiter vni, vel generaliter omnibus, aliàs non eſt eis obediendum, imò addit Banhes *2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. ad 7.* huius præcepta viſitationum non intelligi de peccatis ſecretis, ſed de

Corollarium.

Banhes.

de illis, quæ modò aliquo ſunt publica,& ſcandaloſa, aut in detrimetum commune vergunt: ita etiam docet Saytus *in Claui Regia, lib.11. cap.4. de ſecundo infamandi modo, num.19.* & D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. & Nauarr. *in manuali lat. cap.* 18. *num.*40.*& cap.*25.*num.*46.& alij, quos citat Sayrus *allegatus.* Hæc de iure communi; de hæreſi alibi dicemus.

Sayrus. D.Thom. Nauarr.

SVMMARIVM.

*Religionum ſtatuta, quæ habent, vt alter alterius delicta occulta extra confeſſionem nota ſuperiori manifeſtet, abſque correctione fraterna, laudabilia ſunt. num.*13.

*An licitè poſſint huiuſmodi Religioſi renuntiare iuri naturali ſuæ famæ. num.*14.

*Quid ſi ſint pueri, an poſſint huic iuri renuntiare. n.*15.

*Hæc famæ renuntiatio propter bonum ſpirituale proprium non eſt contra præceptum Chriſti præmittendi monitionem fraternam, ſed eſt ſupra illud, & id eſt meritorium,& laudabile. num.*16.

*Delicta occulta ſiue leuia, ſiue grauia, non tenentur huiuſmodi Religioſi manifeſtare ſuperioribus tanquam iudicibus ad punitionem, ſed vt patribus ad correctionem. num.*17.*&* 18.

*Ad quid poſſint procedere ſuperiores ad emendationem ſubditorum ex ijs, quæ ſibi tanquam patribus reuelantur. num.*19.

*An ad dimiſſionem poſſint in Societate procedere. n.*20.

*An ſuperiores Societatis poſſint manifeſtare ea delicta, & defectus, quos ſubditi in reddenda ſuæ conſcientiæ ratione de ſe ipſis illis manifeſtant. num.*21.

*Quouſque teneantur Religioſi delicta grauia occulta aliorum ſine monitione fraterna ſuperioribus reuelare, n.*22.*& quid ſi ſint publica. ibid.*

13. SVnt tamen aliquæ Religiones, quæ laudabile ſtatutum habēt approbatum à Sede Apoſtolica, veluti noſtra Societas,in quo præcipitur, vt qui alterius Religioſi defectus,peccata,vel grauem tentationem extra confeſſionem ſciuerit, ſtatim denuntiet Prælato, nulla præmiſſa monitione fraterna, & non eſt dubitandum tale ſtatutum valde eſſe vtile toti corpori Religionis, valdéque laudabile,vt doctè docent Saytus *lib.*11.*in Claui Regia cap.*14.*de ſecundo infamandi modo,num.*20.& Banhes 2.2.*quæſt.*33. *art.*8. *dub.*2.*ad* 7. Valent. *tom.*3. *diſp.*3. *quæſt.*10.*punct.*3. nam ſi aliquid obſtaret,quominus laudabile eſſet, vel eſſet, quia per illud præiudicaretur iuri naturali conſeruandæ famæ proximi, vel quia eſſet contra legem Euangelicam, & præceptum Chriſti: ſed nullum horum eſt; ergo,&c. nam quòd non præiudicetur iuri naturali, patet, quia nemo cogitur ad renuntiandum huic iuri naturali, ſicut non cogitur ad ingreſſum talis Religionis, ſed eo ipſo quòd Religio habet hoc inſtitutum, quod amplexa eſt tanquam medium ad ſui conſeruationem neceſſarium, qui vult in eam admitti, liberè iuri ſuo, & famæ propriæ renuntiat, ſicut liberè eam Religionem ingreditur: vnuſquiſque enim Dominus eſt ſuæ famæ,vt patebit ſtatim *cap.ſequenti*, cui iuſtè renuntiare poteſt ob bonum ſpirituale ſalutis propriæ. Nec mirum eſſe debet, quòd Religio obliget ad hanc renuntiationem faciendam mediante ſuo inſtituto eos, qui in ea liberè, & piè viuere volunt: ſic enim Eccleſia neminem immediatè cogit ad vouendam caſtitatem expreſsè, eorum, qui ſacris Ordinibus initiantur, ſed votum ſolemne illius eſt adnexum ipſis ſacris Ordinibus: vnde qui illis liberè initiari volunt, liberè etiam, & non coactè ſe volunt ad votum caſtitatis obligare: volenti autem, & conſentienti nulla fit iniuria; argumento regulæ, *ſcienti, & conſentienti, de regulis iuris in* 6. Non eſt etiam contra legem Euangelicam, & præceptum Chriſti de præmittenda fraterna correctione,ſed ſupra præceptum Chriſti,ſicut omnes Religiones ſunt ſupra præcepta Dei, non contra illa, neque enim præcepta Dei obligant ad perpetuam caſtitatem,obedientiam,paupertatem, abſtinentiam ab eſu carnium, ad non accipiandos Epiſcopatus, & dignitates Eccleſiaſticas, & tamen multæ Religiones ad hæc omnia obligant; ſunt ergo Religiones ſupra præcepta Dei, non contra, quia ſunt ſupra communem viuendi modum hominum ſæcularium, non Religioſorum.

Sayrus. Banhes. Valentia.

Religiones ſunt ſupra præcepta Dei, non contra.

Nec peccat is renuntiando ſuo iuri, quia homo eſt dominus ſuæ famæ, & maximè quando ex bona cauſa facit, & propter bonum ſuperioris Ordinis, ſpirituale ſuæ propriæ ſalutis, & conſcientiæ; quare in eo potius meretur, quàm peccat, & hoc vel etiam cæci iudicant, ſic authores *allegati.* 14.

Nec etiam refert in Religione Societatis ſæpe ingredi adoleſcentulos, qui adhuc neſciunt iudicare quanti hæc renuntiatio referat, quantumve præiudicium in ea ſibi afferant. nam certum eſt ex Concilio Trident. *ſeſſ.*25. *de reformat. cap.*15. profeſſionem eſſe nullam tam virorum, quam mulierum, quæ ante decimumſextum annum expletum facta fuerit. ibi, *in quacumque Religione tam virorum, quàm mulierum, profeſſio non fiat, ante decimumſextum annum expletum.* & infrà, *Profeſſióque antea facta ſit nulla, nullámque inducat obligationem ad regulæ,vel alicuius Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut alios quoſcumque effectus.* Et certum eſt etiam in Societate hoc decretum Concilij ſanctiſſimè obſeruari, nam quamuis multi illam ante hoc tempus ingrediantur, & minori ætate, tamen nullus admittitur ad vota ſimplicia Collegij, per quæ fiunt verè Religioſi,vt definitum eſt in Bulla Gregorij XIII. *Aſcendente Domino,* niſi decimoſexto anno expleto, & in biennio tyrocinij eis traditur inſtitutum Societatis inſpiciendum, legendum, conſiderandum & ſingulis ſex menſibus à Magiſtris Nouitiorum eis explicatur, & ſpeciatim eis declaratur hoc punctum, & alia, quæ in eo inſtituto ardua,& difficilia videntur, & liberè conſentiunt. Dices hos adoleſcentulos non habere plenum iudicium ad conſiderandum quanti hoc referat;at hoc iniuſtum, & irrationabile planè eſt; alioquin dicant etiam eoſdem in ipſo ſuo decimoſexto ætatis anno à Concilio ad profeſſionem requiſito, non habere plenum iudicium ad conſiderandum, quantum difficultatis inſit vitæ religioſæ, quam ſuſcipiunt, ſufficit enim, quòd iudicium ſufficiens habeant ad emittenda vota Collegij expleto decimoſexto anno, per quæ, vt dixi, fiunt verè Religioſi, dum in Societate ſunt, vt dicamus eos habere plenum, & ſufficiens iudicium ad deliberandum de ſtatuto, cui ſe ſpontè ſubijciunt, & volunt obligare: ſicut enim illi, qui in alijs Religionibus in hac ætate profitentur, iudicantur habere perfectum iudicium ad deliberandum de nonnullis punctis difficillimis, & religioſiſſimis, quæ aliarum Religionum inſtitutis adnexa ſunt; ita & in noſtra Religione debet iudicari circa hoc punctum. Et denique,quia ſufficit Concilium Tridentinum cenſere iudicium huius ætatis eſſe ſufficiens ad ſe obligandum ad ſtatutum 15.

tutum Religioſum, nulla Religione excepta, vt etiam dicamus eos ſufficiens habere iudicium ad deliberandum,& conſiderandum de difficultatibus regularum Religionum, quibus ſe per profeſſionem, & vota biennij Collegij volunt obligare, vt patet.

16. Non eſt denique contra præceptum Chriſti hæc famæ renuntiatio, propter bonum ſpirituale propriæ conſcientiæ, ſed eſt ſupra illud, & eſt licitum, & laudabile, ac valdè meritorium, quia Chriſtus ordinem fraternæ admonitionis ſeruari voluit, vt ſeruetur fama proximi,& ne ei fieret iniuria illum apud ſuperiorem per talem denuntiationem peccati infamando: cùm autem ille per voluntarium Religionis ingreſſum, liberè, & voluntariè renunciauerit iuri ſuo, vt patet à ſimili in iſto exemplo. nam quòd coniuges ſibi inuicem teneantur ad debitum, & illud exigere poſſint, iuris naturalis eſt, & Domini præceptum;& tamen ſi ex mutuo conſenſu voueant caſtitatem,non fit exigenti iniuria, ſi ab altero negetur: ſic licèt præceptum de ſeruanda correctione fraterna ſit de iure naturali, tamen ſi quis liberè illud renunciet,nulla ei ſit poſtea iniuria, ſi eius occulta delicta ea prætermiſſa, ſuperiori tanquam patri ad emendationem illius denuntientur,vt optimè docet Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 4. *de ſecundo infamandi modo, num,* 20. Banhes 2.2.*quæſt.* 33.*art.*8.*dub.*2. & Valent. *tom.*3.*diſp.*3.*q.*10.*punct.*3.

Sayrus. Banhes. Valent.

17. Dixi, *vt patri*, quia delicta occulta, ſiue leuia, ſiue grauia ſint, non tenentur ſubditi noſtræ Societatis manifeſtare ſuperioribus tanquam iudicibus ad ea punienda, ſed tanquam patribus ad ea corrigenda, vt patet ex noſtra ſexta Congregatione generali *in inſtructione de manifeſtatione delicti ſuperioribus facienda, cap.* 1. *circa regulam* 9. & 10. *Summarij* in inſtructionibus,& ordinationibus ad Prouinciales,& ſuperiores Societatis.

18. Si autem ſuperior malè affectus foret erga aliquem ſubditum, ea manifeſtatio illi fieri non deberet, quia vt ei fiat tanquam patri, opus eſt vt vir ſit pius,prudens, diſcretus, & vt proſit, non obſit, iuxta D.Thom.2.2.*quæſt.*33.*art.*7.& 8. & iuxta omnes Doctores.

D.Thom.

19. *Quomodo poſſint aſcendere ſuperiores ex iis, quæ ſibi deferuntur tanquam patribus.*

Ex iis defectibus, quo ſuperiores nouerint, tanquam patres, & qui ſibi tanquam patribus manifeſtantur,poterunt ſecretò peragere quæcumque ad remedium, & prouentum ſpiritualem delati iudicarent in Domino expedire citra eius infamiam publicam; poterunt nimirum priuatim monere,arguere,reprehendere,terrere minis, vigilare circa illum,mutare loco,occaſiones auertere,& licentias negare, præcauere à recidiuo: non admittere ſecretò ad aliquod officium; ab eodem illum amouere, ſi quod habet, quæſito alio aliunde colore. Poſſunt etiam ſuperiores nonnullos defectus leues, & communes aliis ex ita delatis in publicis reprehenſionibus coarguere, & reprehendere,imponendo pœnitentias ordinarias iuxta conſuetudinem Religionis,dummodo ipſi delato infamiam alicuius momenti noti non inferant,quantum fieri poteſt,impetrato deferentis, & manifeſtantis conſenſu abſque eius detrimento.

20. *Quid in noſtra Societate.*

In noſtra etiam Societate licebit interdum ſuperiori ex iis, quæ ſibi tanquam patri deferuntur, aſcendere ad dimiſſionem delati ad Societatem,ita vt quamuis iuuetur ea notitia, non procedat eo modo, vt tales defectus vel in ſpecie,vel in genere manifeſtentur,ſed alios defectus aliunde notos illi opponat, qui ad illum dimittendum aliorum iudicio ſufficere videantur, aut certè nihil tale dicat, neque occaſionem aliquam det credendi, quòd dimiſſio fiat in pœnam delicti, quod omnino ſecretum eſt,nec alia via,quàm paternæ denuntiationis ſcitur: tota hæc doctrina habetur in noſtra ſexta Congregatione generali *in inſtruct. ad Prouinciales, cap.* 2. *circa regulam* 9. & 10. *Summarij*; nec noua videri poteſt, cùm inter cætera Iulius ſecundus in ſtatutis Franciſcanæ familiæ fateatur damnandum eſſe dogma illud nonnullorum imperfectorum Religioſorum, criminis ſocium non teneri denuntiare ſuum ſocium ſuperiori tanquam Patri.Et *in conſtitutionibus generalibus Farinerij Ordinis Minorum, cap.*7. refertur ſtatutum quoddam conditum fuiſſe in quodam Capitulo generali à Diuo Bonauentura, hac de re in hæc verba. *Nullus frater dogmatizet, vel teneat, quod cùm aliqui ſunt ſocij in crimine, non teneatur alter alterum reuelare ei, qui poteſt, ac debet prodeſſe,& animarum periculis præcauere.* Ex ſententia igitur D.Bonauenturæ, ac totius Capituli illius generalis definitum eſt contrariam doctrinam pernicioſam eſſe, & in deſtructionem Ordinis, & regularis diſciplinæ; cùm Prælatos noſſe oporteat ſubditorum exceſſus, non ſolùm vt puniant,ſed etiam vt præcauere poſſint.

Non poſſunt etiam ſuperiores Societatis manifeſtare ea delicta, & defectus, quos de ſe quiſque Religioſus illis aperit in reddenda conſcientiæ ratione, patet ex *regula* 9. *ſummarij eiuſdem Societatis*, vbi dicitur ſolum ad maiorem in ſpiritu profectum,animi ſubmiſſionem,& vtilitatem propriam fieri renunciationem famæ. Vnde extra vtilitatem propriam eſſet,& extra profectum ſpiritualem foret, ſi ſuperiores eos poſſint manifeſtare aliis etiam ſuperioribus. 21.

In delictis autem, quæ vel publica ſunt, vel occulta, ſed ita grauia, vt pernicioſa ſint aliis Religioſis, vel in graue damnum totius communitatis,& Religionis temporale,vel ſpirituale vergant, qualia ſunt ea, quæ diximus *in* 2. *huius cap. & n.* 5. vt,v.c. lapſus carnis cum tertio; ſeminatio diſcordiarum inter fratres; furtum graue; impugnatio, vel machinatio contra inſtitutum Religionis, aut contra ſuperiores, præſertim generalem: conſuetudo detrahendi grauiter, ſuſurrandique, & his ſimilia, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur quiſque immediatè vti denuntiatione paterna, manifeſtando illa ſuperiori, non præmiſſa fraterna correctione, vt ſecretò, ac prudenter tam bono ſubditi,quàm Religionis proſpiciat, vt habetur in noſtra inſtructione de manifeſtatione delicti *num.* 7. præſertim ſi periculum ſit in mora, quod alij inficiantur, aut decus Religionis pereat, dum ea monitio fraterna fit, vt docet Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 13. *n.* 3. Vide quæ diximus *n.* 5. *huius cap.* conducunt enim valde ad hunc locum. 22.

CAPVT VIII.

Vtrùm ſit peccatum mortale ſe ipſum infamare, & grauius, quàm alium infamare.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio affirmans peccatum eſſe mortiferum contra iuſtitiam ſe ipſum infamare, & teneri ad reſtitutionem Reipublicæ faciendam. n. 1.

Aſtruitur

Aſtruitur ſecunda affirmans eſſe tantum peccatum veniale contra charitatem, & nunquam eſſe peccatum mortale, neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam ſine cauſa ſe ipſum infamare. n.2.4.8
Explicatur D. Auguſt. n.3. Soluuntur argumenta primæ opinionis. n.4.& 10.
Ex accidenti tamen peccatum mortale erit contra propriam charitatem ſe ipſum infamare; vt ſi proximus inde peccandi anſam capiat; ſi ex tali infamatione mors propria ſequatur. n.5.
Deinde ſi Prælatus Religionis, vel Epiſcopus ſe ipſos infament, retento officio Prælatorum. n.6.
Quid ſi infamia redundet in filios, aut in familiam, imponendo ſibi crimen hæreſis, ſodomiæ, aut proditionis patriæ, vel alterius, in quo de iure infamis ſit. num.7.
An patres diſſipando bona ſua temporalia cum filiorum detrimento peccent contra iuſtitiam, ibi, verſ. dubium tamen.
Ob finem honeſtum, v.c. ad liberandum amicum à morte, non eſt peccatum veniale ſe ipſum infamare, verùm & occultum de ſe crimen fatendo, ob quod mortem mereatur. n.9.
Homo priuatus non peccat lethaliter ſe ipſum infamando, ſibi falſum crimen in iudicio affingendo, modò crimen tale ſit, ob quod mortem non mereatur, nec alijs infamia ſequatur, ſi abſque iuramento illud ſibi affingat, ſecus ſi cum iuramento ratione periurij. n.10.

1. *Quale peccatum ſit infamare ſe ipſū. Sētentia prima.*

PARTITA eſt ſententia hac de re.

Prima docet ſine cauſa ſe ipſum infamare ſecluſo damno, ſtando in ſola, & præciſa ratione propriæ infamiæ, eſſe peccatum mortale, ita vt ex nulla cauſa, nec etiam metu mortis excuſetur, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium ſe ipſum quis infamet. Ita Caietan. 2.2. *quæſt.* 73. *art.* 2. *& in ſumma verb. Detractio*, & D. Antonin. 3. *part. tit.* 8. *cap.* 4. §. 1. *verſ. primo modo.* Si verò à Caietano quæras, vtrùm ſit mortale contra charitatem, an contra iuſtitiam, vtrumque affirmat, eam ex parte defendunt Angelus *verb. Detractio*, §. *vltimo*, Syluest. *verb. Detractio*, *num.* 4. differunt tamen à Caietano, quia admittunt excuſari à mortali quando fit metu mortis, quod Caietanus non admittit; Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 17. *puncto* 2. exiſtimat eſſe contra propriam charitatem, quando fit ſine cauſa, Azor *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *q.* 11. §. *in hac re*; Malderus *tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 10. §. *Dico ſecundò*, exiſtimant non eſſe improbabile eſſe contra charitatem, Turrian. 2.2. *tom.* 2. *diſp.* 54. *n.* 11. arbitratur eſſe mortale, non tamen contra iuſtitiam, neque contra propriam charitatē, ſed contra magnanimitatem. Fundamentum eſt

(Caiet. D. Antonin. Angelus. Syluester. Valent. Azor. Malderus. Turrian.)

Primò, quia charitas obligat vnumquemque, vt ſe, & ſua diligat: ſed bona fama eſt præcipuum bonum hominis externum; ergo qui illam ſine cauſa ſe ipſum infamando perdit, peccat mortaliter contra charitatem.

Secundò, quia licet fama ſit bonum externum, tamen ſi vera eſt, & in virtute fundata, contra virtutem erit illi renunciare; quia renunciatio virtutis non poteſt eſſe licita, neque honeſta: ſicut enim Clericus qui ſe ipſum percutit, in excommunicationem *cap. ſi quis*, incidit, quia iniuriam infert ſtatui clericali; ita ille, qui ſe ipſum infamat, iniuriam infert virtuti, in qua fama fundatur.

Tertiò, quia iuxta ſacrā Scripturam admonemur curam habere de bono nomine, Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni.* Vnde D. Auguſt. & refertur *in cap. noli* 12. *quæſt.* 1. *Duæ ſunt res conſcientia, & fama, qui confidens conſcientiæ negligit famam, crudelis eſt.* ergo ſicut quis peccare poteſt grauiter ſpernendo bona temporalia, ita & famam propriam prodigendo. Tandem; quia nemo eſt dominus ſuæ famæ, ſicut nec vitæ propriæ; ergo ſicut grauius peccat ille, qui ſe ipſum occidit, quàm qui alterum occidit, ita grauius peccat contra iuſtitiam ille, qui ſe ipſum ſine cauſa infamat, quàm qui alterum infamat. Confirmatur, quia homo ſolum eſt cuſtos famæ, ſicut & vitæ, nam vnuſquiſque ita ſuus eſt, vt ſit etiam pars Reipublicæ & communitatis, in qua viuit, & conſequenter bona illius fama non ſolùm ad ipſum pertinet, ſed etiam ad communitatem; ergo cùm illam ſibi aufert, damnum infert communitati, & peccat contra iuſtitiam. Adde, quia infamatio ſui eſt intrinſecè mala, ſicut mutilatio, vel occiſio; ſed hæc ex nullo metu, vel cauſa à mortali excuſatur; ergo neque illa.

2. *Sententia ſecunda.*

Secunda ſententia verior, & probabilior, aſſerit infamare ſe ipſum ſine cauſa ſtando in ſola, & præciſa ratione propriæ infamiæ, & ſecluſo damno tertij, vel propriæ vitæ ex obiecto, & genere ſuo, non eſſe peccatum mortale; neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam, ſed eſſe ſolum veniale contra charitatem propriam erga ſe ipſum. Ita docet D. Thom. 2.2. *q.* 57. *art.* 4. *& q.* 58. *art.* 2. ibi, *Secundum ſoluitur ſi conſideremus peccatum iniuſtitiæ committi reſpectu alterius, non autem alicuius ad ſemetipſum, ex Ariſtotele* Ethicor. 5. cap. 1. *tametſi veniale peccatum ſit famam propriam prodigere: erit tamen grauius peccatum (intellige veniale) prodigalitas famæ, quàm pecuniarum.* Hæc D. Thom. & idem docet Couarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 8. penè iiſdem verbis, Toletanus *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 4. *p.* 2. *lib.* 1. *num.* 113. *& p.* 3. *dub.* 1. *num.* 366. Molin. *tract.* 4. *diſp.* 37. *concl.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 6. Malderus *tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 10. §. *dico tertiò*, Sayrus *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 33. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 4. *num.* 113. Toletus *lib.* 5. *ſumma*, *cap.* 66. Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 10. *art.* 2. *verſ. celeberrimum autem, fol. mihi* 452. *col.* 1. Nauarrus *in ſumma, cap.* 18. Adrianus *in* 4. *de reſtit. famæ, q.* 35. Turrianus 2.2. *tom.* 2. *diſp.* 54. *dub.* 2. Probatur non eſſe peccatum mortale contra iuſtitiam,

(D. Thom. Couarr. Toletan. Molina. Leſſius. Malder. Sayrus. Filliucius. Toletus. Sotus. Nauarrus. Adrianus. Turrian.)

Primò, quia homo eſt dominus ſuæ propriæ famæ, ſicut & ſuorum bonorum temporalium; ergo illam diſſipando, prodigendoque abſque cauſa nulli facit iniuriam; ſicut neque diſſipando bona, ſiue id facit reuelando de ſe crimen, & defectum aliquod de ſe verum, ſed occultum, ſiue ſibi affigendo falſum. nam homo ſuo labore ſibi comparat bonam famam, ſicut comparat diuitias; ergo ſicut eſt dominus ſuarum diuitiarum, ita & ſuæ famæ. Confirmatur, quia propria infamatio non eſt contra iuſtitiam, neque contra charitatem, ſed eſt quædam prodigalitas, quæ ex ſuo genere non eſt peccatum mortale; ergo neque talis eſt infamatio. nam non eſt contra iuſtitiam ſibi debitam, tum quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, tum quia eiuſdem ad ſe ipſum non poteſt dari iniuſtitia: non eſt etiam contra iuſtitiam debitam alicui perſonæ priuatæ, quia cùm homo ſit dominus ſuæ famæ, poteſt de illa diſponere ſine iniuria proximi; quemadmodum poteſt diſponere, & conſumere ſuam pecuniam, quando ex tali infamia, & conſumptione, vt ſupponimus, nullum ſequitur damnum, præiudiciumve tertij.

Secundò, quia à Chriſto Domino admonemur ne famā, & honores, & primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis multū faciamus, *Matth.* 23. arguit enim Phariſæos in hunc modum. *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras* in

in ſynagogis; & Theophylactus ibi, *ſi ſolùm amans condemnatur, qui nihil non facit pro illis, quanta condemnatione dignus erit?* Non ergo eſt famæ perditio, & iactura ex obiecto ſuo, & ſecluſo damno tertij materia grauis, & capax peccati mortalis, & ideò admonemur etiam infamiam patienter tolerare, vt docet D. Greg. *hom. 9. ſuper Ezech.* & D. Paulus parui æſtimabat ſe ab hominibus nobilibus æſtimari, 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, hoc eſt, aut ab aliis nobilioribus & potentioribus, aut à Regibus, & Principibus, qui inter alios ſplendent nobilitatis ſuæ radiis, velut ſplendet ſol in die, vt communiter ibi doctiores explicant interpretes. Et D. Auguſtinus, & Anſelmus peccata ſua ſuis publicis ſcriptis tradiderunt, quod non facerent, niſi dominium famæ haberemus, & iudicarent ſe in eo mortaliter non peccare, licèt non habeamus vitæ.

Tertiò, quia ſi homo ſe infamando, falſum crimen ſibi affigendo, aut verum, ſed occultum manifeſtando, peccaret mortaliter, contra iuſtitiam, & teneretur ad reſtitutionem ſuæ famæ, cui, quæſo, teneretur? Non ſibi, ſiquidem ſui ad ſe ipſum nulla eſt reſtitutio; eſt enim reſtitutio, & iuſtitia ad alium. Non Reipublicæ, aut Eccleſiæ, quia fama Eccleſiaſtici non connumeratur inter bona Eccleſiaſtica, ſicut neque fama laici inter bona Reipublicæ, ſed inter bona cuiuſque propria, & temporalia: nam qui Eccleſiaſticum infamat, non tenetur famam illius reſtituere Summo Pontifici, aut Eccleſiæ, ſed infamato: ergo is dominus eſt ſuæ famæ. Deinde, quia ſequeretur inde, quòd condonante infamato iniuriam ſuæ famæ, infamanti, adhuc teneretur infamans reſtitutionem facere Reipublicæ, aut Eccleſiæ, quod eſt inuſitatum, & contra praxim ordinariam. Confirmatur, quia dominium, quod communitas, aut Reſpublica habet ſuper famam ſui membri, & ciuis, eſt dominium altum, non dominium proprietatis, ex quo reſultet obligatio iuſtitiæ commutatiuæ.

3. Neque contra hoc facit D. Auguſt. *lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 20.* vbi ſic: *Non minus reus eſt, qui de ſe ipſo falſum crimen fatetur, quàm ſi de proximo.* Non enim ſignificat D. Auguſtinus vtrumque eſſe peccatum contra iuſtitiam, ſed vtrumque dumtaxat eſſe prohibitum illamet prohibitione, qua prohibetur falſum teſtimonium, non tamen vtrumque prohibitum eſſe, eodem modo, & ſub eodem peccato mortali, vt patebit ſtatim.

4. Non eſt etiam ex obiecto ſuo peccatum contra charitatem, vt docet Couarr. Sotus, Leſſius, & Nauarr. *locis ſuprà allegatis*.

Primò, quia charitas ſui ipſius non obligat ad bona huius vitæ, quæ externa ſunt, comparanda, vel conſeruanda, niſi quatenus ſunt neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem, vel propriam, vel proximorum.

Secundò, quia prodigalitas, quæ verſatur propriè in bonis externis, ex obiecto, & genere ſuo non eſt peccatum mortale contra charitatem; ſed ſolùm veniale; ergo cùm fama ſit bonum quoddam externum, ex obiecto, & genere ſuo non erit peccatum mortale eius profuſio, ſi ſine culpa fiat, ſecluſo damno alterius, ſed ſolùm quædam prodigalitas venialis.

Nec fundamenta primæ opinionis pondus habent, iam enim manent ſoluta ex dictis. Nam ad primum negamus obligare charitatem propriam ſub peccato mortali ad diligendam propriam famam, & bona externa, non enim ad hoc obligant, niſi quatenus conducunt ad bona ſpiritualia & ſalutem æternam conſequendam.

Secundum argumentum vim non habet, quia virtus, in qua bona fama fundatur, eſt quid commune omnibus. Priuilegium verò canonis eſt conceſſum tertio, contra quem ſemper fit iniuria, & cui renunciare Clericus non poteſt, etiamſi velit, ſuppoſito quòd Ordines voluit accipere, eſt enim priuilegium conceſſum Ordinibus, non perſonæ.

Ad tertium dico Scripturam ſacram nos admonere ad comparandum bonum nomen, quia conducit ad bona ſpiritualia comparanda, ſaltem tanquam remouens prohibens, cùm enim bona fama acquiratur bonis operibus naturalibus, bona opera naturalia remouent mala opera, quæ impedimento ſunt ſalutis æternæ. Ad id, quod additur hominem non eſſe dominum propriæ famæ, ſicut nec propriæ vitæ, id omnino negatur: eſt enim dominus propriæ famæ, non propriæ vitæ, vt alibi probauimus, & ampliùs *infrà* probabimus: cætera patent ex dictis.

Hoc quamuis ex obiecto ita ſe habeat, non eſt tamen negandum, aliquando ratione alicuius circumſtantiæ extrinſecæ, grauis videlicet damni, quod nobis, vel aliis ex noſtra infamatione ſequatur, poſſe eſſe peccatum mortale contra charitatem ſe ipſum infamare ſine vlla cauſa, vt docet Leſſius *allegatus, lib. 2. c. 11. dub. 6. n. 31.* & Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 2.* ſic peccatum mortale erit ſe ipſum infamare, ſi proximus indè facilem occaſionem capiat eundem abſque cauſa infamandi, quia tunc datur malitia ſcandali, quia illi eſt occaſio peccandi: item ibi etiam poteſt eſſe ſcandalum proprium. Vnde ſi ille, qui ſine cauſa ſe ipſum infamat, ratione huius infamiæ reddatur pronior, & liberior ad peccandum, mortale etiam erit ſe ipſum infamare: ac proinde in hac circunſtantia proprij, vel alieni damni ſpiritualis poteſt eſſe peccatum mortale contra charitatem in infamatione ſui ipſius; ſic quando pauper indiget, & eſt in neceſſitate aliqua graui, vel extrema, ſi diues proiiciat tunc pecuniam in mare, peccabit mortaliter contra charitatem, quia in talibus circumſtantiis debita erat pecunia pauperi ex charitate. 5.

Secundò, ſi ex tali infamatione ij, qui ſe ipſos infamant, periculum vitæ ob idipſum incurrant, vt ſi falsò dicant ſine cauſa ſe occidiſſe Petrum, vel illius torum violaſſe, hoc enim perinde eſt, ac ſi ſe ipſos occidant, quia alteri occaſionem præbent publicè, & priuatim ſe occidendi. Vtrùm autem cum cauſa, & ad vitandum dolorem torturæ licitum ſit ſibi hæc crimina imponere, ex quibus mors ſibi ſequatur, dicemus infrà *c. ſeq.* Quoties igitur ex propria infamatione, & enarratione, vel impoſitione proprij delicti exponitur aliquis, vel etiam ipſe narrans periculo mortis, vel mutilationis, v. c. ſi narret adulterium, vel ſtuprum à ſe commiſſum coram marito, patre, vel fratribus fœminæ, vel cum periculo perueniendi facilè ad eos, & conſequenter cum periculo quòd ab eis occidatur, vel mutiletur, erit peccatum mortale contra propriã charitatem.

Tertiò, ſi infamanti ſe ipſum neceſſaria ſit fama muneri publico, quod gerit, vt ſi ſit Epiſcopus, Prælatus, Abbas; tunc enim peccatum mortale erit, non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiã ſe ipſum ſine cauſa infamare, vt docet Sotus *allegatus, & lib. 4. de iuſtit. q. 4. art. 3. fol. mihi 319. art. 2.* & P. Nauarra *lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 1. n. 123.* & alij, quo ſenſu procedit illud D. Auguſt. *relati* in cap. noli 12. quæſt. 1. *Qui confidens conſcientia negligit famam, crudelis* 6.

crudelis eſt, id eſt, Prælatus qui confidens bonæ conſcientiæ negligit famam, crudelis eſt erga ſubditos, quia in cauſa eſt, vt ſubditi ob illius malam famam, in eo ipſo peccent, & ſic crudelis eſt, quia multos ſpiritualiter occidit: non eſt autem per ſe peccatum contra iuſtitiam, ſed per accidens, in quantum ſcilicet vult quis ſuſtinere munus Prælati cum prædicta infamia, ob quam indignus factus eſt munere, vnuſquiſque enim tenetur ex iuſtitia tueri ſuam famam, quando illa eſt medium neceſſarium ad exercendum officium, quod gerit; ſuppoſito enim quòd vult finem, neceſſariò debet velle medium neceſſarium ad talem finem; bona autem fama neceſſaria eſt ad publica munia gerenda in Magiſtratibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim in Officiis Prælatorum, & Paſtorum, è quorum exemplo grex Chriſti pendet; quamobrem illos, qui famam prodigunt, & officium retinere volunt, meritò vocat D. Aug. crudeles, quia ſpiritualiter multos occidunt, & in cauſa ſunt ſuo peſſimo exemplo, quòd ſubditi peccent mortaliter. Vnde ſi velint officium relinquere, aut nouis virtutibus amiſſam famam recuperare, non erit hoc ex hac parte contra iuſtitiam ſe infamare. Ita Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. dub.6. n.32.* Sayro *in Claui Regia, lib.11. c.3. n.36.* Nauar. *in ſumma Lat. cap.18. n.28.* Arag. 2.2. *quæſt.2. art.6. 2. tract. de dominio*, & Sotus *allegatus*.

7. Quartò, ſi infamia vniuſcuiuſque redundet in tertiam perſonam, v. c. in filios, in familiam, in totum Ordinem, & Conuentum Religioſorum, peccatum erit contra charitatem, & iuſtitiam, ſe ipſum infamare, affigendo ſibi crimen hæreſis, proditionis patriæ, ſodomiæ, læſæ maieſtatis, & alia ſimilia, quæ de iure infamiam adnexam habent. Eſt enim magna infamia liberorum patrem hæreticum, proditorem, aut vitio ſodomiæ infamem habere, quia ex huiuſmodi delictis filij redduntur infames, & inhabiles ad honores publicos, & publica munia exercenda. Ita Toletus *lib.5. cap.66. in ſumma*, Sotus *lib.5. de iuſtit. quæſt.10. art.2. pag.453. col.2. ad finem.* Soares *tract. de fide, diſp.24. ſect.4.* Couarr. *lib.1. variar. cap.2. num.8.* Leſſius *lib.2. cap.11. dub.6. num.32. & 33.* & Sayrus *in Claui Regia, lib.11. cap.3. num.35.* contra Toletanum *lib.2. de reſt. cap.4. num.121.* vbi dicit ex genere ſuo non eſſe mortale, ſi quis crimen hæreſis verum, ſed occultum, vel falſum, de ſe dicat, quia ſicut ex ſe, & ex genere ſuo non eſt peccatum mortale omnes, ingenteſque diuitias in mare proiicere, ita non erit peccatum mortale, ſi quis magnum crimen hæreſis ſibi imponat, & ſuam famam amittat, cùm vtrumque, fama ſcilicet, & diuitiæ, bona ſint externa, quorum dominus quiſque eſt: at cùm hoc crimen nemo poſſit ſibi imponere, niſi cum damno filiorum, aut familiæ, ideò ſemper ex hoc fine, & circumſtantia erit peccatum mortale, licèt ex obiecto ſuo tale non ſit, prouenit enim hoc non ratione dominij, quod filij in parentes, aut parentes in filios habeant, ſed ratione connexionis, quam talia membra, & perſonæ inter ſe habent, nam quando talis eſt connexio, ita fit vnum ſubiectum alteri, vt infamia, moraliter loquendo, non poſſit inhærere vni, quin inhæreat alteri. Similiter honeſtæ Nobilium familiæ notabilis eſt infamia eſſe aliquem ex ea ſodomiticum, aut patriæ proditorem. Ordini religioſo habere aliquem Religioſum publicè ſimoniacum, aut homicidam. In his igitur, & ſimilibus caſibus peccatum mortale erit non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam ſe ipſum ſine cauſa infamare: contra charitatem, quia graui, ingentique mœrore afficiuntur: contra iuſtitiam, quia aliorum bona æſtimatio læditur. nam ſuppoſito quòd infamia non ſiſtat in ſolo patre, aut perſona committente delictum, ſed tranſeat ad filios, & alios, iam eſt illis cauſa huius damni; quemadmodum enim ſi quis proprium enſem in mare proiiceret, ſi obiter grauiter alium ſciens, & animaduertens vulneraret, quamuis in proiectione, & amiſſione rei propriæ non peccaret contra iuſtitiam, tamen ratione vulneris alieni in ea proiectione præuiſi peccaret contra illam, imò & dato quòd non peccaret contra iuſtitiam diſſipando, & profundendo ſine cauſa bona ſua externa, adhuc peccaret diſſipando famam. Ratio eſt, quia filij nondum habent dominium, & poſſeſſionem prædictorum bonorum, totum enim dominium illorum eſt in patre: vnde pater, ſi illa diſſipat, diſſipat id, quod ſuum eſt, & conſequenter non infert poſitiuè damnum filiis, quia damnum illud eſt in re propria, & bona illa non pertinebant ad filios, niſi poſt mortem patris: at habent ipſi filij dominium, & poſſeſſionem ſuæ famæ: vnde pater, qui ſe infamat, & ex hac infamia infamat filios, verè diſſipat famam alienam, cuius ipſe non eſt dominus, & conſequenter peccat contra iuſtitiam, quia infert poſitiuè verum damnum in re aliena. Quæſtio tamen eſt difficilis an ad vitandam mortem excuſari quis poſſit à mortali, quando ſibi falſum crimen hæreſis imponit, de quo eſt conuictus in iudicio, v. c. eſt reus penè conuictus in iudicio de crimine hæreſis, quod ſi confiteatur, remittitur ei pœna mortis, reconciliatúrque Eccleſiæ: quærimus, an ſi ipſe re vera ſit innocens, peccet mortaliter confitendo crimen, quod non commiſit, an ſolùm venialiter. Reſpondeo ſi talis reus eſt alioqui in fide ſuſpectus, vel ratione ſanguinis, nationis, & familiæ, vt ſunt multi ex ſanguine, & natione Hebræa in Luſitania, vel ex alio capite, in hoc caſu ſolùm id erit peccatum veniale ratione mendacij: ſi verò nullo modo talis reus eſt ſuſpectus in fide, certum eſt non peccare mortaliter ratione propriæ famæ, quia eſt dominus illius, nec ratione damnorum temporalium, quæ ſibi, & ſuis ſequentur, cùm hæc eodem modo ſequantur ſi negatiuus moriatur: ratione tamen ſcandali ſi ex hac confeſſione ſua occaſio ruinæ reſpectu aliorum ſequatur, quæ non ſequeretur, ſi in prædicta nota non conſentiret, videtur peccatum eſſe mortale, maximè, quia talis perſona habet pro ſe bonam præſumptionem, cùm alioquin non ſit ſuſpecta: aliunde verò quòd non peccet mortaliter, ratio vrget, quia minus ſcandalum videtur ſi confiteatur, & ſigna pœnitentiæ oſtendat, quàm ſi moriatur negatiuus, quia in vtroque caſu condemnatur vt conuictus de hæreſi; ſi verò moriatur, præſumitur impœnitens, & conſequenter ex hoc capite ſequitur maius ſcandalum, quare vtrumque eſt probabile; ita cum diſtinctione reſpondet Molina *tom. 4. diſp.37. §. in hac re.* & in primo caſu quando aliquis iam de fide eſt ſuſpectus ratione familiæ, & ſanguinis, idem docent authores quos citabimus *c. ſeq. n.2.*

Quæſtio circa crimen hæreſis.

Solutio.

Toletus. Sotus. Soar. Couarr. Leſſius. Sayr.

Dubium tamen eſt, an patres diſſipando bona ſua temporalia cum filiorum damno, ac detrimento, peccent mortaliter contra iuſtitiam, an contra charitatem. 8.

An patres diſſipando bona ſua temporalia cum filiorum detrimento peccent contra iuſtitiam.

Reſpondeo primò peccare contra charitatem, ac pietatem naturalem ratione damni grauis, quod filiis inferunt, vel non impediunt cùm poſſint, ac teneantur, nam pater ſaltem ex charitate, &

& pietate naturali tenentur filiis acquirere bona, vt congruenter ſuſtententur, vnde à fortiori tenentur non diſſipare acquiſita: vnde præter illas donationes remuneratorias, & gratuitas, quæ decent illorum ſtatum, non poſſunt alias facere cum detrimento legitimæ filiorum, & ſi fiant, reuocandæ ſunt, vt docent communiter Doctores cum Molina *tom.2. de iuſtit. diſp.283. §. ſi autem*; an verò reuocandæ ſint in totum, an ſolùm vſque ad legitimas filiorum, non modica quæſtio eſt inter Doctores. Sunt enim qui dicunt reuocandas eſſe vſque ad legitimas filiorum: ita gloſſa magna *in l. 1. C. de inoffic. donat.* & colligitur ex *l.8. tit.4. p.5.* & docet Gregor. Lopez *ibi gloſſa vltima.* conſentit Emmanuel à Coſta *cap. ſi pater 3. part. verb. priuare non poſſit, num.16.* Alij iudicant reuocandas eſſe in totum, & pro hac opinione ſtant Panorm. *in cap. vltimo, de donat. n.5.* argumento legis *ſi libertus, ff. de iurepatron.* quæ ſtatuit alienata in fraudem legis, eſſe ipſo iure nulla, & Anton. Gomez *tom.2. variar. cap.4. num.13.* & Iulius Clarus *quæſt. 24. num. 2.* qui id ipſum aſſerunt, maximè quando ita in fraudem filiorum donatum fuiſſet: vtraque tamen ſententia eſt ſatis probabilis, & tutò ſequi poteſt, vt docet Molina *allegatus.*

Reſpondeo ſecundò, non videri peccatum eſſe contra iuſtitiam, attento ſolo iure naturali, quia re vera filij ante mortem parentum nullam legitimam habent, vnde obligatio parentum ad relinquenda bona filiis poſt mortem, ex quibus modo aliquo ali poſſint, videtur potius orta ex pietate naturali, quàm ex iuſtitia, vnde licèt obligatio præſtandi alimenta filiis reſpectu Patrum ſpectato iure poſitiuo ſit ex iuſtitia; tamen obligatio relinquendi illis bona poſt mortem ex pietate potius, quàm ex iuſtitia oritur.

Reſpondeo tertiò, ſuppoſito iure poſitiuo quod filiis certam portionem in legitimam aſſignat in prædictis bonis parentum, prædictam donationem eſſe contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia filij ex vi legis humanæ habêt ius ad illam portionem; ergo ſi diſſipetur ſine cauſa, eis fit iniuria. An verò donatarij teneantur in conſcientia reſtituere bona, quæ ita à parentibus in præiudicium legitimæ filiorum acceperunt, an expectanda ſit ſententia iudicis, videri poteſt Molin. *d. tom.2. de iuſtit. diſp.283. d. §. ſi autem, ad finem*, vbi aſſerit nulla expectata ſententia teneri donatarios in conſcientia ex donationibus à parentibus acceptis reſtituere id, in quo prædictæ donationes mordent, nocéntque legitimis filiorum; reliquum verò cum illo priuentur in pœnam, non niſi poſt latam ſententiam reſtituere tenentur, & id ipſum repetit *tom.1. de iuſtit. diſp.237.*

8. *Conſectarium primum.* Ex dictis ſequitur primò infamare hominem ſe ipſum, vel fatendo de ſe crimen verum, ſed occultum, vel affigendo ſibi falſum, nullum eſſe peccatum nec mortale, nec veniale, ſi fiat ex cauſa iuſta, quia eſt dominus ſuæ famæ; ſi autem ſine cauſa fiat, & nulla inde infamia in alios redundet, eſſe ſolùm veniale, eſt enim id contra charitatem propriam, quia præcepto charitatis propriæ non ita obligamur, vt teneatur bonam famam ita diligere, vt illam negligere citra aliorum detrimentum mortale ſit, cùm multi Epiſcopi ſancti, vt, de D. Ambroſio fertur, id fecerint, & mulierculas ad ſe vocarent, vt ſic Epiſcopalem euaderent dignitatem, quod non tam facilè efficerent, ſi putarent ſe in hoc mortaliter peccare, & cùm ex cauſa fecerint, nec veniale quidem peccatum commiſerunt, & ratio clara eſt in promptu; nam dominus rei licitæ poteſt de illa diſponere ob cauſam iuſtam, quando proximi damnum non ſequitur. Ita Sotus *lib.5. de iuſtit. quæſt.10. art.2. pag.453. col.1.* Saytus *in Claui Regia, lib.11. cap.3. num.2.* Molin. *tom.4. de iuſtit. diſp.37. in fine.* Turrian. 2. 2. *tom. 2. diſp.54. dub.1. num.1.* Sotus. Saytus. Molina. Turrian.

Sequitur ſecundò, licitum eſſe ſe ipſum infamare, idem ſimiliter crimen verum, ſed occultum de ſe reuelando, vel falſum ſibi affingendo, vt proximum à morte liberet, cui fortè illud imponitur, quamuis enim tunc ad id nemo teneatur, præſertim ſi mortem timeat; tamen id efficere licitum erit ad liberandum amicum, aut proximum ob honeſtum finem amicitiæ, ita docet Sotus *lib.4. de iuſt. q.6. art.3.* Gabriel *in 4. diſt.15. q.14.* 9. *Conſectarium ſecundum.*

Sequitur denique non eſſe peccatum mortale hominem ſe ipſum infamare, falſum crimen ſibi ipſi imponendo, ſi de illo à iudice abſque iuramento fuerit rogatus, modò tale ſit, ob quod mortem non mereatur, nec aliis infamia ſequatur; ſecus ſi cum iuramento: qua in re ſuppono duo eſſe penè certa. Primum eſt infamare ſe ipſum ſibi falſum crimen imponendo, ſiue in iudicio, ſiue extra illud ſub iuramento illud affirmando mortale peccatum eſſe periurij, extra iuramentum verò peccatum tantùm eſſe veniale mendacij, ſi ſine cauſa iuſta fiat prædicta infamatio, quod iam ſatis probatum manet; quia tamen peccatum veniale eſt, moriendum potius nobis eſt, quàm illud committendum; præſtat enim millies magis mori, quàm Deo vel leuiter offenſo viuere. Ratio eſt, quia hoc mendacium non eſt pernicioſum aliis, quia ſi crimen, quod ſibi imponit, non redundat in alios, nemini is facit iniuriam mentiendo qui ſibi illud imponit, ſeque ipſum illo infamat, ſibi enim ſoli famam aufert, cuius verus dominus eſt, quid enim magis refert mentiri verbis, an factis? & tamen olim multi ex Sanctis ſibi falſa crimina facto impoſuerunt, vt de D. Ambroſ. ſi vera eius eſt hiſtoria, vt diximus, refertur, qui mulierculas in domum ſuam introduxit, vt infulam euaderet, ac dignitatem; cùm igitur in hoc mortaliter non peccauerit, neque etiam mortaliter peccaret, ſi eadem crimina de ſe verbis ſine iuramento affirmaret. Neque obſtat, quòd mendacium iſtud ſit dictum in iudicio, vel extra iudicium, cùm nulla inde circumſtantia grauior reſultet damni, vel nocumenti tertij, vt ſuprà diximus, & ita docet Sotus *allegatus, lib.5. de iuſt. q.10. art.2. fol. mihi 453.* Leſſius *tom.1. lib.2. cap.11. dub.6. num.30.* Nauarrus *cap.18. n.28.* & omnes quos citauimus *num.2.* 10. *Conſectarium tertium.* Sotus. Leſſius. Nauarr.

CAPVT IX.

Vtrùm peccatum mortale ſit falſum ſibi crimen, ex quo mors ſequatur, imponere in iudicio.

SVMMARIVM.

Refertur prima opinio aſſerens graue peccatum eſſe mortale contra iuſtitiam, in Rempublicam, & charitatem in ſe ipſum ad vitandam torturam, & tormentum, ſe infamare ſibi falſum crimen imponendo; aut verum, ſed occultum reuelando, ex quo mors, aut mutilatio ſibi ſequatur. n.1.

Aſtruitur ſecunda negans, modò iuramento non confirmetur, tunc enim ratione periurij erit graue mortale. num.2. & 5.

Soluuntur

Soluuntur argumenta primæ opinionis. n.3.

Quid ſi ex confeſſione, aut impoſitione talis criminis grauis ſequatur infamia filiorum, vel familiæ, aut religionis. n.4.

An teneatur ille, qui ſibi falſum crimen affinxit in tormentis, ob quod patitur ſe retractare in loco ſupplicij. n.6. & 7.

Si crimen importet infamiam filiorum, Religionis, vel familiæ, tenetur ſe retractare in loco ſupplicij. n.8.

Si aliquis in tormentis ſibi affinxit falſum crimen, ob quod grauis infamia Religionis, vel nobili familiæ ſequatur, tenetur ſe retractare, etiamſi ob id iterum torqueatur, & morte puniatur. n.9.

Ad vitanda tormenta leuia falſum ſibi crimen imponere, ob quod morte plectendus ſit, eſt peccatum mortale contra charitatem propriam. n.10. & 11.

Quid ſi ob tormenta leuia verum ſuum crimen, ſed occultum fateatur, ob quod mortem mereatur. n.12.

Quid ſi ob meram ſocordiam, & mollitiem animi ſine vlla intentione boni finis verum, ſed occultum crimen de ſe ipſo fateatur, ob quod morte afficiendus ſit. n.13.

Secluſo periculo mortis, aut grauis exilij, ſola fama propria periclitante, an ſit peccatum mortale fateri de ſe crimen verum, ſed occultum, aut imponere ſibi in iudicio falſum. n.14.

An ad liberandum amicum, parentem, vel proximum aliquem à morte ſit peccatum mortale abſque iuramento ſibi crimen falſum imponere, ob quod mortem mereatur, ſi iudex iuridicè non procedat. n.15. *Quid ſi procedat iuridicè.* n.16.

1\. QVÆSTIO eſt grauis, an ad vitanda tormenta grauia in tortura, vel diuturnum carcerem peccatum ſit mortale ſe ipſum infamare, vel ſibi falſum crimen imponendo, vel verum, ſed occultum confitendo, ex cuius impoſitione, & confeſſione certò ſciat ſe ad mortem damnandum. Eſt partita opinio hac de re.

Opinio prima.

Caiet. Armilla. Syluester. D. Antonin. Nauarr.

Prima affirmat eſſe hoc graue peccatum mortale contra iuſtitiam in Rempublicam, cuius homo pars eſt, & contra propriam charitatem. Eum docet expreſsè Caietan. 2.2. *quæſt.* 73. *art.* 2. & *in ſumma verb. detractio*, Armilla, & Syluest. *verb. Detractio* vterque *num.* 4. D. Antonin. 3. *part. tit.* 8. *cap.* 4. §. 1. *verſ. primo modo*, tenet etiam Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 17. *punct.* 2. vbi cenſet eſſe peccatum mortale contra charitatem; Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 18. *num.* 28. & 29. vbi dicit non eſſe peccatum mortale, ſed tantùm veniale ex ſuo genere detegere peccata propria vera, & ſecreta, & imponere ſibi falſa, exceptis his caſibus,

Primò, quando ex eo ſequitur damnum animæ, hoc eſt, ſcandalum aliis, & occaſio peccandi.

Abbas. Felin. Archidiac. Socin. D. Antonin. Sanchez.

Secundò, quando ſequitur damnum vitæ propriæ, vel alienæ, & id ipſum neceſſariò debent docere omnes, qui tenent illos, qui metu tormentorum falſum ſibi crimen, ob quod morte afficiendi ſunt, impoſuerunt, teneri ſub mortali in loco ſupplicij ſe retractare, & hi ſunt Abbas *in cap. ex parte* 2. *num.* 2. *de ſepulturis*, Felin. *cap. cauſam, num.* 7. *de teſtibus cogendis*, Archidiaconus 2. *p. tit.* 11. *cap.* 11. §. 3. Socin. *in repetitione cap. ad Audientiam, de homicidio.* D. Antonin. 2. *p. tit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *verſ. quantum ad* 4. Et pro hac etiam parte citari poteſt Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, lib.* 3. *cap.* 7. *fine, n.* 12. quatenus aſſerit teneri illum, qui metu tormentorum ſibi crimen falſum impoſuit, ob quod mortem meretur ſe retractare, vbi ex retractatione ſperatur, fore, vt mortem euadat, non teneri tamen ſe retractare in loco ſupplicij, & ad pedem patibuli, vt aiunt, quia ibi caret hac ſpe. Vnde ſi tenetur ſe retractare, conſequenter ſequitur, illum peccaſſe, ſibi illud crimen imponendo. Fundamentum eſt

Primò, quia, vt docet D. Auguſt. *lib.* 1. *de ciuitate Dei, cap.* 17. & 18. & patet ex quinto præcepto Decalogi, nemini licet ſe occidere, perinde autem eſt (moraliter loquendo) ſibi crimen falſum in iudicio imponere, ex quo ſit occidendus, atque ſe occidere.

Deinde, quia homo non eſt Dominus vitæ propriæ, ſed cuſtos, & ideò, cùm non ſit dominus illius, contra iuſtitiam facit illam ſibi auferendo.

Tertiò, quia, qui in iudicio ſibi crimen falſum, ob quod mortem meretur; affingit, mendacium pernicioſum profert contra ſe ipſum: proferre autem mendacium pernicioſum eſt graue peccatum mortale, cùm de ſe ſit nociuum.

Quartò, quia ſi poteſt aliquis abſque peccato mortali ad euadendam torturam tormentorum, aut metu mortis ſibi crimen falſum imponere, ob quod morte afficiendus ſit, poterit etiam illud alteri proximo imponere, cùm vnuſquiſque magis teneatur vitam propriam conſeruare, quàm proximi. Ita ſe habet hæc opinio, quæ eſt probabilis.

Secunda opinio verior, & probabilior negat omnino hoc eſſe peccatum mortale, ſi ſine iuramento affirmetur, & ſibi crimen imponatur, ſed eſſe tantùm veniale, eam docet Malderus *de iuſtit. tract.* 7. *cap.* 1. *dub.* 10. *n.* 3. *concl.* 2. docet etiam Toletus *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 66. Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 7. *n.* 41. Sotus *de tegendo ſecreto, m.* 3. *q. final. col.* 10. & *lib.* 5. *de iuſtit. q.* 10. *art.* 2. *verſ. exiſtit tamen, fol. mihi* 453. *col.* 2. *ad finem.* Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *n.* 8. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 3. *n.* 42. Toletanus *lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 2. *dub.* 1. *n.* 135. Angelus *verb. Detractio, n.* 6. Syluest. *verb. Detractio, quæſt.* 3. multi Authores hoc tempore hanc tenent, & hæc eſt omnino amplectenda, fauet enim multis miſeris, qui alioquin, ſi hoc non liceret, corpore, & animo perirent; paſſim enim in tormentis poſiti, ſibi multa crimina falsò imponunt, quæ poſtea non audeat reuocare metu ſimilium tormentorum. Probatur 2.

Opinio ſecunda.

Malderus. Toletus. Leſſius. Sotus. Couarr. Sayrus. Toletan. Angelus. Syluester.

Non eſt peccatum mortale ad vitãda tormenta imponere ſibi crimen falſũ, ob quod morte quis afficiatur modò non redundet in ſuorum infamiam.

Primò, quia hoc, moraliter loquendo, non eſt tam mortis ſuæ date cauſam, quàm vna breui morte multas redimere diuturnas.

Secundò, quia licèt homo non ſit dominus vitæ propriæ, eſt tamen cuſtos illius, & cum tanto dolore tormentorum, non tenetur illam cuſtodire, ac tueri, ſicut dum æger eſt, non tenetur pati ſibi brachium veneno infectum abſcindi, vt vitam tueatur cum dolore tanto.

Tertiò, quia ſicut cuſtodia vitæ nobis ius tribuit, vt illam promerendo ſtipendio in bello, periculo exponamus, cùm opus fuerit, ita nobis ius tribuit, vt illam pro euadendo torturæ tormento periculo mortis obiiciamus, imponendo nobis crimen, ob quod mortem mereamur.

Quartò, quia ſi eſſet peccatum mortale fateri crimen in tormentis, de quo quis falsò accuſatur, & interrogatur, vel ideò eſſet, quod ſit mendacium ſibi ipſi pernicioſum, vel quòd ſit peruerſio iudicij: non eſt mendacium pernicioſum, quia non affert filiis, aut cognatis tantum dedecus, vt quis teneatur ex charitate potiùs hæc grauia tormenta pati, quàm illud dedecus, infamiámve vitare: neque etiam ſibi affert malum, quòd notabiliter præponderet ipſis tormentis, nam crimen fatendo breui morte longã redimit, talia enim torméta pati, eſt longã mortem,

& acerbam pati. Non eſt peruerſio iudicij, quia non peruertit iudicem, vt faciat contra officium ſuum, nec accuſatorem, nec teſtes. Et quamuis mendacium contra ſe proferat, non eſt mortale, aut pernicioſum aliis mendacium, nec tenetur de illo ſe retractare in loco ſupplicij, ſi alteri tertio non eſt nociuum, nec pernicioſum, quamuis id affirment authores primæ opinionis, etiamſi nulli ſit pernicioſum tale mendacium. Et ratio eſt, quia medacium in iudicio, ſi cum nullius fiat iniuria, nō eſt peccatum mortiferum: vt ſi Petrus à te petat in iudicio centum aureos, quos illi non debes, & tu iuridicè interrogatus citra iuramentum fatearis te eſſe illorum debitorem ad vitandas lites, non peccas mortaliter, imò nec venialiter ſi commoda aliqua ratione te vindices à mendacio. Neque etiam iniuriam facit iudicibus, aut Reipublicæ, qui crimen falſum ſibi in tormentis ad illa vitanda imponit, quia non ducerent hoc ſibi iniuriæ, ſicut nec ducerent, ſi negaret crimen verum, imò potiùs commiſeratione mouerentur, ſi ſcirent.

3. Nec fundamenta primæ opinionis multum mouent.

Primum enim, ſecundum, & tertium iam ex dictis ſoluta manent.

Ad quartum reſpondeo negando ſequelam, quia homo non eſt dominus famæ alterius, nec cuſtos illius vitæ, ſicut eſt dominus propriæ famæ, & cuſtos vitæ, vnde illi grauem inferet iniuriam, ſi eo inuito ei falſum crimen imponat. Neque eſt verum fundamentum Nauarri, nempe perinde eſſe, moraliter loquendo, ſibi imponere in iudicio crimen dignum morte, atque ſibi mortem inferre, hoc enim falſum eſt, quia homo nec phyſicè, nec moraliter ſe interficit: non phyſicè, vt patet: non moraliter, quia iuſtam cauſam habet ob quam ſe ad interfectionem exponat, ſicut ſi quis ſe exponeret hoſtium telis ad fugienda grauiſſima hoſtium tormenta, ſi in illorum manus deueniat, quod patet, quia ſi rogaret iudicem, vt potius ſe interficiat, quàm ita ſeuerè torqueat, non cenſeretur homicida ſui; ergo neque etiam fatendo crimen, ob quod mortem patiatur.

4. *Quid ſi in aliorum infamiam redundet.*

Si tamen ex confeſſione, aut impoſitione falſi criminis grauis ſequatur infamia Religioni, ſi Religioſus eſt; aut filiis, ſi pater eſt; aut ſubditis, ſi Prælatus; aut familiæ, ſi homo nobilis, vt plerumque ſequitur ex falſa confeſſione, & impoſitione criminis hæreſis, ſodomiæ, proditionis patriæ, & Principis, tunc quidem peccatum eſſet mortale contra iuſtitiam, & mendacium pernicioſum aliis, falſum crimen ſibi affingere ad vitanda ea tormenta, & teneretur ſe retractare, quamuis noua iterum tormenta ſubiturus ſit, vt etiam dicemus *num. 9.* quia cum tanto, & iam graui aliorum præiudicio, nemo ius habet ad vitanda tormenta per impoſitionem criminis falſi, quo nobilem familiam perpetua ignominiæ nota conſpergat, ac commaculet. Ita expreſsè Sotus, primus, quem ſciam, huius opinionis author *lib. 5. de iuſtit. q. 10. art. 2. verſ. ſi autem falsò, in fine, fol. mihi 453. col. 2.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 7. num. 50.* Saytus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. honor. extern. num. 35.* Nauarrus *in manuali lat. cap. 18. num. 28.* Couarr. *lib. 1. variar. reſol. cap. 2. num. 8.* Toletus *lib. 5. ſumma, c. 66. verſ. primum eſt, & verſ. poſterior eſt,* & præcipuè *verſ. quartum dictum eſt*; & pro hac parte citari poſſunt omnes authores primæ opinionis, qui neceſſariò hoc dicunt, vt patet.

Sot. Leſſius. Sayr. Nauarr. Couarr. Toletus.

5. Et quidem hæc ſecunda opinio ſemper eſt intelligenda, ſi ſine iuramento ſibi falſum crimen imponat, vt communiter aſſerunt Doctores, & ſpeciatim Sotus *lib. 5. de iuſtit. q. 10. art. 2. verſ. eſt autem, fol. mihi 455. col. 2.* & Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 66. verſ. quartum dictum eſt*; Leſſius, & Angelus ſtatim *allegandi*, quia quamuis tunc crimen illud nulli tertio ſit detrimentoſum, præterquam ſoli ipſi illud ſibi imponenti, erit tamen peccatum mortale mendacij, & periurij in iuramento aſſertorio, & grauis iniuria Deo fiet eum in teſtem rei falſæ afferendo, & ita communiter omnes. Quamuis ſi iam commiſſum ſit huiuſmodi periurium, Confeſſarius non debeat miſerum obligare, vt ſe retractet, & verum dicat, cùm nemini pernicioſum, aut nociuum fuerit tale iuramentum, vt optimè animaduertit idem Toletus *citatus*, & Leſſius *lib. 2. c. 11. de detract. & contumel. dub. 7. n. 48.* Angel. *verb. detractio, n. 6.* Et ratio eſt, quia peccatum periurij iam eſt tranſactum, & non retractãdo ſe, nemini facit iniuriam, retractando autem denuo ſe infamat, & culpam periurij purgare non poteſt; purgabit autem illam lacrymis apud Deum pœnitendo, quod facere poteſt abſque externa reuocatione, ſecus de periurio cum præiudicio tertij facto, tenetur enim tunc ſe retractare.

Sotus. Toletus. Leſſius. Angelus. Toletus. Leſſius. Angelus.

6. Hinc ſequitur non teneri illum, qui in tormentis ſibi ipſi falſum crimen affinxit, ob quod mortem patitur, ſi alteri tertio non eſt nociuum, ſe retractare in loco ſupplicij. Ita expreſsè docet Sanchez *lib. 3. Decalogi; cap. 7. num. 12.* Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 4. in noua edit. dub. 1. num. 25. & 26.* Rodriq. *de ordine iudiciario, cap. 11. num. 6. in fine,* Toletus, Leſſius, & Angelus modò *allegati n. præcedenti.* Et ratio eſt, quam ibi tetigimus, quia nullum inde ſequitur præiudicium tertij: deinde, quia nec ob eam retractationem poteſt vitæ conſulere, cùm res iam non ſit integra; imò iam ſit in eo ſtatu, vt ex retractatione non ſperetur euitatio mortis, & ſupplicij ipſius.

Sanchez. P. Nauarr. Rodriq.

7. Contrarium expreſsè tenent omnes authores primæ opinionis *n. 1. allegati*, & præcipuè Socinus, Abbas, Felin. Archidiac. Syluester, D. Antonin. ſed cùm illi primam opinionem ſequantur, conſequenter hoc debent dicere: cùm autem nos illam reiecerimus, non multùm curanda nobis eſt illorum authoritas, nec fundamenta illorum momentum habent, cùm iam ſoluta ſint.

8. An verò quando crimen tertio eſt nociuum, teneatur ſemper, & in omni caſu illud ſibi affingens in loco ſupplicij retractare? dubium eſt. Cui breuiter reſpondeo conſequenter ad ea, quæ diximus *n. 4.* ſi Religioni, vel familiæ ex confeſſione, & impoſitione criminis ſequatur grauis infamia, teneri ſe retractare: ſi verò infamia non tanti momenti ſit, non teneri, quod prudens Confeſſarius arbitrabitur.

9. *Tenetur ſe retractare.*

Illud certiſſimum eſt, ſi aliquis ad vitanda grauia tormenta ſibi graue crimen in tortura affinxit, ex quo grauis infamia Religioni, vel nobili familiæ ſæcularium contingat, ante ſententiam latam teneri illum ſe retractare, etiamſi noua iterum tormenta ſubeat: fieri enim poteſt, vt tanta illa ſit infamia, vt potiùs teneatur quæuis tormenta, imò & mortem perpeti, quàm ab his cum tanto aliorum damno excuſari, vt docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. c. 11. de detract. & contumel. dub. 7. n. 50.* & Toletus *lib. 5. ſummæ, c. 66. verſ. quartum dictum eſt*, deducitur ex Sancio *tom. 1. Decalogi, lib. 3. cap. 7. num. 12.* Et ratio eſt, quia res adhuc eſt integra, & in eo ſtatu, vt ex retractione ſperetur euitatio infamiæ innocentium, tam parua tamen

Leſſius. Toletus. Sanchez.

tamen poteſt eſſe infamia tertij, vt ſpectata prudenter regula charitatis, teneatur quis illam potius pati, quàm proximum denuo torqueri, quod prudentis arbitrium æſtimabit, vt patet.

10. Sed quid ſi tormenta ſint leuia, erit ne tunc peccatum mortiferum verum, ſuum crimen in iudicio fateri, aut ſibi falſum imponere citra iuramentum, & præiudicium aliorum, ſi ex tali impoſitione, aut confeſſione ſibi mors ſequatur, & quid ſi non ſequatur. Et breuiter reſpondens ſic

11. *Concluſio prima.* Statuo primò. Ad vitanda tormenta leuia falſum ſibi crimen imponere, ob quod morte quiſque plectendus ſit, eſt peccatum mortiferum contra charitatem propriam. Ita Sotus *lib. 5. de iuſtit. q. 10. art. 2.* & Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 7. num. 35.* Et eſt communis, & à fortiori eam docebunt omnes authores primæ opinionis *num. 1.* citati, cùm doceant etiam ad vitanda tormenta grauia mortale eſſe peccatum ſibi crimen falsò affingere, ex quo ſibi mors ſequatur. Probatur *Sotus. Leſſius.*

Primò, quia vnuſquiſque tenetur ſuam vitam conſeruare, & tueri cum aliquo etiam dolore, & incommodo, maximè quando mortem non eſt meritus; ergo peccatum erit mortale contra charitatem erga ſeipſum, propter leuia tormenta falſum ſibi crimen imponere, ob quod ad mortem ſit damnandus.

Secundò, quia in hoc caſu cenſeretur quiſque ſibi ſponte mortem immeritam inferre.

Tertiò, quia ductu, ac lumine naturæ præeunte docemur bona minoris momenti exponere pro conſeruatione bonorum maioris momenti; ſic ductu naturæ manu caput obtegimus ad ictus capitis deuitandos: ſicque manum periculo exponimus, vt maius bonum capitis ſeruemus; ergo peccatum erit mortale non ſeruare maius bonum vitæ expoſito minori, euitatione ſcilicet leuium tormentorum.

12. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, non erit peccatum mortiferum, ſi ob huiuſmodi tormenta leuia deuitanda, verum, ſed occultum crimen, ob quod mortem merearis, manifeſtes, etiamſi ob hanc manifeſtationem morte ſis plectendus. Ita docet Leſſius *citatus n. 36.* & Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. n. 134.* Probatur, quia committendo illud crimen, dignus es morte; poteris igitur illam optare, & procurare, proponendo bonum finem publicum, nempe exemplum aliorum, & tuorum ſcelerum vindictam: ob has enim cauſas abſque vllo peccato, nec etiam veniali, videtur quemlibet poſſe ſuum crimen verum, ſed occultum dignum morte manifeſtare, ſéque in iudicio ſiſtere; ergo à fortiori idem poterit dicere in tormentis: neque dici poteſt illum tunc peccare mortaliter contra charitatem, tum quia maius bonum ſibi propoſitum habet, quàm ſit vita propria; tum quia ſi alius illum occulti criminis conſcius accuſaret, vel ob bonum publicum, vel ob ſalutem animæ illius, non peccaret contra charitatem; ergo neque ipſe idipſum faciens ob eandem cauſam finémque peccabit. *Leſſius. P. Nauarr.*

13. Si tamen aliquis mollitie quadam animi, & ignauia, ſocordia, ac puſillanimitate, eo quòd perleuia, ac perexigua tormenta nequeat ſuſtinere, ſine hac bonorum finium intentione crimina ſua occulta prodat, non excuſarem illum à veniali. Ita Leſſius *citatus n. 38.* imò eſſet mortale, ſi id redundet in dedecus familiæ. *Leſſius.*

14. *Cōcluſio tertia.* Statuo tertiò, ſecluſo periculo mortis, mutilationis, aut grauis damni, vt exilij diuturni ſola fama periclitante fateri de ſe crimen occultum verum, aut affingere ſibi falſum ad vitanda tormenta, non eſt peccatum mortiferum, hoc ſequitur euidenter ex dictis. Ita docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 7. num. 39.* Leſſius. docet etiam Couarruias *lib. 1. variar. cap. 2. num. 8.* Couarr. Probatur, quia vnuſquiſque eſt verus dominus famæ ſuæ; non autem vitæ, vnde cùm hic tantùm periclitetur fama, & non vita, non erit mortale illam iacturæ exponere, nam ſi ex genere ſuo, & obiecto non eſt peccatum mortale famam prodigere, illámque periculo ſine cauſa citra præiudicium aliorum exponere, vt *ſuprà* probauimus, multo minus mortale erit, ſi ob aliquam cauſam, qualis eſt euaſio leuium tormentorum, licèt non ſit æqualis famæ, illam exponantus.

Statuo quartò, ad liberandum proximum, amicum, fratrem, vel parentem à morte, vel à tormentis magnis, non eſt peccatum mortale abſque iuramento ſibi crimen falsò impingere, quando iudex in quæſtione, & tortura non procedit iuridicè, ſed iniuſtè, v.c. ſi in tortura præter iuris ordinem rogeris, an Petrus tuus amicus hoc, vel illud crimen commiſerit, ſine peccato mortali poteris dicere te illud commiſiſſe, citra iuramentum tamen, quod ſemper in omnibus caſibus eſt intelligendum, vt Petrum amicum tuum à morte liberes, vel triremibus, eſto ille id committeret, & tu non committeres, & eſtò ad mortem ob eandem confeſſionem damneris. Ita Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 6.* vbi docet licitum eſſe vitam exponere pro amico, & expreſsè *lib. 5. cap. 66. verſ. Quartum dictum eſt.* Sotus *lib. 4. de Iuſt. q. 1. art. 6.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 7. num. 40.* Probatur facilè 15. *Concluſio quarta.* Tolet. Sotus. Leſsius.

Primò, quia hoc non eſt ſe occidere, ſed eſt præferre vitam, & famam amici ſuæ propriæ, quod licitè fieri poteſt propter honeſtatem amicitiæ.

Secundò, quia poſſum ſine peccato mortifero mihi crimen falsò imponere ad vitanda grauia tormenta, etiamſi ob eam confeſſionem ad mortem ſim damnandus, atqui interitus amici, & parentis æquiualet tormentis grauibus, & doloribus, vt patet; ergo, &c. Imò ſi parēs, & amicus omnino innocentes ſint, nec ſit alia via mortis auertendæ, licitum eſt morti ſe offerre pro illis, quia nemini facit iniuriam. Quod tamen ſemper intelligendum eſt, quando inde nullum magnum præiudicium aliis reſultat in ſpiritualibus, vel temporalibus, nam ſi quis apud multos in magna opinione literarum, aut probitatis habeatur, & ſibi imponeret crimen falſum, aut haberet crimen occultum, quod ſi manifeſtaret illi, ad hæreſim deficerent, aut exinde ad magna crimina perpetranda anſam caperent, potius talis mortem tenetur pati, quàm hoc manifeſtare, & illud ſibi affingere. Similiter ſi ex manifeſtatione, aut impoſitione talis criminis multa odia, iurgia, & ſeditiones in Republica ſequantur, non poteſt tunc illud ſibi affingere, nec etiam verum, ſed occultum manifeſtare cum tanto aliorum præiudicio, vt optimè animaduertit Toletus *citatus dicto lib. 5. ſummæ, cap. 66. verſ. Quartum dictum eſt.* Tolet.

Dixi, quando iudex non procedit iuſtè, ſed iniuſtè, quia ſi iuſtè, ac iuridicè procederet, peruerteret iuſtum iudicium, & faceret iniuriam iudici, & accuſatoribus, teſtibus, & Reipublicæ; & ſine dubio eſſet graue peccatum mortale, vt docet Leſſius *allegatus dict. num. 40.* 16.

Capvt X.

Vtrùm in diſpenſationibus, quæ petuntur à Summo Pontifice ad matrimonium contrahendum, teneatur quis ſe infamare manifeſtando copulam occultam cum conſanguinea, vel affine, & an poſſit iurare in iudicio ſe illam non commiſiſſe.

Svmmarivm.

Si copula habeatur poſt expeditionem ab Ordinario factam, aut à Confeſſario ſi pro foro conſcientiæ veniat diſpenſatio, ea copula diſpenſationem non vitiat, ſed manet valida talis diſpenſatio. num. 1. & 2.

Quid ſi Summus Pontifex conditionem ponat in diſpenſatione, modò copula non interueniat poſt conceſſionem huius diſpenſationis. num. 3.

An quando copula eſt occulta inter conſanguineos, & affines ante impetrationem diſpenſationis, aut poſt impetrationem illius ante expeditionem Ordinarij, valeat diſpenſatio, tacita ea copula, ſiue habeatur ex fragilitate, ſiue ea intentione, vt Summus Pontifex faciliùs diſpenſet? Aſtruitur prima opinio valde probabilis, aſſerens explicationem copulæ occultæ nunquam eſſe de neceſſitate diſpenſationis, & valere diſpenſationem, ea tacita, de induſtria. num. 4. 5. & 6.

In petitione diſpenſationis ſola ea explicanda ſunt, quæ ius præcipit explicare, nullibi autem in iure præcipitur explicatio talis copulæ occultæ. num. 6.

Nemo tenetur manifeſtare ſuum peccatum occultum, aut ſe infamare extra confeſſionem. num. 7.

Quid ſi Papa in diſpenſatione dicat: Diſpenſo dummodo copulam non habuerint. num. 8. 18.

Stylus Curiæ Romanæ an faciat legem talem, quæ poſſit inualidare eam diſpenſationem, tacita de induſtria prædicta copula occulta. num. 9. & 10.

Expenduntur iura allegata pro ſtylo Curiæ, & ex iure allegato oſtenditur nihil ibi agi de tali copula, & non eſſe neceſſariam explicationem illius. num. 11. & 12.

Reſoluitur in iſta prima opinione non eſſe neceſſariam explicationem talis copulæ, in prædicta diſpenſatione, ſiue fuerit habita ante petitionem illius, ſiue poſt petitionem, & impetrationem, ſiue ante expeditionem Ordinarij, ſiue poſt illam, & diſpenſationem eſſe validam, & firmam, tacita ea copula etiam ex malitia. num. 13.

Reſpondetur ad congregationem Cardinalium aſſerentium copulam eſſe neceſſariò explicandam, & ſubreptitiam eſſe diſpenſationem, in qua fuit tacita. n. 14.

Proponitur, & confirmatur ſecunda ſententia cum ſuis fundamentis aſſerens copulam occultam eſſe neceſſariò explicandam. num. 14. 15. & 16.

Non omnis taciturnitas veritatis reddit gratiam inualidam, ſed illa tantùm qua tacita Princeps nullo modo gratiam concederet, non autem illa, qua tacita concederet, ſed difficiliùs concederet. num. 17. & 18.

In vtraque opinione non eſt explicanda copula, in qua vir non ſeminauit intra vas fœminæ, licèt ſeminauerit fœmina. num. 19. & 20.

1 Copvla vel poteſt eſſe occulta, vel publica; & vel poteſt eſſe habita antequam Summus Pontifex ſuam diſpenſationem concedat, vel poſt conceſſionem illius; antequam Ordinarius, cognita precum veritate, illam expediat; vel poſt expeditam diſpenſationem. Item vel poteſt committi ex fragilitate humana abſque tractatu aliquo matrimonij, vel poſt tractatum illius, ſpe, aut ſine ſpe faciliotis diſpenſationis.

2 Si copula habeatur poſt expeditionem illius ab Ordinario, vel Confeſſario, cognita precum veritate, antequam matrimonio legitimè iungantur, conſtat non vitiari prædictam diſpenſationem per talem copulam.

Sanchez. Primò, quia ea copula non eſt inceſtuoſa, vt latè probat Sanchez *lib 8. diſp. 5. n. 15. & 16.*

Corduba. Guttier. Rodriguez. Veiga. Secundò, quia nihil in diſpenſatione tacitum fuit, quod eſſet de neceſſitate explicandum, cum ea copula ſiue inter conſanguineos, ſiue inter affines, poſt diſpenſationem omnino conſummatam contigerit; & hoc tanquam certum tenent Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 25. n. 4.* Corduba *in ſumma, q. 45. in fine.* Guttier. *lib. 1. quæſt. Canon. cap. 15. n. 23.* Rodrig. *tom. 1. ſumma, in 2. editione, cap. 258. n. 7. initio.* Veiga *tom. 2. ſummæ, cap. 34. caſu* 98. qui benè diſſentit ab Emanuele aſſerente in hoc caſu petendam eſſe ab Epiſcopo diſpenſationem inceſtus commiſſi, vt licitè ineatur matrimonium, quia nullum eſt inceſtus impedimentum, vt docet Sanchez *allegatus.*

3 Sanchez. Imò idem credit Sanchez *dicto lib. 8. de matrim. diſp. 25. n. 4.* & rationabile eſt, quamuis diſpenſatio à Summo Pontifice ſub ea conditione ſit conceſſa, vt copula non interueniat poſt conceſſionem ipſius diſpenſationis, quia ſatis tali conditioni paritum eſt, cùm ante diſpenſationis conſummatam ab Ordinario expeditionem copula habita non fuerit. Vnde ea poſtea contingens diſpenſationem vitiare, aut eneruare non poteſt.

4 *Quid ſi copula eſt occulta.* Tota difficultas eſt, quando ea copula eſt occulta, & habita fuit inter conſanguineos, vel affines ante diſpenſationem à Papa conceſſam, vel poſt conceſſionem illius priuſquam Ordinarius illam, cognita precum veritate, expediat, vel Confeſſarius, quando diſpenſatio illi eſt in foro conſcientiæ commiſſa, an ſcilicet hæc copula neceſſariò ſit explicanda in petitione prædictæ diſpenſationis, & valeat diſpenſatio ſine explicatione illius, ſiue copula habita ſit ex fragilitate ante tractatum matrimonij, ſiue poſt tractatum illius, ſiue cum ſpe obtinendi faciliùs diſpenſationem, ſiue ſine tali ſpe. Et hac de re duplex eſt opinio probabilis.

5 *Opinio prima.* Nauarr. Prima opinio valdè probabilis docet non eſſe neceſſariò prædictam copulam occultam explicare in petitione talis diſpenſationis, & valere diſpenſationem ſine explicatione illius. Ita Nauarrus *lib. 4. conſil. in 1. editione, tit. de conſanguinitate toto conſilio 1. & toto conſilio 5. & toto conſilio 8.* maximè *num. 4. & tit. de ſponſalibus toto conſilio 2. & in 2. edit. eodem tit. de conſanguinitate, toto conſ. 8. 9. 10. & 11.* & clariùs *in 1. editione eod. tit. de conſanguin. conſ. 2. num. vnico*, vbi clariſſimè loquitur, & explicat, quamuis inceſtus ſit publicus: & quamuis ille contrarium videre teneatur, *in ſumma c. 22. num. 86.* tamen hæc conſilia ſcripſit poſt ſummam, ibi enim illam allegat, & idem etiam tenet *lib. 5. tit. de homicidio, conſilio 3. & 4.* Idem docet Felin. *in cap. poſtulaſti, de reſcript.* & alij, quos *ibi* allegat, Ouandus *in 4. diſtinct. 41. diſput. vnica immediatè ante propoſitionem* 12. Salzedo *in practica, cap. 116. col. 7. in noua editione, verſ. Vnde meritò.* Saâ *verb. matrimon.* vbi *de imped. num. 4. & verb. Diſpenſatio, num.* 19. Henriquez *lib. 2. de matrimon. cap. 2. num. 4. 5. & 6. & cap. 3. num. 7. & 8. litera C. ad marginem*, & multi quos citat Henriquez *ad marginem allegatus*, Ceuallos *in quæſt. practicis, q. 737. à num.* 7. Rodrig. *tom. 1. ſumma, in 2. edit.* Felin. Ouandus. Salzedo. Henriq. Ceuallos. Rodriguez.

cap.

Veiga. *cap.* 238. *num.* 5. *in* 1. *cap.* 219. Veiga *tom.* 2. *ſummæ, cap.* 34. *caſu* 97. *verſ. Nota porque viene*, & Ceuallos *allegatus dicta q.* 737. *num.* 6. ait non poſſe Ordinarium denegare hanc diſpenſationem, quamuis per legitima teſtimonia,& partis confeſſionem conſtet de tali copula,& hanc opinionem, ſi copula ſit occulta, valde probabilem eſſe docet
Sanchez. Sanch.*lib.*8.*de matrim.diſp.*25.*n.*6.*ad finem.*

6. Nauarrus. Ex his authoribus Nauarrus *in tit.de conſanguinitate,in* 1.*edit.conſ.*2.*num.vnico.* Ouand. Felin.& Ceuallos loquuntur, ſiue copula ſit occulta, ſiue ſit publica, & in vtroque caſu dicunt non eſſe explicandam, & valere diſpenſationem, in qua fuit tacita, & non poſſe Ordinarium eam negare ipſis contrahentibus; & Saá *in verb.diſpenſatio, num.* 10. idem etiam aſſerit; reliqui, vt Sanchez, Salzedo, Henriq. Rodrig. Veiga loquuntur limitatè de copula occulta, non de publica, quibus conſentio, ſi hæc opinio teneatur,& aſſerunt ſi copula ſit occulta, non poſſe Ordinarium diſpenſationem negare, ſecus ſi ſit publica, quia pro foro tantùm interno exiſtimant hanc opinionem eſſe valde probabilem, ſecus pro externo: diſpenſatio autem expeditur in foro externo. Fundamentum Felini,Nauarri,& Ceuallos,& multorum eſt,

Primò, quia nullibi requiritur in iure Eccleſiaſtico, vt ea copula ſiue publica, ſiue ſecreta ſit, exprimatur,& in petitione,ſupplicationeque diſpenſationis impedimenti ſolùm ea explicanda ſunt, quæ ius præcipit explicare, nullum autem ius præcipit,vt talis copula explicetur.

Secundò, quia ea copula de ſe non eſt impedimentum, cùm neque ex natura rei, neque ex iure Eccleſiaſtico reddat eam diſpenſationem difficiliorem:non ex natura rei, quia potiùs ex natura rei debet illam reddere faciliorem, propter fœminæ infamiam, & inhabilitatem ad aliud matrimonium,& ſcandala,quæ inde oriri ſolent.Non ex iure Eccleſiaſtico, quia verior opinio habet ex inceſtu cum conſanguineis nullum impedimentum matrimonij oriri,vt latè probat Sanch.*lib.*7.*de matrim. diſp.*15. *num.*16. Inceſtus autem cum affinibus, quamuis id impedimentum præſtet, iam eſt contraria conſuetudine ablatum, vt optimè idem probat Sanch.*lib.*7.*de matrim.diſp.*17.*n.*9.nec vlla eget diſpenſatione.

7. Fundamentum Henrici, & aliorum, qui de copula occulta loquuntur, eſt quia nemo tenetur ſe infamare, & manifeſtare ſuum peccatum occultum, imò ex Nauarro peccatum erit tale peccatum reuelare,niſi iuridicè, id eſt, poſt ſemiplenam probationem interrogemur. Vnde cùm ea copula ſit occulta,& in petitione diſpenſationis exprimantur nomina contrahentium,profectò cogerentur ſe infamare ſi iure cogerentur eam exprimere,& propalare, quando diſpenſatio pro foro exteriori petitur, quod nunquam eſt dicendum.

8. *Quid ſi Papa dicat, Diſpenſo ſi copulam non habuerunt.* Imò ſi Papa in diſpenſatione dicat:Diſpenſo,vel diſpenſetur, niſi priùs copulam habuerint, intelligitur de copula publica,de qua conſtet legitimè in foro externo, in quo non tenetur reus ſuum crimen occultum manifeſtare, & ſe infamare, niſi poſt ſufficientia indicia, & ſemiplenam probationem,vt docet
Saá. Saá *verb.Diſpenſatio,n.*10. & Nauar.
Nauarrus. *lib.*4.*conſ.tit. de conſang. & affinit. conſ.*10.2.4. & 5. & ſi hæc opinio teneatur. idipſum cum Saá docet
Sanch. Sanch.*lib.*8.*de matr.diſp.*25.*n.*12. & Henriq.*lib.*12.
Henriq. *de matr.c.*2.*n.*7.vbi *in commento litera X.*aſſerit nunquam ſolere hoc adiici per modum conditionis, ſed vt quendam modum,& ideo diſpenſatio eſt valida, copula occulta de induſtria etiam tacita; ex quo ſequitur, quòd interrogante Ordinario ſub iuramento prædictos contrahentes de prædicta copula occulta, non teneantur illi eam manifeſtare, niſi de hoc crimine eam ſint publicè infamati, quia ſuppreſſio copulæ non facit diſpenſationem inualidam, & ſubreptitiam, nec eſt de ſubſtantia valoris diſpenſationis, & ideo ſi interrogauerit Ordinarius,an ſe carnaliter cognouerint,& iſti iurarunt ſe non cognouiſſe, valet diſpenſatio, non enim tenentur ſuum occultum peccatum prodere, & ſe apud Ordinarium infamare, vt docet optimè Sá *dicto verb. diſpenſatio, n.*10. & idem docet etiam Sanch.*lib.*3.*de matrim.diſp.*14.*n.*3.*in fine*, ſuppoſito quòd expreſſio copulæ non ſit de valore diſpenſationis, vt re vera in hac opinione non eſt: & expreſsè id etiam tenet Salzedo *in pract.crimin.c.*126. §.*Vnde meritò*;vide *num.*18.vbi hac de re neceſſariò redibit ſermo.

Sed obſtare videtur contra hanc opinionem ſty- 9.
lus Curiæ Romanæ,qui habet,vt talis diſpenſatio, non valeat niſi copula occulta exprimatur: facit enim ſtylus Curiæ legem,& conſtituit ius,vt multi docent, & habetur *in cap.in cauſis, & in cap.ex literis,de conſt.& in cap.quàm graui, de crimine falſi*, & docet Gigas *de penſionibus,q.*58.*n.*2. & plures refert Maſcard.*vol.*3. *de probationibus concluſ.*1312.*num.*12. Vnde ea copula exprimenda eſt, & diſpenſatio in qua non fuit expreſſa,non valebit, cùm ſtylus Curiæ, & communis conſuetudo, & praxis habeat, quòd exprimatur ſaltem propter maiorem compoſitionem cum Reuerendiſſimo Datario,nam ad hoc in hac opinione,

Reſpondendum eſt primò, Nauar. Saá, & Henr. fuiſſe Romæ, & duos poſteriores ibi ſcripſiſſe, & non meminiſſe de tali ſtylo.

Reſpondeo ſecundò, vt ſtylus Curiæ Romanæ ſeruetur,& faciat legem, debet eſſe ſcriptus, & in iure fundatus,& non in lucro,& debet eſſe in aperto prolatus,& per Summum Pontificem approbatus,certus,inuariabilis, & etiam tunc non obligare,neque imponere neceſſitatem,vt in aliis Tribunalibus,& Curiis obſeruetur,vt docet Rebuf.*in tit.* Rebuff.
*conſuet.art.*2.*gloſ.*13.*n.*54. & Bald. *in c.*2.*de feriis*, & Bald.
Gomez *in proœmio, regula Cancellariæ*;quam ob rem Gom.
Ordinarius, cui committitur vt diſpenſet in tali gratia,ſi preces veritate nitantur,tenetur diſpenſare,licèt ſibi de copula conſtet, cùm illud nō veniat in ſua commiſſione, nec aliàs ſit de iure prohibitum.nam, vt Ordinarius teneatur ſeruare in deciſionibus ſuarum cauſarum ſtylum Curiæ, opus eſt vt ſit confirmatus ſpeciali conſtitutione Papæ, vt docet Lapus *allegatione* 52.*col.*1.cùm enim ſtylus ſit Lapus.
quid facti, non præſumitur, niſi euidenter probetur, & potius iuri ſcripto adhærendum eſt, quàm tali ſtylo, propter illius varietatem: variatur enim paſſim ſtylus variato Papa, vt docet expreſsè Guillielmus Caſſadorus (quo nemo meliùs ſtylum Curiæ ſcire poterat,erat enim vtriuſque ſignaturæ Referendarius, & ſacri Palatij Apoſt. Auditor) titulo cauſa poſſeſſorij,& proprietatis *deciſ.*9.*n.*15.*fin.fol. mihi* 113. ibi, *ſtylus enim in Curia ex tempore recipit varietatē*;& paulo antea dixerat, *Meo tempore aliud voluerunt Domini Rotæ in quibuſdam articulis iuris, quàm antiqui vſque ad ea tempora iudicaſſent.* Accedit quòd,vt docet Treuiſanus *caſuum criminalium lib.*2. Treuiſanus.
*dec.*54.*n.*26.& 27. & Innoc. *in c.cùm Eccleſia Sutrina*,& Abbas *in cap.quo ad tranſlationem,de officio de-* Innocent. Abbas.
legati,& Decius *conſ.*437.*in fine*, in actibus volun- Decius.
tatiis non inducitur ſtylus, neque conſuetudo: diſpen

diſpenſatio autem eſt actus voluntatius, & voluntariæ iuriſdictionis. Et quòd ſtylus Curiæ nō faciat legem, & varietur, docent etiam alij, quos citat, & ſequitur Ceuallos *d. diſp. 737.* & experientia cōſtat.

Ceuallos.

10. Reſpondeo tertiò, quòd iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis in aliis partibus à Romana Curia diuerſis non debet iudicare ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, vt probat Azcuedo *in l. 2. tit. 10. n. 11. lib. 4. recopil.* ſed ſecundùm ius ſcriptum, & ſic ordinariè ille, cui eſt commiſſa copia diſpenſandi, non debet iudicare ſecundùm ſtylum Curiæ Rom. quem nō vidit, nec eſt in corpore iuris ſcriptus. Vnde non multū eſt fidendū ſtylo iſti, niſi ſcriptus ſit.

Azcuedo.

11. Nec iura allegata pro hoc ſtylo conuincunt, aut dicunt ſtylum Curiæ in aliis Tribunalibus eſſe ſeruandum, & ſemper eſſe ſeruandum, etiamſi à iure communi deuiet, nam *in c. in cauſis, de ſententia, & re iud.* ſolùm habetur Papam in ſententiis, quos profert, ſolitum eſſe iuris ordinem ſeruare & rationem aſſignat textus, ob quam ſoleat Summus Pontifex, cùm ſit ſupra omne ius Canonicum, iuxta illud iudicare, *quia cùm in ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter iudicare, opus eſt, vt iuris ordinem obſeruemus,* ac ſi Papa diceret: Ideo ſeruo ius commune, communiter loquendo, in meis ſententiis proferendis, quia cùm cæteri teneantur iuxta illud iudicare, nolo, vt meo exemplo illius terminos tranſileant. Addit tamen Papa ibi, *Niſi fortè cùm aliquid cauſa neceſſitatis, & vtilitatis inſpecta duxero ſtatuendum,* vt ſignificaret ſe poſſe aliquando in ſolemnitatibus iuris communis Canonici diſpenſare, quæ non ſunt de iure naturali.

12. Nec *c. ex literis, de conſtit.* ſtylo fauet, in illo enim ſolùm dicitur ius, ſtylum, ac conſuetudinem Curiæ Rom. habere, vt is, qui propter contumaciam excommunicatur, aut communione aliorum abſque excommunicatione priuatur, ad eam iterum cum ſatisfactione congrua, depoſita contumacia, admittatur. Vnde loquitur de ſtylo fundato in iure communi, & non extra ius commune. *In cap. quàm graui, de crimine falſi,* ſolùm agit Summus Pontifex de ſtylo, & conſuetudine, qua ſolet ſcribere ad Prælatos, Epiſcopos, Patriarchas, & leges, & perſonas particulares, & quòd Prælatos ſoleat appellare fratres, Reges, & perſonas particulares, hac diſtinctione, vt Reges alloquatur in plurali, vt *vos*, ſiue *veſter*, perſonas verò particulares in ſingulari, vt *tu*; ac proinde nihil ad rem.

13. Quamobrem in hac opinione prima dicendum eſt ſiue copula occulta fuerit habita ante petitionem diſpenſationis, ſiue poſt petitionem illius, ſiue ante impetrationem, ſiue poſt impetrationē illius, ſiue ante expeditionem Ordinarij, ſiue poſt illam, non eſſe neceſſariò explicādam, nec vitiare diſpenſationem, etiamſi malitioſè, vel per ignorantiam fuerit ſuppreſſa, quia cùm nullibi ſit in iure expreſſum, quòd exprimatur, nec aliunde inducat impedimentum, eam gratiam annullare non poteſt, ſi aliunde vera relatio facta fuit Summo Pontifici in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis prohibitis, & ſic preces veritate nitebantur, vt patet ex dictis, & Ceuallos *citatus dict. diſp. 737. n. 26.* dicit pro hac opinione bis fuiſſe iudicatum in Curia Toletana. Vnde addit: Quamuis conſtet in foro externo, & publicè copulam fuiſſe habitam, diſpenſatio erit valida, in qua copula fuit ſuppreſſa, & non poterunt Ordinarij ſub iuramento contrahentes interrogare an copulam habuerint: & ſi id interrogauerint, & copula ſit occulta, tutè poterunt amphibologicè contrahentes iurare, affirmando ſe non illam habuiſſe, quia intelligitur illos non habuiſſe talem, qualem teneantur explicare, quia non tenentur ſe infamare: ſi verò fuerit publica, non poſſunt iurare ſe illam non commiſiſſe; ſi tamen falsò iurent, peccabunt lethiferè, ſed illorum peccatum, & periurium diſpenſationem non vitiabit.

Non obſtat ſecundò congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de refor. matr. cap. 5.* qui declararunt copulam neceſſariò eſſe explicandam, & aliàs diſpenſationem eſſe nullam, & ſubreptitiam; nam Illuſtriſſ. Cardinales ſequuti ſunt contrariam opinionem, quæ eſt communior, & vſu receptior, & probabilior, quæ id ipſum, quod illi aſſeruerunt, docet: nam ſecunda ſententia, quæ etiā eſt valdè probabilis, imò eſt probabilior, docet copulam neceſſariò eſſe explicandā ſiue publicam, ſiue occultam, & reddi diſpenſationem nullam, & ſubreptitiam, ea non explicata, & tacita inter conſanguineos, vel affines contrahere volentes, ſiue illa contigerit ante Pontificis diſpenſationem, ſiue poſt illam antequam Ordinarius illam expediat, nam poſt expeditionem Ordinarij, ante matrimonium celebratum non eſt impedimentū, vt diximus *n. 2.* & hanc opinionem tenet Sanch. licèt primam valde probabilem appellet *lib. 8. de matr. diſp. 25. n. 8.* Gambara *de authoritate Legati, lib. 7. tit. de diſpenſat. legat. circa matr. n. 409.* Nauar. *in ſumma lat. nouiſſima, c. 22. n. 86. fine.* Sarm. *lib. 1 ſelect. c. 9. n. 1. & 3.* Guttier. *quæſt. Canon. lib. 2. c. 15. n. 133. & lib. 1. c. 15. n. 16. & 24.* Gallego *de cognat. ſpirituali, cap. 24. à n. 3. vſque ad 18.* Petrus de Ledeſma dicens rem eſſe certam ob Cardinalium declarationem, licèt attento iure cōmuni prima ſit probabilior, *de matrim. q. 56. art. vlt. dub. 2. difficult. 2. concl. 2. & 4. & in ſumma de Sacram. vbi de matr. c. 27. circa primam concluſionem, dub. 3. & 4.* Gallego extendit hanc ſentētiam ad copulam habitam cum cognata ſpirituali, & aſſerit hanc etiam eſſe neceſſariò explicandam, ſed ſine iure, & fundamento, vt ait Sanch. *allegatus, num. 9.* & Nauar. *lib. 4. conſ. in 2. edit. tit. de cognat. ſpirit. conſ. vlt. num. 6. & 9.*

14. Opinio ſecunda.

Sanchez. Gambar. Nauarrus. Sarmient. Guttier. Gallego. P. Ledeſma. Sanchez. Nauarrus.

Fundamenta huius opinionis iam explicata ſunt, ſumuntur enim præcipua illius fundamēta ex ſtylo Curiæ, & ex reſponſione Patrum Purpuratorum. Deinde, quia Summus Pontifex difficiliùs diſpēſat cum copula, quàm ſine illa, manifeſtato enim inceſtu, & copula, grauiorem ponit pœnitentiam contrahentibus, & maiorem compoſitionem pecuniariam, & limitat diſpēſationem hoc modo, vt ſuperſtes, matrimonio ſoluto, ſpe careat tranſeundi ad aliud: at taciturnitas veri, quo expreſſo, Pōtifex non ſolet concedere diſpēſationem eo modo, quo conceſſit, ſed cum quibuſdam moderationibus reddit eam nullam, & ſubreptitiam, vt docet Sanch. *lib. 8. de matr. diſp. 21. n. 17.* Tandem, quia, etſi verum ſit in diſſuetudinē abiiſſe peti diſpēſationem, vt ſuperſtes inceſtuoſus, cui hæc limitatio in diſpenſatione imponitur, quòd ſoluto matrimonio careat ſpe ineundi aliud, tamen id intelligendū eſt quando cum alia fœmina ab ea, cum qua inceſtum cōmiſit, vult contrahere, tunc enim etiāſi ea conditione diſpenſetur, nō eſt neceſſaria noua diſpenſatio; at quando cū ea vult cōtrahere, cū qua commiſit inceſtū, neceſſariò facienda eſt expreſſio copulæ, propter ſtylū Curiæ. 15.

Verùm reſpondent Authores prioris ſententiæ has rationes pondus non habere, nam quāuis Summus Pontifex grauiores conditiones, & maiorem compoſitionē ſoleat apponere in diſpenſationibus illorum, qui copulam habuerunt, quàm qui non habuerunt, id quidem eſt, vt exemplo illorum alij à peccatis cum conſanguineis, & affinibus arceantur, 16.

non

non vt oſtendat diſpẽſationem illorum, qui copu-
lam tacent,eſſe inualidam,quia,vt docent commu-
niter DD.cum gloſſa *in Clem.1.de prebendis,verb.vel*
Calderin. *alteri,poſt principiũ*,inter quos eſt Calderinus *conſ.6.*
Felin. *ad fin.de preb.verſ.per predicta*,& Felin.*in c.poſtulaſti,*
de reſcript.n.1.verſ.Declara etiam,& in c.ſuper literis,
Curtius. *n.2.eod.tit.*Curt.iun.*conſ.27.n.vlt. verſ.Confirmantur*
Rebuff. *premiſſa.* Rebuffus *tract.de nominationibus q.9. n.49.*
Nauarr. Nauar.*Extrauag. de datis & promiſſis pro literis gra-*
tia,notabil.32.n.48.coroll.4.& in ſumma lat.c.22.n.86.
& lib.1.tit.de conſt.conſ.1.q.11.n.50. & conſ.18.n.vn.
& lib.4.tit.de conſang.in 1.edit.conſ.5.num.2. in 2.edit.
Greg.Lop. *conſ.8.num.2.*& Greg.Lopez *l.36.verb.Encobriendo,*
Mandoſ. *tit.18.p.3.* Mandoſ. *de ſignatura gratie, verb. abſoluto*
Flaminius. *ab hereſi,verſ.Diſpenſatum fuerat.* Flamin.*de reſignat.*
benef.lib.6.queſt.2.num.86. & lib.10. queſt.2. num.8.
Ceuallos. Ceuallos *in pract. q.737. num.16.* Henriq. *lib.12. de*
Henriq. *matr.c.2.n.6.& c.3.n.7.& lib.13. de excom.c.30. n.2.*
Lud. Lopez. Lud.Lopez *2.p.Inſtr.verb.de ieiunio,c.112.col.25. &*
Saã. *verb.de matr.c.vlt.& 1.p.c.296. col.13.* Saã *verb. Di-*
Rodriguez. *ſpenſatio,n.10.* Roder.*tom.1.ſumme,in 1.edit.cap.238.*
n.1.& c.179.concl.5. num.10. & in queſt.regularibus,
tom.2.q.46. art.6. Non omnis taciturnitas veritatis
reddit gratiam ſubreptitiã,& inualidam , quamuis
ea cognita Princeps gratiã diſpenſationis non con-
ceſſiſſet, ſed solùm quãdo in ſupplicatione tacetur
veritas, quæ de iure debet exprimi , cenſetur enim
intentio Principis talis eſſe,qualis eſt intẽrio iuris,
vnde cũ nullibi in iure præcipiatur , vt hæc copula
exprimatur, taciturnitas illius nõ vitiabit gratiam.

17. Nec etiam vitiatur, aut inualidatur gratia tacita
veritate,quam ſi Princeps ſciret,gratiam concede-
ret;at non tam facilè,ſed difficilius cõcederet,quia
quando exprimitur cauſa de ſe ſufficiens ad conce-
dendam diſpẽſationem,etiam tacita cauſa,qua dif-
ficiliorem conceſſionem redderet,quamuis,quoad
modum accidentarium non vitiantem abſolutam
conceſſionem , ſed quo ad ſolam maiorem conce-
dendi facilitatem ſit conceſſio grati inuoluntaria,
ſimpliciter tamen,& quoad ſubſtantiam eſt volun-
taria,& valida,quia illa veritas,quæ tacita fuit, ſo-
lùm erat cauſa impulſiua, qua cognita Summus
Pontifex difficiliùs gratiam diſpenſationis conce-
deret,nõ finalis,qua cognita,eam non concederet.
Vnde cùm copula illa ſit cauſa impulſiua , qua co-
gnita concederet difficiliùs Summus Pontifex eam
gratiam,non tamen illam abſolutè negaret,tacitur-
nitas illius eam non vitiabit, vt docent multi apud
Sancium *lib.8.de matrim.diſp.21.n.11.*inter quos eſt
Sylueſt.*verb.Reſcriptum q.6.& 7.initio,* & Menoch.
Saã. *de arbitr.queſt.lib.2.centur.3.caſu 201.n.30.*& Saã *in*
Pariſius. *ſumma verb.Gratia, n.10.* & Pariſ.*conſ.4.n.35.vol.4.*
Decius. & Decius *in c.poſtulaſti,de reſcript.in noua edit. n.11.*
notab.4.& patet *ex c.dudum, verb.Nos igitur,de preb.*
in 6. vbi ad valorem conceſſionis beneficij põderat
Pontifex non obſtare taciturnitatem veri, quo co-
gnito,conceſſiſſet adhuc,ſed difficiliùs,ibi, *Conſide-*
rantès quoque quòd nos expoſito nobis de poteſtate predi-
cta, nihilominus literas gratioſas daremus. Vnde cùm
Summus Pontifex ſine hac copula,imò ea ſuppreſ-
ſa ſoleat has diſpenſationes dare,licèt non tam fa-
cilè dare ſoleat, conſequens eſt, vt taciturnitas il-
lius diſpenſationem non vitiet, ſolùm enim ſup-
preſſio,& taciturnitas diſpenſationem vitiat,quæ ſi
exprimeretur,Princeps gratiam diſpenſationis non
Florian. cõcederet,vt docet Florian.*in pract.q.4.n.53.* Pinel.
Pinellus. *in rub.de reſc.vend.1.p.c.3.n.28.* Couar.*in praxi c.35.*
Couarr. *n.fin.*Soar.*allegatione 12.num.49. & ſequentibus,cap.ſi*
Soares. *quando,*& *ibi* DD. *de reſcript.*

18. Nec obſtat clauſula communis in diſpenſationi-
bus poſita,*ſi preces veritate nitantur*,quia intelligen-
da eſt de ea veritate,quam ius iubet exprimi,& qua
cognita Pontifex ſimpliciter talem diſpẽſationem
non concederet,nõ autem de illa , qua cognita non
tam facilè concederet,nec eodem modo , ſed adhi-
bita maiori mulcta pecuniæ.Et indignum planè eſt
cogitare nec dũ dicere de ſupremo Pontifice nolle
illum ſimpliciter talem gratiam,ac diſpenſationem
concedere,propterea quòd ab eo maior mulcta, &
pœna pecuniaria non fuit impoſita , indignum eſt
enim cogitare ad hũc ſcopum dirigi ſtylum Curiæ
Rom.aut hoc de ſummo Pontifice cogitare Vnde,
inquiunt Authores prioris ſententiæ,licèt Summus
Pontifex ſub hac conditione diſpenſaret, *dummodo*
copula non interuenerit,adhuc valebit diſpenſatio.Ita
docet Saã *verb. Diſpenſatio, n.10.* & Sanch. *lib.8.de* Saã.
*matr.diſp.25.n.12.*ſi perſiſtatur in ſententia,quæ aſ- Sanch.
ſerit priorem opinionem eſſe valde probabilem,&
Nau.*lib.4.conſ.tit.de conſang.& affin.conſ.10.& 2.& 4.* Nauarrus.
& Henriq.*lib.12.de matr.cap.2.n.7.ad marginem lite-* Henriq.
ra X. licèt contrarium teneant Veiga , Cordub. & Corduba.
Lopes,& alij,quos *ibid.*citat Sanch.*allegatus.*Et ra-
tio eſt primò,quia hæc clauſula non apponitur tan-
quam conditio,ſed tanquam modus quidam com-
munis,vt ait Henriq. *allegatus n.5.* ſicut & iſta , *&*
ſoluto matrimonio careat ſpe redeundi ad aliud.

Secundò,quia ſi eſt conditio,debet intelligi , vt
aiũt Sanch.Saã,& Nau.*allegati*,iuxta naturã gratiæ,
& diſpenſationis conceſſæ,nempe ſi diſpenſatio in
foro externo concedatur,& cognitio veritatis pre-
cũ, & narrationis committatur Ordinario, intelli-
gitur tunc conditio,dũmodo de ea copula cõſtet in
foro externo,& ſic ſi copula fuerit occulta,& nõ pu-
blica,adhuc valebit diſpenſatio.Si verò fuerit con-
ceſſa in foro conſcientiæ & prudenti Confeſſario
cognitio veritatis precum,& narrationis cõmitta-
tur,nõ valebit, iuxta Sancium allegatũ,quia cogni-
tio copulæ occultæ ſpectat ad forum conſcientiæ,
valebit tamen iuxta alios,qui dicunt ſuppreſſionem
copulæ,etiam publicæ,non vitiare diſpẽſationem.

Illud certum in vtraque opinione eſt ; non eſſe 19.
explicandam copulam cum conſanguinea,vel affi-
ne,ſi non fuerit conſummata,vt ſi vir vas fœminæ
penetraret, non effuſo intra vas ſemine , ſed extra,
quia hæc copula non eſt vera copula , ſed eſt inſtar
cuiuſdam actus impudici , & parũ refert quòd fœ-
mina ſeminet,ſi vir intra vas fœminæ non ſemina-
uit,vt docet Sanch.*lib.8.de matr.diſp.25.n.10.*Tolet. Sanchez.
*lib.5.ſumme,c.13.ad fin.*in additionibus Henr.*lib.12.* Toletus.
de matr.c.16.n.1.& idem Sanch.*lib.7.de matr.diſp.64.* Henriq.
*à n.15.*Et ratio eſt,quia hæc pœnalia ſunt,& requi-
runt cõſummatam copulã,& delictũ,non conſum-
matur autẽ , niſi ſeminante viro intra vas fœminæ.

Illud quoque certũ,nempe in vtraque opinione 20.
non eſſe explicandam copulam,ſiue publicam, ſiue
ſecretam, quando vterque,vel alter tantùm coniux
ignorauit conſanguinitatem,vel affinitatẽ alterius,
etiamſi vir tũc ſeminet intra vas fœminæ,quia non
eſt formalis inceſtus, ſed materialis , & quoad hoc
ſimplex fornicatio,vnde neque pœnam inceſtuoſis
impoſitam meretur , ob rationem modò tactam,
pœnæ enim requirunt actum conſummatum , &
perfectum in ratione delictorũ, ob quæ imponun-
tur.Ita Leſſius *lib.4.c.3. de ſpeciebus luxurie , dub.11.* Leſſius.
*n.81.de matr.diſp.25.n.10.*Sic ille,qui cognouit pro-
priam conſanguineam,vel affinem conſanguineam
vxoris intra gradus prohibitos ignorans eam eſſe
conſanguineam,aut affinem, non priuatur iure pe-
tendi debitum,quia eſt pœna,& requirit inceſtum
conſummatum , & non fornicationem ſimplicem:
talis

talis autem actus inter fornicationes ſimplices numeratur,& materialiter tantum , ac vulgo dicetur inceſtus,non formaliter. Ita Graphis *lib.2. deciſ.aurear.deciſ.80,n.4.* & alij paſſim.

Graphis.

21. Ex dictis deducitur, ſi copula non eſt neceſſariò explicanda , neque etiam neceſſariò explicandum eſſe animum facilioris diſpenſationis obtinendæ,ſi eo animo habita fuerit:ſic Nauarr. *lib.4. conſil.tit.de conſang.& aſſin.in 1.edit.conſ.5.n.5.in 2. conſ.8 num.5.* Henriq.*lib.12. de matr.c.3. n.*8. Petr.de Ledeſma *de matr.q.56.art.vlt.dub.2.diffic.3.poſt 3.concl. corollar.2.* & videtur tenere Humada *lib.2.tit.15.p.2.gloſſa 10. n.6 fin.*Qui tamen ſequuntur ſecundam ſentẽtiam, affirmant teneri , & ita expreſsè affirmat Sanchez *lib.8.de matr.diſp.25.n.38.*Guttier.*lib.1. qq.can.c.15. n.20.*Lud.Lop.1.*p.inſtr.c.296.col.17.verſ.tertiò dicit,* & alios,quos citant.Si meum iudicium ſpectes circa has opiniones,iam illud tuli,dico tamen primam eſſe valdè probabilem,ſecundam probabiliorem,& ordinariè tenendam,in praxique ſequendam.

Nauarr.

Henriq.
P.Ledeſma.

Humada.

Capvt XI.

De iudicio temerario.

Svmmarivm.

Quid ſit iudicium contentioſum. num.1.
Quid iudicium temerarium. num.2.
Diſtinguuntur tres gradus antecedentes iudicium temerarium; 1. dubitationis : 2. ſuſpicionis : 3.opinionis.
Quæ dicantur leuia indicia, quæ grauia,ad proferendum iudicium. num.4.& 5.
Maiora indicia requiruntur ad ſuſpicandum , quàm ad dubitandum,& maiora ad opinandum , quàm ad ſuſpicandum , & adhuc multo maiora ad iudicandum, quàm ad opinandum. num.6.
Quæ principia habere poſſimus ad iudicandum de indiciis. num.7.
Quæ indicia poſſint ſuſpicionem à mortali culpa excuſare. num.8.
Iudicium temerarium, quo iudex ex leuibus indiciis , & non ſufficientibus probationibus ſententiam aduersùs aliquem profert , ſemper eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam. n.9.& 10.
Iudicium temerarium , quo aliquem ex leuibus indiciis improbum iudicamus , ex natura ſua eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam iure diuino, & naturali prohibitum. num.11.
An ex illo ſequatur reſtitutio. num.12.
Iudicium temerarium poteſt non eſſe peccatum mortale ex defectu aduertentiæ ad indicia ſufficientia. n.13.
Iudicium temerarium de re leui veniale tantùm peccatum eſt. num.14.
An ſit peccatum mortale ſi indicia non ſint ſufficientia ad certum iudicium proferendum,habeant tamen aliquam veriſimilitudinem. num.15.
An omnia indicia temeraria ſint eiuſdem ſpeciei. n.16.

1.
Iudicium contentioſum quid ſit.

OMisso iudicio contentioſo, quod nihil aliud eſt , quàm deciſio iuris per ſententiam iudicis legitimi circa intentatam cauſam inter duos litigantes facta. Vnde iudicium propriè loquendo eſt actus à ſcientia iuris elicitus: non hic tamen de hoc iudicio agemus,ſed de iudicio temerario , quo quis rectè facta aliorum temere,& ex leuibus indiciis ſiniſtrè , ac peruersè iudicat, & cùm poſſit in bonã,malam vertit in partem.

2.
Iudicium temerarium quid.

Eſt igitur iudicium temerarium firmus aſſenſus intellectus , quo ex leuibus , & non ſufficientibus indiciis bonum opus alterius,vel indifferens,quod bonum, & malum eſſe poteſt , malum eſſe firmiter iudicamus.Vnde ſicut in iudicio humano opus eſt, vt præcedat definitiua publici iudicis ſententia, vt res iudicata dicatur, ita in iudicio temerario , quo quilibet particularis homo ex leuibus indiciis ſiniſtrè,ac peruersè de alio iudicat,neceſſe eſt,vt firmo aſſenſu intellectus rem bonam , vel indifferentem, malam iudicet.Ita deducitur ex D.Thom.2.2.*q.60. art.3.*& ex Soto *lib.3.de Iuſt.q.4. art.3.* & docet expreſsè Filliucius *tom.2.tract.*40.*cap.1.n.1.&* 2.& alij quos in veſtibulo tractatus affigit.

D.Thom.
Sotus.
Filliucius.

3. Dicitur *firmus aſſenſus*,quia poſſumus diſtinguere quatuor gradus in progreſſu mentis noſtræ, ante firmum iudicij aſſenſum.

Primus eſt dubitandi,cùm ſcilicet hæret animus ſuſpenſus , & neutram in partem inclinat.

Secundus ſuſpicandi , quando animus inclinat, & propendet in alteram partem , non tamen abſolutè,quia illa veritas,ob quam ſuſpicatur,eſt latẽs, ideoque non firmum aſſenſum præſtat intellectus.

Tertius opinandi, quando intellectus iam alteri parti aſſentitur iudicio determinato , non tamen firmo,ſed cum formidine oppoſiti.

Quartus eſt firmus iudicandi actus,quo intellectus ſine formidine partis oppoſitæ rei firmiter aſſentitur,& veram eſſe iudicat.

Adde quintum(ſi vis) quando iudicium hoc, & firmum aſſenſum ſuum quis manifeſtat exteriùs.

4. Dicitur,*ex leuibus indiciis,& non ſufficientibus cauſis* , quia ſi iudicium concipiatur ex iuſtis , & ſufficientibus cauſis,iam non erit temerarium,ſed prudens,ac rationi conſonum, vt docet Valentia 2. 2. *q.60.diſput.5.q.4.puncto 3.propoſ.*1. & patet ex illo Ioannis 11. *Nolite iudicare ſecundùm faciem , ſed iuſtum iudicium iudicate.*

Valentia.

5. Dicuntur autem leuia indicia illa , quæ ſecundùm prudentium hominum æſtimationem non ſunt ſufficientia ad cauſandum illum firmum aſſenſum, & iudicium malum de noſtro proximo;quare habenda erit ratio perſonæ tam iudicantis , quàm temerariè iudicatæ,an grauis,& honeſta ſit,an verò leuis, & procax : aliqua enim indicia leuia eſſe poterunt reſpectu grauis , & honeſtæ perſonæ , quæ non ita erunt leuia reſpectu leuis,& procacis.Item habenda erit ratio materiæ, ſeu delicti:nam aliqua indicia leuia eſſe poterunt pro vno delicto , quæ ſunt grauia, & ſufficientia pro alio , vt ſi quis aliò flectar oculos , dum ſacra hoſtia populo adoranda exhibetur, vt eos in fœminis defixos habeat , grauia , & ſufficientia indicia erunt ad iudicandum eum eſſe indeuotum,inſufficientia verò,& leuia ad iudicandum eum eſſe hæreticum,vt optimè notant Filliucius *tom.2.tract.40.in octauum præceptum,cap.1. num.3.* Valentia 2.2. *q.60. diſp.5.q.49. punct.3. propoſ.*1.Sotus *lib.3.de Iuſt.q.4.art.3.*& alij plurimi.

Leuia indicia quæ.

6. Porrò iudicium temerarium fieri ſolet,vel de internis vitiis , & delictis , vt quòd aliquis ſit libidinoſus,ſuperbus,ambitioſus;vel de externis,vt quòd ſit fur,proditor,homicida. Vnde ſicut maiora indicia requiruntur ad ſuſpicandum,quàm ad dubitandum , & grauiora ad opinandum , quàm ad ſuſpicandum, & adhuc maiora ad firmiter iudicandum, quàm ad opinandum , ita maiora requiruntur ad dubitationem , ſuſpicionem, opinionem , & iudicium ferendum de vitiis,& peccatis externis,quàm internis , licèt enim hæc occulta ſint , & quatenus occulta maiora indicia poſtulent , vt iudicium de illis feratur , tamen cum illa ex ſe , & natura ſua ſint ſcelera grauiora , ideo eò grauiora poſtulant indicia,

Quæ indicia requiruntur ad ſuſpicandum , dubitandum & indicandum.

indicia, vt de illis proximum iudicemus, quo grauior eſt iniuria, quàm proximo de illis illum indicando, facimus. Ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 2. num. 7.* Leſſius.

7. D.Thom. Notat autem D.Th. 2.2. *q.60. art.3. in corpore*, indicia hæc varia poſſe habere principia.

Primò enim moueri quis poteſt ad ſuſpicandum malum de alio à ſemetipſo duntaxat, ex eo ſcilicet, quòd ipſe ſit malus, & conſcius malitiæ ſuæ, facilè mouetur ad ſuſpicandum malum de aliis, iuxta illud Eccleſ. 10. *In via ſtultus ambulans, cùm ſit inſipiens ipſe, omnes ſtultos æſtimat.*

Secundò ex prauo affectu in aliquem, cùm enim aliquis malè afficitur in alium, & illum contemnit, vel odit, aut ei iraſcitur, & inuidet, ex leuiſſimis ſignis opinatur malum de illo; ita enim à natura edocti ſumus, vt facillimè id quis credat, quod appetit.

Ariſtot. Tertiò ex longa experientia. Vnde aſſerit Philoſophus *in 2. Rhet.* ſenes maximè ſuſpicioſos eſſe, quia multoties experti ſunt aliorum defectus. Prima duo iudiciorum principia, nō tam indicia ſunt, quàm malitiæ, ſuſpiciones, aut opiniones cōcipientium: tertium rationem ſuſpicionis minuit, quatenus experientia ad certitudinē ducit, quæ ſuſpicionem tollit, & ideo ſuſpicio vitium quoddam ex natura ſua importat, & quātò maior eſt ſuſpicio, tantò eſt vitioſior. Talia ergo indicia eſſe poterunt, & tam manifeſtæ coniecturæ, vt non ſolùm ſuſpicionem, ſed etiam opinionem, ac iudicium à temeritatis vitio, & culpa excuſent, vt optimè notat Sotus *lib. 3. de iuſtit. q. 4. art. 3. fol. mihi 212. col. 2. initio.*

8. *Quæ indicia poſſint excuſare ſuſpicionem à culpa mortali.* Rogabis igitur, quæ ſint illa indicia, & cōiecturæ quæ à culpa ſuſpicionis excuſent. Reſpondeo eſſe illa, quæ virum probum ac prudentem ad ſic ſuſpicandum, opinandum, & iudicandum perducerent, & hac regula nulla certior dari poteſt in hoc negotio, v. c. video hominem de nocte ſcala feneſtram conſcendere, profectò abſque vlla culpa, & temeritate poſſum de illo malum iudicare: video iuuenem, & puellam in obſcuro loco ſe amplexantes, vaco culpa, ſi ſiniſtrum de illis feram iudicium. Vnde Ariſtot. in 2. de anima. *Cogitare*, inquit, *poſſumus cùm volumus, opinari non poſſumus*, id eſt, abſtinere à iudicando non eſt ſemper in noſtra poteſtate, quia indicia nos mouent, & ad opinandum, iudicandúmque propellunt.

9. *Iudicium temerarium quale peccatum ſit.* Primum ergo dubium hîc eſſe poteſt, an iudicium temerarium ex ſuo genere peccatum ſit mortiferum, & vel poſſumus loqui de iudicio temerario iudicis publici, quo abſque ſufficientibus indiciis, & probationibus contra aliquem ſententiam fert in cauſa aliqua; vel de iudicio temerario, quo quilibet particularis homo de alio ſiniſtrè, & peruersè iudicat? de vtroque dicemus.

10. *Concluſio prima.* Statuo primò. Iudicium temerarium, quo iudex ex leuibus, & non ſufficientibus indiciis, & probationibus ſententiam aduersùs aliquem, ſiue interlocutoriam, ſiue definitiuam profert, ſemper eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam. Ita communiter Doctores; Leſſius *tom.1. de iuſtit. c.29. dub. 2. n.8.* D. Thom. *2.2. q.67. art.2. & q.64. art.6. ad tertium, & q.60. art.3. in corpore, ad finem.* Gabriël *lib.4. ſent. diſt. 15. q.6. concl.1.* Filliucius *tom.2. tract. 40. in 8. præcepto, c.1. n.9.* Fundamentum eſt, quia grauem iniuriam, & damnum infert reo, idque contra obligationem officij ſui, quo obligatur nō iudicare niſi ex iuſtis, & ſufficiētibus probationibus, vel ex confeſſione ipſius rei, vnde tenetur ei ad reſtitutionem, non ſolùm famæ, ſed etiam damnorum, quæ inde ſequuntur, qui enim per iniuriam alteri cauſa

Leſſius. D.Thom. Gabriel. Filliucius.

damni efficax eſt, tenetur ei ad reſtitutionem talis damni, iuxta *cap. ſi culpa tua, de iniur. & damno dato.*

11. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò. Iudicium temerarium, quo ex leuibus indiciis pro certo aliquem improbum habemus, & de illo ſiniſtrè, & peruersè, plenè, & aduertenter iudicamus, ordinariè loquendo eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, tum iure naturali, tum diuino prohibitum. Ita communiter Doctores, D.Th. *2.2. q.60. art.3. in corpore.* Caiet. *ibi*, Leſſius, & Filliucius modò *allegati*, ille *n.11.* hic *num.4.* Sotus *lib.3. de iuſtit. q.4. art.3.* Quòd ſit de iure naturæ prohibitum, probatur ex illo principio, *Quòd tibi non vis, alteri ne facias.* Quod ſit iure etiam diuino vetitum, probatur facilè Matth. 7. & Luc. 6. *Nolite iudicare, vt non iudicemini. Nolite condemnare, & non condemnabimini*; hîc enim Dominus iuxta D. Baſilium *in regulis breuioribus reſponſ.* 164. & D. Ambroſ. *in hunc locum Lucæ*, & D. Auguſt. *lib.2. de ſerm. Domini in monte, c.28. 29. & 30.* inter cætera prohibet iudicium temerarium, quo quis ex leuibus indiciis de altero malè ſentit, & ei iudicij condemnationem minatur. Probatur deinde ex 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quo ad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*; hîc enim apertè prohibetur iudicium de occultis, non autem de iis, quæ per ſufficientia ſigna, & indicia manifeſtantur. Et ad Roman. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum, domino ſuo ſtat, aut cadit*, & Iacob 4. *Tu quis es, qui iudicas proximum.* Probatur ratione,

D.Thom. Caietan. Leſsius. Filliucius. Sotus. D.Baſil. D.Ambroſ. D.Auguſt.

Primò, quia grauis iniuria infertur proximo, dum ſine cauſa, & ex leuibus indiciis habetur, & iudicatur improbus; hoc enim perinde eſt, ac crimen falſum ei impingere, vel affingere, longè enim acerbior eſt falſa infamia, quàm vera.

Secundò, quia homo eſt iuſtus poſſeſſor bonæ famæ, quam poſſidet: iniuſtè ergo illa priuatur ab eo, qui ex nulla cauſa, aut leuiſſimis indiciis illum malum apud ſemetipſum iudicat; eſt enim fama proximi magnum bonum in mente noſtra à natura depoſitum. Vnde contra ius naturæ facit ille proximus, qui temere bonum nomen de altero proximo amittit, & tale depoſitum diſtrahit.

Tertiò, quia ex huiuſmodi iudiciis temerariis grauia mala ſequuntur proximo; primò enim extinguūt bonam illius opinionem, inferunt prauam, pariunt contemptum, impediunt charitatem; quæ omnia grauiſſima mala ſunt. Tandem quia qui temerariè iudicant, vſurpant quodammodo iudicium Dei, cuius ſolius eſt de occultis iudicare; quæ ratio tangitur *ad Romanos* 14. & 1. *Corinth.* 4. & *Iacobi* 4.

12. *Iudicium temerariū dum eſt in interiori aſſenſu non obligat ad reſtitutionē.* Quamuis autem ſit peccatum contra iuſtitiam, dum tamen conſiſtit in ſolo interiori aſſenſu intellectus, & non manifeſtatur aliis, non obligat ad reſtitutionem. Sic communiter Doctores Petr. Nau. *lib.2. de reſtit. c.4. n.456.* D.Th. *2.2. q.60. art.3. ad tertium.* Filliucius *allegatus n.9.* Ratio eſt, quia ſic proximus non damnificatur efficaciter, quamuis ſit eſſentialiter peccatum iniuſtitiæ; ſic homicidium voluntarium in mente conceptum peccatum eſt contra iuſtitiam, non tamen ad reſtitutionem obligat, dum in actum externum non prodit: iuſtitia enim, & iniuſtitia quo ad reſtitutionem circa operationes externas verſantur. Vnde iniuſtitia ad reſtitutionem non obligat, niſi quando in actum externum prodit, dum autem in actibus internis conſiſtit, comparatur ad actus externos, ſicut actus internus ad externum, & ſicut concupiſcentia ad fornicationem, ita ad odium, & iniuſtitia circa externas operationes, vt dixi, & docet D.Thom. *hîc ad* 3.

Petr. Nauar. D.Thom. Filliucius.

& 2.2.q.59.art.2. ad 3. & tunc iudicium ſuſpicioſum propriè ad materiam iuſtitiæ quo ad reſtitutionem, pertinet, quādo in actum externum prodit.

13. Dixi *plenè, & aduertenter*, quia iudicium temerarium dum eſt internum, & in mente noſtra conſiſtit, non eſt peccatum, nec etiam veniale, ſi nullo modo animaduertamus, vel dubitemus nos ex indiciis, & ſignis leuibus ſiniſtrè de aliis iudicare, excuſat enim inaduertentia ab omni ſpecie peccati, vt patet, quia tunc non eſt peccatum voluntariū, nec iudicium temerarium, quia temerarium eſt, ſed cenſetur primus motus libertatem anteuertens, etiamſi talis inaduertentia longo tempore duraſſet. Poſtquam autem cœpimus animaduertere, erit ſaltem peccatum veniale, ſi in ea animaduerſione perſeueremus, antequam firmiter aſſentiamus, aut opinemur, quia tunc dubitamus tantùm, vel ſuſpicamur; in ſuſpicione autem, aut dubitatione non datur perfectus, & voluntarius conſenſus. Sed hac de re ſtatim agemus *n.*16. Vnde ſolùm erit peccatum mortiferum, ſi poſt plenam animaduerſionem, qua animaduertimus indiciā eſſe leuia, & non ſufficientia, vt iudicium temerarium firmiter aſſentiendo proferamus, quia poſt talem animaduerſionem iam iudicium temerarium, & temerarius aſſenſus intellectus incipit eſſe voluntarius; ita Leſſius *tom.*1. *de iuſtit.lib.*2.*cap.*19 *dub.*2.*n.*9.*&* 10. Fillincius *tom.*2. *tract.*40.*cap.*1. *in octauum præceptum Decal. n.*6. *&* 7. & communiter omnes.

Leſſius. Filliucius.

14. Dixi *ordinariè, & non ſemper*,

Primò, quia ſi quis temerè iudicet de alio in re leui, non erit peccatum mortiferum, vt diximus ſuprà *c.*1.*n.*9. & docet Leſſius *tom.*1.*de iuſt.lib.*2.*c.*29. *dub.*2.*n.*13.& Sotus *lib.*3.*de iuſt.q.*4.*art.*3.& Filliuc. *allegatus*, *n.*7.*ad finem*, & communiter omnes: leuitas enim, & exiguitas materiæ ſemper à mortali excuſat, vt etiam videre eſt in furto, & aliis præceptis.

Leſſius. Sotus. Filliucius.

Secundò, quia interdum fieri poteſt, vt ſpectata grauitate materiæ, abſolutè loquendo, peccatum mortiferū ſit iudicium temerarium, & tamen reſpectu alicuius perſonæ veniale tantūmodo apud prudentes iudicabitur, vt ſi de iuuene aulico ex leuiſſimis indiciis iudices habere turpes amores cum muliercul is: de milite, quòd alios concutiat oſtentādi roboris cauſa, aut quòd duello interfuerit, & acceptauerit; hæc enim omnia licet ſint, abſolutè loquendo, peccata mortalia, tamen reſpectu harum perſonarum hæc illis tribuere, & de illis iudicare, veniale tantùm erit, vt docet Sotus *allegatus*, & nos docuimus *c.*2.*n.*5. E contrario verò ſi de viro graui, qui in excelſo loco ſedet, & in magna nobilitatis æſtimatione eſt, ex leuiſſimis indiciis iudicares eſſe infamatorem aliorum, ſine dubio peccatū erit mortale tale iudicium temerariū, quia ſi illud alteri manifeſtares, grauem illi inferres iniuriam; ergo etiam grauem illi infers ita apud te iudicando, vt optimè docet Sotus *modò allegatus fol. mihi* 212.*col.*2. *ad fin.* Quare ex dictis patet regulam ſummiſtarum, qua affirmāt iudicium temerarium tunc eſſe peccatum mortale, quando materia de qua habetur, eſt mortalis, & veniale, quando eſt venialis, non eſſe vſquequaque verā; damus enim caſum, in quo iudicium temerarium de materia graui, & mortali eſt veniale tantùm peccatum; & de materia leui, & veniali eſt mortale; & ideo regula aptior, & certior, quæ hîc dari poteſt, vt diximus *n.*8. eſt infamia, & damnum, quod inde ſequitur, nam ſi huiuſmodi infamia fuerit grauis, peccatum erit mortale, ſi leuis, veniale.

Sotus.

15. Dixi denique *ordinariè, & non ſemper*, quia fieri etiam poteſt vt iudicium temerarium de re graui ex leuibus indiciis habitum non ſit peccatum mortale, vt ſi indicia non ſint omnino ſufficientia ad certum iudicium, habeant tamen eam probabilitatem, vt efficiant rem valdè credibilem, & veriſimilem, tunc enim non erit peccatum mortale, ſi quis iudicet eſſe id moraliter certum, non enim eſt tanta diſtantia inter certitudinem moralem, & magnam probabilitatem, ſeu veriſimilitudinem, vt cenſeatur notabilis fieri iniuria, ſi id quod valdè probabile eſt, iudicemus certum, præſertim cùm hæc certitudo non excludat omnem formidinem. Exemplum ſit, ſi iuuenem videas ſolum cum puella in loco obſcuro & ſeparato, & inde iudices illos tractare turpia: ita docet Leſſius *tom.*1. *lib.*2.*cap.*29. *dub.*2.*n.*13.

Ex dictis inferes omnia iudicia temeraria eſſe eiuſdem ſpeciei, quia offendunt famam proximi ſub vna, eadémque ratione formali infamandi illum, quamuis differant materialiter, prout ſunt de diuerſis vitiis ſpecie diſtinctis, omnia enim inducunt vnam, & eandem rationem formalem offenſiuam famæ, vt docet Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *in octauum præceptum, cap.*1.*n.*9.*verſ. Ex his infertur.* 16.

An omnia indicia temeraria ſint eiuſdem ſpeciei.

SVMMARIVM.

*An ſuſpicio ſit ex ſuo genere peccatum mortiferum. num.*17.

Refertur prima opinio affirmans. ibid.

*Aſtruitur negans. num.*18.

*Quæ ſit in hac re opinio D. Thomæ, & in hac materia. num.*19.

*Explicatur magis, & confirmatur ſecunda opinio. n.*20.

*Soluuntur argumenta primæ. num.*21.

*An dubitatio temeraria, & ex leuibus indiciis ſit ex ſuo genere peccatum mortale. num.*22.

*Quid de opinione temeraria, & iudicio opinatiuo. Refertur opinio probabilior aſſerens iudicium opinatiuum ex leuibus indiciis habitum ex natura ſua non eſſe niſi veniale. num.*23.24 *&* 25.

*Refertur alia ſententia aſſerens opinionem temerariam, & iudicium opinatiuum ex leuibus indiciis habitum, eſſe peccatum mortiferum ex ſuo genere. num.*26.

*Quando cenſendus ſit quiſquam iudicio interno peccaſſe mortaliter, quando venialiter. num.*27.

*Traditur regula ad ſciendum an iudicium temerarium fuerit certum, an opinatiuum. num.*28.

SEcundùm dubium eſt, vtrùm ſuſpicio temeraria, quæ videlicet habetur ex leuibus indiciis, ſit peccatum mortiferum ex ſuo genere, & obiecto? Qua de re duas inuenio opiniones. 17.

An ſuſpicio ex ſuo genere ſit peccatum mort.

Opinio prima.

Prima affirmat omnem ſuſpicionem temerariam de graui malo proximi, ſi deliberata ſit, eſſe peccatum mortiferum. Eam tenent Banhes 2. 2. *q.* 60. *art.*3. Salon, & Petrus Aragonius *ibid.* Fundamentum illorum eſt,

Banhes. Salon. Aragon.

Primò, quia, vt diximus *n.*3. ſuſpicio tunc habetur, quando aliquis iam non dubitat, & ſuſpenſus eſt, ſed propendet, & inclinat in alteram partem, licèt nondum aſſenſum opinatiuum, aut firmum ferat; ſed quilibet vir bonus grauiter ferret talem ſuſpicionem circa graue vitium de ſe haberi. Ergo eſt peccatum mortiferum. Et confirmatur facilè, quia ob eam ſuſpicionem iuſtam cauſam habet quis, vt amicitiam cum amico diſſoluat, & eum eiiciat de numero ſuorum amicorum: cauſa autem, quæ eſt ſufficiens ad ſoluendam amicitiam cum aliquo, ſufficiens etiam erit ad inducendum peccatum mortale; nam ille, qui amicitiam cum aliquo diſſoluit, indicat illum indignum officiis, & beneficiis, ſæpe etiam odio habet, & contemnit:

at

at quando ob rem aliquam graue damnum imminet proximo, vel ex ea prouenit odium, & contemptus illius, ea res graue peccatum eſſe debet; ergo cùm ex ea ſuſpicione graue damnũ immineat proximo, quale eſt indignum eum iudicare officiis, & beneficiis, certè talis ſuſpicio peccatũ erit mortale.

Secundò, quia ſi talis ſuſpicio non eſſet de ſe peccatum mortiferum, nec etiam eſſet peccatum mortiferum illam alteri manifeſtare; at hoc eſt falſum omnium conſenſu, vt aſſerit Salon 2.2. *q.60. art.3.controuerſ.1.concluſ.1.* ergo, &c.

18. *Opinio secunda.* Caietan. Sotus. Syluester. Nauarrus. Petr Nauar. Valentia. Medina. Filliucius. Leſſius.

Secunda opinio eſt nullam omnino ſuſpicionem eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, ſed tantùm veniale, eam docet Caiet. 2.2.*q.60.art.3.ad tertium.* Sotus *lib.3.de iuſt.q.1.art.3.§.His ergo præmiſſis, fol. mihi* 210.*col.*2. Syluest. *verb. Iudicium,q.*3. Nauar. *ſuper rubr. de iudiciis,n.*48. Petr. Nauar. *lib.2.de reſt.c.*4. *num.*454. Valentia 2.2.*q.60.art.3.diſp.5.q.4.punct.*3. Medin. *in Inſtruct.cap.*14.§.37.*in* 1.*regula.* Filliucius *tom.2.tract.*40.*in octauum præceptum Decalog.c.*1.*n.*12. Leſſius *tom.*1.*lib.2.cap.29.dub.3.n.*17.17. & 23. addunt tamen Sotus, & Valentia ratione grauitatis materiæ, vel perſonæ poſſe eſſe aliquando peccatum mortiferum, vt ſi ex leui iudicio quis ſuſpicetur Religioſum eſſe hæreticum, vel filium commiſiſſe inceſtum cum matre, & ſimilia, & in hoc diſſentiunt à Caietano, qui exiſtimat nunquam poſſe ſuſpicionem eſſe pluſquam veniale ex obiecto, & genere ſuo. Probatur facilè hæc opinio.

Primò, quia ſuſpiciones de graui malo non ſunt iudicia, aut aſſenſus firmi, nec opinatiui, imò nec propriè ſunt aſſenſus, ſed impropriè, ſunt enim vacillationes quædam circa propoſitum malum, ergo non ſunt peccata mortalia, erunt tamen venialia, quia vnuſquiſque hoc iure naturali gaudet, vt bonam retineat opinionem, quoad vſque per legitima teſtimonia, & indicia, ſua prodantur delicta; cùm ergo huiuſmodi ſuſpiciones modo aliquo hoc ius naturale violent, modo etiam aliquo, & venialiter tantùm iniurioſæ erunt.

Secundò, quia apud prudentes viros non putatur grauis iniuria, quod aliquis de alio ſuſpicionem habeat, ſunt enim huiuſmodi ſuſpiciones humano errore procedentes, communes viris etiam probis, & timoratis; vnde qui reputaret eas pro graui iniuria, irrationabilis omnino eſſet, & nimius in ſuo honore tuendo. Confirmatur, quia ſuſpicio non eſt aſſenſus, ſed eſt tantùm concitatio quædam ad aſſenſum, & iudicium. Manet ergo adhuc in mente ſuſpicantis bona fama, & exiſtimatio proximi, licèt leuiter læſa, cùm non priuetur ea, niſi per contrarium aſſenſum, & iudicium; ergo non erit peccatum mortale, licèt ſit veniale.

Tertiò, quia tali modo ſuſpicandi non cenſetur notabilis iniuria fieri proximo, neque notabile nocumentum illi inferri, quia non ex malitia, neque ex odio ea procedit ſuſpicio, ſed ex imbecillitate, & humano errore, & qui eam habet, paratus eſt corrigi, vbi meliùs rem animaduerterit, vnde talis ſuſpicio non eſt perfectè voluntaria, qua parte eſt temeraria, quando enim ſpicio non eſt ex maleuolentia, ſed ex humano errore, licèt procedat ex infirmiſſimis indiciis, non caret omni ratione, cùm ea indicia, licèt infirmiſſima ſint, veriſimilitudinem aliquam præ ſe ferant, longè enim pauciora indicia requiruntur ad ſuſpicandum, quàm ad opinandum, vel iudicandum pro certo. nam ſuſpicio, & iudicium infirmum, & vacillans habet coniunctam notabilem formidinem de oppoſito, vt Leſſius *tom.*1.
Leſſius.
lib.2.c.29.dub.3.n.20.ad finem, qui enim ſuſpicatur, ſimul putat actu tacito, vel expreſſo ſe facillimè poſſe falli, quia in re multo minor iniuria infertur proximo, quàm per iudicium, quo quis iudicat vel rem omnino certam, vt fit per aſſenſum firmum, vel ferè certam, vt fit per opinatiuum.

Probatur denique hæc opinio ex D. Thom. 2.2. *q.60.art.3.* vbi enumerat tres gradus ſuſpicionis. 19. D.Thom.

Primum quando quis ex leuibus indiciis incipit dubitare de bonitate alterius, & ſub hac dubitatione includit propenſionem in malitiam hominis.

Secundum, quando certò iudicat de malitia alterius, vocat enim D.Thomas *ibi* hoc iudicium lato modo ſuſpicionem, nam ille, vt iam diximus, opinionem ſub ſuſpicione comprehendit.

Tertium, quando iudex procedit ex ſuſpicione, vel leuibus indiciis ad ferendam ſententiam. Primum expreſsè dicit eſſe peccatum veniale; ſecundum, & tertium mortale. Quare tunc duntaxat vult ſuſpicionem eſſe peccatum mortale, quando habet coniunctum iudicium, & aſſenſum noſtrum; at in noſtro caſu ſuſpicio non habet coniunctum iudicium, & aſſenſum firmum, ſed tantùm imperfectum, & vacillans; ergo veniale tantùm peccatum erit iuxta D.Thom. & id ipſum docet etiam D.Auguſt. *tractat.90. in Ioan.* ibi, *In his rerum humanarum tenebris, hoc eſt, alienarum cogitationum, etſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, id eſt, definitiuas ſententias, firmáſque continere debemus.*

Ex his opinionibus hanc poſteriorem iudico probabiliorem: quare animaduertendum eſt duplicem poſſe eſſe ſuſpicionem de malo proximi. 20. *Vltima opinio probabilior.*

Primam ex errore quodam intellectus, quo quis apprehendit illa indicia tanquam ſufficientia ad ſuſpicandum, paratus ſuam ſuſpicionem deponere, vbi rem meliùs conſiderauerit.

Secundam non tam ex errore intellectus, quàm ex prauo affectu, & maleuolentia erga illum, de quo ſuſpicamur, qua fit, vt etiam ſi animaduertat indicia illa non eſſe ſufficientia, velit nihilominus perſeuerare in ſua ſuſpicione. Itémque notandum dupliciter etiam poſſe ſuſpicionẽ eſſe voluntariam.

Primò abſolutè, & ſecundùm ſe, vt cùm quis aduertit ſe malè ſuſpicari de proximo, & animaduertit etiam indicia non eſſe ſufficientia ad malè ſuſpicandum; ſed hoc non plenè, ſed dubitanter, & non vult facere diligentiam circa ea indicia, paratus tamen eam ſuſpicionem excludere, cùm plenè animaduerterit, indicia non eſſe ſufficientia.

Secundò poteſt eſſe voluntaria, quatenus eſt temeraria, vt cùm quis aduertit cauſam, & indicia ſuſpicandi non eſſe ſufficientia, & tamen ex malitia ſua vult ſic de proximo ſentire, & ſuſpicari, ſi priore modo quis ſuſpicetur, erit tantùm peccatum veniale, & in hoc ſenſu debet procedere prima ſententia: & ſic manet vtraque ſententia concordata; eáſque ſic concordant Leſſius *tom.1. lib.2. cap.29. dub.3.n.*16.17.18.& 21. & Filliucius *tom.2.tract.40.in octauum præceptum Decalogi, cap.1.n.*13. Leſſius. Filliucius.

Ad rationes primæ opinionis reſpõdeo, eas tãtùm probare ſuſpicionem temerariã ex maleuolentia, & odio procedentem eſſe ex ſuo genere voluntariam, & peccatum mortiferum, quòd nos non negamus. 21.

Ad primam igitur dices virum probũ non laturũ id grauiter, vt oſtendimus in noſtro ſecũdo fundamento pro ſecunda opinione poſito, & ſimiliter dico nõ habere illum iuſtã cauſam diſſoluendi amicitiam cũ amico, quia ſuſpicio ex errore intellectus procedẽs non tollit ex natura ſua bonã alterius famam, nec ex vi illius cõſequitur odiũ, aut contemptus, ſed tantùm ex iudicio certo; quod ſi ſequatur,

erit ex malitia operantis, non ex grauitate cauſæ, & natura ſuſpicionis.

Ad ſecundũ reſpondeo non eſſe peccatum mortiferum ſuſpicionem alteri manifeſtare, qui exiſtimetur non plus mali apprehenſurus, quàm in ea ſit, quamuis grauius peccatum ſit veniale, quia multo plura requiruntur ad prodendam noſtram ſuſpicionem, quàm ad illam apud nos retinendam, quia in prolatione illius detractio inuenitur, detractiones autem grauius feruntur, quàm ſuſpiciones.

22. Ex dictis infertur dubitationem temerariam ex ſuo genere non eſſe peccatum mortiferum, ſi enim ſuſpicio temeraria, vt hactenus probauimus, non eſt ex natura ſua peccatum mortiferum, multo minus erit dubitatio, quæ propriè tũc datur, cùm animus ſuſpenſus eſt, & in neutram partem inclinat: ſuſpicio verò, cùm iam animus in alteram partem inclinat, ſed vacillanter, & nõ per verum aſſenſum. Vnde ſi non notabiliter famam proximi offendimus per ſuſpicionem, multo minus per dubitationem, ſeu animi ſuſpenſionem. Ita docet expreſsè Leſſius *lib.2.c.19.dub.3.n.28.* Filliuc. *tom.2.tract.40. in 8.præceptum Decalogi, c.1.n.15.* & omnes Doctores pro ſecunda opinione *n.* 18. allegati. Et colligitur ex D.Thom. 2.2.*q.*60.*art.*3. vbi dubitationẽ ſub nomine ſuſpicionis comprehẽdit, & affirmat veniale tantùm eſſe peccatum, non mortale; leuius tamen erit peccatum veniale dubitationis, quàm ſuſpicionis, quia minus per dubitationem, quàm per ſuſpicionem fama proximi læditur, minus enim eſt dubitare, quàm ſuſpicari.

Leſſius. Filliucius. D. Thom.

23. Tertium dubium eſt, an opinio temeraria ſit ex ſuo genere mortiferum peccatum. Duæ poſſunt eſſe opiniones hac de re.

De opinione temeraria, & iudicio opinatiuo.

Opinio prima. Prima, & probabilior docet, abſolutè loquendo, & ex genere ſuo non eſſe peccatum mortale temerariè, & ex leuibus indiciis opinari malum de proximo, hanc tuentur expreſsè Filliuc. *tom.2.tract.40. in 8. præceptum Decalogi, cap.1.n.15.* & videtur docere Leſſius *tom.1.lib.2.c.19.dub.3.n.28.* & D.Thom. 2.2. *q.*60.*art.*3. dum ita aſſerit. *Triplex eſt gradus ſuſpicionis. Primus eſt, vt homo ex leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat, & hoc eſt veniale, & leue peccatum. Secundus eſt, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex iiſdem leuibus indiciis, & hoc, ſi ſit de re aliqua graui, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi*; hoc eſt, *pro quanto non eſt ſine contemptu; quia ex tali gradu ſemper oritur contemptus proximi, poſtquam enim illum malum, & improbum iudicamus, naturaliter illum ſpernimus, & ab illo præcauemus. Tertius eſt, cùm aliquis iudex ex ſuſpicione ad aliquem in iudicio condemnandum, procedit, & hoc directè ad iniuſtitiam pertinet; vndè eſt peccatum mortale.* Hæc ille. Vnde videtur D.Th. iudicium opinatiuũ comprehendere in ſuſpicione, cùm enim aſſenſus opinatiuus ſemper habeatur cum formidine partis oppoſitæ, & non ſit omnino certus, & firmus, ideo videtur illum voluiſſe ſub ſuſpicione comprehẽdere, de qua dicit eſſe ex genere ſuo veniale tantùm peccatum. In ſecundo verò gradu ſolùm comprehendit firmum aſſenſum, & iudicandi actum, quo aliquem ex leuibus indiciis improbum pro certo, id eſt, ſine formidine, iudicamus, & de hoc dicit ſemper ex ſuo genere eſſe peccatum mortale, licèt aliunde ex inaduertentia, vel ex leuitate materiæ ſit veniale.

Filliucius. Leſſius. D. Thom. Idem.

24. Et fundamenta huius opinionis, quæ ſe tuetur etiam authoribus ſecundæ opinionis *num.*18. allegatis, hæc ſunt.

Primò, quia iudicium, & aſſenſus opinatiuus abſque animi firmitate de improbitate, & malo proximi; non eſt aptus ex natura ſua generare malã æſtimationem illius in mente aſſentiẽtis, & iudicantis; quia eo ipſo, quòd improbitas certa non iudicatur, non infertur poſitiua mala hominis æſtimatio, ſed ad ſummum impeditur bona, ad quam non habet proximus ius, neque enim tenetur quis bonam æſtimationem poſitiuam de alio habere, ſed tantùm habere illam negatiuam, hoc eſt, non habere malam: vnde ſi aſſenſus ille opinatiuus, & iudicium temerarium ex natura ſua non eſt aptus malam opinionem poſitiuam de altero generare, nec etiam erit ſecundùm ſe graue malum, & ideo nec iniuria grauis, nec graue damnum, nec peccatum graue, & mortale, ſed veniale tantùm.

Secundò, quia ſi aſſenſus opinatiuus procedat ex errore intellectus, quo apprehendũtur indicia ſufficientia ad opinatiuũ iudicium proferendum, non certum, & firmũ, & non ex malitia, & maleuolentia talia iudicantur, & opinans paratus ſit deponere talem aſſenſum, vbi rem meliùs expenderit, licèt ex prædicto errore plenè, & aduertenter iudicet talia indicia eſſe ſufficientia ad ſic opinandum: profectò non videtur eſſe peccatũ mortale talis aſſenſus opinatiuus, & iudiciũ, licèt per negligentiam ſuam rem ſtatim nõ expẽdat, neque enim illi fit notabilis iniuria, ac proinde non erit peccatũ mortale, vt patet.

Dices: Proximus habet ius, vt nemo de illo ex leuibus indiciis iudicet, quiſque enim prudẽs id grauiter ferret; ſed aſſenſus opinatiuus eſt iudicium quoddã, quo de proximo malè iudicamus, licèt cum formidine iudicemus: ergo erit peccatum mortale. 25. *Obiectio.*

Reſpondeo proximum habere ius, vt nemo de illo malè iudicet iudicio certo, & ſine formidine, non iudicio opinatiuo, & cum formidine: neque enim proximus habet ius, vt de illo poſitiuè benè iudicemus, ſed ne de illo poſitiuè malè iudicemus, & qui de altero ex leuibus indiciis malè opinatur, non iudicat illum poſitiuè eſſe malum, ſed iudicat negatiuè eſſe bonum: vnde iniuſtè, & irrationabiliter id ægrè feret, qui grauiter tulerit. *Reſponſio.*

Inſtabis, eſſe contra iuſtitiam illud iudicium, & aſſenſum opinatiuum; ergo erit peccatum mortale. *Inſtantia.*

Reſpondeo ſi procedat ex errore humano, non eſſe cõtra iuſtitiam, niſi ad ſummum reductiuè tanquã partẽ potentialem, & imperfectam ſpeciem iniuſtitiæ, ſi ex odio, & maleuolentia eſſet contra iuſtitiã. *Diluitur.*

Secunda opinio docet opinionem temerariam eſſe peccatũ mortale ex ſuo genere, & ideo opinari graue malum de aliquo peccatum eſſe mortiferum; eam docent omnes Doctores, quos *n.*17. citauimus, qui tenent ſuſpicari temerariè, & ex leuibus indiciis malum graue de proximo, peccatum eſſe mortale, comprehendunt enim illi opinionem ſub ſuſpicione, ſicut comprehendit D.Thom. 2.2.*q.*60. *art.* 3. ſed quia illorum fundamenta iam propoſita ſunt *d.n.*17. & ſoluta *n.*21. ideo illis ſuperſedemus, ne actum iterum agamus. Prima tamen opinio eſt probabilior, & ideo tenenda. 26. *Opinio ſecunda.* *D.Thom.*

Ex hactenus dictis patet, quando cenſendus ſit quiſquam iudicio interno peccaſſe mortaliter, quando venialiter tantùm, venialiter enim quinque modis poteſt quis peccare. 27. *Quando cenſendus ſit quiſquam iudicio interno peccaſſe mortaliter, quando venialiter.*

Primò ſi non fuit graue malum quod proximo in mente ſua intulit, ſiniſtrè de illo iudicando.

Secundò, ſi fuit graue malum, ſed non perfectè aduertit ſe malè iudicare.

Tertiò, ſi aduertit quidem ſe malè iudicare, tamen non aduertit indicia eſſe inſufficientia ad ita iudicandum; nec ei occurrit dubium de eo.

Quartò, ſi ſigna erant ſufficientia ad probabilem opinionem,

opinionem, tunc enim, etſi quaſi certum crederet, non erit peccatum niſi veniale.

Quintò, ſi tantum ſuſpicatus eſt, non erit peccatum mortiferum, niſi ſuſpicio proueniat ex odio, contéptu, & maleuolentia, non ex humano errore, quo intellectus apprehendit ſigna inſufficientia tanquam ſufficientia: ſi tamen quis aduertat ſigna eſſe inſufficiétia, & graue malum de proximo opinatur, peccatum erit mortiferum, procedit enim ex odio, non ex humano errore talis aſſenſus opinatiuus, & graue damnum famæ infert proximo, vt docet D.Thom. 2.2.*q.*60.*art.*3. Leſſius *lib.*2.*cap.*29. *dub.*3.*num.*28. Filliucius *tom.* 2. *tract.*40. *in octauum praeceptum Decalogi, cap.* 1.*n.*20.§. *Ex his.* (D.Thom. Leſſius. Filliucius.)

28. Vt autem ſcias, an fuerit ſuſpicio, & opinio, an iudicium firmum, præſertim quando formido de oppoſito non eſt clara, & expreſsè cognita, notabis hanc regulam. Si ita iudicas, vt ſi ſub iuramento rogatus, an habeas pro certo, reſponſurus ſis, tibi certum, aut ferè certum videri tunc eſſe iudicium firmum: ſi verò reſponſurus ſis, te non eſſe moraliter certum, ſed facilè poſſe in ea te falli, tunc ſolùm eſſe ſuſpicionem; & hanc regulam tradit expreſsè Leſſius *dicto tom.*1. *lib.*2. *cap.*29. *dub.* 3. *num.*29. & eam deſumpſit ferè ex Caietano 2.2. *q.*60. *art.*3. & ex vtroque authore eam etiam deſumpſit, & tradidit Filliucius *ſuprà* allegatus ſuo *num.*20.*verſ.Patet ſecundò.* (Leſſius. Caietan.)

SVMMARIVM.

An teneamur ſemper dubia de rebus in meliorem partem interpretari. num.29.

Si dubium ſit de rebus, non tenetur iudex in meliorem partem in iudicio contentioſo illud interpretari. n.32.

Si dubium ſit de perſonis, an bonæ, vel malæ ſint, an commiſerint tale crimen, tenetur quilibet particularis homo in meliorem partem illud interpretari n.33.

An in dubio, an talis perſona commiſerit, vel non commiſerit tale crimen, teneamur actu, & iudicio poſitiuo iudicare illud non commiſiſſe, practicè loquendo. num.34.& 35.

Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de remedio apponendo, dubia ſunt in deteriorem partem interpretanda. num.36.

Quid de ſuperioribus erga ſubditos. num.37.

29. (*Explicatur quid ſit dubium de rebus, & de perſonis.*) VLtimum dubium eſt, an teneamur ſemper dubia in meliorem partem interpretari? Ad cuius explicationem

Notandum eſt primò, vel eſſe dubium de rebus, vel de perſonis. De rebus v.c. ſit ne talis contractus licitus, an illicitus; an talis propoſitio hæretica, vel non hæretica? an tale factum, v.g. occiſio aggreſſoris, combuſtio domus, ſit peccatum, vel non ſit peccatum? De perſonis, an Petrus ſit bonus, vel malus vir? An commiſerit, vel non commiſerit tale, vel tale crimen.

30. Si dubium ſit de perſonis, notabis quatuor nos poſſe haberi modis erga illas.

Primò interpretando ea dubia in partē peiorem.

Secundò in partem meliorem.

Tertiò, habendo nos in ancipiti dubitatione.

Quartò ſuſpendendo iudicium, & nolendo applicare mentem ad alteram partem iudicandam: aliud enim eſt dubitare de alicuius probitate, aliud iudicium ſuſpendere tanquam de re ad ſe non pertinente.

31. Notabis ſecundò, dupliciter nos poſſe aliquid in peiorem partem interpretari, ſpeculatiuè, & practicè. Speculatiuè, vt quando opinamur peiorem partem alicuius rei eſſe veriorem, nihil tamen de homine illam faciente cogitamus, cùm res ſit incerta. Practicè quando cenſemus interno aſſenſu hominem illam facientem, habendum eſſe pro improbo, vel pro innocente. His notatis ſic.

32. (*Concluſio prima.*) Statuo primò, ſi dubium ſit de rebus, non tenemur, nec tenetur iudex illas in meliorem partem interpretari, ſed æſtimandæ ſunt ſuis rationibus, & momentis. Ita communiter Doctores. D.Thom. 2.2.*q.*60.*art.*4.*ad* 2. Caietan.*ibi*, Leſſius *lib.*2.*cap.*29. *dub.*4.*num.*31. Filliucius *tom.*2.*tractat.*40.*in octauum praeceptum Decalogi, cap.* 1. *num.*22. Salon 2.2. *q.*60. *art.*4. Aragonius *ibi*, & alij communiter. Ratio eſt, quia in iudicio rerum attēditur tantùm rei veritas, vt ſcilicet tale iudicium ſit conforme, & conſentaneum rebus, vt ſunt à parte rei, & non attēditur, ne cuiquam inferatur iniuria, ſed vt veritas tantùm attingatur. In iudicio autem perſonarū ita attenditur veritas, vt cauēdum ſit, ne proximo iniuria inferatur, & de poſſeſſione bonæ famæ deturbetur. Vnde (D.Thom. Caiet. Leſſius. Filliucius. Salon.)

33. (*Concluſio ſecunda.*) Statuo ſecundò, ſi dubium ſit de perſonis, an bonæ, vel malæ ſint; an commiſerint, vel non commiſerint tale crimen, abſolutè loquendo, interpretandum eſt in meliorem partem. Ita communiter Doctores, & ſpeciatim omnes citati *numero, & concluſione proxima praecedenti.* Patet ex D. Auguſt. *lib.*2.*de ſerm.Domini in monte, cap.*18. *Nihil aliud*, inquit, *nobis pracipitur iis rebus. Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Et idem docet Diuus Bernard. *ſerm.*40.*in Cant.ſub finem*, ibi, *Non iudices proximum, magis autem excuſa; excuſa intentionem, ſi opus nō potes, puta ignorantiā, puta ſubreptionē, puta caſum.* Probatur (D.Auguſt. Bernard.)

Primò, ex communi illo Doctorum effato: In dubio non eſt præſumendum delictum, quod colligitur ex *l. meritò, ff. pro ſocio*, de quo latè Couarr. *in Clementina ſi furioſus, p.*2.§.2.*n.*1. (Couarr.)

Secundò ratione, quia licèt quiſque ius non habeat, vt poſitiuè putetur bonus, & innocens, habet tamen ius, vt non putetur, niſi legitimè probetur malus; ſed cùm improbitas perſonæ eſt dubia, non eſt legitimè probata; ergo ſi perſona mala habeatur, quod fit interpretando rem in peiorem partem, fiet ei iniuria, ſine dubio. Nec refert quòd aliquando decipiatur quis habendo bonam opinionem de prauo homine, nam melius eſt frequenter falli abſque periculo peccandi, quàm non falli cum eodem periculo, &, vt ait D.Th.2.2.*q.*60.*art.*3.*ad*1. Melius eſt quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rariùs fallatur habens malā opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit iniuria alicui, non autē ex primo. (D.Thom.)

34. Sed dubitabis an dubia de perſonis ſint poſitiuè, vel negatiuè in meliorem partem interpretanda: negatiuè, hoc eſt, vt in dubio nō putemus proximū eſſe improbum; poſitiuè, id eſt, vt in dubio actu poſitiuo credamus illum eſſe bonum, nō peccaſſe, habuiſſe bonam intentionē, aut ex ignorantia feciſſe.

Reſpondeo primò, in dubio nos non teneri actu poſitiuo, ſpeculatiuè loquendo, proximum credere, & iudicare innocentem. Ita docet Caiet. 2.2. *q.*60. *art.*4. Leſſius *lib.*2.*c.*29.*dub.*4.*n.*33. Filliucius *tom.*1. *tract.*40. *in octauum praeceptum Decalogi, c.*1.*num.*24. & 25. Nec puto Salonem hoc negaturum, etiamſi *lib.*3.*q.*4. *art.*4. generaliter contra Caietanum doceat dubia poſitiuè in meliorem partem eſſe interpretanda. Probatur facilè, (Caiet. Leſſius. Filliucius.)

Primò, quia nemo tenetur ad aſſenſum, aut ad modum aſſentiendi, in quo exponit ſe notabili peri

periculo errandi; id enim non eſt actus virtutis, ſed imprudentiæ: ſed ſi in dubiis de improbitate perſonæ teneremur rem in meliorem partem poſitiuè, ſpeculatiuè loquendo, interpretari, exponeremur periculo errandi; igitur ad id non tenemur.

Secundò, quia non tenemur ad tale iudiciū, nam ad hoc, vt cum proximo benè nos geramus, ſatis eſt, quòd non habeamus illū pro malo, & quòd ſuſpendamus noſtrū iudicium, cōmittēdo id iudicio Dei.

Tertiò, quia omnis modus aſſentiendi ſubiectus errori, eſt vitium intellectus, quod ſapienti, quantum fieri poteſt, vitandum eſt. Quare de hac doctrina non eſt dubitandum.

35. Reſpondeo ſecundò, non etiam ſemper tenemur, practicè loquendo, actu poſitiuo in dubio perſonæ proximum probum, & innocentem hîc, & nunc iudicare, ſed poſſumus etiam illum non iudicare malum, & habere pro bono negatiuè, & ſuſpendere noſtrum iudicium circa realem innocentiam, vel malitiam illius, quod eſt habere pro bono negatiuè. Ita Authores citati. Probatur

Primò, quia nemo habet ius, vt in dubio iudicetur actu poſitiuo bonus, realiter innocens, & probus, ſed ſatis eſt quòd actu poſitiuo non putetur malus, quod nihil aliud eſt, quàm haberi negatiuè pro bono, in hoc enim modo iudicandi, non exponimur errori, & ſatisfacimus famæ proximi, in alio exponimur: at quilibet prudens debet errorem vitare quantum fieri poteſt ſine peccato, & læſione famæ ipſius proximi; ergo intentum.

Secundò, quia valdè conſentaneum eſt charitati, vt ſemper dubia perſonæ in bonam partem actu poſitiuo interpretemur, iudicando actu poſitiuo proximum pro bono eſſe habendum, eo quòd nobis de contrario extra dubium non conſtet, non tamen ad id tenemur. Ratio eſt, quia tunc non exponimur periculo erroris, propriè loquendo, cùm illum in re non iudicemus eſſe probum, & innocentem, ſed pro bono, & innocenti eſſe habendum, & aliud eſt eſſe aliquem habendum pro bono, aliud eſſe re vera bonum, & innocentem.

36. *Cōcluſio tertia.* Statuo tertiò. Quando agitur de vitando aliquo damno, vel de remedio illi adhibendo, dubia ſunt in deteriorem partem accipienda, non quidem iudicando proximum eſſe furem, vel improbum, vel habendum pro tali, ſed iudicando ita ab illo exteriùs cauendum, illique conſulendum, ac ſi dubia eſſet eius probitas. Ita docet expreſsè D.Thom. 2.2. *q.* 60. *art.* 4. *ad* 3. Caietan. *ibi.* Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 4. *n.* 42. Fillincius *tom.* 2. *tract* 40. *in octauum præceptum Decalogi, cap.* 1. *n.* 31. quod D.Thom. vocat interpretari aliquid in deteriorem partem, non definitiuè iudicando, ſed ſuppoſitiuè, ſeu ex quadam ſuppoſitione, concipiendo de proximo id, quod eſt deterius, hoc modo dum accipimus aliquem ignotum hominem in domum noſtram, ita cauemus rebus noſtris, ac ſi dubia eſſet eius probitas, nullo tamen modo habemus illum pro improbo: ſic ſuperiores interdum ob indicia quædam leuia, & dubia, quæ in illis deprehendunt, ſubditis licentias negant, remedia apponūt, tanquàm ſi ipſos malos putent, quamuis eos pro malis non habeant, & eorum facta, vel intētionem apud ſemetipſos excuſent: nā ſuperiores quoque hanc regulā de dubiis perſonæ, in meliorem partem interpretādis quoad internam affectionē, & æſtimationem ſeruare tenētur, quamuis in ordine ad cautelam, & emendationē exteriùs ita ſe gerere poſſint erga ſubditos, ac ſi mali aliquid egiſſent, quia non ſolùm Religioſi abſtinere debent ab omni malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali.

S.Thom. Caietan. Leſſius. Filliucius.

Cauere tamen debent ipſi ſuperiores, ne modum excedant, vt ſubditos aliis ſuſpectos reddant, vel de eorum virtute diffidere videantur. Nam ſuperiores iudices ſunt, iudices autem in iudicio debent ad ſolam veritatem attendere, & ideo ad hoc debent attendere, vt de rebus iudicent ſecundùm id, quod ſunt, attento ſemper honore perſonarum ſubditarum, qui in hoc ipſo honorabiles habentur, quòd boni iudicantur; contemptibiles verò ſi iudicentur mali, & ideo ad hoc potiùs attendere debent in tali iudicio, quòd ſubditum iudicent bonum, niſi manifeſta indicia in contrarium appareant, vt docet D.Thom. *citatis ad ſecundum.* 37.

D.Thom.

Capvt XII.

De inſuſurratione, irriſione, & maledictione.

SVMMARIVM.

Quid ſit ſuſurratio. num. 1.
Bilinguis, & ſuſurro idē eſt, quare bilinguis dicatur. ibid.
In quo diſtinguatur ſuſurratio à contumelia, & detractione. num. 2.
Suſurratio formalis, an ſit ex ſuo genere peccatum mortale. num. 3. *& an grauius detractione, & contumelia.* ibidem.
An ſit contra iuſtitiam. num. 4.
An materialis, ſit mortale etiā ſemper ex ſuo genere. n. 5.
An ob propriam vtilitatem poſſit quis alium per ſuſurrationem excludere ab amicitia Principis, vel Prælati, & ſe loco illius in illam inſinuare. num. 6.
An ea excluſio ſit peccatum contra iuſtitiam, an contra charitatem. num. 7. & 8.
Quid ſi ea excluſio, & inſinuatio fiat intuitu maioris boni excluſi, vel populi, vel proximi. num. 9.
Quid ſit irriſio. num. 10.
Ex ſuo genere non eſt niſi veniale peccatum. num. 11.
Ex circumſtantiis poteſt eſſe mortale, & in quibus. num. 12. & 13.
An irriſio Dei ſit ſemper peccatum mortale. num. 14.
Quid de irriſione parentum. num. 15.
Quid de irriſione iuſtorum. num. 16. & 17.
Quid ſit maledictio, & maledicere. num. 18.
An ex ſuo genere ſit peccatum mortale contra charitatem. num. 19.
Quando poſſit eſſe veniale. num. 20.
An aliquando nobis liceat malum alteri imprecari ſub ratione boni, id eſt, ægritudinem, vel mortem, vt à peccato ceſſet, & reſipiſcat. num. 21. & 22.
An liceat maledicere creaturas irrationales, quatenus ſunt creaturæ Dei. num. 23.
An quatenus ſunt creatæ propter hominem. num. 24.
An ſecundùm ſe illas maledicere ſit peccatum mortale, id eſt, non quatenus ſunt creaturæ Dei, nec quatenus creatæ propter hominem, ſed ſecundùm ſe abſolutè. n. 25.
Hominem maledicere, & diabolo tradere, an ſit peccatum mortale. num. 26.
An omnes maledictiones ſint eiuſdem ſpeciei. num. 27.
An maledictio ſit grauius peccatū, quàm detractio. n. 28.
An quàm ſuſurratio, & irriſio. num. 29. 30. & 31.

Notabis primò bilinguem, & ſuſurronem idem eſſe, cùm enim amicitia ſit inter duos, nititur ſuſurro ex vtraque parte vtriuſque amicitiam rumpere, ac diſſoluere, & ideo duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de altero, cuius rei cauſa dicitur in ſacra pag. Eccl. 28. *Suſurro, & bilinguis maledictus*; & ſtatim additur, 1. *Bilinguis, & ſuſurro idem eſt.*

Multos

Multos enim turbauit pacem habentes. Hæc tamen tria, ſuſurrationem, irriſionem, & maledictionem coniungimus, quia valde inter ſe ſunt ſimilia. Primò igitur *ſuſurratio nihil aliud eſt, quàm occulta oblocutio contra proximum, qua poſſit diſſolui amicitia, & oriri diſcordia inter amicos.* ita ſumitur ex D.Thom. 2. 2. q.74.*art.*1.docet Valentia 2.2.*q.*74.*art.*1.*q.*18.Sotus *lib.*5.*de iuſtit.q.*11.*art.*1.Sayrus *in octauum præceptum Decalogi,lib.*12.*cap.*5.Filliucius *tom.*2.*tract.*40. *in* 8. *præceptum,c.*5.*n.*135.Dicitur *occulta oblocutio*, in quo conuenit cum detractione,& differt à contumelia. nàm,vt inquit D.Thom.*allegatus*,detractores,& ſuſurrones in materia conueniunt, & in modo loquendi, quia vtrique malum occultè de proximo dicunt, propter quam ſimilitudinem interdum vnum pro alio ponitur. Vnde *Eccleſiaſt.*5. ſuper illud, *Non appelleris ſuſurro*, gloſſa *ibi* ita vertit, *Non appelleris detractor.* contumelioſi autem non occultè, ſed palam, & in præſentia hominis de illo loquuntur malè, & ideò à ſuſurronibus, & detractoribus in hoc quoque differunt.

Suſurratio quid ſit.
D.Thom.
Valentia.
Sotus.
Sayr.
Filliucius.

2.
Suſurratio & detractio differunt.

Dicitur, *qua diſſolui poſſit amicitia, & oriri diſcordia*, quia ſuſurratio ad hoc tendit, vt amicitias diſſoluat, & diſcordias ſeminet: vnde in hoc differt à detractione, quia detractio famam denigrat, & à contumelia, quia contumelia honorem lædit;ſuſurratio autem amicitiam diſſoluit,& ideò *Prouerb.*26. ita dicitur, *ſuſurrone detracto iurgia conquieſcunt*;quapropter ſuſurrones ſunt diſcordiarum ſeminatores, & talia mala proferunt de proximo, quæ poſſunt contra ipſum commouere animos audientium,iuxta illud Eccleſiaſt.28.*Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.*

3.
Suſurratio formalis an ſit grauius peccatum detractione, & contumelia.
D.Thom.
Caietan.
Filliucius.

Eſt autem ſuſurratio formalis ex ſuo genere peccatum mortale,grauius detractione, & contumelia, vt communiter docent Doctores,D.Thom. 2.2.*q.*74.*art.*2.Caiet.*ibi*, Filliucius *allegatus*, *n.*137. Probatur, quia peccatum in proximos tanto eſt grauius,quanto per ſe ipſum maius nocumentum proximo infert: ſed ſuſurratio infert maius nocumentum,quàm detractio,& quàm contumelia; ergo eſt grauius peccatum. Maior eſt certa: minor probatur,quia vitium ſuſurrationis opponitur amicitiæ,& tollit amicitiam;vitium detractionis tollit famam; vitium contumeliæ tollit honorem: ſed maius bonum eſt amicitia, quàm fama, & honor; ergo maius nocumentum infert ſuſurratio, quàm detractio,& contumelia, quia tollit maius bonum. Confirmatur,quia inter cætera exteriora bona præeminet amicus. Vnde dicitur Eccleſ.6. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Et quidem fama, & honor ad amicitiam ordinantur, ſicut medium ad finem: at finis in ratione finis melius eſt, & maius bonum mediis;quare maius bonum eſt amicitia,quàm fama,& honor. Vnde bene Philoſophus *Ethicor.* 8. Amicus melior eſt, quàm honor, & amari, quàm honorari. Vnde conſtat eo maius peccatum vitium eſſe ſuſurrationis,quo tollitur amicitia, quàm peccatum detractionis,& contumeliæ,quo tollitur fama, & honor, quò maius bonum eſt ipſa amicitia, quàm ipſa fama,& ipſe honor.

Amicitia eſt maius bonum quàm fama, & honor.
Ariſtot.

4.
Suſurratio formalis an ſit contra iuſtitiam.

Dubium tamen eſt, an ſuſurratio formalis ſit peccatum contra iuſtitiam,an ſolùm contra charitatem. Reſpondeo eſſe contra iuſtitiam, ſaltem quando fit dolo,fraude,mendaciis,vel reuelatione peccatorum occultorum; quiſque enim habet ius, vt ſibi non inferatur damnum dolo, fraude, aut mendaciis:infert autem ſuſurrator damnum graue proximo tollendo bonum amicitiæ,quo inter temporalia nullum maius eſt,vt probatum manet;ergo eſt peccatum contra iuſtitiam; quando autem fieret,aut inferret damnum in amicitia abſque vi, & fraude, & abſque reuelatione peccati occulti, ſed ſolùm per reuelationem peccati veri,& publici,vel defectuum naturalium, tunc erit peccatum contra charitatem; quamobrem ſemper erit peccatum mortiferum ex ſuo genere, ſed aliquando contra charitatem, aliquando contra iuſtitiam, vt docet Filliucius *tom.*2.*tract.*40.*in octauum præceptum,cap.*5. *n.*137. Vnde maledicti reputantur in ſacra pagina Eccleſ.28.*Suſurro,& bilinguis maledictus,multos enim turbauit pacem habentes.* Filliucius.

5.
De materiali quid.

Materialis tamen ſuſurratio ex genere ſuo non eſt mortalis,ſed quandoque erit mortale, quandoque veniale peccatum, ratione mali grauis, vel leuis, quod infert. Materialis autem ſuſurratio tunc datur, quando occulta oblocutione malum dicitur de proximo,non intentione ſoluendi amicitiam,& ſeminandi inimicitias inter eum, & amicos illius, ſed vel ex loquacitate,quia loquaculus eſt ſuſurro; vel ex voluptate, quam capit ex ſuſurratione, & maledicentia,eo quòd natura ſuâ leuiuſculus ſit,&, vt aiunt,capite Æolus,& tunc quidem ſi aduertenter graue malum dicatur,quod ſit aptum ad amicitiam diſſoluendam, peccatum erit mortiferum: ſi autem non dicatur graue damnum,vel non ſit aptũ generare graues inimicitias, erit tantùm veniale, quod totum iudicio prudentis committitur,qui ex circumſtantiis rerum, loci, & perſonarum rem diiudicabit.Animaduertendum tamen eſt ſuſurrationem propriè eſſe,quando diſſoluitur honeſta amicitia, nam ſi amicitiæ ſint turpes, & eo animo aliquid citra mendacium dicatur,vt diſſoluantur, nec erit propriè ſuſurratio, nec peccatum, imò opus charitatis: quare non licet tunc infamare amicos, licet tamen manifeſtare vitia aliqua naturalia, vel alia publica:vt de concubina dicendo eam eſſe deformem,ignobilem,publicam meretricem, ſemper tamen à mendaciis, & reuelatione peccati occulti in hoc negotio abſtinendum eſt,vt docet Sayrus *in octauo præcepto Decalogi,lib.*12.*c.*5.Sotus *lib.*5.*de iuſt. q.*11.*art.*1.Valent.2.2.*q.*74.*art.*1.*quæſt.*18. Filliucius *tom.*2.*tract.*40.*in octauum præceptum,cap.*5.*n.*138.

Sayrus.
Sotus.
Valentia.
Filliucius.

6.
An ob propriã vtilitatem poſſit quis alium per ſuſurrationem excludere ab amicitia alterius.

Rogas tamen, an ob propriam vtilitatem mihi liceat alium per inſuſurrationem ab amicitia, & gratia alterius excludere, quam ipſe quærit, vt me loco illius in eam amicitiam inſinuem atque intrudam, v.c. in amicitiam Prælati, aut Principis. Reſpondeo,certùm in primis eſſe id non licere, ſi fiat modis illicitis,vi,fraude,vel dolo meum proximum infamando,aut illum expoliando re aliqua, in qua ipſe ius habeat, quia tunc eſſet peccatum mortale contra iuſtitiam, vt diximus *n.*4. & docet expreſsè Sotus *lib.*5.*de iuſtit.q.*11.*art.*1.*verſ.alterum dubiolum eſt*, Salon.2.2.*q.*74.*art.*1. *poſt ſecundam concluſionem*, Sayrus *lib.*12. *in Claui Regia,c.*5.*à n.*5. Si tamen id fiat abſque vi,fraude,& dolo,narrando aliquos eius defectus naturales,veros tamen,& qui ſint publici, non occulti, ex quibus nulla ei ſequatur infamia, nec diſſolutio amicitiæ, ſed tantùm diminutio illius primatiæ familiaritatis, quam habebat cum Rege, Principe, vel Prælato, excuſabitur hoc ab omni peccato,etiam veniali. Ita Sotus *allegatus*, & Aragonius 2.2.*q.*74.*art.*1. ex eo fundamento quòd vnuſquiſque ſine vi,& fraude alterius poteſt ſuum commodum procurare,& ius habet procurandi illud ſine aliorum iniuria. Quod ſi vrgeas verum eſſe,niſi alter pellatur à iure,& bono ſuo,quia ſicut hic habet ius procurandi bonum ſuum; ita & ille

Sotus.
Salon.
Sayrus.

iam illud habet procuratum, atque acquiſitum. At reſpondent illi, nefas eſſe tali iure aliquem ſpoliare, quando illud ius ei competit de iuſtitia, ſecus quando voluntate alterius gratuita retinetur, quia tunc nulla ei fit iniuria, vt ſtatim patebit *n.*8.

7. *An ea excluſio ſit peccatũ contra iuſtitiam, an contra charitatem.*

Dico tamen mihi probabilius videri, abſolutè, & regulariter loquendo, id eſſe peccatum, ſaltem contra charitatem, quando ſine vi, dolo, & fraude ea excluſio contingeret, etſi per vim, dolum, vel fraudem contingat contra iuſtitiam. Ratio eſt

Primò, quia bonum propriæ vtilitatis non eſt ſufficiens ratio cohoneſtandi, & iuſtificandi damnum, quod alteri ſequitur ex diminutione talis familiaritatis, vnde cùm excluſio talis familiaritatis, regulariter loquendo, multa, & grauia incommoda ſecum afferat proximo ſecluſo, & hæc non poſſint excuſari ratione propriæ vtilitatis, ſine dubio aliquod peccatum erit in tali excluſione.

Secundò, quia eſt contra illud commune principiũ iuris naturalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; at nemo prudens vellet ſe tam commoda amicitia, & familiaritate priuari, quæ eſt pretio æſtimabilis; ergo id erit illicitum, & contra ius naturale; & licèt etiam principium naturale ſit, quòd vnuſquiſque bonum poſſit proprium procurare, id tamen verum eſt, quando ſine offenſione, & malo alterius fieri poteſt; hic autem non niſi cum magno damno & offenſione alterius fit.

Tertiò, quia eſt peccatum mortiferum ex ſuo genere ita aliquem grauiter irritare, & offendere, vt poſſit iuſtè ab amicitia illius diſcedere, & fieri inimicus: at talis excluſio eſt ſufficiens cauſa habendi aliquem pro inimico; ergo erit ex ſe, & ex natura ſua peccatum mortiferum; & quòd ſit peccatum, docent expreſsè Filliucius *tom.*1.*tract.*40.*in octauum præceptum cap.*5.*n.*140. & Salon. 2.2.*q.*74.*art.*1.*poſt ſecundam concluſionem*, & Sayrus *in Claui Regia, lib.*12. *cap.*5.*num.*5. quamuis non explicent, an ſit mortiferum, ſed hæ rationes id conuincunt.

Filliucius. Salon. Sayrus.

8. Dixi, *ſaltem contra charitatem*, quia licèt Salon. & Sayrus *allegati*, exiſtiment eſſe contra iuſtitiam, ex eo fundamento, quòd ſemper hæc excluſio fiat cum aliqua iniuria illius, qui ab amicitia, & familiaritate Principis excluditur. At cùm hæc excluſio non fiat per vim, & fraudem, mihi videtur non eſſe peccatum contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, & ideò nõ teneri ad reſtitutionem damnorum illum, qui cauſa fuit talis excluſionis, vt docet Filliucius *allegatus.* nam talis amicitia, & familiaritas pendebat ex libera, & gratuita volũtate amici; in re autem gratuita, & quæ pendet à mera voluntate alterius, nullus habet ius iuſtitiæ, gratis enim confertur, & gratis auferri poteſt, & ideò non eſt contra iuſtitiam, quod quiſque ſine vi, & fraude, commodum, cuius eſt dignus, ſibi procuret, licèt per accidens ſequatur incommodum alterius, neque enim omne damnum, quod proximo ſequitur ex noſtra actione eſt contra iuſtitiam, ſed tunc tantùm, quando aliquis in eo bono, quo priuatur, habebat ius aliquod propriè dictum, quod appellamus *ius iuſtitia.* Vnde ille, qui hominem determinatum ad legandum Titio in teſtamento ſuo centum, aut qui Eccleſiaſticum volentem reſignare Petro ſuum beneficium veris rationibus, precibus, & mediis ab ea voluntate dimouet, & vtrumque mouet, vt ſibi, vel alteri amico beneficium reſignet, aut legatum relinquat, non peccat contra iuſtitiam; imò nec contra charitatem, quia nondum Titius habebat ius iuſtitiæ in tali legato, nec alter in beneficio, vt alibi probabimus. Eodem igitur modo etiamſi ſequatur aliquod damnum proximo ex tali excluſione à gratia Principis; tamen quia ea gratia tota erat fundata, & ſita in voluntate Principis, nullum habebat expulſus ius propriè dictum ad eam, alioquin ſi illud haberet, non poſſet Princeps abſque iniuſtitia eum ſua amicitia priuare, quod quis dicet. Nec refert quòd hic iam ſit poſſeſſor amicitiæ Principis, & ille non ſit poſſeſſor legati, aut beneficij, nam inde ſolùm ſequitur eſſe maius peccatum contra charitatem, non contra iuſtitiam. Neque etiam refert, quòd ille, qui alteri eſt cauſa efficax damni, teneatur illud reſtituere, iuxta commune pronuntiatum omnium Doctorum, nam id intelligendum eſt, quando eſt cauſa efficax damni per iniuriam, & contra iuſtitiam propriè, vt patet ex *cap. ſi culpa tua, de iniurijs, & damno dato.*

Cùm ergo hoc tantùm peccatum ſit contra charitatem, ſequitur euidenter nullum eſſe peccatum, nec etiam veniale, ſi ea excluſio fiat intuitu maioris boni, vel ipſius expulſi, vel Reipublicæ, vel Principis, quia, v.c. ipſe expulſus iudicio prudentium iudicatur indignus ea amicitia, aut incapax illius, ob defectum prudentiæ, & Principem mouet ad id, quod ei conuenit, tunc quidem excuſari poteſt talis expulſio à peccato, quia vtilitas maior, quæ ſequitur, præfertur tunc priuatæ volũtati expulſi, vt patet, irrationabilis enim eſt, ſi id tunc grauiter ferat, vt optimè animaduertit Filliuc. *allegatus, n.*140. 9.

De irriſione.

Irriſio eſt vitium linguæ, quod tendit ad proximi erubeſcentiam, & per conſequens proximum pace, ac ſerenitate conſcientiæ priuat. Ita D. Thom. 2.2. *q.*75.*art.*1. Caiet. *ibi*, communiter Doctores, & Filliucius *tom.*2.*tract.*40.*in* 8.*præceptum, c.*5.*n.*142. Valentia *ad* 2.2.*dicta q.*75.*art.*1.*punct.*2.*q.*18. Sayrus *in Claui Regia, lib.*12.*c.*5.*n.*6. Sotus *lib.*5 *de iuſtit. q.*11. *art.* 2. Dicitur quòd tendit ad proximi erubeſcentiam, quia peccata verborum præcipuè conſideranda ſunt ſecundùm intentionem proferentis, & ideò ſecundùm diuerſos fines, quos quis intendit contra aliquem loquens, huiuſmodi peccata diſtinguuntur. Vnde ſicut conuitians conuitiando intendit honorem proximi conuitiati deprimere, detrahens detrahendo famam minuere, & denigrare, ſuſurrans ſuſurrando tollere amicitiam, ita etiam irridens irridendo intendit, quòd ille, de quo irridet, & qui irridetur erubeſcat & rubore confundatur, & quia hic finis eſt diuerſus ab aliis, ideò etiam deriſionis peccatum diſtinguitur à prædictis peccatis; & quamuis deriſor per irriſionem ſolùm intendat ruborem irriſi, tamen naturaliter, & per quandam conſequentiam afferẽdo ruborem, quem per irriſionem afferre intendit, priuat proximum pace, & ſerenitate conſcientiæ. Vnde irriſio conuenit in materia, hoc eſt, in malo aliquo afferendo cum detractione, contumelia, & ſuſurratione: differt autem in fine, & intentione; differt etiam in modo, quod cætera, id eſt, contumelia, detractio, & ſuſurratio ſeriò, irriſio verò in ironia verſatur, vt ſi deformem hominem pulchrum appellemus, inſcium ſapientem, ignobilem, & loco infimo natum nobilem, elinguem, diſcretum, & elegantem. 10.

Irriſio quid ſit. D. Thom. Caiet. Filliucius. Sayrus. Valent. Sotus.

Cùm autem irriſio, ſeu deriſio non ſit niſi de aliquo vitio morali, aut naturali, quo obiecto aliquem rubore ſuffundere intendimus, & ſolùm tendat ad iocoſam erubeſcentiam, fit, quòd etiamſi vitium magnum naturale, vel morale per irriſionem, & ironiam obiiciatur irriſo, ſemper obiiciatur per modum 11.

modum vitij leuis, & vt vitium exiguum refertur, & ideo ex natura ſua, & obiecto nō eſt irriſio pluſquam veniale, vt docet D.Th.2.2.*q.75.art.2.* Caiet. *ibi, verſ. Nota tertiò.* Sotus *lib.5.de iuſtit. q.11.art.11. verſ. Ad ſubſequentium autem.* Filliucius *tom.2.tr.*40. *in octauum præceptum,c.5.n.*143. Valentia, & Sayrus *num.præced.* allegati. Et ratio eſt, quia irriſio ſecluſo contemptu paruum nocumentum infert, tendit enim ſolùm ad erubeſcentiam proximi, quæ leue nocumentum reſpectu illius reputatur.

D.Thom. Caietan. Sotus. Filliucius. Valentia. Sayrus.

Quotupliciter poſſit fieri irriſio.

Notabis ergo deriſionem dupliciter fieri poſſe, formaliter ea intentione, ſcilicet irridendi, & vt confundatur, & erubeſcat proximus; materialiter, id eſt, dicendo talia per ludum, & ironiam, & præter intentionem, vt alter erubeſcat, & vtroque modo ſumpta deriſio ex obiecto ſuo veniale tantùm peccatum eſt.

Ex quibus circumſtantijs poſſit eſſe irriſio peccatum mortale. Sotus. Filliucius. D.Thom. Caietan.

12. Poteſt tamen ex circumſtantia aliqua irriſio eſſe peccatum mortale. Primò, ſi quis putet aliquem ex defecto etiam leuiter obiecto, grauiſſimè commouendum, & moleſtiſſimè id ab eo ferendum, tunc enim mortale peccatum erit contra charitatem, ita Sotus *lib.5.de iuſt.q.11 art.2.concl.2.* Filliucius *tom.2. tract.40. in octauum præceptum, c.5.n.143.* D.Th.2.2. *q.75.art.2.* Caietan. *ibi*, & communiter Doctores exemplum ponunt, Filliucius & Sotus in eo, qui per ironiam, & deriſionem honeſtiſſimo viro Religioſo in faciem ipſius, remotis arbitris, obiiceret, illum ſolum locutū fuiſſe cum puella in cubiculo, vnde ille ingenti rubore ſuffunderetur; & in eo qui alicui homini ſuſpicioſo vilis, & abiecti animi, & ad diffidentiam propenſi, quique facilè ſoleat commouere, ſimiliter exprobraret aliquid etiam leue, quo ille vehementiſſimè commoueretur, peccatum eſſet mortale. Probat id Sotus in hunc modum, quia magnum vitium in faciem alteri obiicere, peccatum eſt contumeliæ, quæ de ſe mortiferum peccatum eſt, vt diximus *cap.1. à num.3.* Quod autem per irriſionem, ironiamve, & ſub riſus ſchemate proferatur, re vera culpam non minuit, imò auget ratione contemptus; quare grauius eſt crimen, quando in tali circumſtantia perſonæ obiiceretur, quæ grauiſſimè commoueretur, quàm ſi ſeriò illi per contumeliam talia vitia obiicerentur: ſed vera ratio huius rei eſt, quia tenemur ſub mortali culpa grauem moleſtiam, & pœnam proximi vitare, quando id ſine vllo noſtro incommodo facere poſſumus; atqui, ſine vllo noſtro incommodo ceſſare poſſumus, & vitare proximi irriſionem, ex qua grauiſſimè commouetur; ergo tenemur ab ea abſtinere.

13. Item ſi quis per deriſum, & ironiam aliquem ſtultitiæ notaret, & ſic eum illuderet, quaſi eſſet ſtultus, tunc ex ea circumſtantia contemptus, tanto grauius eſſet irriſionis peccatum peccato contumeliæ, quanto ex eo, quòd res vertitur in iocum, perſona magis contemnitur, quàm ſi ſeriò illuderetur; ita D.Thom.2.2.*quæſt.75.art.2.* Caietanus *ibi*, & Filliucius & Sotus *allegati.* Ratio quam affert D.Thomas, & Sotus, eſt optima, ea autem eſt, quia tunc id non fit ſolùm in deriſionem perſonæ, ſed in contemptum, imò magis in contemptum, quàm in irriſionem, & tanto grauior deformitas, ac malitia ineſt in irriſione, quanto perſona, quæ tunc illuditur, magis contemnitur.

D.Thom.

Gradus deriſionis quot.

14. Quatuor autem ſunt gradus irriſionis; vt notat D.Thomas 2.2.*quæſt.75.art.2.*

Primus eſt deriſio proximo facta, de qua hactenus diximus.

Secundus eſt deriſio proximi, tanquam viri iuſti

Tertius deriſio in parentes.

Quartus deriſio in Deum. Vnde grauiſſimum peccatum eſt Deum irridere; quia hoc non eſt irridere, ſed blaſphemare, nec irriſio in Deum dicenda eſt propriè irriſio, ſed blaſphemia; clauditur igitur (vt verbis Caietani vtar 2.2.*q.75.art.2.*) irriſio Dei ſub blaſphemia, quod idem docet D.Thomas *ibid.* & Sotus *lib.5. de iuſt. q.11. art.2.* Vnde *Lucæ* 22. de irriſoribus Chriſti aſſerentibus, *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit,* dicitur, *& multa alia blaſphemantes dicebant in eum.* Et Iſaiæ 75. Irriſores Dei Iſraël blaſphemos appellat. *Cui,* inquit, *exprobraſti, & quem blaſphemaſti ei, ſuper quem exaltaſti vocem tuam;* & poſtea ſubditur, *ad ſanctum Iſraël.* & Ieremiæ Threnorum 1. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* Vertit Lyranus ibi, *blaſphemauerunt cultum Dei, & ſolemnitates eius.*

Caietan. D.Thom. Sotus.

15. Poſt hanc Dei irriſionem, ſecundum locum tenet irriſio in parentes, quæ ex ſuo genere graue eſt peccatum, iuxta D.Thom. Caiet. & Scotum allegatos, quam vt exageraret Scriptura, ita ait Prou.30. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, effodiant corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.*

16. Tertium locum occupat irriſio iuſtorum, quatenus iuſti ſunt; cùm enim iuſti veram habeant virtutem, & vera virtus præmio honoris digna ſit, grauiter peccant ij, qui virtutem riſui, & deſpicatui habent, quæ planè irriſio valdè nociua eſt in Republica Chriſtiana; quia per illam homines à benè agendo, & à virtute conſequenda impediuntur; imò & hæc ob inſignem viri irriſi ſanctitatem maior aliquando eſſe poteſt, quàm ea, quæ fit in parentes; ita docet Sotus *lib.5. de iuſt. q.11. art.2.* D. Thom.2.2.*q.75.art.2.* & Caiet. *ibi*, & communiter DD. Quòd autem irriſio Dei, aut fidei, aut Religionis, aut cuiuſque virtutis ſit nocentiſſima, inde patet, quòd fides, & Religioſi irrideātur, contemptui, & deſpicatui habeantur; deinde ſi iuſti, qui egregiè viuunt, ob idipſum ſubſannentur, à virtute comparanda ceſſabunt, & virtutem erubeſcent, quod Chriſtus Dominus præuidit, dum dixit Matth.10. & Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet.*

Sotus. D.Thom. Caietan.

17. *Obiectio.* Obiicitur tamen contra hactenus dicta in hunc modum. Non omnis deriſio, quæ vergit in iniuriam Dei, eſt peccatum mortiferum; ergo falſum eſt, quod dictum manet, nam alioquin, quicumque recidiuum committeret, & in idem peccatum veniale, de quo pœnituit, relaberetur, peccaret mortaliter; eſt enim etiam non pœnitens, & in recidiuum cadens irriſor; vt ex D.Iſidoro docet D.Thomas 2.2.*q.75.art.2.* Reſpondeo eum, qui relabitur non expreſsè Deum irridere, ſed virtualiter, interpretatiuè, & lato modo, quatenus ſcilicet ad modum deridentis ſe habet; qui autem venialiter peccando reincidit interpretatiuè tantùm, & virtualiter deridet, non formaliter, neque expreſsè, quare nec peccatum mortale committit.

Reſponſio.

De maledictione.

18. Maledictio, & maledicere, nihil aliud eſt, quàm imprecatio, ſeu imprecari malum alicui ſub ratione mali, colligitur ex D.Thom.2.2. *q.76.art.1.* docet expreſsè Filliucius *tom.2. tract.40. in 8. præceptum, cap.5.n.146.* & communiter DD. Dicitur *imprecatio*, quia duobus modis fieri poteſt maledictio; primò poſitiuè, & imperatiuè, imprecando malum; ſecundò optatiuè, optando, & deſiderando illud alteri.

Maledictio, & maledicere, quid. D.Thom. Filliucius.

Dicitur

Dicitur *ſub ratione mali*;quia duplex eſt maledictio; vna formalis, qua formaliter, & expreſsè malum alicui imprecamur,ſub ratione mali; altera materialis, qua malum alicui optamus, non ſub ratione mali,ſed ſub ratione boni;& hæc de ſe non eſt peccatum mortale,ſed veniale tantùm,ſecluſo ſcandalo, vt quòd aliquis iuſtè pro delicto puniatur:vnde qui imprecatur malum alicui ore externo ſine intentione illi eueniendi, non maledicit formaliter, ſed materialiter;neque hæc maledictio eſt mortalis, ſed venialis tantùm; hinc fit, vt cùm parentes filiis maledicunt ordinariè, non peccent mortaliter,quia non habent intentionem illis maledicendi, neque intus illis malum aliquod deſiderant; ita

Sot. Sotus *lib.5.de iuſt.q.12.art.1.verſ.circa has igitur.*

19. *Maledictio formalis de ſe eſt mortale.* D.Thom. Caietan. Sotus Filliucius.

Maledictio formalis de ſe, & ex ſuo genere eſt peccatum mortale,ratione tamen exiguitatis mali, quod imprecatur, veniale tantùm eſſe poterit; ita docet D.Thom.2.2.*q.76.art.3*,Caiet.*ibi*.Sotus *lib.5. de iuſt.q.12.art.3.* Filliucius *ſuprà allegatus,n.*147. & communiter DD. Et ratio eſt, quia imperare, vel imprecari malum alicui infligendum,eſt ex genere ſuo contra charitatem, cuius natura eſt bonis omnes proximos afficere, quo fit, vt tanto ſit grauius peccatum maledictionis,quanto perſonam,cui imprecatur,chariùs amare tenemur,& tanto etiam reſpectu huius, & illius perſonæ grauius eſt peccatum maledictionis,quanto grauius,ac perniciofius eſt,malum quod illi imprecamur.

20. Poteſt nihilominus,vt dixi,contingere,vt maledictio formalis ſit veniale peccatum, vel propter exiguitatem mali quod imprecamur,vel ex defectu deliberationis ob ſubitum motum,vel ex inaduertentia,& ſubreptione, qua frequenter verbum ore labitur, vel etiam ex defectu intentionis; verborum enim ſignificatio,atque adeò culpa ex intētione potiſſimum penſanda eſt,ita authores allegati.

21. *An liceat malum alteri imprecari ſub ratione boni.*

Dubium tamen eſt,an licitum ſit nobis alteri imprecari malum ſub ratione boni, id eſt, ægritudinem peccatori,vt conuertatur;mortem filij,vel patris,vt ſaltem in articulo mortis reſipiſcat,& à malitia ſua deflectat iacturam bonorum ſuperbo,vt à ſuperbia detumeat,& ſimilia. Partita eſt opinio.

Opinio prima. Quidam negant;ratio illorum eſt,quia quod non licet facere,non licet deſiderare,& imprecari; ſed nulli priuato homini licet malum alteri facere: ergo nec etiam licet illud ei imprecari.

Opinio ſecunda. D.Thom. Sotus. Filliucius.

Secunda,& melior ſententia affirmat,eam docet D.Thomas 2.2.*q.76.art.7.* Sotus *lib.5.de iuſt.q.12. art.1.verſ.contra tertiam demum concluſionem.fol.mihi* 464.*col.*1. Filliucius *tom.2. tract.*40.*in 8.præceptum, c.5.n.149.§.reſpondeo tamen cum communi.* Ratio eſt, quia non ſolùm licet cuique priuato homini imprecari, ſed etiam deſiderare malum alteri; primò ob finem boni,& ſub ratione boni, ſic licèt optare, & deſiderare, vt peccatores iuſtè, & iuridicè puniantur à iudicibus;primò ratione gloriæ Dei, quo pacto olim faciebant Prophetæ: ſecundò ratione boni communis; quo pacto licitum eſt deſiderare, vt Turcæ conterantur, & hæretici conuertantur, aut de medio tollantur, & vt bona eorum temporalia minuantur,& omnino deficiant.Tertiò,ratione boni proprij,honeſti,vel vtilis,quo pacto puella à iuuene ſollicitata,optare poteſt illi grauem morbum,vel etiam mortem,vt ceſſet ab illo peccato;& qui litibus iniuſtè vexatur,optare poteſt aduerſario ægritudinem,& mortem,vt ſic reſipiſcat,vel ceſſet; & in his omnibus,& aliis ſimilibus caſibus,in quibus poſſumus optare malū alicui ſub ratione boni, poſſumus etiam illud ei imprecari, ita DD.*allegati.*

Nec ratio primæ opinionis quidquam efficit;reſpondeo enim hanc maiorem, *quod non licet facere, non licet deſiderare,aut imprecari*, poſſe eſſe veram in hoc ſenſu;quod non licet facere,abſolutè loquendo, non licet etiam deſiderare: ac falſam in hoc, quod non licet facere per ſe ipſum,non licet etiam deſiderare,vt fiat alicui per alterum,aut imprecari. nam,vt diximus,non licèt nobis aliquem occidere, & licet deſiderare illi mortem, non licet aliquem ſpoliare ſuis bonis, & licet nobis deſiderare, vt ab alio ſpolietur, nempè à iudice in pœnam delicti, aut à Deo, vt reſipiſcat, vt patet in exemplis allatis. 22.

Secundum dubium eſt, an nobis liceat maledicere creaturas irrationales ſecundùm ſe abſolutè loquendo, non autem vt ſunt creaturæ Dei, aut Dei effectus. 23. *An nobis liceat maledicere creaturas irrationales, quatenus ſunt creaturæ Dei.*

Reſpondeo primò,maledicere creaturas irrationabiles, quatenus creaturæ Dei ſunt, aut effectus Dei,peccatum mortale eſſe, & genus blaſphemiæ. Ratio eſt, quia vt ſic ſunt aliquid Dei, & quicquid mali illis tribuitur, Deo tribuitur, & in Deum refunditur;quando autem aliquid mali Deo tribuitur, aut ei datur, quod ei non conuenit, aut verbum aliquod iniurioſum in eum profertur,blaſphemia eſt, ita communiter DD. D.Thomas 2.2. *q.76.art.2.* Caietanus *ibi.* Filliucius *tom.2. tract.*40. *in octauum præceptum, cap.5. num.* 151. Nauarrus *in ſumma lat. cap.12. num.*86. Sotus *lib.5. de iuſt. q.12. art.2.*Toletus *lib.4.ſumma,cap.13.n.7.* D.Thom. Caiet. Filliucius. Sotus.

Reſpondeo ſecundò, maledicere ipſis creaturis irrationabilibus, quatenus creaturæ ſunt, propter homines, peccatum etiam mortale eſſe. Ratio eſt, quia perinde eſt,ac ſi ipſi homini malediceretur; vnde ſi talis imprecatio continet malum, ſub ratione mali,erit peccatum mortale:vt ſi quis maledicat diei natiuitatis ſuæ,cum intentione optandi malum Dei, eo quòd in eo natus ſit, tunc quidem ſibiipſi maledicit, & peccatum eſt mortale, ita DD.*citati*, & alij communiter;ſic etiam precari ſterilitatem terræ, & homini infamiam,peccatum mortale eſt, niſi ea imprecatio induat rationem boni. Nec ideò peccauit Iob *cap.3.* cùm maledixit diei natiuitatis ſuæ, & dixit, *Pereat dies, in qua natus ſum.* Nec Dauid 2. *Reg.* 2. cùm maledixit montibus Gelboë, & dixit, *Montes Gelboë, nec ros, nec pluuia cadat ſuper vos; quia ibi ceciderunt fortes Iſraël*; quia Iob non maledixit diei natiuitatis ſuæ, hoc eſt, conceptionis ſuæ, quatenus erat creatura Dei, neque quatenus eius natiuitati inſeruiuit, ſed quatenus peccatum originale in eo contraxit, & ſic id non fuit maledicere diei, ſed maledicere peccato. Dauid verò ſimiliter non maledixit montibus, niſi quatenus in eis ceciderunt fortes Iſraël, & id magis fuit maledicere infortunio mortis, & cædium virorum, quàm maledicere viris, aut montibus ratione virorum, qui ibi ceciderunt, vt explicat D.Thomas 2. 2. *quæſt.76.art.2.* 24. *An quatenus ſunt creaturæ propter homines.* D.Thom.

Reſpondeo tertiò, maledicere creaturas irrationabiles ſecundùm ſe, non quatenus ſunt creaturæ Dei, nec quatenus creatæ propter homines, eſt verbum ſaltem otioſum, & ſemper eſt illicitum ſaltem venialiter; ita D.Thomas 2. 2. *quæſt.7. art.2. in fine.* Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt.12. art.2.*Filliucius *allegatus, num.*153. neque enim illæ ſunt capaces boni, vel mali, vt patet, ſed de hac re egimus *præcepto 2. cap.3. num.* 22. quem locum vide omnino. 25. D.Thom. Sotus. Filliucius.

Ex dictis ſequitur, ſemper eſſe peccatum mortiferum 26.

tiferum homini maledicere, & cum Diabolo deſe-
Sotus. rendum tradere; ita docet expreſſe Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 12. art. 1. verſ. circa h.u igitur*; & col-
D. Thom. ligitur ex D.Thom. 2. 2. *quæſt. 76. art. 2.* nam ſi, ex ſententia D. Thomæ, mortale peccatum eſt, vt hactenus oſtendimus, maledicere creaturis irrationabilibus, propter homines, id eſt, quatenus creatæ ſunt propter homines, à fortiori in opinione illius peccatum mortiferum erit ipſis hominibus maledicere. Eſt enim id genus quoddam blaſphemiæ, & ſcandalum ſempiternam diaboli damnationem alteri imprecari, neque enim quòd ſtatim maledicens pœniteat, indicium eſt, non fuiſſe culpam; ſed indicium eſt impetum illum, non tam ex habitu, quàm ex paſſione ortum habuiſſe; leuiores autem maledictiones, vt plurimum, peccata venialia ſunt.

27. *Maledictiones, an ſint omnes eiuſdē ſpeciei.* Rogas, an omnes maledictiones ſint eiuſdem ſpeciei. Reſpondeo, non omnes eſſe eiuſdem ſpeciei; quia ex obiectis ſuis ſuam diſtinctionem trahunt. Vnde iuxta diuerſæ ſpeciei mala, quæ hominibus imprecantur, diuerſæ quoque ſpeciei
Sotus. maledictiones erunt, vt docet Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 12. art. 1.* & alij communiter; quod tamen intelligo eſſe diuerſa ſpecie peccata materialiter; formaliter enim cùm omnes maledictiones fiant, & imprecentur ſub vna ratione maledicendi, & offendendi proximum per maledictionem, omnes erunt eiuſdem ſpeciei.

28. D.Thom. Quærit etiam D. Thomas 2. 2. *quæſt. 76. art. 3.* Vtrùm maledictio ſit grauius peccatum, quàm detractio; & breuiter reſpondet detractionem eſſe grauius peccatum peccato maledictionis ſimplicis; ſimplex enim maledictio, quæ deſiderium exprimit ex genere ſuo, minus peccatum eſt, quàm detractio, quamuis ex aliqua circunſtantia grauius poſſit eſſe peccatum ipſa detractione, & idipſum docet etiam Caietanus *ibi*, & Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 76. art. 3. concluſ. 3.* Probant facilè.

Primò, quia qui ſimpliciter maledicit, non optat alteri, neque ei imprecatur, niſi malum pœnæ, vt mortem, incendium, vel alias calamitates temporales, vel æternas, aut malum culpæ, vt peccatum ſub ratione pœnæ; qui autem detrahit, aut contumelias profert in alium, malum culpæ diſpergit, & alteri obiicit, mala autem pœnæ ſimpliciter, & abſolutè minora ſunt malis culpæ; ergo minus peccatum erit maledicere, quàm detrahere, aut contumelias in aliquem proferre.

Secundò, quia detractio, & contumelia eſt enuntiatio, & affirmatio mali, ſimplex verò maledictio, non eſt, niſi oſtentatio deſiderij, peior autem eſt enuntiatio, quàm deſiderium, nam maledicens non ſtatim deſiderio ſuo, cauſa eſt mali proximi, ſicut qui detrahit, & enuntiat, cauſa eſt mali infamiæ. Vnde fit, vt detractio ex natura ſua grauior ſit peccatum, quàm maledictio.

29. D.Thom. Sotus. Caietan. Idem dicendum eſt etiam iuxta D. Thomam *dicta 2. 2. quæſt. 76. art. 3.* & Sotum *lib. 5. de iuſt. q. 12. art. item 3.* & Caietanum *ibid.* de irriſione, & ſuſurratione. nam grauius etiam peccatum eſt irriſionis, & ſuſurrationis, quàm maledictionis, quia ad deriſorem etiam, & ſuſurronem pertinet dicere malum culpæ, ad maledicentem autem, prout nunc loquimur, pertinet dicere malum pœnæ, & non malum culpæ, niſi fortè ſub ratione pœnæ: deinde, quia deriſio, & ſuſurratio ex natura ſua inferunt aliquod temporale damnum, deriſio erubeſcentiam, ſuſurratio diſſolutionem amicitiæ, maledictio autem non infert ſtatim damnum, quod imprecamur, grauius autem peccatum eſt erga proximum nocumentum actu inferre, quàm illud deſiderare, & imprecari, cæteris paribus; vnde deriſio, & ſuſurratio, cæteris paribus, grauius peccatum eſt, quàm maledictio.

Maledictio verò, quæ fit per modum imperij, 30.
cùm habeat rationem cauſæ, poteſt eſſe detractione grauior, vt aſſerit D. Thomas *dicta 2. 2. quæſt. 76.* D.Thom.
art. 3. & conſequenter poteſt eſſe grauior irriſione, & ſuſurratione, ſi maius nocumentum afferat, quàm denigratio famæ, quam affert detractio, & quàm erubeſcentia, quam affert deriſio, & quàm diſſolutio amicitiæ, quam affert ſuſurratio, & poteſt etiam eſſe minor, ſi minus nocumentum his inferat; & hæc quidem accipienda ſunt, ſecundùm ea, quæ per ſe pertinent ad rationem horum vitiorum, poſſunt autem aliæ circumſtantiæ per accidens conſiderari, quæ prædicta vitia vel augeant, vel minuant.

Dices, irridere aliquem ex genere ſuo non eſt 31.
pluſquam peccatum veniale, vt probauimus *n. 11.* *Obiectio.*
maledicere autem ex genere ſuo, eſt peccatum mortale, vt probauimus *num. 19.* Ergo peccatum maledictionis erit grauius, quàm irriſionis. Re- *Reſolutio.*
ſpondeo ex obiecto, genere, & fine ſuo id verum eſſe; at ex modo afferendi malum, & ex aliis circūmſtantiis grauius eſſe peccatum irriſionis, quàm peccatum maledictionis, vt probatum manet, quatenus ſcilicet maledictio imprecatur malum pœnæ, non culpæ, niſi ſub ratione pœnæ: irriſio autem affert ad cauſandam erubeſcentiam in proximo malum etiam culpæ, quod maius eſt, quàm malum pœnæ. Deinde quia per deriſionem infertur erubeſcentia, per maledictionem non infertur malum, quod imprecamur, & maius aliquid eſt inferre malum alicui, quàm illud alicui deſiderare, & imprecari, vt diximus.

Explicauimus, quibus modis fama læditur, ſe- 32.
quitur vt de reſtitutione ipſius famæ, & honoris agamus, quod faciemus à *cap. 13. vſque ad 17.* & inprimis inquiremus, an ſit reſtituenda fama cùm periculo vitæ, an debeat compenſari pecunia, quando reſtitui aliter non poteſt, quibus caſibus detractor liber ſit à reſtitutione famæ, & in quibus non ſit, an & quando honor reſtituendus ſit, & quibus modis ſit reſtituendus; cùm enim fama ſit bona opinio, & æſtimatio de virtute alicuius, & honor ſit bonum teſtimonium excellentiæ alterius, adeò hæc duo coniuncta ſunt, vt de vno agere congruenter non poſſimus, quin de altero etiam agamus.

CAPVT XIII.

Vtrùm fama cum periculo vitæ ſit reſtituenda, & an debeat pecunia compenſari ſi reſtitui non poſſit.

SVMMARIVM.

Refertur prima ſententia aſſerens famam cum periculo vitæ eſſe reſtituendam. n. 1.
Præfertur ſecunda probabilior negans. n. 2.
Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. n. 3.
Si proximo præter famam damnum in vita fuit illatum, cum vita periculo fama eſt reſtituenda. n. 4.
An quando fama aliter reſtitui nequit, teneatur infa-

mator

mator eam pecunia ex iuſtitia compenſare, Aſtruitur ſententia negatiua. n.5.
An ſaltem teneatur ex charitate. n.6.
Poſt ſententiam iudicis tenetur ex iuſtitia infamator famam alterius pecunia compenſare. n.7.
Reycitur ſententia affirmans famam pecunia compenſandam eſſe, quando aliter compenſari non poteſt. n.8.
Soluuntur fundamenta huius ſententiæ. n.9.10.

1. *An famæ ſit cum periculo vitæ compenſanda.* CIRCA reſtitutionem famæ, an debeat cum periculo vitæ reſtitui, dubitant graues DD. qua de re duas inuenio opiniones.

Opinio prima. Prima docet, famam cum periculo etiam vitæ eſſe reſtituendam, quando aliter reſtitui non poteſt, maximè ſi infamatus illuſtris familiæ vir ſit, idque etiamſi ex infamia, quam quis alteri intulit, nullum damnum eueniat in vita, vel bonis ſpiritualibus, hanc tenet Sotus *lib. 4. de iuſtit, quæſt.6. art.3.* & alij. Fundamentum illius eſt, quia quamuis fama, reſpectu vitæ ſit res inferioris ordinis, tamen huiuſmodi res inferioris ordinis ſumi in tanta quantitate poteſt, vt iudicio prudentum, vel vincat, vel æquet pretio rē ſuperioris ordinis; tanta enim poteſt eſſe vis plumbi, vt vel vincat, vel æquet valorem auri, tanta poteſt eſſe vis pecuniæ, vt æquè præſtans imò & præſtantior cenſeatur, quàm ipſa fama, licèt pecunia res ſit inferioris ordinis, fama autem ſuperioris, & conſequenter tam illuſtris poteſt eſſe fama, vt omnium rectè ſentientium iudicio æquè præſtans, imò præſtantior cenſeatur, quàm vita miſeri homunculi, præſertim cùm pecunia, iuxta Ariſtotelem, ſit menſura rerum omnium. Et confirmatur, quia qui latrociniis ad ſupremum honoris gradum eſt euectus, tenetur huiuſmodi latrocinia reſtituere, etiamſi de honoris gradu decidat; & tamen honor eſt res ſuperioris ordinis, reſpectu latrocinij; igitur nihil refert ad reſtitutionem, quòd res ſit inferioris ordinis, vel ſuperioris.

Sotus.

2. *Opinio ſecunda verior.* Secunda tamen opinio melior, ac probabilior docet, ſi ex infamia, quam quis alteri intulit, non eueniat damnum in vita, vel in bonis ſpiritualibus, neminem teneri cum periculo vitæ, famam illi reſtituere, etiamſi infamatus homo, illuſtris proſapiæ ſit; ita docet Caietanus 2. 2. *q. 62. art. 3. ad 2. & opuſc. 31. in reſponſ.* 14. vbi generaliter aſſerit rem inferioris ordinis nunquam eſſe reſtituendam cum iactura ſuperioris ordinis. Leſſius *lib. 2. cap. 11. de detractione, & contumelia, dub. 15. num.86.* Nauarrus *in ſumma lat. cap. 17. num. 89. & ſeqq. & cap. 17. a n. 47.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num.* 236. P. Nauarra *lib. 2. de reſtit, cap. 4. num. 405.* Corduba *lib. 1. q. 31.* & Syluester *verb. detractio, quæſt. 4. caſu 2.* & caſus meo iudicio deciſus eſt *in c. officij, de pœnit. & remiſſ.* vt patet inibi ex materia totius capitis. Probatur

Caietan. Leſſius. Nauarr. Filliucius. P. Nauarr. Corduba. Syluest.

Primò, quia nemo tenetur reſtituere pecunias cum iactura ſuæ libertatis ſe ipſum vendendo, aut trahendo in ſeruitutem, vt paſſim DD. affirmant, idque ſolùm, quia libertas eſt ſuperioris ordinis, & nullo pretio comparari poteſt; ergo etiam nemo tenebitur reſtituere famam alterius cum iactura vitæ, cùm vita ſit ſuperioris ordinis.

Secundò, quia iuſtitia commutatiua ſolùm poſtulat, vt fiat reſtitutio in bonis eiuſdem ordinis, in quibus alterum læſiſti; vt vitam exponas pro vita proximi, ſi iniuſtè illum in bono vitæ læſiſti, famam pro fama, pecuniam pro pecunia; quia per hæc dumtaxat reſtituitur æquale; igitur ſi hæc reſtitutio æqualitatis fieri non poteſt ſine iactura boni ſuperioris ordinis, cenſetur moraliter impoſſibilis, ac proinde, nemo ad illam in foro conſcientiæ obligatur; ſed tantùm tribuitur ius læſo, vt per iudicem procuret vindicationem ſui damni. Tandem, quia vita eſt bonum irrecuperabile; fama verò eſt bonum recuperabile, ſi enim ſemel amittatur, poteſt iterum recuperari, non tamen vita, niſi miraculis; quare patet vitam eſſe bonum ſuperioris ordinis.

Vltimò, quia iuxta omnes DD. reſtitutio eſt facienda ad æqualitatem; at ille, qui cum periculo vitæ, famam reſtituit, æqualitatem excedit; dat enim maius, quàm id quod abſtulit; quare ad eam reſtitutionem nullo modo obligatur.

Ad fundamentum Soti, & primæ opinionis, reſpondet Leſſius *allegatus, num.* 88. quamuis quis anteponat vim ſuæ pecuniæ, vitæ alterius; nemo tamen prudenter anteponeret pecuniam alterius vitæ propriæ, nemo enim prudenti iudicio infamiam ſuſtinebit pro magna pecuniæ vi; nec pro magna fama mortem eliget, quia fama iudicio Spiritus ſancti omnibus theſauris præfertur, & bonum nomen multis diuitiis antecellit, iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*; quamobrem, nec vita, nec fama propria pecunia poteſt commenſurari, & æſtimari, licèt vita alterius poſſit; vnde non ſequitur, Ego poſſum plus æſtimare mille aureos, quos habeo, quàm vitam huius ruſtici; ergo ſi ruſticus eos mihi abſtulerit, tenebitur eos mihi reſtituere cum vitæ periculo, poteſt enim ille ſi prudens ſit, vitam ſuam pluris pendere centum mille. 3. Leſſius.

Ad confirmationem reſpondeo, eum qui furtis, & latrociniis primum honoris gradum in Republica ſibi comparauit, non habere ius ad illum ſtatum, cùm per iniuriam, & damnum proximorum illum comparauerit, vnde teneri ea latrocinia reſtituere, etiamſi ab eo ſtatu honoris cadat. Adde quòd ex amiſſione ſtatus, non amittitur fama; poteſt enim ſtatus ſine culpa admitti.

Non negamus tamen licitum eſſe nobis vitam aliquando pro fama proximi exponere; non quòd fama pluris valeat, quàm vita, ſed quòd pro virtute licitum ſit vitam exponere; vt diximus *in 5. præcepto*, & egregiè docet Leſſius *allegatus, num.90.* Idem.

Si tamen ex infamia, quam proximo intuliſti, damnum vitæ illi obueniat; teneris ex iuſtitia, cum vitæ etiam periculo, famam illi reſtituere; ita Doctores pro ſecunda opinione allegati. Ratio eſt, quia tunc non ſolùm obligaris ratione famæ iniuſtè ablatæ, ſed etiam ratione vitæ, vt patet. 4.

Dubium etiam eſt, an quando fama reſtitui nequit, teneatur infamator eam pecunia compenſare; qua etiam de re duæ circumferuntur opiniones. 5. *An fama ſit pecunia compenſabilis.*

Opinio prima. Prima, & probabilior aſſerit præcisè pro ipſa infamia, ſecluſo alio damno, quando illa publica, vel ſecreta reuocatione dictorum tolli nequit, neminem teneri ex iuſtitia illam pecunia compenſare; ita docent Nauarrus *in ſumma lat. cap. 17. n. 90.* Syluester *verb. detractio, quæſt. 4. caſu 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 16. num. 92.* Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 4. n. 417.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. n. 234. fol. mihi 474. col. 1.* Caietanus 2.2. *q. 62. art. 2.* & alij recentiores communiter Et ratio eſt, quia iuſtitia commutatiua tantùm poſtulat, vt reſtituatur id, quod ablatum eſt, per id quod communi æſtimatione iudicatur

Nauarr. Syluester. Leſſius. Petr. Nauar. Fillucius. Caietan.

carur æris alieni, quod ſi hoc fieri non poteſt, ceſſat obligatio; ſed ſimiliter eſt impoſſibile: at pecunia non eſt æqualis famæ, eſt enim fama res ſuperioris ordinis, & multis partibus illam excedit, iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri*, & Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Ergo nullus tenetur infamiam, quam alteri intulit, pecunia compenſare. Confirmant id DD. hoc exemplo; quia ſicut qui non eſt ſoluendo æs alienum, nec poteſt damnum pecuniarium, quod alteri intulit, ob paupertatem reſarcire pecuniis, non tenetur illud reſarcire, orationibus, ieiuniis, vel honorificationibus externis; & qui vi, aut fraude aliquem ad peccatum induxit, non tenetur ei damnum conſcientiæ pecunia reſarcire; ita qui damnum famæ proximo iniuſte intulit, ſi via alia nequit illud reſarcire, non tenetur ex iuſtitia reſarcire pecuniis, nullum enim ordinem, nec connexionem hæc inter ſe habent.

6. Dictum eſt *ex iuſtitia*, inquit Filliucius *allegatus, num. 240.* quia ex charitate fieri poteſt, vt aliquando teneatur compenſare pecunia, vt ſi infamatus ſit pauper, nec aliter videatur depoſiturus triſtitiam inde ſuſceptam, niſi ei recompenſetur pecunia, infamator vero diues ſit; & ratio illius eſt, quia ſicut ex charitate magis tenetur quis benefactoribus ſuis, quam aliis, ita ex eadem charitate magis tenetur iis, qui malum ſua cauſa paſſi ſunt; & cum Filliucio idipſum docet Leſſius *allegatus, num. 96.* At non video ſufficientem rationem, ob quam dicamus hunc teneri ſub mortali ex charitate hanc infamiam pecunia reſtituere, cum non teneatur famam pecunia compenſare, vt ſupra vidimus, & ſufficiat alio modo reſtituere; neque ratio allata de benefactoribus aliquid conuincit, quia gratitudo præciſe non obligat ſub mortali ad eleemoſynam faciendam, nec peccabit mortaliter ille, qui duobus exiſtentibus in æquali neceſſitate eleemoſynam non largitur illi, erga quem propter aliquod beneficium magis propenſus eſſe debebat; quare non credo in eo caſu peccare mortaliter illum, qui infamiam præcedente damno pecunia non compenſauerit.

Fill ucius. Leſſius.

7. *An poſt ſententiam latam.* Poſt ſententiam tamen iudicis ſi infamator ad pecuniam condemnetur, vel ſi cum ipſo infamato, icto fœdere, conueniat de pecuniola compenſatione, tunc quidem tenebitur dare pecuniam ex iuſtitia; vt docet Leſſius *allegatus, n. 97.* & Filliucius item *citatus, num. 241.* patet, quia iudex in pœnam talis criminis poteſt eam ſatisfactionem imponere, & ille ex iuſtitia tenetur exequi, quia tenetur iuſte parere ſententiæ; deinde, quia etiamſi fama eſſet aliunde recuperata, adhuc eamdem ſatisfactionem pecuniariam in pœnam prioris delicti poteſt iudex imponere, poteſt enim iuſta pœna punire delicta, etiam poſt damnorum reſtitutionem; tandem quia pacta, & conuentiones iuſtæ, quas homines inter ſe faciunt, obligant ex iuſtitia; & hoc pactum, quo de ſatisfactione pecuniaria conuenerunt, eſt iuſtiſſimum, habebat enim infamatus ius ad infamatorem accuſandum pro ſibi illata iniuria; quamobrem, vt hoc iure cedat, poteſt iuſte de certa pecunia paciſci; ſic ille, qui iuſtè poteſt alterum accuſare de aliquo crimine, & ius habet ad illum accuſandum, poteſt tuta conſcientia accipere pecuniam, ne accuſet, renunciatio enim, & ceſſio iuris, quod habet ad accuſandum, pecunia eſt æſtimabile, nullam enim iniuriam iſte inferebat alteri illum accuſando.

Leſſius. Filliucius.

8. *Opinio ſecunda. Couarr. Sotus.* Secunda opinio, quod ſcilicet famam pecuniis compenſari poſſit, quando aliter reſtitui non poteſt, tenet Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 11. num. 8.* & Sotus *lib. 4. de iuſtit. q. 6. art. 3. §. 7. eſt in ea verſ. grauis*, & omnes quos citabimus *cap. 14. num. 11.* Fundamentum illorum eſt,

Primò, quia qui alteri intulit damnum centum aureorum, ſi non poteſt æquale reſtituere, tenetur reſtituere id, quod poteſt, vt quam proxime accedat ad æqualitatem: igitur quamuis fama excedat omnem pecuniam, tenetur compenſare ipſam famam eadem pecunia, vt aliquo modo accedatur ad æqualitatem, nam etiamſi fama ſit ex genere ſuo præſtantior pecunia, vt re vera eſt, tamen tanta poteſt vis pecuniæ ex altera parte accumulari, vt cumulus ille pecuniæ multo pretioſior ſit iudicio omnium recte ſentientium fama cuiuſque hominis nobilis; ſic aurum multo pretioſius eſt plumbo, ſed tamen tanta vis plumbo ex altera parte apponi poteſt, vt multo ſit auro pretioſius. Confirmatur; quia *pecunia eſt*, iuxta Philoſophum, *omnium rerum menſura*; ergo etiam eſt menſura famæ, cum fama inter res humanas numeretur.

Secundò, quia nemini fas eſt cum detrimento, & iniuria alterius ſuam famam, honoremque ſuum tueri; atqui ſequeretur poſſe aliquem cum iniuria alterius, ſuam famam, & honorem tueri, ſi fama pecuniis compenſari non poſſit; ergo illa pecuniis compenſari poteſt. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; quia qui furatus eſt, v. g. ducentos aureos, tenetur adhibere omnem diligentiam, vt ſecreto reſtituat; ſi tamen non poteſt ſecreto reſtituere, tenetur in publico reſtituere cum damno ſuæ ipſius famæ ſe prodendo, quia, cæteris paribus, maius eſt ius innocentis, qui per furtum læſus fuit, quam vis nocentis, qui per furtum ipſos aureos furatus eſt. Confirmatur, quia qui ampliſſimam vim pecuniæ furto abſtulit, qua in Republica maximum honoris gradum aſſecutus eſt, ſi non poteſt aliter reſtituere, tenetur reſtituere etiamſi ab eo gradu cadat; non ergo eſt fama, & honor, abſolute loquendo, adeo præſtans, vt reſtitutio non ſit facienda propter illius conſeruationem, & vt honor, & fama non ſit periculo exponenda, propter ipſam pecuniam.

9. Ita ſe habet hæc opinio, ſed prima eſt probabilior, vt dixi; hæc tamen ſecunda non eſt improbabilis.

Ad primum argumentum illius, reſpondeo, illum, qui non poteſt reſtituere totam pecuniam, teneri reſtituere partem illius, quam poteſt; fama autem eſt ſuperioris, & excellentioris ordinis, quam pecuniæ, & omni pretio æſtimabilior, nam neque tota fama, neque eius pars pretio aliquo æſtimabilis eſt, atque adeo ex iuſtitia nulla debetur pecunia, neque pro tota fama, neque pro parte aliqua illius; quare nullo modo eſt fama pecunia compenſabilis. Exemplum allatum de auro nihil conuincit, quia omnia metalla, etiamſi aliud alio multo ſit præſtantius, valoreque excedat, tamen habent omnia ſuum certum valorem; quamobrem ſe ad inuicem per ſubtractionem ex vna parte, & accumulationem ex altera, æquari poſſunt; at fama omnem valorem, omneque pretium excedit, & ideo caret omni compenſatione pecuniæ. Ad confirmationem Philoſophi reſpondeo, pecuniam eſſe menſuram rerum omnium vendibilium, & pretio æſtimabilium; famam autem non eſſe vendibilem, neque pretio æſtimabilem.

10. Ad ſecundum concedo maiorem, & minorem; ad conſequentiam dico illum, qui furto abſtulit eos aureos, teneri eos reſtituere cum periculo famæ

propriæ, quando aliter eos reſtituere non poteſt (raró autem accidere poterit, vt aliter non poſſit) quia quando furto eos abſtulit, velit, nolit, ad id ſe expoſuit, & ita veluti ex pacto implicito tenetur pecuniam reſtituere cum amiſſione famæ: non quia fama ſit pecunia compenſabilis, aut pretio æſtimabilis, ſed quia ad hanc reſtitutionem, & iacturam ſuæ famæ, ſe ſponte, & nemine cogente, nec ſibi iniuriam inferente, cum furtum commiſit, voluit exponere: quare nihil ad rem probat argumentum.

Ad confirmationem, reſpondeo illum, qui latrociniis aſſecutus eſt in Republica maximum honoris gradum, teneri ea latrocinia reſtituere, etiam ſi ab eo gradu decidat, quia nunquam habuit ius ad eum honorem, ſed de facto, & contra ius poſſidet, vt iam dictum manet *n.3. verſ. ad confirmationem.*

Capvt XIV.

An infamator teneatur ad reſtitutionem famæ infamato, ſi ille ſuis virtutibus eam recuperauit, & an ad damnum temporale, quod illi tunc dedit: quæritur, vtrum fieri poſſit compenſatio damni in fama cum damno in bonis temporalibus, & pecuniis.

Svmmarivm.

Refertur ſententia affirmans teneri infamantem reſtituere famam infamato, etiamſi ille iam illam adeptus ſit ſuis virtutibus. n.1.

Præfertur ſententia negans. n.2.

An aliquid arbitrio boni viri ſit reſtituendum pro ipſa infamia, quam infamatus paſſus eſt, dum famam non recuperauit. n.3.

Quid ſi infamia ſit obliuione ſepulta, & reſtitutio non ſit facta. n.4.

Quid de damno temporali, quod datum fuit, dum infamiam quis paſſus eſt, quamuis ſit iam obliuione ſepulta. n.5.

Quid ſi damnum datum ſit in bonis iam acquiſitis, vel in acquirendis. n.6.

Quid ſi aliquis infamauit aliquem, non imponendo ei crimen falſum, ſed manifeſtando verum, & occultum. n.7. & 8.

Reſpondetur fundamento Soti, & primæ opinionis. n.9. & 10.

An ille, qui infamiam paſſus eſt ab aliquo, poſſit ſibi recompenſare in bonis temporalibus illius pro infamia.

Refertur opinio affirmans. n.11.

Præfertur negans. n.12.

Reſpondetur fundamento primæ ſententiæ. n.13.

1. *An infamans teneatur famam reſtituere infamato.* Adrianus. Nauarrus.

POTEST contingere, vt poſtquam quis alterum infamauit, ipſe ſuis rectè factis, & virtutibus famam priſtinam recuperet: dubium ergo eſt, an iſte infamator in hoc caſu ad aliquam famæ reſtitutionem teneatur? Affirmant Adrianus *in 4. q. 1. de reſtit. famæ, § contra prædicta, in reſponſione ad 2.* & Nauarrus *in repetit. cap. inter verba, n.86.* Ratio illorum eſt, quia iſte verè cauſa damni fuit; ergo tenetur illud reſtituere, qui enim iniuſta cauſa alteri damni eſt, tenetur in conſcientia illud ei reſtituere, vt conſtat ex *cap. ſi culpa, de iniuriis, & damno dato.*

2. *Præfertur ſententia negans.* Leſſius. Saytus. Sotus. Filliucius. P. Nauarrus. Salon. Toletus. Nauarrus. Syluester. Malder.

Reſolutio tamen ſit non teneri: fundamentum eſt, quia poſtquam ille ſuam famam recuperauit, iam non patitur damnum in illa, nam reſtitutio eſt ad reſarciendum damnum; hoc autem damnum iam eſt refectum, & recuperatum, ſicut ſi dominus vel ſua, vel alia via recuperauerit equum ſibi ablatum furto, non tenetur fur amplius ad aliquam reſtitutionem; ita docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. de detract. & contumel. c. 11. dub. 17.* Saytus *in Claui Regia lib. 11. cap. 3. de reſtit. honor. extern. n. 14.* Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 4. verſ. ad hæc requiritur 3.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num. 148.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 3. num. 372.* Salon. 2. 2. *q. 62. art. 2.* Toletus *lib. 5. cap. 63.* Syluester *verb. detractio, q. 4.* Nauarrus *cap. 18. num. 47.* Malderus *de iuſt. cap. de reſtit. in honore, & fama, dub. 11.* nam cum alter iam habeat quod perdiderat, iniuſte quæreretur, quod ſibi non reſtituatur. Vnde ſi quis alterum de concubinatu infamauit, & ille ita ſe purgauit, vt amplius non habeatur fides infamatori, liberatur infamator onere reſtitutionis; & ſi aliquis infamauit aliquem de hæreſi, & ideò fuit captus ab Inquiſitoribus, & poſtea per ſententiam declaratus fuit innocens, non tenetur illi famam reſtituere. Item infamauit alius nobilem fœminam de adulterio, ſicut ſenes Suſannam falſis teſtimoniis, & miraculo de falſitate infamationis conſtitit, non tenetur ei ampliùs ad aliquam reſtitutionem; vt docent optimè Leſſius, Saytus, & Salon. *allegati.*

3. *An aliquid arbitrio boni viri ſit reſtituendum pro infamia non recuperata.* P. Nauarrus. Leſſius.

Rogant aliqui, an aliquid ſit reſtituendum arbitrio boni viri pro ipſa infamia, quam elapſo illo medio tempore, vſque ad recuperationem famæ paſſus eſt. Reſpondeo debere fieri aliquam reſtitutionem, ſi putetur illam velle (quod addo, quia alioqui cenſetur condonata; nec in vſu eſt offerre illam.) Ea autem reſtitutio facienda eſt ſignificatione doloris, & petitione veniæ, vel honore aliquo, aut laude, iuxta conditionem perſonarum, vt rectè docet Petrus Nauarra *lib. 2. de iuſtit. cap. 4. num. 421.* & Leſſius *lib. 2. de detract. & contumel. cap. 11. dub. 17.* & Nauarrus *cap. 18. num. 47.*

4. *Quid ſi infamia iam ſepulta ſit, & obliuioni tradita.* Caietan. Leſſius. Nauarrus. D. Antonin. Graphis.

Sed quid ſi infamia obliuione iam ſepulta ſit, & reſtitutio præteritæ infamiæ non ſit facta, v. c. homo cum eſſet iuuenis, puellam infamauit, falsò aſſerendo coram aliis ſe illam defloraſſe, quod iam temporis ſucceſſu conſepultum manet, meminit tamen ſenex de damno dato in fama & non refecto, quæro an teneatur ad reſtitutionem? Affirmat Caietanus 2. 2. *q. 62. art. 2. ad 2.* quia damnum perſeuerat, vt reficiatur; etiamſi maxima in eſcapedo ſit temporis interfuſa; neque enim tempus loco reſtitutionis eſt, negant Leſſius *tom. 1. de iuſtit. lib. 2. cap. 11. dub. 18. num. 100.* & Nauarrus *cap. 18. num. 47. verſ. ad dubium autem.* D. Anton. 2. *part. tit. 2. cap. 2. § 3.* & Graphis *lib. 2. deciſion. aurear. cap. 137. num. 5.* & ratio eſt.

Primò, quia fama iam cenſetur reſtituta, & damnum illatum moraliter loquendo non durat, cùm nulla illius memoria extat.

Secundò, quia facilè infamia præterita reuiuiſceret, ſi iterum in memoriam hominum adducatur; quare moraliter loquendo, ea reſtitutio magis erit noua infamatio, quam veteris mali reſtitutio, aut reparatio; quare ſolùm apud Deum de peccato in ea circumſtantia eſt pœnitendum, & pro tunc reſtitutio non eſt curanda.

5. *De damno temporali quid.*

Maius dubium eſt, an totum damnum temporale, quod ſecutum fuit ex tali infamia, teneatur infamator reſtituere; quia verò hæc difficultas non ſolùm poteſt eſſe de eo, qui infamat alterum, imponendo

imponendo ei crimen falſum, ſed etiam reuelando verum, ſed occultum, de vtroque ſimul agemus.

Concluſio prima. Statuo primò, ſi loquamur de eo, qui alterum infamauit, falſum ei crimen impingendo, certum eſt teneri infamantem reſtituere infamato omnia damna temporalia ex ea infamia ei ſubſecuta; ita communiter DD. Leſſius. Sayrus. Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de detract. & contumel. dub. 19. num. 101.* Sayro *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. bonor. extern. num. 17.* Sotus. P. Nauarr. Nauarr. Salon. Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 4.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 4. num. 373.* Nauarrus *in ſumma lat. cap. 18. num. 47.* Salon. 2. 1. *quæſt. 62. art. 2. controuerſ. 20.* & patet ex *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat.* Et ratio eſt, quia hæc infamia fuit omnino iniuſta, & iniurioſa cauſa efficax talis damni, & ex illa directè omnia illa damna emerſerunt; qui verò cauſam alteri damni dat, damnum dediſſe cenſetur, quare tenetur illud reſtituere; quicumque enim damnificat alium, iniuſtè ad reſtitutionem tenetur; vt habetur in dicto capite, *ſi culpa tua*, allegato, & docet etiam Gabriel. Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 6. poſt initium.*

6. Videndum tamen eſt, an damnum ex tali infamia ſecutum ſit in bonis iam acquiſitis, an in acquirendis: ſi ſecutum fuit in bonis iam acquiſitis, reſtitutio in integrum facienda eſt, iuxta Authores allegatos, & ſpeciatim Nauarrum citatum. *In bonis acquirendis.* Si datum fuit in bonis acquirendis, v. c. in officio, aut beneficio, aut legato acquirendo, quæ ex voluntate aliorum pendebant. Reſtitutio non eſt facienda in integrum, ſed arbitrio prudentis, vnde qui alium per iniuriam, & falſum crimen, per vim, aut dolum, ab aſſecutione beneficij, officij, legati, aut honoris, aut etiam prælatura inter Religioſos impedinit, tenetur ad reſtitutionem arbitrio boni viri, non ad integram reſtitutionem, quia adhuc pendebat id ex voluntate alterius, quæ re vera poterat mutari, & erat tantùm in ſpe, & minus valet id, quod eſt in ſpe, & ex voluntate alterius pendet, quàm quod actu poſſidetur; aut quàm quod eſt in ſpe, & ex voluntate alterius non pendet; & ideò minor reſtitutio facienda eſt pro illo, quàm pro eo, quod actu poſſidetur; ita communiter DD. quos nos iam ſæpe alibi probauimus.

7. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, ſi loquamur de eo, qui infamauit alium, manifeſtando illius crimen verum, ſed occultum; maior eſt difficultas ad quantam reſtitutionem damnorum teneatur, nam Sotus. Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 4. verſ. ſecundo modo*, docet non teneri ad tantam reſtitutionem, quantam tenetur ille, qui falsò alium infamauit.

Primò ex eo fundamento, quia non tantum peccat iſte, quantum ille, & ideò, inquit, non tenetur ad reſtitutionem in integrum; ſed ad aliam arbitrio boni viri faciendam.

Secundò, quia præcipua cauſa iſtorum damnorum, non eſt reuelatio criminis, ſed eſt ipſum crimen, quod à parte rei commiſſum eſt, reuelatio enim eſt tantùm cauſa ſine qua non; & conſequenter infamans per reuelationem tantùm, non tenetur ad integram, ſed ad arbitrariam reſtitutionem, iudicio boni viri definiendam, quia niſi ille reuelaſſet, non ſecuta fuiſſent ea damna; & Sotus. Salon. hæc ſententia Soti non eſt omnino improbabilis, & eam ſecutus fuit Salon. 2. 2. *q. 62. art. 2.* ſed poſtea mutauit ſententiam.

8. *In bonis acquiſitis.* Dicendum tamen eſt, huiuſmodi infamatorem teneri ad reſtitutionem in integrum de damno in bonis iam acquiſitis, in bonis verò acquirendis ad partem arbitrio boni viri definiendam. Ita Nauarr. Sayrus. Leſſius. Nauarrus *in ſumma latina, cap. 18. num. 45. verſ. addo ſextò.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. bonor. extern. num. 19. & 20.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 12. de detract. & contumel. dub. 19. num. 109.* P. Nauarr. Salon. Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 6. num. 384.* & Salon. *allegatus*, & fundamentum eſt, quia obligatio reſtituendi non oritur ex quantitate peccati, ſed ex quantitate damni illati. Vnde licèt qui verum crimen, ſed occultum reuelando infamat, minus peccet, quàm qui falſum crimen imponit, quia tamen æquè damnificat, aut plus, ac ille, qui falsò crimen imponit, æquè tenetur ad reſtitutionem, imò ad maiorem, ſi fortè maius damnum intulit; licèt enim ille, qui falſum crimen imponit, plus peccet, non tamen plus nocet: at reſtitutio, cùm actus ſit iuſtitiæ commutatiuæ, potius reſpicit nocumentum, quàm modum nocendi.

Et ad rationem Soti reſpondeo ipſum crimen in ſe ſumptum, non poſſe eſſe cauſam damni, 9. niſi accedente cognitione, vnde quamdiu crimen manet occultum, contra iuſtitiam reuelatur dum probari non poteſt in iudicio; & ſic quatenus occultum, non poteſt eſſe cauſa damni, niſi reueletur; ita enim ſe habet, ac ſi nunquam fuiſſet commiſſum, ac proinde, qui illud reuelat, tribuit illi veluti vim nocendi, & inferendi damni; ergo manifeſtans, moraliter loquendo, cenſetur cauſa principalis damni ſecuti, vnde non ſolùm eſt conditio ſine qua non; ſed etiam cauſa moralis per ſe, & directa omnium illorum damnorum, quæ ſequuntur. nam etſi alter crimen committat, ſi non reuelatur, non patitur infamiam, neque damnum; & quamuis non committat, ſi tamen infametur, ea damna patietur in fama, & in bonis; indicium ergo eſt, quòd formaliter, & per ſe ea damna ſequantur ex reuelatione contra iuſtitiam facta, non ex crimine commiſſo. Vnde ceſſat obiectio, quam multi hîc opponunt, illud ſcilicet, damnum per accidens reſultare, ex ea reuelatione, & infamia, reſultat enim per ſe, vt patet.

Dices, fecit cum bono zelo, & animo, vt ſcili- 10.
cet illud legatum, officium, aut beneficium ad alium digniorem deueniret. Reſpondeo in hoc negotio quoad reſtitutionem, non attendi odium, vel amorem; ſed ſolùm attenditur iniuſtitia reuelationis, criminis occulti, infamiæ, & damni, quod ex tali iniuſta reuelatione alteri datur, iuſtitia enim, cuius actus eſt reſtitutio, reſpicit iniuſtum, vt æqualitatem conſtituat, neque curat de bono, aut malo zelo; vt expreſsè teſtatur Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 4. num. 374.* & Gregorius Sayro *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſt. bonor. extern. n. 21.* Petr. Nauar. Sayrus.

Huic dubio præcedenti affine aliud eſt, an fieri 11.
poſſit compenſatio damni in famiæ, cum damno in bonis temporalibus, v. c. damnificaſti Petrum in pecunia, aut bonis temporalibus, & ille te grauiter contra iuſtitiam infamauit; rogo vtrùm pro rata iniuriæ poſſis illi denegare reſtitutionem pecuniæ, & bonorum, ſi ipſe nolit tibi tuam famam reſtituere. Partita eſt opinio hac de re. *De infamiâ paſſo.*

Opinio prima. Prima affirmat hanc compenſationem fieri poſſe, quia probabilis eſt ea ſententia, quæ docet, famam pecunia compenſari, ac reſtitui poſſe, quando aliter reſtitui non poteſt; & pro hac opinione ſtat Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. bonor. extern. num. 25. §. hac autem via*, & Couarr. *reg. peccatum, 1. part. num. 6. & lib. 1. var. reſol. cap. 2. num. 8.* Sayrus. Couarr.

Sotus. Corduba. L. Lopez. Salon. Rodrig. Valentia. Molina. Rebell. Gloſſ. Malderus. Aragon.

& Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad 4. dub. 2.* & Corduba *quæſt. 33. art. 2.* & Lopez *1. part. inſtruct. cap. 116. concluſ. 1.* & Salon. *2.2. quæſt. 62. art. 2. controuerſ. 13. concluſ. 1.* & Rodriquez *2. part. ſummæ, cap. 45. concluſ. 2. & 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. puncto 5. propoſ. 1. de reſtitut. famæ.* Molina *tract. 4. diſp. 45.* Rebello *lib. 2. quæſt. 10.* gloſſa *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, extra vt lite pendente nihil innouetur.* Malderus *de iuſtit. tract. 7. cap. 2. de reſtit. famæ, dub. 8. fol. mihi 554. col. 1.* Aragon. *2.2. quæſt. 62. art. 2.* Qui omnes dicunt, non teneri virum nobilem, & à fortiori Regem, aut Principem, reſtituere infamiam plebeio, quem falsò infamauit, dicendo ſe fuiſſe mentitum; ſed teneri illam iniuriam ei reſtituere pecunia, quia iniuria infamiæ, & fama ipſa pecunia compenſari, ac reſtitui poteſt.

12. *Opinio ſecunda.* Secunda, & verior opinio contrarium docet, non poſſe ſcilicet hanc compenſationem famæ cum bonis temporalibus, aut pecunia fieri; excedit enim fama omne pretium pecuniarum, neque eſt vendibilis, aut pretio æſtimabilis, aut commenſurabilis, ſed res eſt altioris ordinis; iuxta illud ſacræ paginæ Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* & Eccleſiaſt. 42. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi.* Et hanc opinionem tenent omnes quos pro illa citauimus *cap. 13. num. 5.* vbi iam hanc quæſtionem verſauimus, & illam ſecuti fuimus, & fundamenta illius inibi videri poterunt, neque enim opus eſt dictum repetere, & vltra illos, eam docet etiam Malderus modò *allegatus,* vbi dicit ſine dubio hanc opinionem eſſe probabiliorem. Peſantius *de reſtit. q. 12.* Banhez *2.2. q. 63. art. 2.*

13. Ad rationem verò, & fundamentum contrariorum, reſpondeo viros nobiles non teneri ſatisfacere, ac reſtituere famam plebeiis, dicendo, aut iurando fuiſſe mentitos; non deficere tamen alios modos reſtituendi illam extra pecuniam, v.c. honoribus, & laudationibus, aut dicendo, decepi me, putaui ita eſſe, & non fuit, eſt enim magna latitudo, & diſparitas inter famam, & famam, & nemo tenetur reſtituere amplius, quàm id, quod debet, aut reſtitutionem facere cum iactura maioris boni, licèt abſolutè quælibet cuiuſlibet hominis fama ſit excellentior omni pecunia; ſi verò plebeij his ſatisfactionibus non ſint contenti, & poſtulent ſibi ſuam famam reſtitui pecunia, irrationabiles ſunt, quia vendunt famam, quæ eſt natura ſua inuendibilis, & volunt illam pretio pecuniarum commenſurare, cùm tamen omne pecuniarum pretium excedat, atque ita nemo tenetur, ſiue Nobilis, ſiue æqualis in conſcientia famam alicuius pecunia compenſare, niſi poſt latam iudicis ſententiam, aut ex fœdere icto inter vtrumque, vt *cap. 1.* diximus.

CAPVT XV.

Vtrùm teneatur infamator reſtituere famam alterius, cum iactura propriæ famæ, & vitæ; ſoluuntur multa dubia.

SVMMARIVM.

Fama eſt reſtituenda cum iactura etiam famæ propriæ, ſi cætera ſint paria. n. 1. & 2.

An opus ſit dicere ſe fuiſſe mentitum, quando alium infamauit, quamuis crimen, de quo illum infamauit, verum fuerit, ſed occultum. n. 3.

Quid ſi ſit inæqualitas inter famam, & famam. n. 4.

Quomodo fiat tunc reſtitutio in iſta inæqualitate. n. 5.

An quando datur æqualitas inter infamantem, & infamatum, teneatur infamans iurare ſe fuiſſe mentitum, ſi aliter ei non credatur. n. 6.

Quo ſenſu id poſſit iurare, quando infamauit crimen verum, ſed occultum manifeſtando. n. 7.

An teneatur iurans adhibere teſtes, quando eius retractationi nec ſub iuramento creditur. n. 8.

An teneatur infamator reuocare dictum apud illos, quibus ipſe non dixit, dixerunt tamen alij qui ab illo audierunt. n. 9.

An abſolui poſſit infamator ſi famam reſtituere nequeat eodem modo quo tenetur. n. 10.

DVPLICI modo poteſt aliquis alium infamare, vel ei falſum aliquid affingendo, vel manifeſtando crimen aliquod verum, at occultum, de vtroque dicam. Sic igitur 1.

Concluſio prima. Statuo primò, quando aliter fama alterius reſtitui non poteſt, & eſt æqualitas plus, minúſve, inter vtrumque tenetur ille, qui alterum infamauit, aut ei crimen falſum imponendo, aut manifeſtando verum, ſed occultum, iuris ordine non ſeruato, cum iactura etiam propriæ famæ, non tamen vitæ, famam ei reſtituere, dicendo, ſi ad hanc reſtitutionem opus fuerit, ſe fuiſſe mentitum ſiue in iudicio, ſi in eo alterum infamauit, ſiue extra illud, ſi extra illud damnum famæ illi intulit; ita expreſsè D. Thomas *2.2. quæſt. 62. art. 2. ad 2.* Caietanus *ibi.* Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 5. num. 375.* Michaël Salon. *2.2. quæſt. 62. art. 2. controuerſ. 13. concluſ. 1.* Nauarrus *in manuali latino, cap. 18. num. 45. verſ. addo quartò,* Rodriquez *2. part. ſummæ, cap. 45. concluſ. 1.* Lud. Lopez *1. part. inſtruct. cap. 16. concluſ. 1.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. num. 22.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num. 245.* Malderus *de iuſtit. tract. 7. cap. 2. de reſtit. famæ, dub. 9. fol. 554. col. 2.* Eſt communis omnium DD. Probatur, quia infamans alterum, ei falſum affingendo, tenetur reſtituere famam in eodem genere ſecundùm æqualitatem iuſtitiæ: in hoc autem caſu æquale reddere non poteſt, niſi dicendo ſe fuiſſe mentitum, & falsò crimen illud impoſuiſſe, non palliatè, ſed ita clarè, ac publicè, ſicut impoſuit, alioquin non ſeruaretur æqualitas iuſtitiæ, reddendo quod abſtulit; ergo tenetur ſe retractare cum iactura, & damno propriæ famæ.

D.Thom. Caiet. Sotus. P.Nauarr. Salon. Nauarr. Rodriq. Lud. Lopez. Sayr. Filliucius. Malder.

Nec obſtat, quòd ordine charitatis teneatur quis pluris ſuam famam facere, quàm alterius. 2. nam id verum eſt, quando cætera ſunt paria; hîc autem magna eſt diſparitas, potior enim eſt conditio innocentis infamati, quàm nocentis infamatorij; ſicut enim ille, qui iniuſtè abſtulit à Petro decem aureos, tenetur eos illi reſtituere cum æquali iactura ſuorum bonorum, ita qui iniuſtè alterum infamauit, tenetur ei famam reſtituere, cum æquali iactura propriæ famæ.

Dices, eſſe diuerſam rationem in fama, & in pecuniis, quia in pecuniis, eo ipſo quòd quis furatus eſt eas, eſt iniuſtus poſſeſſor illarum; at infamans nihil poſſidet famæ alienæ, & eſt iuſtus poſſeſſor ſuæ bonæ famæ. Reſpondeo eo ipſo, quòd quis mentiendo alterum infamauit, amiſiſſe ius famæ propriæ per ordinem ad reſtitutionem *Obiectio.* *Reſolutio.*

tutionem alienæ, à ſe iniuſtè ablatæ, & ita ſuam propriam famam eſſe veluti hypothecatam, & addictam reſtitutioni famæ alterius, quem iniuſtè infamauit: ita reſpondent Sotus, Sayrus, & P. Nauarra *allegati, num. præcedenti.*

3. Dictum eſt in concluſione, *Quando aliter reſtitui non poteſt, quàm dicendo, ſe fuiſſe mentitum*; quia ſi ſatis ſit, dicere ſe falſum fuiſſe, vel putaſſe ſe verum dixiſſe, & poſtea, re bene conſiderata, contrarium inueniſſe, vel ſibi nullam fidem eſſe dandam, quia ex dolore, & paſſione feciſſet; vt alter ſuam famam recuperet, id ſufficiet, & neceſſe non erit, dicere ſe fuiſſe mentitum, quia hæc retractatio ſolùm requiritur, vt alter famam ſuam recuperet, quam ſi eo modo recuperauit, id ſufficit; ita Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. n. 246.* Filliucius. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 62. art. 2.* Syluеſter *verb. detractio q. 4* & alij. D. Thom. Syluеſter.

4. Dictum eſt etiam, *modò ſit æqualitas inter infamantem, & infamatum*, quia ſi magna ſit inæqualitas inter famam vnius, & alterius, non tenebitur infamator in hoc caſu dicere, ſe mentitum fuiſſe, ſeque infamare; ſed ſatis erit, via alia arbitrio prudentis viri compenſate, v. c. ſi infamator eſſet Rex, infamatus vaſallus; ſi eſſet Epiſcopus, aut Prælatus; aut illuſtris vir, & infamatus plebeius. nam ſicut *ſuprà* dixi, ſicut in reſtitutione pecuniæ, quam alteri debeo, ſi non poſſum reſtituere decem aureos, quos furatus ſum, niſi cum iactura centum, non teneor illos ſtatim reſtituere, ſed poſſum differre, aut indagare aliam viam reſtituendi; ita in reſtitutione famæ, non teneor reſtituere minorem famam, cum iactura meæ pretioſioris; reſtitutio enim eſt æqualitas, & non obligat ad inæqualitatem; imò in eo caſu, tenetur infamatus ex charitate pati minimam iacturam ſuæ minimæ famæ, ne proximus infamans tam magnum famæ propriæ detrimentum patiatur; pluris enim æſtimatur fama illuſtris viri, quàm alterius inferioris ordinis; ita Gregorius Sayro *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. bonor. externor. num. 3.* Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 26. num. 138.* Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 4. dub. 9. num. 376.* Couarr. *reg. peccatum, part. 1. num. 6. verſ. tertiò adultera.* Lopez *1. part. inſtructorij, cap. 116. concluſ. 1.* Nauarrus *cap. 18. num. 45.* Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. ad 4.* & Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 71.* & Corduba *lib. 1. quæſt. 33. art. 2.* Sayrus. Leſſius. P. Nauarr. Couarr. L. Lopez. Nauarr. Sotus. Toletus. Corduba.

5. Fiet itaque tunc reſtitutio, laudando virtutes infamati, honorificè loquendo de eo in iis rebus, in quibus detraxit, coram illis, apud quos detraxit occaſione accepta, vel oblata, ita vt hi, qui eum malè loquentem audierant, ſiniſtram deponant opinionem; & hic modus reſtitutionis eſt valdè aptus apud peritos; ita Leſſius *citatus, dub. 20. num. 110.* Sotus *allegatus,* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num. 146.* Caietanus *2. 2. quæſt. 6. art. 2.* Nauarrus *cap. 18. num. 45.* Sayrus *allegatus,* & omnes modò allegati. Leſſius. Sotus. Filliucius. Caietan. Nauarr. Sayrus.

6. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, qui falsò alium infamauit, ſiue in iudicio, ſiue extra illud, ſiue crimen ei falſum affingendo, ſiue verum, ſed occultum, quod in iudicio probare non poteſt, reuelando, ſi æqualis ſint conditionis, & intellexit illos, apud quos infamauit, non credere ſuæ retractationi, quando affirmauit ſe fuiſſe mentitum, tenetur iurare ſe fuiſſe mentitum, vt plenè famam per iniuriam ademptam reſtituat; ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. num. 27.* Salon. *2. 2. quæſt. 62. art. 2. controuerſ. 13.* Sayrus. Salon.

col. 2. Nauarr. *lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 5. num. 378. & 385.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. puncto 5. aſſert. 1. de reſtit. fama.* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num. 245.* Ratio eſt, quia tenemur omni via poſſibili licita famam iniuſtè alterius ablatam, efficaciter reſtituere. Vnde ſi ſimplici noſtræ retractationi noluerint credere, tenemur addere iuramentum, cùm hæc via facilis ſit, & licita. P. Nauarr. Valentia. Filliucius.

Dices, non poſſe nos id iurare in veritate, quando alium infamamus, verum illius crimen manifeſtando, ſed occultum, & quod in iudicio probari non poteſt. Reſpondeo in duplici ſenſu, nos poſſe id licitè iurare. 7. *Obiectio.* *Soluitur.*

Primò, quia crimen, quod reuelamus, licèt fuerit verum, erat tamen verum veritate occulta, non publica, & in hoc ſenſu poſſumus licitè, & verè iurare tacitè intelligendo, nos fuiſſe mentitos, & falſum dixiſſe in veritate publica, non occulta, hoc enim modo licitè poteſt reus occultus affirmare in iudicio ſe aliquid non feciſſe, quia publicè non fecit, intelligens ſe non ita feciſſe, vt teneatur coram iudice fateri, & iudex aliquem condemnans, iuxta allegata, & probata, quem ſcientia priuata ſcit eſſe innocentem, verè pronuntiat illum eſſe criminoſum, & non mentitur, quia ſecundùm publicam probationem talis eſt; ita ille, qui iurat ſe fuiſſe mentitum, verè poterit id iurare; quia neſciebat id veritate, & notitia publica, vt propalaret, ſed veritate occulta, & ſecreta, ſecundùm quam tenebatur occultare.

Secundò poterit iurare ſe fuiſſe mentitum, & alium non commiſiſſe tale crimen, quia non fecit conformiter ad legem diuinam, & charitatis; ita docet Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 20. num. 110.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. num. 381. & 382. & 360.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. puncto 5. propoſ. 2. de reſtit. fama,* Salon. *2. 2. quæſt. 62. art. 3. controuerſ. 15.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 4. de ſecundo modo infamandi, num. 24.* Filliucius *tract. 32. cap. 9. num. 246. ad finem.* Leſſius. Petr. Nauar. Valentia. Salon. Sayrus. Filliucius.

Maius dubium eſt, an teneatur iurans adhibere teſtes, quando nec eius retractationi, nec ei ſub iuramento creditur, ad perſuadendum aliis, ſe falsò alium infamaſſe? Affirmat Salon. *2. 2. q. 62. art. 2. controuerſ. 13. concluſ. 2.* Leſſius *ſuprà allegatus,* & Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. ad 4.* & addunt, adeò teneri, vt ſi opus fuerit expenſas facere in adhibendis teſtibus, ad id teneatur. Ratio illorum eſt, quia infamator tenetur omnibus modis poſſibilibus reſtituere famam infamato, quam ei iniuſtè abſtulit, & eum ponere in ſtatu in quo antea erat, hic autem modus poſſibilis eſt. Negant, & meliùs, Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtit. bonor. extern. num. 27. §. imò Sotus.* Nauarrus *in manuali latino, cap. 18. num. 44. & 45. verſ. addo etiam,* & Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitut. cap. 4. num. 378. dub. 5.* quia ſi nec ei iuranti credere velint, iam id ex malitia illorum prouenit, & ea ſiniſtra opinio, quam de alio retinent, non cenſetur tunc prouenire ex dicto ſuo, ſiquidem efficaciter illud cum iuramento retractauit; ſed ex mera malitia audientium, ſi tamen ipſe infamatus ſibi perſuadeat, infamantem eam reuocationem ſub iuramento affirmatam non feciſſe conſcientia ductum, ſed ore tenus, & ad aliorum preces, aut credat illum eam ſtatim reuocaturum, & poſtulat teſtes, coram quibus id affirmet, tunc quidem tenebitur 8. *An iurans teneatur adhibere teſtes.*

illos adhibere, & in hoc quidem omnes Doctores conueniunt.

9. *Quid ſi ipſe dixit alijs, qui narrauerunt multis.* Adhuc rogabis, an teneatur infamator reuocare dictum præfato modo, apud eos, quibus ipſe non dixit; dixerunt tamen alij, qui ab ipſo audierunt, v. c. dixiſti paucis, illi verò narrauerunt aliis. Quæro igitur, an non modò apud iſtos, quibus id dixiſti, ſed etiam apud cæteros retractare dictum tenearis. Reſpondeo ſi ab illis quibus immediatè narraſti, ſtipulatus fuiſti ſilentium, & ſecretum, non teneris, niſi apud illos, cum quibus dictam ſtipulationem feciſti, te retractare; quia tunc infamia per illos, & non per te proximè, & formaliter irrogata cenſetur, ſi aliis id manifeſtarunt; teneris verò, vel per te ipſum, vel per præconem, Concionatorem, aut Parochum te retractare coram etiam iis, quibus ipſi dixerunt, ſi hoc ſilentium ab illis ſtipulatus non fuiſti; ita Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 4. num.* 443. Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detractione, & contumel. dub. 20. num.* 111. Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num.* 244. (P Nauarr. Leſſius. Filliucius.)

10. *An abſolui poſſit, ſi famã reſtituere nequeat eodem modo, quo tenetur.* Dubitabis tamen, an abſolui poſſit infamator, ſi iuxta prædicta reſtitutionem famæ coram aliis efficere recuſauerit. Reſpondeo non poſſe abſolui, niſi certò, & moraliter Confeſſario conſtet, infamantem ſtatim, ac poſſit, famam proximo reſtituturum. nam vt ille, qui tenetur alteri pecuniam reſtituere furto ablatam, non eſt abſoluendus, quin priùs reſtituat, niſi habeatur moralis certitudo, quòd inde recedens ſtatim reſtituet, profectò multo magis abſolui non debet infamans falsò fratrem, niſi prùs famam reſtituat, aut moraliter credatur, quod ſtatim reſtituet; poterit etiam Confeſſarius differre abſolutionem, quo ad vſque fama reſtituatur, niſi neceſſitas contrarium poſtulet; pœnitentes enim facilius Confeſſariis obediunt, vt experientia conſtat, quando differtur abſolutio, quàm quando ſtatim obtinetur, obtenta enim vel obliuiſcuntur, vel differunt implere in confeſſione promiſſa; & quidem quòd neganda ſit abſolutio, ſeu potiùs differenda, eſt valde conforme præcepto Chriſti Domini *Matthæi* 5. nam ibi eum qui alium iniuria affecit, non prius abſolui Chriſtus voluit, quàm famam reſtitueret. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* Si enim qui conuitiis laceſſiuit fratrem ſuum, non debet prius abſolui, quàm reconcilietur fratri, nec qui alterius famam abſtulit, abſolui prius debet, quàm illam reſtituat, cùm non minus hic, quàm ille ad reſtitutionem teneatur. Et confirmatur ex Leuitico 6. ibi, *Qui vi aliquid extorſerit, vel calumniam fecerit, aut rem perditam inuenerit, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra; deinde pro peccato ſuo offerat Deo arietem immaculatum*; prius ergo quæ debemus fratribus reſtituenda ſunt, quàm offerre Deo aliquod obſequium debeamus; ita Gregorius Sayro, & benè, *in Claui Regia, lib. 11. cap. 3. de reſtitut. bonor. extern. num.* 28. & Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *controuerſ.* 15. *concluſ.* 3. Tanta tamen poteſt eſſe contritio pœnitentis, vt moraliter Confeſſarius ſit certus, quod ſtatim reſtituet, vel prima qualibet occaſione; quamobrem in his, & ſimilibus circumſtantiis maxima deſideratur prudentia Confeſſarij. (Sayr. Salon.)

CAPVT XVI.

An ad reſtitutionem famæ teneatur ille, qui bona fide alium infamauit, & an ſe mutuò infamantes poſſint vti compenſatione; ſoluuntur alia dubia. Quæritur an diffamatus per reuelationem ſui criminis occulti illud ſub iuramento negans teneatur infamanti famam reſtituere.

SVMMARIVM.

Quatenus teneatur ad reſtitutionem famæ, ille, qui bona fide alium infamauit, putans crimen illius eſſe publicum, cùm tamen eſſet occultum. n. 1. 2.

Quid ſi interim aliquod damnum temporale patiatur, vel impediatur ab officio, aut beneficio. n. 3.

Quid ſi te narrante peccatum vnius, auditores non de illo intellexerunt, ſed de alio. n. 4.

An hæredes infamatoris teneantur ad reſtitutionem famæ, quam ipſe iniuſtè læſit, & quid ſi in bonis proximum læſit. n. 5.

An Prælati, & iudices publici, & homines priuati poſſint condonare infamiam ſibi illatam, n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *& quid quando infamia redundat in filios, aut familiam. ibid. Aut in totum Monaſterium. ibid.*

An qui ſe mutuò infamarunt à reſtitutione excuſentur. n. 12. 13.

Quid ſi vnus grauis alterum infamauit. n. 14. 15. 16.

An quando aliquis te vult iniuſtè infamare, licitè poſſis eam infamiam auertere, dicendo illum eſſe mendacem, & defectus illius aperiendo, & quatenus. n. 17.

An iniuſtè infamatus per reuelationem ſui criminis occulti, ſed veri, teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi iuret alium fuiſſe mentitum. n. 18.

PRÆCIPVVM dubium hîc poteſt eſſe, an ad reſtitutionem famæ teneatur ille, qui bona fide exiſtimabat crimen eſſe publicum, & eadem bona fide illud narrauit, ex qua narratione proximus fuit infamatus, & in hoc caſu 1. *An ad reſtitutionem famæ teneatur ille, qui bona fide alterum infamauit.*

Statuo primò, qui hoc modo proximum infamauit, vel apud ſuperiorem, vel apud alium, etiamſi fraternæ correctionis cauſa fecerit, ſimul ac cognouerit errorem, tenetur ad reſtitutionem illius ſe retractando. *Concluſio prima.* Probatur facilè, quia is, qui tenet alienum, bona fide putans eſſe ſuum, ſimul ac cognouerit eſſe alienum, tenetur illud reſtituere, quia ex tunc poſſeſſor malæ fidei conſtituitur, & inuito domino retinet; ergo etiam ille, qui bona fide alterum infamauit, putans crimen eſſe publicum, aut verum, cùm cognouerit non ita fuiſſe, tenetur famam reſtituere; quia ex tunc conſtituitur retentor malæ fidei famæ alienæ, quam quodammodo detinet dum proximum bona fama apud alios priuauit in mentem aliorum, prauam opinionem inducendo, ita docet Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 22. num.* 115. (Leſſius.) & communiter omnes; & patet ex illo D. Pauli ad Roman. 1. 18. (D. Paul.) *Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.*

2. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, non teneri eam reſtituere cum graui

grau i ſuo incommodo, veluti cum propria infamia, vel magno damno; quia ſine culpa à principio eam abſtulit, ſicut ſi deprehendas equum, vel librum alterius, ſine culpa tua apud te eſſe; non tenetis illum ad dominum remittere magnis tuis expenſis; ita idem Leſſius *allegatus num.* 117. (Leſſius.) Vnde patet differentia in eo, qui alterum infamauit cum culpa, & ſine culpa ſua; quia ille, qui culpa ſua alterum infamauit, tenetur famam reſtituere cum detrimento etiam propriæ famæ; ille verò, qui abſque culpa ſua alterum infamauit, non tenetur cum graui ſuo damno eam reſtituere.

3. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, ſi is, qui infamatus fuit, ſine culpa infamantis interim aliquod damnum patiatur, vel impediatur ab officio, beneficio, vel illo iam adepto priuetur, non tenetur infamator ad reſtitutionem; quia non cenſetur eius cauſa iniuſta, cùm non cenſeatur cauſa iniuſta infamiæ, ex qua damnum illud ortum habuit, quod intelligendum eſt, antequam cognoſcat ſuum errorem; ſi enim poſtquam illud cognouerit, fuit in mora faciendæ reſtitutionis famæ, per retractationem dicti, & interim damnum illud eueniat, tenetur, quia mora nocet ei, per quem fit, & ab illo tempore, quo reſciuit, & potuit commodè reſtituere, & ſe retractare, & non fecit, cenſetur iniuſta cauſa infamiæ, & conſequenter damni ex illa proximo reſultantis, ita idem Leſſius *allegatus, num.* 118. & Filliucius *tomo* 2. *tract.* 32. *cap.* 9. *num.* 218. Syluester *verb. mora, num.* 3. & patet *ex l. debitor. ff. de vſur.* (Leſſius. Filliucius. Syluester.) Mora enim, & culpa, quoad reſtitutionem æquiparantur, vt notat idem Syluester *dicto verb. mora, num.* 4. & Fumus *verb. mora, num.* 2. (Fumus.) Tenetur enim moroſus ad omne intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, iuxta omnes DD. & iuxta Fumum, & Syluestrum *allegatos*; & patet ex text. *l.* 2. *ff. de eo quod certo loco, in fine*, docet denique Innocent. *in cap ſacro, de ſent. excom.* & gloſſa *in l. curabit, C. de act. empt.* & Panormitan. *in cap. conqueſtus, de vſuris*, vbi refert Ancharranum, & alios. (Innocent. Panormit.)

4. *Concluſio quarta.* Statuo quartò, ſi te narrante de aliquo, auditores alium intelligant, quàm tu velis, v. c. ſi narres de Antonio, & illi intelligant de Petro, ſicque Petro oriatur infamia, teneris ex charitate ad reſtitutionem, ſi commodè potes, non tamen ex iuſtitia, charitas enim poſtulat, vt damnum proximi impediamus, ſi abſque notabili incommodo poſſumus, & tua narratio non eſt cauſa directa illius infamiæ, ſed illorum praua intelligentia; ſic Leſſius *dicto tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 22. *num.* 119. (Leſsius.)

5. *An hæredes infamatoris.* Secundum dubium eſſe poteſt, vtrùm hæredes infamatoris teneantur ad reſtitutionem famæ, quando ipſe eam non reſtituit. Cui breuiter

Reſpondeo primò, hæredes infamatoris præciſè ad reſtitutionem famæ ſecluſæ à damnis à ſuo inſtituente ablatæ non teneri; cùm enim huiuſmodi obligatio reſpectu infamantium ſit merè perſonalis, non enim eſt ad aliquid dandum, ſed ad aliquid agendum, vt eſt etiam obligatio voti perſonalis, ieiunij, aut peregrinationis, & reſtitutio honoris ablati per contumeliam; inde eſt, quòd non transferatur ad hæredes, cùm non reſpiciat bona in quibus illi ſucceſſerunt; ſed perſonam in qua non ſucceſſerunt, nec poterant ſuccedere.

Reſpondeo ſecundò, teneri huiuſmodi hæredes ad reſtitutionem damnorum, quæ ex infamia illa emerſerunt, quia hæc obligatio reſtituendi damna emergentia non eſt purè perſonalis, ſed afficit etiam bona infamatoris. Vnde cum ea obligatione, & affectione ad hæredes infamatoris tranſeunt, veluti ſi defunctus incendiſſet per iniuriam domum alterius, hæredes illius tenerentur de damno, & non ſolùm hæc obligatio tranſit ad hæredes infamatoris reſpectu infamati, ſed reſpectu etiam hæredum ipſius infamantis; quare ſi is, qui ratione infamiæ damnum paſſus eſt in bonis patrimonialibus, & fortunæ mortuus fuerit, reſtitutio hæc tunc facienda eſt hæredibus illius, cùm ſuccedant in omnia pura defuncti; ſunt enim hæc pura veluti partes hæreditatis; ita Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 21. *n.* 112. & 113. & Nauarrus *in ſumma Lat. cap.* 18. *num.* 45. & Adrian. *quodlibeto* 11. (Leſſius. Nauarrus. Adrianus.)

6. *An Prælati, & iudices publici, & homines priuati poſſint condonare ſibi illatam infamiam.* Tertium dubium eſt, Vtrùm non ſolùm priuatus homo, ſed etiam Prælatus, & iudex publicus, reſtitutionem famæ ſibi debitam poſſint infamanti remittere, & condonare, & in hoc negotio,

Concluſio prima. Statuo primò, hominem priuatum hanc famæ reſtitutionem poſſe ex obiecto condonare, modò non ſit infamatus de hæreſi, aut crimine aliquo, ex quo infamia illius redundet in familiam, aut in liberos, ita vt liberi eius maneant de iure infames, vt de proditione patriæ, vel Principis, & de ſacrilegio, tunc enim non valeret remiſſio, & condonatio famæ, eſſet enim contra iuſtitiam facta in præiudicium tertij, vt dicemus infrà *in concluſione* 4. tunc autem eſſet talis, quando crimen impoſitum tale eſt, vt de iure filij, & parentes illius reddantur inhabiles ad officia, vel beneficia communia, aliàs ſemper erit valida, quamuis alioqui poſſit eſſe pernicioſa, quia quamuis vnuſquiſque ſit verus dominus ſuæ famæ, tamen illam cum graui præiudicio aliorum prodigere non poteſt, & peccaret mortaliter contra iuſtitiam in liberos, & cognatos, & contra charitatem in ſemetipſum, ſi id efficeret; ita Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *de detract. & contumel. dub.* 24. *num.* 124. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 3. *de reſt. bonor. extern. num.* 35. Nauarrus *in ſumma Lat. c.* 18. *n.* 56. & eſt communis. (Leſſius. Sayrus. Nauarrus.)

7. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, ſi ſit vir valde vtilis Reipublicæ, & bono publico, qui, v. c. ſuis concionibus, & doctrina multum proſit aliis, peccabit mortaliter contra charitatem erga omnes illos, quibus prodeſſe poterat, ſi ita reſtitutionem famæ ſuæ condonet, vt poſtea impediatur fructus conſuetus, infamator tamen ſi ipſe de facto condonet, nihil amplius ei tenebitur reſtituere ex iuſtitia; ex charitate tamen tenebitur, ſi commodè poſſit, quia tenetur ex charitate non impedire illud bonum, quod omnibus euenire poterat, cuius impeditionis cauſam dedit. Ita Leſſius *citatus, n.* 125. & Sayro item *allegatus, n.* 36. (Leſſius. Sayro.)

8. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, ſi ſit perſona publica, v. c. Prælatus, Epiſcopus, Rex, Paſtor, aut quælibet alia perſona gerens publicum munus, peccabit mortaliter contra iuſtitiam, reſtitutionem famæ propriæ condonando, niſi velit, & poſſit officium dimittere: dimiſſo autem officio, benè poterit condonare licitè, & abſque peccato; ita docet Sayrus *in Claui Regia, lib.* 11. *cap.* 3. *de reſt. bonor. extern. num.* 36. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. q.* 2. *art.* 3. *in fine, & lib.* 5. *q.* 10. *art.* 2. Nauarrus *in ſumma lat. cap.* 18. *num.* 43. (Sayro. Sotus. Nauarrus.) vbi aſſerit, teneri infamatum ad procurandam reſtitutionem famæ propriæ, quando eſt perſona publica; iuxta D. Gregorium *homil.* 9. *ſuper Ezechielem*, & D. Thomam 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. & D. Auguſtin. *in cap. nolo* 12. *q.* 1. *& in cap. non ſunt audiendi* 11. *q.* 3. & id idem docent Salon, & Aragonius, & alij quos citat, (D. Gregor. D. Thom. D. Auguſt.)

ac ſequitur Sayrus *allegatus*. Fundamentum eſt, quia ſuppoſito quòd quis vult retinere illa officia publica, tenetur in conſcientia retinere, & procurare media neceſſaria ad illa, rectè, & ſecundùm ius obeunda: medium autem neceſſarium ad illa obeunda eſt bona fama; vnde Prælatus, qui famam ſuam regendis, & promouendis ſubditis habet obſtrictam, & emancipatam, contra iuſtitiam faceret, condonando talem iniuriam, niſi ſubditi iudicarent, eum id ex humilitate facere, ſicut peccaret contra iuſtitiam pater, qui filios haberet alendos, & bona ſua proiiceret in mare; erant enim illa bona adſtricta illorum ſuſtentationi.

9. *An validè condonent.* Dubitant verò ſpecialiter hîc DD. an valida ſit ea condonatio in eo caſu, quo Prælatus, aut publicus iudex eam efficeret, officium retinendo; negat Leſſius *tomo* 1. *lib*. 2. *cap*. 11. *de detract. & contumel. num*. 127. & Sotus *lib*. 4. *de iuſt. q*. 6. *art*. 3. *ad* 4. Malderus *de iuſtit. tract*. 7. *de reſt. famæ, dub*. 15. *verſic. quartò dicendum*. Quia id, quod in præiudicium teſtis fit, non poteſt validè fieri. Vnde cùm ea condonatio fiat tunc cum præiudicio Reipublicæ, aut ſubditorum, poſito quòd iudex, vel Prælatus velit retinere officium, cum illa ineptitudine infamiæ; ſequitur quòd talis remiſſio inualida ſit, & contra iuſtitiam ſi fiat, officium retinendo; validam verò, ſi illud velit dimittere, & aliis modis famam recuperare. Nec obſtat, quòd vnuſquiſque ſit verus dominus famæ propriæ, & non ſubditi; nam etiam pater eſt verus dominus ſuorum bonorum, & tamen non poteſt condonare reſtitutionem eorum bonorum, quæ ſunt neceſſaria ad alendam prolem; ergo nec Superior poterit validè dimittere reſtitutionem famæ neceſſariæ ad gubernationem ſubditorum.

Leſſius. Sotus. Malder.

10. *Concluſio quarta.* Statuo quartò, non valere condonationem famæ, & eſſe factam contra iuſtitiam, & charitatem ſi infamia redundet in alios, v. c. in liberos, in ſubditos, aut in parentes, vel familiam, ita vt alij maneant vel de iure, vel de facto infames. Talis eſt infamia Religioſi, quando redundat in Monaſterium, aut in totum ordinem, vt ſi de Religioſo dicatur eſſe hæreticum, vel proditorem; talis enim infamia ab eo nec licitè, nec validè remitti poteſt; quia fit in præiudicium totius ordinis, aut Monaſterij, læditur enim bonum nomen ordinis, & redditur inde tota communitas valdè ſuſpecta plebi. Vnde etiam magno vellent Religiones eam infamiam redimere, ſi poſſent; ita Authores præcitati.

11. Nec obſtat, quòd Religioſus ſit dominus ſuæ famæ, quia non eſt dominus famæ totius Conuentus, quæ per illius infamiam violatur; vnde vt valida, & licita ſit remiſſio, opus eſt, vt de conſenſu totius communitatis fiat; vt docet Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib*. 2. *cap*. 11. *de detract. & contumelia, dub*. 24. *num*. 129. & Sayrus *in Claui Regia, lib*. 11. *cap*. 3. *de reſt. bonorum extern. n*. 38. idem de Monialibus, & Clericis, iuxta eundem Sayrum.

Leſſius. Sayro.

12. Talis eſt etiam infamia parentis reſpectu filiorum, præſertim de crimine hæreſis, proditionis, vel alio ſimili; quæ redundat in liberos, & ob id habentur inhabiles ad officia, & dignitates publicas. Idem de graui infamia filij, vel filiæ, ſi ſub paterna cura exiſtant, imò etiamſi non exiſtant, ſi tamen infamia illorum parentes ſuſpectos reddat, eadem enim in his omnibus eſt ratio; itaque quoties mea infamia à tua pendet infamia, non poteris ſine meo conſenſu illam condonare nec licitè, nec validè; ſecus de infamia vnius fratris reſpectu alterius. nam quando infamia vnius fratris, non aliter redundat in fratrem, quàm quòd dicetur fratrem, vel cognatum habere ſceleratum, valida tunc erit remiſſio illius ſine conſenſu alterius fratris; vt docet Leſſius *modò allegatus, num*. 129. *fine, & num*. 124. Leſsius.

13. *An qui ſe mutuo infamarunt à reſtitutione excuſentur.* Quartum dubium eſt, vtrùm in reſtitutione famæ fieri poſſit compenſatio. Et primùm quæri poteſt, an qui ſe mutuò ad inuicem infamarunt, à reſtitutione excuſentur. Negant omnino Nauarrus *in manuali Latino, cap*. 18. *num*. 46. *&* 47. & Caietanus 2. 2. *q*. 62. *art*. 2. & Petrus Nauar. *lib*. 2. *de reſt. cap*. 4. *n*. 395.

Nauarrus. Caietan. Petr. Nauar.

Primò, quia damnum alteri illatum per reciprocam infamiam non tollitur, ſicut tollitur debitum vnius per reciprocam debitum alterius; *l*. 1. *ff. de compenſat*.

Secundò, quia quando alter non poſſet reſtitutionem ab infamatore ſuo accipere, ſequeretur, quòd in recompenſationem poſſet licitè eum ſimiliter infamare; quod non eſt dicendum, eſt enim hoc genus vindictæ.

14. Affirmant tamen alij probabiliùs, & ſpecialiter Toletus *in ſumma, lib*. 5. *cap*. 70. Adrianus *in* 4. *q. penult. de reſt*. §. *circa prædicta*. Sotus *lib*. 4. *de iuſtit. q*. 6. *artic*. 3. *ad* 4. Angles *in* 4. *de reſt. famæ, dub*. 3. Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib*. 2. *cap*. 11. *de detract. & contumel. dub*. 25. *num*. 133. Filliucius *tomo* 2. *tract*. 32. *cap*. 9. *num*. 248. *fine*. Salonius 2. 2. *q*. 73. *artic*. 2. *controuerſia* 23. Rebellus *q*. 13. Malderus *de iuſtit. tractat*. 7. *cap*. 2. *de reſt. famæ, & honoris, dub*. 14. Fundamentum eſt, quia licèt quis grauiter peccet in genere vindictæ eum infamando, qui ſe priùs iniuſtè infamauit, tamen ille, qui alium infamauit, ſe prius infamantem, non tenetur ei ad reſtitutionem, ſi ipſe famam ſibi priùs reſtituere nolit. ſed poteſt vti compenſatione, ſeruata iniuriæ æqualitate, quantum fieri poteſt, licèt enim per reciprocam infamiam non tollatur damnum infamiæ priùs datum, compenſatur tamen, & tollitur debitum reficiendi illud, ſicut qui incendit domum eius, qui antea ſuam incenderat, non tollit damnum datum, ſed compenſat; peccat tamen, quia non eſt reddendum malum pro malo; nec eſt vindicta ſumenda priuatim, vt patet; itaque non eſt negandum dari hîc compenſationem, quaſi indirectam, & per modum detentionis, quando damnum inæquale eſt, directam verò & omnimodam, quando damnum eſt æquale, & nulla eſt ſpes, quod infamator ex altera parte reſtituet. Vnde ſi hæc obligatio reficiendi iniuriam, tollitur per mutuam infamiam, altero inuito, vt probatum manet; à fortiori mutuo conſenſu tolletur, contra Caietanum *allegatum*, qui hoc ipſum negat, quæ omnia intelligenda ſunt de iis, qui licitè, & validè poſſunt facere condonationem infamiæ ſibi irrogatæ, quorumque infamia non pertinet ad ſubditos, vel liberos, vt *ſuprà* diximus *num* 10. 11. *&* 12.

Toletus. Adrianus. Angles. Leſſius. Filliucius. Sotus. Salon. Rebellus.

15. Dixi, *ſeruata æqualitate, quantum fieri poteſt*, quia ſi alter alterum multo grauius infamauit, detegendo plura crimina, tenetur adhuc ad reſtitutionem maioris infamiæ, ſicut in debitis pecuniariis contingit; vt de ſe patet, & docet Leſſius *allegatus num*. 134.

16. Ex dictis patet, neminem poſſe licitè illum viciſſim

viciſſim infamare, qui ſe priùs infamauit; eſt enim hoc genus vindictæ, quam nemo poteſt licitè priuata authoritate ſumere; ſpectat enim publica punitio, & vindicta criminum ad iudices, & ad eos, qui habent publicam poteſtatem.

17. Si tamen aliquis te velit iniuſtè infamare, & tu non poſſis alia ratione eam infamiam auertere, licitè poteris illius aliquos defectus occultos aperire, ne illi fides habeatur; v.c. poteris dicere illi fidem non eſſe habendam, eo quòd aliàs in mendacio, vel periurio ſit deprehenſus; ita docet Leſſius *tomo 1. lib. 2. c. 11. de detract. & contumel. dub. 25. num. 131.* & Sotus *lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 4.* & ratio eſt, quia vnuſquiſque habet ius tuendi non ſolùm propriam vitam, ſed etiam famam cum debita moderatione, quando aliter iniuriam vitare non poteſt; ſi tamen criminis, & defectus alieni detectio non ſit vtilis ad defenſionem tuæ famæ, tunc illicitum erit detegere; quia erit mera vindicta.

Leſſius. Sotus.

Item ſi alia via tuam famam tueri poſſis, v.c. iurando te non feciſſe talem rem, vel admonendo teſtes, tunc quidem peccatum mortale erit contra charitatem defectus occultos proximi aperire ad fidem ei detrahendam, quia lædis illius nomen pluſquam neceſſe eſt: ita Leſſius *allegatus num. 132.* Credo tamen eſſe peccatum contra iuſtitiam, non contra charitatem; vt docent communiter DD. Sayrus *in Claui Regia, lib. 11. cap. 4. de ſecundo infamandi modo, num. 6.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 395.* & tandem hanc opinionem ſequitur Leſſius *allegatus dicto num. 132.* Quamuis ille dicat ſe propter authoritatem DD. hoc aſſerere, non propter rationem; quia nemo tenetur ex iuſtitia recurrere ad iſtos faciliores malos tuendi propriam famam; ſed ex charitate tantùm; communis tamen opinio præualet, quia ex iuſtitia tenetur quis ad illos ſolùm modos recurrere, qui neceſſarij ſunt ad tuendam propriam famam; non autem ad alium infamandum, ac proinde tenetur ex iuſtitia ad faciliores modos recurrere, vt patet, ſolùm enim ius habet tuendi ſeſe; non verò infamandi alterum ſine ſui tuitione.

Leſſius. Sayro. P.Nauarra.

18. Hîc dubium eſſe poteſt, an iniuſtè diffamatus, ſi cum iuramento neget occultum ſuum crimen ſibi obiectum, quod alter iniuſtè detegit, vt dum occultus concubinarius ait accuſatorem fuiſſe mentitum, teneatur ad reſtitutionem famæ accuſatoris, vel denunciatoris, ſi, negando ſuum crimen, colligatur fuiſſe alium mentitum, aut falsò fuiſſe locutum. Reſpondeo non teneri; ita Nauarrus *cap. 18. num. 28.* peccabit tamen mortaliter, quia mendacium iurat iuſta. Graphis *lib. 2. deciſ. aur. cap. 130. num. 13. & iuxta eundem Nauarrum*; ſi verò citra iuramentum negauerit, venialiter tantùm peccabit, quia non perniciosè mentitus eſt, cùm habeat ius celandi. ita Sotus *lib. 4. de iuſtit. q. 6. artic. 3. col. 7. verſ. Tertius modus.* Vera tamen reſolutio huius dubij pendet ex iis quæ diximus *cap. 3. num. 6. & 7.* vbi reſoluimus, illum qui alterum infamauit, verum, ſed occultum illius crimen detegendo, quod in iudicio probare non potuit, teneri ei famam reſtituere, iurando ſe fuiſſe mentitum quando cætera ſunt paria, & fama aliter reſtitui non poteſt, quo caſu licitè iurat, vt *ibidem num. 7.* diximus.

An iniuſtè diffamatus teneatur ad aliquam reſtitutionẽ, ſi iuret alium fuiſſe mentitum. Nauarr. Graphis. Sotus.

Capvt XVII.

Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ, & an honor ſit etiam reſtituendus, & quomodo, & quid à reſtitutione illius ſimiliter excuſet.

SVMMARIVM.

Referuntur cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ. num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Quibus modis lædatur honor. num. 7.

An qui honorem alterius omiſſione lædit priuatiuè illum, ſcilicet non honorando, teneatur ad reſtitutionem honoris illius. num. 8.

Quid ſi illum lædat per commiſſionem, ſeu poſitiuè aliquem conuitiando, vel publicè coram aliis, vel ſecretò illo præſente, & cæteris remotis. num. 9.

Quomodo ſuperiores poſſint reſtituere honorem ſuis ſubditis à ſe iniuſtè ablatum. num. 10.

Quo modo inferiores illum debeant reſtituere ſuperioribus. num. 11.

Quomodo æquales ibid. & num. 13.

Quam ſatisfactionem poſſint iudices infamatoribus imponere, & quæ impoſita fuerit per Senatum Pariſienſem in Regno Galliæ infamatoribus Patris Societatis Iesv. *num. 12.*

An petita venia iniuriarum, cenſeantur omnes remiſſæ. num. 13. 14. & 15.

An iniuriam paſſus teneatur eam remittere, & quatenus. num. 16.

MVltæ ſunt cauſæ excuſantes detractores, & infamatores à reſtitutione famæ. 1.

Cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ.

Prima eſt iuſta condonatio, tunc autem eſt iuſta, quando infamia non redundat in alios, vt diximus *cap. præcedenti, num. 10. 11. & 12.* vt infamia facta Religioſo, quæ redundat in Religionem, vel facta parenti, quæ redundat in filios, ita Filliucius *tomo 2. tract. 32. cap. 9. num. 248.* Leſſius *lib. 2. de reſtit. cap. 11. de detractat. & contumel. dub. 24. & 26.*

Filliucius. Leſſius.

Secunda, excuſat iuſta compenſatio, vt diximus *cap. præced. num. 14.* 2.

Tertia, ſi fama via alia, v.c. virtutum actibus, aut alia quauis ratione ſit recuperata; vt probauimus *cap. 14. huius libri num. 2.*

Quarta, ſi infamia ſit iam apud omnes obliuione ſepulta, & nulla ſit memoria illius, vt etiam probauimus *cap. 14. huius libri n. 4.*

Quinta, excuſat ſi ſit reſtitutio impoſſibilis, talis autem erit reſtitutio famæ præciſæ, ſi non poſſit fieri, niſi cum vitæ iactura, neque enim tenetur quis cum periculo vitæ famam alterius reſtituere, vt docet Filliucius *tomo 2. tractat. 32. cap. 9. num. 248.* Leſſius *tomo 1. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 15. & 16.* & nos latè docuimus *cap. 1. huius lib. num. 2.* Malderus *de iuſtit. tractat. 7. cap. 2. de reſtit. famæ, dub. 9. fol. mihi 554. col. 2.* 3.

Filliucius. Leſſius. Malderus.

Sexta, ſi non poſſit fieri ſine amiſſione famæ, quæ ſit longè præſtantior, quàm fama ablata, vt ſi Prælatus, vel Princeps, vel vir nobiliſſimus debeat infamari, ſi reſtituat famam plebeio, ſatis enim tunc erit illum laudare, vel impetrare compenſationem pecunia, iuxta ea, quæ diximus *cap. 15. num. 4.* & docet Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 70.* Corduba *lib. 1. q. 33. artic. 2.* Couar 4.

Toletus. Cordub.

Couarr. Sotus. Leſſius. Couarruuias *ad regul. peccatum*, 1.*part. num.*8.§.*Tertio adultera*, Sotus *lib.*4. *de iuſtit. q.*6. *artic.* 3. *ad* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.*11. *de detract. & contumel. dub.* 26. *num.*138.

5. Septima cauſa excuſans eſt, ſi crimen ſit publicum in vno loco, & in alio vbi ignoratur, publicetur, iuxta ea, quæ diximus *cap.*4. *huius libri, à num.* 3. *&* 4. & deinceps.

Octaua, ſi bona fide aliquis infamauit alium, exiſtimans illius crimen occultum, publicum eſſe, iuxta ea, quæ probauimus *in cap.* 16. *huius libri num.* 1. 2. *&* 3. Nam ſi bona fide quis exiſtimabat, verum eſſe crimen, & publicum, & ſic infamauit proximum, non tenetur illi famam reſtituere, cum graui ſuo incommodo; ſi poſtea ſuum cognoſcat errorem, tenetur tamen ſi leue, vel nullum ſit incommodum: damnum autem, quod interim paſſus eſt infamatus, non tenetur reſtituere, quia non fuit eius directa cauſa; poſtquam tamen reſciuit, tenetur impedire ſi malum aliquod inſtet, & poſſit Leſſius. Filliucius. ſine graui ſuo incommodo; ita Leſſius *tomo* 1. *lib.*2. *cap.*11. *de detract. & contumel. dub.*22. & Filliucius *tomo* 2. *tract.*32. *cap.*9. *n.*248. & alij, quos *ſuprà in c.*4. *n.*2. *&* 3. citauimus.

6. Nona cauſa excuſans eſt, ſi crimen occultum, quod aliquibus dixiſti ſub ſecreto, alia ratione fiat Leſſius. publicum, ita Leſſius *tom.* 1. *lib.*2. *cap.*11. *de detract. & contumel. dub.*13. *& dub.*26. *n.*137.

Decima eſt, ſi reuera ex reuelatione alicuius nulla fuit infamia ſecuta, quod ſæpe accidit; vel, quia infamator, ac reuelator homo erat nullius fidei, vel quòd illi apud quos id manifeſtauit, iam aliquid ſciebant, ita vt infamia non ſit notabiliter ſecuta. Leſſius *citatus dub.*26. *num.*138. *verſ. decimo.*

7. *Quibus modis lædatur honor.* Honor læditur multis modis, & præcipuè duobus.

Primò per omiſſionem honoris, & reuerentiæ debitæ ſuperioribus, aut æqualibus; quod quidem eſt contra virtutem obſeruantiæ.

Secundò, commiſſione, id eſt, vel contumeliis, irriſionibus, alapis, ſannis, & his ſimilibus; ſicut enim honoramus aliquem per ſigna externa, quibus illius excellentiam reueremur; ita vituperamus ſignis aliis externis, quibus vilitatem eius perſonæ per contemptum oſtendimus.

8. Certum igitur eſt, eum qui honorem alterius lædit amiſſione tantùm, non teneri per ſe ad reſtitutionem. Probatur, quia tantùm facit contra obſeruantiam, quæ non eſt ſpecies iuſtitiæ, ſed pars Leſſius. potentialis illius, ita docet Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib.*2. *cap.*11. *de detract. & contumel. dub.*27. *num.*142. Filliucius. & Filliucius *tomo* 2. *tract.*32. *cap.*9. *num.*251. Dixi *per ſe*, quia *per accidens* poteſt aliquando omiſſio honoris eſſe contumelia interpretatiuè, vt ſi honorantibus aliis Paſtorem, vel Principem prætereuntem, aliquis ſine vllo ſigno honoris eum aſpiciat; ordinariè tamen omiſſio honoris debiti ſuperioribus, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed contra obſeruantiam, vnde per ſe non obligat ad reſtitutionem; patet, quia aliud eſt offendere honorem alicuius poſitiuè, aliud priuatiuè; ſicut aliud eſt non honorare, aliud contumeliam irrogare, hoc tamen non tollit quominus ratione alicuius contumeliæ interpretatiuè, quæ illi omiſſioni iniuncta eſt, teneatur aliquis ad reſtitutionem honoris; vt iam diximus, v.c. ſi aliis honorantibus Epiſcopum prætereuntem, illum ſine vllo honoris ſigno imprudenter aliquis aſpiciat, ſic docent Leſſius, & Filliucius *allegati.*

9. Certum etiam eſt, eum qui lædit iniuſtè alterius honorem per commiſſionem, teneri ad reſtitutionem, ſiue publicè coram aliis lædat, illo abſente, ſiue priuatim, præſenti tantùm ipſo, quem contemnit; eſt communis doctrina, eam docet Leſſius *tomo* 1. *lib.*2. *cap.*11. *de detract. & contumel. dub.*27. *n.*139. Leſſius. Filliucius *tom.*2. *tract.*32. *cap.*9. *num.*252. Probatur Filliucius. facilè, quia facit ei iniuriam; vt patet ex dictis. Cõfirmatur ex illo Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis*, id eſt, iuxta omnes interpretes, qui graui, & mortifera contumelia proximum ſuum affecerit, grauiter, & mortiferè peccat. & ſtatim additur, *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* Igitur tenetur quis dare ſatisfactionem pro contumelia alteri illata, quod nihil aliud eſt, quàm ad reſtitutionem teneri; vnde qui aliquem dehonorauit apud alios, in eius abſentia, tenetur apud ipſos hanc reſtitutionem facere, hoc enim ipſo, quòd eius dignitas, & honor, apud eos per illum imminutus eſt, tenetur apud illos eum redintegrare, & ſi præſenti tantùm illo eum contumelia affecit, remotis arbitris, illi tantùm hanc ſatisfactionem, ſeu reſtitutionem tenetur exhibere. nam licèt alij remoti ſint, tamen iniuria per contumeliam illi fuit facta, quæ neceſſariò poſtulat ſatisfactionem, ſi nolis appellare reſtitutionem. Cùm enim Chriſtus Dominus dixit, *Qui dixerit fratri ſuo, fatue*, & addit, *Vade reconciliari fratri tuo*, non dixit, qui dixerit fratri ſuo coram aliis, fatue; ſed dixit abſolutè, *Qui dixerit fratri ſuo, fatue*, vt ſignificaret hanc reconciliationem, ſeu potiùs ſatisfactionem dandam eſſe; & illi deberi, ſiue coram arbitris, ſiue remotis arbitris, honor illius contumeliæ læſus fuerit.

Hæc autem ſatisfactio, ſeu reſtitutio multis modis fieri poteſt, qui omnes reducuntur ad tres. 10. *Quibus modis reſtituatur.*

Primò enim reſtitui poteſt honor per contumeliã ablatus, ſeu imminutus, amica, & honorifica ſatisfactione, & appellatione, & hic modus ſatis eſt ſuperioribus, Prælatiſque erga ſuos ſubditos; Regi erga vaſallos, viris nobiliſſimis erga plebeios; non enim tenentur ij adeò ſe ſe dimittere, vt veniam petant. Ita docet Leſſius *tomo* 1. *lib.*2. *cap.*11. *de detract. & contum. dub.*27. *n.*144. Caietanus 2. 2. *q.*72. D. Aug. *in reg de ſuperioribus.* Leſſius. Caietan. D. Auguſt.

Secundò, petitione veniæ, quod debent facere inferiores erga ſuperiores, & etiam æquales inter ſe; ita Authores allegati; ſi enim læſus hanc ſatisfactionem iuſtè exigat, nec aliam velit, tenebe- 11. ris petere veniam ſi ſis inferior, vel æqualis; eſt enim hic modus ad reſtituendum honorem læſum efficaciſſimus; imò, vt notat Leſſius *citatus num.* 145. ſi atrox ſit iniuria, & honor valdè læſus, non ſufficiet aliquando ſimplex veniæ Leſſius. petitio: tunc enim poteſt iuridicè exigi maior humiliatio, v. c. vt ſcilicet flexis genibus cum fune collo appenſo veniam petat infamans; ſed ipſe tamen infamans non tenetur ſic hanc ſatisfactionem præſtare ante ſententiam iudicis, cùm iam apud omnes ferè nationes in more poſitum ſit, vt pro ſummis iniuriis non teneatur quiſquam extra iudicium maiorem ſatisfactionem alteri exhibere, quàm per humilem veniæ petitionem cum ſignis doloris, quòd ſi læſus maiorem velit, eam per iudicem curet infligi, vt communiter docent Authores, vide Leſſium *allegatum num.* 145.

Iudices autem hanc ſatisfactionem imponere debent, 12.

debent, vt ſcilicet infamans, ac lædens reſte collo appenſa publicè veniam petat, præſertim ſi iniuria viro nobili, aut religioſo Ordini illata fuerit; quo pacto in florentiſſimo Galliarum Regno, non multi ſunt anni, tempore huius Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIII. qui modò Dei clementia, & indulgentia florentiſſimum illud imperium iuſtiſſimè, & prudentiſſimè, vt fama eſt, regit, ac gubernat, Ioannes Antonius Iouilianus, Bibliopola Caluinianus Lutetiæ Pariſiorum, publica ſententia nobiliſſimi illius Senatus damnatus fuit, eo quòd libellum famoſum Anticottonio titulo inſcriptum à Caluiniſtis editum, malitioſè ſparſiſſet contra Patres Societatis IESV illius Regni, in quo à Caluiniſtis prædicti Patres vafrè admodum de Regicidio paterno inſimulabantur; edictum, ſeu ſententia Senatus, vt refert Becanus *tomo 2. quæſt. miſcel. opuſculo 7. priuilegior. Caluiniſtarum fol. mihi 403.* ſic habet. *Ex Conſilij ſententia, audito ſuper hac cauſa Procuratore Regio, quòd ad reparationem eorum caſuum, qui fuſius in ipſo litis inſtrumento continentur, Ioannes Antonius Iouilianus damnatus eſt, ipſúmque damnamus ad mulctam honorariam foro faciendam ipſo die fori, cùm forum agitur, vbi nudato præter induſium corpore, apertóque capite, flexis genibus, ſuſpenſa è collo reſte, ac facem pondo duarum librarum manu geſtans, alta voce, vt exaudiri poſſit, renunciabit, quod ſceleſtè, & malitioſè per diuerſa huius vrbis loca proiecerit, & ſparſerit, folia, ſeu chartas impreſſas extractas ex libro quodam pernicioſo, & maligno, qui Anticottonius inſcribitur, ad turbandam quietem publicam, excitandas turbas, & ſeditionem in hac ciuitate mouendam compoſito, quod fuſius habetur inſtrumento litis, cuius facti petit à Deo, Rege, & iuſtitia veniam; in ipſius autem præſentia prædicta folia, ſeu chartæ frangentur, & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdicimus ſub pœna capitis, ne ſimile quid committat in poſterum. Cæterum ad quinque integros annos Regni Galliæ exilio illum mulctauimus, & mulctamus*, &c.

Becanus.

13. Tertiò, inuitando ad menſam, dando locum honorificum; qui modus ſæpè ſufficit inter eos etiam, qui ſunt paris conditionis, & inter ſe æquales; vt docet Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 4. num. 63. & ſequentibus.* Leſſius *tomo 1. de iuſt. lib. 2. cap. 11. de detract. & contumel. dub. 27. num. 144.* Filliucius *tomo 2. tract. 32. cap. 9. n. 254.*

Petr. Nauar. Leſſius. Filliucius.

14. Si autem aliquis petat veniam omnium iniuriarum, & alter eam concedat, non cenſetur condonatæ; niſi iniuriæ, quas veroſimiliter condonaret, ſi ſciret illarum qualitatem; itaque ſi aliqua illum latet, quam ſi ſciret, nollet ſine ſatisfactione condonare, non cenſebitur illam condonare; ignorantia enim reddit illam condonationem inuoluntariam, niſi alioqui tam amplam condonationem faceret; vt videatur omnes omnino iniurias voluiſſe remittere ac condonare, dicendo ſe omnes omnino iniurias illi remittere, quantumuis multæ, & graues.

15. Sic in debitis pecuniarum, quando petimus totius debiti remiſſionem, non ſufficit, vt dominus illam concedat ſi debitum ſit ampliſſimum, niſi alioqui dicat ſe totum debitum condonare, licèt ſit ampliſſimum; modò ſit diues, & poſſit remittere. nam ſi habeat filios alendos, non poterit in tanta quantitate remittere, vt patet.

16. In iniuriis autem duo communiter reperiuntur. Primum eſt odium, ſeu rancor animi, quo iniuriam paſſi communiter afficiuntur erga illos, qui ipſos infamant, & afficiunt iniuriis.

Secundum eſt ſatisfactio ipſius iniuriæ, & actio ad hanc ſatisfactionem in iudicio petendam.

Primum iniuriatore, etiam & infamatore non petente, tenetur iniuriam paſſus è corde dimittere, imò nunquam id debet admittere; & non eſt abſoluendus donec dimittat, quia non licet aliquem odio habere; vt conſtat ex *cap. cùm in lege 23. q. 4.* & ex *cap. inter verba, 11. q. 3.*

Secundum, id eſt, ipſam ſatisfactionem, & actionem ad illam in iudicio forenſi repetendam, non tenetur iniuriam paſſus dimittere, nec etiam veniam cum lacrymis iniuriante petente; ſed poterit in iudicio hanc ſatisfactionem vrgere, vt docet gloſſa *in cap. ſi quis contriſtatus 90. diſt.* & patet ex *cap. ſi illic 23. q. 4.* imò aliquando melius erit hanc ſatisfactionem non admittere; vt optimè animaduertit Sylueſter *verb. iniuria q. 5. num. 7.* quod iudicabit prudens ex circumſtantiis. Cui autem competat iniuriarum actio, & quanti condemnabitur reus in hac actione, & quomodo tollatur, aboleatúrque actio iniuriarum, partim dictum manet in ſuperioribus, partim non eſt huius loci, & ad forum iudiciale ſpectat; conſulatur tamen interim, ſi opus fuerit, Sylueſter *verb. iniuria, num. 7. 8. 9. & 10.* Sylueſter.

Capvt XVIII.

Quam iuriſdictionem iudex requirat, & an ex defectu illius teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Quid ſit iudicium, quid forus, & vnde dictus. num. 1.
Quid ſit iudex. num. 2. & 3.
Fundamentum iudicij, & iudicis, & iuriſdictio. num. 4.
Quas qualitates debeat habere iudex, & qui poſſint eſſe, vel non eſſe iudicis. num. 5.
Quinque modis poteſt aliquis dici, & eſſe ſubditus alterius, n. 6. vſque ad 12.
An Moyſes fuerit legatus Dei in Ægypto. num. 7.
An ſolo conſenſu ſit aliquis alteri, quoad iuriſdictionem, ſubiectus. num. 8.
An ratione delicti in alieno ſolo perpetrati ſortitur quis forum. num. 9.
An delinquens priuilegiatus debeat iudicari à iudice ſui priuilegij, an à iudice ſoli, in quo delictum commiſit; quando ſolum erat alienum. num. 10. & 11. *Et quid quando ſunt priuilegiati à ſede Apoſtolica.* ibid.
Quomodo quis ratione iniuriæ ſubdito alterius Principis illatæ, ipſi maneat ſubiectus. num. 12.
Peccat lethaliter iudex vſurpatione iudicij, & tenetur ad reſtitutionem damnorum, qui iudicat non ſibi ſubditum. num. 13. & 14.
An iudices ſeculares peccent vſurpatione iudicij, ſi Clericos ad ſua iudicia trahant in criminalibus, & quid de Clericis in minoribus affixis, aut non affixis alicui Eccleſiæ. num. 15.
Coram quo iudice debeant Clerici probare ordines etiam minores habitum, & tonſuram, an coram ſeculari, an Eccleſiaſtico. num. 16.
Quando dubitatur an habitus ſit Eccleſiaſticus, an ſecularis, quis tunc ſit iudex. Refertur prima opinio aſſirmans eſſe iudicem ſecularem. num. 17.
Præfertur ſecunda aſtruens eſſe iudicem Eccleſiaſticum. num. 18.
In quo carcere interim ſeruandus eſt. num. 19.

An

An Clerici etiam in minoribus conſtituti, & coniugati, gaudeant priuilegio fori in rebus etiam mere ciuilibus, ſi habeant qualitates requiſitas à Concilio Tridentino. Refertur prima opinio affirmatiua. num. 20.
Refertur ſecunda communior negans. num. 21.
An illo gaudeant in reconuentione. num. 22.
A quo iudice condemnandi ſint in amiſſione armorum, ſi Clerici de nocte cum illis fuerint inuenti. num. 23.
An poſſint tunc abſque excommunicatione comprehendi à miniſtris iuſtitiæ ſæcularis. num. 24.
An peccent iudices ſæculares vſurpatione iudicij extrahentes vi, & fraude delinquentes ab Eccleſia, quando illa gaudent. num. 25.

1\. AD rectum, & iuſtum iudicium conſtituendum multæ perſonæ concurrunt; quædam eſſentialiter, quædam accidentaliter ad illud requiruntur; quæ eſſentialiter ad illud concurrunt, & ſine quibus iudicium conſtare non poteſt, ſunt quatuor, quælibet ſi deficiat, iudicium nullum erit. *Prima eſt* iudex. *Secunda* actor. *Tertia* reus. *Quarta* teſtis, patet ex *cap. forus, de verb. ſignific.* Reliquæ accidentaliter ad illud concurrunt; vt Aſſeſſor, Aduocatus, ſeu Procurator, Tabellio, ſeu ſcriba, Executor, & ſi quæ ſunt aliæ perſonæ, quæ ad perfectiorem, & faciliorem expeditionem iuſtitiæ, non ad conſtitutionem iudicij requiruntur. *Iudex* requiritur ad iudicandum, & ferendam ſententiam. *Accuſator* ad accuſandum, neque enim alicuius iudicis eſt ſine accuſatione aliquem damnare; vt conſtat ex illo Chriſti Domini *Ioan.* 8. de adultera. *Vbi ſunt (inquit) qui te accuſabant, nemo te condemnat? nemo Domine. Nec ego te condemnabo, vade, & iam noli amplius peccare. Reus* ad ſe defendendum, & reſpondendum pro ſe, ſicut enim non datur iudicium ſine iudice, qui iudicet, ita nec eſſe poteſt ſine reo, qui condemnetur, vel abſoluatur, videlicet is eſt, qui in iudicio accuſatur, impeti turque ſuper re aliqua ciuili, vel criminali. *Teſtis* requiritur ad probandum: nam non eſt regulariter loquendo condemnationis ſententia proferenda, niſi prius reus vel culpam ſuam in iudicio fateatur, vel per legitimos, & probatos teſtes iuridicè examinatos conuincatur. *Aſſeſſor* requiritur ad conſulendum iudici, cum ipſe non eſt ſufficienter iuris prudentia peritus. *Aduocatus* ad defendendum, & dirigendum, vel reum, vel actorem. *Tabellio* ad ſcribenda acta, ne memoria excidant. *Executor* requiritur, vt ſententia effectum conſequatur. Vnde quando iudex eſt ſufficienter peritus, aſſeſſore non indiget, & quando actor, & reus ſimiliter ſufficientem iuris peritiam habent, poteſt ſine Procuratore, & Aduocato iuſtum conſtare iudicium; cum autem Tabellio ſolum requiratur ne acta memoria excidant, & vt fides publica actis habeatur, & iudicium aliquando breuiſſime, & ſummariè ſine proceſſu calamo exarato fieri poſſit, & ſententia per ipſum iudicem executioni mandari, ſequitur vt ad ſubſtantiam iudicij nec Aſſeſſor, nec Tabellio, nec Procurator, nec executor requirantur, vt diximus. Cum verò huiuſmodi perſonæ quæ ad eſſentiam iudicij ſunt neceſſariæ, multis modis falſitatem in iudicio committere, & à veritate deficere poſſint, & ad reſtitutionem obligari, de his omnibus perſonis, & de obligationibus illarum ſigillatim agemus, vt totam materiam huius capitis complectamur.

Iudicium quid ſit. Iudicium, vt patet ex *cap. forus, de verb. ſignificat.* & gloſſa *ibi, verb. iudicium*, eſt legitimus actus duarum perſonarum, ſuper eadem quæſtione, ſub eodem iudice contracta. Aliquando pro foro ſumitur; eſt autem forus, locus exercendarum litium à fando dictus, ſiue à Foroneo Rege, qui primus Græcis leges ad lites decidendas dedit, vt videre eſt *in prædicto cap. forus, de verborum ſignificatione.* *Forus quid & vnde dictus.*

2\. Vnde iudex ille eſt, qui inter duos litigantes ita debet proferre ſententiam, vt alter illorum fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam fuiſſe; alioqui niſi ita fiat, non ceſſabunt à lite, ſed vterque ſuam cauſam proſequetur; ita illum (& bene) deſcribit Becanus *tomo 3. miſcel. quæſt. folio mihi* 540. Dicitur iudex à iure, quaſi ius dicat. *Iudex quis.* *Becanus. & vnde dictus.*

3\. Omnis autem iudex, vel eſt ordinarius, vt eſt Papa, vel in cauſis ſpiritualibus in toto orbe, Epiſcopus in ſua diœceſi; Rex in toto ſuo Regno in cauſis temporalibus, vel delegatus, aut ſubdelegatus; vt eſt Legatus Papæ, qui ex commiſſione illius iuriſdictionem habet in Regno, vel Prouincia ad quam mittitur, vel arbitrarius, qui nullam poteſtatem habet ex ſe, ex conſenſu tamen, & compromiſſione partium litigantium in iudicem ad cauſam definiendam eligitur, & omnes alij iudices ad illos reducuntur, ex doctrina D. Th. 2. 2. q. 67. art. 1. Armillæ *verb. Iudex, n.* 1. Gabrielis *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 6. *initio.* *D. Thom. Armilla. Gabr.*

4\. Primum ergo quod requiritur in iudice, eſt iuriſdictio; vt docet Sanchez *lib. 2. de matr. diſp.* 36. *num.* 3. & patet ex *l. hoc autem, ff. ex quib. cauſ. in poſſeſ. §. non defendi.* Vnde iudex ſi in fundamento ſuæ iuriſdictionis erret, non valet id quod agit; eſt autem iuriſdictio poteſtas iudicis ad pronunciandum ius populo, inde iudex dictus, quaſi ius dicens populo diſceptanti; vnde dicitur in Deuteronom. 16. *Iudices, & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio, neque in alteram partem declinent; non accipies perſonam, neque munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* *Iuriſdictio conſtituit iudicem.*

5\. Notari autem velim, id quod iam notarunt Alexander Halenſis *part.* 3. *q.* 40. *num.* 4. & Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 6. *notabili* 5. in ſacra pagina *Deuteron.* 1. iudicium dici iudicium Dei, ibi, *Dei iudicium eſt*; gerit enim iudex vicem Dei in diiudicando: vnde in tribus Deo conformari iudex debet; *in poteſtate, ſeu iuriſdictione, in veritate, in bonitate.* Poteſtas, ſeu iuriſdictio conſiſtit in authoritate, & ſuperioritate; veritas iudicis in diſcretione; bonitas in rectitudine animi. Vnde *Deuteronom.* 16. ſic dicitur. *Iudices, & magiſtros conſtitues, in omnibus portis tuis.* Ecce authoritas poteſtatis, & iuriſdictionis; erant enim olim apud Hebræos tribunalia iuſtitiæ conſtituta in portis vrbium, vt iuſtitia omnibus pateret ruſticis, & vrbanis; additur, *vt iudicent populum iuſto iudicio.* Ecce veritas, ſeu iudicium veritatis. *Nec in alteram partem declinent.* Ecce rectitudo animi, & quidem hæc etiam tria requiruntur in iudice. Deuteronom. 1. *Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, quorum conuerſatio ſit proba, & ponam ex vobis Principes*, in vltimis verbis, *ponam ex vobis Principes*, demonſtratur authoritas, ſeu iuriſdictio poteſtatis; in primis, *viros ſapientes, & gnaros*, diſcretio veritatis: in mediis, *quorum conuerſatio ſit proba*, rectitudo bonitatis indicatur. Propter defectum poteſtatis mulieres iure naturali ſunt incapaces officij iudicandi, ratione ſexus, quia poſt peccatum dictum eſt eis, *ſub poteſtate viri eris*, Geneſ. 2. Vnde Deuteron. 1. *Date ex vobis viros*, & 18. dixit Ietro Moyſi, *Prouide viros, qui iudicent*, non

Alexand. Halenſis.

Quas qualitates debeat habere iudex, & qui poſſint eſſe, vel non eſſe iudices.

Tribunalia iuſtitiæ apud Hebræos erant in portis vrbium.

Mulieres iure naturali ſunt incapaces officij iudicandi.

non mulieres ; & eadem ratione ſerui ab officio iudicis repelluntur, de quibus 1. *Petri* 2. ita dicitur , *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis.*

Propter defectum iudicij diſcretionis, & veritatis, repelluntur ſurdi, muti, amentes, furioſi, & minores: qua autem ætate debeat pollere iudex , non plenè conſtat ; illud certum, nempe iudicem omnium Chriſtum Dominum ad iudicandum non proceſſiſſe, niſi in perfecta ætate triginta annorum , & poſt Baptiſmum;

Qua ætate iudex eſſe debeat.

vt habetur *Luc.* 3. conſtat etiam Deum præcepiſſe Moyſi , vt ad munus iudicandi viros , & ſenes , non iuuenes eligeret. *Numer.* 11. dixit Dominus Moyſi , *Congrega ſenes populi , quos tu noſti ; quòd ſenes ſint populi , & magiſtri , vt ſuſtentent onus tecum.* Et Deuteronom. 1. *Date ex vobis viros ſapientes , & gnaros.* Propter defectum bonitatis , & approbationis vitæ repelluntur infames , hæretici , & excommunicati, & alij , qui ſunt probabiliter ſuſpecti , vt inimici , vel conſanguinei actoris, de quibus probabilis eſt ſuſpicio , quòd à rectitudine iuſtitiæ declinabunt.

6. *Quibus modis poſſit aliquis dici, & eſſe ſubditus alterius.*

Velim etiam notari iuriſdictionem eſſe in ordine ad ſubditos : quinque autem modis, poteſt aliquis habere iuriſdictionem in alium , & hic illi eſſe ſubiectus ; ita vt ab eo iudicari poſſit.

Primò ratione poteſtatis ordinariæ : ſic omnes fideles totius orbis ſummo Pontifici , & diœceſani ſuis Epiſcopis , exceptis exemptis, & ciues ſuo Regi ſunt ſubiecti , & ab eo iudicari poſſunt ; ita communiter DD. Gabrielis *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 6. ad initium.* Leſſius *tomo 1. lib. 2. cap. 29. de iudice , dub. 6. num.* 50. Filliucius *tomo 2. tract. 4. cap. 6. num.* 155. & communiter omnes.

Gabriel. Leſſius. Filliucius.

7. Secundò, ratione poteſtatis delegatæ , & ſubdelegatæ : ſic Legato Apoſtolico ſubſunt Prouinciæ , ad quas ipſe mittitur ; & ciues Proregi, vel Gubernatori à Rege poſito. Sic Daniel poteſtate ſibi à Deo delegata , *cap.* 13. iuxta probabiliorem ſententiam iudicauit ſenes , quam ſequitur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 67. *artic.* 1. *ad* 1. ibi ; *Daniel accepit poteſtatem ad iudicandum illos ſeniores quaſi commiſſam ex inſtinctu diuino , quod ſignatur per hoc , quod ibidem dicitur , quòd ſuſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris.* & eadem poteſtate delegata Moyſes iudicauit , & interfecit Ægyptium percutientem Hebræum ; vt teſtantur Auguſtin. *lib. quæſtion. in Exodum quæſt.* 2. & Leſſius *citatus* ; & apertè colligi videtur, primò ex illo contextu Exodi 2. *Cùm enim altero die conſpexiſſet duos Hebræos inter ſe rixantes, dixit ei , qui faciebat iniuriam : Quare percutis proximum tuum; qui reſpondit : Quis conſtituit te Principem , & iudicem ſuper nos* , quod ideo dixit, quia neſciebat ſibi à Deo poteſtatem eſſe delegatam , vt ſignificatur 2. *Actor.* 7. vbi Stephanus ait. *Fecit vltionem ei , qui iniuriam ſuſtinebat percuſſo Ægyptio ; exiſtimabat enim intelligere fratres , quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis.* & cum D. Auguſtino conſentit expreſsè D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 60. *artic.* 6. *ad* 2. ibi , *Videtur Moyſes Ægyptium occidiſſe , quaſi ex inſpiratione diuina authoritatem , id eſt , iuriſdictionem adeptus , exiſtimabat enim intelligere fratres ſuos , quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem Iſraël.* Hæc ille. Quamuis etiam dici poſſit Ægyptium occidiſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, defendendo Hebræum , qui iniuriam ab illo patiebatur , vt diximus *in quinto præcepto , de homicidio* : & tenet D. Thom. modò *allegatus* in hæc verba ; *vel poteſt dici quòd Moyſes occidit Ægyptium, defendendo eum, qui iniuriam patiebatur.*

D. Auguſt. Leſſius.

D. Thom.

Tertiò , ex conſenſu partium ; vt quando partes ex compromiſſo , & communi conſenſu alicui ſe ſubiiciunt, ſiue vt iudici , vt in illos authoritatem iudicandi habeat, ſiue vt arbitrio, de quo vide Syluestrum *verb. Arbiter.*

Quartò , ratione delicti in alieno ſolo perpetrati. nam ratione delicti ſortitur quis forum, & efficitur de iuriſdictione alterius , *cap. poſtulaſti , de foro competent.* ibi , *per Epiſcopum , in cuius diœceſi deliquit , ſententia promulgari poterit in eundem ; ſed ab eo Epiſcopo , in cuius diœceſi beneficium obtinet , erit quo ad illud* , id eſt, quoad priuationem beneficij , *executio facienda.* Intellige ſi propter delictum in ſuo territorio commiſſum ab Epiſcopo territorij , tali beneficio priuetur: ille enim iudex , in cuius diœceſi eſt res , in qua fieri debet executio , debet ſententiam executioni mandare , licèt ab alio iudicio proferatur , *cap. licet , eod. tit. de foro competenti. cap. placuit 6. quæſt.* 3. *Authent. quia in Prouincia , C. vbi de crimine agi oporteat ; & l. 1. C. vbi ſenat. vel clariſſ. l. vltima , ff. de accuſatoribus , & l. cui , §. idem Imperator , eod. titul.* Simili modo ſortitur quis forum ratione contractus domicilij , & rei , de qua contra poſſeſſorem cauſa mouetur, vt habetur expreſsè *in cap. final. de foro competent.* pro ratione delicti ; & patet etiam ex *l. 1. C. vbi de crimine agi oporteat , & l. ſoleat, de cuſtodia reorum* , & ex gloſſa *in cap. placuit , 16. quæſt.* 1. & ita docet Abbas *in cap. ſi quis contra , num. 50. de foro competent.* & Graphis *lib. 1. deciſionum aur. cap. 13. num.* 47. & Soares *tomo 4. de pœnitent. diſputat. 30. ſect. 1. num.* 6.

9. *Ratione territorij in quo quis committit delictum ſortitur forum.*

An autem ratione delicti commiſſi in alieno ſolo perdat quis priuilegium exemptionis , & eo iuridicè priuari poſſit , ita vt tali priuilegio non obſtante debeat iudicari à iudice territorij, in quo delictum commiſit , non à iudice priuilegij exemptionis , eſt dubium. Quidam aſſerunt à iudice territorij , in quo delictum commiſit, non à iudice priuilegij eſſe iudicandum. Ita gloſſa *in cap. poſtulaſti , de foro competenti , verb. ratione delicti.* Albericus *in rubrica , C. ne fil. pro patre* , & gloſſa *in cap. priuilegium 11. quæſt.* 3. & patet ex *dicto cap. priuilegium* , ibi , *Priuilegium omnino meretur amittere , qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* concordat Rebuffus *l. 41. in tit. de verbor. ſignificat in fine* , concordat etiam *cap. vt priuilegia , de priuilegiis , & lex ſancimus , C. de pœnis.* Et ratio eſt , quia priuilegium non dat cauſam delinquendi , *C. de priuileg. ſcholaſticorum 2. lib.* 12. ibi , *Nec permittas nocentes aliquibus priuilegiis vti* , quod idem habetur *Authentica de mandat. Princip. §. quòd ſi delinquentes , collat.* 3. *& in cap. ſicut ait , de hæret. lib. 5. ad finem* , & gloſſa *ibi , verb. obtentu.* ibi , *Perditur priuilegium ratione delicti , quia priuilegium non extenditur ad illicitum caſum , nec tuetur aliquem in malo , cap. nulli , de ſentent. excommunic. & ceſſante omni priuilegio mali puniendi ſunt.* Hæc illa gloſſa ; & idipſum patet ex textu *in l. liberam , ff. de negotiis geſtis* , & eſt communis doctrina. Et ratio eſt , quia non valet priuilegium quando eſt in

10. *An quis debeat iudicari à iudice priuilegij ſuæ exemptionis , an à iudice territorij , in quo commiſit delictum.*

præiudicium tertij; cùm autem quis ratione loci, in quo commiſit delictum, maneat ſubditus iudici illius loci, & ab illo iudicari debeat, vt probauimus *num.* 9. Conſequens eſt, vt priuilegium cedat in præiudicium iuriſdictionis prædicti iudicis, ſi priuilegiatus à iudice priuilegij iudicetur: & ideò optimè notant Doctores, non valere priuilegium; & eſſe ſuſpectum ſi in præiudicium tertij concedatur. ita Rebuffus *in praxi beneficiorum, de differentiis inter priuilegium, & reſcriptum, in fin.n.*44.

11. Quod tamen non eſt intelligendum de iis priuilegiatis, qui per priuilegium Papæ ſoli ſubiacent ſedis Apoſtolicæ poteſtati, & à ſuis diœceſanis ſunt exempti, hi enim etiam in his, quæ ſunt contra hæreticos inſtituta, id eſt, etiam quando fiunt hæretici, aut hæreticorum fautores, & receptatores, ſuorum Epiſcoporum iudicio ſubiacent, non quòd amittant priuilegium, quod habent, vt à ſola Sede Apoſtolica iudicentur, nec quòd ipſi Epiſcopi tunc maneant illorum iudices ordinarij, ſed quia à Sede Apoſtolica ſunt ſpecialiter ad hoc negotium delegati; & ſic prædicti Epiſcopi non cognoſcunt de illis iure ordinario, ſed authoritate delegata, quod perinde eſt, ac ſi ipſe Papa cognoſceret, vel aliis delegaret; quod expreſsè conſtat ex prædicto cap. *ad abolendam, de hæret. lib.* 6. ibi, *Si qui verò fuerint, qui à lege diœceſana iuriſdictionis exempti, ſoli ſubiaceant ſedis Apoſtolicæ poteſtati, nihilominus in his, quæ ſunt contra hæreticos inſtituta, Epiſcoporum ſubeant iudicium, & in eis in hac parte tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, non obſtantibus libertatis ſuæ priuilegiis obſequentur.* Vnde gloſſa *ibi, verb. delegatis. Conſueuit hîc allegari, quòd ratione delicti perditur hoc priuilegium, quod non eſt verum, quia ſi aliqui exempti ſunt, & delinquant, non perdunt priuilegium propter hoc, nec dicuntur propriè recidere in iuriſdictionem Epiſcoporum, quia non cognoſcunt Epiſcopi iure ordinario, ſed authoritate ſibi delegata, vt hîc patet, & ſuprà capite irrefragabili, de offic. ordin. & perinde eſt, ac ſi ipſe Papa cognoſceret, vel ſpecialiter aliis delegaret; per abuſum enim, vel per negligentiam perditur priuilegium. c. accedentibus, de priuilegiis, & cap. ſi de terra, & cap. priuilegium* 11. *q.*3. Hæc ibi.

12. Quintò, ratione iniuriæ ſubdito alterius Principis illatæ; ſi enim ſuperior eius, qui iniuriam fecit, requiſitus illam nolit vindicare, poterit id facere Princeps illius, qui iniuriam accepit; vt probat Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *de iudice, dub.*6.*n.*5. Filliucius *tomo* 2. *tract.*40.*cap.*6. *num.*155. his notatis,

Leſſius. Filliucius.

13. *Concluſio prima.* Statuo primò, peccat lethaliter iudex contra iuſtitiam vſurpatione iudicij, qui iudicat illum, qui aliquo ex his quinque modis relatis *à num.* 6. ſibi non eſt ſubditus, & tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum illi inde ob eam cauſam emergentium, & iudicium illius eſt nullum, irritum, & caſſum, & hoc peccatum vſurpationis iudicij ex genere ſuo eſt mortiferum, quia in eo fit iniuria tum partibus, in quas iudex poteſtatem non habet, tum veris ſuperioribus, quorum iuriſdictionem, & authoritatem ſibi atrogat, quæ iniuria ex communi hominum æſtimatione grauis admodum cenſetur, ita communiter Doctores, expreſsè Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 67. *artic.* 1. *in corpore, & quæſt.* 60. *artic.* 6. Caietanus *ibi.* Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *de iudice, dub.* 6. *num.* 51. & 53. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *cap.*10. *num.* 154. & 156. Salon. Aragon. Valentia 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 67. *art.* 1. Sotus *lib.* 3. *de iuſtitia, quæſt.* 4. *artic.* 2. & 6. Patet ex *cap. at ſi Clerici, de iudic.* ibi, *ſententia à non iudice lata non tenet.* Non eſt autem iudex ille, cui aliquis aliquo ex his quinque modis non ſubiicitur.

D. Thom. Caietan. Leſſius. Filliucius. Salon. Valentia. Sotus.

Primò, ratione poteſtatis, & iuriſdictionis ordinariæ.

Secundò, ratione iuriſdictionis delegatæ.

Tertiò, ex conſenſu partium.

Quartò, ratione delicti in alieno ſolo perpetrati.

Quintò, ratione iniuriæ ſubdito alterius Principis illatæ, vel aliquo alio modo, qui ad hos quinque redacatur; ergo ſi à tali iudice feratur, ſententia erit inualida, & iniuſta, propter vſurpationem iudicij; ergo ad reſtitutionem tenetur iudex, qui ſciens, & prudens eam tulerit.

Secundò, probatur efficaciter à D. Thoma in hunc modum *dicta quæſt.* 67. *art.* 1. Quia ſententia eſt quædam ſpecialis lex de facto aliquo ſpeciali, ſuper quod fertur talis ſententia; ergo ſicut leges generales non poſſunt obligare non ſubditos, etſi Principes per illas illos velint obligare, tales leges erunt iniquæ, & iniuſtæ, & Reges tenebuntur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde non ſubditis ſequuntur; ita nec leges particulares, ſeu ſententiæ, poſſunt illos, hoc eſt, non ſubditos obligare; etſi iudices illos velint obligare, tales ſententiæ, & leges erunt nullæ, iniquæ, & iniuſtæ, & iudex ad ſimilem reſtitutionem tenebitur. Confirmatur, quia nullus poteſt aliquem iudicare, niſi ſibi vel per ordinariam poteſtatem, vel commiſſionem ſubiectus ſit. Vnde cùm ille, qui aliquo ex his modis alteri non eſt ſubiectus, nec per poteſtatem ordinariam, nec per commiſſionem illi ſubiicitur; igitur non poteſt ab eo validè, & licitè iudicari. Confirmatur adhuc, quia iudicium eſt quædam applicatio legis ad perſonas, cùm vi coactiua: lex autem non poteſt habere vim coactiuam, niſi in ſubditos; ergo non valebit iudicium ſi applicetur iis, qui ſubditi non ſunt, in tali enim iudicio deerit poteſtas in eo qui iudicat, & authoritas obligandi, & cogendi illum, qui non eſt ſubditus ad executionem illius rei, de qua iudicatur.

Quid ſit ſententia.

Quid iudicium.

Quòd verò talis iudex ad reſtitutionem omnium damnorum inde prouenientium in conſcientia teneatur, patet facilè, quia ille, qui alterum ſciens, & prudens iniuſtè damnificat, tenetur illi ad reſtitutionem damnorum; vt patet ex *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat.* Sed talis iudex, qui non habet legitimam poteſtatem in eum, quem iudicat iniuſtè, & ſciens, & prudens eum damnificat; ergo tenetur illi omnia damna culpa ſua, & iniuria illata reſtituere. 14.

Ex hac concluſione deducitur, ex defectu iuriſdictionis peccare mortaliter contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem iudices ciuiles, & ſæculares iudicantes Clericos, & vocantes eos ad ſua tribunalia in criminalibus, quod intelligendum eſt, non ſolùm de Clericis in ſacris Ordinibus, ſed etiam de Clericis in minoribus conſtitutis, modò tamen Clerici minores beneficium habeant, aut clericalem habitum, & tonſuram deferant, & inſuper alicui 15.

Iudices ciuiles peccant mortaliter, & tenētur ad reſtitutionem iudicantes Clericos.

Eccleſiæ

Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiant, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in ordine ad maiores ordines verſentur; imò etiam de Clericis coniugatis, cum vnica, & virgine, modò ſeruitio alicuius Eccleſiæ ab Epiſcopo ſint affixi, & eidem Eccleſiæ inſeruiant, & miniſtrent, & clericali habitu, & tonſura Conc. Trid. vtantur, vt habetur in Concilio Tridentino *ſeſſion.* 23. *de reformat. cap.* 6. *& in conſtit. Bonifacij VIII. qua incipit, Clerici, qui cum vnicis*; Iul. Clar. Couarr. Felin. ita docent communiter DD. Iulius Clar. *lib.* 5. *ſent.* §. *finali*, *num.* 1. *&* 2. Couarr. *in practic. quæſt.* 31. *num.* 1. Felinus *in cap.* 2. *de maiorit. & obedient.* Leſſius Filliucius. Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *de iudice*, *dub.* 6. *num.* 51. Filliucius *tomo* 2. *tractat.* 40. *cap.* 6. *num.* 155. §. *hinc patet.* Probatur, quia habent priuilegium fori, quod priuilegium ſiue ſit de iure diuino, vt volunt Couarr. Felin. & Iul. Clarus *allegati*, ſiue de iure humano, eos eximit à foro ciuili in criminalibus; vt conſtat ex Concilio Tridentino *allegato*; & ex *cap. inolita* 11. *q.* 1. *& cap. placuit*, *ibidem*; *& cap. ſi diligenti*, *de foro competenti*, & adeò eximit, vt illi nec tacitè, nec expreſsè, nec etiam cum iuramento renunciare Clerici poſſint; vt docent expreſsè omnes DD. hîc *allegati*; & patet ex dicto cap. *ſi diligenti*; & ratio ibi redditur, *Quia non eſt beneficium hoc perſonale, cui renunciari poſſit; ſed potius toti collegio Eccleſiaſtico publicè indultum, cui priuatorum pactum derogare non poteſt.*

16. Debent autem huiuſmodi Clerici probare ſuos Ordines (ſi hac de re dubium oriatur) coram iudice Eccleſiaſtico, non ſæculari, vt patet ex *cap. ſi iudex laicus*, *de ſentent. excommunicat. lib.* 5. *tit.* 11. & gloſſa *ibi*, *verb. ſpirituali.* ita enim S. P. ibi, *Dubitationis huiuſmodi, an ſcilicet, ſit qui repetitur Clericus, ad iudicem Eccleſiaſticum, quia eſt de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali; vocato tamen iudice ſæculari, vel alio, cuius intereſt, cognitio pertinebit.* Quo quid clariùs dici poterat? & pro iure Canonico ſic docet Riccius Riccius. *in praxi deciſione* 150. vbi aſſerit ſufficere ſi oſtendatur charta Ordinum iudici ſæculari, quòd ſi iudex ei fidem non habuerit, probationem illorum eſſe faciendam coram iudice Eccleſiaſtico, quia tunc inuoluitur quæſtio de proprietate Ordinum, ſcilicet de validitate illorum, quæ eſt de re merè ſpirituali, & ad iudicem Eccleſiaſticum, non ciuilem, pertinet; & id ipſum cum Iulius Clar. Riccio docet etiam expreſsè Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *finali*, *quæſt.* 36. *num.* 14. *in fine*, *& num.* 21. Ripa. Couarr. Geminian. Gram. Franc. Franc. Marc. Puteus. Ripa *in cap. decernimus*, *de iudiciis*, *num.* 4. *dub.* 9. *verſ. coram quo.* Couarruu. *in pract. quæſt. q.* 33. *num.* 1. vbi dicit ita ſeruari in Hiſpania, Geminianus *de ſent. excommun. in* 6. *cap. tuam*, *de ordin. cognit. cap. cauſam*, *qui filij ſint legitimi.* Grammat. *deciſ.* 81. *poſt num.* 7. & pro hac parte faciunt Francus *deciſione* 189. *in principio*; & Franciſcus Marc. *deciſ.* 451. *num.* 6. *part.* 1. Put. *deciſione* 291. *lib.* 2. vbi aſſerunt cognitionem valoris ordinum iudicij Eccleſiaſtici eſſe, non ſæcularis.

17. *Cognitio veſtium clericalium ad quem pertineat.* Iul. Clar. Guido. Gratianus. Si autem dubitatur ſuper habitum, an ſit clericalis, vel non clericalis, ſunt multi, qui exiſtimant cognitionem hanc ad iudicem ſæcularem pertinere, non ad Eccleſiaſticum; ita idem Iulius Clarus *citatus dicta quæſt.* 36. *num.* 14. Guido Papæ *deciſ.* 138. *& conſil.* 110. *num.* 2. Stephanus Gratianus *diſceptat. forenſium*, *cap.* 190. *num.* 13. & Farinacius *in praxi criminali q.* 18. *n.* 34. Farinacius. Fundamentum illorum eſt,

Primò, quia hæc quæſtio eſt de facto, an ſcilicet hæc veſtis ſit, vel non ſit, perſonarum Eccleſiaſticarum; & ideo eſt quæſtio merè profana, cuius cognitio ad iudicem ſæcularem ſpectat.

Secundò, quia ita fuit iudicatum in caſus contingentia in Senatu Delphinat. vt refert idem Guido Papæ *dicta deciſ.* 138.

At contrarium omnino dicendum eſt, 18.

Primò, quia acceſſorium ſequitur principale; & in omni iure iudex cauſæ principalis, eſt etiam iudex in acceſſoriis, & dependentiis illius, per *Clementinam diſpendioſam*, *de iudiciis*, ibi, *Quoquo modo tangentes*; vt *ibi* communiter notant DD. Cardinal. *colum. antepenult. quæſt.* 36. Cardinalis. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæſt.* 45. *num.* 13. Cabedo 1. *part. deciſ.* 17. *num.* 3. *ad finem.* Menochius. Cabedo. Vnde cùm ad iudicem Eccleſiaſticum pertineat cognitio principalis cauſæ, an ſcilicet hic homo ſit, vel non ſit Clericus, & Eccleſiaſticus, ad illum etiam de iure pertinet cognitio acceſſorij, an ſcilicet hæc veſtis, qua indutus eſt, ſit Clericalis, & Eccleſiaſtica, vel non ſit.

Secundò, quia agitur de cauſa perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ in criminalibus habet proprium iudicem Eccleſiaſticum ſui fori; vt eſt communis ſententia, & docet Cenedo *pract. qq.* Cenedo. *lib.* 1. *quæſt.* 40. *num.* 32. poſt Germon. Azeuedo, & Germon. Decianum; quos citat Ceuallos *de cognit. per* Ceuallos. *viam violentiæ in cauſ. Eccleſiaſt. in prœmio cap.* 8. *num.* 40. imò, & in merè ciuilibus, & ſæcularibus rebus; vt patebit ſtatim *num.* 20. Et quòd cognitio habitus, an ſit Eccleſiaſticus, an ſæcularis, pertineat ad iudicem Eccleſiaſticum, non ſæcularem, docet expreſsè Rota *in nouis* 202. Iulius Clarus, mutans ſententiam *loco citato*, *num.* 21. Deciſ. Rotæ. Iul. Clar. Dominic. *dicto cap. ſi iudex laicus*, *de ſentent. excommun. lib.* 5. *titul.* 11. *in fine.* Cæpolla *conſilio* 124. *colum.* 2. *verſ. cognitionem.* Cardinalis *Clement.* 2. §. *final. de vita*, *& honeſtate Clericorum.* Dominicus. Cæpolla. Cardin. Capella *quæſt.* 117. Aufrer. *de poteſtate ſæculari*, Capella. Aufret. *regula* 4. *fallentia* 20. Mill. *in Repertorio*, *verb. Clericus coniugatus*, & alij; & fundamentum adhuc, & validiſſimum eſſe poteſt, quia iudices ſæculares non poſſunt decernere veſtes Eccleſiaſticas, quibus perſonæ Eccleſiaſticæ induantur; ergo nec poſſunt iudicare, quæ ſint veſtes Eccleſiaſticæ, & quæ non ſint.

Nec obſtat contrarium fuiſſe iudicatum per iudices ſæculares, quia hæc cognitio ad illos non pertinebat, & idipſum contendimus; neque etiam obſtat quæſtionem eſſe de facto, cùm enim ſit dependens à principali quæſtione, ad eundem iudicem pertinebit, ad quem pertinet principalis.

Dum autem probatur, an hæc perſona, & veſtis ſit Eccleſiaſtica, vel non ſit, & an fuerit, vel non fuerit inuenta in habitu, & tonſura clericali, in quo carcere ſeruari debeat, videndus eſt 19. Zerola 1. *part. praxis*, *verb. Clericus*, §. *ad* 4. vbi Zerol. aſſerit ſeruandam eſſe in carcere ſæculari, ſi à iudice ſæculari comprehenſa ſit; & ipſum docet Couarruuias *in pract. qq. quæſt.* 33. *num.* 3. & Iulius Couarr. Clarus §. *finali*, *quæſt.* 36. Afflict. 1. *part. conſt. Regn. rub.* 3. *num.* 19.

20. An verò etiam in rebus merò ciuilibus gaudeant huiuſmodi Clerici tam in ſacris, quàm in minoribus conſtituti, & coniugati priuile-

gio etiam fori, modò habeant omnes conditiones requiſitas à Concilio Trident. *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 6. de quibus egimus *num.* 15. Partita eſt opinio.

Opinio prima. Prima opinio affirmat, gaudere; eam docet Ceuallos *tomo* 2. *in quæſtionib. comm. quæſt.* 563. Scaccia *de iudic. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 16. *fol. mihi* 13. *colum.* 1. Boſſius *in tract. criminali tit. de foro competent. ſub num.* 127. Rolandus à Valle congerens multos *conſilio* 4. *num.* 16. *lib.* 1. Viui. *in opin. com. in verb. Clerici à poteſtate.* Lapus *allegaione* 118. *ad finem*, *&* *allegat.* 40. Francus *cap. vnico*, §. *&* *cùm. num.* 4. *de Clericis coniug. in* 6. Angelus *Inſtitut. de nupt.* §. *illud*, *num.* 5. Guido Papæ *deciſio.* 63. Crauet. *in Rit.* 66. per multos. Speculum *in tit. de Cleric. coniugat. initio.* Tappia *in conſt. Regni*, *tit.* 66. *de Epiſcop. & Clericis*, *folio* 21. *&* 26. *num.* 1. Armilla *verb. iudex*, *num.* 18. & alij, & appellat valdè probabilem Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſput.* 46. *num.* 22. *in edit. Madritiana*, quamuis contrariam ſequatur.

(Ceuallos. Scaccia. Boſſius. Roland. Viuius. Lapus. Francus. Angelus. Guido. Crauetta. Speculum. Tappia. Sanchez.)

Probatur efficaciter primò, ex *cap. ſignificaſti, de foro competent.* ex Auth. *ſtatuimus*, *C. de Epiſcopis*, *& Clericis*; & ex conſt. Bonifacij VIII. *in cap. vnico, de Cleric. coniug. in* 6. ibi, *Nec ab ipſis ſæcularibus iudicibus debent perſonaliter, vel pecunialiter, id eſt, ciuiliter, vel criminaliter, vllatenus condemnari, ne per vnam viam concedatur illis, quod per aliam denegatur.* Vbi illa particula, *pecunialiter*, idem eſt atque, *ciuiliter*, hoc eſt, in cauſis ciuilibus, in quibus agitur de ſolutionibus debitorum, de reſtitutione damni, de obligationibus contractuum.

Probatur ſecundò, ex *cap. nullus, de foro competent.* deducto ex Concilio Pariſienſi, vbi abſolutè prohibetur iudicibus ſæcularibus Clericos, etiam in minoribus, iudicare indiſtinctè, id eſt, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus cauſis, ibi, *Nullus iudicum*, addit gloſſa *ibi* ſæcularium, *neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllam ſine permiſſu Pontificis per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat; quod ſi fecerit ab Eccleſia Dei cui iniuria irrogatur, tandiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens emendet.* Et efficaciter probatur ex *cap. ſæculares iudices*, *lib.* 2. *tit.* 2. *de foro competent.* vbi Bonifacius VIII. præcipit Epiſcopis, vt excommunicent ſæculares iudices, qui in cauſis merè ciuilibus, & debitis liquidis Clericos ad ſua iudicia trahunt; quid ergo clarius? & nomine Clericorum veniunt etiam in iure ciuili Clerici primæ tonſuræ; ſed quia multi in his noſtris temporibus prima tonſura initiabantur, & ratione illius declinabant forum ſæculare, qua de re querebantur Principes ſæculares, prouidit Concilium Trident. *ſeſſio.* 23. *de reform. cap.* 6. vt ſolùm illi minores, & coniugati gauderent hoc priuilegio, qui conditiones haberent, de quibus ibi agitur, & nos egimus *num.* 15. vt ſpecialiter notarunt Molina Theolog. *tom.* 1. *diſput.* 49. *num.* 2. *&* 3. & Scaccia *lib.* 1. *de indic. cap.* 11. *num.* 16. & ex his omnibus dictis intulit Bonifacius VIII. *in dicto cap. vnico, de Cleric. coniug. Et cùm iuxta Pariſienſe Concilium nullus Clericus diſtringi, aut condemnari debeat à iudice ſæculari, præſenti declaramus edicto, ne pro commiſſis exceſſibus, &c. eos debere ab ipſis ſæcularibus iudicibus perſonaliter condemnari.* Et quamuis verbum illud *exceſſibus*, videatur ſolùm de criminibus intelligendum, tamen cùm ſit verbum generale, quemcumque exceſſum, ſeu peccatum Clericorum, tam in criminalibus, quàm in falſitate contractuum, & ciuilibus comprehendit, in hoc enim etiam Clerici delinquunt, & excedunt; & ita debent hæc verba, *pro exceſſibus*, intelligi, vt explicant DD. *allegati*; aliter enim melioris conditionis eſſent Clerici facinoroſi, quàm non ſint facinoroſi, cùm illi priuilegio fori fruerentur, non hi, quod non decet omnino, vt habetur *in cap. eum qui, de preb. in* 6. ibi, *Non enim decet, vt ſtultus melioris conditionis exiſtat, quàm peritus, vel quòd inuaſor, eo quòd iuſtè aggreditur, priuilegio gaudeat potiori.* Probatur deinde rationibus hæc opinio,

(Molina. Scaccia.)

Primò, quia ſolùm iudex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere de cauſis, & perſonis Eccleſiaſticis priuatiuè, *cap. cùm non ab homine*, *cap. at ſi Clerici, de iudicib. cap. Clericus* 2. 11. *q.* 1. atqui Clerici primæ etiam tonſuræ, & coniugati, ſi conditiones habeant Concilij Trident. *ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 6. de quibus egimus *num.* 15. ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ; ergo debent gaudere priuilegio ſui fori plenariè, & in omnibus, & non ſolùm in criminalibus. nam ſi in criminalibus tantùm eſſent exempti, ſequeretur vitium indicatum in prædicto *cap. vnico, de Cleric. coniugat. Ne per vnam viam concedatur iiſdem iudicibus, quod per aliam illis denegatur.* Concederetur enim illis per vnam viam iuriſdictio, & ſuperioritas in perſonas Eccleſiaſticas, quæ per aliam illis denegatur. Conc. Trid.

Secundò, quia Concilium Tridentin. *loco allegato*, abſolutè aſſerit omnes Clericos, etiam in minoribus, & coniugatos priuilegio fori gaudere, & nihil diſtinguit inter criminalia, aut non criminàlia; vbi autem lex non diſtinguit, nec nos etiam (vt omnes aiunt) diſtinguere debemus; maximè, quia Concilium Tridentinum cenſetur reuocare omne illud ius, ſi quid modo aliquo contrarium ex illo colligi poterat. Probatur

Vltimò, quia bona patrimonialia Clericorum ſunt exempta à iuriſdictione ſæculari, & à pedagiis, & gabellis, ſicut & ipſi Clerici ſunt; vt patet expreſsè, ex *cap. quanquam, de cenſibus, lib.* 3. *Decretal. tit.* 21. vbi excommunicat Papa Reges, Principes, & ciuitates imponentes pedagia, & tributa Clericis, pro rebus illorum propriis, quas non negotiandi, ſed hæreditarij iuris cauſa habent; quia talia bona ſunt exempta; & Concilium Tridentinum *ſeſſion.* 25. hanc pœnam innouat, quod egregiè probat Riccius *deciſione* 167. & nemo negat; cùm ergo ſint ipſi, & bona illorum exempta à iuriſdictione Principum, & iudicum ſæcularium, nullo modo pro litibus de rebus ciuilibus, ad illorum tribunalia trahi poſſunt.

Secunda opinio negat, & aſſerit ſolùm in criminibus prædictos Clericos gaudere fori priuilegio, non in ciuilibus, ſiue in ipſis criminaliter contra eos agatur, vt dum petitur vindicta, ſiue ciuiliter, vt dum petitur reparatio damni, & pœna pecuniaria pro iniuria, & loco vindictæ; hanc tenet Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſputat.* 46. *num.* 22. *in edit. Madritiana.* Couarr. *quæſt. practic. quæſt.* 31. *num.* 7. *verſ. primò igitur.* Guttierrez *de iureiur.* 1. *part. cap.* 17. *num.* 11. *&* 12. Farinacius *in ſua practica criminali, tit. de Inquiſit. quæſt.* 8. *num.* 7. Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *de iudice*, 21. *Opinio ſecunda.*

(Sanchez. Couarr. Guttierez. Farinac. Leſſius.)

Aragon. Azor. Riccio. Soar. *dicc, dub. 6. num. 50. & 51.* Aragon. 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. Azor. *tomo* 1. *lib.* 13. *cap. vltimo, q. finali.* Riccius *in pract. reſolut.* 391. *num.* 2. Soares *contra Regem Angliæ, lib.* 4. *cap.* 34. & hi citant multos. Fundamentum accipiunt.

Primò, ex iure in prædicto *cap. vnico, de Cleric. coniugat.* vbi dicitur, Clericos primæ tonſuræ, & coniugatos trahi poſſe ad iudicium Eccleſiaſticum. *Pro exceſſibus, & in cæteris nullo eos gaudere fori priuilegio*; quod ſi in cæteris præter criminalia nullo gaudent fori priuilegio, pronum manet intelligere in rebus ciuilibus debere eos æqualiter cum laicis coram iudice ſæculari reſpondere.

Secundò ex conſuetudine totius orbis, in omnibus enim partibus Chriſtiani orbis, hæc opinio in praxi ſeruatur, vt ipſi atteſtantur, in Portugalia, in Caſtella, in Gallia, in Germania, &c.

Sed hæc fundamenta parum conuincunt, iuxta authores primæ opinionis, quia verbum illud *exceſſus*, cùm ſit verbum generale, vt diximus, tam accipitur pro criminibus, quàm pro aliis exceſſibus, & falſitatibus in contractibus, & pro damnis. Nec obſtant etiam iuxta illos verba illa, in cæteris nullo gaudeant fori priuilegio, quod perinde eſt, ac dicere, reſpondeant æqualiter cum laicis in iudicio ſæculari, quia id eſt intelligendum in negotiationibus, & mercaturis; ſi enim Clerici mercaturam exerceant, ad tributa velut alij ſæculares mercatores tenentur; vt docet Molina *tomo* 2. *de iuſtit. diſputat.* 342. Molina. §. *Clericis autem*, & pro tributis reſpondere tenebuntur coram iudicibus ſæcularibus Regiorum tributorum, vt etiam docet Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. diſputat.* 46. *num.* 26. Sanchez. item in cæteris, hoc eſt, ſi ſe immiſceant actibus enormibus demiſſo habitu clericali, & aſſumpto laicali, veluti ſi milites fiant, arma tractent, nec gaudebunt fori priuilegio, nec Canonis, tunc enim vtrumque priuilegium amittunt prædicti Clerici in minoribus, & coniugati, vt DD. communiter aduertunt. Riccius *in praxi deciſione* 172. Riccius, Farinac. Nauarr. Toletus. *artic.* 2. Farinacius, cum multis *in praxi, in tit. de inquiſitione, quæſt.* 8. *artic.* 54. Vide Nauarrum *in ſumma, cap.* 27. *num.* 174. Toleto *lib.* 5. *ſumma, cap.* 56. *num.* 1. Quod verò ad praxim, & conſuetudinem totius orbis attinet, debile planè fundamentum eſt, vt ipſi aiunt, quia conſuetudo, quæ iuri Canonico, & libertati Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ repugnat, etiamſi totius orbis ſit, non eſt conſuetudo, eſt corruptela damnabilis, & non obligans, etiamſi ſit ſexcentorum annorum mille, quippe quæ cum peccato ſit introducta, vi, ac violentia continuata, ac ſuſtentata; quod patet ex *cap. cum tanto, de poſtulat. Prælatorum*; & *cap. ad noſtram audient. de conſuetud.* ibi, *Conſuetudo quæ Canonis obuiat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti, cap. nouerit, de ſentent. excommun.* ibi, *Excommunicamus, qui ſeruari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines contra Eccleſiæ libertatem, cap. vltimo, de præſcript. cap. Clerici, de iudiciis, cap. quanquam, de cenſibus, cap. penultimo, de immunitate Eccleſiæ, Auth. caſſa, de ſacroſanct. Eccleſ.* approbata ab Henrico III. *in cap. quanquam, de cenſibus.* Ex his tamen opinionibus poſterior hæc magis recepta eſt, ſed dubito valdè an ſit certior.

22. Qui ſecutus fuerit primam ſententiam, conſequenter dicet, non poſſe laicum pertrahi à Clerico actore ad iudicem ſæcularem in ciuilibus, cùm Clericus habeat ſuum forum tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, diſtinctum omnino à foro ſæculari, à quo ei diſcedere non licet. Qui verò ſecutus fuerit ſecundam, quæ eſt communior, ſimiliter dicet in iiſdem litibus ciuilibus, vt pro delictorum ſolutionibus, pro bonis mobilibus, & pro contractibus emptionis, & venditionis, & ſimilibus poſſe Clericos actores laicum quemlibet ad iudicem ſæcularem trahere; non tamen poſſe Clericos, cùm rei ſunt, pro iiſdem litibus ad illum trahi; quia forus rei ſemper ſequendus eſt, & ideo actor ſemper forum rei ſequi debet, iuxta *cap. cùm ſit generale, de foro competent. cap. licèt, eodem titulo*; Forus rei ſemper ſequendus. in caſu tamen reconuentionis poſſunt Clerici à iudice ſæculari iudicari, vt ſi dum laicos pertrahunt ad ſæcularem iudicem, & laici viciſſim illos in cauſa ciuili reconueniant, vt expreſsè docet gloſſa communiter recepta *in cap.* 2. *de mutuis petitionibus*; & colligitur tum ex illo capite, tum ex *cap.* 1. 3. *q.* 8. & docet Leſſius *tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 29. *de iudice, dub.* 6. *n.* 52. Leſſius.

23. *An Clerici de nocte portantes arma condemnari poſſint à iudicibus ſæcularibus in illorum amiſſione.*

Deducitur ſecundò, cùm actor ſequi debeat forum rei, non poſſe illos Clericos, qui de nocte reperti fuerint portantes arma lege ſæculari prohibita, condemnari à iudicibus ſæcularibus in illorum amiſſione.

Primò, quia cùm in eo caſu Clerici maneant rei, & miniſtri iuſtitiæ ſæcularis actores, & actor debeat ſequi forum rei, iuxta *cap. cùm ſit generale, de foro competent.* & *cap. ſi diligenti, eodem titulo,* & *Auth. ſtatuimus, de foro competent.* & *l. iuris ordin. C. de iuriſdict. omn. iudic.* perſpicuum eſt, non poſſe eos tunc à iudicibus ſæcularibus per ſententiam aliquam priuari ſuis armis, cùm non ſint iudices ſui, & per conſequens teneri prædictos iudices ſæculares ad reſtitutionem armorum, & damnorum, ſi quæ inde Clericis emergant; & ita docet expreſsè Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolit. cap.* 92. & *num.* 6. Marc. Anto. Genuenſis. & id ipſum diſponitur in pleriſque conſtitutionibus omnium Epiſcopatuum huius Regni Luſitaniæ, & præcipuè Epiſcopatus Viſenſis Diœceſis *lib.* 3. *tit.* 2. *conſtit.* 3. §. 3. quæ à Senatu Regij Palatij fuerunt approbatæ.

Deinde, quia cùm hoc ſpeciem criminis habeat, titulo enim criminis, quod præſumitur ab ipſis Clericis de nocte committendum, à miniſtris ſæcularibus, ſi fuerint cum armis inuenti, apprehenduntur, liquidum etiam manet, eos in re criminali, & in acceſſoriis ad illam, non niſi à ſuis iudicibus ſæcularibus poſſe iudicari, iuxta ea, quæ diximus *num.* 15.

Nec conſuetudo in hac re aliquid poteſt iuſtè obtinere, quantumuis vetuſtiſſima, & ſexcentorum annorum mille curſu confirmata, quia contra libertatem Eccleſiaſticam priuilegium fori, & ius Canonicum præſcribere conſuetudo non poteſt, nec appellanda eſt conſuetudo, ſed corruptela: vt probauimus *num.* 21. *ad finem*, & cum Marco Antonio Genuenſi id docet expreſsè Felinus *cap.* 1. *de ſponſ. col.* 7. *num.* 8. *verſ.* & *ad rationem.* Aufrer. *de poteſtat. Eccleſiaſtica, cauſa* 23. *num.* 16. Et verò ius Canonicum benè prohibet Clericis portare arma, non tamen concedit miniſtris iuſtitiæ ſæcularis, vt arma à Clericis auferant, imò præcipit Epiſcopis, vt illos armis ſpolient, ac in illorum amiſſione condemnent; *cap. Clerici arma, de vita, & honeſtate Clericorum.*

Clement. 1. §. *aduerſus*, *eodem titulo*; & quamuis Platea *Inſtitut. de public. iudic.* §. *item lex Iulia.* & Palat. *in cap. per veſtras*, *fol.* 80. §. *ſed eſt pulchra dubitatio*, *col.* 4. *num.* 13. dicant ſtatutum laicorum contra arma portantes, ligare Clericos, quia in his, quæ concernunt publicam vtilitatem, comprehunduntur Clerici, non tamen dicunt poſſe Clericos per iudices ſæculares armis priuari, nec dicunt, poſſe miniſtros iuſtitiæ propria authoritate illos iiſdem armis ſpoliare; imò dicunt pœnam huius delationis petendam eſſe coram iudice Eccleſiaſtico, non ſæculari.

24. Non negamus tamen poſſe licitè miniſtros iuſtitiæ ſæcularis ſine incurſione excommunicationis *cap. ſi quis*, huiuſmodi Clericos prædicta arma, lege ſæculari vetita de nocte portantes comprehendere, & ad ſuos iudices Eccleſiaſticos deferre, vt docent communiter DD. *in cap. cùm non ab homine*, *de iudic.* & Soares *tomo* 5. *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 39. quia hæc comprehenſio eſt veluti quædam iuſta defenſio Reipublicæ, & quia id faciunt ex iuſta voluntate ſuorum ſuperiorum Eccleſiaſticorum præſumpta; atque adeò id non tam ex propria authoritate efficiunt, quàm ex conſenſu Eccleſiaſticorum iudicum, & ſuperiorum; ſi tamen de die huiuſmodi arma portauerint, nec illos poterunt comprehendere, nec ab excommunicatione *cap. ſi quis*, excuſari, quia tunc non adeſt voluntas tacita ſuperiorum Eccleſiaſticorum.

25. Deducitur tertiò, ex noſtra concluſione poſita *num.* 13. peccare ex defectu iuriſdictionis, & ex vſurpatione iudicij, & irritam eſſe ſententiam, & teneri ad reſtitutionem illos iudices ſæculares, qui illos, qui ad Eccleſiam confugiunt, vi, aut fraude inde extrahunt, vt puniant in caſibus, quibus Eccleſia illos tuetur, ac defendit, quia tales exempti ſunt ab illorum poteſtate, & tenentur illos Eccleſiæ reſtituere; vt patet ex *cap. inter alia*, *de immunitate Eccleſiæ*; & docet Iulius Clarus §. *finali*. *q.* 30. quem vide, & Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *de iudice*, *dub.* 6. *num.* 52. *verſ. ſimili modo*, & Salonius 2.2. *q.* 60. *art.* 4 *controuerſia* 2.

Capvt XIX.

An acta iudicis non habentis titulum verum, ſed coloratum, ſeu putatiuum tantùm, ſint valida, ita vt non peccet vſurpatione iudicij, nec ad reſtitutionem partibus teneatur?

Svmmarivm.

Refertur prima opinio aſſerens geſta per iudicem ordinarium, aut Parochum, carentem vero titulo, & habentem titulum putatiuum tantùm, eſſe inualida, quamuis communiter habeatur pro vero iudice, & Parocho. *num.* 1. & 2.

Aſtruitur vera ſententia affirmans eſſe valida. *num.* 3.

Idem dicendum eſt de iudice delegato, ad vnam, vel alteram tantùm cauſam. *num.* 4.

Sufficit tunc quòd communis vtilitas detur in qualitate officij, non in vniuerſalitate cauſarum. *ibid.*

Conferens iuriſdictionem tali iudici putatiuo habentem titulum coloratum, concurrenteque communi errore, quo putatur verus iudex, non eſt communis error, non titulus putatiuus, non litigantes; ſed ius ipſum, quod ſuppoſito eo ſtatu rerum, illum confert tali iudici ad ſingulos actus. *num.* 5. & 6.

Quid intelligatur nomine iuris. *ibid.*

Explicatur cap. dudum, 2. de electione. *num.* 7.

Omnia geſta, & abſolutiones datæ per Parochum, aut Confeſſarium habentem titulum putatiuum à legitimo ſuperiori manantem, ſi communiter verus Parochus putatur, valida ſunt. *num.* 8.

Quid ſi aliquis communiter putetur Sacerdos, & habeat titulum putatiuum ſacrorum Ordinum; & tamen re vera ordinem ſacerdotalem non habeat. *num.* 9.

Quatuor conditiones requiruntur, vt iudicis putatiui, interni, vel externi fori acta valeant. Prima, vt habeat titulum ſaltem coloratum. Secunda, vt communiter putetur verus iudex. Tertia, vt talis titulus putatiuus emanet à legitimo ſuperiore, qui illum conferre poterat. Quarta, vt talis iudex iure diuino, & naturæ non ſit incapax officij. *num.* 10.

Inſtitutus in beneficio per Prælatum, qui non habet legitimum titulum putatiuum, & qui communiter non putatur verus Prælatus, non eſt verè inſtitutus, ſed intruſus, & confeſſiones illius non ſunt validæ. *num.* 11.

Iuriſdictio confertur, non per præſentationem, ſed in inſtitutione. *ibid.*

An geſta à iudice putatiuo habente titulum putatiuum à legitimo ſuperiore manentem, non tamen verum, ſint valida reſpectu eorum, qui ſciebant illum non habere veram iuriſdictionem, licèt communiter crederetur illam habere. *num.* 12.

An valeat collatio beneficij impetrata ab Epiſcopo excommunicato, non tolerato, per eum, qui optimè ſcit illum non eſſe toleratum, licèt communiter toleratus cenſeatur. *num.* 13.

Quid quando iuriſdictio alicui occultè eſt ablata, ille tamen communiter, & publicè ſe gerit pro vero iudice, aut Confeſſario, an tunc eius acta ſint valida. *num.* 14.

Quid ſi poteſtas erat delegata ad confeſſiones audiendas, & occultè ſit ablata. *num.* 15. 16. & 17.

An non ſolùm communis error, ſed etiam probabilis opinio, qua quis putetur verus iudex, vel Parochus, ſufficiat, vt confeſſiones, & acta iudicis ſint valida; ſi poſtea inueniatur illum re vera non habuiſſe iuriſdictionem. *num.* 18.

Quid ſi Parochus fictè conferat Sacerdoti licentiam ad aſſiſtendum matrimonio, cum tamen non habeat intentionem concedendi illam, & Epiſcopus fictè etiam approbet ad confeſſiones, an tunc valeant matrimonium, & confeſſiones. *num.* 19.

Sententia lata per iudicem incompetentem, non ſolùm de iure eſt nulla, ſed etiam acta omnia illius; de vſu tamen, & praxi Luſitana prædicta acta ſuſtinentur, niſi pars reclamet. *num.* 20.

Circa titulum propoſitum, partita eſt opinio. 1. *Opinio prima.*

Prima docet acta, geſtaque per iudicem, aut Parochum carentem legitimo titulo, habentémque ſolum titulum putatiuum, pertinentia ad vtrumque forũ, eſſe omnino inualida, quamuis concurrat communis error, quo talis homo communiter putetur legitimus Parochus, aut iudex, ac proinde peccare iudices tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares vero titulo, carentes vſurpatione iudicij, & teneri ad reſtitutionem partibus faciendam. Probatur

Primò

Primò hæc opinio, quia titulus ille putatiuus, cùm inualidus ſit, non confert iuriſdictionem, nec communis error eam conferre poteſt, iuxta *l. priuatorum, C. de iuriſdict. omn. iudic.* ibi, *Priuatorum hominum conſenſus non facit iudicem eum, qui nulli præeſt iudicio.* Error enim communis fundatur in priuatorum hominum iudicio, ſeu conſenſu.

Secundò, quia non poteſt explicari quis conferat hanc iuriſdictionem huic iudici putatiuo; non enim illam confert error communis, quia fundatur in priuatorum hominum iudicio, ſeu conſenſu, non partes litigantes, quia putant eum iudicem iuriſdictionem habere; & ideò ad eum recurrunt, non ſuperior, qui potuit conferre titulum validum, quia ſi illum conferret homini incapaci, faceret id ex errore, quo putaret, illum eſſe capacem talis iuriſdictionis: nihil autem eſt magis contrarium conſenſui, & voluntati, quàm error; vt habetur *in l. ſi per errorem, ff. de iuriſd. omnium iudic. & l. 2. ff. de iudicijs.* ibi, *Conſenſiſſe autem videntur, qui ſciunt ſe non eſſe ſubiectos iuriſdictioni eius, ſed in eum conſentiunt. Cæterùm ſi putant eius iuriſdictionem eſſe, non erit eius iuriſdictio; error enim litigatorum conſenſum non habet.*

2. Tertiò, quia *in cap. dudum 2. de electione*, de quodam Parocho, in quo concurrebant, communis error, & populi vtilitas dicitur. *In multarum animarum diſpendium Parochiales Eccleſias retinebat, cùm earum cura, quæ iam priuatus fuerat ipſo iure, ad eum nullatenus pertineret; & ſic per ipſum eadem animæ damnabiliter ſunt deceptæ.* Vbi conſtat concurrente communi errore, & titulo à ſuperiore collato; quia iam ceſſauerat ille titulus Prælatum illum abſoluentem damnabiliter animas decepiſſe; ergo vt geſta in foro ſaltem interno valeant, non ſufficit præſumptus titulus, & communis error; aliàs hæ animæ verè eſſent abſolutæ, & non eſſent damnabiliter deceptæ.

Quartò, quia ſaltem in foro conſcientiæ non poſſent huiuſmodi acta habere vigorem, quia leges quæ dicunt illa eſſe firma, & valida, procedunt in foro externo, & vero, quòd acta non à iudice ordinario putatiuo, ſed à iudice ad vnam, vel ad alteram tantùm cauſam delegato non valeant, docet expreſsè Innocentius *in cap. cùm dilecta, num. 10. de reſcript. verſic. ſed dices.* Ioannes Andreas *ibi, num. 14.* Abbas *num. 10.* Guido Papæ *deciſ. 321.* Alexander *conſil. 77. num. 7. lib. 2.* & alij ex eo fundamento, quia in iudice ordinario concurrit communis vtilitas. Et ideò meritò iura ſtatuerunt valere acta per iudicem ordinarium putatiuum, quia agitur de communi vtilitate, cùm omnes apud eum iudicem lites ſuas agitaturi ſint; quæ communis vtilitas ceſſat in iudice delegato ad vnam, vel alteram cauſam dumtaxat, non valebunt igitur acta huius iudicis delegati, licèt valeant acta iudicis putatiui.

Innocent.
Ioan. Andr.
Abbas.
Guido.
Alexand.

3. *Opinio ſecunda verior.*

Nihilominus verior eſt, & probabilior ſecunda ſententia, quæ docet geſta à iudice ordinario putatiuo, Eccleſiaſtico, vel ſæculari carente legitimo titulo, habenteque ſolum putatiuum, & coloratum communi errore verum exiſtimatum, & à legitimo ſuperiore collatum, valida, & firma eſſe, quoad vtrumque forum, tam poli, quàm ſoli, & non peccare huiuſmodi iudicem ordinarium vſurpatione iudicij, nec teneri ad reſtitutionem eo titulo, iudicando. Nec ſolùm geſta valere ab hoc iudice ordinario, ſed etiam à iudice delegato ad vnam, vel alteram tantùm cauſam, ſiue ſit iudex ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue fori interni, ſiue externi: de ordinario iudice id docent communiter DD. Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 65.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. cap. 6. num. 162.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 5.* & ita deciſum eſt in vtroque iure.

Leſſius.
Filliucius.
Sanchez.

Probatur primò ex *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*, vbi expreſsè euentus hic, ac contingentia circa iudicem ordinarium deciditur, cùm enim Barbarius iſte eſſet alibi ſeruus, Romæ vbi latebat eius conditio liber exiſtimabatur, vbi ad præturam promotus eſt, cuius officij ob ſeruitutem erat incapax; nihilominus approbantur eius acta, quæ geſſit, quandiu latuit, idque ob vtilitatem communem eorum qui apud illum litigauerant, ibi, *ſi ſeruus quandiu latuit, dignitate prætoria functus ſit; quid dicemus? An quæ dixit, quæ decreuit, nullius fore momenti, an fore propter vtilitatem eorum, qui apud eum egerunt. Et verum puto nihil eorum reprobari, hoc enim humanius eſt, cùm populus Romanus ſeruo potuiſſet decernere hanc poteſtatem.*

Idem probatur ex Synodo Romano III. *quæſt. 7. cap. 1.* & refertur *in cap. infamis 3. quæſt. 7. verſ. verum tamen.* ibi, *ſi ſeruus dum putaretur liber ex delegatione ſententiam daret, quamuis poſtea in ſeruitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet.* Et ratio eſt, quia ſequerentur grauiſſima incommoda, & ſcandala in Republica, ſi detecta ea inhabilitate, & impedimento omnia geſta per iudicem putatiuum reſcindenda forent, omnes enim ſententiæ, collationes officiorum, & beneficiorum præſentationes, & electiones, confeſſiones, matrimonia, & alia huiuſmodi reſcinderentur, tanquam inualida; quibus vt occurreretur, decreuit vtrumque ius omnia per eum geſta, dùm communis error durauit, rata eſſe, ac valida, ac ſi eſſet verus iudex.

4. *Idem dicendum de iudice delegato ad vnam, vel alteram tantùm cauſam.*

De iudice delegato ad vnam, vel alteram tantùm cauſam, id etiam docet Sanchez *d. tom. 1. lib. 3. de matrimonio, diſput. 22. num. 16.* Anton. *cap. cùm dilecta, de reſcript. num. 15.* Abbas *ibi num. 10.* Imola *num. 11.* Filliucius *num. 3.* dicens eſſe omnium, Decius *in cap. ſciſcitatus, de reſcript. num. 38.* Bartol. *ad l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. in 2. lectura, num. 13. & 18.* Paludanus *in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 2. num. 11.* Henriquez *lib. 5. de pænitent. cap. 14. num. 4.* Paludan. *in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 2. n. 11.* & plures alij, quos ſequitur Sanchez *allegatus*, & *ibi* videre poteris.

Sanchez.
Anton.
Abbas.
Imola.
Felin.
Decius.
Bartol.
Baldus.
Paludan.
Henriq.
Sanchez.

Probatur primò ex *d. cap. infamis 3. quæſt. 7.* vbi apertè ſermo eſt de iudice delegato, & tamen eius ſententia ſuſtinetur propter communem errorem, & vtilitatem, cùm verus iudex non eſſet.

Deinde probatur ex *l. 2. C. de ſent. & interlocut.* ibi, *ſi arbiter datus à magiſtratibus, cùm ſententiam dixit, in libertate morabatur*; vbi ſententia illius propter communem errorem decernitur valida, & tamen ſermo ibi eſt de iudice delegato; vt docet *ibi* gloſſa *verb. ſi arbiter*, quam omnes *ibi* ſequuntur.

Tertiò probatur, quia ſi ſeruus, qui teſtis eſſe nequit, communicetur, putetur liber, & teſtis

adhibeatur in aliquo teſtamento, valet teſtamentum; vt patet ex *l.* 1. *C. de teſtamentis*. Et ratio eſt, quia diſpoſitio legis *Barbarius*, quæ communi vtilitati, & errori innititur, habet etiam locum, dum agitur de cauſa vnius.

5. Nec obſtat ratio pro hac parte adducta *num.* 1. *in fine*. nam etſi acta talis iudicis firmitatem, ac valorem a iure habeant, propter communem vtilitatem quæ videtur deficere, cùm agitur de cauſa vnius, vel alterius; tamen ſufficit, quòd hæc communis vtilitas verſetur in qualitate officij, licèt in exercitio ipſo agatur de vtilitate priuata; nam dum ſuperior delegat vnam, vel alteram cauſam alicui, per huiuſmodi delegationem eum conſtituit iudicem publicum; vt conſtat ex *l.* 3. *ff. de iuriſdict. omnium iudicum*, & in conſtitutione huius officij verſatur vtilitas publica, licet in eo agatur cauſa vnius tantùm, quia intereſt Reipublicæ, quòd iuſtitia vnicuique adminiſtretur, & fiat; & ita reſpondent Abbas *in cap. cùm dilecta*, *num.* 10. *de reſcript.* & Felinus *ibi num.* 3. Bartolus tamen *in dicta l. Barbarius*, *in ſecunda lectura*, *num.* 7. *ff. de officio Prætoris*, & Baldus *ibi in ſecunda etiam lectura*, *num.* 17. *&* *l. non dubium*, *num.* 24. *C. de legibus*, *&* *l.* 2. *num.* 83. *C. de ſeruit. & aqua*, & Horoſcio *d. l. Barbar. num.* 28. aliter reſpondent, (& benè) & idem Sanchez *d. diſp.* 22. *lib.* 3. *de matrim. num.* 20. dicunt enim ſat eſſe errorem communem cum titulo putatiuo, quamuis publica vtilitas deſit. Abbas. Felinus. Bartol. Baldus. Horoſcius. Sanchez.

6. Ad fundamenta primæ opinionis reſpondendum eſt, nec titulum putatiuum, nec errorem communem, nec litigantes, nec ſuperiorem titulum conferentem, ſed ius ipſum conferre eam iuriſdictionem tali iudici ad ſingulos actus, velleque vt perinde valeant geſta, ac ſi verus iudex eſſet, ſuppoſito errore commmuni, & titulo præſumpto, putatiuóque: nam ſi habet titulum putatiuum, ſeu præſumptum iudicis ordinarij, erit iudex ordinarius, ſi iudicis delegati, erit iudex delegatus; nomine autem iuris intelligimus Papam in rebus Eccleſiaſticis; & Imperatores, aut Reges in rebus ſæcularibus reſpectiuè in ſuis Regnis. nam quamuis huiuſmodi ſuperiores antea re vera non concederent hanc iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam huic iudici, ſi eius inhabilitatem, & impedimentum ſcirent; tamen poſtea ſuppoſito hoc rerum ſtatu, ne tot ſcandala, & perturbationes in Republica ſuboriantur, illam cenſentur concedere, vt deciſum eſt in vtroque iure, tam ciuili, quàm Canonico, in ciuili, *in l. Barbarius*, in Canonico, *in cap. infamis*, *allegatis*. *Quid nomine iuris intelligatur hic.*

7. Vnde ad ſecundum dicendum eſt, nec litigantes, nec titulum, conferre eam iuriſdictionem, ſed ius ipſum illam conferre, velleque vt ita firma, ac valida ſint geſta, ac ſi verus iudex eſſet. Et quamuis ius non exprimat geſta valere, quo ad forum conſcientiæ, ſatis eſt, ſtatutum eſſe in pertinentibus ad forum contentioſum Eccleſiaſticum, vt intelligamus, quid etiam dicendum ſit in iis, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, cùm eadem ratio ſit de vtroque foro.

Ad *cap. dudum*, *de electione*, dupliciter reſponderi poteſt.

Primò, verè illas animas ex parte ipſarum deceptas, non eſſe; ille enim Prælatus validè abſoluebat, quamuis ex parte ipſius Prælati, quia verus non erat, deceptæ ſint, & quamuis ipſe damnabiliter peccaret; ita reſpondet Abbas *ibi num.* 20. Abbas.

Secundò, reſpondendum eſt impedimentum illius paſtoris notorium fuiſſe, non occultum; atque ita geſta per eum inualida fuiſſe; ita etiam reſpondet idem Abbas, *ibidem*, & vtramque reſponſionem approbat Sanchez *libr.* 3. *de matrimonio*, *diſputat.* 22. *numer.* 14. *fine*. Sanchez.

Ex quibus deducitur omnia geſta in foro interno, & abſolutiones datas per Prælatum, vel Parochum, vel Confeſſarium, quamuis non ſit Parochus, ſed ex delegatione ſpeciali confeſſiones audiat, communi errore Confeſſorem, Prælatum, vel Parochum exiſtimatos, habenteſque titulum putatiuum à legitimo ſuperiore manantem, valida eſſe, & non eſſe iterandas prædictas confeſſiones, detecto impedimento; ita communiter Doctores, Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio*, *diſput.* 22. *num.* 13. *&* 39. Innocentius *in cap. dudum* 12. *de electione*, *num.* 3. Hoſtienſis *ibi*, *verb. damnabiliter*, Cardinalis *ibi quæſt.* 6. Abbas *num.* 20. Ioannes Andreas *num.* 42. Roſella *verb. confeſſio ſacramentalis* 3. *num.* 41. Angelus *verb. confeſſio* 4. *num.* 12. Syluester *verb. confeſſio* 1. *quæſt.* 19. Tabiena *verb. Abſolutio* 1. *num. vltimo.* Armilla *verb. abſolutio*, *num.* 30. Nauarrus *in cap. placuit*, *de pœnitentia*, *diſt.* 6. *num.* 77. *& in ſumma latina*, *cap.* 9. *num.* 11. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia*, *cap.* 6. *num.* 2. *& cap.* 7. *num.* 2. *& lib.* 13. *de excommunicatione*, *cap.* 7. *num.* 6. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 6. §. *eſt aliud dubium.* Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 38. §. *iteranda eſt confeſſio.* Rodriquez *tom.* 1. *ſumma*, *in ſecunda editione*, *cap.* 60. *num.* 3. Veiga *lib.* 5. *ſumma*, *caſu* 223. & alij. Ratio eſt, quia eadem, & maiora ſcandala ſequerentur, ſi geſta in foro interno nulla eſſent, deinde, quia ſuppoſita poteſtate ordinis, vterque forus quo ad poteſtatem iuriſdictionis eſt eiuſdem rationis; igitur quod deciditur in foro externo quoad valorem actus, cenſetur etiam deciſum in foro interno, quo ad eundem valorem. Confirmatur, quia quicumque poteſt abſoluere, & ligare in foro ſoli Eccleſiaſtico, poteſt etiam abſoluere, & ligare in foro animæ, ſi Sacerdos ſit. nam ſuppoſito ordine requiſito habet iuriſdictionem veri Prælati in omnibus, & quoad omnia; igitur ſi poteſt validè abſoluere, & ligare in foro externo, poterit etiam in foro animæ interno. 8. Idem. Innocent. Hoſtienſ. Cardin. Abbas. Ioan. Andr. Roſell. Angelus. Syluester. Tabiena. Armill. Nauarr. Henriq. Aragon. L. Lopez. Rodrig. Veiga.

Dixi, *ſuppoſito ordine*, quia ſi aliquis communiter putetur Sacerdos, vel verus Parochus exiſtimetur, ſi tamen Sacerdos non ſit, abſolutiones illius non valebunt, & iterandæ erunt, & contraria opinio eſt omnino falſa. Et ratio eſt, quia ideò valent geſta per habentem titulum putatiuum, quia vtrumque ius humanum, Eccleſiaſticum, & ciuile ſupplent defectum ob publicam vtilitatem, iuriſdictionem, quæ defecit, concedendo; atqui Ordines ſacri requiruntur ad iuriſdictionem abſolutionis de iure diuino, & naturali, & illorum defectus, impedimentum eſt de eodem iure; ergo non poteſt hic defectus ſuppleri per ius humanum, cùm inferior poteſtatem non habeat in ſuperiorem, 9. *Defectus ſacri Ordinis impedimentũ eſt iuriſdictionis in foro interno.*

riorem, ſuperius autem eſt ius diuinum, & naturale iure humano, & iſtud ſubordinatum illi, & vim accipiens ab illo, non illud ab iſto. Confirmatur, quia Eccleſia non poteſt aliquid mutare circa Sacramentorum ſubſtantiam; vt patet ex Tridentino *ſeſſ.* 21. *in doctrina de ſacramento Euchariſtiæ, cap.* 2. ad ſubſtantiam autem ſacramenti Confeſſionis requiritur ordo ſacerdotalis in miniſtro; & idem etiam patet ex *dicta l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*; vbi textus rationem reddens, ob quam valida ſint geſta à ſeruo exiſtimato homine libero, & vero iudice, cùm verus non eſſet ob ſeruitutis impedimentum, ſic ait. *Et verum puto nihil eorum reprobari, cùm populus Romanus etiam ſeruo potuiſſet decernere hanc poteſtatem.* Sed Eccleſia non poteſt ſupplere defectum poteſtatis ordinis, nec alia impedimenta iuris naturalis, ac diuini: ergo tunc geſta erunt omnino irrita. Vnde non valerent geſta per fœminam communi errore Sacerdotem putatam; ſunt enim fœminæ de iure diuino incapaces ſacrorum Ordinum. Si tamen homo iure diuino capax, quia ſcilicet eſt baptizatus, & Sacerdos inualidè ad ſummum Pontificatum eueheretur, ob vitium aliquod occultum in electione concurrens, ob quod talis electio eſſet prorſus irrita, valebunt eius acta, dum communi errore verus Pontifex exiſtimatur, quia impedimentum eſt iuris humani, & concurrit communis error cùm titulo præſumpto, collato ab habente legitimam poteſtatem.

Non valerent verò geſta à iudice vſu rationis carente, quamuis communi errore ſanæ mentis putaretur, quia tale impedimentum eſt iuris naturæ, & ſuppleri non poteſt per ius humanum. Ita docent Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſput.* 22. *num.* 27. 28. *&* 29. Abbas *cap.* 2. *fine, de Presbytero non baptizato, & cap. ſciſcitatus, num.* 12. *de reſcriptis*, Decius *cap. finali, de conſtitut. num.* 54. Angelus *verb. confeſſio* 4. *num.* 12. Tabiena *verb. confeſſio* 2. *quæſt.* 25. Maſcardus *de probat. concluſ.* 649. *num.* 98. *&* 89, Paludanus *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 6. *art.* 1. *num.* 6. Caietanus *in ſumma, verb. confeſſionis iteratio, cap. confeſſio quare ex parte iteranda.* Palatios *in* 4. *diſt.* 17. *diſp.* 7. Anton. Gabriel *tom.* 3. *comm. lib.* 1. *tit. de probat. concluſ.* 8. *num.* 46.

Sanchez. Abbas. Decius. Angelus. Tabiena. Maſcard. Paludan. Caietan. Palat.

10. *Quot conditiones requiruntur, vt acta iudicis putatiui valeant.*

Itaque quatuor conditiones debent concurrere, vt iudicis putatiui acta valeant.

Prima, ex parte ipſius iudicis, nimirum, vt habeat titulum putatiuum, & coloratum.

Secunda, ex parte populi, vt communi errore putetur legitimus ſuperior; vtrumque colligitur ex iuribus citatis *num.* 2.

Tertia, ex parte tituli, vt ſcilicet talis titulus putatiuus ſit obtentus ab eo, qui aliàs poterat illum conferre; vt inſinuatur *in d. l. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* nam ſi talis titulus non ſit ab eo acceptus, qui poterat illum dare, iam non haberet ille titulus colorem, quo verus videri poſſit, imò nullum haberet titulum, cùm hic nonniſi à ſuperiore dari poſſit, omnis enim iuriſdictio à ſuperiore deſcendit, ac ſubinde omnia illius iudicis acta eſſent inualida.

Quarta, vt talis iudex iure diuino, aut naturali, non ſit incapax officij, quia tunc ius humanum non poteſt ſupplere defectum iuris diuini, & naturalis; minor enim non poteſt habere iuriſdictionem ſuper maiorem, quando ſunt ſubordinati, & dependentes, & ius humanum ſubordinatum eſt iuri diuino, & naturali, non è contrario; & aliqua ex his conditionibus deficiente, acta iudicis erunt inualida, his verò omnibus concurrentibus erunt valida, quia ius ipſum confert extraordinariè iuriſdictionem tali iudici putatiuo ad ſingulos actus, & quamuis iuriſdictionem in habitu non habeat, habet tamen illam in actu à iure conceſſam, ad ſingulos actus propter bonum commune; ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 65. *verſ. notandum eſt.* Ex dictis Leſſius.

11. *Collatio iuriſdictionis conſiſtit in inſtitutione beneficij.*

Sequitur primò illum, qui eſt præſentatus, vel electus ad aliquod beneficium, ſi inſtitutionem, confirmationémve, in qua conſiſtit collatio poteſtatis, & iuriſdictionis, ab eo Prælato accipiat, qui non habet ſaltem titulum coloratum, cum communi errore, quo verus Prælatus exiſtimetur, nihil agere, & eſſe intruſum, & collationem eſſe inualidam; ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 65. *verſ. hinc fit*, Nauarrus *in cap. placuit, de pœnitentia, diſt.* 6. *à num.* 180. Et ratio eſt, quia cùm beneficium acquiratur, & conferatur per inſtitutionem, confirmationémve Ordinarij, iuxta Panormitanum *in cap. quod autem, de iurepatronatus*, & Sraphilæum *de literis gratiæ, tit. de modis prouiſionis, num.* 5. & Leſſium *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 13. *num.* 11. & Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *quæſ.* 3. Si huiuſmodi Prælatus hunc non poſſet inſtituere, non eſſet verè collatus, ac proinde nec haberet iuriſdictionem; atqui non poterat illum inſtituere, ſi titulum exiſtimatum concurrente communi errore, non habebat; ergo talis collatio fuit nulla, & conſequenter ſacramenta confeſſionis, & matrimonij, à tali beneficiato facta fuerunt inualida, & iteranda ſunt.

Leſſius. Nauarr. Panormit. Staphilæus. Leſſius. Azor.

Sequitur ſecundò, valida eſſe geſta per iudicem habentem titulum putatiuum cum communi errore reſpectu eorum, qui tale impedimentum non ignorabant, imò ſciebant illum non eſſe verum iudicem, ſed putatiuum tantùm; ita docent Leſſius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 66. *verſic. quartò ſequitur*, Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſput.* 22. *num.* 42. Syluester *verb. excommunicatio* 3. §. 5. Ancharranus *in cap. decernimus, num.* 11. *de ſententia excommunicationis in* 6. & *ibi* Francus *num.* 8. & idem Francus *cap.* 1. *de except. in* 6. *num.* 8. Socinus *de regulis iuris, litera C. verb. collatio, ſub num.* 70. *verſic. collatio beneficij*, Caſtro *lib.* 2. *de lege pœnali, vltimo, concluſ.* 2. *ad finem.* Antonius *in cap. ad probandum, num.* 11. *de ſententia, & re iudicata*, & *ibi* Abbas *num.* 15. *&* 16. Alexander de Neuo *num.* 27. Imola *num.* 6. Felinus *num.* 8. & alij. Et fundamentum eſt, quia hæc iuriſdictio conceſſa eſt generatim propter errorem communem. Vnde priuata ſcientia paucorum illam non impedit. 12.

Leſſius. Sanchez. Syluester. Ancharan. Francus. Socin. Caſtro. Anton. Abbas. Alexand. Imola. Felin.

Hinc fit, quòd ſi quis per collationem Epiſcopi excommunicati non tolerati recipiat beneficium, conſcius talis excommunicationis, quæ tamen communiter ignoratur, valeat collatio beneficij, poterit tamen illo priuari, dum autem non priuatur, tuta conſcientia illud poteſt retinere, quia ad valorem geſtorum, & 13.

colla

collationis, non attenditur error, aut ignorantia vnius, aut alterius, ſed communis, neque enim leges ſolent conſiderare, quæ in vno caſu particulari poſſunt contingere, ſed quæ communiter contingere ſolent, *l. nam ad ea, ff. de legibus*; ita expreſsè Sanchez, & Leſſius *allegati*. Sanch.

Et ſimiliter abſolutio data à Parocho, quem quis ſcit eſſe excommunicatum, denunciatum valet, ſi communiter ignoratur taliter eſſe excommunicatum. Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 45. & 34. ad finem, verſic. idem dicendum eſt*; & patet ex his, quæ diximus *cap. 6. num. 11.* & ex DD. *ibi allegatis*.

14. Idem dicendum eſt, quando alicui iuriſdictio, aut titulus occultè eſt ablatus, & nihilominus ille ſe pro ſuperiore gerit, & communi errore talis habetur, quod quinque modis poteſt contingere.

Primò, ſi beneficium ipſo iure, & facto, propter aliquod crimen vacet.

Secundò, ſi per ſententiam ei ſit ablatum.

Tertiò, ſi poteſtas, & iuriſdictio delegati ab eo ſit reuocata.

Quartò, ſi delegans ſit mortuus.

Quintò, ſi iuriſdictio delegati ſit ſuſpenſa: ita communiter Doctores, Panormitanus *in cap. nihil, de electione*, Nauarrus *in cap. placuit, de pœnitentia, diſtinct. 6. num. 180.* Aragonius *2. 2. quæſt. 60. art. 6.* Paludanus *in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 3.* Syluester *verb. Confeſſor 1. quæſt. 19.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſput. 22. num. 56. 57. & 58.* vbi citat multos Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 67.* Ratio eſt, quia adhuc hîc duo illa concurrunt, titulus publici officij, & error facti. nam etſi beneficium, ſeu officium, & iuriſdictio Parochi ei iure ſit adempta, quando propter crimen occultum aliquod ipſo iure vacat, & quando per ſententiam iudicis officio, aut beneficio priuatur, tamen in primo caſu id omnino occultum eſt; & in ſecundo non ita omnino eſt adempta, vt non adhuc aliquæ reliquiæ maneant, retinet enim adhuc poſſeſſionem de facto, licèt non retineat de iure, quod ſatis eſt, vt ſpeciatim notarunt Leſſius, & Nauarrus *allegati*, & Sanchez *d. lib. 3. diſp. 22. num. 58.* concurrente communi errore, quo putetur adhuc verus iudex, & idem ſine dubio erit ſi ipſe ab ea ſententia appellauit; ſuſpendit enim appellatio prædictam iuriſdictionis adeptionem.

Panormit. Nauarrus. Aragon. Paludan. Syluester. Sanchez. Leſſius.

Nec obſtat *cap. dudum 2. de electione*, vbi ſignificatur abſolutiones datas ab eo, cuius beneficium ipſo iure vacauerat, propter incompatibilitatem duarum parochialium Eccleſiarum, quas abſque diſpenſatione retinebat, obtenta enim ſecunda vacat prior, iuxta diſpoſitionem Concilij generalis, *cap. de multa, de præbendis*. ibi, *in multarum animarum diſpendium duas Parochiales Eccleſias retinebat, & ſic per ipſum eadem anima damnabiliter ſunt deceptæ*. quia publicum, & notum erat illas vacare, nam ſi id occultum ratione communis ignorantiæ fuiſſet, non fuiſſent irritæ, iuxta DD. quos allegauimus *ſuprà, num. 7.* & ſic docet etiam Leſſius *allegatus, n. 67. verſ. nec obſtat*.

15. Iam verò ſi poteſtas, & iuriſdictio iudicis delegati, ei ſit occultè reuocata, adhuc valebunt acta iudicis, quia retinet de facto titulum iuriſdictionis, cum communi errore, quo putatur iudex verus; ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 67. verſic. de ſecundo modo*, & Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, cap. 6. num. 2. in commento litera E.* vbi dicit valere abſolutionem, ſi habet titulum coloratum, & ignoratur reuocatio iuriſdictionis, & *lib. 2. cap. 4.* valere confeſſiones factas virtute Bullæ Cruciatæ, vel facultatis, quæ neſcitur eſſe reuocata. idem docet Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſput. 22. num. 58.* vbi expreſsè aſſerit probabilius eſſe, dum priuatio iuriſdictionis, & hominis inhibitio eſt occulta, adhuc valere geſta concurrenti communi errore; quia, vt ait Baldus *l. 1. num. 12. C. de teſtamentis*, adhuc remanent quædam reliquiæ, remanet enim eius iuriſdictionis poſſeſſio de facto, & non de iure, & datur error communis ortus à iuſto tituli initio; & idem tenet idem Baldus *in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, in lectura prima, num. 30.* & *ibi* Iaſon. *num. 68.* & idem Baldus *l. 2. num. 8. C. de ſententia interlocut. & l. 2. num. 12. C. de ſeruitut. & aqua, & l. 1. num. 12. C. de teſtamentis*, vbi Cornelius *num. 14.* Maſcardus *de probat. concluſ. 649. num. 67.* vnde Henriquez *citatus, dicto lib. 6. cap. 6. de pœnitentia, num. 3.* quem ſequitur Sancius *allegatus*, rectè ait, Sacerdotem ad annum approbatum elapſo anno non reputari idoneum; addit tamen *in commento litera I.* ſi communi errore vulgi cenſeatur adhuc approbatus valere abſolutionem, & *cap. 7. num. 2. in commento litera G.* aſſerit valere abſolutionem ſi quis per Bullam, quæ in eo oppido ignoratur reuocata, eligat Confeſſorem; & meliùs *lib. 5. de pœnitentia, cap. 14. num. 4.* aſſerit dum ignoratur an Summus Pontifex reuocauerit gratiam Bullarum, aut Epiſcopus licentiam, qua approbauit quoſdam idoneos, valere confeſſiones virtute talis licentiæ factas, idem docet Rodriquez *tom. 1. ſumma, in ſecunda editione, cap. 60. num. 3.* vbi ait valere confeſſiones à Religioſis ſemel approbatis factas, licèt occultè priuati ſint per ſuperiorem ſuæ Religionis, facultate audiendi prædictas confeſſiones; quod id ipſum tenet Sanchez *d. lib. 3. de matrimonio, diſput. 22. num. 58. ad finem*, & Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 67. verſic. de ſecundo modo*, peccabit tamen ipſe Religioſus contra obedientiam ſuo ſuperiori debitam, & mortaliter quidem, quia in re graui non vult parere, vt patet.

Leſſius. Henriq. Sanchez. Baldus. Iaſon. Cornel. Maſcard. Henriq. Sanchez. Rodriquez.

Confeſſio Religioſorum quos Epiſcopus approbauit valet, etſi priuentur occultè à ſuis ſuperioribus poteſtate abſoluendi.

Sanchez. Leſſius.

De quarto modo reuocationis per mortem delegantis, verius eſt etiam, valere, quia etſi morte, vel priuatione officij delegantis expiret poteſtas delegati, re adhuc integra, vt patet ex *l. more, ff. de iuriſdictione omnium iudicum*; & ex *cap. licèt*, & ex *cap. gratum*, & ex *cap. relatum, de officio delegati*, tamen quandiu hoc communiter ignoratur, & ille ſe gerit pro delegato, eſt eadem ratio; quæ in ſupradictis *num. 15.* ita tenet Thomas Sanchez *citatus, num. præcedenti*; & Leſſius *ibi allegatus, verſic. de tertio*, & confirmatur, quia mortuo Epiſcopo expirat poteſtas Vicarij Generalis, & tamen valent acta Vicarij, & litteræ demiſſoriæ ab eo datæ, ſi communiter mors Epiſcopi ignoratur, quamuis ipſe Vicarius ſciat, illum eſſe mortuum: vt docet Henriquez *lib. 3. de pœnitentia, cap. 13.* & Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 67. verſic. de tertio,* 16.

Sanchez. Leſſius. Henriq.

tio, *ad finem*; nec deſinunt iſtæ litteræ valere, etiamſi poſtea re integra, ſciatur mortem Epiſcopi fuiſſe priorem; vt docet Henriquez *de ordine*, *cap.* 22. & tamen maior eſt dependentia Vicarij Generalis ab Epiſcopo, quàm iudicis delegati à delegante, cùm à Vicario ad Epiſcopum non detur appellatio, & ſit idem Tribunal, & à iudice delegato detur appellatio ad delegantem; vt docet gloſſa *in cap.* 2. *de conſuetudine in* 6. quia eſt diuerſum Tribunal; ergo ſi valent acta Vicarij mortuo Epiſcopo, in hoc caſu à fortiori valebunt acta delegati mortuo delegante.

17. Idem quoque dicendum eſt, ſi iuriſdictio delegantis ſit ſuſpenſa, non enim inualidat acta iudicis delegati, dum communiter ignoratur eius ſuſpenſio; & ratio eſt, quia ſi primaria ſuſpenſio, quæ eſt in hoc ipſo delegante, non inualidat actum ipſius, dum communiter ignoratur, multo minus inualidabit acta delegati, qui ſolum ſecundariò ſuſpenſus eſt, ad ſuſpenſionem ipſius delegantis, ita Leſſius *allegatus d.lib.* 2.*cap.*29.*dub.*8.*num.*67.*verſ.de quarto.* Leſſius.

18. Imò non ſolùm error communis, ſed etiam probabilis opinio ſufficit, vt Eccleſia concedat iuriſdictionem præcedente titulo colorato, etiamſi fortè opinio illa ſit falſa; vt docet Henriquez *lib.* 2. *de pœnitentia*, *cap.* 14. *num.* 3. *&* 4. & Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio*, *diſp.*22. *num.* 65. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 68. Vnde ſi ſint duæ opiniones diuerſæ, & probabiles, an aliquis ſit legitimus miniſter matrimonij, aut confeſſionis, aut licentia illi conceſſa ſit legitima, vel priuilegium Bullæ reuocatum, aut an extendatur ad illum caſum, & opinio negans ſit coram Deo vera, affirmans verò falſa; dum tamen veritas illa latet, & probabili opinione oppoſita cenſetur probabilis, confeſſiones factæ, & matrimonia celebrata coram tali miniſtro virtute talis licentiæ, aut priuilegij, valent, quia eſt communis error, titulusque præſumptus collatus à legitimo ſuperiore, & ille defectus iuriſdictionis miniſtri poteſt à iudice ſuppleri. Henriq. Sanchez. Leſſius.

19. Similiter ſi Parochus fictè concedat licencentiam Sacerdoti aſſiſtendi matrimonio, abſque vera intentione concedendi, ſed ſolis fictis verbis, & Epiſcopus fictè etiam approbet Sacerdotem ad audiendas confeſſiones, validum eſt ſacramentum in vtroque caſu; in primo, quia concurrit licentia collata à legitimo ſuperiori, & eius nullitas eſt occulta; atque ita adeſt communis error cum titulo præſumpto, ſicut licentia conceſſa excommunicato alibi denunciato, audiendi confeſſiones, inualida eſt, & dum in hoc loco excommunicatio eſt occulta, inualidæ ſunt confeſſiones virtute talis licentiæ, auditæ, ratione communis erroris, in ſecundo, quia ratihabitio de præſenti reputatur in iure, & apud petitos vera licentia, & ita concurrit communis error, cum vera licentia, ita docet Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio*, *diſput.* 22. *num.* 64. *& num.* 9. *&* 13. *& diſput.* 35. *num.* 20. Roſella *verb. confeſſio ſacramentalis* 3. *num.* 31. Syluester *verb. confeſſor* 1. *quaſt.* 6. *fine*, *& quaſt.* 15. Tabiena *verb. abſolutio*, *num* 41. Armilla *ibi num.* 17. Victoria *in ſumma de confeſſione*, *num.*153. Nauarrus *in ſumma latina*, *cap.*9. *num.*6. Sotus *in* 4. *art.*3. *verſic.circa confeſſiones.* Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia*, *cap.* 13. *num.* 13. Ludouicus Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 38. *poſt principium.* Capua *lib.* 1. *deciſion. cap.* 17. *num.* 3. *&* 4. & alij, quos citat Sanchez *d.lib.*3. *de matrimonio*, *diſp.*35. *num.* 20. contra Petrum Ledeſmam *de matrimonio*, *quaſt.* 45. *art.* 5. *puncto* 3. *dub.* 4. *fol. mihi* 192. *columa.* 2. *fine*, contrarium ſine fundamento aſſerentem.

Illud notandum eſt ad finem huius capitis, non ſolùm ſententiam latam per iudicem omnino incompetentem eſſe nullam, ſed etiam omnia acta, omnémque proceſſum prædicti iudicis, de iure eſſe nullum, vſus tamen, & praxis Luſitana habet ſolam ſententiam prædicti iudicis annullari; acta verò non annullantur, ſed ad iudicium, & iudicem competentem, remittuntur, & ſuſtinentur ad cohibendas lites, finémque illis imponendum, niſi pars reclamet, ex eorum annullatione intereſſe aliquod intendens, quam praxim laudat egregiè Aluarus Valaſcus *tom.*1.*conſult.*65.*ad finem*, & Cabedo *tom.*1.*deciſ.*159. & Gamma *deciſ.*219. & id conforme eſſe iuri docet Alexander *in l. non ſolùm*, §. *morte*, *ff. de noui operis nunciation.* idque ne partes expenſis litium vexentur, & vt litium ſit finis, *l.finali ff.de vſucapionib.cap. finem*, *de dolo*, *& contumacia.* 20.

CAPVT XX.

An Tyrannus peccet vſurpatione iudicij, & eius ſententiæ ſint validæ, & an iudex poſſit aliquem non citatum, & non auditum condemnare.

SVMMARIVM.

Dupliciter poteſt quis dici tyrannus. n.1.

Proponitur opinio affirmans illos tyrannos, qui regna aliena nullo titulo habent vſurpata, non poſſe in ijs Regnis leges validas ferre, nec eorum iudicia, & ſententias eſſe validas. n.2.

Quid ſi præſcriptione, aut ciuium conſenſu, fiant poſtea principes. ibid.

Proponitur ſententia aſſerens poſſe ferre leges validas, & illorum acta omnia, & iudicia eſſe valida. n.3.

Proponitur ſententia aſſerens iudicia eſſe valida, & leges validas; peccare tamen huiuſmodi tyrannos, mortaliter illas ferendo, & iudicando. n.4.

An aliquis teneatur huiuſmodi tyrannis tributum ſoluere. n.5.

An iudices inferiores peccent iudicando ſecundum has leges. n.6.

An peccent tyranni, ſi nocentes, & criminoſos vaſallos Regni iniuſtè occupati ſeruato iuris ordine puniant, & occidant. n.7.& 8.

Iudicium authoris circa opiniones relatas. n.9.

Soluuntur argumenta contrariarum opinionum. n.10.

Moyſes an iuſtè occiderit in Ægypto illum Ægyptium, qui opprimebat Hebræum. ibid.

Tyranno illi, qui moribus talis eſt, legitimus tamen Princeps, ſi leges ferat iuſtas, parendum omnino eſt. n.11.

Iudex inferior neminem poteſt non citatum, & non auditum damnare, aliter ad reſtitutionem damnorum tenetur. n.12.

Quid ſi aliqui termini iuris, illius arbitrio relinquuntur. n.13.

An

An Princeps ſupremus poſſit contra aliquem ſubditum legitimam ferre ſententiam tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, eo non audito, num. 14. *Refertur ſententia affirmans.* *ibid.*

Refertur negans ex melioribus fundamentis. *n.* 15.

Supremus Princeps poteſt in iudicijs diſpenſare in his, quæ ſunt de iure poſitiuo, non in ÿs, quæ ſunt de iure naturali. *n.* 16.

An poſſint ſupremi Principes aliquem abſoluere ex certa ſcientia, eo non audito. *n.* 17.

Quid ſi crimen ſit valde atrox, & non expediat euulgari, an tunc poſſit ſummus Princeps aliquem inauditum damnare. *n.* 18.

Quid ſi non agatur de puniendo crimine; ſed de auertendo malo. an tunc poſſit ſupremus Princeps aliquem non auditum damnare ad mortem. *n.* 19.

1. *Tyrannidis duplex modus.*

NOTARI velim, dupliciter poſſe eſſe aliquem tyrannum, primò vſurpatione poteſtatis, qualis eſt, qui abſque vllo iure Rempublicam inuaſit, & occupauit, vt Turca, qui Imperium Orientis, & Regna Chriſtianorum Principum nullo titulo inuaſit, nullo iure poſſidet, ſed totum illius ius eſt in armis: ſecundò, cùm aliâs ſit verus Princeps, legitimam poteſtatem habens in ſuos ſubditos, tyrannicè tamen gubernat. De primo præcipuè agemùs; de ſecundo, non nihil breuiſſimè attingam.

2. Eſt igitur circa primum modum tyrannidis tripartita opinio.

Sententia prima.

Prima aſſerit, eum tyrannum, qui Rempublicam iniuſtè inuaſit, & occupat, nullam legem iuſtam ferre poſſe, nec ius dicere quod in conſcientia ciues obliget niſi præſcriptione, aut Reipublicæ conſenſu legitimus poſtea fiat Princeps, vt de Francis apud Gallos, & de Gothis apud Hiſpanos legitur, ac proinde omnia acta illius eſſe irrita, irritaſque ſententias reſpectu ciuium Regni, ac Prouinciæ iuſtè occupatæ; ita Sotus *lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 4. art. 6. verſic. ex quo ſit primum.* Syluester *verb. lex, num.* 5. & alij communiter, & expreſsè Soarius *lib. 3. de legibus, cap.* 10. *num.* 17. *in fine, fol mihi* 234. *col.* 2. Ratio, ac fundamentum illius eſt, quia in non ſubditos, nulla eſt iuriſdictio, nulla authoritas imperandi, iuxta id ad Romanos 14. *Tu quis es, qui indicas alienum ſeruum*; atqui ciues Regni iniuſtè, & tyrannicè occupati, non ſunt ſubditi, nec vaſalli de iure inuadentis tyranni; ergo nec ille poteſt validas leges erga illos ſancire, nec illi tenentur in conſcientia obedire ſi fuerint ſancitæ; ſicut enim ſententia à non iudice, quantumuis iuſti, non obligat; ita nec leges latæ à non vero, & legitimo Principe, obligare poſſunt, nam lex, & præceptum, vt tale eſt, neceſſariò poſtulat aliquam poteſtatem iuriſdictionis in præcipiente non poteſtatem dominationis, abſolutè loquendo; vt optimò docet Soarius *lib.* 1. *de legibus, cap.* 8. *num.* 6. &c. Tyrannus autem iniuſtè Regnum inuadens non habet authoritatem, & poteſtatem gubernationis in ciues illius Regni, quod iniuſtè occupauit, licèt habeat dominationis; ergo illius leges nec obligant, nec vllum valorem habent. Confirmatur, quia poteſtas dominatiua per ſe eſt priuata, & in vna tantùm perſona, reſpectu alterius dari poteſt; poteſtas autem gubernatiua per ſe, eſt poteſtas publica, & ad communitatem ordinata, vnde talis communitas, cùm iure ſubdita non ſit, parere non tenetur, & ſi pareat etiam in iis, quæ recta ſunt, videtur cooperari ad malum, & fauere iniuſtitiæ, ſeu tyrannidi illius.

Sotus.
Syluester.
Soarius.

3. *Sententia ſecunda.* Victoria.

Secunda opinio eſt contraria, opinione Soti, eam docet Franciſcus Victoria *in relectione de poteſtate ciuili, num.* 23. aſſerens eos tyrannos, qui iniuſtè Regna Chriſtianorum inuaſerunt, licitè poſſe facere leges validas, & firmas, quæ obligent in conſcientia ciues iſtorum Regnorum, & teneri illos in conſcientia illis parere, ſi aliunde iuſtæ ſint. Fundamentum eſſe poteſt, quia iuſtitia eſt quædam agendorum rectitudo, vnde ſententia iuſta à quocumque pronuncietur, videtur amplectenda, & obligare; nam Moyſes in Ægypto, priuatus homo erat, & occidit iuſtè Ægyptium, *Exodi* 2. & Phinees filius Eleazari occidit Zambri *Num.* 25. & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, vt dicitur *in Pſalmo* 115. licitum eſt ergo priuatis hominibus citra authoritatem publicam iudicare, & ſententias proferre validas, & iuſtas, & ſi hoc eſt licitum, tenentur illi parere, contra quos tales ſententiæ feruntur.

4. *Sententia tertia verior.*

Tertia ſententia docet tyrannum huiuſmodi peccare lethiferè contra iuſtitiam vſurpatione iudicij iudicando legéſque ferendo, ſententias tamen, & leges illius validas eſſe, obligare in conſcientia ciues, tenerique proinde illis obtemperare, donec irritentur; hanc tenere videtur Caietanus *in ſumma, verb. tyrannus*, & Armilla *eodem verb.* & inſinuat Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 14. *num.* 42. Expreſsè eam tenet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 9. *num.* 70. & validis argumentis confirmat,

Primò, quia iudicando, & ferendo leges gerit ſe vt verus Princeps, & vſurpat iuriſdictionem veri, ac legitimi Principis, cùm tamen re vera, verus Princeps non ſit; peccat igitur mortaliter vſurpatione iudicij,

Secundò, quia eius ſententiæ, & leges, & iuſta mandata etſi non habeant vim obligandi à tyrannica poteſtate, habent tamen aliunde primò, & inchoatiuè à iure naturali, quod ſuppoſito tali rerum ſtatu, tacitè approbat eius leges, mandata, & acta, vtilitati communi, & conſeruationi Reipublicæ conſentanea, & tacita quadam approbatione, & conſenſu vult, vt ſententiæ iuſtæ, quibus lites ciuium dirimantur, & ſontes plectantur, ſint validæ, & vt leges, quæ ad bonum ciuium, & conſeruationem illorum diriguntur, obligent, niſi enim validæ eſſent ſententiæ, & leges obligarent, nemo profectò, niſi in ſpeciem obtemperaret; & contrarium occultè faceret cum magno incommodo, & detrimento Reipublicæ. Secundò, ex conſenſu Reipublicæ occupatæ; poteſt autem Reſpublica hanc vim ob ſui conſeruationem, & bonum commune iuſtis tyranni ſententiis, legibus, & actis in ſuos ciues dare, quia eſt ſingulorum ſuperior, etiamſi tyrannicè ſit oppreſſa.

Volunt etiam aliqui id confirmare; quia Romani oppreſſerunt Iudæos per tyrannidem, & tamen Chriſtus Dominus *Matth.* 22. inſinuat reddendum eſſe Cæſari tributum, eique deberi, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Vnde iuxta hanc ſententiam Leſſij leges, & ſententiæ tyranni validæ quidem ſunt, & obligant, non quatenus procedunt à poteſtate, & authoritate, per tyrannidem vſurpata; ſed quatenus procedunt à poteſtate, & authoritate à ciuibus, huic tyranno in bonum commune, & ſui conſeruationem, ſuppoſito hoc rerum ſtatu, tacitè collata.

Verùm

5. *Non ei debentur tributa in conſcientia.* Verùm credo, cum Leſſio *allegato*, *num.* 74. neminem in conſcientia teneri tyranno tributum ſoluere, niſi fortè cauſa ſcandali, vel maioris mali vitandi, neque enim ratio naturalis id dictat, neque Reſpublica cenſetur id velle, quia expedit illum pauperem eſſe, vt faciliùs excutiatur, id etiam videtur inſinuare Chriſtus Dominus *Matth.* 17. cùm petentibus publicanis Capharnaiticis ab eo, & à Petro tributum pro ingreſſu vrbis, dixit Petro, *Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Nam ſententia Chriſti Domini eſt generalis, ſolùm ſignificans vero Principi reddendum eſſe quod ei debetur, non enim conueniebat, vt quæſtionem tunc definiret.

6. Leſſius. Et conſequenter aſſerit Leſſius in ſua opinione *numero* 75. iudices inferiores à tyranno conſtitutos non peccare ius dicendo, modò eius tyrannidem non ſuſtenent, ac iuuent, & alioqui rectam iuſtitiam adminiſtrent, ex eodem ſcilicet principio, ac fundamento, quòd ipſa Reſpublica, poſito hoc rerum ſtatu, tacitè in illos propter commune bonum, & ſui conſeruationem conſentiat, alioqui omnia eſſent plena rapinis, & ſcandalis, niſi hos iudices tacito conſenſu approbaret, cùm eos eligere publicè non poſſint, aliter quiſque eſſet iudex ſuæ cauſæ, & ſic non iuſtitia, ſed potentia ius diceret, & ferret ſententiam.

Et ex dictis patet, quid dicendum ſit de hæreticis, qui per tyrannidem inexplebilem, & libidinem dominandi contra omne ius, & iuſtitiam aduersùs verum Principem, ac dominum ſuum Regem Hiſpaniarum in Holandia, ac Zelandia rebellarunt, concitantibus eos ad eam rebellionem nouatoribus ebrio-Euangeliſtis.

7. Aſſerit etiam Leſſius conſequenter, ad ſuam ſententiam, *numero* 78. non peccare tyrannos, qui per tyrannidem Rempublicam occuparunt, nec teneri ad reſtitutionem, dum ſontes Reipublicæ ciues, ac Regni per tyrannidem occupati, ſeruato iuris ordine, interficiunt, ſuſpendunt, ac bonis ſpoliant, quia Reſpublica tacitè ad hoc illis tribuit authoritatem, dum conſentit, & cupit, vt ita faciant ad vitanda maiora ſcandala, vnde ſolùm prædicti tyranni peccant in hoc, & ſimilibus actis, quatenus ſe gerunt, vt Principes vſurpatione officij continuantes poteſtatem antea iniuſtè aſſumptam, non quatenus rectam iuſtitiam adminiſtrant.

Nec obſtat, quòd tyranni non intendant vti in iudicando ea poteſtate, & authoritate, quam ſibi Reſpublica ſuppoſito eo rerum ſtatu, tacitè confert, ſed ea tantùm, quam ſibi aſſumpſerunt, & quam re vera non habent, vt dicamus eos verè eſſe homicidas, & teneri ad reſtitutionem, ſicut tenentur quicumque alij homines, priuata authoritate, ſontes occidentes. nam etiamſi authoritate ſibi aſſumpta intendant vti, tamen non excludunt authoritatem, quam Reſpublica ad huiuſmodi actus tacitè illis concedit, ſed intendunt vti omni ſua authoritate, quam habent, & ita occidunt ſontes authoritate publica iuſtè, & ſeruato iuris ordine, vnde non ſunt homicidæ, nec tenentur ad reſtitutionem.

Explicans tamen Soarius *lib.* 3. *de legibus, cap.* 10. *numero* 9. *folio mihi* 234. *colum.* 2. *litera B.* primam, quam ſecutus fuit, ſententiam, ait quaſdam eſſe actiones, ita honeſtas ex ſe, & ex natura ſua, vt nemini omnino detrimentoſa ſint, in nulliuſque nocumentum cedant, neque indigeant poteſtate publica, vt rectè fiant, vt ſunt, v. c. deferre hæc, vel alia arma, ſoluere tributum, quia licèt ex parte exigentis requirant poteſtatem, tamen ex parte ſoluentis illam, per ſe loquendo, non requirunt; ſolutio enim tributi nulli immediatum affert nocumentum, niſi ſoli ſoluenti, qui poteſt cedere iuri, & vtilitati ſuæ. Alias eſſe actiones, quaſdam quæ inuoluunt nocumentum tertij, & vt iuſtè fiant, requirunt poteſtatem publicam, vt occidere malefactores, etiam dignos morte, & ſimiles. De prioribus actionibus aſſerit Soarius, licitum eſſe ſeruare leges, & præcepta tyranno data; quia illæ actiones tales ſunt, vt propria authoritate, & voluntate honeſtè fieri poſſint ſine lege, & præcepto: quòd autem fiant poſito illo inualido præcepto, ac lege, à non ſuperiore emanante, parum refert, quia non habent circumſtantiam, quæ reddat actum malum; ſed tantùm habent tolerantiam quandam violentiæ, quæ nulli affert nocumentum. De poſterioribus aſſerit peccare omnino ciues, ſi pateant, & peccare etiam iudices inferiores ab his tyrannis conſtitutos ad iuſtitiam miniſtrandam; quia honeſtas harum actionum pendet omnino, & aſſiduè ex vera poteſtate publica, ſine qua nullus poteſt alium condemnare, aut condemnationem iniuſtam ad executionem mandare: iniuſtam autem eſſe talem condemnationem, & executionem, cùm fiat à non iudice, à non Rege, & à non domino, etiamſi mortis condemnatio iuſtiſſimè mereatur ex factis. 8. Soar.

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones; tertiam Leſſij iudico probabiliorem. Prima tamen Soarij, & Soti, in rigore loquendo, eſt probabilis; ſed eſt periculoſa conſcientiis, & condemnat multos miſeros, qui oppreſſi à tyrannis, ab illis iudices conſtituuntur, & eſt adeò ſubtilis, vt vix quiſquam etiam doctus, poſſit diſcernere inter alias actiones, quæ ſunt de ſe bonæ, vel non bonæ, & quæ vergunt, vel non vergunt in præiudicium tertij; quare ſententia Leſſij omnino ſequenda eſt; eſt enim clara, rationabilis, explicatu facilis, & eam tandem approbat Soarius *dicto libro* 3. *de legibus, cap.* 10. *numero* 9. *ad finem*, vbi ita ait. *Quia tamen Reſpublica non poteſt tyranno reſiſtere, illum tolleret; & ab eo ſe gubernari ſinat, & tacitè conſentiat, ac velit iuſtitiam per eum adminiſtrari propter bonum commune, & quia minus malum eſt per illum gubernari, quàm omnino carere iuſta actione iuſtitiæ; & ideo non erit peccatum obedire, etiam in dictis actionibus; quia Reipublicæ conſenſus ſupplet defectum poteſtatis tyranni.* hæc ille. 9. *Iudicium Authoris.* Soar.

Fundamenta primæ opinionis, quatenus contra nos aliquid habent, iam ſoluta ſunt. 10.

Ad fundamenta ſecundæ reſpondeo eum tyrannum validas leges poſſe ſancire, quibus omnes

ciues vſurpati Regni parere teneantur, non ex vi vſurpatæ poteſtatis, ſed ex vi poteſtatis ſibi à Republica, ſuppoſito eo rerum ſtatu ob bonum commune, & ſui conſeruationem conceſſæ, & quamuis iuſtitia ſit quædam agendorum rectitudo, requirit tamen in faciente illam iuriſdictionem, quam ſi iudex non habet, nemo ei tenetur parere tanquam iudici. Exemplum Moyſi nihil probat; nam Moyſes, vt alibi diximus, dupliciter iuſtè potuit occidere Ægyptium iniuſtè opprimentem Hebræum, vel in defenſionem innocentis, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; vel tanquam legatus extraordinarius Dei cum pleniſſima iuriſdictione ad vindicandas iniurias populi Dei, illúmque è miſera ſeruitute Ægyptiorum liberandum; quod videtur aſſerere ſacra pagina *Actor.* 7. dum ait, quòd percuſſo Ægyptio exiſtimauit Moyſes, intelligere fratres ſuos, quoniam Dominus per manum ſuam illis daret ſalutem, id eſt, libertatem. ita Sotus, ex Diuo Auguſtin. & Ambroſ. *lib.* 3. *de iuſtitia, quæſt.* 4. *art.* 6. *verſ. ſecundum argumentum.* Exemplum verò Phinees nullam habet difficultatem. nam Moyſes, vt habetur *Numerorum* 25. authoritate diuina iuſſit, vt vnuſquiſque fratrem ſuum, quem reum agnoſceret, interimeret; vnde eadem ille authoritate occidit Zambrim, & ideo reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

11. Tyranno autem ſecundo modo, qui ſcilicet moribus eſt tyrannus, legitimus tamen Princeps, ſi leges aliunde ferat iuſtas, parendum omnino eſt in conſcientia, quæ concluſio eſt certa de fide, poteſtatem condendi leges nihil pendere à moribus Principis, ſed à poteſtate, vnde cùm ſit legitimus, & naturalis Princeps, & leges iuſtæ, illius ordinationi repugnare, graue delictum eſt; vt docet Soarius *lib.* 3. *de legibus, cap.* 10. *numero* 7.

Soar.

12. Ad ſecundam partem tituli, an iudex poſſit aliquem licitè, & iuſtè non citatum, & non auditum damnare, cum diſtinctione reſpondeo, ſi ſermo ſit de iudice inferiori, dicendum eſt, non poſſe, & peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem ſi id faciat. Ratio eſt, quia iudex inferior non poteſt diſpenſare in legibus, & iuris ordine, neque enim eſt ſupra ius, vt in illo diſpenſet, ſed infra illud; ius autem commune, imò & naturale diſponit, vt nemo inauditus, & ſine teſtibus damnetur; eſt enim citatio, & auditio, genus quoddam naturalis defenſionis, & defenſio eſt de iure naturæ; quam neceſſariò negat ille, qui alterum non citatum, & non auditum condemnat; vnde dicitur Deuteron. 17. *In ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur.* Et Chriſtus Dominus Matth. 18. *Vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum*; imò non ſolùm non poteſt iudex diſpenſare in iis, quæ ſunt de iure naturæ; ſed nec etiam in aliis circumſtantiis, quæ ſunt de diſpoſitione iuris communis poſitiui, v. g. vt accuſatio non fiat in ſcriptis, vt non detur certus terminus reo ad reſpondendum, vt citatio fiat in die feſto; neque enim inferior poteſt diſpenſare in legibus ſuperioris; ita communiter Doctores, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 11. *num.* 91. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 1. Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* 14. *num.* 19. Cynus, Bartolus *in l.* 1. *C. vt quæ deſunt aduocatis partium iudex ſuppleat*; *& l.* 2. *num.* 4. *ff. de ſentent. & re iud.*

Iudex inferior non poteſt diſpenſare in iure poſitiuo.

Leſſius. Couar. Molina. Cynus. Bart.

13. Sunt tamen aliqui termini præſcripti à iure abſolutè, ſed iudicis arbitrio; quos iudex ex cauſa poteſt prorogare, & coarctare; quia licèt quando datur terminus à lege abſolutè, & abſque iudicis miniſterio, & arbitrio illum nullo modo poſſit iudex inferior reſtringere, vel prorogare; cùm non ſit ſupra legem, vbi tamen committitur, & datur miniſterio iudicis, tunc ex cauſa poteſt arbitrio iudicis coarctari, vel prorogari; ſic bimeſtre conceſſum ſponſis de præſenti *in cap. ex publico, de conuerſione coniug.* ad deliberandum de Religionis ingreſſu terminus eſt arbitrio, & miniſterio iudicis commiſſus. Vnde cauſa cognita, ex illa poteſt iudex Eccleſiaſticus hunc terminum coarctare, & prorogare; nam ibi *in dicto cap. ex publico*, non aſſignatur bimeſtre, ſed dicitur, mandetur iudici, vt deſignet, & ita docet expreſsè Sanchez *lib.* 2. *de matrimon. diſput.* 24. *num.* 12. gloſſa *in dicto cap. ex publico, de conuerſion. coniug.* vbi Cardin. *quæſt.* 5. Abbas *num.* 11. Roſella *verb. Debitum, num.* 1. & *ibi* Syluester *quæſt.* 1. *cauſa* 4 Armilla *numero* 5. Tabiena *verb. Matrimon.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 4. Brunellus *de ſponſalibus, concluſione* 30. *num.* 2. Nauarrus *cap.* 16. *num.* 27. Richardus *in* 4. *diſtinct.* 27. *art.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1. Bartholom. Ledeſma *de matrim. dub.* 71. *concluſione* 3. *folio* 1598. Rodriguez 1. *tom. ſummæ, in ſecunda editione, cap.* 242. *num.* 1. Non debet tamen iudex ab eo bimeſtri facilè diſcedere, cùm iuris terminus ſit, vt Abbas, Syluester, Sancius, Cardinalis, & Ledeſma *allegati* notant.

In quibus poſſit iudex inferior diſpenſare.

Iudex inferior cauſa cognita poteſt ex cauſa prorogare, vel coarctare bimeſtre ſponſis de præſenti ad ingrediendam Religionem à iure conceſſum.

Sanchez. Cardin. Abbas. Roſell. Syluester. Tabien. Brunell. Nauar. Richard. Ledeſma. Rodrig.

Si verò ſermo ſit de ſupremo Principe, partitur opinio.

14. *De ſupremo Principe quid. Opinio prima.*

Prima docet, poſſe licitè Principem proferre ſententiam, tam condemnatoriam, quàm abſolutoriam ex certa ſcientia priuata, nullo iuris ordine ſeruato, non audito, neque citato reo, ita docet Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 1. *numero* 7. Cynus, Bartolus, & alij, *in l.* 1. *C. vt quæ deſunt. Aduoc. part. iudex ſuppleat.* Albericus *in l. illicitas, verſ. veritas, ff. de officio Præſidis*, & Felinus *in cap. Paſtoralis, de re iudic. §. quia verò.* Probatur

Couar. Cynus. Bart. Alberic. Felin.

Primò, quia ſupremus Princeps poteſt diſpenſare in illo iure, quo ſtatuitur, vt ex allegatis, & probatis ſententia feratur, cùm non ſit naturale, ſed poſitiuum; cùm enim ſit ſupra omne ius poſitiuum, ſicut poteſt illud condere, ità & illud abrogare, & in illo diſpenſare, & ſine illo iudicare.

Secundò, quia Principi ſupremo non minus credendum eſt, quàm duobus, vel tribus teſtibus, ſiue ſit ſæcularis, vt ſunt Reges, & Principes abſoluti, ſiue Eccleſiaſtici, vt Papæ; quod patet ex *cap. cùm id nobis, de teſtib.* & ex Baldo, Panormitano, & Felino *ibi.* Igitur eius ſcientia, & iudicium æquiualet ſcientiæ publicæ, quæ cenſetur eſſe in duobus, vel tribus teſtibus.

Bald. Panorm.

Tertiò, quia poteſtas Principis abſoluta, *eſt arbitrij plenitudo, nulli ſubiecta; nulliuſque publici, & humani iuris regulis limitata, cui nihil dubij opponi poteſt, nec dici, cur ita facis*, vt docet Baldus *in l.* 2. *numero* 40. *C. de ſeruitutibus, & aqua.* Abbas *conſilio* 84. *lib.* 1. *& cap. ad hæc, de reſcript. numero* 7. Decius *in cap. quæ in Eccleſiarum, numero* 98. *iuncto numero* 103. *de conſtitution.* & alij, quos

Quid ſit poteſtas abſoluta.

Bald. Abbas. Decius.

Sanch.

quos citat, ſed non ſequitur, Sanchez *lib. 2. de matrim. diſp. 15. num. 3. initio*; ergo ſaltem ex cauſa de plenitudine poteſtatis poteſt ſupremus Princeps licitè, & validè abſque omnibus ſolemnitatibus iuris damnare, vel abſoluere reos non citatos, neque auditos.

15\. *Opinio ſecunda.* *Supremus Princeps non poteſt aliquem condemnare non auditum.* Leſſius. Caiet. Fortun. Pinell. Rub. D.Thom. Nauarr.

Secunda opinio docet probabilius, & verius eſſe ſupremum Principem non poſſe licitè aliquem reum condemnare, & ſola ſcientia ſua priuata non citatum, & non auditum (niſi fortè in flagrāti, & publico delicto famoſo, atq; notorio, quia tunc publicitas facti nullam admittit defenſionem) ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 94.* Caietanus *verb. Homicidium, in principio.* Fortunius *l. Gallus, §. & quid ſi tantum, num. 290. 301. 302. & 311. ff. de liberis, & poſthum.* Pinellus *de reſcind. vendit. 1. part.* Rub. *cap. 2. num. 24. & ſequenti.* D.Thom. *quæſt. 67. art. 2. & art. 3. ad 3.* Nauarrus *cap. 25. num. 9.* quo fit ſecundùm hos authores grauiſſimè peccare Reges, & Principes, & eſſe homicidas, qui aliquem ſubditum inauditum, & indefenſum veneno, aut alio mortis genere interfici iubent, officiis, aut beneficiis, aut aliis bonis ad nutum non amouibilibus priuant ſola ſcientia priuata, & id patet ex *cap. erubeſcant, diſt. 32.* & ex *cap. conſuluiſti 2. quæſt. 4.* ex *cap. tua nos, de ſimonia*, vbi dicitur ſolum Deum eſſe occultorum iudicem, & ad illum ſolum pertinere ex infallibili, & certa ſcientia iudicare; & ratio eſt,

Primò, quia Princeps non habet maiorem poteſtatem, quàm Reſpublica in eum tranſtulit. nam omnis poteſtas Principis eſt à Republica; ſed Reſpublica nunquam hanc poteſtatem Principi dedit, vt pro ſuo arbitrio reos poſſet abſoluere, tanquam innocentes, vel damnare tanquam nocentes, contra publicas probationes, id enim eſſet ei licentiam exercendæ tyrannidis, & omnia pro ſua libidine gubernandi dare; ergo Princeps non poteſt aliquem condemnare non auditum, non citatum, & non ſeruato iuris ordine.

Secundò; quia vt ſententia feratur ex publicis probationibus, non eſt ſimpliciter iuris poſitiui, in quo Princeps poſſit diſpenſare, vt dicebant aduerſarij in primo ſuo fundamento, & ratione; ſed eſt iuris gentium, atque adeò iuris naturalis, vt receptiſſimum eſt apud omnes, ſub cuius onere, & conditione cenſetur Reſpublica ſuam poteſtatem in Principem tranſtuliſſe; ergo Princeps non poteſt in eo diſpenſare, & ſi hoc non facit, contra iuſtitiam facit, & ad reſtitutionem tenetur.

Quanta fides ſit habenda teſtimonio Principis. Card. Nat. Bar. Caſtr. Afflict.

Tertiò, quia etſi Principis aſſertioni non minus credendum ſit, quàm duobus, vel tribus teſtibus, vt præter authores, *numero præcedenti* allegatos, docet Cardinalis *conſil.* 128. Natta *conſil. 487. à num.* 38. cum multis Andr. Bar. *conſil. 1. lib.* 3. vnde Baldus dixit, quòd verbum Regis habetur pro lege *in cap. cæterùm, de iudiciis.* Paulus Caſtrenſis *conſil. 398. lib. 1.* Afflictis *deciſione* 253. id quidem eſt in contractibus, & teſtamentis; non tamen in cauſis criminalibus, quando agitur de aliquo condemnando ad mortem, vel ad amiſſionem bonorum, maximè quando probationes ſunt in contrarium.

16\. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, quæ facilè ad concordiam reduci poſſunt, ſi dicamus in iudiciis quædam eſſe de iure naturali, vel gentium; quædam de iure poſitiuo; de iure naturali eſſe reum citare, & audire, locumque defenſioni iure naturæ hominibus conceſſæ præbere: de iure poſitiuo, vt fiat proceſſus in forma iuris, & vt cæteræ iuris formæ, ac termini ſeruentur; in his ergo quæ ſunt de iure humano, & poſitiuo, poteſt ex cauſa graui ſupremus Princeps diſpenſare; vnde cùm citatio, & auditio partis tam in criminalibus, quàm in ciuilibus, ſit quædam defenſio, & defenſio omnibus ſit hominibus de iure naturali conceſſa, inde eſt, quòd ſupremus Princeps non poſſit aliquem incitatum, & inauditum damnare; ita docuimus iam *in quinto præcepto Decalogi*; hîc autem iterum ad plenitudinem doctrinæ id ipſum repetendum fuit, & ita docent communiter Authores omnes citati *in ſecunda opinione*, & Mendoça *lib. 1. de pactis, cap. 5. num.* 35. Menchaca *lib. 1. controuerſ. cap. 5. num.* 15. Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 99.* Matienzo *lib. 5. recopilat. titul. 10. lib. 3. gloſſa 12. num. 2.* Spino *ſpeculo teſtament. gloſſa rubricæ 1. part. num. 25.* & alij. Patet ex *Clement. Paſtoralis, de re iudicata, ad finem*, ibi, *de crimine graui delato facultas defenſionis, quæ à iure naturali prouenit, adimi non valet, cùm illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.* Probatur

Mend. Mench. Leſſius. Matienz. Spino.

Primò. Ex illo communiſſimo iuris peritorum pronunciato inaudita parte, nullius poteſtatis eſt ferre ſententiam.

Secundò, quia Princeps, cùm ſit ſupra ius humanum, & poſitiuum; ſicut illud ex cauſa poteſt condere, ita & abrogare: at cùm non ſit ſupra ius naturale, ac diuinum, ita non poteſt illud pro libito abrogare, aut in illo diſpenſare; & ſi de facto contra ius naturale aliquid ſtatuat, non ad poteſtatem humanam ordinatum à Deo deſcendentem, ſed ad tyrannidem ſpectat, id enim poſſunt Principes tantùm, quod iure poſſunt. *l. ſed licet, ff. de officio Præſidis.* Vnde Deus *Geneſeos* 3. volens formam iudicibus iure naturæ in iudiciis ſeruandam præſcribere, non prius damnauit Adam, quàm illum audiret, *Adam, Adam vbi es*; & tamen delictum manifeſtum Deo erat, & Rex Antigonus etiam lumine fidei deſtitutus: vt de illo refert Plutarchus *in Apophthegmate*, cùm ſibi à magnatibus, qui illius fauorem expectabant, crebrò diceretur, Regibus, quicquid vellent, licitum eſſe, pulchrè reſpondit, *inter Barbaros, ac Tyrannos ita cenſeri, cæteris autem ſolùm iuſtum & honeſtum licere.* Et Chilon vnus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, vt refert Cælius Rhodiginius *lib. 8. lect. antiq. cap. 1.* crebrò dicere ſolebat Principes inſtar Deorum eſſe, quia tantùm id, quod iuſtum eſt, exequi poterant; vnde Cornelius Tacitus *lib. 3. Annalium*, refert Caium ſextum dicere ſolitum fuiſſe, Principes inſtar Deorum eſſe, ſed nec à Diis, niſi iuſtas preces audire; vnde etiam Ariſtoteles *lib. 5. Politic. cap. 10.* ita inquit. *Eſt Tyranno voluptas propoſita, Regi honeſtas.* Ex quibus ſequitur, non poſſe Reges nec licitè, nec validè aliquem non citatum, & non auditum damnare ad mortem.

Principes tantùm poſſunt, quo iure poſſunt. Rhod. Corn.

Et quamuis minus incommodum ſit, poſſe eos ex certa ſcientia abſoluere, quàm condemnare, tamen verius credo, non poſſe eos ex ſua poteſtate publica aliquem abſoluere, niſi prius audiatur; quod idem docet Leſſius *lib. 2.* 17. Leſſius.

cap.29.dub.11. num.95. Primò, quia hæc poteſtas non eſt eis neceſſaria ad liberandos innocentes: ſufficit enim impedire progreſſum iudicij, vel teſtari apud populum ſub fide Regia, & iureiurandò innocentiam accuſati, eo quòd tali tempore, & loco illum viderit; tum quia abſolutio iudiciaria ex publica notitia procedere debet, ſecundùm formam iuris apud omnes receptam; poteſt tamen dici vulgò abſoluere authoritate priuata, quia iudicat, & teſtatur reum eſſe innocentem, & non eſſe condemnandum, & fides eſt ei habenda; quia eſt fide digniſſimus, ſed hoc non eſt propriè iudicare, & abſoluere, ſed eſt defendere innocentem, quod licitum eſt, cuiuiſetiam homini priuato, ſi id poſſet.

18. *In duobus caſibus poteſt Rex damnare reum non auditum.* Admittunt tamen nonnulli primam ſententiam in duobus caſibus, in quibus dicunt non eſſe improbabilem.

Primò, ſi crimen ſit valdè atrox, ita vt valdè expediat authorem illius puniri, & omnino non conueniat rem euulgari ob infamiam Regis, aut Regiæ familiæ, vt ſi aliquis vim Reginæ, aut filiæ Regis intulerit, aut ad illas illis non inuitis, ſed ab illis inuitatus, fuerit ingreſſus, ſolúſque Rex id ſciat; tali enim caſu videri poteſt Reſpublica conſentire, & ex conſenſu Reipublicæ id efficere; ita Leſſius *lib.2.cap.29.dub.11.num.96.* Leſſius. Et ratio eſt, quia non eſt dubium potuiſſe Rempublicam Principi concedere authoritatem, vt priuata ſcientia abſoluere & condemnare poſſit, quia poterat cedere iure ſuo, quod habet ad famam ſuorum ciuium circa occulta, & purè quod habet, vt de occultis criminibus illorum nemo puniri poſſit; cenſetur autem in hoc caſu ceſſiſſe iure ſuo, & in Principem illud tranſtuliſſe ad vitanda tanta incommoda, quanta toti familiæ Regiæ ſequerentur ex ea infamia, ſi tale crimen adulterij Reginæ, aut ſtupri filiæ publicè puniretur.

Secundò, admittunt illam quando crimen ita famoſum, & publicum eſt, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, ita Nauarrus *in ſumma Latina, cap.25.num.10.* & Leſſius *modò allegatus num.100.* Leſſius. Nauar. Tunc enim ipſa publicitas facti nullam admittit defenſionem, & publica illius notitia eſt loco accuſatoris, & teſtium, & nullum ius relinquit malefactori defendendi ſe iuſtè in iudicio, maximè ſi eſſet periculum inuaſionis; tunc enim ſtatim nullo formato proceſſu, è veſtigio ſuſpendi poſſunt malefactores; in primo tamen caſu, ſi ſecretò, ſummariè, & breuiſſimè formari poſſit proceſſus, & Regina, aut filia Regis audiri, id omnino faciendum eſt, & prætermitti non poteſt abſque peccato, niſi aliunde maiora timeantur incommoda.

19. Animaduerto tamen, ſæpe non agi de puniendo crimine, ſed de auertendo in poſterum malo, quod Reipublicæ, vel innocenti intentatur, & in hac contingentia, & circumſtantia, vt diximus *in quinto præcepto*, de homicidio poteſt Princeps ex priuata ſcientia, ſi alia via non ſuppetit, iubere, vt interficiatur author ipſius criminis; & ratio eſt, quia tunc non agit, vt iudex authoritate publica puniens; ſed vt quiuis priuatus homo, ſe aut rem ſibi commiſſam defendens; ita Leſſius *lib.2.cap.29.dub.11. num.98.* Vnde id licitè poterit efficere.

Primò, quando eſſet periculum rebellionis, vel alterius grauis turbationis, iuridicè procederetur; ita Nauarrus *cap.25. num.10.* Syluester Nauar. Syluester. *verb. Homicidium 1. quæſt.2.* ex Archidiacono Leſſius allegatus *num.100.* tunc tamen eius cauſa debet priuatim diſcuti, niſi ſit omnino euidens.

Secundò, quando quis machinatur Reipublicæ, vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit, vt iam dictum eſt, quia hoc non eſt tam punire crimen commiſſum, quàm impedire malum impendens.

Tertiò, ſi crimen ſit ſoli Principi, & tribus aliis teſtibus notum, ita vt iuridicè probari poſſit, tunc enim poſſet occultè interfici reus ſine citatione, & proceſſus formatione, ſi publicè abſque graui aliquo incommodo puniri non poſſit, v. c. ſine graui nota nobilis familiæ, ſine ſcādalo aliorum, ſine inimicitiis, & odiis inteſtinis, & aliis ſimilibus incommodis. Et ratio eſt, quia quando crimen ſic eſt probabile, manifeſtum eſt, non habere reum illam iuſtam defenſionem in iudicio, ita Leſſius *lib.2.cap.29.dub.11. num.101.* Leſſius, Nauarrus *in ſumma cap.25. à num.10.* Nauar. Aragonius *2.2. quæſt.67.* Aragonius. & Leſſius pro eadem ſententia citat Gregorium Lopez, Lopez. Couarr. *lib.1.var. cap.1. num.7.* Couarr. & alios.

Capvt XXI.

Quibus caſibus tenetur iudex ad reſtitutionem reos ſine iuris ordine condemnans, aut ab illis crimen extorquens, eoſque torquens.

Svmmarivm.

Iudex non ſubditum condemnans, etiamſi aliqui dignus ſit morte ad reſtitutionem damnorum tenetur. num.1.

An à reſtitutione excuſetur, ſi proprius index rei id ratum habeat. num.2.

Iudex proprius condemnans aliquem, non ſeruata iuris forma, aut ſine ſufficientibus indiciis, tenetur ad reſtitutionem num.3. Quid ſi condemnet ex confeſſione per iniuriam extorta. ibid.

Quibus modis poſſit contingere, vt iudex per iniuriam, & contra ius reum damnet. num.4.

Quanta debeat eſſe infamia, vt iudex ex illa procedat ad inquirendum de alio ad illum puniendum. num.5. & 6.

An ſi reus crimen fateatur coram ſolo iudice, & Notario, poſſit ob eam confeſſionem damnari; num.7.

Excipiuntur aliqui caſus, in quibus iudex poteſt inquirere de aliquo ad punitionem, nulla prævia infamia requiſita. ibid.

Non poſſe inquiri de aliquo ad puniendum illius crimen, ſine præcedenti infamia, non eſt iuris naturalis, ſed poſitiui tantùm. num.8.

Iudex ex ſe non poteſt procedere ad inquiſitionem particularem de aliquo, ſed ſemper debet præcedere aliquid, quod illi viā aperiat, v.c. vel publica notitia, vel infamia, vel ſuſpicio communis, n.9. 10.

Damnatio ex confeſſione rei per iniuriam extorta, eſt nulla, & tenetur iudex ad reſtitutionem, & quando per iniuriam talis confeſſio extorta ſit. numer.11.

Quot ſint genera indiciorum, & quæ indicia ſufficiant ad inquirendum de aliquo in particulari, quæ

quæ ad capturam, quæ ad torturam, quæ ad condemnationem, & quid quando captura eſt tam aſpera, vt æquipolleat torturæ, numero 12. & 13.
An iudex teneatur ad reſtitutionem damnorum, ſi perſonæ de iure non poſſunt torqueri, & tamen torquet, & per confeſſionem ea tortura comparatam eas condemnat, & quæ ſint hæ perſonæ, num. 14.
An ex tali confeſſione formari poſſit particularis inquiſitio contra confitentem. num. 15.
Quid ſi dolo reum iudex inducit ad confitendum, num. 16. An iudex inferior teneatur obedire Principi iubenti reum damnare ob confeſſionem per iniuriam extortam, numero 16. 17. & 18.

1. *Concluſio prima.* STATVO primò. Certum eſt iudicem teneri ad reſtitutionem, ſi condemnet non ſubditum, aut à ſua iuriſdictione exemptum, etiamſi alioqui dignus ſit morte: eſt communis, & probatur, quia infert ei manifeſtam iniuriam, nam iudex ille, reſpectu non ſubditi, & exempti, non eſt iudex, neque vllam authoritatem illum puniendi habet, ſed computatur cum quolibet homine priuato; ergo ei manifeſtam facit iniuriam, eum puniendo, iuxta illud D. Pauli ad Romanos 14. *Tu quis es, qui alienum ſeruum*, hoc eſt, ſubditum, *iudicas*. atqui ex iniuria oritur obligatio reſtituendi damnum; ergo iudex tenetur illi omne damnum datum, cuius ei cauſa fuit iniuſta, reſtituere, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 18. num. 171.* patet iam ſæpe ex dictis; & conſtat ex *cap. ſi culpa, de iniur. & damno dato*, Doctores *ibi*. Leſſius.

2. Excuſari tamen poteſt ab hac reſtitutione, ſi proprius iudex rei, qui legitimè eum poterat damnare, approbet, & ratum habeat factum illius, vt docet Leſſius *allegatus*, *num. 171. verſ. notandum tamen*, & ratio eſt in promptu; quia hoc ipſo, quòd proprius iudex ratum alterius iudicium habeat, vult illum eum valorem, & authoritatem habere, ac ſi ab eo factum fuiſſet à principio, ac proinde liberat eum obligatione reſtitutionis; ſicut enim à principio poterat ei illud iudicium, & cognitionem illius cauſæ committere, ita & poſtea ratum habere, & conſequenter condemnare obligationem reſtituendi, ortam ex defectu debitæ poteſtatis, ac iuriſdictionis; ita Leſſius *allegatus*.

3. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò. Iudex proprius, qui condemnat reum, non ſeruata iuris forma, & ſine ſufficientibus indiciis, vel ex confeſſione illius per iniuriam, & dolum extorta, ad reſtitutionem omnium damnorum illi tenetur, & ſi eum occidat, verus homicida eſt; ita communiter Doctores, Capua *lib. 2. deciſ. aurear. cap. 61. num. 91.* Syluester *verb. Reſtitutio 3. quæſt. 2. verſ. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 18. num. 171.* Sotus *de tegend. ſecreto, memb. 3. quæſt. 1. concl. 5.* Nauarrus *cap. 18. numero 59.* patet ex *l. finali, ff. de iuriſdict. omn. iud. ex cap. 2. de conſtitut. lib. 6.* docet etiam Salicetus *l. finali, quæſt. 2. C. de accuſat.* Ratio ac fundamentum eſt, quia quando ex priuata ſcientia, non ſeruato iuris ordine, condemnat, notabilem reo iniuriam infert; nam non eſt ei conceſſa iuriſdictio ſuper aliquem, niſi ſeruato iuris ordine. Quando autem per iniuriam, & dolum crimen extorquet, dat iniuſtè cauſam damni; vnde tenetur ad reſtitutionem illius damni, cuius iniuſta cauſa fuit, vt patet ex *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat.* ſicut enim ſi quis occultum crimen alterius patefaceret, vnde contingeret illum damnari, teneretur ad reſtitutionem, quia cauſam damni iniuſtè dedit, ita iudex qui per iniuriam ab aliquo crimen extorquet, iniuſtè illum condemnat, & ad reſtitutionem tenetur. Capua. Sotus. Nauar. Syluester. Leſſius. Salicet.

Poteſt autem multis modis contingere, vt per ſummam iniuriam, crimen à reo extorqueatur, & conſequenter, vt confeſſio ſit nulla, & iniuſta condemnatio, ſi ex illa ſequatur. 4. *Quibus modis per iniuriam confeſſio criminis per iudicem à reo extorqueatur.*

Primò, quando nulla infamia rei præceſſit, atque adeò à ſe ipſo iudex, & ſine vlla denunciatione, quæ viam inquiſitioni aperiat, procedit; nam, vt iudex poſſit contra aliquem nominatim inquirere ad punitionem criminum, debet præcedere aliqua infamia authoris; dico, *ad punitionem criminis*; quia quando agitur de officiorum, aut beneficiorum collatione, de matrimonio contrahendo, de acquirendo loco in Collegio literatorum hominum, de ingreſſu Religionis, & ſimilia, licitum eſt inquirere de delictis perſonarum particularium, etiamſi nullus præceſſerit rumor, nulla infamia, eo enim ipſo, quòd quis ad hoc aſpirat, cenſetur concedere facultatem, vt hæc inquiſitio circa vitam illius, & genus, & mores de illo fiat, itémque quando inquiſitio fit ad maleficia impedienda, vt ad auertenda homicidia, ſacrilegia, furta, hæreſes, & ſimilia; vt docet Nauarrus *in cap. nouit, de iudiciis, num. 91.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. numero 121. dub. 18. numero 173.* & eſt doctrina communis. Nauar. Leſſius.

At quando proceditur ad punitionem criminis, debet præcedere infamia; vt patet ex *cap. qualiter, & quando, 2. de accuſat.* ibi, *ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, ſic & denunciationem charitatiua monitio, & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio præuenire.* Quod egregiè probatur, exemplo villici Euangelici Lucæ 16. *Qui primò infamatus eſt apud dominum ſuum.* Deinde illi dicitur, *Quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuæ*; & exemplo Sodomorum, *Geneſis* 18. Quibus Dominus ait, *Deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Et ratio huius doctrinæ communis eſt, quia iudex, quando ad punitionem criminum procedit, debet ex ſcientia publica, & ſecundùm iuris ordinem procedere; ſcientia autem publica eſt illa, quæ habetur per accuſationem; vel confeſſionem rei ſui criminis in iudicio, vel per infamiam, aut per facti euidentiam in conſpectu iudicis, & aliorum. Confirmatur, quia meritò quiſque poſſet queri ſibi fieri iniuriam, ſi de vita illius iuridicè inquireretur, cuius fama alioquin eſt integra, nam per talem inquiſitionem redditur ſuſpectus.

Quanta autem debeat eſſe hæc infamia, vt iudex ex illa procedat ad publicam inquiſitionem de aliquo ad illum puniendum, & vt teſtes teneantur iurati veritatem contra illum fateri, non eſt facilè aſſignare. Breuiter reſpondeo, non ſufficere, vt duo, vel tres teſtes etiam iurati, affirment ſe vidiſſe reum illum crimen perpetrantem, vt habetur expreſsè *in cap. inquiſitionis, de accuſationibus, §. Tertia dubitationis*, ibi, *Tertia dubitationis articulus continebat, vtrùm cùm duo,* vel 5.

vel plures iurati affirment aliquem crimen aliquod iiſdem videntibus commiſiſſe, de quo aliquâ infamia non laborat. Et infrà, *Ad hæc reſpondemus, nullum eſſe pro crimine, ſuper quo aliqua non laborat infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio non præceſſit, propter dicta huiuſmodi puniendum; quinimò ſuper hoc depoſitiones contra eum recipi non debere, cùm inquiſitio,* intellige ad punitionem, *fieri debeat ſolummodo ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt, nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt, in occulto procedendum eſt ad inquiſitionem ſuper contentis in eodem libello criminibus faciendam.* Vbi gloſſa *verb. Solummodo ſuper illis*, de occultis ait, *non eſt inquirendum; fama ergo alicuius prius læſa debet eſſe, vt de illo in particulari inquiratur,* ad punitionem, ſcilicet, quod penè idem habetur *in l. ſi duo, ff. de iureiur. §. Idem Iulianus*; requiritur ergo, vt rumor eorum ſparſus ſit per maiorem partem viciniæ, vel Collegij, vel Vniuerſitatis, in qua reus commoratur, vt dicatur *ibidem* laborare infamia; ita docet Sotus *lib. de tegendo ſecreto, memb. 2. quæſt. 6. §. Tertium dubium*, ex Bartolo idem ferè Caietanus 2. 2. *quæſt. 69. art. 2.* vbi requirit, vt ſit vox publica, & frequens, per quam apud viros probos, & prudentes meritò reddatur ſuſpectus; quòd ſi conſtaret à maleuolis prædictam infamiam ortam eſſe, id non ſufficere, vt expreſsè habetur in dicto *cap. Inquiſitionis, allegato*, idem docet etiam Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. numero 123.*

Sotus. Bart. Caiet. — Leſſius.

6. In dubio tamen, quibus authoribus orta ſit infamia, indicanda eſt purgatio, ſaltem propter ſcandalum, vt notat gloſſa *in dicto cap. Inquiſitionis*, & affirmat Leſſius *allegatus*.

7. Excipiuntur tamen à DD. aliquot caſus, in quibus non requiritur præuia infamia in ſpeciali inquiſitione de crimine ad puniendum illius authorem.

Quibus caſibus non requiratur infamia ad puniendum authorem criminis.

Primus eſt, ſi reus illud in iudicio confiteatur, etiam coram ſolo iudice, & Notario, vt colligitur ex *cap. 1. de accuſat. in 6*, nam talis confeſſio inducit notorium iuris. Non ſufficit tamen confeſſio extra iudicium, quamuis coram multis facta ſit, niſi ex ea orta ſit infamia; ità vult Nauarrus *in rubrica, de iudicijs, num. 86.* Contrarium tamen ſeruari credo in praxi; nam cùm quis extra iudicium apud multos, (& ſaltem apud duos) ſe iactat de crimine, & ſe dicit illius authorem, eſt ſufficienter indicatus, & infamatus, vt procedatur contra eum ad torturam; ita docet Felinus *in cap. olim, de reſcript. num. 5.* Gomez *cap. 13. num. 8. 18. & 19.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 17. num. 157. & dub. 15. num. 124.* debent tamen hi duo, apud quos ſe iactauit, eſſe teſtes omni exceptione maiores, ſi neget ſe dixiſſe, quia debet omnino de tali delicto conſtare; cùm enim non conſtet certò de delicto, debet ſaltem conſtare de indicio; æquitas enim non patitur, vt quis propter incertum indicium iuridicè torqueatur, vt ex ea tortura confeſſio eliciatur.

Felin. Gomez. Leſſius.

Non ſufficit etiam confeſſio facta coram Prælato ignoranter, aut in aliqua epiſtola ſecreta, quam Prælatus aperuit; vt docet Sotus *lib. de tegend. ſecreto, membr. 2. quæſt 6.* & conſentit Nauarrus *in rubr. de iuſt. num. 86.* & Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. num. 124.*

Sotus. Nauarr. Leſſius.

Secundus eſt, quando iudici per generalem inquiſitionem procedenti patefactus eſt author, tunc enim poteſt contra eum ad punitionem criminis procedere, vt docet Nauarrus *in rubrica de iudiciis, num. 87.* & Leſſius *modò allegatus dicto num. 124.* Eſtque communis ſententia iuris peritorum contra Sotum *in l. 2. §. ſi publico. ff. de adulter.* Nec refert, vt ait Leſſius, quòd teſtis fortè peccauerit reuelando, & quòd nulla eſſet infamia; quia ex quo crimen peruenit in publicam iudicis notitiam, exceptâ notitia orta ex confeſſione propria, extra confeſſionem ſacramentalem tenetur iudex ex officio contra authorem procedere, per particularem inquiſitionem ad criminis punitionem.

Nauar. Leſſius. — Sotus.

Tertius eſt, quando delictum commiſſum eſt in iudicio, vt ſi teſtis falſum deponat in iudicio, ſi accuſator calumnietur; quia hæc crimina cenſentur valde detrimentoſa bono publico, & peruertunt iudicium publicum; ita Nauarr. *in cap. nouit, de iudiciis, num. 88.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. num. 126. verſ. Tertius.*

Quartus eſt in crimine hæreſis, vel Apoſtaſiæ, in his enim ſine eo, qui vicem accuſatoris ſuppleat, & ſine infamia inquiri poteſt; ita Leſſius *num. 128. in rubrica de iudiciis, num. 93.* colligitur ex *cap. excommunicamus, §. Adijcimus, de hæreticis, & l. Apoſtatarum, C. de Apoſtatis.* Ratio eſt, quia hæc crimina ſunt maximè noxia Reipublicæ, & datur periculum euerſionis, requiritur tamen aliqua ſuſpicio ex indicijs orta, ſaltem leuibus.

Quintus eſt, in omni crimine læſæ maieſtatis humanæ; patet ex *Extrauaganti Federici Imperatoris, incipit, Ad reprimendum*, & habetur poſt librum feudorum; nam ante hanc Extrauagantem non poterant iudices procedere ad Inquiſitionem criminis iam perpetrati, & ad punitionem authoris illius, niſi quis eſſet infamatus per maiorem partem viciniæ, Collegij, aut Vniuerſitatis, poſt illam non poſſunt procedere, etiam ex leuibus indiciis, vt ſi vnus, vel plures ſuſpicentur de aliquo, & id iudici nuncient; ita Bartol. *in dicta Extrauagant.* Nauarrus *in rubrica de iudiciis, num. 94.* Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. n. 129.*

Bart.

Sextus eſt, quando inquiritur de morte domini contra ſeruos; vt ſi dominus inueniatur occiſus, & neſciatur author, & contra nautas nauis ſubmerſæ, *l. 1. ff. ad S.C. Sillanianum, l. quoties, de naufragio*, quia eſt quædam populi ſuſpicio contra eos.

Idem dicendum, quoties eſt ſuſpicio populi, vel communitatis contra aliquem; hæc enim ſupplet vicem infamiæ; vt docet Nauarr. *in rubrica de iudiciis, num. 95.* cum Butrio, Abbate, & Aretino; idem Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 15. num. 130.*

Notandum tamen eſt, non eſſe iuris naturalis, 8.
vt non fiat inquiſitio contra aliquem; vt ad punitionẽ criminis contra illum procedatur, ſine præcedenti infamia authoris, ſed tantùm poſitiui, & humani, vt fatetur Sotus *de tegendo ſecreto, lib. 2. q. 6. dub. 2.* & Leſſius *citatus n. 132. §. tertio.* Vnde poteſt Papa in vniuerſa Eccleſia, & Princeps in ſuo foro, & dominio ex cauſa rationabili in hoc iure diſpenſare; & conſequenter poteſt conſuetudo contrarium introducere, ſi fuerit approbata, cùm conſuetudo vim habeat legis; quare ſi alicubi cõtraria pars ſit recepta, vt ferè eſt in omnibus Tribunalibus ſæcularibus, in quibus aut ad ſolam partis offenſæ querelam, quæ onus etiam probationis in ſe ſuſcipere non vult, aut ad denunciationem publici officialis ad id muneris deputati, nulla alia præcedente infamia; procedunt iudices

Non eſt iuris naturalis, ſed poſitiui inquirere de aliquo non præcedente illius infamia.

ſæculares

ſæculares ad capeſſendas informationes, & Indicia, quibus habitis, formant libellum Inquiſitionis contra reos, & ad inquiſitionem, in ordine ad punitionem, procedunt, maximè in grauibus delictis, vt in furtis magni momenti, in homicidiis, in ſacrilegiis, in inceſtibus, in raptibus, aliiſve criminibus Rempublicam perturbantibus; ita enim cenſetur neceſſarium ad bonum publicum; quare vbicumque id in vſu fuerit receptum, iuſtè ſeruabitur; & hæc eſt praxis multorum iudicum ſæcularium Deum timentium in omnibus ferè Prouinciis, & maximè per Italiam recepta; vt teſtatur Iulius Clarus §. *finali, quæſt.* 3. Neque tamen à Summo Pontifice, vel Epiſcopo reprehenduntur, aut cenſentur eſſe in malo ſtatu.

Iul Clar.

9. *Quid præcedere debeat vt iudex inquirat regulariter contra aliquem.*

Aduertendum tamen eſt, non poſſe vnquam iudicem ex ſemetipſo incipere particularem contra aliquem hominem priuatum inquiſitionem, in grauibus, & Rempublicam turbantibus delictis, ſed ſemper debere aliquid præcedere quod Inquiſitioni viam aperiat, & iudicem cogat, vt ex officio procedat, v. c. debet præcedere vel notitia publica, vel infamia, vel ſuſpicio communis, vel querela partis, vel denunciatio officialis, vel alterius, aut ſimile quiddam, alioqui totus proceſſus eſt de iure nullus, etiamſi delictum fuiſſet plenè probatum; vt docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 15. *num.* 156. & Nauarrus *in ſumma cap.* 18. *num.* 59. & omnes quos citauimus *num.* 3. & Salicetus *in l. finali, quæſt.* 2. *C. de accuſat.* & Iulius Clarus §. *fin. quæſt.* 5. *n.* 4. vbi refert grauiter fuiſſe Mediolani reprehenſum Prætorem Vallis Suidæ, eo quòd proceſſerat contra quendam de inceſtu cum propria filia à ſe carnaliter cognita, nulla præcedente querela, nulla denunciatione, & vtrumque fuiſſe abſolutum nono die Nouembris, anno Domini 1560. Vnde iuxta hos authores neque ex delatione facta iudici, non vt iudici, ſed vt priuato homini, vel amico, neque ex denunciatione ab incerto actore ſuppreſſo nomine actoris, etiamſi in ſchedula nominarentur teſtes, qui ſciſſent factum, poteſt iudex procedere ad inquirendum contra aliquem in particulari, vt benè Iulius Clarus declarat exemplis, quod ideo ſtatutum eſt, ne iudices poſſent pro arbitrio ſuo, quos vellent, impetere, & quia tunc idem eſſet accuſator, & iudex, quod iure gentium reprobatur.

Leſſius. Nauar. Salicet. Iul Clar.

10. Sed redeamus tandem ad alios modos, quibus per iniuriam & iniuſtitiam confeſſio criminis à reo extorqueatur per iudices, & conſequenter damnatio ſit nulla, & illi ad reſtitutionem teneantur, ſi ex tali confeſſione damnatio ipſa ſequatur, hactenus enim ſolùm egimus de primo modo, qui eſt, quando nulla infamia authoris præceſſit, nulla querela, nulla denunciatio, nulla ſuſpicio; atque adeò quando iudex à ſe ipſo proceſſit, quo caſu ad reſtitutionem ſine dubio tenetur iudex, vt diximus *num.* 3. cum omnibus *ibi* citatis.

11. *Quid quando crimen per iniuriam extorqueatur.*

Secundo ergo modo poteſt eſſe extorta confeſſio nulla, & iniurioſa criminis authori, & conſequenter damnatio nulla, ſi ex illa ſequatur, & tenetur iudex ad reſtitutionem bonorum, ſi nullis præcedentibus idoneis, ac ſufficientibus ad torturam indiciis, tormentis, vel illorum metu propinquo eam elicuit, nec refert, quòd confeſſio fuerit poſtridie ratificata; quia hæc ratificatio eſt ex cauſa iniurioſa, ac proinde nulla; ita docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 18. *num.* 173. *verſ. ſecundo.* Nauarrus *cap.* 18. *num.* 59. Salicetus *in l. finali, quæſt.* 2. *C. de accuſat.* & omnes quos citauimus *num.* 3. & patet ex *l. non dubium, C. de legibus, & l. penult. ff. de quæſt.*

Leſſius. Nauar. Iul Clar.

Quæ ſint indicia ſufficientia ad torturam.

Quæ autem ſit indicia ſufficientia ad torturam, non facilè eſt aſſignare. Omnes fatentur ſufficere ea indicia, quę ſemiplenam probationem efficiunt, ſi perſona talis ſit, vt torqueri iure poſſit: eſt communis DD. ſententia, eam docet Iulius Clarus §. *finali, quæſt.* 21. *num.* 2. Romanus *conſil.* 451. *num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. *num.* 153. Gomez *cap.* 13. *num.* 7. Vnus autem teſtis facit ſemiplenam probationem, ſi ſit integer, & omni exceptione maior, contra quem nulla poteſt exceptio poni, ſi deponat ſe vidiſſe hunc tali tempore, & loco occidentem Petrum. Quòd ſi non viderit; ſed audierit à fide dignis, aut contra eum opponi poſſit exceptio aliqua; vt ſi ſit mulier, ſi minor viginti annis, infamis, excommunicatus, inimicus, eius depoſitio non facit indicium ſufficiens ad torturam, vnde iniuriam reo faciunt iudices, & ad reſtitutionem damni tenentur, ſi ob tale iudicium reum torturæ exponant, ſufficit tamen tale indicium ad capiendas informationes de authore criminis, vt habet praxis recepta, ita Leſſius, & authores *allegati.* Si tamen teſtis omni exceptione maior, deponat ſe non vidiſſe, ſed audiuiſſe de nocte Titium percutientem Caium, & dicat ſe eum ex voce cognouiſſe; exiſtimat Iulius Clarus *citatus num.* 3. hoc iudicium non ſufficere ad torturam, & ſemiplenam probationem, niſi teſtis ita habeat veroſimiliter notam vocem rei, vt decipi non poſſit; ſed planè hoc vocis indicium multum fallax eſt, & periculoſum, ſunt enim aliqui ita imitantes aliorum voces, vt omnes etiam familiariſſimos, & domeſticos eorum facillimè decipiant; quare niſi alia adminicula accedant, non efficiet hoc indicium ſemiplenam probationem, meo iudicio, & in id tandem Iulius Clarus inclinat.

Clarus. Roman. Leſſius.

Quid ſi teſtis dicat ſe non vidiſſe, ſed audiuiſſe, & cognouiſſe ex voce.

Fama publica an faciat ſemiplenam probationem ad torturam.

Fama publica, quæ contra aliquem verſatur, non facit ſemiplenam probationẽ; nec eſt ſufficiens indicium ad torturam, niſi alia adminicula accedãt: vt ſi accedat aliquis teſtis minus idoneus, v. c. ſocius criminis, vel minoris, aut mulieris, aut ſignum facinoris appareat in veſtibus, vel in armis, aut ſi quis iam eſſet infamatus de ſimilibus delictis antè commiſſis; ita tenent communiter DD. Iulius Clarus §. *finali, quæſt.* 21. *num.* 1. Marſil. *conſil.* 3. *num.* 4. *in fine.* Iaſon *in repet. leg. admonendi, num.* 207 *ff. de iureiur.* Blancus *de indiciis num.* 313. Villalobos *in ſua collecta comm. opinion. litera F, num.* 7. Foller. *in practica criminali, num.* 156. & alij communiter.

Iul. Clar. Marſil. Iaſon. Blancus. Villalob.

Facit etiam ſemiplenam probationem ad torturam confeſſio in iudicio coram ſolo iudice, etiam incompetente; & qui non habet poteſtatem cognoſcendi in cauſa, eo quòd reus non ſit ſubditus, vel cauſa ſit exempta, licèt ex tali confeſſione reus non poſſit damnari à proprio iudice; vt patet ex *cap. & ſi Clerici, de iudiciis,* ibi, *ſi Clerici coram ſæculari iudice conuicti fuerint, vel confeſſi de crimine non ſunt propter hoc à ſuo Epiſcopo aliquatenus condemnandi; ſicut enim ſententia à non iudice lata non tenet, ita nec confeſſio coram ipſo.* Et addit gloſſa *ibi, verb. condemnandi. In eo tamen caſu, propter infamiam debet ſe purgare, vt habetur* in Decretali, cum deſideres, de ſent. excom. §. 1. *& aliàs, ſi ſe purgare non poteſt, debet puniri quaſi conuictus interpretatiuè.* hæc *ibi* gloſſa. Vnde ſi ſe debet purgare, poteſt torqueri tanquam ex indicio, quod maximam præſumptionem criminis ingerit;

gerit; debet tamen ea confeſſio non eſſe extorta metu tormentorum, ſed ſpontanea, aut metu tantùm probationum; ita docet expreſsè Leſſius citatus, *num.* 158. Leſſius.

Item facit ſemiplenam probationem in ordine ad torturam cõfeſſio rei extra iudicium, vt ſi apud aliquos ſaltem apud duos teſtes omni exceptione maiores, ſe de crimine iactauerit, quando id negat, nam ſi fateatur ſe id dixiſſe, non opus eſt, vt teſtes ſint omni exceptione maiores, vti diximus *num.* 7. & docet Leſſius *allegatus, num.* 157. Felin. *in cap. olim, de reſcriptis, num* 5. Gomez *cap.* 13. *num.* 8. 18. *&* 19. Leſſius. Felin.

12. *Notandum.* Notabis autem ex Iulio Claro §. *finali, quæſt.* 20. *num.* 1. in materia indiciorum non poſſe dari certam doctrinam, ſed totum relinqui arbitrio prudentis iudicis, & viri, qui ſecundùm qualitatem perſonæ, & delicti, & circunſtantias illius iudicabit; quinque tamen gradus, & genera indiciorum diſtinguunt Doctores.

In primo gradu ſunt indicia leuia probabilia, quæ tamen probabilem ſuſpicionem de authore criminis mouent.

In ſecundo ſunt indicia leuia probabiliora, quæ faciunt præſumptionem, id eſt, valdè probabilem ſuſpicionem. Hæc duo genera ſufficiunt ſolùm ad capiendam informationem, non ad capturam, neque ad torturam; vt probat Iulius Clarus §. *finali, dicta quæſt.* 20. *num* 1. 2. *&* 3. & deinceps; & prima, quæ faciunt ſolam ſuſpicionem, ſufficiunt ad capiendam ex officio, non tamen ad formandam inquiſitionem contra aliquem in particulari, v. c. aſſertio vulnerati, vel offenſi morientis, iuxta Iulium Clar. *quæſt.* 20. *n.* 2. *& quæſt.* 21. *n.* 14. Secunda quæ ſufficiunt ad faciendam inquiſitionem in particulari contra reum, ſunt, v. c. ea diffamatio delicti, & is rumor, qui habetur per famam publicam; ita Iulius Clarus *quæſt.* 20. *num.* 3. Iul. Clar.

In tertio gradu ſunt indicia grauia, quæ legitima iuris indicia appellantur, & quæ ſufficiunt ad capturam, vt confeſſio morientis ſimul cum aliis indiciis.

In quarto, ſunt indicia quæ faciunt ſemiplenam probationem, & hæc ſufficiunt ad torturam, de quibus ſatis egimus *num. præcedenti.*

In quinto, ſunt indicia grauiſſima, & violentiſſima, quæ indubitata dicuntur; & hæc ſufficiunt ad condemnationem, & pœnam arbitrariam, non tamen ad totam legis pœnã reo imponendam.

13. *Aliud notandum.* Notabis autem, tam ſtrictam poſſe eſſe capturam, vt æquipolleat torturæ, & ad hanc capturam ſola ea indicia ſufficiunt, quæ efficiunt ſemiplenam probationem, & quæ ad torturam requiruntur; vt ſi apud aliquos Religioſos aliquis in carcere ita ſtricto claudatur, vt à nemine inuiſatur, detracto aliquo de cibo, & potu, & detractis lectuli ſtragulis.

14. *Quæ perſonæ torqueri iure non poſſunt.* Tertio modo, ſi erant quidem indicia ſufficientia ad torturam; & tamen perſona non poterat iure torqueri ob dignitatem, vel ætatem; tunc enim etiam teneretur iudex ad reſtitutionem damni, quia extorqueret crimen per iniuriam; ita docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 18. *num.* 173. *verſ. tertio,* & Antonius Gomez *cap.* 13 *delictorum, num.* 4. Excipiuntur enim à torturis in iure ob defectum ætatis impuberes, qui nondum quatuordecim annos expleuerunt. Ita Iul. Clarus §. *finali, quæſt.* 64. *num.* 12. Placa *lib.* 2. *deliſt. cap.* 32. *num.* 12. & patet ex textu *in l.* 1. §. *impubes, ff. ad Syllanianum*; & ſenes qui ob debilitatem tormenta pati non poſſunt; poſſunt tamẽ hi pueri, & ſenes terreri, vel leuiter torqueri. Ita idem Iul. Clar. *dict. q.* 64. *n* 22. colligitur ex *l.* 3. §. *ignoſcitur, ff. eodem.* docet Paulus Grillandus *de diuerſis criminibus, lib.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 5. Et mulier prægnans, cuius tortura propter abortum poſt partum differenda eſt donec vires reaſſumat; ita Clarus citatus *num.* 23. Patet ex textu *in l. prægnantis, ff. de pœnis*; & vir illuſtris, vel in dignitate conſtitutus, eiuſque filij ob priuilegium. Ita Iulius Clarus *dict.* §. *finali, quæſt.* 64. *num.* 17. vbi dicit torqueri illos non poſſe, neque tanquam rei contra ſeipſos, neque tanquam teſtes contra alios, & eſt communis opinio, quam ſequitur Boſſius *in titul. de tortura teſtium, num.* 7. & Leſſius, & Gomez *allegati*; DD. eorumque liberi; ita communiter DD. qui in hoc puncto ſuam cauſam egregiè defendunt, quos videre poteris apud Iulium Clarum *dicta quæſt.* 64. *num.* 16. *in practica.* Carrer. *folio mihi* 145. *poſt numerum* 180. *verſ. excipitur.* Milites quoque torqueri non poſſunt; patet ex text. *in l. milites, C. de quæſt.* hoc tamen intelligendum eſt, vt in iis militibus procedat duntaxat, qui hodierno tempore vocantur Equites, & in ſigniferis, ducibus ac ductoribus militum, non in priuatis militibus, vt explicat Iulius Clarus *lib.* 5. *ſent.* §. *finali, quæſt.* 64. *num.* 18. *fine, & lib.* 2. §. *miles*; hi enim omnes, nec leuiter quidem torqueri poſſunt; etiamſi contra eos ſit ſemiplena probatio, niſi in crimine hæreſis, proditionis, vel læſæ maieſtatis; & ſi in aliis criminibus torti fuerint, & confeſſi, quamuis poſtridie confeſſionem ſuam ratificent, talis confeſſio eſt irrita, & ob illam condemnari non poſſunt; vtpote per iniuriam extorta; & conſequenter ratificatio, quæ ex illa ſequitur, irrita quoque eſt, pariter à paritate rationis, ex *l. penultima, ff. de quæſt.* & ex *l. non dubium, C. de legibus*; & ex aliis iuribus, quæ citat Gomez *cap* 13. *de delictis, num.* 4. Leſſius. Gomez. Iul. Clar. Placa. Grilland. Clarus.

Adde, neque ex huiuſmodi confeſſione poſſe formari inquiſitionem, vt docet Nauarrus *rubr, de indiciis, num.* 86. poſſunt tamen ſecundùm Gomezium terreri verbis, *num.* 86. & ſi confeſſi fuerint, valet tanquam confeſſio ſpontanea; quod colligitur ex *l. item apud Labeonem, ff. de iniuriis,* ibi, *Quæſtionem* (inquit) *intelligere debemus, & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem; nuda ergo interrogatio, vel leuis territio, non pertinet ad hoc edictum.* vbi gloſſa, & communiter DD. ita tradunt. 15.

Quarto modo, ſi dolo reum iudex induxit ad confitendum, v. c. promittendo impunitatem, tenetur enim etiam tunc iudex ad reſtitutionem totius damni emergentis; paria enim ſunt confeſſionem eſſe extortam dolo, atque metu, vtraque enim per iniuriam, & contra ius fuit extorta, vt probat Gomez *cap.* 12. *de delictis, num.* 6. Iulius Clarus §. *finali, quæſt.* 55. *verſ. circa ſecundum*; Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 18. *n.* 173. *verſ. quarto.* Imola *conſil.* 109 Remigius *de immunit. Eccleſ. folio mihi* 185. *fallentia* 26. *in fine.* Quod intelligendũm eſt de iudice, aut Principe, qui poterat eam impunitatem concedere; ij enim tenentur illam dare. Cæteri verò non tenentur prædictam impunitatẽ dare, licèt teneantur ad dãna alia; quare ſi impunitas fuit promiſſa ab eo, qui eam non potuit concedere, tunc ſibi imputet is, qui tali promiſſioni credidit, nunquam tamen addit Iulius Clarus, huiuſmodi reus condemnandus erit ex tali confeſſione ad pœnam ordinariam, niſi eſſet aliis etiam indiciis grauatus. 16. *Quid ſi iudex reum dolo inducat ad confeſſionem ſuorum delictorum.* Iul. Clar. Leſſius. Imol. Remig.

Quinto

17. Quinto modo, ſi confugientem ad ſacrum locum abſtraxit contra ius, in iis caſibus, in quibus locus ſacer eum defendebat, tunc enim tenetur iudex illum loco ſacro reſtituere, nec poteſt in conſcientia vlteriùs contra illum procedere, niſi legitimè in eius poteſtatem deueniat, ita Leſſius *lib.2. cap.29. dub.18. num.173. §. quinto*; qui autem gaudeant, vel non gaudeant hoc priuilegio immunitatis, diximus *in tom.1. in quinque Eccleſia precepta*, vbi ad ſecundum præceptum de circunſtantiis confeſſionis egimus. Leſſius.

18. Sed rogas, an ſi Princeps, confeſſo à reo crimine, confeſſione per iniuriam & contra ius à iudice, id inſciente Principe, extorta, nihilominus iubeat poſtea rem ſciens, illum ob eam confeſſionem damnari, poſſit ipſe iudex inferior Principi licitè obedire? Reſpondet Leſſius, &, meo ſanè iudicio, optimè, affirmatiuè *lib.2. cap.29.dub.18. num.175.* dicit tamen teneri nihilominus ipſum iudicem ad reſtitutionem. Fundamentum illius eſt, quia hoc ipſo quod crimen confeſſum eſt à reo in iudicio abſque iniuria orta à Principe (excepto caſu reuelationis confeſſionis ſacramentalis) habet Princeps ius procedendi iuridicè contra illum, maximè exigente id bono publico, vt ſi crimen ſit atrox, & nociuum aliis. Et confirmatur, quia ſi priuatus homo extorſiſſet ab aliquo confeſſionem criminis, & illud poſtea patefaceret, poſſet iudex contra talem procedere; etſi enim per iniuriam patefactum ſit, non tamen id factum eſt per ipſum iudicem, neque de illius conſenſu; ergo ſimiliter ſi iudex inferior, contra iuris ordinem, & per iniuriam extorſiſſet confeſſionem criminis atrocis in iudicio, poſſet Princeps, qui in hanc iniuriam non conſenſit, licitè procedere; vnde ſi poteſt licitè procedere, poteſt etiam alteri cauſæ cognitionem committere, ac proinde iidem ipſi iudici, per quem crimen illud fuit patefactum. In hoc tamen caſu iudex, qui illud iniquè extorſit, tenebitur ad reſtitutionem, niſi alia via, & ratione potuiſſet iuſtè contra illum procedere, abſque illa extorta confeſſione. Ratio autem, ob quam tunc ad reſtitutionem teneatur, eſt quia huic neceſſitati damnandi illum cauſam dedit per iniuriam; & qui alteri iniuſtam cauſam damni dat, tenetur illud reſtituere, iuxta *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat*, ſicut ſi quis ſolus crimen ſciens euulgaret, peccaret contra iuſtitiam infamando occultum peccatorem, & ad reſtitutionem teneretur, crimine tamen euulgato, poſſet iudex ex officio contra ipſum procedere criminoſum.

CAPVT XXII.

Vtrùm Papa poſſit pro libito beneficia dare, & auferre ab iis, qui ea poſſident?

SVMMARIVM.

An Papa beneficia, & Epiſcopatus pro libito poſſit dare, & auferre. Refertur prima opinio affirmans. num.1.
Refertur ſecunda negans. num.2.
An peccet, quando prætermiſſis dignis ea confert indignis. num.3. *An hoc peccatum ſit mortale.* n.4. *verſ. dubitant tamen; & an contra iuſtitiam commutatiuam, vel diſtributiuam, ibid. & quid ſi prætermiſſis dignioribus ea conferant dignis, ibid. verſ. An vero hoc peccatum ſit.*
Quis dicendus ſit dignior. num.5.
In quo conſiſtat dignitas, & indignitas. num.6.
Non poteſt Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis auferre beneficia illis, qui ea actu poſſident pro libito, & abſque nulla cauſa, & ſatisfactione. num.7.
Reſpondetur ad fundamenta contrariæ opinionis. num.8. 9. 10.
Quid ſi ex cauſa per legem aliquam extinguat aliqua beneficia, an tunc ad compenſationem teneatur. num.11.

1. INCIPIAMVS à dignioribus. Prima ergo dubitatio eſt, an Summus Pontifex ita ſit abſolutus dominus omnium beneficiorum, dignitatum, & Epiſcopatuum, ac cæterarum rerum Eccleſiaſticarum, vt pro libito, & ſine cauſa ea poſſit dare, & auferre cuicumque voluerit, partibus non auditis, nulla facta reſtitutione, nulla recompenſatione exhibita, qua de re duas inuenio opiniones. *Papa an poſſit dare & auferre cuicumque voluerit, pro arbitrio.*

Prima eſt, minus probabilis omnino, ne dicam omni præſidio deſtituta. *Opinio prima.*

Secunda verior, probabilior, & tenenda. *Opinio ſecunda.*

Prima igitur affirmat; fundamentum accipit hæc opinio ex teſtibus ſacrorum Canonum ex ratione, & ex authoritate plurimorum DD. ex teſtibus.

Primò, ex *cap.2. de præbendis, in 6.* ibi, *Licèt Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere.* Vbi plenaria, & abſoluta beneficiorum diſpoſitio Summo Pontifici tribuitur; plenaria autem, & abſoluta eſſe non poteſt, niſi pro libito, & abſque vlla cauſa illa dare, & auferre poſſit, nulla facta recompenſatione, nulla reſtitutione exhibita.

Secundò, ex *Clementina prima in fine, vt lite pendente*, incipit, *Si duobus*, ibi, *Salua tamen in præmiſſis omnibus Romani Pontificis poteſtate, ad quem Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plena, & libera diſpoſitio ex ſua poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* Vnde Summus Pontifex ſua vtens poteſtate abſoluta, de plenitudine illius poterit dare, & auferre beneficia, & Epiſcopatus abſque cauſa, & ſatisfactione, cuicumque voluerit, pro mero ſuo arbitrio, & voluntate.

Tertiò, quia Epiſcopatus, & beneficia omnia ſunt ordinata, & creata, diuiſaque in parochias, & diœceſes, à Summo Pontifice, & à iure poſitiuo; vt probat Gigas *de penſionibus, quæſt.37. num.4.* & nos latè probauimus in quinto præcepto ſanctæ matris Eccleſiæ, vbi de decimis; cùm ergo à Summo Pontifice creentur, & ordinentur, ab illo etiam abſque vlla cauſa reuocari poterunt. nam omne ius, quod Principes poſſunt conſtituere, & alicui donare, poterunt etiam reuocare, cùm ſupremi Principes ſint ſupra ius humanum, iuxta *c. propoſuit, de conceſſione præbendæ*, ibi, *Qui ſecundum plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare.* Ex quo capite fortiſſimum pro hac parte ſumitur argumentum, nam cùm *ibi* Cæleſtinus Papa mandauerit præpoſito; & Capitulo Cameracenſi, vt Titium Presbyterum reciperent in Canonicum, & fratrem ſuum, eique præbendam primò vacaturam, quæ ad donationem

tionem illorum in eadem Eccleſia ſpectarent, Decano Remenſi, ſuper hoc executore conſtituto; ſed cùm Decanus inueniſſet eos contumaces, prædictum Presbyterum inueſtiuit de præbenda primò vacatura pertinente ad donationem ipſorum: tandem vacauit vna præbenda, & ipſi Canonici eam alteri aſſignarunt: Cæleſtinus Papa hoc intelligens, & videns contumaciam illorum, volenſque ratum habere, quod ab eodem Decano factum fuit, collationem factam à Capitulo penitus irritauit, & dictum Presbyterum illis repugnantibus inueſtiuit: ſed cùm prædictus Presbyter illam pacificè habere non poſſet, & alius à Canonicis præſentatus eam poſſideret, acceſſit is ad Innocentium Papam Cæleſtini ſucceſſorem, eique omnia expoſuit; mandauit Innocentius, vt amoto alio à Canonicis, & Capitulo collato, eam præbendam prædicto Presbytero cum plenitudine honoris donarent, & ad poſſeſſionem illius admitterent, quod de plenitudine poteſtatis fecit, addens non eſſe ſuæ intentionis in poſterum auferre ius præſentandi; quamuis de plenitudine poteſtatis id poſſet efficere, ibi, *Licèt autem intentionis noſtræ nō ſit inueſtituras de vacaturis factas contra Canonum inſtituta ratas habere, qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare; attendentes tamen, quòd idem Presbyter non de vacatura, ſed de vacante per prædeceſſorem noſtrum fuit inueſtitus, vtpote quæ poſt caſſationem conceſſionis à vobis factæ intelligebatur vacare; mandamus, vt amoto quolibet detentore, eam ipſi cum plenitudine honoris canonici, aſſignetis.* vbi

Notandum eſt primò, inueſtituram factam à Decano fuiſſe nullam, eam tamen voluit ratam habere Cæleſtinus Papa, nam id ratum habemus quod ſcimus à principio fuiſſe nullum, & nihilominus illud volumus ratificare, & quòd fuerit nulla, patet ex litera textus ibi, *Idem autem prædeceſſor noſter, quod ab eodem Decano fuerat factum, volens ratum habere collationem præbendæ factam à vobis penitus irritauit, & eum de ipſa per annulum inueſtiuit*; & gloſſa *ibi, verb. inueſtiuit*, ita ait notandum Cæleſtinum, vt ſuſtentaret factum ab eodem Decano irritaſſe collationem à Capitulo, & Canonicis alteri factam, quæ de iure erat valida, & tenebat.

Notandum ſecundò, Innocentium poſt hanc irritationem Canonicum collatum à Capitulo amouiſſe, & præbendam alij dediſſe, & ſic prouidit præbendam actu vacantem, per talem irritationem non vacaturam, vt textus expreſsè aſſerit, ibi, *attendentes tamen, quòd idem Presbyter non de vacatura, ſed de vacante præbenda per Prædeceſſorem noſtrum fuit inſtitutus.* At non eſt dicendum, vtrumque Summum Pontificem iniuſtè egiſſe, Cæleſtinum irritando collationem validam, & alteri præbendam conferendo: Innocentium, amouendo illum de facto; ergo id licitè fecerunt de plenitudine poteſtatis ſuæ, quia poſſunt licitè dare, & auferre beneficia pro arbitratu ſuo ſine vlla cauſa, abſque vlla recompenſatione, cuicumque voluerint.

Quartò, quia Rex poteſt in ſuo Regno dare & auferre officia Reipublicæ, cuicumque voluerit, pro mero ſuo arbitratu, abſque vlla culpa, & recompenſatione eorum, qui illa actu poſſident; ergo & Papa poterit id efficere in beneficiis, cùm non minus ſit dominus omnium beneficiorum totius mundi, quàm Rex omnium officiorum in ſuo Regno; ſicut enim Papa liberè conſtituit, diuiſit, & creauit beneficia Eccleſiaſtica, in vniuerſa Eccleſia toto orbe diſperſa; ita & Reges, & Principes liberè creant, & inſtituunt officia in ſuis Regnis, & dominiis, hanc tenet gloſſa *in cap. finali 9. quæſt. 3. verb. ad nos.* Decius *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. num. 26.* Ripa *lib. 2. reſponſ. cap. 19. num. 5.* & Gomez *in reg. de non tollendo iure quæſit. quæſt. 1. col. 3. verſ. nam in beneficialibus.* Baldus *in l. reſcripta, num. 7. ad finem, C. de precib. Imper. offer.* Gigas *de penſionibus, quæſt. 10. num. 4. col. 1.* Socinus *conſil. 13. num. 34. lib. 1. & conſil. 266. num. 46. lib. 2. & conſil. 87. num. 21. lib. 3.* Selua *de beneficiis, 2. part. quæſt. 1. num. 42.* Alciat. *regul. 3. præſumpt. 8. num. 2.* Caccialup. *de penſionibus, q. 19. num. 30.* Panormitanus *cap. inter quatuor, de maioritate, & obedientia*, quatenus aſſerit in beneficialibus poſſe Papam procedere ad priuationem beneficiorum, parte non citata, & non audita, & hanc opinionem neceſſariò debent tenere omnes, qui dicunt poſſe Reges reuocare officia publica ex mera ſua voluntate, & arbitrio, nulla facta ſatisfactione, quos referemus *cap. ſequenti num. 1.*

Decius. Ripa. Gomez. Bald. Gigas. Socin. Selua. Alciat. Caccialup. Panorm.

2. Secunda ſententia diſtinguit inter beneficiorum prouiſionem, & priuationem, & de primo negotio aſſerit poſſe Summum Pontificem prouidere licitè beneficia, cuicumque voluerit, dummodo prouiſus idoneus ſit, comparatione non digni; & dummodo conferat digniori, reſpectu digni; ſi tamen dignis, relictis dignioribus; aut indignis, relictis dignis conferat, aſſerit peccare, ſed prouiſionem tenere, quia eſt Summus diſpenſator; & non habet iudicem in terris.

Si Papa conferat beneficia indignis, relictis dignis, aut dignis, relictis dignioribus, peccat, valet tamen collatio.

De ſecundo aſſerit non poſſe Summum Pontificem auferre beneficia iis, qui de illis ſunt prouiſi, abſque cauſa, niſi facta bona recompenſatione. Primam partem de prouiſione docet expreſsè Sotus *lib. 3. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. in reſponſione ad 5. fol. mihi 239. col. 1. in fine*, aſſerens contrariam opinionem non eſſe opinionem, ſed aſſentationem, & D. Thom. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. ad 1.* vbi aſſerit Prælatos Eccleſiaſticos non eſſe dominos ſuorum beneficiorum, ſed diſpenſatores tantùm, & Summum etiam Pontificem comprehendit. Caietanus *ibi*, & idem Caietanus expreſsè 2. 2. *q. 43. art. 8.* vbi aſſerit Papam non eſſe dominum beneficiorum, & Epiſcopatuum, ſed Chriſtum Dominum, non eo dominio, quo alia omnia illius ſunt, de quo aſſerit Dauid, *Domini eſt terra, & plenitudo eius*; ſed ſpeciali dominio, quia nemo alius eſt dominus illorum, & Papa tantùm eſt ſupremus illorum diſpenſator; & id ipſum quod Caietanus ait, ait etiam Nauarrus *de redditibus Eccleſiaſticis, monitione 21. num. 2. & 5.* addens omnia iura, quæ habent beneficia omnia, eſſe Prælatorum, intelligenda eſſe quoad gubernationem, & adminiſtrationem; tenet etiam expreſsè Pinellus *C. de reſcind. vend. 1. part. cap. 2. num. 30. fol. mihi 3. col. 1.* Innocentius *in cap. cùm ſuper, de cauſa poſſ. & propr.* Panormitan. *in cap. cùm eſſes, de teſtamentis, num. 29.* colligitur ex Ancharrano *conſilio 313.* & iuuatur hæc opinio ex gloſſa *in l. penult. ff. de hæred. inſtit.* vt *ibi* notat Baldus; & hac de re eſt bonus textus *in cap. homo Chriſtianus, & in cap. ſi Papa 40. diſt.* Probatur efficaciter rationibus.

Sotus. D. Thom. Caiet. Nauarr. *Papa non eſt dominus beneficiorum.* Pinel. Innoc. Panorm. Anchar.

Primò, quia Summus Pontifex non eſt ſupremus dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſed diſpenſator, iuxta illud D. Pauli 1. *ad Corinth. 4.* vbi

vbi loquitur abſolutè de omnibus Apoſtolis, & de Petro, & conſequenter de Summis Pontificis Petri ſucceſſoribus, & Epiſcopis Apoſtolorum etiam ſucceſſoribus. *Sic nos exiſtimat homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei*; & Chriſtus Dominus Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Atqui diſpenſator non poteſt dare, & diſpenſare res ſibi in diſpenſationem commiſſas, niſi iuxta commiſſionem domini illi talem diſpenſationem committentis; & Chriſtus Dominus, quando hanc ſupremam diſpenſationem omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum commiſit Petro, & Summis Pontificibus illius ſucceſſoribus, non commiſit illam, vt ea beneficia, quæ pretioſo ſuo ſanguine acquiſiuit, traderet indignis, & inſufficientibus, relictis dignis; aut dignis, relictis dignioribus, neque enim prudens quiſquam id efficeret; ergo peccabunt Summi Pontifices ſi ea illis tradunt; quamuis iudicem non habeant in terris, qui ſuper illos de hoc iudicet.

Secundò, quia iura quæ allegantur pro opinione, & parte contraria, & præcipuè *Clementina* 1. *vt lite pendente*, quæ commendat plenam, & liberam diſpoſitionem, ſupremamque diſpenſationem Summorum Pontificum, circa omnia beneficia Eccleſiaſtica, Epiſcopatus etiam, & Archiepiſcopatus, eò tantùm tendunt, vt Papa non ſit dominus, ſed ſupremus diſpenſator illorum, & quòd dicatur *libera*, id tantùm ſignificat, quòd Papa nullum agnoſcat ſuperiorem in terris; non tamen vt ſit dominus illorum; vnde cùm ita ſit libera, & ſuprema, vt nullum ſuperiorem habeat, non excuſatur à peccato, ſed multo maior illi obligatio circa hoc negotium incumbit, vt notat Cotta *de memorabilibus*, *verb. Papa*, *pag.* 655. & D. Ambroſ. *de dignitate ſacerdotali*, ibi, *Magna ſublimitas, magnam debet habere cautelam, honor grandis grandiori debet ſolicitudine circumuallari, cui plus creditur, plus ab eo exigitur.* Et D. Greg. Papa homilia 9. in Euangelia, *Cùm vobis augentur honores, rationes creſcunt donorum; tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſque debet eſſe ex munere, quanto obligatiorem ſe eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Libera ergo plenitudo poteſtatis Summi Pontificis in beneficialibus reſpicit tantùm facultatem conferendi beneficia validè, vt ſibi placuerit, cùm à nemine pendeat, & nemo ei contradicere valeat, non tamen vt illicita prouiſio deſinat eſſe illicita.

Cotta. D. Ambroſ.

Tertiò, quia ſi Papa eſſet verus dominus omnium beneficiorum, poſſet omnes fructus eorum in ſuam propriam, & peculiarem vtilitatem conuertere, & pro libito eis vti, quod nemo ſanæ mentis dicet.

Quartò, quia ſi Imperator, aut ſupremus Princeps conſtitueret aliquem ſupremum diſpenſatorem ſuorum bonorum, cum obligatione diſpenſandi ea illis ſubditis ſuis, qui meliùs eidem Principi inſeruirent, peccaret profectò contra obligationem ſui officij, ſi quos poſſet optimos ſeruos, eodem ſtipendio in ſeruitutem, & obſequium Principis, non aſciſceret, & reus eſſet fractæ fidei, & neglectæ prudentiæ; ſed Chriſtus Dominus Summos Pontifices conſtituit ſupremos diſpenſatores omnium bonorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, & quatenus ſunt collatores illorum, ſunt horum munerum diſpenſatores, & vt ait D. Paulus 1. *ad Corinth.*4. *miniſteriorum Dei*, in quibus fidem ſinceram Chriſtus requirit, Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* ergo reus erit Summus Pontifex huius fidei, ſi malè hæc beneficia prouiderit, & relictis dignioribus, ea minus dignis contulerit.

Tunc autem manifeſtum erit peccatum quando prætermiſſis dignis conferuntur indignis, non abſolutè, & omnino indignis, quorum collatio eſt nulla, & inualida, ſed indignis reſpectu Eccleſiæ & beneficij ad quod eliguntur. Et in hoc æquales ſunt Summi Pontifices aliis diſpenſatoribus inferioribus, hoc eſt, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Prælatis, vnde in Concilio Baſilienſi habetur hæc forma iuramenti Epiſcoporum, qui ad eam dignitatem eliguntur. *Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & ſancto, cuius nomini dedicata eſt hæc Eccleſia, eum eligere, quem credam eſſe in ſpiritualibus & temporalibus meliorem.* & id ſatis patet ex *cap. licet ergo* 8. *quæſt.*1. Et verò ratio ſupremæ diſpenſationis non eximit Papa ab obligatione meliores eligendi, imò ſtrictiùs obligat, vt probauimus in ſecunda ratione *numeri præcedentis*, ex D. Ambroſio *verſ. ſecundò*, *quia*, vt docet D. Thomas 2.2. *quæſt.*63 *art.*2. *ad* 3. ibi, *Ad hoc quòd electio impugnari non poſſit in foro iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſit habere calumniam, ſed quantum ad conſcientiam eligentis. neceſſe eſt eligere meliorem*, & Sotus *lib.*3. *de iuſt. quæſt.*6. *art.*2. *concl.*8. & 9. Alexander de Ales 2. *part. quæſt* 136. *membr.*2. Nicolaus de Lyra *in Ioannem* 21. Maior *in* 4. *diſt.*24. *quæſt.*8. & 9. & colligitur ex Pinello, *C. de reſcind. vend.* 1. *part. cap.*2. *num.* 30. vbi aſſerit teneri Summum Pōtificem & reliquos Prælatos de iure naturali, & diuino dare Eccleſiis miniſtros digniores, & peccare, ſi id non efficiant. Vnde cùm ad hoc teneantur de iure naturali, optimè infert Sotus *allegatus*, per nullam conſuetudinem poſſe eos ab hoc peccato excuſari, & vltra authores allegatos citat etiam Sotus pro hac opinione Adrianum, Archidiaconum, Ioannem Andream, & alios, ſed loca non allegat. 5.

D. Thom. Sotus. Alenſ. Lyran. Maior. Pinel.

4.

An peccet mort. vel venialiter, ita conferendo beneficia.

Dubitant tamen DD. an Summus Pontifex & Prælati peccent mort. an venialiter tantùm conferendo beneficia indignis (non abſolutè, ſed qui tales ſint reſpectu Eccleſiæ, & beneficij, quod eis confertur; ſi enim abſolutè indigni ſint, clarum eſt peccatum eſſe mortale) relictis dignis; aut dignis, prætermiſſis dignioribus: quidam enim putant peccare ſolùm venialiter: ita Sotus *allegatus*, Gabriel *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*7. *art.*3. *dub.*1. Nauarra *lib.*2. *de iuſt. cap.*2. *num.*148. Sà *verb. beneficium.* Aragonius 2. 2. *quæſt.*63. *art.* 2. Ledeſma *lib.* 2. *cap.*34. *dub.*14. *à num.*6. Paulus Laymanus *lib.*4. *tract.*2. *cap.*14. *num.*8. Garcia *part.*7. *cap.*16. *initio.* Leſſius *lib.*2. *de iuſt. cap.*34. *dub.*13. & 14. vbi tamen id limitat, niſi hoc ſæpe fiat, quia ſi ſæpe fiat, id non excuſat à mortali: limitat etiam Laymanus *allegatus*, modò beneficia, aut præbendæ iuriſdictionem magni momenti adnexam non habeant, nam ſi habeant, tunc, inquit, peccatum erit mort. Fundamentum illorum eſt, quia non infertur graue damnum Eccleſiæ, ſi eligatur dignus, abſolutè loquendo, licèt reſpectu ipſius Eccleſiæ cui præficitur, ſit indignus, prætermiſſo digno in ordine ad ipſammet Eccleſiam; nec ſi eligatur dignus reſpectu ipſius Eccleſiæ prætermiſſo digniori, præſertim ſi beneficium eſt canonicatus, aut alicuius communitatis, quia indignitas,

Sotus. Gabriel. Nauar. Sà. Arag. Ledeſm. Layman. Garcia. Leſſius.

gnitas, aut minor dignitas per alios cùm beneficiatos, aut canonicos ſuppleri facilè poteſt. Alij meliùs exiſtimant id eſſe peccatum mortiferum; ita Decius *in cap. conſtitutus 2. num. 5. de appellat.* Couarr. *reg. peccatum part. 2. § 7. num. 4.* Caietan. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2.* & D.Thom. *ibi, in corpore: Quanto in maioribus aliquis iuſtitiam transgreditur, tanto grauius peccat, vnde cùm ſpiritualia ſint temporalibus potiora, grauius peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quàm in diſpẽſatione temporalium*; & ad 3. apertè mentem ſuam magis declarauit, dicendo: *quantum ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem.* Et ſtatim declarans quis ſit melior, & dignior *ibidem*, aſſerit, & concludit. *Si non eligatur, erit manifeſtè acceptio perſonæ*, & quòd ſit peccatum mort. contra iuſtitiam, tenet etiam Salon. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2.* Valentia *ibi diſp. 5. quæſt. 7. punct. 2.* Nauarrus *de orat. miſcella. 38.* Azor. *part. 2. lib. 6. cap. 15. quæſt. 1.* Reginaldus *tract. 3. num. 19.* Sayrus *deciſ. 22. de pœnit.* Riccius *in collectan. part. 4. corollario 93.* Stephanus Gratianus *deciſione 97.* Raudenſis *deciſ. 35.* Barboſa *in remiſſionib. ad Trident. ſeſſ. 24. cap. 28 num. 27.* Gonçales *reg 8 gloſſa 4. num. 128.* Rodriguez *in ſumma part 1. cap. 106. num. 4 & 5.* Illuſtriſſimus Cardinalis Zapata *in diſcurſu de prouiſ. benefic. part 2. num. 5. fol. 53.* His aſſentio, quod probatur ex rationibus ſuprà factis *num. 2.* & ex grauitate materiæ, nam conferre beneficia, aut præbendas minus dignis, relictis, ac prætermiſſis dignioribus, eſt contra obligationem officij œconomi, ac diſpenſatoris, & contra fidelitatem debitam Eccleſiæ, inde enim contingit priuari Eccleſiam ingenti bono, quod Summus Pontifex (& idem de Prælato, & Epiſcopo) tenebatur ei procurare eligendo digniorem miniſtrum, & in re graui fidem debitam violare, eſt peccatum mortiferum, vnde qui præſentant, vel eligunt, vel beneficia liberè conferunt, inquit Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 34. num. 64. & 65. & ſequentibus*, grauiter peccant, ſi digniores prætermittant, ſiue ſit Papa, ſiue Epiſcopus, ſiue Princeps ſæcularis, non enim ſunt domini beneficiorum, ſed œconomi. Neque obſtat quòd in aliquibus beneficiis non detur concurſus, neque oppoſitio, aut ratio iniuriæ, quæ inferatur dignioribus, vt optimè notauit illuſtriſſimus Cardinalis Zapata *in ſuo diſcurſu de prouiſion. benefic. part. 2. fol 54. num. 10.* Nec obſtat etiam quòd beneficium ſit ſimplex, nam licèt in beneficiis curatis appareat manifeſtiùs iniuria facta Eccleſiæ, tamen in omnibus prouiſionibus, generaliter loquendo, in quibus eliguntur digni prætermiſſis miniſtris dignioribus, iniuſtitia, & iniuria Eccleſiæ infertur, priuando eam melioribus & dignioribus miniſtris, ex quibus auctoritas, & ſplendor Eccleſiæ, & cultus diuini pendet, augetur, & conſeruatur, ſicut enim, vt ait ſacra pagina Prouerb. 14. verſ. 28. *in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*; ita ex multitudine, bonitate, & dignitate miniſtrorum Dei dignitas Eccleſiæ accreſcit, & ex indignitate illorum minuitur, & quodammodo vileſcit.

Decius. Couarr. Caiet. D.Thom. Salon. Valentia. Nauarr. Azor. Sayrus. Riminald. Riccius. Gratian. Raudenſ. Gonçal. Adrian. Zapat. Leſſius.

An tale peccatum ſit contra iuſtitiam commutatiuam, vel ſolùm diſtributiuam.

An verò hoc peccatum ſit cõtra iuſtitiam commutatiuam & rigoroſam ex qua reſultet obligatio reſtitutionis rigoroſæ, an verò ſolùm contra iuſtitiam diſtributiuam, variant Authores. quidam enim exiſtimant ſolùm eſſe contra iuſtitiam diſtributiuam, ex qua non reſultat obligatio reſtitutionis rigoroſæ. Vnde aſſerunt non teneri illos, qui eligunt dignos prætermiſſis dignioribus, neque Eccleſiæ, neque ipſis dignioribus, quos prætermittunt ad aliquam reſtitutionem: non Eccleſiæ, quia illi tribuunt dignos, idoneos, & ſufficientes miniſtros; non dignioribus prætermiſſis, quia erga illos ſolùm peccant contra iuſtitiam diſtributiuam, ex cuius violatione non reſultat obligatio reſtitutionis rigoroſæ. Dicendum tamen eſt, vt notat Illuſtriſſimus Cardinalis Zapata *allegatus, num. 11. fol. 55. ad finem dicti numeri*, & eſt communior reſolutio Doctorum huiuſmodi peccatum eſſe contra vtramque iuſtitiam; & contra iuſtitiam commutatiuam reſpectu Eccleſiæ, quæ dignioribus miniſtris priuatur; & contra diſtributiuam reſpectu digniorum miniſtrorum, qui prætermittuntur, & meliores Doctores obligant ad reſtitutionem rigoroſam faciendam Eccleſiæ damni, quod ipſa arbitrio boni viri patitur, dum dignioribus priuatur miniſtris, eſt enim illud damnum pretio æſtimabile, & neceſſariò reſarciendum, & huius opinionis videtur D.Thom. *dicta 2. 2. quæſt. 63. art. 2. in corpore*, dum ait hoc peccatũ eſſe peccatum acceptionis perſonæ, ac proinde contra iuſtitiam: & eam tenet Garcia *de beneficiis, 7. cap. 16. num. 53.* vbi pro ea citat Banhez 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. ad 6. in fine*, & Salonem *ibidem*, & Ledeſmam *in ſumma 2. part. tract. 7. cap. 2. concl. 7. difficult. 2.* verba Garciæ ſunt hæc, *vnde ſi ex omiſſione dignioris ſequantur Eccleſiæ aliqua damna, vel intereſſe, tenetur ei eligens ad reſtitutionem illorum; ſicut œconomus, cui dominus præciperet, quòd conduceret operarios meliores, & magis idoneos, teneretur domino ad reſtitutionem damni, vel intereſſe ei ſecuti ex omiſſione illorum, quicquid dicat Rebellus* 1. part. lib. 3. quæſt. 4. num. 14. hæc ille. Non obligant verò ipſum eligentem ad faciendam aliquam reſtitutionem digniori prætermiſſo, quia ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ, non reſultat obligatio reſtitutionis, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 15.* & Azor *tom. 2. Inſt. moral. lib 6. cap. 15. quæſt. 12.* Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 4. verſ. 4. & cap. 78.* Valentia *tom. 3. diſp. quæſt. 7. punct. 2. q. 6.* Nauarrus *in ſumma cap. 17. num. 72.* Couarruuias *in reg. Peccatum 2. part. §. 7. num. 6.* Molina *de primog. lib. 2. cap. 5. num. 57.* Gutierr. *Canonic. quæſt. lib. 2. cap. 11. à num. 97.* & alij. Licèt contrarium teneat Molina Theolog. *de iuſt. tract. 2. diſp. 714.* & Rodriguez *tom. 1. ſumma cap. 108. num. 6.* & Salon 2. 2. *quæſt. 63. art. 4. controuerſia 3. concluſ. 4.* & Banhez *ibi* aſſerentes ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ reſultare etiam obligationem rigoroſæ reſtitutionis, teneríque proinde eligentem reſtituere digniori damnum illi inde reſultans, ac prouenient; ſed contrarium eſt verius.

Leſſius. Tolet. Azor. Valent. Nauar. Couar. Molin. Gutier. Molin. Rodrig. Salon.

5. *Dignior quis.*

Dignior autem non ille eſt cenſendus, qui literis, & doctoratus gradu cæteris antecellit, ſed qui aptior eſt, & vtilior Eccleſiæ, nec qui ſanctitate magis eminet, ſed qui accommodatior eſt ouibus regendis, & ſeruitio Eccleſiæ, in quo multum valet iudicium Epiſcopi. Ita docet Sotus *lib. 3. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. verſ. Præterea.* Riccius *in praxi reſolut. 498. num. 1. folio 394.* Couarruuias *dicta regul peccatum, part. 2. §. 7. num. 4.* Hoieda *de incompatibilitate benefic. part. 2. cap. 23. num. 130.* Lupus *in cap. per veſtras, notabili 3. §. 6. num. 12. de donat. inter virum, & vxorem.* vnde licèt concurrat vir literatiſſimus, ſi alius iudicetur accommodatior, & vtilior, licèt non tam literatus ſit, iſte erit dignior, etſi alius ſit optimis moribus inſtructus, dexteritate tamen in paſcendis ouibus deſtitutus alter

Sotus. Riccus. Couar. Hoied. Lupus.

alter verò non ſit tantis virtutum opibus orna-
tus, ſperatur tamen de illo, quod maiorem curam,
ac diligentiam in executione paſtoritij muneris
poſiturus ſit; hic vtilior, & dignior iudicabitur,
etſi negligentior poſtea euadat, euentus futu-
rus nihil vitiat præſentem electionem, qua di-
ligentior iudicabatur; hæc exempla ſunt opti-
ma, & ea apponit Sotus *allegatus*; pendet tamen
totum hoc negotium ex iudicio prudentis, vt
patet.

6. Itaque ſicut dignitas conſiſtit in ætate legi-
tima in litteris, in moribus, in Ordinibus
ad beneficium acquiſitis, *cap. cùm in cunctis,*
Selua. *§. inferior, de electione*, Selua *de benefic. part.* 3.
quæſt. 5. *num.* 1. Concilium Tridentinum *cap.* 1.
cum ſequentibus, ſeſſione 7. *& cap.* 2. *&* 4. *ſeſſio-*
Riccius. *ne* 22. Riccius *allegatus*, & alij; ita indigni-
tas in eos ſita eſt, quòd quis qualitates requiſi-
tas ad munus cui præficitur, non habeat, iux-
Rebuff. ta Rebuffum *de pacifica poſſeſſione*, *num.* 73.
D.Thom. & Diuum Thomam 2. 2. *quæſt.* 63. *artic.* 2. *in*
corpore, vbi ait dignitatem, & indignitatem ſu-
mendam eſſe per comparationem ad bonum com-
mune, & ad regendas oues, non per compa-
rationem ad ſanctitatem perſonæ, quæ eligi-
tur ad beneficium, poteſt enim, inquit, con-
tingere illum, qui eſt minus ſanctus, & minus
ſciens, eſſe magis idoneum propter induſtriam
ſecularem, & bonum modum in paſcendis oui-
bus, quod patet etiam ex deciſione Rotæ per
Dom. Oran. Beneuentanæ Parochialis 13. Iunij
anno 1590. In qua deciſione ex duobus appro-
batis per examinatores pro æqualiter idoneis, ac
ſufficientibus in ſcientia, electio vnius facta per
Epiſcopum legitima fuit iudicata, quamuis al-
ter eſſet doctoratus laurea inſignitus, actu Sa-
cerdos, & pauper, iſte verò non; modò iſte in
ea ætate fuerit conſtitutus, vt intra annum poſ-
ſit ad beneficium curatum ordinari; quia huiuſ-
modi qualitates, licèt cæteris paribus ſint con-
ſiderabiles, non faciunt tamen digniorem pro
regimine Parochiæ, cùm vltra hæc multa ſint
conſideranda ad hoc munus; vt habetur in Con-
cilio Tridentino *ſeſſione* 24. *cap.* 8. *de reformat.*
& ſic fuit declaratum per ſacram Congregatio-
nem eiuſdem Concilij. Vnde ad iudicandum quis
ſit dignior, plurimum, vt dixi, valet iudicium Epi-
ſcopi eligentis, vel ſuperioris; qui poteſt om-
nes neceſſitates occurrentes ouium conſiderare,
& omnes circunſtantias, ex quibus dignior ali-
Bald. quis poſſit iudicari; & ita docet Baldus *in cap.*
Menoch. *ſi pro debilitate, in fine, de officio delegati.* Me-
nochius *de arbitr. quæſt. centuria* 1. *caſu* 67 *num.* 13.
addens id intelligendum eſſe, quatenus ſupe-
Alexand. rior rectè iudicat, Alexander *conſilio* 33. *lib.* 1.
Tiraq. *num.* 2. incip. *Viſo themate.* Tiraquellus *de nobi-*
litate, cap. 10. *num* 12. Doctores *in cap. ſedes,*
de reſcriptis. Non tamen per hoc ligantur ma-
nus appellantis; ſemper enim in his datur appel-
pellatio, quando Epiſcopus perperam, & non
rectè arbitratur, & eligit; nam in huiuſmo-
di arbitrariis, poteſt dolus à iudice committi;
Bald. ſic Baldus *in l. ſi fugitiui, colum. vltima, ad*
finem. verſ. & ſic patet. C. de ſeruis fugit.
Bart. Alexander ad Bartolum *in l. ſi qua pœna* 244.
in fine. ff. de. verborum ſignificat. poſt gloſſam
Tiraq. *ibi, verb. pœna, in fine.* Tiraquellus *l. ſi vnquam,*
in verb. omnia, vel partem, num. 32. *C. de reuo-*
cand. donat.

Sed veniamus ad ſecundum membrum di- 7.
ſtinctionis, de qua egimus *num.* 2. an ſcili-
cet Papa poſſit de plenitudine poteſtatis lici-
tè auferre beneficia iis, qui illa pacificè obti-
nent pro mero arbitratu ſuo, abſque vlla cauſa,
& ſatisfactione illorum; qua de re duæ ſunt opi-
niones.

An Papa poſſit pro libito auferre beneficia ijs, qui ea poſſident, & dare alijs ſine recompenſatione.

Opinio prima.

Prima affirmans, & de hac iam egimus *num.* 1.
vbi illius fundamenta prolixè poſuimus, & ex-
plicauimus; ſemper enim ſoleo omnia fun-
damenta eorum, quos mihi deſtino aduerſa-
rios proponere, ne illi de me conquerantur,
quod ſuppreſſis eorum fundamentis, eos im-
pugnem.

Opinio ſecunda probabilior.

Secunda igitur probabilior, & omnino te-
nenda, imò vtraque manu, & toto pecto-
re apprehendenda negat, & docet non poſ-
ſe Summos Pontifices, ſine iuſta cauſa, &
culpa priuare quenquam ſuo Epiſcopatu, &
beneficio canonicè obtento, niſi facta opti-
ma recompenſatione, neque id ſacroſanctam,
ſupremamque, & independentem à quocum-
que alio iudice, illorum authoritatem in ter-
ris minuere. Hæc ſe tuetur in primis autho-
ritate omnium authorum, quos citauimus *num.* 2.
& illam tenent etiam expreſsè Pinellus *C. de* Pinel.
reſcindenda venditione 1. *part. cap.* 2. *num.* 31.
verſ. altera inſpectio eſt, folio mihi 30. *colum-*
na 2. Sed aduerte in foliis, ne fallaris, nam
in principio agit de bonis mater; & excur-
runt folia vſque 351. & deinceps incipit alius
foliorum numerus; *in tit. de reſcindenda ven-*
ditione, in num. 30. *dicto verſ. altera inſpe-*
ctio eſt; hanc opinionem tenet; eam tenet
etiam Cardinalis relatus à Felino *in capit. quæ*
in Eccleſiarum, num. 42. *verſ. ſed dominus*; &
idem Felinus *ibi* alios referens; *& num.* 43. Felin.
aſſerit hanc opinionem eſſe magis receptam; &
Baldus ſibi ex more contrarius *in cap.* 1. *de natu-*
ra feudi, num. 1. *verſ. & eſt argumentum.* In- Innoc.
nocentius vbi expreſsè loquitur de Epiſcopatibus;
in cap. niſi cum pridem, columna 1. *in fine.*
verſ. nos dicimus, de renunciat. & eruditè, &
copioſè Romanus *conſilio* 345. Panormitanus Roman.
quæſtion. 1. Cerierus *in tractatu de primogenit.* Panorm.
lib. 3. *quæſtione* 7. *num.* 15. vbi alios refert Iſer- Cerier.
nia, quem refert, & ſequitur Molina *ad De-* Molina.
cium, in dicto cap. quæ in Eccleſiarum, lit-
tera V. Alexander *conſilio* 101. *num.* 6. *lib.* 7. Alexand.
Barbatius quem ſequitur Gomez ſibi repugnans Gomez.
in dicta regula de non tollendo iure quæſito.
quæſt. 1. *verſ. putarem.* Soto *lib.* 3. *de iuſtitia,* Soto.
quæſtione 6. *artic.* 2. *ad quintum.* Coſmus *in pri-* Coſmus.
ma parte, fol. 172. Probus *ad Monachum, in* Probus.
dicto cap. 2. *de prabend. in* 6. *num.* 1. Et pro-
batur,

Primò, ex *cap.* 1. *de cauſa poſſeſſionis & pro-*
prietat. vbi Summus Pontifex fatetur ſe non
poſſe procedere contra aliquem inauditum,
nec eum ſpoliare; & ex *capit. nos in quem-*
quam 2. *quæſt.* 1. ibi, *Nos in quemquam ſen-*
tentiam ferre non poſſumus, niſi aut conui-
ctum, aut ſponte confeſſum. Quæ iura ſi atten-
tè expendantur, loquuntur de omnibus cri-
minibus indiſcriminatim Clericorum; atque
adeò præcipuè ad pœnales priuationes bene-
ficiorum, & cauſas beneficiales applicanda
ſunt.

Secundò, quia Summus Pontifex non eſt do-

minus beneficiorum, ſed diſpenſator tantùm; non enim illa inſtituit, nec creat [de ſuis propriis bonis, ſed de bonis communibus Eccleſiæ, de decimis, quas ſoluunt fideles in ſuſtentationem Clericorum, & miniſtrorum Dei; atque adeò de bonis, & patrimonio Chriſti, quæ beneficia ex commiſſione confert dignis; ergo non poteſt illa licitè, & validè auferre ab his beneficiatis, qui ea poſt collationem actu poſſident abſque culpa, & cauſa, & abſque recompenſatione pro mero arbitratu ſuo. Probatur conſequentia, quia collato beneficio digniori miniſtro Summus Pontifex munus ſuum expleuit; expleuit enim commiſſam ſibi à Chriſto diſpenſationem, & iam non poteſt per eandem commiſſionem beneficium auferre ab eo, qui illud contulit, nec licitè, nec validè, niſi ex culpa cauſa cognita, etſi abſque culpa non niſi facta bona recompenſatione & hoc ſuadet ratio, euincitque vtilitas, honeſtas, & quies Eccleſiæ, vt hæc tantùm poteſtas Summis Pontificibus à Chriſto Domino in ſumma illa commiſſione, & diſpenſatione relinqueretur; alioquin omnia eſſent in perpetuo motu, & innumeræ quotidie perturbationes in Eccleſia Catholica orirentur. Nec illa ampliſſima poteſtas, verba Chriſti Domini, *Quodcumque ligaueris ſuper terrram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Extenduntur ad irrationabilia, & illicita, vt patet; non enim poteſtas à Chriſto data eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, neque ad illicita, ſed ad licita, alioqui non eſſet Deus; quare cauendum à prima ſententia, & opinione eorum, quos *num.* 1. citauimus, qui id concedunt Summo Pontifici, ob ampliſſimam, & ſupereminentem illius poteſtatem in totam Eccleſiam Catholicam, extendunt enim etiam illam ad illicita.

Tertiò probatur ex omnibus rationibus factis *num.* 2. vbi ad iura, & fundamenta pro contraria opinione adducta iam ſatis reſponſum eſt, & amplius reſpondebimus *num. ſequenti.*

Quartò, quia nec Reges, nec Principes poſſunt auferre, & reuocare officia ſuorum ſubditorum, niſi cauſa cognita, aut facta bona recompenſatione, vt dicemus *cap. ſequenti.* & eadem eſt ratio de Regibus in officiis, atque de Papa in beneficiis, vt ipſi aduerſarij fatentur.

8. Ad fundamenta ergo primæ opinionis ſic reſpondeo, ad textum *cap. ſecundi, de præbend. in 6. & ad Clementinam primam, vt lite pendente*, dico, per liberam diſpoſitionem, & ſupremam poteſtatem, quæ inibi tribuitur Summo Pontifici, ad diſponendum de rebus Eccleſiaſticis, intelligi eam ſupremam authoritatem, & poteſtatem, quæ nullum ſuperiorem habeat in terris ad licitam, & iuſtam diſpoſitionem; non poſſe autem dari licitam, & iuſtam diſpoſitionem, niſi ex cauſa, aut facta bona recompenſatione, vt beneficia à beneficiatis per Summum Pontificem auferantur, nec in hoc minui poteſtatem Summi Pontificis, neque enim Deus habet infinitam poteſtatem, niſi ad ea, quæ ſunt licita, & honeſta, alioqui non eſſet Deus, vt patet; poteſtas enim ad illicita non eſt poteſtas, peccatum eſt.

9. Ad cap. *propoſuit. de conceſſione præbendæ*, quod affertur in tertio argumento, in quo magnum argumentum contrarij habent contra nos;

Reſpondeo primò, in præſentatione, & collatione beneficiorum ſi patroni ſunt Eccleſiaſtici, poſſe Summos Pontifices pro vna vice, maximè ad tollendas lites repræſentare, quem dignum iudicauerint, & fortè ita fuit in caſu, nam cùm præſentatio præbendæ ad Capitulum, & Canonicos Cameracenſes pertineret, potuit Summus Pontifex, fortè ex cauſis occultis, quæ tunc eum ad id impulerunt, eis mandare, vt Titio primam præbendam vacaturam darent, & poſtea ob contumaciam, & inobedientiam eorum, iuſtè eos cogere, vt illum à ſe præſentatum in Canonicum, & fratrem acciperent, & illorum præſentationem irritare: imò tot, tantæque poſſunt eſſe diſcordiæ inter Canonicos, & patronos, non ſolùm Eccleſiaſticos, ſed etiam laicos, vt in perpetuum eos ea poteſtate præſentandi priuet; ſed hoc tunc non fit ſine cauſa, ſed ex cauſa iuſta, & ſufficienti, vt patet.

Reſpondeo ſecundò, ſi nullam cauſam habuit Papa Cæleſtinus, ſaltem occultam, quæ eum ad id permouit, collationem, & præſentationem factam ab eo fuiſſe iniuſtam, & per iniuriam illatam Canonicis, ac Capitulo, & iniuſtam quoque fuiſſe præſentationem, & collationem, ſeu inueſtituram illius factam à Decano Remenſi executore Papalium litterarum; vt docet expreſsè gloſſa *in dicto cap. propoſuit, de conceſſione præbendæ, verb. inueſtiuit vacaturis, in fine*, cùm id non venerit in illius commiſſione; & quia iuſtè & validè Canonici præſentauerant, iuxta eandem gloſſam; neque enim illis non auditis poterat Papa id præcipere, & conſequenter etiam fuiſſe iniuſtam amotionem illam, qua Innocentius III. ſucceſſor Cæleſtini amouit ipſum à Capitulo præſentatum, vt ſuſtentaret præſentationem, & collationem Cæleſtini. Poterat tamen vterque Summus Pontifex habere cauſas, quæ eos mouerint ad id faciendum, & excuſarent; & ita credendum eſt, eas habuiſſe, neque enim facili eos debemus condemnare.

Ad tertium reſpondeo, Eccleſias diuidi in parochias, & in beneficia, ac proinde beneficia creari à Summo Pontifice non ex bonis propriis, ſed ex bonis Chriſti, hoc eſt, ex decimis, quæ ſunt verum Chriſti patrimonium, & in ſuſtentationem, & alimentum ſuorum miniſtrorum cedunt, ac proinde non poſſe illa à ſuperioribus auferri, niſi ex graui, & iuſta cauſa, aut facta bona recompenſatione, vt diximus in ſecundo noſtro argumento poſito *num.* 7.

Ad quartum reſpondeo in eo eam difficultatem tangi, an Reges, & Principes ſæculares poſſint auferre, & reuocare officia publica à ſuis poſſeſſoribus abſque cauſa, & ſatisfactione; quod dubium explicabimus *in cap. ſequenti*, vbi id pro negatiua parte oſtendemus.

Ad finem animaduerto fontem, & originem ex qua authores primæ opinionis ſuam ſententiam eructunt, & textum, & gloſſam, ex qua illa opinio primum fundamentum habuit, nihil illis fauere; habuit enim fundamentum in gloſſa *in cap. per principalem 9. quæſt. 3. in verb. ad nos.* quæ ita habet. *Beneficia Papa auferre poteſt*, & non dicit ſine cauſa, neque ex dicto capite id colligi poteſt; nam in eo ita habetur. *Per principalem Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli poteſtatem, de qua expoſuimus, ius habemus non ſolùm Monachos, ſed etiam quoſlibet Clericos de quacumque diœceſi, cùm neceſſe fuerit, ad nos conuocare, atque Eccleſiaſticis exigentibus opportunitatibus inuitare.* 10.

Hæc

Hæc ibi; querebantur enim Reges, & Principes, quòd Summus Pontifex ad Romanam Curiam euocaret Epiſcopos ſuorum Regnorum; & Romanus Pontifex reſpondit ſe poteſtatem ad id habere, quoties neceſſe fuerit. quod perinde eſt, ac dicere, quoties ex cauſa ita iudicauerit, & inde intulit gloſſa; *& priuandi eos beneficijs abſque cauſa,* quæ planè illatio mala omnino eſt, & hanc gloſſam poſtea ſecuti ſunt authores multi, re non benè inſpecta, vt de ſe patet; nam etiamſi ſine cauſa poſſet Summus Pontifex vocare ad Romanam Curiam Clericos, Prælatoſque quorumcumque Regnorum, non benè infertur inde, poſſe eos etiam ſine cauſa beneficiis priuare.

11. Sed cùm cauſa poſſit eſſe duplex, altera ex parte culpæ ipſorum beneficiatorum, quando ſcilicet ob culpas, & crimina illorum beneficiis ſuis cauſa cognita, & in iudicio diſcuſſa priuantur in pœnam; altera ſine culpa illorum, v. c. ſi ob iuſtas cauſas per legem aliquam, ac pragmaticam talia, vel talia, ob maius bonum commune, beneficia extinguat, & tunc inquiri poteſt, an teneatur Summus Pontifex recompenſationem facere beneficiariis ea eo tempore poſſidentibus, quando prædicta beneficia per pragmaticam aliquam, aut conſtitutionem ob maius Reipublicæ Chriſtianæ bonum extinguit. Reſpondeo nunquam Summum Pontificem id facturum, niſi ex maximis, & grauiſſimis cauſis ad bonum commune Eccleſiæ ſpectantibus; & tunc quidem id poſſe efficere abſque recompenſatione eorum, qui beneficia actu poſſident, cùm id in commiſſione ſummæ diſpenſationis, & officij ſummi diſpenſatoris illi à Chriſto domino commendati, veniat, cenſendum enim eſt, Chriſtum Dominum eis dediſſe ampliſſimam poteſtatem ad diſponendum de beneficiis, prout melius iudicauerint conuenire ad maius bonum Reipublicæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ; quare ſi id iudicauerint, patientiam habeant domini beneficiati, maximè, cùm illi etiam ex ſua parte ex charitate teneantur tunc bona ſua peculiaria, & beneficia pro bono totius Eccleſiæ exponere, vt patet, à principio enim ſub ea tacita conditione, beneficia eis collata fuerunt, vt quoties iudicio Summi Pontificis ob bonum commune extincta fuerint, non teneatur Papa ad illorum recompenſationem.

Quid ſi ex cauſa per legem aliquam extinguat aliqua beneficia, an tunc teneatur de compenſando.

CAPVT XXIII.

An Reges & Principes poſſint pro ſuo arbitrio abſque vlla cauſa, & recompenſatione officia publica auferre, & reuocare ab ijs, qui ea actu poſſident.

SVMMARIVM.

Explicatur quæſtionis ſenſus, & genus officiorum, de quibus agi poteſt. num. 1.

Refertur prima ſententia aſſerens poſſe Reges & liberè, & pro arbitratu ſuo, nulla data ſatisfactione, auferre officia, quæ liberaliter, & non ob merita, aut pecuniam dederunt. num. 2.

Refertur contraria, aſſerens non poſſe illa auferre, niſi ob culpas, & cauſa cognita, aut ſi non ob culpas, non niſi bona recompenſatione facta. num. 3.

Quid de officijs, quæ Reges ex ſuis gazis, & patrimonio creant, & poſtquam ſunt creata, ea pro ſua liberalitate alicui, & non ob meritorum ſatisfactionem donant. num. 4. & 5.

Quare officia vendi non poſſint, niſi de licentia Regis. num. 6.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. num. 7. *Reges non poſſunt auferre vaſallis ſua prædia, vt in præmium militiæ alijs donent, niſi ſatisfacto pretio.* ibid.

Reges quo ſenſu non ſint abſoluti domini bonorum ſuorum vaſallorum. num 8.

An poſſint Reges auferre officia poſſidentibus, quando illa ipſis pro pecunia vendiderunt, & quomodo. num 9.

Quid de officijs, quæ à Regibus in meritorum ſatiſfactionem donantur. num. 10.

Ob culpam, & cauſa cognita auferri poſſunt abſque ſatiſfactione. num. 11.

Quid ſi per legem aliquam, aut pragmaticam extinguantur. num. 12.

Quid de illis quæ Reges merè gratis, & liberaliter dare ſolent, non ob pecuniam, nec ob ſatiſfactionem meritorum, an per legem extingui poſſint abſque recompenſatione poſſidentium. n. 13. 14.

Quid operetur hæc clauſula in proviſionibus officiorum inſerta, ad noſtrum beneplacitum. num. 15. *An officia eam clauſulam habentia expirent morte concedentis,* ibid. *An tunc ſine iuſta cauſa poſſint ad libitum auferri.* ibid.

An officia, quæ iuriſdictionem non habent, nec ad illa ordinantur, expirent morte concedentis. n. 16. *Quid de officijs pertinentibus ad Regium fiſcum.* ibid.

An dicatur noua conceſſio ſi quis ob culpam officium amiſit, & ei iterum à Rege fuit donatum dimiſſa culpa. num. 17.

Quid & quando quis obtinet à Rege facultatem ad vendendum officium. num. 18.

1. OFFICIA, quæ Reges, & Principes dare ſolent, & poſſunt, vel ſunt data ad vitam, vel ad certum tempus tantùm, & hæc, vel ex mera gratia, & liberalitate Principis, vel in obſequiorum ſatisfactionem dantur, vel venduntur à Rege pro pecunia, aut obtenta ab illo facultate per poſſeſſorem, vt officium ſuum pro pretio in alium transferat; quando autem reuocantur, & auferuntur à Rege, vel auferri, & reuocari poſſunt ex cauſa pro culpis officialium, cognita in iudicio cauſa, vel ex cauſa ſine culpa illorum officialium, qui ea poſſident; vt v. c. per legem, aut pragmaticam, qua Rex iubeat extingui certum officiorum genus in Regno, vrbe, aut loco aliquo dominij ſui, vel ex mero ſuo arbitratu, nulla ſubſiſtente cauſa, nulla data culpa officialium, de his omnibus euentibus agemus.

Genus officiorum.

2. Prima ergo ſententia loquens de illis officiis, quæ Reges ex mera ſua liberalitate donant, nullis ſubſiſtentibus meritis, neque in ſatisfactionem aliquorum obſequiorum ex parte eorum, qui illa accipiunt, aut eorum quorum intuitu alteri dantur, docet poſſe Regem pro mero ſuo arbitratu, abſque vlla cauſa, & recompenſatione illa auferre, & reuocare; & huic opinioni fauet lex noſtra Luſitana *lib. 1. titul. 98.* quatenus aſſerit poſſe Regem omnia officia ad libitum auferre, & aliis donare; & ita docet expreſsè Cabedo 2. *part. deciſione* 20. *num.* 1. *&* 2. Socinus *conſil.* 53. *lib.* 3. Decius *in l. finali, num.* 3. *C. de pactis,* Baldus *in l. reſcripta, C. de precib. Imperat. offerend.* Ioannes Lupus *in princip. ſuæ repet. de donat. inter virum,*

Opinio prima; poſſe Reges ea officia auferre, quæ liberaliter officialibus dederunt abſque cauſa, & compenſatione.

Cabed. Socin. Decius. Bald. Lupus.

Suar. Afflict. *virum, & uxorem, num.7.* Suarius *allegatione* 12. *fol. penult.* Afflictis *in cap.1. verb. poteſtas, num.* 14. *quæ ſint regal. feud. lib.* 3. qui tamen loquitur tantùm de iuriſdictionibus; ſed idem eſt dicendum de officiis habentibus iuriſdictionem adnexam; amoto enim officio, amouetur iuriſdictio, ex ratione *leg. iudicium ſoluit, ff. de iud.* Thomas Grammat. Benedict. Grammat *deciſ.* 46. *num.*2. Benedictus *in cap. Raynutius, verſ. duas, num.* 37. dum tantùm excipit caſum, in quo officium pecunia venditur à Principe, quod non eſt in vſu in noſtro Regno Luſitano, licèt in aliis ſit. Felin. Ripa. Gomez. Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum, num.* 40. *de conſt.* Ripa *reſponſ. lib.*2. *cap.* 19. *num.* 5. Gomez *in reg. cancel. reg. de non tollendo iure quæſit. quæſt.* 1. *col.* 3. *verſ. nam* Et hanc opinionem tenent omnes, qui dicunt poſſe Summum Pontificem beneficia ad libitum à poſſeſſoribus reuocare, & aliis dare abſque vlla cauſa, & recompenſatione; quos citauimus *cap. præced. num.*1. faciunt enim argumentum à beneficiis ad officia, & putant valere prædictum augmentum; vnde inferunt, ſicut Papa poteſt Clericos omnes beneficiarios, & Epiſcopos ſuis beneficiis, Epiſcopatibuſque ſpoliare pro mero arbitratu ſuo abſque vlla cauſa iis non auditis, atque ſatisfactis; ita etiam idipſum poſſe Reges in ſuis Regnis, & dominiis, quoad omnia officia. Probant rationibus,

Primò, quia non minus Reges ſunt domini omnium officiorum ſui Regni, quàm Summi Pontifices omnium beneficiorum totius Catholicæ Eccleſiæ; ergo quicquid iſti poſſunt in beneficiis, poſſunt illi in officiis. Antecedens probatur, quia Reges inſtituunt, creant, erigunt officia de nouo, in Regno ſuo, ſicut Papæ inſtituunt, creant, & erigunt beneficia in tota Eccleſia; non ſunt igitur Reges minus domini omnium officiorum in ſuo Regno, quàm Papæ omnium beneficiorum totius Eccleſiæ.

Secundò, quia Reges poſſunt de poteſtate abſoluta, nulla data cauſa, auferre vaſallis ſuis pro mero ſuo arbitratu proprias poſſeſſiones, bona ſtabilia, & agros, eoſque donare militibus, qui in bello egregiam opem præſtiterunt, nulla omnino, aut ſaltem modica illis recompenſatione facta; vt expreſsè habetur *in l. ſi verberatum* 15. §. 1. *ff. de rei vend.* vbi IC. Vlpianus loquens de agris à poſſeſſoribus, & dominis ablatis, & militibus aſſignatis, ita ait, *modico (honoris gratia) poſſeſſori dato.* vbi Baldus, & Albericus aſſerunt, illud *modicum*, fuiſſe dominis datum, *honoris gratia*, hoc eſt, ex mera liberalitate Principis, non ex obligatione iuſtitiæ, imò addunt, neque etiam illud *modicum*, neceſſarium fuiſſe, eo quòd res in præmium militiæ dabatur; & Rex ſit abſolutus dominus bonorum ſuorum vaſallorum, de quibus poteſt ad libitum diſpenſare. Vnde probant,

Abſoluta poteſtas quid ſit. Tertiò, quia Rex eſt abſolutus dominus ſuorum vaſallorum, & illorum bonorum omnium; & abſoluta poteſtas Regum nihil aliud eſt, quàm quædam arbitrij, & voluntatis ſuæ plenitudo nulli neceſſitati ſubiecta, nulliuſque publici iuris regulis limitata, cui nulla exceptio opponi poteſt, nec dici, cur ita facis, vt docent Baldus *l.*2. *n.* 40. *C. de ſeruitute, & aqua*; & gloſſa *cap. quanto, de authoritate, & vſu pallij*, loquens de abſoluta poteſtate Papæ, *verb. veri.* Abbas. Anton. Decius. Abbas *conſil.* 84. *num.*1. *& in cap. ad hæc, num.*7. *de reſcriptis.* Anton. *cap. conſtitutus, num.*3. *de religioſis domibus.* Decius *cap. quæ in Eccleſiarum, num.* 98. *iuncto num.* 103. *de conſt.* Felin. Felin. *in c. nonnulli, de reſcriptis, §. ſunt, & alij, num.* 50. Verùm hi, & alij authores maiorem poteſtatem Regibus, & Papæ, quàm Deo tribuunt, cùm enim Deus non poſſit committere peccatum, illi, vt Regibus maiorem poteſtatem ad licita, & illicita tribuant, fidenter aſſerunt illius poteſtatem nulli iuri eſſe ſubiectam, iuxta illud axioma, *ſi libet licet*, quibus illud tantùm oppono Ciceronis lib. 1. de legibus. *Quòd ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententiis, atque iuſſis, vt eorum ſuffragiis rerum natura vertatur, cur non faciunt, vt quæ mala pernicioſaque ſunt, habeantur pro bonis licitis, & ſalutaribus.* Vnde hæc illorum ſententia, in tanta amplitudine ſumpta, eſt falſa, & improbabilis omnino. Nec noſtra ordinatio Luſitana *dicto lib.*1. *tit.* 98. multum fauet huic opinioni; nam illa ſolùm habet, poſſe Regem huiuſmodi officia à poſſidentibus auferre, ex cauſa in conſcientia Regis nota, non tamen in iudicio cognita abſque vlla recompenſatione.

3 *Sententia ſecunda, non poſſe auferre niſi ob culpas, aut cauſa cognita, aut ſi non ob culpas, non niſi compenſatione facta.* Pinel. Riccius. Secunda igitur ſententia vera, & tenenda contrarium docet, aſſerit enim ob demerita, & culpas officialium contra officia commiſſas, cauſa in iudicio cognita poſſe Reges, & Principes illorum officia adimere, abſque vlla ſatisfactione, abſque culpis verò non niſi bona ſatiſfactione; eam tenent expreſsè Pinell. *in l.*2. *p.*1. *C. de reſcind. vend. cap.*2. *num.* 31. Aluyzius Riccius *in collect. deciſ. part.* 5. *collect.* 2011. vbi aſſerit officiales à Principe gratis, & voluntariè conſtitutos ſiue perpetui ſint, ſiue temporales, non poſſe ad nutum reuocari; ſed ſolùm ob illorum culpam, cauſa cognita in iudicio, vel ſine cauſa facta bona recompenſatione; quam ſententiam amplector, excepto vno tantùm caſu, quando ſcilicet ob bonum commune per legem aliquam, aut pragmaticam iubent Reges extingui certum officiorum genus in ſuo Regno, qua de re agemus *infrà, num.* 11. & ita ait obſeruari in Regno Galliæ, Neapolitano, & Hiſpano; poſſunt etiam citari pro hac parte omnes, quos citauimus *c. præcedenti, num.*7. Qui dicunt Papam non poſſe adimere beneficia licitè, & canonicè ea poſſidentibus pro mero ſuo arbitratu abſque vlla cauſa, & recompenſatione; ex cauſa tamen poſſe ex facta recompenſatione; & hi ſunt Soto Cardinalis, Cerier. Felinus, Innocent. Panor. Iſernia, quos inibi videre poterit, & fundamenta, & validiſſima quidem pro hac opinione hæc ſunt.

Primò, quia valet argumentatio à beneficiis ad officia, iuxta omnes vtriuſque opinionis DD. atqui Papæ nec licitè, nec iuſtè poſſunt beneficia à beneficiatis canonicè illa ex mera benignitate, & voluntate ſua poſſidentibus adimere, niſi ex cauſa iuſta, & facta bona recompenſatione; ergo ſimiliter Reges non poſſunt abſque culpa ſuorum officialium illis adimere officia, niſi ex cauſa iuſta, & facta bona illorum recompenſatione, cùm par vtrobique ſit ratio. Confirmatur, quia ſicut Papa non creat, nec erigit, aut conſtituit beneficia ex bonis propriis, ſed ex bonis, & patrimonio Chriſti, hoc eſt, ex decimis, quæ cedunt in alimentum Sacerdotum, & miniſtrorum Dei; ita ſunt multa officia, quæ Reges non ex ſuo patrimonio, ſed ex bonis communibus ſuorum ciuium, in communem vtilitatem Reipublicæ creant, eorum officialibus certum quid taxando, ex bonis ciuium; & in his quidem optimè procedit argumentum de beneficiis ad officia à Papa abſque culpa beneficiorum, & abſque cognitione cauſæ, aut abſque iuſta cauſa ex parte totius Reipublicæ ſine eorum culpa ea beneficiarijs adimere non poteſt, quin bonam recompenſationem

illorum

illorum eis efficiat; ita ſimiliter, nec Rex officia adimere poteſt ſuis officialibus ſine eadem bona recompenſatione.

4. *Quid de officijs, quæ Reges ex ſuis gazis, & patrimonio creant.*

Sunt verò alia, quæ Reges ſolent creare ex ſuis propriis gazis, & patrimonio, non ex bonis ciuium, ſiue ea creent ad ſuum tantùm bonum peculiare, ſiue in vtilitatem boni communis, & Reipublicæ; & poſtquam creata ſunt, ea pro ſua mera & libera voluntate alicui ex ſuis ciuibus non in obſequiorum, aut ſeruitiorum ſatisfactionem, ſed nullis obſequiis, nullis præcedentibus meritis, donant; & de his debet præcedere prima opinio quæ aſſerit, poſſe ea Reges officialibus adimere, quoties voluerint abſque vlla illorum culpa, & ſatisfactione, quia ex ſuo illa creant, & non ob merita, ſed ob ſuam meram voluntatem donant; quare non cenſendi ſunt, ita ſe voluiſſe priuare per eam donationem ſua poteſtate, vt eis non maneat liberum ea reuocare quoties voluerint.

5. Nihilominus de his procedit ſecũda opinio, quæ validiſſimis, ac fortiſſimis probatur fundamentis.

Primò, quia ſi Rex, merè gratis, & liberaliter equum alteri donaret, & traderet, nullis antecedentibus meritis, nullis obſequiis præcedentibus, ſi eum poſtea illi auferat abſque cauſa, & culpa, ſine dubio furtum committit, & ad reſtitutionem obligandus erit, ſicut erit obligandus quiſque alius homo particularis, ſi ita daret, & auferret; ergo idem erit in officiis, ob rationem paritatis.

Secundò, quia poſtquam quis rem ſibi gratis, & liberaliter datam, ac traditam accepit, ius in re acquirit in illam, & per illam traditionem efficitur propria illius; quo iure non poteſt pro mera voluntate priuari, eo inuito; ergo ſimiliter idem ius acquirunt officiales in officia ſibi gratis, & liberaliter data, ac tradita à Regibus, quo iure priuari non poſſunt, niſi facta bona recompenſatione.

Tertiò, quia non minus requiritur ſatisfactio, vbi aufertur ab aliquo id quod ab eo, iure gentium fuit acquiſitum, quàm iure poſitiuo: vt latè probat Pinellus *part.* 1. *C. de reſcind. vend. cap.* 2. *num.* 14. *fol. mihi.* 19. *col.* 1. *init.* Innocent. *in cap. niſi cùm pridem col.* 1. *in fine. verſ. nos dicimus, de renunciat.* & Iaſon *in l. finali, num.* 2. *C. ſi contra ius.* Felin. *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſt. num.* 28. & ſpecialiter *notandum* eſt, quòd Innocentius, & Pinellus, & alij loquuntur, etiam quando res aufertur ex cauſa iuſtiſſima. ita *l.* 2. *eodem titul.* & *ibi* Lupus, & Paulus *in l. quoties, num.* 1. *C. de precibus Imper. offerend.* & idem Paulus *in l. finali, col.* 1. *ſi contra ius, vel vtilitatem public.* & Alexander *conſil.* 151. *num.* 3. Burgen. *in cap.* 1. *num.* 16. *de empt. & vend.* Bertrand. *conſil.* 304. *num.* 4. *lib.* 3. qui omnes citant textum *in l. venditor.* § *ſi conſtat, ff. comm. præd*, ibi, *Non aliter hoc faciat, niſi priùs ſolitum ſalarium domino præſtet*; id eſt, niſi priùs ſolitum, & iuſtum pretium domino reddens, quem textum laudat Bartol. *in proœmio ff. num.* 5. & Ioannes Ceriet. *de primog. lib.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 5. & alij, quos citat Pinellus *allegatus*; atqui donatarij poſtquam officia à Rege gratis, & liberaliter data accipiunt, eiſque per poſſeſſionem ſunt tradita, iure gentium, & poſitiuo dominium illorum acquirunt; vt de rebus venditis, & datis docet Couar. *lib* 2 *var. c.* 20. & conſtat ex *l. quoties, C. de rei vend.* & *l. traditionib. C. de pactis.* igitur non poſſunt illa ab eis auferre abſque illorum culpa, niſi facta bona recompenſatione illorum, redditóque illorum valore.

Pinell. Innoc. Iaſon, Felin. Lupus. Paulus. Alexand. Bertrand. Bart. Ceriet. Couar.

6. *Officia vendi nõ poſſe niſi de licentia Regis, cur.*

Nec obſtat, quòd officiales non poſſint vendere huiuſmodi officia, nec ea ad filios tranſmittere, niſi de noua licentia Regis. nam id ex eo prouenit, quòd vitalitia ſint, & non niſi ad vitam tantùm dari ſoleant, ideoque ad filios donatione, aut teſtamento tranſmitti, & vendi non poſſunt abſque noua Regis licentia, quia expedit bono communi, vt Reges ſciant, & cognoſcant perſonas, quibus prædicta officia venduntur, & ad quas tranſmittuntur; & qui pro tempore ea poſſident, & in iis Regi, vel Reipublicæ inſeruiunt, an ſint perſonæ aptæ confidentes, & bene moratæ. Ita enim bono regimini conuenit, excepto autem hoc effectu, vt non poſſint donari, nec vendi, nec ad filios, aut hæredes tranſmitti, abſque noua Regis licentia incluſa in ipſa liberali donatione Regis; in omnibus aliis fiunt huiuſmodi officia ipſorum donatariorum, itavt ab illis abſque culpa illorum cognita in iudicio auferri non poſſint, durante tempore donationis, niſi ex cauſa, & facta bona ſatisfactione.

Hæc ſunt fundamenta, & rationes pro vtraque opinione, ex quibus patet, primam opinionem non eſſe tutam, nec ſequendam; ſequendam verò eſſe hanc ſecundam, nec fundamenta primæ momentum habent. 7.

Primum enim iam ſolutum eſt, quia ſicut Papa non poteſt auferre beneficia à beneficiariis poſſidentibus abſque illorum culpa, niſi ex cauſa iuſta, & facta bona recompenſatione, ita nec Rex poteſt auferre officia, vt dictum manet.

Reges nõ poſſe auferre vaſallis ſua prædia, niſi ſatisfacto pretio.

Ad ſecundum reſpondeo falſum eſſe id quod aſſumit, poſſe videlicet Reges auferre agros, & poſſeſſiones dominis, & ea dare militibus, in præmium militiæ, nullo reſtituto illorum pretio, id enim falſum eſt. Nec lex, *ſi verberatum* 15. § 1. *ff. de rei vend.* hunc intellectum recipit, nam verba illa huius legis, *honoris gratia*, referenda ſunt ad militem, cui prædictus ager ex Imperatoris gratia dabatur, illa autem *modico poſſeſſori dato*, hunc ſenſum admittunt, *reddito iuſto valore rei domino illius*; appellatur autem ibi iuſtus valor, *modicum*, quia cùm prædium domino auferebatur inuito, & militi daretur, modicum quid ipſum iuſtum pretium videbatur, ſic ex noſtro iure Luſitano quoties Rex propter maius bonum immediatum alicuius Nobilis, & conſequenter, ac mediatè propter maius bonum Regni, ac Reipublicæ, iubet, vt aliquis ſuum prædium, domum, aut proprietatem alteri vendat, ſtatim præcipit, vt ſupra iuſtum pretium tertiam partem ei magis ſoluat, vt iniuria ei hoc modo reficiatur. Præterea, verbum illud, *modicum*, pro congruo, & temperato, iuſtoque accipitur, vt tradit Aulus Gellius *lib.* 12. *cap.* 13. & Spiegel. *in lexic. iur.* & hoc modo interpretati ſumus hanc legem, & eam interpretatur Pinellus *C. de reſcind. vend.* 1. *part. cap.* 2. *num.* 14. *verſ. melius intelligebant*, vbi alias etiam interpretationes affert, ſed hanc præ cæteris clariorem, & textui aptiorem iudicauimus.

Modicum, prò congruo & iuſto. Gellius. Pinel.

8. *Reges quo ſenſu non ſint abſoluti domini bonorũ ſuorum vaſallorum.*

Ad tertium argumentum, quo ſupponunt Regem eſſe abſolutum dominum bonorum ſuorum Vaſallorum, & per abſolutam poteſtatem poſſe de illis diſponere, prout voluerit, dices id omnino falſum eſſe. nam omnis poteſtas Regum à Deo deſcendit, *non eſt enim poteſtas, niſi à Deo*, inquit Apoſtolus *Romanorum* 13. poteſtas autem Dei ordinata eſt, & intra rationis limites contenta, nullaque eſt poteſtas ad malum in Deo, nec proinde in hominibus eſſe debet, cùm omnem ſuam poteſtatem à Deo habeant; alioqui ſi in hominibus, & Regibus eſt poteſtas abſoluta ad malum, efficiant, vt

Tullius. Corn. Tac. Ariſtot.

vt id quod eſt de iure naturali malum, ſit bonum; & quod eſt illicitum, ſit licitum, & quod lethiferum, ſalutare; vt optimè inferebat Marcus Tullius *lib. 1. de legibus*, ibi, *Quòd ſi tanta eſt poteſtas ſtultorum ſententijs atque iuſſis, vt eorum ſuffragijs rerum natura vertatur, cur non ſanciunt, vt quæ mala pernicioſaque ſunt, habeantur pro bonis, & ſalutaribus.* Quare hæ poteſtates abſolutæ, quas multi Regibus, ac Principibus adulandi cauſa tribuunt, ſi rationem naturalem offendant, non poteſtates, ſed tempeſtates abſolutæ dicendæ ſunt, & quæ illis à Regibus, ac Principibus fiunt, non de plenitudine poteſtatis fiunt, ſed de plenitudine tempeſtatis; vnde Cornelius Tacitus refert *lib. 3. annalium*, Caium ſextum dicere ſolitum fuiſſe, Principes inſtar Deorum eſſe, ſed nec à Diis, *niſi iuſtas preces audiui*, & Cicero *lib. 3. de legibus*, de ſimili poteſtate ſic ait. *Mihi quidem peſtifera videtur hæc poteſtas, quippe quæ in ſeditionem nata ſit.* Vnde Ariſtoteles *lib. 5. Politicor. cap. 10.* ſic inquit, *Eſt tyranno voluptas propoſita, Regi honeſtas*; non negamus tamen plenitudinem poteſtatis Regibus, & Principibus competere; ſed ſupra ius poſitiuum à ſe conditum, non ſupra ius naturæ; ac proinde ad licita, & non ad illicita, vt patet; neque enim Deus talem etiam habet poteſtatem.

9. *Quid ſi Reges officia pecunia alicui vendiderunt.*

Cabed. Pinel. Valaſc. Guilliel. Bald. Caſtrenſ. Afflict. Decius. Rubeus. Panorm. Felin. Alexand.

Illud certum apud omnes DD. vtriuſque opinionis non poſſe Reges auferre officia poſſidentibus, ſi ea illis pecunia vendiderunt, niſi aut pro illorum culpa in iudicio cognitis, & tunc ſine vlla ſatisfactione, aut aliunde ex iuſta cauſa, bona tamen compenſatione facta; quia ea venditio, licèt in iure appelletur donatio, non eſt donatio, ſed venditio & contractus, qui Principem ligat; ita Cabedo 2. *part. deciſ. 20. num. 2.* Pinellus 1. *part. C. de reſcind. vendit. cap. 2. num. 31. verſ. ex iiſdem vltim. paulo ante finem.* Valaſcus *tom. 1. conſultationum, conſult. 72. num. 5. verſ. ſecundò.* Guillielmus *in cap. Raynutius, verſ. duas habens filias, num. 37. de teſtam.* ex Baldo ad hoc communiter allegato *in lege, qui ſe patris, columna 5. verſ. vnde ſcias, C. vnde liberi.* Paulus Caſtrenſis *in l. digna vox, num. 6. C. de legibus.* Afflictis *deciſion. 128. num. 10.* Decius *conſil. 292. num. 7. & conſil. 390. num. 7.* Rubeus *in repet. legis Gallus, §. quidam rectè, col. finali, num. 211. ff. de liberis, & poſth.* hac de re eſt textus expreſſus *in cap. 1. de natura feudi*; patetque, quia contractus ligat Principem, ſicut quemlibet alium hominem priuatum; vt docet Panormitan. *in cap. noluit, de iudicijs.* & ibi Felinus *num. 9.* Alexander *conſil. vlt. num. 20. lib. 4.*

10. *Quid de officijs, quæ ob ſeruitia, & bene merita dantur.*

Cabed. Valaſc. Afflict. Capyc. Baptiſt. Coſta. Lopez. Menchac. Decius. Clarus. Valaſc.

Et idem dicendum eſt de iis officiis, quæ conceduntur ob ſeruitia, & bene merita, iuxta Cabedum, & Valaſcum *allegatos, num. præcedenti*, & iuxta Afflictis *titulo, quæ ſint regalia, §. poteſtas, num. 3.* Capycium *deciſ. 121. num. 15.* & ita docet etiam Ioannes Baptiſta *in l. imperium, num. 46. ff. de iuriſdict. omnium iud.* Coſta *in memorab. verb. Papa, col. 392.* Gregorius Lopez *in l. 2. tit. 17. p. 2.* Menchaca *lib. 1. controuerſ. vſufrequent. cap. 2. n. 2.* Grammat. *deciſ. 55. num. 26.* Decius *conſil. 452. num. 22.* Vnde ſi Rex, vel alter Princeps, aut Dynaſta in prouiſione dicat, ſe id officium ob benemerita alicui conferre; ſufficit aſſertio benemeritorum, nec opus eſt merita poſtea, aut æquiualentiam meritorum probare, ſed illi ſtatur, & creditur, vt optimè docet Iulius Clarus *verb. donatio, quæſt. 3. verſic. ſed hic*, cum multis, quos refert Valaſc. *tom. 1. conſult. conſ. 72. n. 5. fin.* Et ratio eſt, quia hæc etiam donatio tranſit in rationem contractus.

11. *Quid ſi officiales culpas habeant.*

Cabed. Iaſon. Decius. Menoch. Tiraq. Capyc. Grammat.

Si tamen officiales in huiuſmodi officiis culpas committant, cauſa cognita in iudicio, iuſtè ea illis auferre Principes poſſunt abſque vlla ſatisfactione, non aliter, neque enim Principes poſſunt aliquem ſine cauſæ cognitione priuare, quæ eſt doctrina communiſſima omnium DD. & in hoc ſenſu procedit etiam noſtra ordinatio Luſitana *lib. 1. tit. 98. in principio*, ibi, *Que ſomos delles mal ſeruidos, & elles errarem nos ditos officios*, & infrà *Nos ſeruem mal nelles; e fazem o que não deuem, e encarregão ſua conſciencia, ou damnificão, e roubam noſſa fazenda.* Et ita docet Cabedo 2. *part. deciſ. 20. num. 4.* Iaſon *in l. quoties, num. 17. de rei vend.* Decius *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. num. 27.* Socinus iunior *conſil. 59. col. 7. verſ. ſexto, & vltim.* Menochius *conſil. 1. num. 396. cum ſequentibus, & conſil. 2. n. 136. & 139. & conſil. 181. num. 55.* Tiraq. *in l. ſi vnquam, verb. donatione largitus, num. 14.* Capycius *deciſ. 166.* Thomas Grammat. *deciſ. 65. num. 25.* Quòd ſi hoc procedit in officiis pecunia à Rege emptis; & in remunerationem ſeruitiorum datis, à fortiori procedit etiam in officiis à Rege gratis, & liberaliter datis.

12. *Quid ſi ob pragmaticā ab illis auferantur ob bonum commune factum.*

Cabed. Iaſon. Felin. Innoc. Pinel. Menoch. Socin. Tiraq. Crauet.

Si autem Principes adimant huiuſmodi officia, propter aliam iuſtam cauſam, ſine demerito poſſidentium, puta propter aliquam pragmaticam, ſeu ob legem publicam, tunc tenentur ad ſatisfactionem, quando ea à Rege ob pecuniam, aut in obſequiorum, ſeruitiorumque remunerationem fuerant data per modum contractus, tenentur Reges ex iuſtitia ratione contractus ſeruare indemnes, eos, cum quibus contrahunt; ita expreſsè Cabedo 2. *part. deciſione 20. num. 5. gloſſa finali, in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Iaſon *ibi* latè, & bene, *à num. 36. vſque ad 44.* & *ibi* citat aliam gloſſam ſimilem *in l. finali, C. ex quibus cauſis ſerui precib. libert. accipiunt*, & dicit eſſe textum hac de re planum *in l. 2. C. eod.* quem dicta gloſſa allegat, idem etiam tenet Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſt. num. 28. verſ. prima declaratio*, & Innocent. *in cap. niſi cùm pridem, columna 1. verſ. nos dicimus, de renunciat.* Pinellus 2. *part. de rei vindicat. part. 2. num. 14.* vbi plures alios citat, tenentes hanc ſatisfactionem deberi, quando Princeps aufert alicui rem ſibi iure gentium, aut poſitiuo quæſitam; per contractum autem res acquirimus iure gentium, & poſitiuo; vt doctè probat Menochius *conſiliorum tom. 1. conſilio 182. num. 54.* tenent denique expreſsè Menoch. *tom. 1. conſilio 2. num. 139.* Socinus iunior *conſilio 102. num. 18. lib. 2.* & latiſſimè Tiraq. *in l. ſi vnquam, in verb. donat. largitus, num. 14. C. de reuocand. donat.* & Crauet. *tract. de antiq. tempor. 1. part. princ. in principio, num. 54.*

13. *Quid ſi gratis, & liberaliter dentur, & per legem, aut pragmaticam auferantur.*

De illis verò officiis, quæ Reges merè gratis, & liberaliter dare ſolent, non ob pecuniam, nec in ſeruitiorum compenſationem, maius dubium eſt, an Reges ea officialibus poſſint auferre, v. c. per legem aliquam ob bonum publicum latam (quâ iubeant certum officiorum genus extingui) nulla præſtita illorum ſatisfactione; & hac de re duplex poteſt eſſe ſententia; prima negans, quam videntur tenere omnes citati pro ſecunda opinione, *num. 3.* explicata; & ſpeciatim Pinellus 1. *part. C. de rei vend. cap. 2. num. 14.* cum multis, quos *ibi* citat, aſſerentes hanc ſatisfactionem deberi, vbi Princeps etiam ex iuſtiſſima cauſa, aufert alicui rem ſibi quæſitam, vel iure gentium, vel iure poſitiuo, ex qua opinione Pinelli rectè ſequitur, teneri Reges ad hanc ſatisfactionem, quando per

legem

legem publicam ex iuſtiſſima cauſa latam auferunt officia gratis data, ab huiuſmodi officialibus, cùm ipſi poſt liberalem Regis donationem ea acquirunt, & poſſideant iure gentium, & poſitiuo, vt latè probauimus *dicto num.* 3. & hîc militant omnes rationes, quas *ibi* fecimus; & idem confirmat idem Pinellus *in l.* 1. 3. *part. illat.* 16. *C. de bon. mater. num.* 62. & Alexander *conſil.* 101. *num.* 8. *lib.* 1. Et confirmatur hæc opinio, quia donatarij poſtquam huiuſmodi officia à Rege dono, gratis, & liberaliter ad vitam, vel tempus data accipiunt, fiunt veri domini illorum, cum illa tantùm reſtrictione, vt nec illa vendere, aut donare, & ad alios transmittere poſſint abſque noua facultate, & licentia Regis, quam obligationem vſus communis interpretatus eſt, ob eam rationem; quia ad bonum commune ſpectat, vt ſciant Reges an ad publica officia idoneæ, & honeſtæ perſonæ eligantur; ergo nec etiam per legem publicam potuerunt huiuſmodi officia à poſſeſſoribus auferre, niſi facta bona recompenſatione, nam cauſa iuſta, quam habent Reges ad extinguenda ea officia, ſolùm in cauſa erit, vt non peccent, extinguendo officia, & condendo legem, non tamen iuſta erit ad illos excuſandos à reſtitutione officij ablati à vero poſſeſſore, ſicut cùm cauſa iuſta datur, vt Rex per prouiſionem ſuam iubeat, vt à domino auferatur, nullo reſtituto pretio, nulla recompenſatione facta; & cum Pinello conſentit Cabedo *tom.* 2. *deciſ.* 20. *num.* 5. & pro hac parte allegat *gloſſam finalem in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*, & benè Iaſon *à num.* 36. *vſque ad* 44. & Iaſon citat *ibi* aliam gloſſam ſimilem *in l. finali, C. ex quibus cauſis ſerui pro pretio libertat. accipiant*, & dicit eſſe textum planum de hac re, & clarum *in l.* 2. *C. eodem titulo.* quem dicta gloſſa allegat. Idem tenent Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum*, *num.* 28. *verſ. prima declaratio, de conſtit.* & Innocent. *in cap. niſi pridem, col.* 1. *verſ. nos dicimus, de renunciat.* quæ opinio eſt valde probabilis.

Pinell. Cabed. Iaſon. Felin. Innoc.

14. Nihilominus ſecunda ſententia, contraria mihi in hoc caſu dumtaxat videtur probabilior; & ideo illum tantùm *num.* 3. excepimus, quia non eſt credendum per illam ſimplicem, & liberalem donationem voluiſſe Reges ſe priuare ſua libera poteſtate quam habent ad extinguenda officia in Regno ſuo, quoties id ad bonum publicum iudicauerint expedire, abſque vlla officialium ſatisfactione, imò hæc conditio intrinſecè videtur incluſa in ipſa ſimplici, & liberali donatione, & vſus ita hoc negotium interpretatur, nam ſicut Papa, vt diximus *cap. præcedenti num. vltim*, poteſt abſque vlla ſatisfactione beneficiariorum per aliquam conſtitutionem beneficia extinguere, quando ob bonum commune Eccleſiæ, ita conuenire iudicauerit, cur Reges extinguere non poterunt officia, quando illa gratis, & liberaliter donarunt: & pro hac opinione citati poſſunt omnes, qui dicunt poſſe ſupremum Principem ſine cauſa reuocare donationem liberalem à ſe factam, & per eam reuocationem auferre ius donatario quæſitum; & hi ſunt Gozadinus *conſil.* 8. *num.* 38. Brun. *conſil.* 1. *num.* 50. Pariſius *conſil.* 1 1. *num.* 2. *lib.* 1. Bellon. *conſil.* 28. *num.* 9. quos ego admitto quatenus dicunt poſſe ſupremos Principes reuocare donationes à ſe factas feudorum, & idem eſt de quacumque donatione alia liberali; etiam officiorum, non tamen quatenus dicunt, *ſine cauſa*, opus enim eſt, vt præcedat cauſa iuſta; vt docet Pinellus 1. *part. C. de reſcind. vend. cap.* 2. *num.* 14. Citare etiam poſſumus pro hac opinione Decium *conſil.* 520. *n.* 10. & Ruinum *conſil.* 46. *num.* 3. *lib.* 1. & Pariſium *conſil.* 1. *num.* 46. *lib.* 1. quatenus dicunt per legem communem ius alterius tolli poſſe, quod maximè intelligendum eſt, quando ius fuit acquiſitum ex donatione Principis liberali, ſicut ſi Rex certum priuilegium aliquibus hominibus concederet, nemo dubitabit poſſe illud poſtea per legem aliquam reuocare, ſi iudicaret non expedire bono publico eſſe tale priuilegium, vt ſpeciatim de priuilegio loquentes docent Decius, & Ruinus modò allegati, ita pariter dicendum erit in donatione liberali officiorum Principis, cùm hæc donatio officiorum inſtar priuilegij ſit; ſic Reges quando faciunt donationes ſuis vaſallis ex bonis Regiæ coronæ, videntur ea facere hac intrinſeca conditione incluſa in tali donatione, vt in magna neceſſitate Regni ad illud defendendum, & illius oram maritimam, rem donatam poſſit ab illis abſque vlla ſatisfactione auferre.

Gozad. Brun. Pariſ. Bello. Decius. Pariſ. Ruin.

Solet prouiſionibus officiorum hæc clauſula apponi, *Ad noſtrum beneplacitum, dum noſtra fuerit voluntas*; ſeu, vt Luſitani loquuntur, *Em quanto fornoſſa merce.* quæ clauſula hodie in omnibus ferè prouiſionibus Regiis communiter inſeritur, & per illam clauſulã non ſignificatur expirare officia morte Regis concedentis; ſed ſignificatur tantùm arbitrium boni viri, qui ſine iuſta cauſa non auferet conceſſionem, vt docet Panormitanus *in cap. verum* 7. *de foro comp. notabili vltimo, num.* 6. Capycius *deciſione* 116. *num.* 4 Emanuel Barboſa *tom.* 1. *Remiſſionum, ad lib.* 1. *noſtrarum ordinat. lib.* 1. *titulo* 98. *num.* 1. Stephanus Gratianus *diſceptationum forenſ. cap.* 167. *num.* 45. *& numeris præcedentibus.* 15.

Panorm. Capyc. Barboſ. Grat.

Guilielmus tamen Benedictus *in cap. Raynutius, in verb. duas habens filias*, *num* 44. aſſerit in Gallia omnia officia, quæ eam clauſulam habent, *ad noſtrum beneplacitum*, vacare morte Regis concedentis; & id ipſum repetit *deciſ.* 5 *num.* 490. ſed, vt notat noſter doctiſſimus Gama *deciſ.* 353. *num.* 1. id intelligendum eſt in officiis, quæ iuriſdictionem non habent, nec ad iudicia forenſia ordinantur. nam in illis, quæ iuriſdictionem habent, vel ad patrimonium fiſci pertinent, dicendum eſt ea nec in noſtro Regno, nec alibi obitu Regis concedentis de iure vacare, per text. *in cap. nec alicui, de hæretic. lib.* 6. *& in cap. finali, de officio delegat. lib.* 6. Vnde tanquam certum infert Gama *ibi num.* 2. officia iuſtitiæ, & patrimonij Regij fiſci, non vacare morte Regis concedentis, ſi iuriſdictionem habeant adnexam, & ſolùm officia domus Regiæ, quæ verſantur circa miniſterium perſonæ Regiæ, ad cuius obſequium fuerunt inſtituta, vacare morte Regis, excepto officio Prætoris Venatorum Luſitanè *Monteiromor*, eò quòd iuriſdictionem in Luſitania habeat; ſed de hac clauſula redibit ſermo *cap ſequenti, num.* 9. *&* 10. 16.

Guillielm. Bened. Gama.

Quando autem quis officium ſua culpa amittit, ſi poſtea ei, ea culpa per Principem remittatur, dubium eſt, an dicatur noua obtentio officij; & quòd ſit ex noua conceſſione obtentum, an antiqua retentio, & reſpondet in quæſtione de re ſimili Clarus §. *feudum, quæſt.* 8. *num.* 6. manere antiquum officium, & non dici nouam obtentionem illius, iuxta gloſſam *in cap. Imperialem.* §. *inſuper, verb priuetur, de proh. feud. alien.* quod idem tenuit Bart. *in l. quod dicitur* 1. *in principio, num.* 9. *ff. de impenſ. in reb. dotalib. factis*, quòd multum confert ſcire, propter nobiliora ſedilia, quæ antiquitatibus officiorum debentur. 17.

Iul. Clar. Bart.

18. Quando verò poſſeſſor officij obtinet à Rege facultatem, vt illum poſſit vendere, vel renunciare, & transferre in alium, quæ translatio, ſeu renunciatio re vera venditio eſt; honeſtiori tamen nomine renunciatio dici apud Luſitanos ſolet; tunc ille cui renunciatio fit, non dicetur obtinere huiuſmodi officium à Rege in remunerationem ſuorum obſequiorum Regi, & Regno ſtrenuè impenſorum, niſi ipſe pro huiuſmodi ſeruitiis hanc licentiam, vt alter ei officium renunciet, à Rege obtineat, & id ipſum in licentia inſeratur, & tunc idem, quod dictum manet, de officiis in remunerationem ſeruitiorum datis, de hoc quoque officio dicendum erit; ſi verò poſſeſſor officij eam licentiam à Rege, obtinuit, reputabitur ille, cui renunciatio fuit facta pro gratis, & liberaliter à Rege prouiſo, & ſic id quod de iſtis diximus, de illo quoque dicendum erit.

Capvt XXIV.

Vtrùm Reges, & Principes poſſint in conſcientia ea officia, quæ ſuis vaſallis, propter obſequiorum merita contulerunt, ab illis pro libito, & abſque ſatisfactione auferre.

Svmmarivm.

Collatio officiorum, quæ à Regibus, & Principibus, ſuis vaſallis donantur, in ſatisfactionem ſeruitiorum ſibi & Regno impenſorum, habet ſpeciem, & ſimilitudinem contractus venditionis, aut permutationis. num. 1. & 2.

Non poteſt dubitari de valore meritorum, ſi ea Principes in prouiſione talium officiorum fateantur, imò ſtatim cenſentur probata, num. 3. Et poſt confeſſionem Regis habent vaſalli ius ad requirendam illorum ſatisfactionem. ibid.

Reges, & Principes non poſſunt auferre officia abſque bona ſatisfactione facta iis, quibus illa vendiderunt, abſque culpis illorum in iudicio probatis, num. 4.

Quomodo ſtare poſſit mera, & pura venditio officiorum cum ea clauſula, quam Reges ponunt in prouiſione illorum, quibus ea vendunt, ſe gratis, & voluntate ſua eis ea officia donare, donec fuerit voluntas Regia. num. 5.

In hoc Regno Luſitaniæ, ſolùm propter culpas in iudicio probatas, & errores officij poſſunt officiales ſuis officiis priuari, etiamſi illa emerint, numero 6.

Idem de officiis à Rege gratis, & liberaliter datis, num. 7.

Si ſolùm propter culpas, poſſunt officiis emptis priuari, nulla ſatisfactione data, à fortiori poterunt priuari officiis datis pro ſatisfactione obſequiorum, & gratis donatis. num. 8.

Quid operetur clauſula in prouiſione officiorum appoſita, dum fuerit voluntas noſtra ad noſtrum beneplacitum. num. 9. & 10.

Non ſolùm non poſſunt Principes officia in totum auferre abſque bona ſatisfactione data propter ſeruitia impenſa; ſed nec etiam minuere, num. 11.

Quid ſi ob bonum commune Pragmatica aliqua extinguunt Reges officia. num. 12.

Quid de officiis datis gratis, & liberaliter dicendum, num. 13.

Hæc quæſtio iam ſatis explicata manet *in cap præcedenti*, quia tamen per amicorum literas de illa nuper conſulti fuimus, dicam breuiter in hoc capite, quod reſpondi his amicis. Reſpondi ergo nullo modo poſſe Reges, & Principes pro libito, & abſque perſonarum demeritis ea officia ab illis vaſallis auferre, quibus illa propter obſequia ſibi, & Regno impenſa contulerunt abſque bona ſatisfactione, tenerique proinde in conſcientia, hanc ſatisfactionem illis præſtare, & aliter ad reſtitutionem obligari. 1.

Non poſſe à vaſallis auferri officia abſque ſatisfactione.

Primò, quia ita communiter docent authores, nec vllum facta bona diligentia reperi contrarium aſſerentem; ita docet expreſsè Cabedo 2. *part. deciſ.* 20. *num.* 3. Valaſcus *tom.* 1. *conſultat.* 72. *verſ.* 2. Afflictis *tit. quæ ſint regalia*, §. *poteſtas*, *n.* 3. Capycius *deciſ.* 121. *num.* 15. Ioannes Baptiſta *in l. Imperium, num* 46. *ff. de iuriſd. om. iud* Coſta *in memorabil. verb. Papa, col.* 391. Gregorius Lopez *in l.* 2. *tit.* 17. *part.* 2. Grammat. *deciſ.* 55. *n.* 26. Decius *conſil.* 512. *num.* 22. Menchaca *lib.* 1. *controuerſ. vſu frequent. cap.* 2. *num.* 2. Suarez *allegat. pag.* 3. *verſ.* 1. Socinus *conſil.* 58. *num.* 9. *lib.* 1. Baldus *in l. ſi cùm mihi, ff. de dolo.* Felinus *in cap. nouit, num.* 12. *de iudiciis,* & alij, & ratio, ac fundamentum huius rei eſt, primò quia collatio huiuſmodi officiorum, quæ à Regibus, & Principibus ratione meritorum, & obſequiorum ſibi, & Regno impenſorum, pro quorum ſatisfactione conferuntur, habet ſpeciem, & ſimilitudinem contractus emptionis, & venditionis, cambij, aut permutationis, qui contractus obligat in conſcientia, ex rigoroſa iuſtitia Reges, & Principes, contrahentes ad ſeruandum indemnem vaſallum, cum quo contraxit, & cui officium dedit in ſatisfactionem meritorum; ex parte enim vaſalli dantur, & offeruntur obſequia impenſa penè æquipollentia, aut fortè excedentia valorem officij; ex parte verò Regis, & Principis pro illis officium confertur, & ſic contractus celebratur, do, vt des. 2.

Cabed. Valaſc. Afflict. Capyc. Ioan. Bapt. Coſta. Greg. Lop. Grammat. Decius. Mench. Suar. Socin. Bald. Felin.

Nec poteſt dubitari de meritis, & obſequiis ex parte vaſalli Regi, & Regno imponentis, vbi enim primùm Rex, aut Princeps in collatione, & prouiſione officij confeſſus eſt, ea obſequia ſibi fuiſſe impenſa, & dixit ſe in illorum ſatisfactionem tale officium conferre, ſtatim manent ea merita, & obſequia in iudicio probata, nec alia probatione indigent, præſumitur enim nemo melius ſcire poſſe qualitatem, ac valorem illorum, quàm Rex ipſe, aut Princeps, cui fuerunt præſtita; ac impenſa; & ideò in iure in his, & ſimilibus rebus ſtatur, ac creditur Principi abſque alia probatione iuris. Hinc eſt, quòd licèt vaſalli, qui multa obſequia Regi, & Regno ſtrenuè præſtiterunt, nullum habeant ius contra Regem, & Regnum, nec actionem vllam ad requirendam à Rege ſolutionem de iuſtitia, ſed per petitionem gratiæ; vt docet Cabedo *tom.* 2. *deciſ.* 36. *num.* 3. in ſententia, quam affert, in qua oſtendit, ita fuiſſe iudicatum in Senatu Luſitano, quia ea obſequia inducunt debitum morale, ex quo reſultat petitio gratiæ, & ex parte illius, cui ea obſequia fiunt, inducunt moralem tantùm obligationem gratitudinis, qua ea obſequia remunerare debeat, & non inducunt debitum legale ex iuſtitia, ex quo reſultet ex parte vaſalli actio iuſtitiæ, contra Regem ſuum, & in 3.

Nec dubitari de meritis vaſallorum.

Cabed.

Rege

Rege obligatio iuſtitiæ; tamen poſtquam Rex ipſe recognouit ſeruitia ſibi,& Regno ſtrenuè impenſa, & ea officio aliquo, donatione verè muneraui, & donatarius ex donatione remuneratoria Regis, eſt in pacifica poſſeſſione talis officij, aut donationis ſibi in ſatisfactionem ſuorum ſeruitiorum datæ non poteſt Rex, aut Princeps, licitè, & in conſcientia officium, aut donationem auferre, vel minuere abſque culpa,& ingratitudine vaſalli in iudicio probata; & in hoc caſu dico mihi videri poſſe donatarium, à quo officium, aut donationem à Rege ablatum, aut diminutum fuit petere à Rege ſolutionem & reſtitutionem damni dati, non ſolùm per petitionem gratiæ, ſed etiam

Cabed. per actionem iuſtitiæ nam quamuis Cabed. *tom.2. tota deciſione 36.* videatur reſoluere ſolùm per petitionem gratiæ poſſe vaſallum à Rege hanc ſatisfactionem petere, tamen loquitur in caſu differenti, vt videre eſt inibi in ſententia, quam *num.4.* affert. Deinde, quia probatio obſequiorum ſolùm requiritur quando donatio remuneratoria fit inter perſonas, in quibus ius has donationes fieri inter ſe prohibet, vt inter patrem, & filium, vxorem, & maritum, &c. non verò inter perſonas, quæ poſſunt liberè donare, & nullam in hoc habent iuris prohibitionem. Reges autem, & Principes non prohibentur in iure has facere donationes remuneratorias, imò aliunde obligationẽ habent eas faciendi, vt doctè animaduertit Iulius Clarus *lib.3.*

Iul. Clar. Valaſc. Loazes. Curt. Bellin.

§.donatio, quaſt.3. verſ.ſed hic. Valaſcus *tom.1. conſult.72. num.5. fine.* Loazes *in ſuis allegationibus pro Marchione Vellez, fol.133. num.37.* Curtius iunior *conſil.141. num.3.* quem refert Bellin. *in conſil.79 poſt num.17.*& ita in ſimili caſus contingentia iudicatum fuit in Senatu Delphinatus, vt refert Guido Papæ *deciſ.95.*

4. Secundò, quia iuxta communem omnium DD. ſententiam non poſſunt Reges, ac Principes auferre, vel minuere ea officia iis omnibus perſonis, quibus eas vendiderunt, ſine vlla ſatisfactione, ſiue ſint domus Regiæ gazarum regiarum, ſiue quæcumque alia officia iuſtitiæ abſque culpis, & demeritis in iudicio probatis eorum, qui ea poſſidebant; vt docent Cabedo, & Valaſcus *num. 2. allegati.* Pinellus *de reſcind. vend. cap.2. num.31. verſ. ex eiſdem vltimo, paulò ante finem.* Guillielmus *in cap. Raynutius, verb. duas habens filias, num.37. de teſtamentis.* Baldo ad hoc communiter *alleg. in l.quis ſe patris, col.5. verſ. vnde ſcias, C. vnde liber.* Paulus Caſtrenſis *in l.digna vox, num.6. C. de legibus.* Afflictis *deciſ.128. num.10.* Decius *conſil.292. num.7. & conſil.390. num.7.* Rubeus *in repet. legis, Gallus quidam rectè, col. finali, n.21. ff. de liber. & poſthum.* & hac de re eſt textus expreſſus *in cap.1. de natura feudi, & in noſtris ordin. nouis, lib.1. tit.98.* Et ratio conueniens eſt, quia contractus emptionis, & venditionis ligat Principem æquè ac quemcumque alium peculiarem hominem; vt docet Panormitanus *in cap. nouit, de iudiciis, num.23. & ibi* Felinus *num.9.* & Alexander *conſil. vltimo, num.20. lib.4.* atqui perinde eſt hæc officia in obſequiorum ſatisfactionem vaſallis dare, atque concedere, ac illa vendere, vt aſſerunt DD. *allegati num.2.* quia merita illa in ſe ſunt pretio æſtimabilia; & Regibus, ac Principibus poſtquam ea confeſſi ſunt ſeruitia, incurrit obligatio ſatisfaciendi illa iis, qui ea ſibi præſtiterunt; ergo non poſſunt prædicti Reges illi officia auferre iis, quibus illa contulerunt abſque bona, & æquiualenti ſatisfactione, vt patet.

Cabed. Valaſc. Pinel. Guilliel. Bald. Caſtrenſ. Afflict. Decius. Rub. Panorm. Felin. Alexand.

5. Neque obſtat clauſula illa inſerta à Regibus, & Principibus in collatione, & prouiſione talium officiorum, *vſque ad beneplacitum noſtrum dum fuerit voluntas noſtra*, dicamus nullam ibi dari venditionem, nullum contractum cambij, vtrimque onerosum formalem, vel virtualem, quia etiam quando propter pecuniam venduntur in prouiſione illorum, hæc eadem clauſula apponitur, *ad beneplacitum noſtrum, donec fuerit voluntas noſtra*, & non ſolet exprimi venditio propter honeſtatem, nec dicuntur vendi, ſed donari, deducet enim Principes officia vendere, & tamen ſiue vendantur, ſiue in ſatisfactionem ſeruitiorum donentur, verè dicuntur gratis, & liberaliter donari, quia cùm in Palatiis Regum ac Principum, multi ſuorum officiorum emptores ſint, multique, qui officia requirunt in ſuorum ſeruitiorum ſatisfactionem, illa gratioſa donatio cadit ſupra electionem perſonæ, non ſupra pretium oblatum, aut oblationem ſeruitiorum, obſequiumve ſit, ſi tuus equus multos haberet emptores, qui tibi offerrent pretium pro illo, aut ſeruitia tibi impenſa pretio æquiualentia, & illum vni venderes, aut ob huiuſmodi ſeruitia dares, rectè diceres illum gratis dare huic præ illo, quia gratis elegiſti hanc perſonam, cui pro pretio, ac ſeruitio pretio æquiualenti dediſti, cadit enim illud *gratis*, & illa gratioſa donatio ſupra electionem perſonæ, non ſupra pretium ipſius equi.

Tertiò, quia in hoc noſtro Regno Luſitaniæ 6.
noua Ordinatio *lib.1. tit.98. in principio*, loquens abſolutè de omnibus officiis etiam venditis aſſignat cauſas, ob quas Reges, & Principes tantummodo poſſunt ſuis vaſallis officia auferre nulla ſatisfactione impenſa, & abſque vlla obligatione recompenſationis, nimirum culpas, & errores in officiis criminoſos, ibi, *Si ipſi in illis commiſerint errores & culpas, & faciant, quod non debent, & ſuas onerent conſcientias, aut damnificant redditus, vel rem noſtram furto auferant:* nam propter has culpas in iudicio probatas, aut ſaltem in conſcientia Regis manifeſtas ab illis poſſunt officia auferri, & aliis donari liberè, & ſine vlla ſatisfactione, vt ipſum ius Luſitaniæ declarat; & docent communiter DD. Cabedo *2. part. deciſ.20 num.4.* Iaſon *in l.quoties, num.17. C. de reſcind.* Decius *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſt. num.27.* Socinus ſenior *conſil.59. col.7. verſ.6. & vltimo, lib 3. tom.1. conſiliorum.* Menochius *conſil.1 num.336. cum ſequentibus, & conſil.2. num.136. & 139. & num.55.* Tiraquellus *in l. ſi vnquam, verb. donatione largitus, num.14.* Capycius *deciſ.121. num.15. & 16. & deciſ.166.* Thom. Rodrig. *deciſ.65. num.25.*

Cabed. Iaſon. Decius. Socin. Menoch. Tiraq. Capyc.

7. Quòd ſi hæc procedunt in officiis pecunia à Rege emptis, aut pro ſatisfactione ſeruitiorum datis, iuxta hos DD. maiori cum ratione procedent etiam in officiis gratis, & liberaliter à Rege datis; hæc enim maiori cum ratione poterunt Reges ab illis auferre propter culpas in iudicio cognitas ipſorum officialium, nam in omni collatione officiorum ex parte Regis, ſiue illa vendantur, ſiue pro ſeruitiis, ſiue gratis, & liberaliter donentur, ſemper hæc conditio reapſe natura incluſa intelligitur, *dummodo faciant id quod debent bono communi, Regno, & adminiſtrationi iuſtitiæ Reipublicæ*, aliter enim niſi in omni officiorum prouiſione hæc conditio intelligeretur, eſſet talis prouiſio contra ius naturale, & foueret peccata publica, vt patet. Et hinc colligitur

8. Quartum, & vltimum fundamentum efficaciſſimum

ciſſimum huius rei. Eſt autem hoc, ſi ſolum propter culpas in iudicio, aut ſaltem in hoc Regno Luſitaniæ, in conſcientia Regis cognitas officia poſſunt Reges ab officialibus illa poſſidentibus auferre, abſque vlla obligatione illius recompenſationis, ſequitur quòd propter nullam aliam cauſam poteſt Rex illa ab huiuſmodi officialibus auferre; nam, vt eſt principium iuris notiſſimum, exceptio firmat regulam in contrarium.

9. Nec obſtat clauſula oppoſita, in prouiſione officij, *dum fuerit voluntas noſtra, ad noſtrum placitum*, ſolet enim hæc clauſula ſemper in prouiſione officiorum apponi, non vt indicetur poſſe illa Regem abſque vlla ſatisfactione, quoties voluerit, auferre, ſed per illam

Panorm. Capyc. Grat. Eman Barb. Significatur primò arbitrium boni viri, qui non ſolet auferre conceſſionem, ſine juſta demeritorum cauſa, vt docet Panormitanus *in cap. verum 7. de foro competent. notabili vltimo, num. 6.* Capycius *deciſ. 116. num. 4.* Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 167. num. 45* & Doctor Emanuel Barboſa *tom. 1. remiſſion. ad lib. 1. noſtr. Ordinat. tit. 98. num.*

10. Cabed. Valaſc. Gama. Significatur ſecundò, vacare prædicta officia morte donatarij, vt docet Cabedo *tom. 2. deciſ. 20. num. 6.* Valaſcus *de iure emphyteutico; quæſt. 34. num. 6.* & Gama *deciſ. 353.* non tamen Regis, aut Principis donantis, niſi ita communis vſus, & conſuetudo in Regno aliquo, aut Prouincia obtineat, & vſus habet in Regno Galliæ, ſi credendum eſt Guillielmo Benedicto *in cap. Raynutius, de teſtam. in verb. duas habens filias, num. 44.* vbi aſſerit in Gallia omnia officia, quæ hanc clauſulam habent, vacare morte Regis concedentis; quod ipſum repetit *deciſ. 5. num. 490.* quod intelligendum eſt, vt doctè animaduertit noſter Gama *deciſ. 453. n. 1. & 2. de officiis*, quæ nullam habent iuriſdictionem adnexam, quia hæc non ſpirant, nec vacant morte Regis, aut Principis concedentis, ne interim detrimentum iuſtitia patiatur, iuxta textũ expreſſum, *in cap. hoc alicui, de hæret. in 6. & in cap. finali, de officio delegati, §. officium, & in cap. 2. eod. tit. lib. 6* vt ait noſter Gama *allegatus, n. 2.* vnde in Regno Luſitaniæ omnia officia domus Regiæ mortis Regis vacant, præter officium tantùm præfecti Venatorum, Luſitanè *Monteirimor*, qui habet tribunal iuſtitiæ, & iuriſdictionem adnexam; vt egregiè notat Gama *allegatus, num. 2.* nam cùm hæc officia domus Regiæ, verſentur circa miniſterium, & ſeruitium perſonæ Regiæ, ad cuius perſonale obſequium fuerunt inſtituta; conſequens eſt, vt cum Rege expirent, niſi iuriſdictionem habeant adnexam.

11. *Nec quidem minuere.* Ex dictis ſequitur, non ſolùm non poſſe Reges, ac Principes officia pro ſatisfactione obſequiorum donata in totum auferre, abſque bona, & æquiualenti ſatisfactione; ſed nec etiam auferre in partem, aut minuere, quia eadem eſt ratio de parte ad partem, atque de toto ad totum; & quia cùm collatio ſuorum officiorum induat rationem contractus emptionis, & venditionis, vel ſi manis cambij, aut permutationis, manent Reges, & Principes ex rigoroſa iuſtitia obligati ratione talis cõtractus ſeruare indemnes ſubditos illos, & vaſallos ſuos, cum quibus tacitè, & virtualiter pacti ſunt; & ideo illa nec in totum auferre, nec in parte minuere poſſunt abſque bona, & æquiualenti ſatisfactione; ita Pinellus *1. part. C. de reſcind. vend. cap. 14. n. 2.* poſt multos quos *ibi* citat; quapropter cùm officiales huiuſmodi, quibus Rex officia hæc Pinell. vendidit, aut cum illorum ſeruitiis commutauit, poſt celebratum contractum, & confeſſionem obſequiorum ex parte Regis, ius acquirant in talia officia virtute prædicti contractus, ſequitur euidenter propter illorum culpas ea ab illis poſſe Reges, ac Principes vel in totum auferre, vel in partem minuere abſque vlla ſatiſfactione, aliàs non poſſe ſine bona ſatiſfactione, vt ex dictis patet; & docet Felinus *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſt. num. 28. verſ. Prima declaratio*, & Innocent. *in cap. niſi cùm pridem, col. 1. verſ. nos diximus*, & alij quos allegat. Felin.

12. *Quid ſi ex aliqua Pragmatica extinguantur officia.* Quod adeò verum eſt, vt nec etiam ob bonum commune, & rationem iuſtiſſimam illa ab eis poſſint Reges auferre in totum, vel in partem, abſque prædicta ſatiſfactione, vt cùm Rex bonis rationibus ductus Pragmatica aliqua, vel lege iubet, ob bonum commune aliqua officia in aliqua Prouincia extingui, in hoc enim etiam caſu tenentur in conſcientia de iuſtitia ad prædictam ſatiſfactionem, vt probatum manet, & docet expreſsè Cabedo *tom. 2. deciſ. 30. num. 5. & gloſſa final. in l. Barbarius ff. de officio Prætoris.* Iaſon *ibi* latè, & benè *à num. 36. vſque ad 44* & *ibi* citat Iaſon aliam gloſſam ſimilem *in l. fin. li, C. ex quibus cauſis ſerui precibus libert. accipiant*; & dicit eſſe textum hac de re planum *in l. 2. C. eodem*, quem dicta gloſſa exornat, & idem tenet expreſsè Menochius *tom. 1. conſil. 2. n. 139.* Socin. iunior *conſil. 102. n 18. lib. 2.* & latiſſimè probat Tiraquell. *in l. ſi vnquam, in verb. donatione largitus, num. 14 C. de reuocand. donat.* & Crauetta *tract. de antiquitate temporum, 1. part. principij 54.* In ſolo tamen vno caſu propter bonum commune illa Reges ab illis poterunt abſque vlla ſatiſfactione auferre, aut minuere, cum ſcilicet ab eis etiam ſua bona propter communem Regni defenſionem auferre poſſunt. Cabed. Iaſon. Menoch. Socin. Tiraquell. Crauet.

13. *Quid dicendum de officiis gratis datis, & liberaliter.* An autem officia merè gratis, & liberaliter abſque ſatiſfactione meritorum donata poſſint Reges à ſuis vaſallis auferre, aut illa eis minuere abſque recompenſatione, & ſine illorum demeritis, & culpis ſaltem pragmatica aliqua, aut lege publica ob bonum commune extingui, diximus *cap. præcedenti, à num. 13.*

Capvt XXV.

An iudex poßit licitè ius ſcriptum non ſequi, & pœnas illius remittere abſque iniuſtitia, & quatenus ignorantia excuſet à pœna legis.

Svmmarivm.

Quid ſit ius naturale, quid poſitiuum. num. 1.

Si leges ſcriptæ contineant ius naturale, aut illi conformes ſint, non licet iudici ab illis diſcedere in iudicando. num. 2.

Si ſolum ius poſitiuum contineant, & non repugnent iuri naturali, non licet iudici inferiori ab illis diſcedere in iudicando; quid de Principe, num. 3.

Quid quando iudici conſtat Principem noluiſſe caſum præſentem comprehendere in lege. num. 4.

Si nõ conſtet iudici inferiori, ſed dubium ſit æqualiter, an Princeps voluerit præſentem caſum comprehendere, & Princeps conſuli non poteſt, & reſurget, adhærendum eſt illi legi. num. 5.

Si

Si probabilius ſit Principem eum caſum noluiſſe comprehendere ſi poteſt conſuli, tenetur illum conſulere; ſi non poteſt tenetur adhærere legi. num.6.

In pœnis ordinariis probato ſufficienter delicto, non licet iudici pœnam minuere, aut excedere, num.7.

Quando pœna legis per eandem legem alicui tertio applicatur, veluti fiſco, aut accuſatori, in totum, vel in partem de iuſtitia tenetur iudex eam non minuere, & ad reſtitutionem obligatur ſi aliter faciat. num.8.

Quid ſi pœna ſit corporalis, & merè vindicatiua, vt exilij, vel triremium. num.9.

Quid ſi ætas delinquentis ſit ſenilis, vel iuuenilis, num.10.

An Princeps ſupremus poſſit licitè, & validè, nulla ſubſiſtente cauſa remittere pœnas legis, ſiue alteri applicentur ipſo facto, ſiue non applicentur, num.11.12. & 13.

An quando reus contra multas leges peccat, quarum qualibet ſuam pœnam habet, damnandus ſit ad omnes. num.14.

Ignorantia, quæ excuſat factum, ne peccatum ſit, in vtroque foro excuſat à pœna. num.15.

Quid ſi factum duplici lege prohibeatur diuina, & alteri ignoretur. num.16.17.& 18.

Quid ſi quis ſciat aliquid lege humana eſſe prohibitum, & ignoret pœnam legis ſub qua eſt prohibitum. num.19.20.21.& 22.

1. *Ius naturale quid ſit, quid poſitiuum.* NOTARI velim in primis, aliud eſſe ius naturale, aliud poſitiuum; ius naturale, eſt id, quod à natura inditum eſt hominibus, & non eſt ſcriptum, eſt enim conformitas rationis cum æquo & bono; vt, *Malum eſt fugiendum, bonum eſt amplectendum. Quod tibi non vis, alteri ne facias*, & ſimilia pronunciata, quæ conformitatem habent cum ratione intellectus. Ius poſitiuum ſunt leges, quæ à Regibus, & ſuperioribus fiunt ad dirigendos ſuos ſubditos ad bonum, & cauendum malum; imò ipſæ pœnæ, quæ in legibus prohibitiuis apponuntur ad dirigendos ſubditos, ad bonum ordinantur, ſi non immediatè, ſaltem mediatè, quia enim Reges, & Principes Legiſlatores, apprehendunt contrarium illius, quod prohibent tanquam bonum, & volunt dirigere ad illud bonum ſuos ſubditos, ideo pœnas apponunt, & leges condunt prohibentes, ne contrarium fiat; quamobrem præcipuum munus legiſlatorum eſt ſubditos per leges etiam prohibentes, & pœnales ad bonum dirigere, vt patet.

2. *Concluſio prima.* Statuo ergo primò, ſi leges ſcriptæ contineant ius naturæ, aut illi conformes ſint, non licet iudici ab illis diſcedere, ſed ſemper iuxta illas tenetur iudicare, & reum ſufficienter conuictum, ſi pœnales ſint, condemnare; ita communiter DD. D. Thom. 2.2. *quæſt.*62. *art.*5. & *quæſt.*67. *art.*4. & *quæſt.*66. *art.* 5. Leſſius *tom.* 1. *de iuſtitia, lib.*2. *cap.*29 *dub.*5. *num.*45. Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *in octauum præceptum, cap.*6. *num.*177. Sayrus *in claui Regia, lib.*12. *cap.*9. *num.*2. Sotus *lib.*3. *de iuſt. q.*4. *art.*5. Soarius *lib.*5. *de legibus, cap.*11. *num.*2. *folio mihi* 514. *col.*2. (D.Thom. Leſſius. Filliuc. Sayrus. Sotus. Soar.) Ratio eſt euidens, quia contrarium iuris naturalis ſemper eſt iniquum, & iniuſtum; nunquam ergo licet à iure naturæ diſcedere, ſuique iudicis, quia nunquam licet à iuſto, & iuſtitia diſcedere, & aliàs ad reſtitutionem obligabitur, & à graui peccato pro quantitate materiæ non excuſabitur; neque enim tunc iuſtum iudicium eſſet, ſed iniuſtum.

3. Statuo ſecundò, ſi leges ſcriptæ ius poſitiuum dumtaxat contineant, & non repugnent iuri naturali, ſecundùm illas tenetur iudex inferior ordinariè iudicare; ita authores citati. *Concluſio ſecunda.* Ratio eſt; quia ſi lex ſit pœnalis, & pœnam ipſo facto imponat, ad iudicem propriè non ſpectat pœnam imponere, ſed ſententiam ſuper delictum proferre, & ipſam pœnam executioni mandare; ſi imponat pœnam ferendam, obligat iudicem, vt reum ad illam condemnet, & ne inutilis ſit condemnatio, obligat conſequenter iudicem, vt illam exequatur, vtrumque enim cadit ſub obligatione iudicis: per hoc autem non tollitur, quo minus ſi delictum habuerit extraordinarias circumſtantias, quæ illud atrociſſimum, & grauiſſimum reddant, poſſit index prudenti arbitrio huiuſmodi circumſtantias ſpecialiter punire; hoc enim non excluditur per legem, quæ loquitur de ordinario delicto; ita Soarius *allegatus, num.*5. & patet ex *l. quidquid ergo, ff. de his qui notantur infamia*; & gloſſa *ibi, verb. onerauerit*. *Si delictum habeat extraordinarias circumſtantias, poteſt grauius, quàm per legem à iudice puniri.* Deinde, quia iudex inferior eſt ſubiectus talibus legibus, & eſt cuſtos illarum; ergo iuxta mentem illarum debet iudicare; aliàs ſi iuſtæ ſint, & ab illis deuiauerit, iniuſtè iudicabit, & ad reſtitutionem tenebitur.

Dixi *inferior*, quia ſupremus Princeps, & legiſlator poteſt aliquando diſpenſare in lege poſitiua, & illius rigorem, vel pœnam ordinariam remittere, ac temperare, ex rationabili cauſa, ſi putet, ita Reipublicæ, & ſubditis ſuis conuenire, hoc autem non poteſt tam facilè iudex inferior, vt infrà dicemus *num.*11. & ideo dixi *ordinariè*; quia non tam legis verba attendenda ſunt iudici inferiori, quàm mens legiſlatoris, quæ eſt anima legum. Vnde aliquando poterit à lege ſcripta recedere,

Primò, quando ſibi certò moraliter conſtat mentem legiſlatoris eſſe aliam, nec voluiſſe hunc caſum præſentem in illa comprehendere; ſed grauius, aut mitius punire, propter circumſtantias delicti occurrentes, tunc enim datur locus Epiikeiæ, magis enim tenetur ſequi mentem Principis, quæ eſt anima legis, quàm verborum corticem; ita authores allegati, & eſt doctrina communis. Hinc fit, vt iuxta mentem Principis teneantur iudices ordinarij punire grauius illud delictum, cuius circumſtantiæ ſunt grauiſſimæ, & fœdiſſimæ, & mitius illud, cuius circumſtantiæ non ita graues ſunt, ſed releuantes, vt dixi; quia leges loquuntur de delictis, quæ ordinario committuntur, non extraordinario modo; neque enim omnes circumſtantiæ puniri poſſunt, aut deſcribi à legibus.

Neque in hoc caſu, quando conſtat de legiſlatoris mente, tenetur inferior legiſlatorem conſulere, vt quidam volunt, quia non eſt opus de mente inquirere, quando de mente conſtat, argumento legis *nulla ratio, ff. de legibus*, & legis *non dubium, C. de legibus*, & ita docet expreſsè Leſſius *tom.*1. *lib.*2. *cap.*29. *dub.*5. *num.*47. Filliucius *tom.*2. *tract.* 40. *cap.*6. *num.* 177. Sayrus *in claui Regia, lib.*12. *cap.*9. 4. (Leſſius. Filliuc. Sayrus.)

Secundò, poteſt à lege ſcripta diſcedere; quando non quidem ſibi conſtat, ſed probabilius eſt, aliam eſſe legiſlatoris mentem, tunc enim ſi Princeps conſuli poteſt, tenetur illum conſulere; ſi autem non poteſt, quia reſurget, & moram non patitur, tenetur adhærere menti legis; eſſet enim tunc contra rationem legis, verba, non mentem illius ſequi, nam ſemper intentio legiſlatoris præferenda eſt verbis; ita authores modò allegati, Leſſius, Filliucius, & Sayrus. 5. *Intentio legiſlatoris præferenda eſt verbis legis.*

In dubio autem æquali, ſi Princeps conſuli nequit, 6.

nequit, quia negotium moram non patitur, tenetur inferior iudex ſecundùm verba legis iudicare; ita Authores *allegati*; & ratio eſt, quia lex eſt veluti in poſſeſſione ſuæ authoritatis; in dubio autem in materia iuſtitiæ, melior eſt conditio prouidentis, maximè, quia iudex eſt cuſtos legis, & non poteſt eam in eo dubio ſua authoritate priuare; ita Leſſius, & Filliucius.

7. *Non licere iudici pœnam legis minuere, nec excedere.* Duo autem ſemper animaduertenda ſunt iudici; vnum eſt, vt in delictis ordinariis pœna illius non excedat pœnam à lege taxatam, ſi ſufficienter fuerint probata. Aliud eſt, vt ab illa non deficiat; in vtroque enim peccare poteſt, & aliquando ad reſtitutionem obligari; & ratio eſt, quia in primo non ſola iuſtitia legalis, ſed etiam obligatio proprij muneris, & officij reſpectu reipublicæ illum obligat, ad non excedendam pœnam taxatam à lege, in ordinariis delictis; quod euidenter probatur, quia nemo poteſt à reo plus petere, quàm debeat, ſicut nec à debitore; poſita autem lege taxante talem pœnam, quid amplius pœnæ illi à iudice inflictum fuerit, non eſt pœna, ſed iniuria contra iuſtitiam illata, cuius damnum tenetur iudex de iuſtitia reo reficere; quia iuſtitia commutatiua obligat ad reſtitutionem; ita Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 11. num. 4.* & eſt communis doctrina, & patet ex D. Auguſt. *lib. de vera Relig. cap. 31.* & refertur *in cap. in iſtis, diſt. 4. Non licet, inquit, iudici de lege iudicare, ſed ſecundum ipſam*, & D. Greg. *in cap. ſummopere 11. quæſt. 13. Diuina & humana lex reuoluatur, & ſecundum quod ibi definitum eſt, proferatur ſententia.* Soar. D. Auguſt. D. Gregor.

8. *An iudex poſſit minuere pœnam legis alteri applicatam.* In ſecundo, circa diminutionem pœnæ, aduertendum eſt, duplicem eſſe pœnam.

Alteram cedentem in vtilitatē tertij, vt eſt pœna pecuniaria; quę interdū applicatur parti læſæ, interdū fiſco, interdum accuſatori, aut captiuis, & quando pœna pecuniaria talis eſt, quæ in vtilitatē tertij cedit, tenetur iudex de iuſtitia illam non minuere, & ſi aliter fecerit, ad reſtitutionem tenebitur, nam ſi ipſo facto imponatur, ille cui talis pœna applicatur, ius habet acquiſitum in illam, & poſt latam ſententiam declaratoriam criminis, ſtatim dominium illius in ipſum transfertur. Vnde iniuſtitia illi fiet, & ad reſtitutionem tenebitur iudex, ſi illum iniuſtè tali iure, & dominio priuet. Si verò huiuſmodi pœna pecuniaria non ſit ipſo facto alicui applicata, ſed ſit à iudice ex præſcripto legis applicanda; id ipſum dicendum eſt, quia aliquod ius illi acquiritur ad pecuniam illam, & iuſtè petit à iudice, vt eam pœnam ſibi applicet, iuſque ſuum ſibi ſeruet, & tenetur ex officio reddere illi ius ſuum; iniuſtus ergo erit, & ad reſtitutionem tenebitur, ſi talem pœnam ei non applicet; ita Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 11. num. 6. folio mihi 516. col. 1. initio.*

9. Alteram, quæ non cedit in vtilitatem tertij, ſed eſt merè vindicatiua, & corporalis, vt exilij triremium; & quamuis non detur hoc genus iniuſtitiæ reſpectu tertij in diminutione huius pœnæ, nunquam tamen licet iudici inferiori (probato ſufficienter crimine) illam minuere, niſi in caſibus à iure permiſſis; eſt enim contra bonum commune, & contra legalem iuſtitiam, quòd delicta maneant in Republica impunita, aut non ſatis punita; quia id quidem eſt moralis occaſio, vt multiplicentur.

Secundò, quia iudex ex officio ſuo, atque adeò ex iuſtitia tenetur obſeruare leges iuſtas, quæ ad bonum commune ordinentur, imò facere, & procurare, vt obſeruentur: lex autem quatenus imponit iuſtam pœnam, iuſta eſt, & ad commune bonum neceſſaria; igitur contra iuſtitiam, & obligationem officij ſui iudex efficiet, ſi tunc eam pœnam diminuat, niſi in caſibus à iure permiſſis.

Tertiò, quia Reſpublica acquirit ſpeciale ius in talem perſonam delinquentem, vt ab illa ſumat iuſtam vindictam; ergo non poteſt ſola voluntate iudicis illo priuari; ita idem Soarius *allegatus*.

Dixi, *niſi in caſibus à iure permiſſis*, quia ſæpe occurrunt cauſæ, & circumſtantiæ, quibus occurrentibus hæc poteſtas remiſſionis iudicibus committitur, vt ſunt ætas ad ſuſtinendam pœnam inſufficiens; qualis eſſe poteſt ſenectus, vel pueritia; vt patet ex *l. Diuus Adrianus, ff. de termino moto, & l. auxilium. ff. de minoribus*, ibi, *Niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mitiorem pœnam iudicem perduxerit.* In pœna autem pecuniaria, cauſa remiſſionis ſolet eſſe paupertas *l. illicitas, §. vlt. ff. de officio Præſidis*, multum etiam in his refert modus probationis, nam ſi reus non eſt omnino conuictus, temperanda eſt pœna, vt dixi; item modus peccandi, vt ſi ex paſſione, *l. abſentem, ff. de pœnis*, de qua re videri poteſt Felinus *in cap. qualiter, & quando 2. de accuſat. à num. 26.* & latiſſimè Tiraquell. *tract. de pœna temp.* 10. *Quid ſi ætas delinquentis ſit ſenilis, aut iuuenilis.* Felin. Tiraq.

Rogas autem an poſſit licitè ſupremus Princeps, & legiſlator pro mera ſua voluntate, & nulla ſubſiſtente cauſa, remittere pœnas legis reis, tam pecuniarias, aliis ipſo facto applicatas, quàm merè corporales. Reſpondeo non licere in conſcientia Principi id efficere ſola voluntate ſua, ſine ratione, & cauſa; quia lex iuſta, etſi non obligat Principem quoad vim coactiuam, obligat tamen quoad vim directiuam. Vnde licèt Princeps impunè id faciat, non abſque peccato faciet, ſi ſine ratione, & cauſa fecerit, quæ doctrina eſt communis, & eam tradit Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 11. n. 8.* Vnde quando D. Thom. 2. 2. *quæſt. 67. art. 4.* Caietanus *ibi*, & alij Theologi communiter, & Iuriſconſulti *in l. nulla iuris ratio, ff. de legibus*, aſſerunt poſſe ſupremum Principem, & legiſlatorem licitè remittere pœnam reis; id intelligunt ex cauſa iuſta, & rationabili, vt optimè animaduertunt Doctores, & ſpeciatim Soarius *modò citatus, dicto num. 8. & 9.* 11. *An Princeps ſupremus poſſit licitè minuere pœnas legis.* Soar. D. Thom. Caiet.

Dices, quæ ergo differentia eſt inter ſupremum iudicem, & inferiorem, ſi vterque non poteſt pro mero arbitratu ſuo abſque peccato pœnas iuris remittere, & relaxare. Reſpondeo, eſſe multiplicem differentiam in vtroque foro, nam in primis in foro externo Principis impunè id facit, inferior autem iudex puniri ob eandem cauſam poterit; in foro verò interno Princeps facilius, & ex minori cauſa, quàm iudex inferior, poteſt hanc pœnam remittere. 12. *Differentia inter iudicem ſupremum, & inferiorem quæ.*

Primò, enim iudex inferior, ſolùm id poteſt in caſibus iure expreſſis, aut conſuetudine receptis, aut per modum Epiikeiæ, vt diximus *num. 3.* quando non eſt facilis recurſus ad ſuperiorem. Princeps autem habet ſupremam poteſtatem ad interpretandam legem, & ad diſpenſandum quotieſcumque prudenter iudicauerit cauſam eſſe ſufficientem, vel rationabilem: inferior autem iudex etiamſi prudenter id iudicet, non poteſt id efficere; imò quando æquè dubius eſt de legis mente, tenetur Principem conſulere, vt diximus *num. 6.*

Secundò, quia iudex inferior non poteſt diſpenſare, niſi quando tenetur, & ad id obligatur,

vel

vel ex cõſuetudine recepta, vt dixi, vel ex iure, vel quando ſibi euidenter conſtat eam eſſe legiſlatoris mentẽ; at ſupremus Princeps ſępe poteſt diſpẽſare, etiamſi nõ teneatur, v.c. in gratiam ſubditorũ, vt ſe illis benignum oſtendat; item in gratiam alterius Principis, id poſtulantis, quia hac mutua beneficẽtia neceſſaria eſt in Republica, & ſæpe etiã in bonũ cõmune redundat; at iudex inferior ad petitionẽ alterius hominis pœnam remittere non poteſt.

Tertiò quia Princeps legiſlator poteſt interdum hanc pœnam remittere in bonum perſonæ delinquentis, vel propter priora, & accepta obſequia, quod efficere iudex inferior non poteſt.

13. Quartò, & vltimò, quia iudex inferior, licèt ante latam ſententiam poſſit in caſibus ſibi à iure permiſſis hanc pœnam temperare, poſt latam ſententiam non poteſt, quia iam functus eſt officio ſuo: Princeps autem interdum poteſt dummodo id non redundet contra ius alteri quæſitum, & in damnum tertij, nam hoc non poteſt Princeps iuſtè inferre, niſi ita ad bonum commune expediat, vt propter illud priuari poſſit priuata perſona iure ſuo Ita docet Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 11. n. 9.* gloſſa *in l. quidquid ergo, § pœna. ff. de his qua notantur infamia, verb. oneraſſet*, & DD. *ibi* communiter.

Suar.

14. *An reus quãdo contra leges delinquit, ad omnes illarum pœnas damnandus ſit, ſi ſingulæ ſingulas pœnas imponant.*

Dubium hic incidenter oriri poteſt, an quando reus contra multas leges delinquit, in quarũ ſingulis ſua peculiaris pœna imponitur, teneatur iudex illũ ad eas omnes condemnare, an ad aliquã tantũ illarũ, & ſimiliter an ſi in eadẽ lege, contra quam delinquit, variæ pœnæ multiplicentur, teneatur iudex eas omnes illi imponere, an alterã tantùm illarũ. Ad quod breuiter reſpondeo, ſi pœnę ipſo facto in prædictis legibus incurrantur, aut in vna tãtùm lege multiplicentur; & ipſo facto imponantur, eas omnes incurri, & nõ poſſe iudicem reũ ab aliqua poſt ſufficientẽ probationem excuſare; ita communiter DD. Soarius *modò cit. n. 11.* Bart. *in l. 2. ff. de vi bon. rapt.* Anan. *in c. quod olim, de Iudæis.* Nauar *in conſ. 10. de conſt. & ita c. in quorundam, de Iudæis*, & alij cõmuniter, & ratio eſt, quia quando pœna ipſo facto à lege poſita eſt, ſolùm cõmittitur iudici probatio delicti, an ſit tale, quale vnaquæque lex requirit, vt talis pœna à delinquẽte incurratur; vnde cùm iudex de delicto pronunciet, incurſionẽ omniũ pœnarũ nõ effugiet delinquẽs, cùm nõ ſit maior ratio de vna, quàm de alia, aut de omnibus; nec eſt in poteſtate iudicis diminuere pœnã, ſi abſolutè per ſententiã declatoriã criminis pronunciet reũ cõmiſiſſe delictũ; quia tunc non ipſe imponit pœnam; ſed legiſlator, nec etiã dici poteſt incurri ſolã pœnã impoſitã in poſteriori lege, quando multas pœnales leges tranſgreditur, quia poſterior lex nõ reuocat alias pœnas, poſitas in aliis legibus, quarum trãſgreſſor fuit, vt patet Et idẽ dicendũ eſt, quando pœna ferenda eſt per iudicẽ, quia non ſatisfaciunt iudices obligationi ſui muneris, & officij, ſi iuxta legis, ac legũ præſcriptũ pœnas delinquentibus non imponant, & quãuis Iuriſcõſulti in eo caſu dicant, non debere iudicem plures ſimul pœnas imponere, negandũ tamen id eſt, dũ aliter ſufficienter non conſtat de mente legiſlatoris; vt docet Soarius *dicto lib. 5. de legibus, c. 11. n. 11. fine*, & niſi probationes ſint inſufficientes, tunc enim quando nõ ſunt ſufficiẽtes, poterit iudex pœnã moderari, quia cauſa minor eſt, & quia hoc ei iure conceditur.

Soar. Bart. Anan. Nauar. Soar.

15. *An ignorantia facti quæ excuſat factum à peccato, excuſet etiam à pœna illius peccati.*

In omnibus tamen his, notandũ ſemper eſt, omnẽ illã ignorantiã, quæ excuſat factũ à peccato, in vtroque foro excuſare à pœna; quæ propter tale factũ in lege infligitur; quæ eſt regula cõmuniſſima, & generalis, quã vterque iudex, tã Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis præ oculis habere debet; patet ex *c. 2. de conſt.* & docet Caſtro *lib. 2. de leg pœnali, c. 14.* Soar. *lib. 2. de leg. c. 11. n. 3. fol. mihi 518. col. 2. fin.* Tiraq. *lib. 1. de vtroque retract. § 35. gloſſ. 4. n. 27.* & probatur ex *dicto c. 2. de conſt. Quod culpa caret, in dãnum vocari non debet*; & facit regula cõmunis, *Ceſſante cauſa, ceſſat effectus, c. cùm ceſſante, de appel.* patet ex *c. Apoſtolicæ, de Cler. exc. miniſtrante, & ex c. vt animarum, de conſt. in 6.* & ex *c. propoſuiſti, diſt. 82.* & idẽ ſumitur ex *c. ſi vir, de cogn. ſpirituali*, vbi id notat gloſſa; & ideo *in l. vlt. ff. de decretis ab ordine faciendis*, dicitur pœnam non imponi propter ignorantes, ſed propter ſcientes. Ratio à priori eſt, quia lex iuſta non imponit pœnam, niſi vt pœnam; vbi autem non eſt culpa, ceſſat pœna, vt pœna eſt talis culpæ, & ideo ea ignorantia, quæ excuſat à culpa, excuſat omnino à pœna.

Caſtro. Soar. Tiraq.

16. *An ignorantia iuris excuſet à pœna.*

Contingit autem interdũ factũ prohiberi duplici lege, diuina, & humana; humanã autẽ inuincibiliter ignorari, cùm tamen diuina nõ ignoretur, & tunc dubiũ eſt, an ignorãtia legis, ſeu iuris humani, excuſet à pœna illius. Qua de re partita eſt opinio.

Opinio prima.

Prima negat; eam tenet gloſſa *in c. vlt. de verb. ſignif. in 6. verb. ſcientes, ex reg. 3. iuris in 6. Ignorantia facti excuſat, iuris non excuſat.* Sotus *in 4. diſt. 6. q. 8.* & ratio eſt, quia tunc nõ ceſſat omnino cauſa pœnæ, quia lex humana non ſolùm intendit punire tranſgreſſionẽ voluntariã, ſed etiã culpã cõtra legẽ diuinã cõmiſſã; deinde quia ſcientia pœnæ non eſt neceſſaria ad illã incurrendam; vt patet *in c. qui bis, de conſecr. diſt. 4.* vbi rebaptizans pœnã irregularitatis incurrit, etiã ſi ignoret legẽ Eccleſiaſticã irregularitatẽ imponentẽ, quia per eã pœnã irregularitatis, non ſolùm intendit Eccleſia punire tranſgreſſorẽ iuris Canonici, rebaptizationẽ prohibentis, ſed etiam peccatũ, & iniuriã, quæ fit priori ſacramento. Vnde ſi huiuſmodi rebaptizans non ignorabat inuincibiliter ius diuinũ, & naturale, quo prohibentur ſacramentorum iniuriæ, licèt ignoraret legem Canonicam poſitiuam imponentem irregularitatem, adhuc ipſam irregularitatẽ incurret.

Sotus.

17. *Opinio ſecunda.*

Secunda tamen opinio probabilior, & tenenda, affirmat ignorantiã inuincibilẽ legis humanæ excuſare à pœna impoſita tali lege, quamuis factum prohibitũ in ea, ſit etiam prohibitũ lege diuina, & iure diuino, & naturali, idque ſiue lex, & ſtatutum ſit ciuile, ſiue Canonicum, ſiue Epiſcopale, ſiue Papale, ſiue etiam Concilij alicuius generalis, aut nationalis, hanc ſequitur Caſtro *lib. 1. de lege pœn. cap. 1. ad fin. & lib. 2. c. 14* Soto *in 4. diſt. 3. art. 9. & ad 2. 2. q. 1. art. 2* Couar. *ad reg. poſſeſſor, p. 2. § 7. n. 7.* & Soar. *lib. 5. de leg c. 12. n. 5. fol. mihi 519. col. 2.* atque adeò aſſerunt quoties inuicibiliter ignoratur lex humana prohibens actum aliquem ſub pœna aliqua non incurri talem pœnam, etiam ſi optimè ſciatur actus peccatum eſſe mortale, lege diuina, & naturali prohibitum. Probatur

Caſtro. Sotus Couarr. Soar.

Primò, quia vbi non datur ſcientia legis, & ſtatuti humani, non datur peccatum contra illud: vbi autem non datur peccatum contra legem, non incurritur pœna illius. Antecedens patet, quia nihil magis contrarium eſt peccato, quàm inuoluntarium: vbi autem datur error, & ignorantia legis, non datur voluntas peccandi contra illam; ergo neque etiam datur peccatum; ergo neque pœna. Nam omnis lex ideo requirit notitiam ſui, vt voluntariè violetur, alioqui, ſi ignoratur, non violatur voluntariè, nihil enim magis contrariũ volũtati, & conſenſui, quam error, *l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omn. ind. & l. nihil conſenſui, ff. de regul. iuris*, vbi autem non datur conſenſus, non datur etiã peccatũ.

Secundò, quia ideo leges promulgantur, vt detur notitia illarum, alioqui enim ſi non detur notitia illarum, non obligabunt; & conſequenter non incurretur illarum pœna.

Tertiò, ignorantia iuris humani poteſt eſſe inuincibilis; tot enim ſunt præcepta poſitiua, & tot prohibitiones, vt licèt abſolutè ignorãtia illorũ nõ ſit inuincibilis, tamẽ reſpectu huius, & illius, poterit eſſe inuincibilis; quia ſæpe homo etiã ſi literatus ſit, per ſe non valet ſcientiã omnium præceptorum habere, & interdũ ſine hominis culpa deficiũt occaſiones, & opportunitates ad illã notitiã prædictorum præceptorum cõparandã, quia non habuit vnde, aut quomodo ad illam notitiam excitaretur.

Quartò, quia ille, qui adulteratur cum Berta maritata, quam tamen credit eſſe ſolutam, & ignorabat eſſe maritatam, excuſatur à pœna adulterij, quia excuſatur à violatione legis poſitæ cõtra adulteros; licèt enim illius peccatũ reſpectu illius ſit adulteriũ materiale, eſt tamẽ formaliter fornicatio ſimplex; è cõtrario verò, vt docet Ioan. Andr. & Albert. *ad reg. 3. iur.* cognoſcens Bertam ſolutam; ſua tamen, & aliorũ cõmuni opinione coniugatã, punitur vt adulter, quia formaliter illud peccatũ erat adulteriũ, licèt à parte rei, & materialiter fuerit ſimplex fornicatio, quia opinio cõmunis, qua cõmuniter illa eſſe cõiugata putabatur, & exiſtimatio illius, qui ad illã tanquã ad coniugatã acceſſit, malitiã adulterij compleuit; opinio enim non ſolùm æquipollet veritati, ſed aliquando etiã præfertur, vt patet ex *cap. nuper, de ſent. excom.* At quidquid huiuſmodi authores dicant, credo tamen reperta veritate, non poſſe iudicẽ huiuſmodi reum punire pœna ordinaria adulteris in iure ſtatuta, ſed alia mitiori, imò nulla, quia re vera nõ fuit adulterium à parte rei cõmiſſum, & leges, quæ morte puniunt adulterium, verùm adulterium, non exiſtimatum reſpiciunt. Sic qui percutit laicum putãs eſſe Clericum, non incurrit cenſuram *cap. ſi quis*, quia re vera non commiſit ſacrilegium, verùm quod pœna cẽſuram reſpicit, licèt putauerit illud cõmiſiſſe.

18. Ad primum fundamentũ primæ opinionis dico legẽ humanã & ciuilẽ non intendere punire peccatũ abſolutè lege diuina prohibitũ, ſed intendere punire tale peccatum, hoc eſt, circumſtantiam, & grauitatem, quam in eo conſiderat, & punire intendit propter pacem Reipublicæ. Vnde ignorato ſtatuto, & lege, ignoratur etiam circumſtantia, & grauitas, ob quam pœna in lege imponitur.

Ad ſecundum reſpondeo illum qui rebaptizat, ignorando rebaptizationem eſſe peccatũ, non incurrere pœnã irregularitatis, quia vbi nõ eſt culpa, ceſſat pœna; ſi verò rebaptizaret ſciẽs rebaptizationẽ eſſe peccatũ, propter iniuriã ſacramẽto factã, ignorãs tamẽ inuincibiliter rebaptizationem eſſe prohibitã lege Canonica ſub pœna irregularitatis, ſimiliter dico mihi videri, non incurrere irregularitatẽ, quia formalis intentio Eccleſiæ, nõ eſt punire iniuriã ſacramẽto irrogatã, ſed talẽ iniuriã, quæ fiat propter trãſgreſſionẽ legis Canonicæ; quã qui ignorat, pœnã legis cõſequẽter euadet, nã, vt docet Sanch. *lib. 3. de matr. diſp. 36. n. 3. ad fin. verſ. Hac tamen limitatio*, & Menoch. *lib. 2. de arbitr. cent. 2. caſu 185. n. 45.* lex pœnalis requirit notitiam ſui, vt pœna illius incurratur, vt ſtatim patebit.

Sanch. Menoch.

19. *Quid ſi quis ſciat aliquid eſſe prohibitum lege humana, ignoret tamen pœnam.*

Sed poteſt contingere, vt quis ſciat optimè aliquid eſſe prohibitũ lege humana, vel ciuili, vel canonica, ignoret tamẽ pœnã legis, ſub qua eſt prohibitũ; quæritur ergo an trãſgrediẽs tũc legẽ humanã incurrat ipſã pœnam in ea contentam quã omnino ignorabat. Et hac de re ſimiliter eſt duplex opinio.

Opinio prima. Soar. Panorm. Felin. Couar. Bart.

Prima affirmat, & aſſerit, regulariter loquẽdo, nõ requiri notitiã pœnæ, & ſufficere notitiã legis, vt per illius trãſgreſſionẽ incurratur pœna in illa ipſo facto impoſita, exceptã vnica pœna excõmunicationis; vt ſtatim dicemus *n. 20.* hãc docet Soar. *lib. 5. de leg. c. 12. n. 11.* vbi ait ignorãtiã ſolius pœnę nõ excuſare ipſius pœnę incurſionẽ; & Panorm. *in c. 2. de cõſt. n. 6.* vbi idipſũ docet *lect. 1. n. 8.* Fel. *n. 4. & 7.* Couar. *in c. Alma mater 1. p. §. 10. n. 9.* referẽs multos, vbi dicit hoc procedere etiã in pœna excõmunicationis, & contrariã opinionẽ vocat maximam, & pudendam oſcitantiam Bartolus *in l. quod Nerua ff. depoſiti, n. 10.* & alij moderni, quod probatur

Primò ex *l. 1. ff. de leg.* vbi dicitur, nõ ſolùm ſciẽtes, ſed etiã ignorãtes eſſe trãſgreſſores legũ, quod debet intelligi de ignorantibus pœnam legibus ipſo facto impoſitam, & de ſcientibus legem.

Secundò, probatur rationibus, quia ignorantiæ pœna ad ſummũ facit, vt pœna non ſit voluntaria; hoc autẽ parũ refert, quia omnis pœna de ſe habet, vt ſit inuoluntaria, & tamẽ incurritur violata lege, per quã imponitur, ſi ſuſpẽditur fur, etiamſi pœnã reſtitutionis impoſitam furto ignorauerit, & Deus punit pœna æterna illos, qui ſciũt aliquid eſſe peccatũ, licèt ignorẽt pœnã ęternã peccato eſſe debitã.

Tertiò, quia ignorantia pœnæ, quantumcumq; ſit antecedens, non excuſat culpã in trãſgreſſione legis commiſſam, quia vt lex obliget in conſciẽtia, non oportet, vt in ea addatur pœna; ergo vt quiſquam agat contra conſcientiam, violando legem, non oportet, vt ſciat pœnam; illa ergo ignorantia non excuſat culpam; ergo nec pœnam, quia non ceſſante cauſa, non ceſſat effectus.

Quartò, quia ſi lex imponat pœnam ipſo facto, quamuis requirat declarationẽ iudicis, non eſt in poteſtate illius pœnã legis tollere, vel minuere, vt *ſuprà* probauimus, ſi abſolutè per ſententiã declaret reum cõmiſiſſe delictũ; quia tunc non ipſe illã imponit, ſed legiſlator; legiſlator autẽ nõ curat niſi an voluntariè violetur lex; quare etiãſi probet reus ſe pœnam legis ignoraſſe, adhuc illam ſubibit.

20. *Excommunicatio requirit ſui notitiam, vt incurratur.*

Dictum eſt *regulariter*, quia excipitur ſola, & dũtaxat pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ quia eſt medicinalis, & nõ imponitur niſi ob contumaciã, vt incurratur requirit ſpecialẽ ſui notitiã; vnde nõ ſufficit aliquid eſſe prohibitũ lege Canonica, ſed oportet ſcire eſſe prohibitũ ſub excõmunicatione, alioqui nõ incurretur excõmunicatio, atq; adeò nõ ſufficit habere notitiã legis, & illã violare, ſed requiritur inſuper, vt habeatur ſpecialis notitia pœnæ excommunicationis; ita docet expreſsè Soarius *tom. 5. de cenſ. diſp. 4. ſect. 9. n. 2. & 19.* vbi confirmat ea, quæ dixerat *dicto n. 2. & lib. 5. de leg.* & colligitur ex *cap. animarum, de conſt. in 6.* Soar.

21. *Opinio ſecunda.*

Secunda ſententia negat, & aſſerit, omnẽ pœnã, vt incurratur, ſiue ſit pœna excõmunicationis, ſiue non ſit, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſæcularis, requirere ſpecialẽ ſui notitiã, & nõ ſatis eſſe habere notitiã legis, vt pœna in ea contenta, ea violata, cõtrahatur, quamuis ipſo facto in ea imponatur, ſed vltra notitiã legis requiri etiã notitiã pœnæ in ea cõtentæ; ita Sanch. *lib. 3 de matr. diſp. 36. n. 3. in fin.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. cent. 2. caſu 185. n. 45.* Felinus *in cap. 2. de conſt. n. 6.* Ioannes Andr. *ibi, n. item 6.* Couar. *in reg. poſſeſſor, p. 2. §. 7. n. 7.* Fundamentum eſt, quia priuilegio non gaudet ille, qui nullam notitiam de illo habet, tantùm enim ſortitur effectum, & prodeſt illi cui conceditur, à tempore, quo certior de illo fit; vt patet ex *cap. ſi tibi abſenti, de præb. in 6.* vbi ſi alicui abſenti conferatur beneficium, illud non acquirit, donec talem col-

Sanchez. Menoch. Felin. Ioan. Andr. Couar.

lationem ſciat, & ratam habeat; & ex *l. qui abſenti, ff. de acquirenda poſſeſſione*, vbi ſeruus abſens cui libertatem dominus mittit, non cenſetur liber, niſi à tempore, quo certior factus fuerit de priuilegio libertatis; ſi ergo hæc ita ſe habent in priuilegiis, à fortiori erit in pœnis; quare nullo modo eas incurrent, niſi ſpecialem notitiam quilibet de illis habeat, cùm fauores ſint ampliandi, & pœnæ reſtringendæ.

22. Nihilominus ſententia Soarij *num.* 19. explicata ob illius fundamenta præualet: & ad argumentum de priuilegiis reſpondeo, aliud eſſe priuilegium, quod conceditur per modum cuiuſdam donationis, ſeu reſcripti; aliud per modum legis, quale eſt priuilegium perpetuum, quod conceditur communitati, aut alicui familiæ, vt in ea ſemper duret, & hoc vim legis habet, quia ſtabile eſt, firmum, & permanens; habet enim lex ea ſua natura quòd ſit perpetua, illud primum requirit ſui notitiam, vt priuilegium libertatis, quæ conceditur ſeruo abſenti, vel præſenti, & collatio, ſeu potiùs donatio beneficij, quod confertur abſenti, hoc ſecundum non requirit notitiam, vt quis illo gaudeat, nam à tempore conſtitutæ legis, qua priuilegium certo perſonarum generi conceditur communitati, gaudent illo, ij omnes, quibus conceditur, maximè ſi concedatur ob aliquod facinus ad incitandum alios ad aliud ſimile in bonum commune edendum, ac perpetrandum, quia fauores ſunt ampliandi, pœnæ reſtringendæ. Nec inde ſequitur pœnas requirere ſpecialem ſui notitiam, vt incurrantur, excepta vnica cenſuræ pœna, quia vt probatum manet in ſecunda opinione, *num.* 19. explicata, ſufficit, vt incurrantur, leges violare, licèt pœnæ illarum ignorentur.

CAPVT XXVI.

Quouſque indices, teſtes, & Tabelliones peccent contra iuſtitiam aliquid accipiendo, & ad reſtitutionem teneantur, & an pro fauore adnexo iuſtitiæ, poſſint pretium accipere.

SVMMARIVM.

Iudices tam ciuiles, quàm Eccleſiaſtici, tam Ordinarij, quàm delegati, ſi aliquod ſtipendium pro actione ſui muneris iuſtum. conſuetudine, aut lege taxatum habent, peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ſi illud excedant, numero 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Quid de emolumentis, quæ Luſitanè, proes, & precalços *vocantur.* num. 7.

Quid ſi pretium iuſtum olim taxatum, ſit iam hodie ratione temporis iniuſtum. num. 8. & 9.

Quid de miniſtris Regij Palatij quibus olim congruũ ſtipendium, & alimentum aſſignatum fuit, hodie tamen iam eſt tenuiſſimum, & perexiguum, n. 10.

Quid de iudicibus, quibus ratione muneris, perexiguum ſtipendium taxatum fuit, ſunt tamen in via adipiſcendi officia ditiora. num. 11.

Si quis à iudice, Tabellione, vel alio miniſtro publico petat aliquid vltra obligationem ſui muneris, tenetur illi debitum pretium ſoluere. num. 12.

Iudex, qui ex partibus aliquid accipit, pro iuſta, vel iniuſta ſententia ferenda, ſiue ferat, ſiue non ferat, an peccet contra iuſtitiam, & teneatur illud reſtituere. num. 13. remiſſiuè.

Quo fundamento lex Luſitaniæ, certum quid vltra laborem, & induſtriam, & expenſas iubeat inuentori accipitrum dare, ſi ſit venditor, n. 14. & 15.

An ſicut peccat miniſtri iuſtitiæ accipiendo munera, Luſitanè peitas, peccent etiam ea illis dãtes, n. 16.

Quid ſi ad redimendam vexationem donent, & quibus in caſibus redimi poſſit vexatio, n. 17. 18. & 19.

An ſicut illi, qui lege iuſtitiæ, tenentur aliquid efficere, obligantur in conſcientia reſtituere id quod acceperunt pro illa facienda, teneantur etiam illi, qui lege charitatis, aut aliarum virtutum aliquid tenentur efficere. num. 20. 21. & 22.

An iudices, Tabelliones, & teſtes teneantur de iuſtitia reſtituere damnum, quod in iudicando, & falsò teſtificando dederunt. num. 23.

Quid ſi per negligentiam culpabilem damnum dederunt. num. 24.

An iudex qui ſe ſentit illiteratum, & inſufficientem ad iudicandum, peccet contra iuſtitiam, n. 25. & 26.

An liceat iudicis concubinam adire, & ei munera mittere, vt pro litigantibus iudicẽ oret, n. 27. 28. & 29.

AGENDVM hîc eſt de eo, quod miniſtri iuſtitiæ vltra ſtipendium, ac ſalarium lege, aut conſuetudine taxatum, in pretium ſui muneris exercendi accipiunt; quæ autem ex mera liberalitate, & grato animo aliunde ſibi donantur, quouſque licitè, vel illicitè, illa poſſint accipere, *cap. ſequenti* reſeruamus.

Statuo ergo primò, iudices, Tabelliones, & quicumque alij miniſtri iuſtitiæ, tam ciuiles, quàm Eccleſiaſtici, tam delegati, quàm ordinarij, qui pro aliquo actu ſui muneris exequendo vel faciẽdo certum, ac iuſtum ſtipendium habent, lege, aut conſuetudine taxatum, nihil amplius in pretium, pro eo munere exercendo poſſunt accipere, & ſi illud accipiant, peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, ante ſententiam latam parti danti faciendam; poſt ſententiam verò ei, cui ſententia dixerit, ac præſcripſerit; ita docet expreſsè Molina Theolog. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 83. *initio, folio mihi* 301. *col.* 1. Couarr. *ad reg. peccat. p.* 2. *§.* 3. *n.* 1. *&* 2. Molina *de reſt. q.* 2. *art.* 2. *§ contigit*, & fuſiùs *q.* 25. Nauarr. *in ſumma Lat. cap.* 17. *n.* 33. Adrian. *quodlib.* 10. *art.* 1. *& in* 4. *q.* 19. *col.* 4. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 6. *concl.* 9 Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *n.* 63. Caietan. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. quod peccatum ad concuſſionis, & calumniæ vitium ſpectat, iuxta D. Auguſtinum relatum *in cap. militare* 23. *q.* 1. à quo Ioannes Baptiſta *Lucæ* 13. milites admonebat, vt abſtinerent; *Neminem concutiatis, contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Probatur, — 1. *Concluſio Prima.* — Molina. Couar. Molina. Nauar. Adrianus. Gabriel. Leſſius. Caiet.

Primò, quia miniſtri iuſtitiæ, qui iuſtum aliquod ſtipendium lege, vel conſuetudine taxatum habent, pro exercendo ſuo munere, vel actu aliquo ſui muneris obeundo, ſub ea conditione, & pacto officium à Principe, vel à Republica tacito, vel expreſſo acceperunt, vt pro eo præmio, & pretio, & non pro maiori munus ſuum, vel actum muneris ſui exerceant; igitur ſi pro maiori exerceant, peccant contra iuſtitiam, & pactum conuentum, & tenentur illum maiorem exceſſum reſtituere.

Secundò, quia illi de iuſtitia tenentur, pro eo pretio, munus ſuum obire; ad id enim ſe tacitè, vel expreſsè obligarunt; ergo cõtra iuſtitiã peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi aliquid ampliùs accipiant. Cõfirmatur, quia ſi pro huiuſmodi rebus fas eſſet aliquid in pretiũ accipere, ſequeretur iniuſtos hominum aggreſſores, poſſe aliquid iuſtè accipe-

re, ne eos interficiant, nec teneri poſtea pretium reſtituere, quo nihil poteſt dici magis ridiculum, & abſurdum.

Tertiò, quia qui recipit aliquid contra legem, talem receptionem prohibentem, & annullantem, non facit rem ſuam, & tenetur illam reſtituere; ſed leges tam ciuiles, quàm canonicæ, tam iuris communis, quàm Regnorum particularium, & præſertim huius Regni Luſitaniæ, prohibent, & irritant talem acceptionem; ergo tenetur in conſcientia, qui aliquid accipit, illud reſtituere.

Minor, huius argumenti patet, de iure Canonico, ex *cap. ſtatutum. §. ſi quid, & §. inſuper, de reſcr. lib. 6.* vbi præcipiuntur iudices delegati reſtituere ea, quæ vltra ſibi debita, & iure conceſſa à partibus acceperint, & dicitur ſolam remiſſionem eius, cui reſtitutio facienda eſt, non excuſare iudicem delegatum ab onere reſtituendi; notat autem Panormitanus *in cap. cùm ab omni, de deſcript. à n. 9.*

Molina. & Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 84. verſ. Panormitanus, fol. mihi 515. col. 1.* id à fortiori procedere in iudicibus ordinariis, addit tamen, & bene, Molina *ibi in §. ſuperiori, incip. gloſſa capitis, ſi is, cui facta fuit talis reſtitutio,* id ſtatim donet ac reddat reſtituenti, valere talem donationem, modò ſincerè id fiat, & non ex fraude, & modò iudex, & officialis, qui reſtituit, iam non ſit iudex, aut officialis; nam ſi adhuc ſunt tales, legitimè ſunt impediti, ne aliquid validè, & licitè accipiant, & cum Molina idem ſentit gloſſa *in dicto cap. ſtatutum, de reſcript. §. ſi quid,* & hæc ſententia mihi placet, quia plus eſt donare aliquid poſt reſtitutionem factam, quàm reſtitutionem remittere, *& cap. citatum,* ſolum hoc ſecundum reddit, inualidum, non illud primum; maximè, quia odia, & pœnæ ſunt reſtringendæ, non ampliandæ.

3. De iure communi patet illa minor, ex *l. plebiſcito, ff. de officio Præſidis, & l. ſolet, §. vltimo, ff. de officio Proconſulis,* & ex *Authentico, vt iudices ſine quoquo ſuffrag. fiant, §. ſcriptura eſt exemplar*; nam lex *ſolet,* explicat legem *Plebiſcito,* & aſſerit, cùm munera accipi prohibentur, non intelligi comprehendi *xenia,* id eſt, munera leuiſcula in cibo, & potu, quæ pauciſſimis diebus, hoc eſt, vt explicat gloſſa *in l. plebiſcito* intra duos dies conſumi poſſunt; at affirmat etiam *ibi* prædicta gloſſa, & alia in Authentico modò allegato, iam hodie, neque de iure ciuili communi fas eſſe iudicibus accipere huiuſmodi xenia vltra ſtipendium debitum in pretium muneris exequendi; ſed rigoroſa nimis eſt hæc gloſſa, quod patet expreſsè ex prædicto Authentico, ibi, *Nihil penitus ab eis accipientes,* & poſt pauca, *ſicut curialibus parcere te volumus, ita defenſorum caſtigare, & retinere auaritiam ſancimus, & ab eis præſumere, accipere à noſtris ſubiectis, niſi ſecundum quod eis adminiſtrat,* id eſt, concedit, vel taxat. *Reſpublica, aut ſi non eſt aliquod publicum ſolatium,* ſupple lege, vel conſuetudine taxatum, *quantum eis inculpabilis antiquitas definiuit, vt ab ſpontaneis ipſis, magis, quàm ab inuitis accipiant; & hoc parum, & ad mediocrem vitæ ſuſtentationem,* id eſt, intra vnum, aut duos dies, iuxta gloſſam legis *Plebiſcito. Sciant enim, quia ſi citra hæc aliquid acceperint, non ſolum quadruplici ſubiacebunt pœnæ, ſed etiam exilium habebunt continuũ, prius eis plagis corporeis infligendis.* Hæc ibi. Vnde patet, ius illud Canonicum, ex *c. ſtatutum,* allegato, iuxta hoc authenticũ fuiſſe ſancitum, & fortè ex illo deſumptũ.

4. Probatur de iure Luſitano. De iure Luſitano, patet ex multis locis, & præſertim ex *lib. 5. nouæ Ordinat. titul. 71.* vbi prohibentur omnes iudices, quicumque illi ſint, ſibi, aut filiis ſuis, aut alicui eorum, qui in ſua familia continentur, aut ſub illorum cura ſunt, aliquid à quacumque perſona accipere, etiamſi nullam cauſam, negotium nullum, coram illis habeat, ſub pœna vigenariæ reſtitutionis, & iacturæ, ac amiſſionis officij, & quicumque eis aliquid donauerit, omnia bona ſua amittit, quorum dimidium accuſatori, & alterum dimidium Regali fiſco addicitur, & amittit inſuper omnia officia, aut alimenta, ſi quæ ex Regis dono habuerit, & inſimul ad quinquennium in exilium pellitur ad officium; imponuntur etiam ibi aliæ multæ pœnæ ſcribis, & omnibus publicis officialibus iuſtitiæ, quæ inibi videri poſſunt: ex quibus facile eſt coniicere, voluiſſe Reges piiſſimos Luſitaniæ eos antecedenter reddere inhabiles ad prædictorum munerum acceptionem.

Et vniuerſim in iure Luſitano prohibentur omnes miniſtri iuſtitiæ accipere pro vnoquoque miniſterio ſui muneris quicquam amplius, quàm vnicuique eorum taxatum, aut præſcriptum fuerit, lege, aut conſuetudine, ſub grauiſſimis pœnis, quæ inibi, & ſub ſuis titulis videri poterunt. 5.

De iure Caſtellæ id patet ex *lib. 3. nouæ collect. tit. 9. l. 3. & l. 6. & 5.* vbi prohibentur vniuerſim iudices accipere per ſe, aut per alios aliquid in eſca, etiam & potu, à quibuſcumque qui vel cauſam coram ipſis habeant, vel ſint habituri, aut iam habuerint antea, nec non ab aliis, qui horum intuitu aliquid ipſis dederint, ſub pœna amiſſionis officij, & inhabilitatis ad quæcumque alia habenda, vel exercenda; & vt ſoluant, quod ita acceperint, & inſuper duplum fiſco Regio, & puniantur præterea arbitrio Regis. 6. De iure Caſtellæ.

Qui autem huiuſmodi munera iudicibus dederint, immunes ſunt à pœna, ſi rem detegant, & tres teſtes ſingulares, quid de diuerſis numero criminibus teſtificentur, ſatis ſunt, vt iudex condemnetur; modò teſtes ſint omni exceptione maiores. *lib. etiam 4. eiuſdem collect. tit. 16. & 17.* taxantur Tabellionibus ſtipendia, quæ pro vnaquaque ſcriptura, & munere exequendo accipere poſſunt, & eis præcipitur, vt nihil amplius accipiant, etiamſi merè gratis, & liberaliter illis offeratur, ac detur ſub grauiſſimis pœnis, quæ ibi apponuntur.

Dixi in concluſione, certum, & iuſtum ſtipendium *conſuetudine taxatum,* quia ſunt aliqua emolumenta, quæ Luſitanè *proes, & precalços,* vocantur quæ publica authoritate expreſſa, vel tacita, & ex conſuetudine recepta licitè, & iuſtè accipiuntur, & quæ quaſi in complementum ſui ſtipendij iudicibus, & aliis officialibus iuſtitiæ conceduntur, vt pro ſubſcriptione, pro ſigillo, pro ſportulis; quæ quidem ſportulæ, vt notat Molina *dicto tom. 1. de iuſt. diſp. 83. verſ. quod autem,* à pauciſſimis annis in hoc Regno Luſitaniæ in aliquibus caſibus, & cauſis ſunt introductæ, & iuſtè recipi poſſunt, iuxta Molinam modò *allegatum.* 7. Quid de emolumentis. Molina.

Dixi etiam, *certum, & iuſtum ſtipendium lege taxatum,* quoniam ſi conſtat non eſſe iuſtum, accipere poſſunt argumentum vſque ad limites iuſti pretij pij, abſque obligatione prædictæ reſtitutionis, idque maximè ſi conſuetudine eſt introductum; ſed quoniam rerum pretia quotidie augentur, ſanè pretium, quod propter pecuniæ paucitatẽ olim erat iuſtum, hodie propter incrementum illius in rebus omnibus poteſt eſſe iniuſtũ. Vnde niſi mutatio legum fiat, fieri poterit, vt iuſtum pretium iam pridẽ lege taxatũ, ſit modò manifeſtè iniuſtũ infra pium, 8. Quid ſi pretium olim fuit iuſtum, hodie tamen eſt iniuſtum.

quod

quod ſi ita alibi, & extra hoc Regnum Luſitaniæ fuerit, non ſunt obligandi in conſcientia ad reſtitutionem Tabelliones illi, qui vſque ad iuſtum pium acceperint; aſſero *extra hoc Regnum Luſitaniæ*, quia circa honorem optimè, non ita pridem prouiſum fuit in nouis ordinationibus, vbi tam aucta fuerunt Tabellionum ſtipendia, vt multi conquerantur plus iuſto, & cum magno populorum grauamine fuiſſe aucta; ſed ita viſum fuit ad cohibendam multitudinem litigantium, & commendandam obſeruantiam iuſtitiæ huiuſmodi hominibus. Er ratio eſt manifeſta, quoniam lex iniuſta, qualis eſt illa, quæ extra hoc Regnum reſpectu huius temporis tenuiſſima ſtipendia Tabellionibus taxat, in conſcientia non obligat; quare non tenentur huiuſmodi Tabelliones (& idem de cæteris iuſtitiæ miniſtris) illi ſtare, neque illi, & cæteri miniſtri publici, tenentur deſerere publica officia Reipublicæ neceſſaria, ipſiſque collata, & quæ ab eis in commune beneficium vtiliter exercentur; ita docet Molina *tomo 2. de iuſtitia, diſp. 83. verſ. vt ad rem redeamus.* D. Anton. 2. *part. tit. 2. cap. 5. §. 1. & 3. cap. vlt. §* 11. Sylueſter *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 5. *pronunciato* 10. quos citat Molina *allegatus*. Sylueſter tamen *ibi* ſolùm dicit miniſtros iuſtitiæ teneri reſtituere, ſi habeant ſufficiens ſtipendium, & ſunt (vt verbis illius vtar) ſufficienter ſalariati, quidquid conſuetudine vltra ſtipendium accipiunt, quia talis conſuetudo cenſenda eſt peſſima corruptela ex immenſa proueniens acquirendi libidine, aliàs excuſabuntur, id eſt, ſi non ſint ſufficienter ſalariati, talis enim conſuetudo rationabilis tunc eſt, cùm ſeruiant Reipublicæ, & nemo cogatur de ſuo præſtare beneficium, hoc *ibi* ait Sylueſter, ex quo bene ſequitur, non eſſe huiuſmodi miniſtros ad reſtitutionem illius pretij obligandos, quod vſque ad iuſtum, ac pium pretium auxerint, & acceperint. Pretium autem hoc non eſt æſtimandum ex indigentia illorum ad alendam familiam, ſed ex opere, & obſequio, quod præſtant arbitrio prudentis, conſiderata quantitate, & qualitate operis, & obſequij ab illis præſtiti.

Pretij ſtipendium in Luſitania Tabellionibus auctum, & quare.

Molina. D. Anton. Sylueſter.

9. Dictum eſt poſſe eos iuſtè accipere incrementum pretij vſque ad limites iuſti pretij pij, quoniam ſi lex illis decreuiſſet pium pretium, lex eſſet iuſta, & ſeruanda; nefas autem videtur propria authoritate, quando pretium eſt lege taxatum, & temporum varietate, ac viciſſitudine eſt ad infra iuſtum redactum, illud extendere, & augere, niſi vſque ad eos terminos, qui limites iuſti attingant, ſic Molina *citatus* diſcurrit, & optimè; nam etiamſi pretium ſupremum, & rigoroſum ſit etiam iuſtum, non tamen opus eſt hos officiales, ac miniſtros iuſtitiæ ſalario, ac ſtipendio ſupremi, & rigoroſi pretij ditare cum Reipublicæ ſtipendio.

10. *Quid de miniſtris Regij Palatij.*

De miniſtris Regij Palatij, quibus olim quando minor erat copia pecuniæ, & maior parcimonia, decretum fuit tenue admodum ſtipendium, quod reſpectu illius temporis congruum viſum fuit, hodie tamen congruum non eſt. Nihil audeo aſſeuerare, imò potiùs arbitror eos propria authoritate nullam poſſe capere compenſationem, & ita ſentit etiam expreſsè Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 83. verſ. de Miniſtris autem.* Ratio eſt,

Molin.

Primò, quia Rex plurimos miniſtros inueniet, qui pro eo ſtipendio, & fortè pro inferiori in eo miniſterio ei inſeruiant, & fortaſſe meliùs, neque tenetur Rex eis competentem alimoniam miniſtrare, ſed iuuamen quoddam alendæ vitæ, facilè enim inueniet ditiſſimos, qui pro eodem iuuamine illi inſeruiant.

Secundò, quia Reges rogati ſæpe, & precibus fatigati, & ſine vlla neceſſitate eos accipiunt in miniſtros & famulos domeſticos.

Tertiò, quia inde ad alia maiora, & ſibi vtiliora commoda, & officia promouentur, & ſub ea ſpe inſeruiunt, quæ ſpes eſt pretio æſtimabilis, vt patet.

11. *Quid de iudicibus, & officialibus.*

Idem dicendum eſt iuxta Molinam *modò allegatum* de iudicibus à Rege conſtitutis, qui ſi dignè ſua munera obeant, ad alia maiora & vtiliora ſolent à Rege promoueri. Illud tamen animaduertendum eſt nos in hac concluſione, & in tota hac doctrina hîc tradita ſolùm locutos fuiſſe de eo, quod prædicti miniſtri iuſtitiæ vltra ſtipendium, ac ſalarium lege, aut conſuetudine taxatum, in pretium alicuius actus ſui muneris accipiunt. Quouſque autem donationes aliquas ex mera liberalitate, & grato animo poſſint accipere, dicemus infrà *in cap. ſequenti.*

12. *Concluſio ſecunda.*

Statuo ſecundò, ſi quis à iudice, Tabellione, aliòve miniſtro publico petat, vt aliquid efficiat vltra id, quod ex obligatione muneris ſui pro pretio taxato facere tenetur, vt quod plus laboris, diligentiæ, vel ſtudij, quàm tenetur, negotio ſuo impendat, vel iter faciat, & accedat, quò accedere non tenetur, vel à Tabellione poſtulet, vt ſcripturam, quæ papyro ſolet inſcribi, pro qua certum ſtipendium & pretium eſt lege, & conſuetudine taxatum, ſcribat in membrana coriacia, idque laborioſiùs ſcribat, aut aliud quid ſimile efficiat, poteſt pro iis, ad quæ ex munere ſuo non tenetur, moderatum pretium licitè, & iuſtè vltra taxatum, & conſuetum pro ordinario labore accipere. ita Nauarrus *in opuſculo de datis, & promiſſis pro gratia & iuſtitia, in fine, num. 47. &* 48. Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 83. verſ. Deinde.* Ratio eſt, quia id pretio eſt æſtimabile, & miniſter publicus non tenetur id facere pretio lege taxato.

Nauarr. Molina.

13. An verò, ſi iudex, teſtis, & Tabellio, qui à partibus litigantibus, vel ab aliqua alia tertia perſona, munus aliquod, aut munera, *Peitas* vocant Luſitani, accipiunt pro iuſta ſententia ferenda, teſtimonio, aut inſtrumento iuſto conficiendo vltra pretium ſibi iuſtè taxatum, ſiue iudex ſententiam ferant, ſiue non ferat, & teſtis teſtimonium, & Tabellio prædictum inſtrumentum conficiat, aut non conficiat, teneantur illud ſtatim danti in conſcientia reſtituere, antequam ab illis id ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, petatur, quod idem dicendum eſt, ſi aliquid pro iuſtitia differenda accipiant, docent Sayrus *in claui Regia, lib. 9. cap. 10. §. Sic etiam.* Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 6. concluſ. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 9. num. 64.* aliàs *dub. 8. num. 55.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 32. art. 7.* Couarruuias *ad regulam Peccatum, part. 2. §. 3. & 2. num. 1.* Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 83. verſ. Illud in primis, & verſ. pro ſecundo eorum, & diſput. 88. initio.* Sotus *lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 7. art. 1.* Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 17. num. 33. & cap. 25. num. 45.* Adrianus *quodlibeto 10. art. 1.* & patet ex *l. 2. ff. de cond. ob turpem cauſam*, vbi id reſoluunt affirmatiuè, ex eo fundamento, quòd miniſtri ſunt iuſtitiæ conducti à Regibus, & Principibus debito ſtipendio ad adminiſtrandum iuſtitiam populo, & quòd contra iuſtitiam, & contractum faciant, ſi aliquid pro illa adminiſtranda accipiant tam à partibus litigantibus, quàm à quacumque alia interpoſita perſona nomine partium.

Sayrus. Gabriel. Leſſius. Caiet. Couar. Molina. Sotus. Nauarr. Adrianus.

Sed hac de re redibit ſermo *cap.27. à num.14. & cap. 42. à num.19.* vbi alia etiam fundamenta pro hac parte aſſignabimus, & videbimus an etiam idem iudex, teſtis, & Tabellio teneantur reſtituere id, quod pro iniuſta ferenda ſententia, teſtimonio, & pro iniuſto inſtrumento conficiendo acceperunt.

14. 15. Dubitant tamen DD. quo iure, & qua iuſtitia iubeant leges Luſitaniæ *lib. 5. nouæ recopilationis, tit.62.§.3.* vt vltra expenſas factas in alieno accipitre capiendo, & conſeruando, teneatur dominus illius ſoluere inuentori, ſi inuentor ſit venator, certum ſtipendium pro ipſa inuentione, & dominus ſerui fugitiui, certum etiam quid inuentori ipſius ſerui, & vt huiuſmodi inuentores poſſint retinere huiuſmodi res inuentas, quouſque illis hoc pretium ſoluatur, cùm tamen inuentor rei alienæ de iuſtitia teneatur illum domino reſtituere. Et

Molina. optimè reſpondet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 83. verſ. dicendum,* id non ſolui in pretium pro reſtitutione rei inuentæ, ſed ſolui pro labore, & moleſtia in his rebus capiendis, & retinendis, & id meritò authoritate publica ſtatui, non tam in pretium laboris, & induſtriæ illorum, quàm in præmium inuentionis, habita ratione publicæ vtilitatis, vt venatores in capiendis accipitribus, & alij in capiendis ſeruis fugitiuis ſint diligentiores, ne huiuſmodi res ſuis dominis, cum detrimento Reipublicæ pereant; poſtquam autem hoc publica authoritate, in commune bonum ſunt ſtatuta, aut priuata dominorum authoritate inuentoribus re ipſa promiſſa, in conſcientia, & in exteriori foro illis debentur, non quidem ex vi reſtitutionis rerum inuentarum, ſed ex vi promiſſionis publica, aut priuata authoritate factæ: ita reſpondet doctè plenè, & ingenuosè Molina *allegatus*.

16. Sed petes, an non ſolùm contra iuſtitiam peccent iudices, & Tabelliones, & alij miniſtri iuſtitiæ, qui munera accipiunt, *Peitas* vocant Luſitanè, pro ferenda iuſta ſententia, & pro obeundo munere ſuo, quod de iuſtitia tenentur obire; ſed etiam contra obedientiam legis peccent ij, qui eis ea munera donant, exiſtente lege, quæ collationem, & acceptionem talium munerum prohibeat. Partita eſt opinio.

Opinio prima. Sotus. Sotus *lib.4 de iuſt. quæſt.7. art.1. ad 2.* ait peccare, quia leges iuſtæ, quales ſunt omnes, has collationes, & acceptiones prohibentes, obligant in conſcientia ſubditos; ergo peccant contra illas, qui illas violauerint, & maximè in hoc Regno Luſitaniæ, in quo tam ſeuerè prohibentur, vt ſub pœna amiſſionis omnium bonorum, hæ munerum dationes prohibeantur; vt diximus *num. 3.*

Opinio ſecunda. Secunda tamen opinio, quæ eſt communis Doctorum, negat, cùm quis ad redimendam ſuam vexationem id facit; ſecus ſi citra hanc cauſam faciat; ita docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp.83. verſ. an verò, ad initium diſputationis, tract.2.* & communiter omnes. Ratio eſt, quia leges non prohibent iuſtas munerum oblationes, quales ſunt iſtæ, quæ dantur ad redimendam vexationem, alioqui tales leges eſſent iniuſtæ, ſed prohibent iniuſtas, & illicitas, alioqui peccarent etiam illi, qui dát mutuũ vſurariis nolentibus date, niſi pro mutuo, & qui aliquid promittunt, & dant latronibus, ne occidantur, & maleficium inferre volentibus, ne inferant, cùm aliter nec illi ab iniuſta occiſione, nec iſti, à maleficio ceſſare nolint, quod quis dicet? nam cùm iſti licitè ceſſare poſſint, & illi licitè, & illicitè mutuum dare, ſibi peccatum imputent, ſi id faciunt illicitè, & cum peccato; cùm ille, qui munera dat, non det, vt illicitè faciant; ſed vt faciant id quod licitè facere poſſunt, & ad redimendam ſuam vexationem, vt patet.

Tunc autem aliquid ad redimendam vexationem iudici, & miniſtris iuſtitiæ, quis offert & donat, quando moraliter certus eſt, ſe iniuſtè vexari, neque alia ratione poſſe euadere hanc iniuſtitiam, niſi munus offerendo, vnde qui certus moraliter eſt, miniſtrum iuſtitiæ ſibi non præſtiturum id, ad quod de iuſtitia tenetur, niſi ei ea munera offerat, & dono mittat, ad redimendam hanc vexationem, & iniuriam ſibi paratam, licitè poteſt ea mittere, & offerre: vt docet Molina *dicto tom.1. initio, verſ. an verò.* 17. *Quando aliquid detur ad redimendam vexationem.* Molina.

In dubio autem, an iniuſtitia illi fiat, vel non fiat, cùm ex affectu ad proprium commodum quis timeat ſe fore iure ſuo, & iuſtitia fraudandum, nefas eſt munus offerre, nec forte aliquid aliud voluit Sotus *allegatus*, cùm dixit peccare eos contra leges prohibentes munerum donationes, ſi aliquid donant ad redimendam ſuam vexationem.

Rurſus datur aliquid ad redimendam vexationem, licitè, & ſine peccato ex parte dantis, & cum peccato, & obligatione reſtitutionis ex parte recipientis, quando aliquid eſſet inuentum, & inuentor ſua nequitia tem nollet ſuo dominio tradere, niſi aliquid vltra expenſas, & laborem, & vltra id quod lege illi, & authoritate publica in præmium ſtatuitur, ei donetur, aut promittatur, tunc enim in conſcientia illud ei non deberetur; niſi iuramentum accedit, & teneretur illi reſtituere, ſiue cum iuramento, ſiue ſine iuramento detur, aut promittatur, quia donatio illa non eſſet ſpontanea; ſed merè coacta, & inuoluntaria; ita Molina *tom.1. diſp.83.§. dicendum eſt, infra medium.* 18. Molina.

Item datur aliquid ad redimendam vexationem ab oppoſitoribus, & litigantibus, non ſolùm, quando, niſi detur, imminens eſt periculum quòd iuſtitia illorum euidenter periclitetur, ſed etiam vt publici miniſtri, qui æquales omnibus candidatis eſſe debent, illos audiant, negotia eorum expediant, munera Reipublicæ pro meritorum qualitate diſtribuant, cùm prætermiſſis dignioribus, ea dignis largiuntur; tunc enim facto iudicio practico, quòd ſua merita comparatione aliorum meritorum, longè lateque excedant, poterit quiſque munera licitè donare eiſdem miniſtris, vt illum audiant, perpendant ſua merita, & vt illos ob ea munera ad officia admittant, quæ donatio ſimiliter ex parte dantis erit licita, & ex parte recipientium illicita, & contra iuſtitiam diſtributiuam; in dubio autem, an illius merita excedant, nihil poterit elargiri, cùm in dubiis melior ſit conditio miniſtrorum, qui diſtribuendis muneribus deſtinantur, ita mihi videtur ſentire Molina *tom. 1. de iuſt. diſp.88. verſ. porrò datur, ad medium.* 19. Molina.

Sed dubium hîc inſurgit non vulgare, an ſicut illi, qui ex iuſtitia aliquid tenentur facere, ſtatim in conſcientia tenentur pretium reſtituere, ſi nolint id efficere ſine illo; ſic etiam omnes, qui non ex iuſtitia, ſed ex charitate, aut ex religione, aut aliarum virtutum obligatione aliquid efficere tenentur, ad reſtitutionem teneantur, ſi non niſi dato, & accepto pretio efficiant, eſt partita opinio. 20.

Prima omnino negat, eam docet Sotus *lib.4. de iuſt. quæſt.7. art.1.* vbi aſſerit, ad reſtitutionem ſolùm teneri illos, qui aliquid accipiunt, vt efficiant ea, ad quæ iuſtitiæ legibus obligantur, non autem accipientes, vt ea efficiant, ad quæ non ex iuſtitiæ *Opinio prima.* Sotus.

legibus,

legibus, ſed aliarum virtutum tenentur, quales ſunt, qui aliquid accipiunt, vt non meretricentur, vt rectè, & honeſtè viuant, vt Miſſam audiant, quando ad id tenentur, vt à ſacrilegiis abſtineant, vt impediant ne contra magiſtratus rebellio fiat, ne quis ſit mendax, ne ſe vindicet indebitè, & ne alia id genus delicta perpetret, quæ non ad legem iuſtitiæ, ſed ad aliarum virtutum leges pertinent.

21. *Opinio ſecunda.* Nauar. Medin. Couarr. Secunda omnino affirmat, eam tenet Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 33. *verſ. ſed contra.* Medina *quæſt.* 16. *de reſt.* Couarr. *ad regul. peccatum, part.* 2. §. 3.

Primò, quia *lex* 2. *ff. de condict. ob turpem cauſam*, ſtatuitur repeti poſſe id, quod alicui datur, ne ſacrilegium committat: conſtat autem legem, quæ vetat ſacrilegium, ad virtutem Religionis, non iuſtitiæ pertinere, iuxta D. Thomam communiter receptum 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 1. & 3. D.Thom.

Secundò, quia gloſſa *in l.* 4. *eodem tit.* diſertè ait repeti poſſe id, quod datur alicui ne fiat meretrix, & tamen conſtat pellicarum, & meretricatum eſſe contra legem temperantiæ, non contra legem iuſtitiæ.

Tertiò, quia eadem *leg.* 4 § *finali*, aſſeritur repeti poſſe id, quod datur furi, vt ſocium eiuſdem furti indicet, ad quod potius lege charitatis, quàm iuſtitiæ tenetur.

Quartò, quia *in l. quod euitandi, eodem titulo*, expreſsè aſſeritur repeti poſſe id, quod datur ab eo, qui ad militiam eſt ineptus duci delectum militum facienti, vt eum à tyrocinio excuſet, & tamen delectum militum faciens, tenetur illum rectè & exactè facere, potius ex lege militari, quæ pertinet ad fortitudinem, quàm ex lege iuſtitiæ ſaltem commutatiuæ.

Quintò, quia eadem ratio militat in iuſtitia, atque in aliis virtutibus; turpitudo enim venditionis, & facti in eo conſiſtit, quòd quis accipit pretium, & mercedem pro eo, quod ſine pretio, & mercede tenetur facere; quæ ratio æquè in iuſtitia, & aliis virtutibus procedit.

22. *Opinio prima præualet.* Nihilominus ſententia Soti mihi probabilior videtur.

Primò, quia aliud eſt loqui de obligatione reſtituendi in foro conſcientiæ, aliud in foro externo; in foro enim conſcientiæ ſolùm ad reſtitutionem tenentur illi, qui pretium accipiunt, pro iis faciendis, ad quæ aliunde ex lege iuſtitiæ tenentur; in foro autem externo meritò legibus cauetur, ne accipiatur aliquid, & ſtatim reſtituatur etiã in quadruplo, ſi pro iis gerendis donetur quidquam, ad quæ quis non ex lege iuſtitiæ tantùm, ſed ex lege etiam aliarum virtutum obligatur. nam cùm leges ciuiles ad pacem Reipublicæ dirigantur, & Principes bene moratos deſiderent ſuos ciues, ideo ſub hac pœna reſtitutionis, & aliis ſimilibus eos ad exercitium aliarum virtutum, ne in Republica impunè peccata committantur, obligant.

Deinde prædictæ leges politicæ ſemper aliquid contra legem iuſtitiæ in iis commiſſum conſiderant, ratione cuius, & damni eos ad talem reſtitutionem obligant; vt in ſacrilegio, & in duce delectum militum faciente, ille enim cùm ad id à Rege, vel Principe ſtipendio conducatur, ex obligatione officij ſui, & ex vi contractus, tacitè cum Principe illum ad id minus pro ſtipendio conducente inito, & lege iuſtitiæ, non fortitudinis, tenetur bonum delectum efficere, & ineptos ad militiam reiicere, aptos conſcribere, vt patet.

Statuo tertiò tam iudices, quàm Tabelliones, teſtes, & cæteræ perſonæ ad iudicium concurrentes, peccant mortiferè contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem damni illati, iis omnibus tenentur, quibus illud intulerunt, ſi ſcienter à iuſtitia defecerint, deducitur ex dictis, & patet in ſacra pagina Deut. 17. *Iudices conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent, non accipient perſonam, neque munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* Docent communiter DD. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 6. *concluſ.* 1. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 53 Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum Decalogi cap.* 10. *num.* 298. Armilla *verb. index, num.* 14. Syluester *verb. reſtitutio* 3. *num.* 5. *quæſt.* 2. gloſſa *in cap. quoniam contra, de probat.* Panormitan. *ibi*, & communiter omnes; & conſtat expreſsè ex *cap. ſi culpa tua, de iniurÿs, & damn. dat.* Fundamentum eſt, quia qui alteri iniuſtè, & per iniuriam eſt cauſa efficax alicuius damni, illud ei tenetur reſtituere; atqui iudex, & huiuſmodi perſonæ ad iudicium concurrentes, vt Tabelliones, ſcribæ, teſtes, Procuratores, accuſatores, ſi ſcienter, & malitioſè à iuſtitia deficiant, ſunt efficaces iniuſtæ, & iniquæ cauſæ damni, iis omnibus, in quorum cauſis ſcienter à iuſtitia, & veritate deficiunt; igitur omnibus illis ad reſtitutionem tenentur. Minor patet in iudicibus, Tabellionibus, & Procuratoribus, quia cùm hi ex officio, & ratione ſui ſtipendij & ſalarij de iuſtitia teneantur omnibus iuſtitiam adminiſtrare, & iuſtum iudicium facere, ſequitur, vt contra iuſtitiam efficiant, & ad reſtitutionem teneantur, ſi id non fecerint. 23. *Concluſio tertia.* Gabriel. Filliuc. Nauar. Armilla. Syluester.

De teſtibus id docet expreſsè Molina *tom.* 1. *de iuſtitia diſp.* 83. §. *de teſtibus.* Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 6. *concluſ.* 7. & Nauarrus *in ſumma Latin. cap.* 17. *num.* 34. *ad finem; & in repet. capitis, inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *corollario* 63. Leſſius *lib* 2. *cap.* 19. *dub.* 9. *num.* 65. ibi, *Teſtis tenetur reſtituere id, quod accepit, vt verum teſtimonium diceret, etſi enim non ſemper ex iuſtitia teneatur teſtari veritatem, ſi tamen teſtimonium veritatis eſſet illi detrimentoſum, poſſet aliquid exigere pro damno, vel periculo, cui ſe exponit.* Ratio eſt, quia licèt teſtimonium ferre, ſit actus Religionis, & non iuſtitiæ, tamen quando teſtes ad teſtificandum accedunt in ipſo teſtimonio, tenentur ex iuſtitia de veritate deponere, quia ex illorum teſtimonio condemnandus, vel abſoluendus eſt reus, vnde licèt ſolùm ex charitate teneantur ſe non abſcondere, vt teſtimonium dicant, tamen in actu depoſitionis de iuſtitia tenentur veritatem dicere. Molina. Gabriel. Nauarr. Leſſius.

De accuſatoribus idem etiam patet, quia vnuſquiſque ius habet, vt non iniquè & per iniuriam, & calumniam falsò accuſetur: vnde contra iuſtitiam peccat, & ad reſtitutionem damni tenetur accuſatorr, qui falsò, & iniquè alium per calumniam accuſat, & hæc ratio eſt vera, & in teſtibus etiam falſariis locum habet; vt patet, & deducitur etiam ex *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat.*

Statuo quartò, iudex, Tabellio, & cæteri miniſtri iuſtitiæ, qui per negligentiam culpabilem damnum inferunt partibus, ad illius reſtitutionem in foro conſcientiæ tenentur; &, generaliter loquendo, omnes illi, qui ex officio aſſumpto alios tenentur defendere, omnia damna ſua cauſa illis 24. *Concluſio quarta.*

 proue

prouenientia, reſtituere tenentur, ſi ex culpabili negligentia eos non defendant, aut iuſtitiam eis non adminiſtrent, vt domini temporales, & Eccleſiaſtici, qui ob hoc munus redditus habent; Capitanei, ac duces ſtipendiarij, Medici ſalariati, Notarij, miniſtrique iuſtitiæ, quorum negligentia, cauſæ, & iura perduntur, Aduocati, & Procuratores; nautæ, architecti, & omnes huiuſmodi, hos enim etiam notabilis negligentia, & ignorantia ſcientiæ, vel artis non excuſat, ſi ſe peritos profiteantur, quod intelligendum eſt de culpa, & negligentia leui in omnibus iis officialibus, qui ſe locant & pretium accipiunt pro tali officio; ſecus ſi ſe ad prædicta non locent, nec profiteantur ſe peritos, ſed vocentur, & operentur ex pietate, & ſpondeant ſe facturos; quod poterunt, hi enim non tenentur niſi de dolo, & culpa lata, iis enim, qui tales eligunt, imputetur damnum; ita expreſſè Sylueſter *verb. reſtitutio 3. num. 5. verſ. ſecundum, & verb. reſtitutio 2. numero* 17. Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 6. concluſ. 2.* Probatur ex *cap. ſi culpa, de iniurijs, & damn. dat.* & ex gloſſa *in cap. de probat. verb. negligentia*, ibi, *Si culpa, vel negligentia iudicis pars damnum incurrat, tenetur illud ei reſarcire.* Et textus ſingularis cum gloſſa *in cap. adminiſtratores 23. quæſt. 5.* vbi officiales, & alij adminiſtratores, qui negligunt iuſtitiam facere, defendere oppreſſos, & viduas, & pupillos, ſunt ipſo iure excommunicati poſt trinam admonitionem, nec poſſunt abſolui, niſi priùs damnum ſatisfaciant; & ratio efficax eſt, quia negligentia culpabilis, ſi eſt lata, eſt doloſa culpa; ſi leuis, cùm huiuſmodi perſonæ ex pretio, & ſtipendio ſe ad munera ſua obeunda rectè, & ſolerter obligarunt, tenentur ex contractu conducti, & locati præſtare diligentiam, quam prudentiores, & diligentiores homines in ſuis rebus præſtare debent, atque adeò tenentur ex culpa leui: committit autem iudex hanc negligentiam, quando negligit terminare cauſam, & remiſſus eſt in ea iudicanda, & quando ſtudio neceſſariò ad indagandam iuris veritatem parcit.

Sylueſter.
Gabriel.

25. *Concluſio quinta.*

Statuo quintò, iudex ordinarius, qui ſe ob ignorantiam, & defectum ſcientiæ inſufficientem agnoſcit ad cauſas iudicandas, & tamen ſe huic officio ingerit, & cauſas per ſe iudicare præſumit, peccat mortiferè contra iuſtitiam; & tenetur parti læſæ, ita communiter DD. Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 6. concl. 3.* Hoſtienſis, quem ipſe allegat, Armilla *verb. iudex, num. 24.* & patet ex *cap. ſciſcitatus, de reſcriptis.* & ex Panormitano *ibi*, & ex *cap. cum nobis olim, de elect.* Ratio eſt,

Gabriel.
Hoſtienſ.
Armil.
Panorm.

Primò quia iudex ordinarius ſæpiſſimè in cauſis occurrentibus, neceſſe eſt, vt aliquid ex temporaneo iudicet, quin ab aliis quærat, tam vrgens enim poteſt eſſe cauſa, vt ad hoc cogatur; & ſæpiſſimè in iudicijs ordinariis hæc negotia occurrent; quare neceſſe eſt, vt mortaliter peccet ille, qui ſe ad hoc munus imperitum cenſet, ſi illud procuret, cùm ſe periculo peccandi ſcienter exponat, & vt ad reſtitutionem teneatur, ſi partem iniuſtè iudicando læſit, etiamſi ignoranter fecerit; agnouit enim antecedenter ſuam ignorantiam, & nihilominus ſe periculo iniuſtè iudicandi expoſuit.

Secundò, quia, vt dicitur *in cap. ſciſcitatus de reſcriptis. Iudex ordinarius talis eſſe debet, vt quærere ab alijs non habeat, quicquid eum oporteat loqui.*

26. Dixi *ordinarius*, quia delegatus non opus eſt, vt ſit litteratus, cùm enim ex obedientia iudicet, & Aſſeſſorem aſſumere poſſit, ſufficit quòd aliqualem intelligentiam, & peritiam iudicandi habeat, licèt litteratus non ſit; vnde delegatus, qui neceſſitate obediendi compulſus bona fide, & de conſilio peritorum iudicat, licèt iniuſtè iudicet, non tenetur ad reſtitutionem, nec peccat; peccabit tamē, & tenebitur ad reſtitutionem illius Aſſeſſor, de cuius conſilio, & capite iudicauit, ſi tamen ipſe iuxta caput ſuum iudicauerit, aut Aſſeſſorem minus idoneus ſcienter aſſumeret, iam erit in culpa, & ad reſtitutionem ſine dubio tenebitur; ita DD. communiter, & præſertim allegati. Dixi opus eſſe vt iudex delegatus habeat aliqualem peritiam iudicandi, licèt illiteratus non ſit, quia ſi nec litteratus ſit, nec peritiam iudicandi habeat, poterit id contra eum excipi, ne ſit iudex in cauſa, vt optimè docet Panormitanus *in dict. cap. ſciſcitatus*, & Armilla *allegatus. verb. iudex.*

Panorm.
Armil.

Dubitabis tamen, an liceat concubinam iudicis adire, aut ei munera mittere, vt pro litigantibus 27. 28.
iudicem oret. Negat Sanchez *tom. 1. Decalogi cap. 7. num. 38.* Fundamentum illius eſt, quia directè petitur à concubina res, quam licitè præſtare nequit, quia inuiſere illum iudicem, illique ſcribere, aut nuntium ad eum mittere, eſt mortale, attentis circumſtantiis occurrentibus; eſt enim amorem turpem fouere, quia virtute illius id concubina à iudice petit, & conſequendi per eam petitionem, & iudicem, & concubinam peccandi periculo exponit, qui id ab ea petit. Deinde, quia turpi concubinæ amore vtitur, & eo vult ius ſuum, iuſtitiamque tueri; tueri autem ius ſuum re illicita, illicitum eſt. Sic pingentem imaginem puellæ, ad petitionem amaſij, quem credit probabiliter illa imagine abuſurum, mortaliter peccare, docet Azor. *tom. 2. inſt. moral. lib. 12. cap. vlt. quæſ. 9. in fine.* Sic etiam taxillorum artifices, Luſitanè *dados*, mortaliter peccare docet idem Sanchez *allegatus, num. 39.* & expreſſè Caſtro *lib. 1. de leg. pœnali, cap. 12. verſ. ſecunda pars*, quia proximam occaſionem præbent grauiſſimis illis ſcandalis, iuramentis, & peccatis, quæ ex tali ludo ordinariè oriuntur, & quia pœnæ, quæ illis imponuntur, ſunt grauiſſimæ, & peccatum arguunt mortale; quæ videri poſſunt *l. 15. Regia lib. 8. nouæ recopilationis*, & in iure Luſitano *lib. 5. tit. 82. nouæ ordinationis.*

29. Sanch. *An liceat iudicis concubinam adire, vt pro litigantibus oret iudicem.*

Azor.

Caſtro.

An pro fauore adnexo iuſtitiæ, & pro electione partis in æquè probabili opinione poſſit iudex iuſtè aliquid accipere, & quid de electoribus ad aliquam capellam.

SVMMARIVM.

An quando aliquid offertur iudici, non ab ipſis litigantibus, ſed ab aliquo tertio pro fauore præſtando vni ex litigantibus poſſit iudex illud accipere. Refertur prima ſententia, docens poſſe. num. 30.

Præfertur ſecunda ſententia negans, & aſſerens teneri iudicem ad reſtitutionem. num. 31.

An quando dantur duæ opiniones æquè probabiles pro vtraque parte ſtando in iure naturali, & ſecluſa lege poſitiua id prohibente, poſſit iudex aliquid accipere pro electione vnius partis pro qua ferat ſententiam. Refertur ſententia affirmans. num. 23.

Refer

Refertur ſententia negans. *num.* 33.
Iudicium authoris. *num.* 34.
An teneatur iudex concurrentibus duabus opinionibus æquè probabilibus rem æqualiter diuidere inter partes litigantes, & quid ſi concurrant probationes æquales. *num.* 35.
An poſſit iudex nunc iuxta vnam, nunc iuxta aliam partem iudicare, quando concurrunt duæ opiniones, æquè probabiles pro vtraque parte. *num.* 36. *Et quid ſi detur ſcandalum.* *ibid.* & 37.
Quid in cauſis criminalibus. *num.* 38.
An electores ad maioratum, ad cathedram, ad capellam, & teſtatores ad eligendos pauperes, inter quos diuidendæ ſunt aliquæ eleemoſynæ, & electores ad officia ſæcularia, & ad emphyteuſim poſſint aliquid accipere pro electione, & nominatione. num. 39. & 42. *Refertur opinio affirmans. ibid.*
An hoc procedat in electoribus ad beneficia. numero 40.
Præfertur ſecunda ſententia, aſſerens nihil pro eo fauore poſſe iuſtè tanquam pretium accipi, & reſtituendum eſſe acceptum. *num.* 41.

30. Difficultas tacta in ſummario non ſolùm de miniſtris iuſtitiæ procedit, ſed de quibuſcumque etiam perſonis ſæcularibus priuatis, vt de teſtamẽtariis, & de electoribus ad aliquam capellam, & ad aliquem locum, in quo capella aliqua ex præſcripto teſtatoris eligatur, & primum dubium eſt, vtrùm quando pecunia, vel aliud munus offertur iudici non ab ipſis litigantibus, ſed ab aliquo alio tertio, pro aliquo litigante, vt iudex potius huic, quàm illi litiganti talem, vel talem fauorem præſtet, quem præſtare aliunde poteſt in ea lite, ſiue ferendo pro eo iuſtam ſententiam, ſiue pro non retardanda lite, ſiue in propulſanda alia iniuria, quæ alioqui facienda erat parti pro qua rogatur, poſſit iudex illud accipere abſque obligatione reſtitutionis? Et in hoc negotio partita eſt ſententia.

An quando aliquid offertur iudici, nõ ab ipſis litigantibus, ſed ab aliquo tertio, poſſit iudex illud accipere abſque obligatione reſtitutionis.

Sentẽtia prima.

Sotus. Ledeſm.

Prima docet, non teneri iudicem, vel alium iuſtitiæ miniſtrum in conſcientia ſic acceptam reſtituere; in eam inclinat Sotus *lib.* 4. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 1. *ad* 2. Ledeſma 2.4. *quæſt.* 18. *art.* 5. Fundamentum huius opinionis eſſe poteſt, quia illa actio, vel omiſſio, quamuis ex iuſtitia ſit debita litiganti, non eſt debita illi tertio petenti; ſed talis fauor eſt pretio æſtimabilis, & non eſt debitus ex iuſtitia ipſi tertio petenti; ergo non eſt contra iuſtitiam aliquid pro illo accipere, & conſequenter ſine onere reſtituendi, poterit accipi à iudice. Conſequentia patet, quia pro actione, vel amiſſione ex iuſtitia non debita, quamuis ſit debita ex aliis virtutibus, poteſt pretium accipi ſine obligatione reſtituendi. Maior eſt certa, quia ex nullo iure tenentur prædicti miniſtri deſiſtere ab iniuria, propter talem interceſſionem.

31. *Sententia ſecunda.*

Sayrus. Turrian. Rebell.

Secunda ſententia, & vera, docet nullo modo id poſſe fieri, & teneri ad reſtitutionem in conſcientia prædictos iuſtitiæ miniſtros eius rei, quam pro præſtando tali fauore iuſtitiæ adnexo acceperunt. Ita docet Sayrus *tract.* 5. *lib.* 10. *cap.* 3. *num.* 8. §. *alij verò.* Turrianus 2.2. *diſp.* 4. *dub.* 3. Rebellus *part.* 2. *lib.* 18. *quæſt.* 20. *num.* 1. §. *vnde & alij.* Ratio eſt, quia ſic accepta non poſſunt retineri titulo pretij, nec titulo donationis liberalis, non datur alius titulus ob quem retineri poſſint; ergo in conſcientia debetur talis reſtitutio, non titulo pretij, quia vel illud pretium accipitur pro labore, vel pro iuſtitia actionis, vel pro fauore qui fit tertio petenti, in cuius gratiam agitur, vel deſiſtitur.

Primum dici non poteſt, quia pro labore iam datum eſt, vel eſt dandum vnum pretium æquale lege taxatum, & eadem res non poteſt vendi duobus duplici pretio æquali.

Secundum admitti non poteſt, quia ſuppoſito officio tenentur miniſtri iuſtitiæ ex iuſtitia iuſtè agere.

Tertium minus dici poteſt, & quia mutuans pro gratia, quam facit dando mutuum, non poteſt vltra ſortem mutui aliquid accipere ab aliquo tertio, propter quem mutuum alteri dat, & tamen mutuans non tenetur dare mutuum in gratiam illius tertij, & propter illum tertium; ergo quamuis miniſtri iuſtitiæ non teneantur illum fauorem præſtare, nec agere, vel deſiſtere in gratiam petentis, nihil ab eo poſſunt accipere; & quia illa actio, vel omiſſio, tota eſt debita ex iuſtitia litiganti, & hic habet ius ſtrictum ad illam; ergo quicquid pro ea accipitur, à quocumque detur, contra iuſtitiam accipitur; id enim quod ex iuſtitia rigoroſa debetur, non eſt æſtimabile nouo pretio, alioqui bis venderetur, quod non eſt dicendum. Tandem, quia quando actio, vel omiſſio eſt inuendibilis, etiam obſequium, & gratia, quæ fit in eius exercitio, eſt inuendibilis; ergo non poteſt pro ea pretium accipi. Antecedens patet in vſura, & ſimonia; quia quamuis mutuans, & conferens beneficium, obſequium, & gratiam faciant mutuatario, & beneficiario; tamen quia actio mutui, & collatio beneficij eſt inuendibilis, abſolutè loquendo, inde fit, vt ea etiam gratia, quæ mutuatario fit, quando ei mutuum datur; & quę fit beneficiario, quando ei beneficium confertur, inuendibilis ſit, vnde qui pro donatione mutui, & collatione beneficij aliquid accipit, tenetur illud reſtituere. Adde quòd ſi pro ea gratia facta tertiæ perſonæ, poteſt ab illa pretium accipi, etiam poterit accipi ab ipſo litigante, cui ſit eadem gratia. Conſequens eſt falſum; ergo & antecedens; & poſſet litigans per tertiam perſonam agere cum iudice, & iuſtitiæ miniſtro de pretio ei pro tali præſtatione gratiæ dando, quod nemo dicet, quæ enim per alios facimus, per nos ipſos facimus; quare ſine dubio hæc vltima ſententia eſt tenenda.

Inquires hîc, vtrùm quando dantur duæ ſententiæ, & opiniones æquè probabiles pro vtraque parte, quo caſu datur fauor iuſtitiæ, & poteſt iudex ferre ſententiam, pro quo maluerit litigante, vt eſt communis ſententia in materia conſcientiæ, poſſit iudex pro eo fauore, & pro electione illius, pro quo eſt ferenda ſententia, aliquid accipere abſque onere, & obligatione reſtitutionis, ſtando in iure naturali, & ſecluſa prohibitione iuris poſitiui, vetantis, & prohibentis munerum receptiones. Reſpondeo hac de re eſſe duplicem ſententiam. 32.

An quando dantur duo vota æqualia poſſit iudex licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua ferat ſententiam.

Prima affirmat; in eam inclinat Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. *num.* 64. & Valentia 2.2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *diſput.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 4. & Salon. 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 4. *controuerſia* 2. & fundamentum illius eſt,

Sentẽtia prima.

Leſſius. Valent. Salon.

Primò, quia illa ſententia iuſta, non eſt debita huic parti determinatæ, poteſt enim iuſtè iudex ſine iniuria illius pro alia parte ferre ſententiam, & electio illius partis, pro qua eſt ferenda ſententia, eſt in manu, & arbitrio iudicis, ſed eligere, & determinare hanc partem litigantem, pro qua feratur

feratur ſententia, eſt fauor pendens ex voluntate iudicis, & eſt pretio æſtimabilis, quia eſt valdè vtilis litiganti, & ſimul eſt coniuncta cum aliquo incommodo iudicis, quia perdit gratiam, & amicitiam alterius partis; ergo iuſtè poteſt iudex pro eo fauore pretium accipere.

Secundò, quia hìc non datur acceptio perſonarum, quæ iuſtitiæ diſtributiuæ opponatur, hic enim iudex videtur eſſe liber ad faciendum, quod voluerit, vnde illi parti à qua pretium petitur, & accipitur, nulla fit iniuria in eo petendo, quia petitur pro re, quæ non eſt ei debita, vel alioqui eſt valdè ei vtilis; ergo talis donator voluntariè donat; ergo res accepta à iudice ex duplici titulo ab eo retineri poteſt, primò titulo pretij iuſti, ſecundò, titulo liberalis donationis; addit tamen Leſſius *citatus*, & bene, ſuppoſito iure poſitiuo prohibente munera, illicitum id eſſe; an verò ex vi iuris humani, & poſitiui munerum receptiones prohibentis, detur obligatio reſtituendi ante ſententiam iudicis, dicemus *num* 13. remiſſiuè.

33. *Sententia ſecunda.* Secunda negat, & ait in eo caſu debere iudicem, & teneri, vel partes componere, vel ſe ſe parem vtrique parti exhibere, & pronunciare rem inter partes litigantes, æqualiter eſſe diuidendam, & fore acceptorem perſonarum, cum obligatione reſtituendi ſi pro amico, vel pretio iudicauerit, vel ſi fuerit res indiuiſibilis, primogenium diuidere partem fructum; ita docet Malderus *tract.* 9. *de iuſt cap.*1 *dub* 4.*§ cæterum*. Bañez 2.2.*quæſt* 63. *art*.4. *dub.* 1. Nauarrus *in cap. ſi quis, de pœnit. diſt.*7. *num.*130. Ratio eſt, (*Malder. Bañes. Nauarr.*)

Primò, quia quando probationes ſunt æquales ex parte facti, nec magis vna pars, quàm altera probat in rebus ciuilibus, tenetur iudex rem diuidere æqualiter inter vtramque partem, vt eſt communis omnium ſententia; ergo etiam quando datur æqualis probabilitas ex parte iuris, (dantur autem, quando pro vtraque parte dantur opiniones æquè probabiles) tenetur iudex ex iuſtitia rem inter vtramque partem diuidere æqualiter, & conſequenter reſtituere id, quod accepit, pro electione partis, cui totam litem adiudicauit; ſed hoc fundamentum non multum vrget, quia non eſt eadem ratio de probationibus, & de opinionibus, cùm probationes ex ſe, & natura ſua independenter à iudice tribuunt æquale ius partibus; at cùm lex ſe habeat ex parte iudicis, & ipſe ſit veluti lex viua, & animata, poteſt ipſe applicare iura, & leges, & conſequenter opinionem æquè probabilem ei parti cui maluerit, & in ea applicatione reperitur fauor, pro quo pretium poteſt accipere. nam opiniones æquè probabiles tribuunt ius partibus, non abſolutè, ſed dependenter à voluntate iudicis, & ab eius determinatione.

Secundò (& eſt bonum fundamentum,) quia actio iuſtè iudicandi, & quoad ſpeciem, & quoad exercitium, eſt debita ex iuſtitia; ergo pro illa non poteſt iudex pretium accipere. Antecedens probatur, quia iudex non poteſt manere ſuſpenſus, & pro neutro ſententiam ferre, ſed tenetur ex iuſtitià pro aliquo illam ferre, imò tenetur ex officio ſe determinare ad vnam partem; ergo gratis, nam in ea determinatione conſiſtit exercitium ſui muneris, & officij, & ſuppoſita acceptatione officij, & ſtipendio taxato, vel promiſſo pro exercitio ipſius officij, non poteſt aliquid ampliùs accipere; ergo tenetur in conſcientia reſtituere, attento iure naturali, id quod accipit pro tali determinatione, quia nec titulo pretij poteſt illud retinere, nec titulo donationis liberalis quia hæc ordinariè non reperitur in eo caſu.

Tertiò, quia non obſtat fundamentum contrariæ ſententiæ; nam, vt diximus, ex officio obligatur iudex ad ſe determinandum: deinde quia gratia, & fauor, qua talis ex natura ſua non compenſatur pretio, ſed amicitia, & gratitudine. Tandem, quia quamuis iudex exponat ſe periculo perdendi amicitiam partis, tamen pro hoc periculo non poteſt pretium accipere, quia tenetur ex officio illud ſubire, eſt enim id intrinſecè cum officio connexum.

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones; vtraque videtur probabilis; ego tamen hanc ſecundam probabiliorem iudico, propter illius fundamenta, quoad illam tantùm partem, quæ docet teneri iudicem reſtituere in conſcientia id quod accepit pro electione partis, & ſui determinatione; an verò teneatur iudex ſtantibus duabus opinionibus æquè probabilibus rem de iuſtitia diuidere inter vtramque partem, dicemus *num: ſequenti.* Et in vtraque ſententia ſpectato iure poſitiuo prohibente miniſtris iuſtitiæ munerum receptiones, certum eſt peccare iudices acceptando munus pro illa electione, quia ſunt eis prohibita talia munera, & in hoc conueniunt huiuſmodi opiniones, differunt tamen, quia prima non obligat in conſcientia ad reſtitutionem, niſi poſt ſententiam condemnatoriam iudicis; ſecunda quam ſequimur, obligat ſtatim ex vi iuris naturalis ante vllam ſententiam. 34. *Iudicium Authoris.*

Quod de reſtitutione pretij pro determinatione iudicis dictum manet, verius iudico. An verò teneatur iudex ſtantibus, & concurrentibus duabus opinionibus æquè probabilibus pro vtraque parte rem, de qua litigatur, æquè diuidere inter partes, vel illas componere, & ſi res fuerit indiuiſibilis, veluti maioratus, teneatur ſaltem fructus diuidere, licèt ſit probabilis opinio, quam tenent Bañez, & Malderus *allegati*, tamen verius eſt, teneri iudicem ſe determinare, & vnam opinionem, quam maluerit, gratis eligere, & ſecundùm eam totam litem parti vni adiudicare; quod probant egregiè rationes pro determinatione iudicis allatæ; & ita docent Sanchez *tom.*1. *Decalogi lib.*1.*cap.*9. *num* 45 Sotus, licèt non ita clarè, *lib* 3.*de iuſtit. quæſt.*6.*art.*5.*ad* 4 & apertè id docet Medina 1.2. *quæſt.*19.*art.*6 *fol.*209 *concl.*2. Salon. 2.2.*quæſt.*63. *art* 4 *controu.*2. *concluſ.*1. Valentia 2. 2. *diſput.*5. *quæſt.*7. *punct.*4. *dub.*3. Rodriguez *tom.*1. *ſumma in* 2. *edit. cap.*6. *num* 1. *concluſ.*1. Sayro *in claui lib.*1.*cap.*11. *à num.*4. Salas 2.2.*quæſt.*11.*tract.*8. *diſp. vnic. ſect.* 12. *num.* 115. Petrus de Ledeſma *tom.*2. *ſumma tract.*8.*cap.*22.*poſt* 11. *concluſionem, difficult.*1.*fol.*745. 35. *An concurrentibus duabus opinionibus æquè probabilibus teneatur iudex rem æqualiter diuidere inter partes.* (*Sanchez. Sotus. Medina. Salon. Valent. Rodrig. Sayro. Salas. Ledeſm.*)

Dices ergo, poterit iudex nunc iuxta vnam, nunc iuxta aliam partem iudicare; ergo cum ſcandalo. nam ex hoc iuſtum ſcandalum ſequetur. Reſpondeo, ſi ſcandalum ſequatur, peccare quidem iudicem peccatum ſcandali, ſi illud prius rationibus tollere non valeat, non teneri tamen ad reſtitutionem, quia nihil contra iuſtitiam, aut ius alicuius partis agit: ad tollendum autem ſcandalum, tenetur ſemper iuxta ſententiam, quam elegit, iudicare; ita Sanchez *allegatus, dict. n.*45. *in fine.* 36. *An poſſit modò iuxta vnam, modò iuxta aliam partem iudicare pro vtraque parte.*

Neque obſtat rem eſſe diuidendam, ſi ex parte facti probationes ſunt æquales, quia, vt dixi, eſt diuerſa ratio inter probationes æquales, & inter æquales 37.

æquales opiniones; nam probationes tenent ſe ex parte cauſæ, & ſunt propria media, quibus ea decidenda eſt; quare ſi probationes ſunt æquales, neceſſariò res ſuper quam litigatur, inter partes diuidenda eſt, & opiniones tenent ſe ex parte iudicis, qui communi bono tenetur proſpicere, & ex iuſtitia, & obligatione ſui officij, tenetur eligere opinionem, ſecundùm quam iudicet: ita docet idem Sanchez *dict. tom.1. Decalogi lib.1. cap.9. num.45.*

38. *Quid in criminalibus.* Hæc procedunt in rebus ciuilibus, nam in cauſis criminalibus poteſt iudex abſoluere reum à pœna ordinaria legis, habentem probabilem cauſam, etiamſi accuſator habeat probabiliorem, ſaltem quando id ſine graui detrimento accuſatoris fit, & tunc non poterit accuſatorem ad pœnam talionis damnare; ita docet Malderus *de iuſtitia, tract.9. cap.1. dub.4. verſ. dico in ciuilibus*; & hoc fundamentum habet in illa regula iuris, *de regul. iur. in 6. Quando iura partium ambigua ſunt, potius reo, quàm actori fauendum eſt.* Et in communi effato, quod habet, iudices debere eſſe promptiores ad abſoluendum, quàm ad damnandum; & ad damnandum ad pœnam ordinariam legis debere eſſe probationes cauſæ luce meridiana clariores.

39. *De electoribus ad maioratum, ad capellã, &c. quid.* Dubium verò eſt de electoribus ad maioratum, ad cathedram, ad officium aliquod ſæculare, & de adminiſtratoribus alicuius capellæ, & executoribus alicuius teſtamenti, an poſſint pro electione aliquid accipere; ſunt enim aliqui maioratus, & capellæ, in quibus ſuccedi tur per liberam nominationem vltimi poſſeſſoris, & aliquæ emphyteuſes, in quarum inſtitutione habetur, quòd vltimus emphyteuta poſſit eligere, quem maluerit, ſiue ex familia, ſiue extraneus ſit, & ſunt etiam aliqui teſtamentarij, quibus relinquitur poteſtas eligendi locum ad ædificandam aliquam capellam, vel diuidendi aliquam ſummam ſingulis annis inter pauperes; quærimus ergo, vtrùm pro fauore eligendi, & nominandi hunc potius, quàm illum, poſſint aliquid accipere.

Sentētia prima. Prima ſententia affirmat, hæc tribui poteſt authoribus, quos citauimus *num* 32. quatenus admittunt in iudice pretium pro fauore. eam tenet etiam Rodriguez *2. part. ſumma cap.10. concl.9.* & Lud. Lopez *1. part. inſtructorij, cap.106. & 2. part. cap.29.* Bañez *2. 2. queſt.62. artic.5. dub.4.* & colligitur ex iis, quæ docet Caldas Pereira *de renouat. emphyteuſis, quæſt.18. num.22.* vbi dicit, pro renouatione emphyteuſis in filiis, & filiabus vltimæ vitæ eſſe locum gratificationis, & poſſe dominum directum eligere vnum ex deſcendentibus in æquali gradu, qui ſibi magis gratus fuerit. Et quamuis duo priores authores diſtinguant inter miniſtros iuſtitiæ, & perſonas priuatas, & de miniſtris iuſtitiæ id negent, quia tenentur ex officio, tamen hæc diſtinctio non videtur cohærens, quia ideo miniſtris iuſtitiæ id negatur, quia iſti tenentur ex officio, & de iuſtitia ad eam electionẽ, vel omiſſionem; ſed perſonæ etiam priuatæ ex eadẽ etiam iuſtitia tenentur, vbi enim munus teſtamentariorum, aut electorum accipiunt, & acceptant, ad id ex officio tenentur. Ratio ergo huius opinionis eſt, quia in prædictis caſibus datur locus fauori, ſeu gratificationi, vt aiunt, poſſeſſor enim maioratus ex conſanguineis poteſt proferre vnum, quem maluerit in æquali gradu. Item adminiſtrator capellæ poteſt eligere hoc Monaſterium præ illo, vt in eo ædificet, ac conſtituat capellam cum ſuis emolumentis, & cæteris paribus poteſt eligere hunc pauperem præ illo; & idem & ſuffragantibus ad cathedras, quando oppoſitores ſunt æquales: atqui illa prælatio pendet ex libertate, & fauore eligentis, quia non eſt debita huic determinatæ perſonæ, poterat enim alter ſine illius iniuria præferri; ergo videtur pretio æſtimabilis, quia eſt valde vtilis ementi, & conſequenter vendi poteſt.

Probabilis eſt hæc ſententia, ſed non procedit in electoribus ad beneficia Eccleſiaſtica, quando oppoſitores ſunt æquè digni, quia quamuis poſſint præferre quem maluerint, tamen pro illo fauore non poſſunt pretium accipere ſine peccato ſimoniæ; vt communiter tenent DD. & Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.14 dub.9.* Quia hic fauor ordinatur ad aliquid ſpirituale; vtrùm verò teneantur reſtituere in conſcientia, id quod ſimoniacè accipiunt, eſt alia quæſtio, de qua videri poteſt Suarez *tom.1. de Relig. lib. 4. cap. 60. num. 3. 9. & 13.* vbi id reſoluit affirmatiuè, ſi quæſtio procedat de pretio accepto pro collatione, electione, & præſentatione beneficij. 40. *Quid de electoribus ad beneficia Eccleſiaſtica.*

Nihilominus ſecunda ſententia, quæ docet, nihil pro eo fauore poſſe accipi titulo pretij, & ſic acceptum reſtituendum eſſe in conſcientia, & ante vllam iudicis ſententiam, verior eſt, & rectæ rationi, & bono Reipublicæ regimini conformior, & eam conſequenter loquendo defendunt Sayrus *in claui regia lib.10. tract.5. cap.3. num.8. §. alij verò.* Turrianus *2.2. diſp. 4. dub.3.* & Rebellus *2. part. lib.18. quæſt.20. num.1. §. vnde & alij*; quos omnes citauimus *num.31.* & eam etiam tenet Leſſius *tom.1. de iuſt. lib.2. cap.14. num.67.* & idem videtur ſentire Molina Iuriſta *lib.2. de primog. c.5. à num.37.* vbi probat electionem ad maioratum factam pro pretio eſſe nullam, & Pater Molina *tom.1. de iuſt. diſp.86. & tom.2. diſp.313.* vbi agit de miniſtris Regis, qui aliquid accipiunt à creditoribus, vt eis ſoluant debita ſua, ſiue hæc ſint, quæ vulgo Luſitanè dicuntur *iuros*, ſiue tenſæ, ſiue quæcumque alia debita, quæ Rex debet ex contractu, donatione, vel alio quocumque titulo. Fundamentum eſt, 41. *Præfertur ſententia ſecunda.* Sayrus. Turrian. Rebell. Leſſius. Molina.

Primò, quia prædictæ perſonæ tenentur ex officio, & quaſi contractu eligere, neque poſſunt actum ſuſpendere; ſed de intrinſeca ratione electionis eſt quando ſunt plures oppoſitores, vt vnus alteri præferatur, & quando ſunt æquales, quia res non eſt diuidenda, vt ſupponimus; ergo de iuſtitia tenentur ſe determinare ad vnam partem, & vnum alteri præferre gratis. Conſequentia patet, quia ſuppoſito officio ſe obligarunt ad electionem faciendam, vel gratis, vel ſolùm pro emolumento aſſignato à fundatore, & conſequenter ſe obligarunt ad illam prælationem, ſine qua in tali caſu non poteſt fieri electio. Maior eſt certa, quia ex officio tenentur, & veluti neceſſitantur ad eam actionem, non ſolùm quoad ſpeciem, ſed etiam quoad exercitium, & indiuidualem determinationem.

Secundò, quia prædictæ perſonæ nullum onus poſſunt imponere electis pro beneficio, quod ipſis ſit in tali electione.

De electione ad emphyteuſim, ad maioratum, ad redditus capellæ, & de aliis ſimilibus, idem dicendum eſt, quia hæc non conceduntur ab electoribus, ſed à fundatoribus, teſtatoribuſque, & inſtitutoribus emphyteuſis; quare poſito quòd quis ſit dominus directus, & quòd alij munus electorum, 42.

rum, aut teſtamentariorum ſponte, & voluntariè, minimèque coactè acceptarunt tenentur ex officio, & veluti ex contractu ad hanc electionem, quæ eſt intrinſeca muneri, quod ſponte, & liberè acceptarunt & per hanc acceptationem ſe ad id ſponte obligarunt; quare non poſſunt poſtea aliquid pro ea electione accipere, & tenentur ad reſtitutionem pretij ſi quod fortè ob eam rem acceptarunt. Vide Valaſcum *tom.* 1. *conſultationum, conſultatione* 27. *à num.*8. vbi multa inuenies, quæ ad rem præſentem plurimum inſeruiunt.

CAPVT XXVII.

An iudices munera aliqua vltra xenia ex mera liberalitate data poſſint accipere, & cui ſit reſtituendum id, quod pro iniuſta ſententia ferenda eis datur. Agitur de rebus promiſſis ob turpem cauſam; quæritur an Confeſſarius indoctus non obligans pœnitentem ad reſtitutionem debiti, teneatur in conſcientia illud reſtituere.

SVMMARIVM.

Iudices tam ordinarij, quàm delegati, & tam ſæculares, quàm Eccleſiaſtici præter xenia eis à iure conceſſa nihil poſſunt vltra pretium iuſtè, à lege, vel conſuetudine taxatum pro pretio executionis ſui muneris accipere, & tenentur ad reſtitutionem ſi aliquid accipiant. num. 1.

An iudices, & miniſtri iuſtitiæ, teneantur in conſcientia ante vllam ſententiam reſtituere id, quod contra leges prohibentes munerum receptiones, accipiunt, ſi gratis, & liberaliter eis donetur. n. 2. *Refertur ſententia affirmans.* num. 7. *Aſtruitur negans.* num. 8.

Stando in iure naturali, ſecluſa lege poſitiua prohibente, iudices, & miniſtri publici comparant dominium earum rerum, quæ ſibi ex amicitia gratis, & liberaliter donantur. num. 3.

Explicatur illud ſacræ paginæ de iudicibus dictum, non accipies munera. num. 4.

Licèt donationes legibus humanis iuſtiſſimè prohibeantur, propter peruerſionem iuſtitiæ, tamen ſecluſa hac peruerſione licitè dari, & accipi poſſunt ex mera amicitia & gratitudine. num. 5.

In legibus Regni Luſitaniæ, hæ munerum donationes, & acceptiones tam ex parte dantis, quàm accipientis iuſtè prohibentur, propter periculum, & præſumptionem peruerſionis iuſtitiæ. num. 6.

Sententia, quæ affirmat teneri ad reſtitutionem ante vllam ſententiam miniſtros publicos iuſtitiæ, ſi aliquid eis etiam ex mera amicitia, & gratitudine à partibus donetur, plures habet authores, & eſt valde probabilis. num. 7.

Secunda ſententia negans eos ad reſtitutionem teneri, affirmans tamen peccare contra obedientiam legum, habet meliora fundamenta. num. 8.

Principes tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares habent poteſtatem ad inhabilitandos antecedenter ſuos ſubditos per leges ad aliquid dandum, vel accipiendum validè, opus tamen eſt, vt id expreſsè conſtet. num 9. *Non conſtat autem quando in legibus prohibentibus has acceptiones, & donationes proceditur ad pœnam.* num. 8. & 11.

De ratione pœnæ eſt, vt non debeatur niſi poſt ſententiam latam. num. 10.

Quæ in ludo prohibito per leges poſitiuas pœnales citra dolum comparantur, non tenetur quis reſtituere in conſcientia, niſi poſt latam ſententiam. n. 11.

Quando nulla interuenit culpa ex parte dantis, quia dedit ad redimendam vexationem, reſtitutio facienda eſt ipſi danti. Quando culpa ex parte dantis interceſſit, ante ſententiam latam reſtitutio eſt facienda danti, poſt ſententiam fiſci, niſi alteri in lege ad applicetur. num. 12.

Reijcitur ſententia eorum qui dicunt etiam ante ſententiam reſtitutionem eſſe faciendam fiſco. n. 13.

An valida ſit promiſſio ob turpem cauſam, v. c. ob homicidium, ob fornicationem & quouſque obliget, vel non obliget in conſcientia; ante vel poſt patratum opus. à num. 14. vſque ad 17.

An Confeſſarius non obligans pœnitentem ad reſtitutionem debiti teneatur reſtituere. num. 18.

QVAMVIS ſuprà capite præcedenti, *à num.* 1. & 2. dixerimus nihil poſſe iudices tam ordinarios, quàm delegatos, tam ciuiles, quàm Eccleſiaſticos pro pretio iuſtitiæ adminiſtrandæ vltra id, quod ſibi à lege, & conſuetudine taxatum eſt, in conſcientia accipere, & teneri ad reſtitutionem, ſi aliquid acceperint, præter xenia, id eſt, comeſtibilia, & potabilia, quæ in paucis diebus conſumi poſſunt, quæ eis conceduntur, *in c. ſtatutum, de reſcriptis, lib.* 6. & *l. ſolet,* §. *vltimo ff. de officio Proconſulis,* & *Auth vt iudices ſine quoquo ſuffrag. fiant* modò gratis, & liberaliter donentur, & offerantur, non coactè, & omnia alia munera prohibita eſſe iudicibus omnibus, quantumcumque parua in pretium pro exequendo munere accipere; iuxta leg. *Plebiſcito, ff. de offic. Præſulis,* & accepta teneri eos ea reſtituere in conſcientia, ſiue receperint, vt iudicent, & iuſtam, vel iniuſtam ſententiã proferãt, ſiue vt differat, vt latiùs ibi patet. 1. *Iudices non poſſe præter xenia eis à iure conceſſa aliquid accipere à partibus.*

Dubium tamen modò eſt, an iudices, & miniſtri publici teneantur in conſcientia reſtituere ea quæ contra leges poſitiuas cuiuſcumque Regni munerum donationes, & acceptiones illis prohibentes à partibus accipiunt; ſi ex mera amicitia, ac ea liberalitate, ac ſi miniſtri publici non eſſent, donentur; ſiue eis ante donentur, vt diligentiam præſtent in negotiis eorum intra limites iuſtitiæ expediendis, qui eis munera mittunt, ſiue pòſt, ex gratitudine beneficij accepti, & gaudio rei iuſtæ obtentæ, & vt in poſterum ſe tales erga illos ſemper, quales modò ſe geſſerunt, gerant. 2. *An teneãtur ad reſtitutionem ſi quid acceperint contra leges.*

Et antequam rem expediam, vt aperiam, & fatear, quod res eſt, notanda ſunt nonnulla. 3.

Primum eſt, ſecluſa lege poſitiua, quæ has munerum donationes, & acceptiones prohibeat, miniſtros publicos ſtando in ſolo iure naturæ, comparare dominium earum rerum, quæ ſibi ita donantur, nec teneri illa in conſcientia reſtituere; & ita docet expreſsè Molin. *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 88. *verſ. primum eſt*; & Leſſius *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 72. Ratio eſt, quia ſpectato ſolo iure naturæ, poteſt quis liberè, & licitè ex obiecto dominium rei ſuæ in alium ſponte transferre, nihil enim tam conueniens eſt iuri naturæ, quàm quòd quis poſſit de ſuo prout voluerit diſponere; vt expreſsè habetur *Inſt. de rerum diuiſione,* § *per traditionem*; igitur ſecluſo iure poſitiuo has munerum acceptiones, & donationes prohibente huiuſmodi miniſtri comparant verum, & proprium dominium Molin. Leſſius.

harum

harum rerum, nec tenentur eas reſtituere. Patet, quia ſi hoc eſſet iure naturæ prohibitum, nunquam ius poſitiuum concederet tranſlationem dominij xeniorum in iudices, & miniſtros publicos: at illud concedit, vt dixi, & conſtat ex *cap. ſtatuimus, de reſcriptis, lib.6.* & ex *l. ſolet, ff. de officio Proconſulis, & l. plebiſcito, ff. de officio præſidis*; igitur, &c.

4. Nec obſtat illud ſacræ paginæ *Exod.* 23. vbi de iudicibus dicitur, *Non accipies munera, quia excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum*; quia hoc non probat id eſſe de iure naturæ prohibitum; ſed ſolùm probat eſſe cauſam iuſtiſſimam, vt datio, & acceptio horum munerum, ex vtraque parte tã dantis, quàm accipientis prohibeatur; non verò hãc donationem, & acceptionẽ iure naturæ eſſe nullã. Nec refert quòd is, qui eo animo dedit, vt bonum finem ſuum negotium haberet, cum non aſſequatur, quia hoc non tollit, quominus donatio ſit valida, & voluntaria, nam ad transferendum dominium ſufficit, quòd quis abſolutè velit aliquid donare ob aliquem finem, ſiue bonum, ſiue malũ, dũmodo non ſit contra iuſtitiã, licèt illum nõ aſſequatur; ſicut valida eſt etiã donatio munerum, quæ quis mittit ad mulierẽ eo fine, vt illam aſſequatur, quæ tamẽ nunquã cõſẽtire voluit; tales enim donationes, cenſendæ ſunt abſolutæ, & non conditionatæ, ac proinde validæ pro foro conſcientiæ; vt optimè docet Moliñ. *tom* 1. *de iuſt. diſp.*88. *verſ. nec refert in fin. & tom.*2. *diſp.*286. & Veig. *lib.*2. *caſ.*98.

Molin.

5. Notandum ſecũdò licèt hæ donationes de quibus loquimur, ſecluſa lege poſitiua, quæ eas prohibeat, ſæpe & donẽtur, & accipiantur cum peccato mortali vel propter ſcãdalum, vel propter periculum peruerſionis iuſtitiæ, vel propter aliã rationem extrinſecam; tamen interdũ etiam poſſunt eſſe licitæ, & dari, & accipi ſine peccato; vt quando dantur ex amicitia habita cũ iudice, aut miniſtro publico, etiamſi ea amicitia ortũ habuerit ex munere publico, ex gratitudine, ex gaudio rei bene geſtæ, ex mera liberalitate, vnde quãdo datio, & acceptio eſt illicita, & peccaminoſa, propter peruerſionẽ iuſtitiæ, inducunt rationẽ iniuſtitiæ, & ad reſtitutionem tenetur miniſter accipiẽs ſecuto effectu iniuſtitiæ.

6. Notandum tertiò propter hoc periculũ peruerſionis iuſtitiæ prohiberi lege poſitiua huiuſmodi munerum donationes, & acceptiones tam ex parte dantis, quàm accipiẽtis. His ita notatis quæſtio eſt, an iudices, & miniſtri publici accipientes munera ſola lege humana poſitiua ſibi prohibita obnoxij ſint reſtitutioni in foro conſciẽtiæ, nulla expectata ſententia, quando dantur ex mera liberalitate, & amicitia, aut ex gaudio, & gratitudine rei bene geſtæ, & iam obtentæ. Qua de re partita eſt opinio.

7. Prima affirmat, eam docet Ioan. Medin. *de reſt. q.*10. Bartho. Medin. *in inſtr. Hiſpan. de modo adminiſtr. ſacram pœnit. fol. mihi* 226. §.3. *de los iuizes.* vbi aſſerit nullam eſſe hac de re dubitationẽ. Sot. *lib.*4. *de iuſt. q.*7. *art.*1. *ad* 2. vbi videtur expreſsè aſſerere; & expreſsè Gabr. *in* 4. *diſt.* 15. *q.*6. *concl* 4. & *q.*2 *art.*1. & Syluest. *verb. iudex* 1. *n.*13. *q.*8. ibi, *Alia autem omnia præter xenia, etiamſi ſit vnus denarius, prohibentur iudices accipere; l. plebiſcito, ff. de offic. præſidis, & l. ſolet, ff de offic. Proconſ. gloſſ. in l.*3. *C. de cond. ob turp. cauſ. & facit l.*1. *C. de pœn. iud. aliter reſtituere tenentur talia munera.* Hæc ille; in hanc ſententiam videtur propendere Leſſius *lib.*2. *cap.*14. *dub* 9. *num.*72. Ratio eſt,

Opinio prima affirmãs. Medin. Sot. Gabr. Syluester.

Primò, quia leges poſitiuæ non ſolùm iuris cõmunis, quales ſunt modò citatæ, ſed etiã iuris cuiuſque Regni, & præſertim iuris Luſitani; vt patet *ex lib.*5. *toto tit.*71. *noua ord.* & Caſtel. ex *lib.*3. *noua collect. tit.*9. & *l.*5. & 6. *ibid.* inhabiles reddunt iudices, & miniſtros publicos iuſtitiæ ad capeſſendum dominiũ harũ rerũ. Eſt enim poteſtas in Principibus ad inhabilitãdos ſuos ſubditos, tam ad huiuſmodi munera dãda, quàm accipiẽda; vnde cùm iudices ac miniſtri publici ob hãc inhabilitationẽ nõ cõparẽt dominiũ talis rei; conſequẽs eſt vt nulla expectata ſentẽtia, reſtituere teneãtur id, quod ita acceperũt.

Secundò, quia quando datio, & acceptio eſt illicita, quia fit inter perſonas inhabiles ad dandum, non transfertur dominium in accipientem, & negatur repetitio danti, & res data applicatur ſtatim fiſco; vt dicemus *n.*13. Vnde ſequitur teneri miniſtros accipientes huiuſmodi munera ſtatim ante vllam ſententiam in conſcientia fiſco reſtituere.

Tertiò, quia quando aliquis paciſcitur, & contractum facit contra legem prohibentem talẽ contractum, contractus eſt nullus, & irritus, ipſo facto; vt expreſsè habetur *in l. non dubiũ, C. de legibus*, ibi, *Nullũ pactũ, nullã cõuentionẽ, nullũ cõtractũ inter eos videri volumus ſubſecutũ, qui cõtrahũt lege cõtrahere prohibẽte; quod ad omnes etiã legũ interpretationes tã veteres, quã nouellas trahi generaliter imperamus*; ergo etiã datio, & acceptio munerũ contra leges, illas prohibentes facere, erit nulla, ſi nulla; ergo tenetur illa munera ea recipiens in conſcientia reſtituere.

Secũda ſẽtẽtia negat teneri iudices, & miniſtros publicos hæc munera reſtituere, ſi ex mera amicitia donẽtur, ſiue ante, vt iudicẽ intra limites iuſtitiæ ad ſui fauorẽ inclinent, ſiue poſt ex mera gratitudine, & voluptate rei bene geſtæ, & iuſtè obtẽtæ, licèt mortaliter contra leges ea munera prohibentes accipiendo peccent, & periuri ſint, ſi iuramento ſe ad illa non accipienda obligent, atque obſtringãt; hanc tenet Mol. *tom.*1. *de iuſt. diſp.*88. §. *mihi contraria ſententia.* & debent tenere omnes, qui dicũt leges pœnales nõ obligare in conſciẽtia ad pœnã, niſi poſt latã ſententiã iudicis, etiamſi in eis dicatur, vt ipſo facto maneat quis priuatus officio, aut beneficio, aut ſubiectus tali pœnæ, quæ eſt hodie opinio communis, quam tenet Couar. *de matr. p.*2. *c.*6. §. *n.*9. & 13 Leſſius *lib.*2. *c.*29. *dub.*8. *n.*63. D. Thom. 2.2. *q.*62. *art.*3. Soto *lib.*1. *de iuſt. q.*6 *art.*6. & alij. Fundamenta Molinæ hæc ſunt. 8.

Opinio ſecunda. Couar. Leſſius. D. Thom. Sot.

Primò, quia huiuſmodi donationes ſecluſa lege humana poſitiua illas prohibẽte, ſtãdo in ſolo iure naturæ, validæ ſunt; vt probauimus *n.*3. ſed leges poſitiuæ, tã iuris communis, quàm Luſitani, & Caſtellani, licèt illas prohibeãt, nõ illas inualidãt; ergo nõ tenẽtur iudices illas reſtituere. Maior eſt certa, minor probatur, quia omnes vltra hãc prohibitionẽ grauiſſimas apponũt pœnas transgreſſoribus; vt videre eſt in omnibus legibus, quę huiuſmodi donationes prohibẽt, quãdo autẽ leges vltra prohibitionẽ, apponũt has pœnas, ſũt merè pœnales, & nõ obligant in cõſciẽtia, niſi poſt latã ſententiã, neque inhabilitãt antecedẽter dãtes, & accipiẽtes ea munera ſimpliciter, & abſolutè, ſed eã tãtũ donationẽ, & acceptionem reddunt illicitã. Nec refert lex, *non dubium*; quia ea lex ſolùm habet locũ in cõtractibus, quãdo legiſlator nõ apponit pœnã, ſecùs quãdo pœnam apponit; vt docet Cardinalis expreſsè de ea loquens *in Clement.*1. *de reſcript.* Panorm. *ibi*, & Syluester *verb. lex, quæſt.*28.

Secundò, quia in iure Luſitano prohibẽtur huiuſmodi munerũ acceptiones ſub pœna amiſſionis, & iacturæ officij, & tamẽ nullus iudex, aut miniſter, recipiens munera, Luſitanè *Peitas*, tenetur in conſcientia ante ſententiam latam officia reſtituere, & illa abdicare à ſeſe, vt probat Molina *dict. tom.*1. *diſp.*87. hoc enim eſſet ſupra vires humanas, &

Molina.

& hominum fragilitatem in re quotidiana ergo neque etiam tenetur has munerum donationes ſtatim in conſcienia reſtituere, nulla expectata ſententia.

Tertiò, quia eodem iure Luſitano *lib. 4. ord. in veteribus, tit. 38. in principio*, interdicitur iudicibus, & miniſtris publicis, emere, permutare, aut conducere redditus, & bona immobilia in locis ad quæ iuriſdictio officij ſui ſe extendit, & additur ſub pœna, vt talis contractus emptionis, permutationis, aut conductionis ſit nullus, & ea omnia, quæ tali contractu acquiſierint, noſtro fiſco addicatur. Vnde, vt notat Molin. *dict. tom. 1. diſp. 88 verſ. deinde verò leges*, apertè colligitur, neque in hoc caſu, neque in ſimilibus mẽtem eſſe legiſlatoris, vt eo ipſo, quòd lege aliqua aliquid prohibeatur, quod ſecluſa tali lege eſt validum, ſit irritum, & inualidum ante latam ſententiam, alioquin fruſtrà inter alias pœnas, quæ locum non habent, niſi poſt latam ſententiam, hæc quoque pœna apponeretur in lege, vt ſcilicet contractus, & datio, & acceptio nulla ſit, & irrita, & præter authoritatem Molinæ *allegati*, tuetur ſe hæc opinio authoritate, vt dixi, omniũ DD. aſſerentiũ, leges pœnales non obligare in conſcientia ad pœnas niſi poſt latam ſententiam, nec refert, quòd pœna inhabilitatis ad dandas, & recipiendas has donationes ſit pœna priuatiua, non indigens actione, ſed ceſſatione; nam hæc etiam iudicis ſententiam requirit, quãdo in pœnam delicti ponitur; vt docet Sot. *lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 3. ad fin.* Molin. *tom. 1. de iuſt. diſp. 99 pag. 391.* Ledeſm. *2. p. 4. q. 18. art. 2. dub. vlt.* & alij multi.

Molin.

Sotus. Molin. Ledeſm.

9. Iudicium authoris.

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, vtraque planè valde probabilis eſt.

Prima plures habet authores, in hanc tamen ſecundam inclino, & argumenta prima ſic ſoluo.

Ad primum dico habere Principes ſæculares, & Eccleſiaſticos poteſtatem, & authoritatem ad inhabilitandos, & reddendos incapaces dominij ſuos ſubditos, vt tamen hoc efficiant, opus eſſe vt conſtet id eos ſuis legibus intendiſſe, quod adhuc non conſtat expreſsè; nam licèt *in c. ſtatutum, de reſcriptis, lib. 6. § ſi qu d & inſuper*, dicatur non ſufficere remiſſionem partium, & teneri iudices de facto reſtituere partibus, quicquid ab illis acceperunt; loquitur tamen *ibi* Summus Pontifex de iudicibus, & miniſtris publicis, qui aliquid acceperũt in pretium vltra ſtipendium iure, aut legitima conſuetudine taxatum, pro exequendo munere ſuo, quæ quidẽ acceptio ſecluſa quacumque alia lege poſitiua externa, iure naturæ eſt iniuſta, & irrita; vt patet ex iis, quæ diximus *c. 4. n. 1. & 2.* non loquitur verò de iis, quæ his miniſtris dantur in noſtro caſu, hoc eſt, merè gratis, & liberaliter, vel in gratitudinem poſt negotium bene geſtum, vel ante geſtionem negotij ad demerendam illorum gratiam, vt intra limites iuſtitiæ nobis faueant.

10. Ad ſecundum reſpondeo id verum eſſe, quando huiuſmodi acceptiones ſunt illicitæ iure naturæ, non iure poſitiuo in pœnam eas irritante, quando enim irritatio, & annullatio earum ponitur in pœnam, requiritur priùs ſententia iudicis, vt fiat ea reſtitutio, quia de ratione pœnæ eſt, vt ſententiam iudicis requirat, nam quando in acceptione datur peccatũ reſpectu dantis, vel accipientis, non contra iuſtitiam, ſed cõtra Principis obedientiã, aut contra quamlibet aliam virtutẽ, licèt vterque puniri poſſit per iudicis ſententiam amiſſione illius rei, quam dedit, vel accepit propter culpam, quam dãdo, vel accipiendo commiſit, non tamen tenetur eam reſtituere ante latã ſententiã, vt ex dictis manifeſtũ eſt.

Ad vltimum reſpondeo, legem illam, *non dubium, C. de legibus*, eſſe merè pœnalem, & requirere ſententiam iudicis, non enim contenta eſt ſimplici irritatione talium contractuum; ſed apponit illam in pœnam, iuxta hactenus dicta, & id cõſtat ex illa, & ſic illam explicat Bart. *ibi.* & Molin. *dict. tom. 1. de iuſt. diſp. 88. verſ. ad confirmationem*, & ſimiliter, quia leges ciuiles, quæ ludum prohibent, non ſiſtunt in prohibitione dũtaxat, & irritatione talium ludorum; ſed vlteriùs progrediuntur ad pœnam, concedendo in pœnam repetitionem eiuſdem rei quæ ludo comparatur, ſequitur, vt quod ita comparatũ fuerit contra prædictas leges, non teneatur quis reſtituere, ſi citra dolum comparatũ fuerit, niſi poſt latam ſentẽtiam, iuxta Mol. *allegatum*, & iuxta Syluest. *verb. lex, q. 28.* & Adrian. *de reſt. q. de ludo, incipit, quia in ſuperioribus, in paruis, fol. mihi 141.* 11.

Bart. Molin.

Molin. Syluest. Adrian.

12. Ex dictis ſequitur, quando nulla interuenit culpa ex parte dantis, quia ſcilicet dedit omnino ad redimendam vexationem, reſtitutionem neceſſariò eſſe faciendam ei, qui dedit, in quo omnes conueniunt DD. quando verò culpa ex parte dantis interuenit (quod regulariter accidit, eo quòd iuſtiſſimis de cauſis prohibeatur, & de ſe illicitũ ſit) ante ſententiam datam, quã datur, ob culpam dandi condemnetur ad amiſſionem rei quam dedit, reſtitutionem eſſe faciendam danti; poſt ſententiam verò, vel fiſco Regio, vel ei cui iudices præceperint; ita docet expreſsè Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 89.* Bartholom. Medin. *citatus, n. 7.* & alij communiter; & ratio eſt, quia licèt leges poſitiuæ prohibeant huiuſmodi donationes, nulla tamen illarum transfert dominium rei, datæ in fiſcum ante latam ſententiam: quare cùm ex eo quod iudici iniuſtè fuerit data pro pretio iuſtæ ferendæ ſententiæ, dominium illius de iure non transferatur in iudicem, ſequitur, vt maneat apud dantem, ac proinde, vt illi ſit reſtitutio facienda.

Medin.

13. Sententia eſt nulla ſi aliquid datur iudici pro illa ferenda.

Scio multos eſſe authores, qui exiſtiment rem eſſe reſtituendam fiſco Regio ante illam ſententiam non danti. Ratio illorum eſt, quia quando aliquid iudici datur, aut promittitur pro pretio ferendæ ſententiæ, ſententia ipſo iure eſt nulla; vt conſtat ex *l. venales, C. quando prouocare non eſt neceſſe*; & ex *cap. cùm ab homine, de vita, & honeſtate Clericorum*; & notant *ibi gloſſa vlt.* & Panorm. *ibi n. 7.* & Bartol. *in l. 1. C. de pœna iudicis, n. 5.* & DD. communiter, & dominium rei datæ non transfertur in iudicem, quia eſt coactè, & inuoluntariè data; & quia turpitudo eſt ex parte dantis, ideo ei non cõceditur repetitio rei datæ, ſed addicitur fiſco, aut alicui alteri, vt habetur *l. 3. ff. de condict. ob turpem cauſam.* Vnde cùm iudex non acquirat dominium illius, & negetur repetitio danti, & ſtatim applicetur fiſco, ſequitur, vt in foro conſciẽtiæ ante vllam ſententiam fiſco debeatur, at dicendum eſt, negari repetitionem in foro externo danti, non in foro conſcientiæ, ac proinde in foro conſcientiæ, ante vllam ſententiam faciendam eſſe hanc reſtitutionem ipſi danti, non fiſco.

Panor. Bartol.

Illud animaduertẽdum eſt, ſæpe dari poſſe rẽ ex mera liberalitate, & gratitudine, aut ex amicitia iudicibus, & ex vi talis donationis transferri dominiũ in accipiẽtẽ, & tamẽ præſumi in foro externo datã fuiſſe ad illos peruertendos; quare tunc ſolùm in foro externo tenẽtur parere ſẽtẽtiæ, nõ in interno.

14. Promiſſio ob turpem cauſam, an ſit valida.

Ad pleniorem doctrinam, rogas, an promiſſio ob turpem cauſam facta, v. c. ob homicidium, ob fornicationem, ob teſtimonium falſum, ob iniuſtam dandam ſententiam, obliget, & valida ſit in

conſcien

conſcientia. Reſpondeo breuiter hac de re duplicem eſſe opinionem.

Opinio prima. Prima omnino negat eſſe validam,aut obligare talem promiſſionem,ſiue ante, ſiue poſt patratum opus;& conſequẽter docet teneri illos,qui aliquid acceperunt ob turpem cauſam,ſtatim in conſcientia id ipſum donantibus reſtituere,hanc tenet Medina *C.de reſt.q.*20.*verſ.in oppoſitum.* Durand.*in* 3. *diſt.*39.*q.*4.eã dicit probabilem;Leſſius *lib.*2.*c.*18. *de promiſ.& donat.dub.*5. & eam defendit egregiè Paul. Comitol. *in ſuis reſponſionibus ad caſus conſcientiæ*,& tenẽt multi,quos citat,ſed nõ ſequitur, Couar.*ad reg.peccatum* 2. *p* §.2.*n.*9. Et confirmari poteſt ex *l.generaliter,ff.de verb.oblig.*ibi,*Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti*;& ex *l.plagij, ibidem*, vbi ſic. *Si plagij faciendi, factive concepta ſit ſtipulatio ab initio,non valet.* Et fundamentum illius eſt,

Medina. Durand. Leſſius. Comitol.

Primò,quia illius leges inhabiles reddunt perſonas ad cõtrahendum;vnde cùm perſonæ ſint inhabiles,& incapaces ad huiuſmodi promiſſiones faciẽdas,inualidè,& nulliter tales promiſſiones fient.

Secundò,quia opus turpe,eſt inuendibile;quare nihil in eo dari poteſt, quod ſit pretio æſtimabile.

Tertiò, quia irritæ,& nullæ, iure naturali ſunt promiſſiones illæ, quæ fiunt contra bonos mores, vnde inualida eſt promiſſio,qua teſtator promittit, & concedit tutori,vt non teneatur de dolo,& culpa,quam commiſerit in adminiſtratione bonorum ſuorum filiorum;vt expreſsè habetur *in l. ſi vnus, §.illud,& §.pacta,ff de pactis,& l. pacta quæ,C. de pactis,*& docet Molin. *tom.*2.*de iuſt.diſp.*271. *fol. mihi* 114.*col.*2. nam huiuſmodi promiſſionibus,& pactis excitantur homines ad furta, & homicidia perpetranda;quare iure naturæ,irrita eſt talis promiſſio; promiſſio enim non eſt vinculum iniquitatis,ſed virtutis,& fidelitatis : ſed de iudice,& teſte,qui pro ferendis iniquo teſtimonio,& ſentẽtia aliquid accipiũt,an illud ante,& poſt latũ iniquum teſtimonium,& ſententiã teneantur reſtituere parti,à qua acceperũt,dicemus plenè infrà *c.*25.*à n.*16.

Molin.

15. Antequam ſecundam opinionem tradam,notãdum eſt, in vnoquoque opere malo,duo reperiri poſſe,primum eſt turpitudo,& malitia ipſius operis;ſecundum eſt labor in tali opere perpetrando, periculum cui ſe quiſque exponit, & iactura bonorum, vel vitæ,in illo perpetrando, difficultas, tempus,locus, in qua propè,vel longè eſt patrandum;voluptas illius,cuius cauſa eſt perpetrãdum; fidelitas quam iſte præſtat in illo patrando, & ſimilia,quæ omnia apud omnes prudẽtes,ſunt pretio æſtimabilia,& de ſe,& natura ſua,ſunt ſeparata ab intrinſeca turpitudine,& malitia ipſius operis ſicut ſimiliter in vnoquoque opere bono, v.c. in Miſſa dicenda,duo etiam repetiuntur;primum eſt bonitas intrinſeca ipſius operis.Secundũ eſt labor, quo eſt dicenda, locus,& tempus,in quo eſt dicẽda, tali enim loco,& tempore dicenda erit,vt non niſi cum magnis expenſis,& magno periculo vitæ, aut bonorũ fortunæ,cui ſe Sacerdos quiſque exponat,dici poſſit,& ſimilia,quæ etiã pretio ſunt æſtimabilia,& à bonitate ipſius operis ſeparari poſſũt.

16. *Opinio ſecunda probabilior.* His notatis, ſecunda, & probabilior ſententia docet,ante patratum opus turpe,promiſſionem de illo faciendo eſſe iniquam, irritam, & nullam, ex vtraque parte, tam ſponſoris operis, quàm pecuniæ,& nihil deberi in conſcientia, & teneri ſponſorem operis reſtituere;ſi quid iam pro illo patrando accepit; patrato verò opere, teneri ex iuſtitia pecuniæ promiſſorem in conſcientia ſoluere proportionatum pretium operi. Hæc communis eſt omnium DD. & in eam conſpirare omnes Theologos,Canoniſtas,& Legiſtas,docet Nauar.*in ſum. Lat.c.*17.*n.*34. eã docet D.Thom.2.2.*q.*32.*art.*7. Caiet. *ibi.*Sotus *lib.*4. *de iuſt.q.*7.*art.*1. *ad* 2. *verſ. quapropter.* Couar.*in reg.peccatum* 2.*p.*§.2. *num.*1. Gutier.*lib.qq.can.c.*10.*n.*1. Bartol. & communiter Legiſtæ *in l.*2.*de cond.ob turpem cauſam.* Cordub. *lib.*1.*quaſt.* q.32.*art.*2. Medin.*C.de reſt. q.*28. vbi dicit eſſe probabilem; Leſſius *lib.*2.*cap.*18.*dub.*3. Mol.Theolog.*tom.*1.*diſp* 94.*verſ.contraria ſententia.* Probatur rationibus, quia promiſſio non eſt vinculum iniquitatis; ergo ante patratũ opus cùm ad peccatum incitet, & animet,nulla eſt talis promiſſio iure naturæ;ac proinde ſi quid iam quaſi in pretium patrandi operis fuerit acceptum,illud tenebitur accipiens reſtituere;poſt patrationem verò operis,cùm periculum, cui ſeparatur,expoſuit,labor, & induſtria in patratione illius ſint res pretio æſtimabiles, & ſecundùm ſe,& abſolutè ſeparabiles à malitia,& turpitudine illius, iudicio prudentium ſunt vendibiles;tantum ergo illi erit reddendum in conſcientia, quantum hæc arbitrio prudentis valent. Sed hac de re fuſiorem ſermonem feremus infrà *cap.*42. *à num.*19. & 20. quo loco hanc quæſtionem latè tractabimus.

Nauar. D.Thom. Caiet. Sotus. Couar. Guttier. Bartol. Cordub. Medin. Leſſius. Molin.

Ad fundamenta prioris opinionis,reſpondeo leges illas, intelligendas eſſe ante patrationem operis,non enim eſt mens legiſlatorum tollere poſt patrationem operis eam obligationem iuris naturalis,quæ ex iuſtitia debetur, quæque in huiuſmodi obligationibus, ac promiſſionibus vtrimque onerosis reperitur,vt dixi. 17.

Ad ſecundum dicendum leges antecedenter reddere inhabiles huiuſmodi ſtipulatores ad contrahendam obligationem validam, & de facto irritant eas promiſſiones, quatenus malæ ſunt,non verò quo ad ea, quæ in eis pretio ſunt æſtimabilia, & de ſe ſunt bona, iure naturæ ſpectato, & à malitia, & turpitudine operis ſeparabilia, vt diximus, & ſi quoad hæc etiam eos vellent reddere inhabiles,& promiſſiones irritas,offenderent profectò ius naturæ,& iniuſtæ eſſent tales leges,quod non eſt dicendum. nam quamuis meretrix peccet meretricando, & turpiter faciat,non tamẽ peccat, nec turpiter,aut iniuſtè faciat accipiendo pretium ſui laboris,& gaudij,aut voluptatis quam nebuloni dedit; vt expreſsè habetur *in l.*4. *verſ. ſed & quod meretrici. ff. de condict. ob turpem cauſam*, & quamuis nebulo & fornicator turpiter faciat, & peccet fornicando, non tamen peccat ſoluendo meretrici pretium ſui laboris,vt patet.

Ad tertium reſpondeo, opus turpe quoad turpitudinem operis,& actus eſſe inuendibile,quoad circunſtantias verò, quæ in ipſo actu reperiuntur, & ab illo ſunt ſeparabiles,& ſunt licitæ, & pretio æſtimabiles,poſſe eſſe vendibile; ſed hoc non eſt eſſe opus turpe vendibile, ſed eſt eſſe accidentia, quæ in illo reperiũtur vendibilia,modo explicato.

Ad quartum reſpondeo promiſſiones cõtra bonos mores eſſe irritas, & nullas iure naturæ,quatenus tales ſunt, non verò quoad ea,quæ in eis licita inueniũtur;quare cùm ante patrationem talis operis prædicta promiſſione poſſit quis animari ad illud perpetrãdum,talis promiſſio eſt iure naturali nulla;quia animat ad malum; patrato verò opere, cùm in eo inueniantur accidentia,& circũſtantiæ, quas iam explicauimus,licitæ, quæ ſunt à malitia, & turpitudine illius ſeparabiles,meritò tanti valebunt iudicio prudẽtum,quanti à prudentibus æſti-

matæ fuerint, & ad hanc æſtimationem tenebitur in conſcientia promiſſores; in cuius gratiam opus turpe patratum eſt, modò ipſi habeant ius donãdi, & promittẽdi, & aliunde non ſint inhabiles ad dandum, & contrahendum. nam ſi ſint ſerui, qui nihil proprium habent, aut Religioſi, nihil debent in conſcientia, imò ſi aliquid poſt patratum opus iam dederunt, id totum reſtituendum illis eſt; vt docet Gutier. *lib. 2. q. 9. can. cap. 10. num. 4.* Nauar. *cap. 17. num. 156.* Armilla *verb. reſtitutio, num. 10.* & alij.

18. *An Confeſſarius non obligans pœnitẽtem ad reſtitutionem debiti teneatur illud reſtituere.* Sed dubium eſt, an Confeſſarius non obligans pœnitentem ad reſtitutionem, debiti, teneatur ipſe illud reſtituere? Negat Sanch. *tom. 1. Decal. lib. 1. cap. 6. num. 5. ad fin.* & Suar. *tom. 4. de pœnit. diſp. 32. ſect. 6. ad finem.* Fundamentum illorum eſt, quia non tenetur Confeſſarius ex officio bonorum creditorum procurare, ſed ſolùm bonum ſpirituale ipſius pœnitentis, nec eligitur ad ſolutionem debitorum, ſed ad abſolutionem peccatorum, & ideo culpabiliter ſe gerens erga creditores ſui pœnitẽtis non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra Religionem, exercendo negligenter ſuum ſacrum miniſterium. Affirmant Syluest *verb. confeſſor 3. q. 11.* diſtinctionem adhibens in Confeſſarium, & delegatum, ſed tandem vtrumque obligat, & Gabriel *in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. dub. 5.* Nauar. *in ſum. cap. 17. n. 22.* & Angel. *verb. reſtitutio, vlt. n. 5.* Roſel. *verb. reſtitutio 2. l. 5.* & fundamentum eſt,

Primò. quia ſi id faciat ex malitia, vel ex graui negligentia, eſt cauſa illius damni, & qui alteri eſt cauſa damni, tenetur illud ei reſtituere.

Secundò, ſi non faciat ex malitia, eſt iudex fori interni, & ſicut iudex fori externi tenetur ad reſtitutionem ſi ſententiam contra iuſtitiam ferat, & ſi ſe ſentiat imperitum, & nihilominus officium iudicis exerceat, ita & Confeſſarius in foro interno ad eam reſtitutionẽ ſimiliter tenetur, vtraque opinio eſt probabilis. Prima probabilior, & ſolùm in eo caſu obligandus erit ad reſtitutionem, quando poſitiuè conſuluit culpabiliter, vel induxit, vt non reſtitueret, quia tunc reuera committit iniuſtitiam, ſecus ſi per negligentiam omiſit pœnitentem admonere, vt reſtitueret, & fundamenta ſecundæ opinionis ſolum primum probant, non ſecundum.

CAPVT XXVIII.

An peccent iudices excommunicati vſurpatione iudicij, & teneantur ad reſtitutionem ſi illud exerceant.

SVMMARIVM.

Si excommunicatio ſit occulta, nõ peccat iudex vſurpatione iudicij iudicando, & acta illius hodie ſunt valida. num. 1. & 2.

Olim ante Extrauagantem Martini V. erant valida. num. 3. & 4.

Si excommunicatio ſit publica, & notoria, olim ante Extrauagantem Martini V. & Concilium Conſtantienſe, peccabant iudices vſurpatione iudicij, & eorum ſententia erant inualida, & tenebantur ad reſtitutionem partibus ſi in prædicta excommunicatione iudicabant. num. 5. *Secus hodie ſi ſe his actibus non ingerant Sacramenta etiam Confeſſionis ſunt valida, dum Confeſſarij non ſunt denunti.* ibid. & 6. & 7. & 8.

Nullus tamen fidelium tenetur admittere iudicem publicè excommunicatum in ſuum iudicem nondũ denũciatum, ſed poteſt illũ excipere, ſi voluerit. n. 9.

Publici excommunicati tolerati, & nondum denunti, nec licitè, nec validè poſſunt exercere actus iuſtitiæ ſe ingerendo, poſſunt tamen ſi fideles id ab eis exigunt, aut illos in iudices accept. num. 10.

Quid ſi publicus excommunicatus, & nominatim denunciatus in vno loco, in alium ſe conferat, vbi ignoratur fuiſſe nominatim denunciatus, licèt non ignoretur fuiſſe publicè excommunicatus. n. 11.

Quid ſi in eodem loco vbi fuit publicè denunciatus, id iam ignoretur. num. 12.

An tunc peccet exercendo actus iuriſdictionis. n. 13.

Iudices nominatim denunciati, peccant vſurpatione iudicij iudicando, & eorum acta ſunt irrita, & tenentur ad reſtitutionem damnorum. num. 14.

STATVO primò, ſi excommunicatio ſit occulta, non peccat iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis vſurpatione iuriſdictionis iudicando, & acta eius, & ſententiæ ſunt validæ, & à nemine hodie, poſt Extrauagantem Martini V. negatur, & procedit non ſolùm in ſententiis, & actis fori externi, ſed etiam interni, & ſacramentalis, & in ſacramento Pœnitentiæ, vt *infrà* patebit, DD. enim generatim loquuntur, & rationes eædem in vtroque foro procedunt. Eam docet Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. c. 29. dub. 7. init.* Filliuc. *tom. 2. tract. 40. in 8. præcept. Decal. c. 6. n. 157.* Suar. *tom. 5. de cenſuris, diſp. 14. ſect. 1. n. 8.* Sot. *d. 22. q. 2. art. 1. circa fin.* Nauar. *in ſum. cap. 27. n. 21. & cap. 9. num. 8.* Couar. *in cap. alma mater, p. 1. §. 11. num. 4.* Fundamentum eſt, 1. *Concluſio prima.* Leſſius. Filliuc. Suar. Sotus. Nauar. Couar.

Primò, quia dum non denunciatur, non priuatur iuriſdictione ſua.

Secũdò, quia dum quis in Republica officium, aut munus publicum exercet, acta eius ſunt valida in vtilitatem communem ex tacita Reipublicæ conceſſione; quamuis habeat defectum aliquem occultum, vt eſt commune pronunciatum iuris ciuilis peritorum, ad leg. *Barbarius, ff. de officio Prætoris*; Eccleſia autem non minori prouidentia vtilitatem ſuorum fidelium curat, quàm Reſpublica ciuilis vtilitatem ſuorum ſubditorum.

2. *Quid de iure antiquo ante Extrauagantem, Ad cuitanda.* Dixi, *hodie poſt Extrauagantem Martini V. à nemine hoc negari*, quia ſtando in iure antiquo ante prædictam Extrauagantem, & ante Conciliũ Conſtantienſe, ex quo illa deducta fuit, multi id negarunt, & dixerunt omnia acta ab huiuſmodi iudice excommunicatione occulta ligato eſſe inualida, & peccare iudicem vſurpatione iudicij ita iudicando, quam opinionem tenuit olim gloſſa *in §. verum tamen, poſt c. infamis 3. q. 7.* & Syluest. *verb. excommunicatio 1. n. 6. in fine; & verb. excommunic. 2. n. 1.* vbi aliàs refert ex eo fundamento, quia valor horum actuum non pendet ab hominũ notitia; ſed à iuriſdictione. Vnde ſi reuera occultus excõmunicatus ratione occultæ excommunicationis illa carebat, vt reuera carebat, omnia illius acta erunt inualida. Syluester.

3. At contraria ſententia eſt vera, nam etiam olim ante Concilium Conſtantienſe, & Extrauagantem Martini V. non peccabant iudices vſurpatione iudicij, occulta excommunicatione iudicando, & illorum acta omnia in vtilitatem publicam erant valida; vt docent Suarius, Sotus, Nauar. Couar. *allegati*, & Richardus *diſt. 18. art. 7. q. 1.* & Palud. *q. 2. art. 3. & q. 4.* Quia Eccleſia in vtilitatem communem cenſebatur conferre iuriſdictionem ad valorem ſingulorum actuum huiuſmodi iudicibus occultè excommunicatis, cùm non minus curet vtilitatem Couar. Richard. Palud.

litatem ſuorum fidelium, quàm Reſpublica ſuorũ ſubditorum; iuxta dicta in ſecundo fundamento primæ noſtræ concluſionis *num.* 1. explicatæ; quod probatur à contrario ſenſu, ex *c. ad probandum, de re iudicata*, ibi, *Si publicè excommunicationis vinculo irretitus ſit.* vbi ſic inferunt (& rectè quidem) Abbas, & Felin. ergo ſi non ſit publicè irretitus, non infirmabitur eius ſententia, & actus valebunt.

4. Nec obſtat ſi dicas, ſolùm illa acta olim fuiſſe valida, quæ in vtilitatem, & fauorem aliorum cedebant, non verò illa, quæ cedebant in grauamẽ, & detrimentum illorum, quandoquidem hoc priuilegium non ipſi excommunicato, ſed aliorum vtilitati conceditur, ſicut *in dict. l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, priuilegium valoris actuum non conceditur iudici occultos defectus patienti, ſed aliorum vtilitati, ibi, *Propter vtilitatem eorum, qui apud eum negotia gerunt*. Vnde vbi fuerit vtilitas fideliũ, valebũt; vbi verò non fuerit vtilitas, ſed grauamen, non valebunt, v. c. valebit abſolutio ab eo excommunicato occulto data; cenſura autẽ lata contra aliquem, non valebit. Reſpõdeo, hæc iuriſdictio non concedebatur olim huiuſmodi excõmunicato occulto, ſicut nec iudici ſæculari, occultum defectum iuriſdictionis patienti, ob fauorem particularem huius, aut illius peculiaris hominis; ſed ob publicam Reipublicæ, & Eccleſiæ vtilitatem; & ideo licèt contingat actus horum iudicum ſæcularium, & Eccleſiaſticorum eſſe alicui nociuos, & detrimentoſos, nihilominus validos eſſe, quia ad Reipublicæ, & Eccleſiæ bonũ ita expediebat, cùm de facto procederent ab eo iudice, qui ab Eccleſia habebat poteſtatem, & iuriſdictionẽ toleratam; deinde, quia huiuſmodi actiones, & excommunicationes licèt reſpectu eorum, contra quos expediũtur, eſſent oneroſæ; tamẽ reſpectu illorum, in quorum gratiam, & ad quorum petitionem ferebantur, erãt fauorabiles; & ideo erant validæ, quia valor illarũ non debuit dependere à voluntate illorum, contra quos prædictæ excõmunicationes ferebantur. Vnde licèt iudex, quatenus occultus excommunicatus habebet ſolùm iuriſdictionẽ in habitu, & non haberet olim actualem vſum illius, tamen quatenus miniſter publicus toleratus ob vtilitatem communem recipiebat ad ſingulos actus vſum talis iuriſdictionis; ita Suar. *tom* 5. *de cenſuris, diſp.* 14. *ſect.* 1. *num.* 10. *ad finem.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 7. *n.* 54. Filliucius *tom.* 2. *in* 8. *præceptum Decal. c.* 6. *n.* 157. Suar. Leſſius. Filliuc.

5. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, cùm excommunicatio iudicis erat publica, ſeu notoria, olim ante Conciliũ Conſtantienſe, & Extrauagãtem Martini V. *Ad euitanda*, ex illo deductam, peccabant iudices lethaliter, tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares vſurpatione iudicij iudicando, & tenebantur ad reſtitutionem, & illorum ſententiæ, & acta, ex defectu iuriſdictionis erant irrita, & nulla. Hodie verò poſt hoc Concilium, & Extrauagantem, verius eſt, nõ peccare, nec ſententiam, & acta illorum, eſſe irrita, dummodo ſe ſponte actui iudicandi non ingerant; & dummodo non ſint de tali excommunicatione nominatim denunciati, vel notorij Clerici percuſſores: ita docent expreſsè Leſſius *lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 7. *n.* 5. licèt *in n.* 59. dicat, peccare mortaliter, ſed intelligendus ibi eſt, ſi ſe his actibus ingerant, ne ſibi contrarius ſit. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 40. *in* 8. *præcept. Decalog. cap.* 6. *n.* 157. Nauar. *c.* 27. *n.* 7. Henriq. *de excom. c.* 7. Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 1. & alij paſſim. Suar. *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 14. *ſect.* 1. *n.* 13. Et hanc debent tenere neceſſariò omnes qui dicũt, nullam eſſe culpam matrimonium contrahere ſcienter cum excõmunicato excommunicatione maiori publicè ligato, niſi denunciatus ſit, aut notorius Clerici percuſſor, imò neque petere, & recipere omnia ſeptem Sacramenta, etiam confeſſionis, à quocumque miniſtro Parochi, non Parocho, etiam non parato, publicè excommunicato, abſque vlla neceſſitate, & præſente alio non excommunicato, dummodo nõ ſit denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor, illumque miniſtrum ſi non ſe ingerat horum Sacramentorum adminiſtrationi; ſed ad fidelium petitionem ſacramenta miniſtret, immunem eſſe culpæ, & validè ea adminiſtrare, & nec venialiter etiam peccare ſi nullũ aliud impedimentum, dempta hac excõmunicatione, habeat, ſubindeque nec irregularem fieri; & hi, qui hoc ita expreſsè tenent, ſunt Suar. *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 14. *ſect.* 1. *n.* 13. *ad fin.* Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 9. *n.* 8. Victor. *in ſum.* vbi *de excom. n.* 339. Sotus *in* 4 *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *col.* 3. *verſ. ait verò*, Ledeſm. 1. *p.* 4. *q.* 5. *art.* 6. *dub. penult.* Lud. Lop. 2. *p. inſtruct.* vbi de Sacramentis in genere *cap.* 59 *col.* 18. *verſ. at verò vrgentius dubium fol.* 85. Viuald. *in candelab. aur.* 1 *p. de matr. n.* 80. & Suar. iterum *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 11 *ſect.* 4. *num.* 18. *fol. mihi* 314. *col.* 1. loquendo ſpeciatim de petitione ſacrificij Miſſæ ab ipſo excommunicato tolerato Parocho, non Parocho, parato, vel non parato, & præſente alio Sacerdote non excommunicato; ſed eadẽ eſt ratio de petitione omnium Sacramentorũ. Suar. Sanchez. Victor. Sotus. Ledeſm. Lopez. Viuald. Suar.

Neque obſtat dicere, non eſſe parem rationem in foro interno, & adminiſtratione omnium Sacramentorum, atque in actibus fori contentioſi, & externi, quia actus fori interni proximè ordinãtur ad ſalutem animæ, & magnum eſſet periculum, ſi validi non eſſent; actus verò fori externi verſantur, & ordinantur ad res corporales, & externas, in quibus non tantum eſt periculi ſi inualidi ſint. 6.

Primò, quia actus iuriſdictionis externæ interdum ordinantur proximè, & immediatè ad bonum animæ, & forum conſcientiæ, vt ſunt diſpẽſationes in votis, indulgentiarum conceſſiones, & ſimiles.

Secundò, quia hoc non pendet præcipuè ex ratione; ſed ex iure; ius autẽ æquè id in vtriſque actibus diſpoſuit, etiamſi non eſſet fortaſſe eadem omnino ratio in illis; vt patet ex Concilio Conſtantienſi, & Extrauaganti, *Ad euitanda*, Martini V. quod in fauorem fidelium factum eſt; vt patebit infrà, *à num.* 8. Concluſio habet tres partes.

Prima aſſerens ante Concilium Conſtantienſe, & Extrauagantem, *Ad euitanda*, Martini V. peccare iudices publicè excommunicatos, nec denũciatos iudicando, & eorum ſententias & acta eſſe ipſo iure irrita, & nulla, docetur à Suar. *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 14 *ſect.* 1. *n.* 4. & à Leſſio, & Filliucio *allegatis*, & probatur efficaciter ex *c. ad probandum, de re iudicata*, vbi non tantùm ſententia ab vno iudice publicè excommunicato lata, ſed etiam lata à multis, quorum vnus tantùm publicè excommunicatus erat, caſſanda dicitur, vbi gloſſa aduertit caſſandam dici, quia caſſa, & irrita declaranda eſt, quod intelligendum eſt, vt bene ait Leſſius *allegatus*, quando certus numerus iudicum ad cauſæ definitionem requirebatur, tunc enim ob vnius excommunicationem ſententia eſt inualida, quia vnus eſt inhabilis; ac ſubinde requiſitus numerus iudicum non eſt completus, ſecus ſi certus numerus iudicum non requireretur; ſed ſolùm maior pars, tunc enim ſententia erit valida, ſi maior pars iudicũ habilium conſenſerit, quia vtile per inutile non vitiatur. Probatur etiam *ex cap. audiuimus* 24. *quæſt.* 1. vbi dicitur excommunicatum excommunicato 7. Suar. Filliuc.

nicare non poſſe, quod de publicè excommunicato intelligitur; vt *ibidem* gloſſa notat, *verb. non potuit*; quia cùm hic non habeat iuriſdictionem, illa ligare non poteſt, & quamuis *ibi* addatur excommunicatum à publico excommunicato poſſe Apoſtolica authoritate abſolui, intelligendum id eſt, vt explicat *ibi* gloſſa, & Suarius *allegatus*, poſſe declarari non fuiſſe excommunicatum. Et ratio eſt, quia huiuſmodi publici excommunicati, licèt olim retinerent officium, & ratione officij iuriſdictionem, tamen retinebant illam in habitu, non in actu, erant enim priuati ipſa iuriſdictione quoad actus externos, vnde ſi in aliquos actus externos prodibant, huiuſmodi actus erant inualidi, quia poteſtas ſuſpenſa, & impedita à functione ſua perinde eſt, ac ſi non ſit poteſtas; quare dum huiuſmodi iudices olim iudicabant, peccabant vſurpatione iudicij aſſumentis poteſtatem & iuriſdictionem, quam non habebant, & actus erant inualidi, vt patet.

Secunda pars concluſionis aſſerens hodie poſt Concilium Conſtātienſe, & Extrauagantem Martini V. *Ad euitanda*, ex illo deductam acta iudicum publicè excommunicatorum, & ſententias eſſe validas, & non peccare illos vſurpatione iudicij, ſiue ſint iudices Eccleſiaſtici, ſiue politici, & ſæculares, dummodo ſint tolerati, & non ſint publicè denunciati, aut notorij Clerici percuſſores; docetur expreſsè à Nauar. *cap. 27. num 7.* & Henriq. *de excommunicatione, cap. 7.* & à Soto *in 4. diſt. 22. q. 2. art. 1.* & à Leſſio *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 57.* & à Filliucio *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 6. num. 157.* & à Suario *tom 5. de cenſuris, diſp. 24. sect. 1. num. 13* & hoc eſt probabilius, etiamſi contrarium quoque probabile ſit. Probatur facilè, quia Concilium Conſtantienſe, & Martini V. in ſua Extrauaganti *Ad euitanda*, ſtatuit in fauorem fidelium, non in ipſorum excommunicatorum vitandos eſſe dumtaxat nominatim denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores, & conceſſit, vt fideles poſſint cum aliis in omnibus rebus tam diuinis, quàm humanis, tam publicis, quàm priuatis communicare; ergo etiam tacitè vult eorum actus eſſe validos, ac firmos, niſi enim id vellet, non deberet concedere in omnibus; quorſum enim concederet, vt ab illis poſſimus ius, & alios actus legitimos exigere, vt præſentationes, electiones, illationes, & confirmationes beneficiorum, imò, & ſacramenta, etiam confeſſionis, iuxta Suarium, & Sancium, & omnes allegatos *num. 6. verſ. & hanc debent neceſſariò tenere*; ſi enim tales eorum actus, & abſolutiones eſſent inualidi, profectò illuſoria, & noxia foret talis conceſſio, nam plurimi per eam deciperentur, & cum magno illorum damno, omnia hæc reſcinderentur. Deinde, quia ſi fideles Chriſtiani iura, & actus iudiciales in foro externo, & Sacramenta omnia, ac confeſſiones in foro interno ab his poſſunt licitè, & validè petere, iuxta eandem Extrauagantem; profectò licitè quoque & validè ad petitionem fidelium, hæc illi omnia poterunt exercere, cùm hæc ſint correlatiua; peccabunt tamen ipſi excōmunicati, ſi ſe in his ingeſſerint, & ſine petitione fidelium, illa voluerint adminiſtrare; & illorum actus erunt validi vtriuſque fori, ſi partes conſenſerint, cùm Eccleſia per Extrauagantem *in nullo* eis velit fauere. Voluit itaque Eccleſia dum rigorem antiquorum Canonum, circa communicationem cum excommunicatis temperauit, tacitè tollere illam ſuſpenſionem iuriſdictionis, quam olim publica excommunicatio continebat; quod ſanè erat expediens in hoc ſtatu rerum, quo ſæpe iudices diu in excommunicatione, vel ob hæreſim, vel ob violentam libertatem Eccleſiaſticam, vel ob alias cauſas manent.

Nauar. Henriq. Leſſius. Filliuc. Suar.

9. Nemo tamen fidelium tenetur admittere iudicem publicè excommunicatum, nondum denunciatum in ſuum iudicem, ſed poteſt legitimè eum excipere, propter talem excommunicationem; vt patet expreſsè *ex cap. exceptionem, in fine, de exceptionibus*, quod verum eſt, etiamſi eius excommunicatio in hoc loco non ſit manifeſta, modò tamen alibi in alio ſit publica, & ipſe poſſit illam in iudicio probare, vt colligitur ex *eodem c.* iuncta gloſſa *verb. publicè*. Ratio eſt, quia etſi Concilium Conſtantienſe concedat, vt poſſit quis cum iudice publicè excommunicato, nondum denunciato, habere commercium, & ius ab illo petere, ſi voluerit, non tamen cogit, aut obligat, vnde ſicut olim poterat recuſari, ita & nunc; ſi tamen partes in illum conſenſerint, & ſententia iuſtè lata fuerit, non poterit propter excommunicationem reſcindi, aut inualidari, quia à legitimo iudice, cui partes ſe ſubmiſerunt, lata eſt. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 7. num. 58.* Suarius *tom. 5. de cenſuris, diſput. 14. ſectio. 1. num. 15. ad finem.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 33. & 34.* Ex quo

Leſſius. Suar. Sanchez.

10. Sequitur primò, vt rectè *ibi* infert Suarius, hos publicos excommunicatos nondum denunciatos, non poſſe licitè exercere actus iuſtitiæ ſponte ſua, niſi fideles ius ſuũ ab illis exigãt, quia non poſſunt ſe ingerere actibus iudicialibus, poſſunt tamen requiſiti à partibus illos illicitè, & validè exercere.

Sequitur ſecundò, quamquam huiuſmodi excōmunicati velint exercere aliquos actus iuſtitiæ, non teneri fideles obedire, & illorum acceptare præcepta, quia hoc priuilegium communicandi cum illis conceſſum eſt fidelibus, non ipſis excommunicatis, ac proinde liberum illius eſt illo vti, vel non vti. Vnde fit, vt ſi huiuſmodi excommunicati, nondum denunciati diſpenſent, vel abſoluant, aut ſimile opus gratiæ efficiant, acceptari poſſit, quia eſt validum, licitum & vtile; ſi verò aliquid præcipiant, non teneantur fideles obedire, niſi illos à principio acceptauerint in iudices; & pari ratione ſi aliquem excommunicent, non valebit excommunicatio, niſi illi, contra quos illa fertur, illam voluerint acceptare, idque vel quia talis excommunicatio non ſupponit contumaciam in excommunicato, eo quòd reſpectu iudicum, qui publicè ſunt excommunicati, nemo ſit contumax, cùm nemo ei obedire teneatur, vel quia ipſa excommunicatio debet procedere ex virtute coactiua, quam non habet publicus excommunicatus toleratus, & nondum denunciatus, ex vi Extrauagantis, *Ad euitanda*, vt dictum eſt, ſic Suar *alleg. dict. num. 15.*

11. Si aliquis publicus excommunicatus, & nominatim denunciatus in vno loco, & vrbe, ſe conferat in aliam, vbi ignoratur, cum alibi nominatim fuiſſe denunciatum, & vitandum, licèt non ignoretur fuiſſe publicè excommunicatum, fieretque in eo iudex, vel Confeſſarius, valerent abſolutiones, & ſententiæ ab eo in eo datæ; item ſi eodem loco in quo primò fuit excommunicatus, pro diuerſo tempore non haberetur ipſe pro denunciato, & vitando, licèt pro publicè excōmunicato habeatur, quod fieri poteſt, ſi ipſa denunciatio iam memoria hominũ exciderit, vel quia publicè creditur abſolutus, cùm tamē reuera nō ſit, acta eius erũt valida, ſi requiſitus à partibus iudicauerit, & vitari nō poterit ab aliis. Ratio eſt, quia in eo loco ab Eccleſia cenſetur

cenſetur toleratus, ac proinde quæ de iudice publicè excommunicato tolerato dicta ſunt, de illo quoque dicenda erunt, vt docent Leſſius *dicto lib.2.cap.29.dub.7.num.62.* Sanchez *lib.3.de matri.diſp.22.num.39.* vbi agit de Confeſſario, & *num.34 fine,& num.45.* & Soarius *dicto tom.5. de cenſuris,diſp.4.ſect.1.num.16.* Confirmatur, quia publicè denunciatus hodie poſt Concilium Conſtantienſe comparatur cum publico excommunicato, olim ante prædictum Concilium, vt docet Soarius *dicto num.16. in fine*, &, ſi publicus excommuuicatus olim in vno loco, ſe mutaret in alium, in quo occulta eſſet illius excommunicatio, ſimiliter omnia illius acta valida eſſent; vt docet *ibi* idem Soarius.

Leſſius. Sanchez. Soar.

12. Similiter à fortiori, ſi in eo loco, ad quem ſe contulit, ignoretur omnino illius excommunicatio, & communiter habeatur pro non excommunicato, omnia illius acta erunt etiam valida, ſi fuerit iudex laicus, & excommunicationes, præſentationes, collationes, & inſtitutiones beneficiorum validæ quoque erunt, ſi fuerit Eccleſiaſticus, quia tunc reputabitur pro occulto excommunicato, neque ipſe tenebitur ſe manifeſtare; & ratio eſt, quia iuxta antiquum ius, excommunicatus publicus in vno loco, ſi in alio ad quem ſedem mutauit, eſſet occultus, & ibi publico fungeretur officio, validas actiones efficeret, iuxta communem ſententiam, quam docet Panormitanus *in cap. ad noſtram 3.de iureiur.num.6. & in cap.ſciſcitaſtis,de reſcript.num.23.* Soarius, & Leſſius *allegati*; & omnes Canoniſtæ *ibidem*, argumento dictæ legis *Barbarius.ff.de officio Prætoris*, tunc enim vrget neceſſitas, & vtilitas publica, & notitia, quæ in alio loco habetur de illius excommunicatione, impertinens eſt, ad ea, quæ in hoc, vbi illius excommunicatio ignoratur, geruntur.

Panorm. Soar. Leſſius.

Neque obſtat, quòd ipſe re vera ſit priuatus per excommunicationem publicam, & denunciationem abſolutè omni iuriſdictione in omni loco, quia Eccleſia ob communem vtilitatem, & bonum publicum, etiamſi velit illum manere excommunicatum, & ſuſpenſum, vel priuatum omni iuriſdictione, in omni loco, ei nouam iuriſdictionem ad ſingulos actus extraordinariè confert in loco, vbi vel eſt toleratus, vel occultus, ſupplendo defectum, qui ex parte ipſius habetur, ne cum damno aliorum actus illius ſint irriti, vel certè ſuſpenſionem iuriſdictionis ei ad ſingulos actus relaxat, etſi velit illum manere ſuſpenſum, qui modi parum inter ſe differunt; ita docet Leſſius *lib.2.cap.29.dub.7.num.6.in fine.*

Leſſius.

13. An autem tunc peccent huiuſmodi excommunicati, in iis locis, in quibus illorum excommunicatio publica non eſt, licet alibi fuerit publica, & denunciata, ſi iudices ſint, & ſe pro non excommunicatis gerant, addubitant DD. certè Leſſius *dicto lib.2.cap.29.dub.7.num.62.verſ.hinc tamen*, exiſtimat peccare mortiferè, quia re vera ſunt ſuſpenſi, & excommunicati, & quantum eſt ex parte ſua, vſurpant ſibi poteſtatem & iuriſdictionem, in re graui, quam non habent. At conſequenter dicendum eſt eos nec venialiter quidem peccare, ſi ſe non ingerant huiuſmodi actionibus, ſed ad petitionem fidelium illas exerceant, nam hi, qui in hoc loco ſunt publicè denunciati, ſi ſe in alium conferant, in quo illorum denunciatio ignoratur, computandi ſunt cum iis, qui ſunt publicè excommunicati, tolerati, & qui numquam fuerunt denunciati; vt docet expreſsè Soarius *tom. 5. de cenſuris, diſp.14.ſect.1.num.16.* Vnde cùm hi nullo modo peccent, ſi ſe non ingerant, & requiſiti officium iudicis exerceant, vt diximus *num. 5.* neque illi quoque peccabunt.

Idem. Soar.

Tertia pars concluſionis, aſſerens iudices, tam 14.
ſæculares, quàm Eccleſiaſticos nominatim denunciatos, & notorios Clerici percuſſores peccare mortaliter vſurpatione iudicij, & eorum acta eſſe nulla, & teneri conſequenter ad reſtitutionem damnorum, ſi quæ inde illorum cauſa partibus adueniant, eſt communis omnium DD. eam docet expreſsè Sanchez *lib.3. de matr. diſp.22. num.36.* Guttierrez *qq.canon.lib.1.cap.1.num.75.* Henriq. *lib.23.de excom.cap 7.num.6.* Horoſius *l. & quia, num.47.ff.de iuriſdict.omn.iud.* Soarius *dicto tom.5. de cenſuris,diſp.4 ſect.1.num.16.* Leſſius *dict.lib.2. cap.29.dub.7.num.60.* Filliucius *tom.2.tract.40.in octauum præceptum Decalogi,cap.6.num.157.ad finem*, & alij communiter; & ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſe, & Extrauagans *Ad euitanda*, prædictos hos nominatim denunciatos, & manifeſtos Clerici percuſſores ſemper excipiunt; & ideo huiuſmodi nominatim denunciati, & notorij Clerici percuſſores, ſemper æquiparantur in iure; quare quod de illis dicitur, de his quoque dicendum eſt: vnde ſi huiuſmodi notorij Clerici percuſſores, ſe transferant in alium locum, vbi ignorentur eſſe tales, poterunt licitè, & validè exercere actus iudiciales, & eligere, præſentare, inſtituere ad beneficia, ſi hæc ab illis petantur, non verò ſi illis ſe ingerant, vt docent Authores allegati. Et conſequenter etiam æquiparantur hodie poſt prædictũ Concilium Conſtantienſe nominatim denunciati cum iis, qui olim ante prædictum Concilium erant publicè excommunicati, & de iiſdem omnia ad inuicem dicenda ſunt, vt rectè animaduertit Soarius *allegatus dicto num.16. in fine.* Ex dictis ſequitur geſta per iudicem occultum hæreticum, imò & per publicum, ac notorium hæreticum, valida eſſe; & non peccare illum vſurpatione iudicij, dum non eſt denunciatus de excommunicatione, quam incurrit propter ipſam hæreſim, aut dum non eſt condemnatus criminis ipſius hæreſis; quia dum non eſt denunciatus, aut de crimine damnatus per ſententiam declaratoriam criminis, non amittit iuriſdictionem; quare geſta illius neceſſariò valebunt; vt benè tradit Henriq. *lib.6. de pœnit.cap.13.num.12.* & Sanchez *lib.3.de matrim. diſp.22.num.38.* & alij communiter.

Sanch. Guttier. Henriq. Horoſius. Soar. Leſſius. Filliuc. Soar. Henriq. Sanchez.

Ratio verò ob quam hæc omnia, quæ dicta 15.
ſunt, procedant in iudicibus etiam ſæcularibus, & non Eccleſiaſticis dumtaxat, eſt

Primò, quia *in cap. exceptionem, de exceptionib. ad finem*, ita dicitur. *Excommunicatus autem publicè, & ſi huiuſmodi exceptio non opponitur, nihilominus eſt officio iudicis repellendus*; vbi ius loquitur abſolutè de omnibus, iudicibus tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis.

Secundò, quia omnes excommunicati, ſiue iudices ſint ſæculares, ſiue Eccleſiaſtici, priuantur vſu iuriſdictionis in ſubditos; vt patet *in cap. nos ſanctorum 15. quæſt.6.* ibi, *Nos ſanctorum Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica authoritate à iuramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant.* Vnde ſi ſubditi non tenentur eis obedire, ſuſpenſa planè eſt eorum iuriſdictio, ac ſubinde ſententia illorum non obligat, & eſt irrita, vtpote à non iudice

ce procedens, idem confirmatur ex *cap. finali. ibid.*

Tertiò, quia in capite, *decernimus, de ſent. excom in 6.* repellitur excommunicatus à munere actoris, patroni, & teſtis; ergo multo magis ab officio iudicis; abſurdum quippe eſſet, acta iudicis excommunicati valere; actoris verò, Aduocati, & teſtis non valere. Tandem, quia Eccleſia intendit efficaciter prohibere communicationem cum omnibus excommunicatis euitandis, non poterat autem hæc communicatio efficaciter prohiberi, niſi priuando iudices hac excommunicatione vitandos vſu ſuæ iuriſdictionis, & illorum acta irrita reddendo, alioqui ſi acta illorum eſſent valida, ſubditi ad eos in ſuis cauſis recurriſſent, vt antea.

Capvt XXIX.

Num iudices, qui propter crimen à lege aliqua ipſo facto priuantur officio, peccent vſurpatione iudicij, iudicando, itaut illorum ſententiæ, & acta ſint irrita, & ad reſtitutionem partibus teneantur? Agitur de pœnis quæ requirunt, & non requirunt iudicis ſententiam, vt incurrantur, & de pœna inhabilitatis ad aliquid.

Svmmarivm.

Pœnæ, vel ſunt Eccleſiaſticæ, vel cenſuræ, & irregularitates, vel inhabilitates, quæ priuant bono obtinendo, vel pœnæ temporales, quæ priuant officio, vel beneficio, aut bonis iam obtentis. num. 1. & 2.

Pœna irregularitatis quocumque modo imponatur, talis eſt conditionis, vt ſemper ipſo facto incurratur, nulla expectata ſententia declaratoria criminis, ob quod incurritur, num. 3. à ſolo iure, non à iudice imponitur, nec imponi poteſt. ibid.

Excommunicationes etiam omnes ſuam excuſationem ſecum important, & vt ipſo facto incurrantur, nulla indigent declaratoria ſententia, num. 4.

Pœnæ merè priuatiuæ ſeu inhabilitates, quæ ipſo facto, & iure inhabilitant aliquem ad aliquid obtinendum, aut ad contractus celebrandos, ſi lex in illis conſiſtat tantummodo, probabilius eſt ſtatim obligare in conſcientia, nulla expectata declaratoria ſententia, qua iudex declaret inhabilitatem fuiſſe contractam. num. 5.

Probabile etiam eſt requiri, num. 6. Quid de pœna inhabilitatis ad ſuffragia ferenda in cathedris ob ambitum ſcholaſticorum. ibid. & 7.

Quid de inhabilitate proueniente ex ſanguine Hebræorum ad ferenda ſtipendia deputata pro iis, qui ex eo ſanguine non ſunt ad ſtudendum Medicinæ in vniuerſitatibus. ibid.

Leges pœnales, quæ priuant ipſo facto bono iam obtento, vt collegio, bonis, officio, vel beneficio, probabilius eſt requirere ſententiam iudicis declaratoriam criminis, vt obligent in conſcientia, numero 8. 9. & 10.

Poſt declaratoriam ſententiam retrotrahitur pœna ad diem commiſſi criminis. num. 11.

Probabile etiam eſt non requirere. num. 12.

Quid ſi legiſlator verbis manifeſtis, oſtendat mentem ſuam eſſe, vt ſtatim in conſcientia obligent, nulla expectata declaratoria ſententia, num. 13.

Quæ iſta ſint verba. à num. 14. vſque ad 21.

Eſt probabilis ſententia aſſerens quantumuis legiſlator aperiſſimis verbis ſuam mentem declaret, & dicat abſque declaratoria ſententia, adhuc requiri declaratoriam ſententiam criminis, vt pœnæ, quæ priuant bonis iam obtentis, ipſo facto in conſcientia incurratur, n. 22. Quid de conſuetudine, n. 23.

Non peccant iudices vſurpatione iudicij, nec ad reſtitutionem tenentur, & eorum ſententiæ ſunt validæ, quando propter crimen aliquod, ipſo facto officio priuantur, niſi præcedat ſententia declaratoria criminis. num. 23. & 24.

PEndet hic titulus ex illa quæſtione, vtrùm leges humanæ, & pœnales, quæ ipſo facto ſtatuunt, priuationem officij, vel beneficij, aut bonorum confiſcationem in totum, vel in partem, eam vim habeant, vt ſtatim commiſſo crimine officium, vel beneficium vacet, & bona ad fiſcum pertineant, itaut reus teneatur in conſcientia ea ſtatim demittere, nulla expectata ſententia declaratoria criminis. 1.

Notandum ergo eſt, pœnas, quæ communiter in legibus, tam ciuilibus, quàm Eccleſiaſticis infliguntur, triplici eſſe differentia. 2. *Quot ſint genera pœnarum.*

In prima enim differentia ſunt pœnæ, quas voco Eccleſiaſticas, ſeu ſpirituales, quales ſunt cenſuræ, & irregularitates omnes.

In ſecunda, pœnæ quædam priuatiuæ ſæculares, ſeu potiùs inhabilitates ad officia, vel beneficia obtinenda ad celebrandos contractus, & conuentiones, quæ non priuant hominem bono aliquo, ſed reddunt inhabilem in futurum ad illud obtinendum, & non requirunt actionem aliquam poſitiuam, quâ in ſe ipſum exequatur reus pœnam priuationis officij, vel beneficij, aut boni iam obtenti.

In tertia, ſunt pœnæ quædam temporales, quæ priuant hominem bono aliquo iam obtento; ſiue ſint pœnæ poſitiuæ, ſiue priuatiuæ. Poſitiuæ, quæ ſcilicet requirunt actionem, qua in ſe ipſum pœnā quis exequatur, vt priuatio officij, beneficij, aut bonorum temporaliū deſertio, & egreſſus à Collegio, vbi quis eſt, quæ omnia requirunt actiones poſitiuas, quibus quis hæc demittit, & à ſe abdicat, & ſe illis priuat. Priuatiuæ, ſeu negatiuæ, vt eſt inhabilitas ad ſuffragium ferendum, condemnatio mortis ad inediam, quæ non indigent actione, qua quis pœnam in ſe exequatur, ſed ceſſatione, & per omnes has differentias, his poſitis, per has omnes pœnarum differentias diſcurremus.

Statuo primò. Pœna irregularitatis, talis eſt conditionis, & naturæ, vt nunquam niſi ipſo facto incurratur, & ideo quocumque modo imponatur irregularitas, ipſo iure, & facto imponitur, & ante vllam ſententiam declaratoriam criminis incurritur, niſi neceſſaria ſit talis ſententia, vt infamia, ob quam pœna irregularitatis in iure imponitur, compleatur, & præterea eſt talis conditionis, & naturæ, vt à ſolo iure, non à iudice infligi poſſit; ita cōmuniter DD. Soarius *tom. 5. de cenſ. diſp. 40. ſect. 4. n. 8. & de leg. lib. 5. cap. 8. n. 1.* Soto *diſt. 22. q. 3. art. 1.* Caſtro *lib. 2. de leg. pœn. c. vlt.* Nauar. *c. 27. n. 194.* Couar. *Clement. ſi furioſus, in princ. n. 3.* Villad. *lib. 1. de irreg. c. 16. & c. 2. n. 11.* omnes citati à Soar. *loco 1. allegato*, & hi citant alios, ſpecialiter Villad. qui plures allegat, & ita docent communiter Canoniſtæ, *in c. 1. de re iud. in 6.* Ratio eſt, quia lex ipſa immediatè infert irregularitatem; & profert ſententiam;

3. *Concluſio prima. Pœna irregularitatis eius conditionis eſt, vt nō à iudice, ſed à iure imponatur, & ſemper ipſo facto ante ſententiam iudicis imponitur.*

Soar. Sotus. Caſtro. Nauar. Villad. Couarr.

ſententiam; vt patet ex verbis, quibus irregularitas in iure imponi ſolet, quæ denotant, ſtante tali conditione, eo ipſo hominem fieri irregularem, ſeu impeditum ad ſuſceptionem, vel executionem Ordinum, conſiſtit enim irregularitas in quadam priuatione, ſeu inhabilitate, quæ per ipſam legem immediatè poteſt imponi, & de facto imponitur, & ſecum ſuam affert executionē, nec requirit actionem aliquam per hominem exequendam, qualem requirit pœna confiſcationis bonorum. Deinde, quia irregularitas propriè non eſt pœna, neque ponitur propriè à iure in pœnam, ſed eſt lex quædam præcipiens talem conditionem ſeruari in actu quem prohibet, vt rectè fiat, & vt ea non ſeruata, ſtatim frangatur lex, & irregularitas incurratur, nulla expectata iudicis ſententia, leges enim non pendent ex aliqua ſententia, vel declaratione iudicis, vt ſuam obligationem inducant; vnde immediata obligatio legis irregularitatis, conſiſtit in carentia actus prohibiti, ſeu in obligatione abſtinendi à talibus actibus, & ideo ſecum affert ſuā executionem, nec requirit iudicis ſententiam. Et cùm ſit lex, non poteſt imponi à iudice in pœnam. Vnde eſt commune Iuriſperitorum, & Theologorum pronunciatum, irregularitatem non incurri, niſi in caſibus iure expreſſis; quod patet etiam euidenter ex *cap. is qui, de ſent. excom. in 6.*

4. *Concluſio ſecunda. Cenſura ſtatim incurritur, nulla expectata iudicis ſententia declaratoria criminis.*

Statuo ſecundò. Cenſuræ, etiam ſuam ſecum executionem afferunt, & ſtatim ipſo facto incurruntur, nulla expectata ſententia declaratoria criminis; ideóque quoties, vel in ipſo canone, vel iudicis mandato, vel lege aliqua Eccleſiaſtica ferentre cenſuras, inueniuntur hæc verba, *ipſo iure*, vel *ipſo facto*, vel *ſub excommunicatione latæ ſententiæ*, aut alia ſimilia, ſtatim excommunicatio incurritur, ante omnem ſententiam declaratoriam criminis, & in hoc diſtinguitur excommunicatio ab irregularitate, quòd excommunicatio imponi poſſit à iudice, irregularitas nō poſſit, & quòd irregularitas ſemper inferatur ipſo facto, & non expectet declaratoriam iudicis ſententiam. Excommunicatio verò aliquando inferatur ipſo facto, non expectata iudicis ſententia, aliquando non inferatur, ſed inferenda ſit à iudice; quod patebit ex verbis, & modis; ita Soarius *tom. 5. de cenſuris, diſp. 3. ſect. 3. à num. 1. & de legibus, lib. 5. cap. 8. num. 1.* & eſt communis omnium conſenſu, & ferè ſine controuerſia recepta doctrina, & pro ratione ſit, quòd ita vſus communis obtinuit, nam cùm pœnæ excommunicationis ſint Eccleſiaſticæ medicinales, ſtatim animum ligare cenſentur, & cum hac veneratione, & timore ſemper ſuſceptæ ſunt, cùm enim priuent bonis communibus Eccleſiæ, non bonis priuatis vniuſcuiſque, ſtatim obligāt in conſcientia, vt ſe quis ab illis abſtineat, pertinet enim ad paſtores Eccleſiæ ſeparare indignos à bonis communibus Eccleſiæ, & illis præcipere, vt ſe ſeparent, quod præceptum eſt incluſum in ipſa cenſura. Quādo autem excommunicatio ſit latæ, aut ferendæ ſententiæ, & ipſo facto incurratur, vel non incurratur, & quibus verbis vtrumque indicetur, vide Soarium *tom. 5. de cenſuris, diſp. 3. ſect. 3. à n. 1.* vbi pulchrè, vt idem omnia hæc tractat, neque enim huius loci, & inſtituti hæc ſunt.

In quo diſtinguatur excommunicationis pœna, à pœna irregularitatis. Soar.

Soar.

5. *Concluſio tertia.*

Statuo tertiò, pœnæ vel Eccleſiaſticæ, vel ſæculares, merè priuatiuæ, ſeu potiùs inhabilitates (extra irregularitatem, de qua iam egimus concluſione prima) quæ non priuant præuaricantem in legem, re aliqua iam obtenta, & acquiſita, ſed inhabilitant, & incapacem ad illam reddunt in futurum, v.c. ad officium, vel beneficium obtinendum, ad contractus celebrandos, ad vota, & ſuffragia ferenda, & alia ſimilia; probabilius eſt, ſi lex in qua feruntur, non procedat ad alias pœnas, ſed in verbis priuatiuis tantùm conſiſtat, & imponantur his, vel ſimilibus verbis, *ipſo facto, ipſo iure, ex nunc, eo ipſo*, vim habere obligandi in conſcientia, nulla expectata iudicis ſententia, ita Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 8. n. 1.* Molin. *tom. 1. de iuſt. diſp. 88. verſ. mihi contraria ſententia*, & Tiraquell. quem citat Soarius, & alij communiter. Probatur

Pœnæ inhabilitatis ad officia, & beneficia in futurum, non requirunt iudicis ſententiam. Soar. Molina. Tiraq.

Primò, quia verba illa in lege poſita, non ſunt ſuperflua, nec falſa, non poſſunt autem eſſe vera, nec vtilia, niſi aliquid operentur ante ſententiam; ergo aliquem effectum habet lex ex vi verborum circà inhabilitatis pœnam, quam imponit. Nec dici poteſt imponi ad terrorem, quia eo modo illud poſſunt omnes pœnæ legibus impoſitæ, nam quamuis legiſlatores ſæpe in legibus multiplicent ſynonyma verba, quæ idem ſignificant, tamen id fit ad maiorem certitudinem, & claritatem, quando nec veritati, nec efficaciæ legum præiudicium affertur, ſecus quando id in præiudicium certitudinis, & veritatis legum redundat, vt patet.

Secundò, quia legiſlatores, & ſuperiores poſſunt antecedenter reddere incapaces ſuos ſubditos ad officia, beneficia, contractuſque, & conuentiones celebrandas, & non eſt eis hæc poteſtas deneganda, & ſatis ſuam mentem, & vim obligandi illis verbis explicant, quando ad nullas alias pœnas progrediuntur; vt diximus *in cap. 5. num. 8.*

6. *Quid de pœna inhabilitatis ad ſuffragandum in Cathedris.*

Dixi *probabilius*, quia ſunt aliqui DD. qui exiſtimant pœnam priuatiuam, ſeu pœnam inhabilitatis, qua quis ipſo iure, vel ipſo facto, lege aliqua, priuatus eſt iure eligendi, aut ferendi ſuffragium, vt ſcholaſtici ob ambitum in Cathedris requirere ſententiam declaratoriam iudicis, & niſi illa ſequatur, poſſe ſcholaſticos tuta conſcientia eligere, ſuffragiúmque ferre, & ita eſſe in vſu, & conſuetudine omnium vniuerſitatum; vt docet Sotus *lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. q. 6. art. 3. ad finem*; & Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 96. verſ. idem dicendum.* & Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 18. art. 2. dub. vltimo.* Sanchez *lib. 9. de matr. diſp. 3. num. 1. poſt medium*, & tamen illa pœna, eſt pœna merè inhabilitatis, qua antecedenter voluerunt legiſlatores huiuſmodi electores inhabilitare ad ferendum ſuffragium.

Sotus. Molina. Ledeſm. Sanchez.

7. *De conſuetudine requirunt ſententiam iudicis.*

Sed ad hoc reſpondeo, vſum, & conſuetudinem iam obtinuiſſe huiuſmodi leges inhabilitantes ſcholaſticos ad ferēda ſuffragia, requirere ſententiam declaratoriam criminis inhabilitatis ab eis contractæ, vſumque feciſſe illas leges, non inhabilitantes ſolùm, ſed merè pœnales, qui eſt optimus legum interpres; quare cùm huiuſmodi vſus & ſciatur, & toleretur à legiſlatoribus, neceſſariò obtinet vim legis; vnde huiuſmodi leges magis ex vſu, & propter vſum ſeruandæ ſunt, quàm ex iure, & ex vi verborum, & efficacia quam indicant; vt in caſu ſimili notauit Sanchez *lib. 9. de matr. diſp. 30. num. 2. ad finem*, ſecus eſt, de illo ſtatuto, quo Reges ſub certo præmio incitant ſcholaſticos, qui non ſunt ex Hebræo ſanguine ad ſtudendum medicinæ; ij enim, qui falſas probationes efficiunt, vt ſe oſtendant ab eo ſanguine immunes, & his falſis probationibus præmium accipiunt, tenentur illud reſtituere Regi, aut Vniuerſitati, quia non eſt voluntas Principis, nec tacita, nec expreſſa, eo præmio illos donare, imò expreſſa voluntas illorum eſt contraria omnino; ſiquidem iubent, vt

Sanchez.

fiant

ſtant exactiſſimæ probationes, vt Hebræos excludant, quibus ſatis exprimunt, atque manifeſtant ſuam mentem. Deinde quia vnuſquiſque in re ſua eſt moderator, & author; & ei poteſt ponere conditionem quam voluerit, dummodo ſit licita, & honeſta, & ab illa poteſt ſine alicuius iniuria eos excludere quos voluerit, ſicut & ad illam eos admittere, *l. in re mandata, C. mandati, l. non vſque adeo, ff. ſi quis à parente fuerit manumiſſus.* Ordinatio Luſitana *in nou. lib. 4. tit* 4. & commune pronunciatum Iuriſtarum; Quos honoro grauo, & quos volo, ſine iniuria excludo. quare cùm Reges in hac re ſua diſponant, iure potuerunt excludere, quos voluerunt, & illi ad reſtitutionem tenentur, ſi falsò probarunt ſe ab eo ſanguine eſſe alienos.

8. *Concluſio quarta.*

Statuo quartò, circa leges pœnales, quæ ipſo facto priuant delinquentes officio, & beneficio, collegio, bonis, aut aliqua re iam obtenta, & ab eis poſſeſſa. vel aliis verbis æquipollentibus, vt *ipſo iure, prorſus, eo ipſo, ſtatim amittant*, & ſimilibus probabilius, & verius eſt non obligare in conſcientia, ante latam ſententiam declaratoriam criminis, quamuis contrarium aliqui teneant: ac proinde non teneri in conſcientia delinquentes, ſe officiis, beneficiis, aut bonis ſuis priuare, nec fructus eorum reſtituere, niſi poſt latam vltimam ſententiam. niſi aliis verbis additis, apertè, & manifeſtè conſtet aliam fuiſſe legiſlatoris mentem; eſt communis hodie hæc ſententia, eam ſic in propriis terminis tradunt Leſſius *lib 2 cap. 29 dub 8. n. 63. verſ. ad quam rationem.* Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 8. num 4. & 9.* Filliucius *tom. 2. tract 40. in 8. præceptum Decalogi. cap. 6 num. 158* Sanchez *lib. 9 de matr. diſp. 30. num 1.* Sotus *lib. 1. de iuſt. q. 6 art. 6. concl 2.* Caſtro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 5 §. rurſus argumento 5.* Concluſio habet duas partes, eas ſigillatim ſuis authoribus, & rationibus probabo.

Leſſius. Soar. Filliuc. Sanch. Sotus. Caſtro.

9. Prima pars concluſionis quatenus aſſerit, leges quæ priuant delinquentes officio, beneficio, Collegio, bonis propriis, aut aliqua alia re iam obtenta, *ipſo facto, ipſo iure, eo ipſo, prorſus, & ſtatim amittant,* aut aliis æquipollentibus verbis, probabilius, & verius eſſe non obligare ante latam ſententiam, habet pro ſe grauiſſimos authores, & præter citatos, pro illa pugnant Innocentius *in cap. Rodulphus, num. 37* Baldus *in l. 2. C. de vectigalibus, & commiſſ. num. 2.* Cagnol. *in l. ſi quis maior. C. de tranſact. num. 160* & *ibi* Imola, Iulius Clarus *lib. 5. quæſt. 73. num 4. § fin.* Couar. *in 4. 2. part. c. 6. § 8. n. 9. & 10.* Conrad. *tract de contract quæſt. 7.* Peña referens alios *in direct. Inquiſitor. 3 part comment. 158 ad quæſt. 129.* Hieronymus Gabriel *conſilio 196. in fine, & conſil. 187 num 7. lib. 2.* Farinacius *tom. 4. quæſt. 119. de homicidio* Molina *tom. 1. diſp. 96.* & alij quos *ibi* citat Syluester referens Archidiaconum, & Ioannem Andream, *verb aſſaſſinus, num. 4* ibi, *Omnia iura mundi quæ dicunt ipſo facto, vel ipſo iure pœnam imponi, debent intelligi, dummodo ſecuta ſit ſententia*; parco aliis Ratio eſt,

Innoc. Bald. Cagnol. Imol. Iul. Clar. Couar. Conrad. Peña. Hier. Gabr. Farin. Molin. Syluester. Ioan. Andr.

Primò. quia talis lex eſſet nimis acerba, & ſupra vires humanas, cogeret enim homines ad ſe prodendum, & ad exequendam in ſe acerbiſſimam pœnam, ad quod nulla lex obligat.

Secundò, quia verba illa, *ipſo facto, ipſo iure,* ſufficientem effectum habent, ne ſint ſuperflua, quòd ſtatim poſt ſententiam declaratoriam criminis pœnæ impoſitæ in lege incurrantur, & non requiratur ſententia cõdemnatoria pœnæ, quia ex vi horum verborum aliqua ſententia fertur, quæ non eſt formaliter condemnatoria ad pœnam, ſed declaratoria criminis, vt conſecutiuè, & non formaliter ſit condemnatoria ad pœnam; nam illa pœna poſita eſt à legiſlatore in lege, ſub ea conditione, *ſi de delicto, iuridicè, & per ſententiam conſtet.* Quod patet ex *l. eius, qui delatorem, ff. de iure fiſci,* vbi Bartolus id animaduertit, & Felinus, referens multos, *in cap. vltimo, de reſcript. num. 37.*

Bart. Felin.

Hinc fit, vt talis condemnatio pœnæ, poſt factam declarationem criminis retrotrahatur, vſque ad diem commiſſi criminis, quia ex tunc lata eſt ſententia condemnatoria pœnæ amiſſionis bonorum, officij, aut beneficij iam acquiſiti per legiſlatorem, ſub ea conditione iuridicè declarationis criminis; quæ ſententia condemnatoria pœnæ, ſatis indicatur in illis verbis legis, *ipſo facto, eo ipſo, ipſo iure, ſtatim, prorſus,* & ſimilibus; vt ſumitur ex *l. vltima, C. ad legem Iul. maieſtat.* & tradunt Bartolus, & Felinus *allegati*; & Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 8. num. 3* & licèt talis lex non obliget in conſcientia ante vltimam ſententiam declaratoriam criminis ad amittenda bona, & res obtentas, aut ad abſtinendum ab vſu earum; ita tamen minuit, & infirmat ius vtendi illis, vt non niſi cum peccato ea alienare poſſint, titulo non lucratiuo; vt colligitur ex *cap. cùm ſecundum leges, de hæret. in 6.* cum *ibi* notatis per DD. & docet Couarr. *in 4. 2. part. cap. 6. § 8. & 9.* & alij, & ideò à fiſco ex manu poſſeſſoris poſſunt extrahi poſt declaratoriam criminis vltimam ſententiam. Dico *vltimam*, quia ſi à prædicta ſententia fuerit appellatum, prædicta appellatio licèt non extinguat latam ſententiam; attamen illam ſuſpendit, vt in caſu penè ſimili, docet Lapus *allegat. 1.* & Pariſius *conſil. 12. n. 216. lib 2.* quos ſequitur Farinacius *tom. 4. quæſt. 119. de homicidio, num. 82.* 10.

Soar. Couar. Lapus. Pariſius. Farin.

Dixi probabilius, & verius eſſe non obligare in conſcientia ante ſententiam declaratoriam criminis, quia ſunt etiam multi DD. qui exiſtiment illa ipſa verba, *ipſo facto, ipſo iure, eo ipſo, prorſus, ſtatim,* & ſimilia poſita in lege, obligare in conſcientia ad dimittendum officium, beneficium, vel rẽ qua per legem priuantur; & fundamentum illorum eſt, quia ea verba hoc ſignificant, & ſunt efficacia, & per illa ſatis explicant legiſlatores ſuam mentem, & non tenentur verba multiplicare, ne pariant confuſionem; & hanc opinionem tenent Abbas *in cap. 1. de conſt.* & Felinus, quem obliuio ſui cœpit, *in cap. Rodulphus, & vltimo, de reſcriptis, num. 38.* Matthæus de Afflictis, & alij citati à Tiraquello, §. *reuertatur, num. 291.* Nauarrus *in ſumma cap. 23. num. 67.* vbi in hoc æquiparant hanc pœnam cenſuris, & irregularitatibus; inclinat etiam Corduba *quæſt. 6.* Caſtro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 6. & lib. 3. cap. 10.* Ant. Gomez *tom. 3. var. cap. 2. num. 5.* Verùm iam hoc fundamentum ſolutum manet ex fundamentis noſtræ opinionis *num. 10.* poſitis, & ſatis etiam ſoluitur, ſi dicamus cum Leſſio *dicto lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64.* illa verba, quibus aliquis ipſo facto, aut ipſo iure priuatur officio, aut beneficio, ſiue propter crimen commiſſum, ſiue propter adeptionem alterius incompatibilis id operari, vt ſtatim, & ante illam ſententiam declaratoriam criminis amittat delinquens titulum officij, vel beneficij, & dominium bonorum, itaut ampliùs non ſit dominus illorum, nec fructus ſuos faciat; ſed ſint ab eo abſtrahendi poſt ſententiam declaratoriam, & retineat tantummodo ex benignitate iuris nudam, & meram poſſeſſionem, tam beneficij, & officij, quàm bonorum, quaſi priuari non poſſit, niſi cauſa cognita, & poſt ſententiam declaratoriam, 11.

Abbas. Felin. Afflict. Nauarr. Cordub. Caſtro. Gomez. Leſſius.

declaratoriam criminis; vt docet etiam gloſſa *in cap. licet Epiſc. de præb. in 6.* & quamuis illud caput ſolùm loquatur in caſu adeptionis beneficij incompatibilis, tamen gloſſa, & DD. quos *ibi* citat, volunt eſſe eandem rationem in cæteris, quia id eſt ad publicam tranquillitatem valde expediens, *titulum* voco, vt cum Leſſio loquar, ius illud firmum, ac ſtabile, quod quis per collationem, & poſſeſſionem officij, aut beneficij ad recipiendos illius fructus accipit, quo iure, & titulo amiſſo adhuc retinet poſſeſſionem, & iuriſdictionem officij, aut beneficij, quod antea habebat; quæ quidem poſſeſſio, cùm fiat permittente iure, vocatur poſſeſſio iuris, vt patet.

12. Secunda pars concluſionis, quæ habet, niſi aliis verbis additis apertè, & manifeſtè, conſtet aliam fuiſſe legiſlatoris mentem; eſt Leſſij, Suarij, & Filliucij *allegati, num. 9.* & eſt omnium, quos citauimus *num.* 10. Et ratio eſt, quia legiſlatores humani, poſſunt per ſe, & ſua efficaci voluntate talem obligationem ex iuſta cauſa inducere, & ad ſimiles actiones, & dimiſſiones officij, beneficij, ac bonorum omnium poſt crimen commiſſum in conſcientia obligare delinquentes, ante vllam ſententiam declaratoriam criminis, ſunt enim verè ſuperiores, & hi verè ſubditi, & leges quas condunt, iuſtæ; quare teneantur ſubditi obedire. Nec refert, quòd inde neceſſitate quadam morali ſequatur pœnas exequendas fore ab ipſis reis, quod eſt ſupra viros humanæ fragilitatis, quia ſemper ſupponimus illas debere eſſe proportionatas culpis, & tales eſſe debere, vt non excedant rationem iuſtæ pœnæ, nec vires humanæ fragilitatis.

13. Solùm ergo reſtat inquirere, quæ ſint ea verba, quæ nobis apertè manifeſtet legiſlatoris mentem, & voluntatem.

Leſſius. Leſſius *dicto lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63.* aſſerit eſſe ſi ad verba illa, *ipſo facto, ipſo iure, eo ipſo,* &c. addatur, *teneri in conſcientia dimittere, vel non poſſe abſolui, vel beneficium eo ipſo vacare, itaut alteri liberè poſſit conferri;* vel, *nulla præcedenti monitione ſit beneficio priuatus*, vel, *abſque vlla declaratione,* & ſimilia.

Soar. Soarius *dicto lib. 5. de legibus, cap. 8. à num. 10.* idipſum penè ait, & confirmat his exemplis appoſitis.

14. Primum deducitur ex *cap. licèt canon, de elect. in 6.* vbi recipiens beneficium Parochiale abſque ordine ſacerdotali, ſi intra annum, ſua culpa, non ordinetur, ad illud ipſo facto ſtatim in conſcientia, nulla expectata iudicis ſententia renunciandum obligatur, quod apertè ibi his verbis declaratur. *Quod ſi intra idem tempus promotus non fuerit Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione ſit præſentis conſtitutionis authoritate priuatus*; vbi in iſto caſu iam ille erat antea dominus beneficij, & dominium illius habebat, & tamen illo priuatur, ante omnem monitionem, & à fortiori nulla expectata ſententia; vt *ibidem* ſentiunt gloſſa, &

Nauar. DD. & notat Nauarrus *in ſumma cap. 25. num. 118.*

Soar. & Soar. *lib. 5. de legibus, cap. 8. num. 10.* ſententia enim requirit citationem, ac proinde monitionem.

15. Nauar. Secundum exemplum voluit Nauarrus *citatus* deducere ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 2. de reformat.* vbi puniuntur Epiſcopi ratione ſuorum Epiſcopatuum, quia intra ſex menſes à confirmatione ſua non conſecrantur. Verùm in prædicto Concilio non habentur omnia verba, quæ in ſuperiore canone ſunt, ſed hæc dumtaxat; *ſint ipſo iure priuati*, & illa omittuntur, *nulla etiam præmiſſa monitione*. Quare in hoc caſu meliùs exiſtimat

Soar. Soarius *lib. 5. de legibus, cap. 8. num. 13.* requiri ſententiam iudicis declaratoriam criminis, iuxta ea, quæ hactenus diximus.

Tertium exemplum deducitur ex *Extrauagant. Ambitioſæ, de reb. Eccleſiæ non alienand.* 16. 17. vbi inferiores, Prælati, & Rectores Eccleſiarum, qui ſuorum beneficiorum bona contra præſcriptum illius alienauerint, priuantur ſuis beneficiis per verba de præterito, ibi, *Priuati exiſtant ipſo facto, & abſque alia declaratione vacare cenſeantur.* quæ verba nullam patiuntur explicationem, aut excuſationem; vt docet Soarius *allegatus, num. 14.* Soar. quia non vacat beneficium, niſi quando amittitur ius illius, & ideo ſtatim oritur obligatio in conſcientia dimittendi, ac renunciandi illud, nulla expectata ſententia declaratoria criminis; vt docet Caietanus *in ſumma verb. Excommunicatio, cap. 75.* Caiet. Nauarrus *in ſumma cap. 27. num. 150.* Nauar. Corduba *dicta quæſt. 36.* Cordub. & Soarius *allegatus, num. 14* Soar. Quamuis tres priores addant legem iſtam quo ad talem pœnam contraria conſuetudine derogatam eſſe, vel in multis locis, vel vbique; attamen, niſi conſuetudo ſit in contrarium, tenentur illi ex vi verborum illa in conſcientia à ſe abdicare, & renunciare, nulla expectata ſententia, quia verba id ſatis, apertéque declarant.

Quartum exemplum ſumi poteſt ex *cap. pro* 18. *humani, de homicidio in 6.* vbi occidentes alios per aſſaſſinos, priuantur beneficiis *ipſo facto*, & additur, *& illa liberè aliis per illos ad quos illorum collatio pertinet, conferantur*; vbi notandum eſt illud vocabulum *liberè*, indicat enim ita beneficia vacare, vt nulla expectata ſententia declaratoria criminis, poſſint aliis conferri, non vocatis, nec ſcientibus poſſeſſoribus; vt gloſſa *ibi* docet, & tenet Corduba *dicta quæſt. 36.* Cordub.

Verùm hoc etiam exemplum non approbat, nec admittit Soarius *dicto lib. 5. de legibus, cap. 8.* Soar. *num. 15.* cuius ſententiam ſequor; & ideo expectanda eſt ſententia iudicis declaratoria criminis, quia *in prædicto capite* præmittuntur hæc verba, *Poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem tam execrabile ſcelus commiſiſſe.* Quibus ſatis indicatur, ad incurrendam hanc pœnam amiſſionis beneficij, & vt illa poſſint aliis liberè conferri, opus eſſe, vt priùs de ſcelere conſtet iudici probabilibus argumentis; ac ſubinde poſt illius declaratoriam ſententiam; quod idem ſentit Felinus Felin. *in cap. 2. de fide inſtr. num 9.* Hieron. Gabriel *conſilio 196. num. 4. fine, & conſilio 187. num. 7. lib. 2.* Gabriel. & Farinacius *tom. 4. quæſt. 119. de homicid. folio mihi* Farin. *112. num. 66.* qua de re iam diximus *lib. 1. quinti præcepti, cap. 2. num. 9. & 10.* quod verum eſt de pœna amiſſionis beneficiorum, non tamen de pœna incurſionis cenſuræ ibi etiam poſita, hæc enim incurritur ipſo facto, nulla expectata ſententia.

Quintum exemplum deducitur ex motu pro- 19. prio Pij IV. contra committentes ſimoniam confidentialem, ibi, *Præſentium authoritate priuamus*; nam ex his verbis exiſtimat Nauarrus *in ſumma* Nauar. *cap. 23. num. 110.* obligari illam committentes ad renuncianda, & dimittenda beneficia in conſcientia, & ad reſtituendos fructus perceptos, nulla expectata ſententia iudicis declaratoria criminis; & quamuis Soarius *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 93.* Soar. *in fine*, contra opinionem Nauarri deſiderauerit adhuc ad incurrendam hanc pœnam, & vt cogeretur quis ſe ſpoliare ſuo beneficio, aut fructibus poſtea receptis, ſententiam declaratoriam criminis, tamen re meliùs conſiderata *in lib. 5. de legibus, cap. 8. num. 16.* mutauit ſententiam, & cũ Nauarro

conſentit,

conſentit, quia antecedenter Summus Pontifex ſatis declarauit ſuam mentem his verbis, *Et nequiſquam vana fiducia fretus, non intendendi contra ſe iudicij in crimine perſeueret omnes, & ſingulos*, &c. Quibus verbis ſatis declarauit Summus Pontifex, ad incurrendas has pœnas, nullum iudicium neceſſarium eſſe, & conſequenter nullam ſententiã declaratoriam, quantumuis magnis cautelis vtantur contrahentes ad iudiciũ, & pœnas euadendas. Addit tamẽ Soarius, hoc intelligendum eſſe in rigore verborum; probabile tamen eſſe, pœnam illam non eſſe in hoc ſenſu communiter receptam, & ideo abrogatam in hac parte eſſe per communem conſuetudinem, & de eadem conſuetudine requiri ſententiam declaratoriam criminis; quæ conſuetudo, ſi detur, tolerari poteſt; quia re vera pœna eſt valde rigoroſa.

19. Sextum exemplum deducitur ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24 *cap.* 18. *de reformat.* vbi examinatores beneficiorum ſimoniam in examine committentes, videntur ita priuari beneficiis obtentis, vt ad illa demittenda, ſtatim in conſcientia teneantur, quia ibi dicitur, vt abſolui non poſſint à peccato, *niſi demiſſis beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant.* quæ verba loquuntur de abſolutione ſacramentali, & de foro conſcientiæ, non de foro iudiciali; vt docet Soarius *lib.* 5. *de leg. c.* 8. *n.* 17. *& tom.* 1. *de relig. lib. de ſimonia, cap.* 58. *num.* 3. Soar.

20. Septimum exemplum deducitur ex Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 5. ſub Iulio II. vbi contra Cardinales ſimoniacos in electione Summi Pontificis ſic dicitur, *Eo ipſo abſque alia declaratione, priuatus exiſtat*; quæ verba ſufficiunt ad obligandum beneficiatum ad ſpoliandum ſe beneficio, illud renunciando ante vllam iudicis ſententiam; & conſequenter ad reſtituendos omnes fructus perceptos; vt docet Soarius *lib.* 5. *de legibus, cap.* 8. *n.* 18.

21. Sunt tamen adhuc alij qui exiſtiment non obſtante illo rigore verborum, *nulla præmiſſa monitione abſque alia declaratione priuatus exiſtat, beneficium eo ipſo vacare: non poſſe abſolui, niſi prius beneficium dimittat*, & ſimilibus, adhuc expectandam eſſe iudicis declaratoriam ſententiam criminis commiſſi; ita ſentit Couat. *in* 4 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num* 3 Vaſq. 1. 2. *diſp* 168. *cap.* 4. *num.* 15. & alij. Fundamenta illorum ſunt, Couar. Vaſquez.

Primò, quia etiam poſt ſententiam condemnatoriam, quando leges pœnales illam requirunt, non tenetur condemnatus priuare ſeſe ſuis bonis, aut illa reddere, & tradere fiſco Regio; ſed tenetur iudex exequi pœnam, cui reus non poteſt reſiſtere. Ergo multo minus obligabitur quis propter ſolam legem in conſcientia ante vllam ſententiam officium, aut beneficium, aut bona à ſe dimittere, & ſe illis priuare, etiamſi ipſa lex id intendat, quia ad ſummum in foro externo poterit puniri, qui illam non ſeruat.

Secundò, quia quicquid illa verba operantur, *ante omnem declarationem, ante omnem admonitionem.* totum eſt ad forum externum referendum, & intelligenda ſunt de declaratione, qua declaretur pœna fuiſſe incurſa; & ideo ſemper præerequiritur ſententia declaratoria criminis; & idipſum docet etiam Henriq. *de excom. cap.* 56. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29 *dub* 8. *num.* 63. vbi aſſerit hanc expoſitionem, etiamſi videatur violenta, tamen vſu ipſo eſſe receptam, ita enim vſus interpretatur has leges, vt ante declarationem criminis poſſeſſores officiorum, aut beneficiorum non teneantur illa reſignare, imò vſus habet, addit Leſſius, vt poſt declaratoriam ſententiam, niſi etiã executio per iudicem fiat, non cenſeatur quis omnino priuatus, vt *in Extrauaganti, Ambitioſa*, illa verba, *ipſo iure vacet*, nõ videntur recepta in illo rigore, vt ſponte teneatur ſe reus ſpoliare; ſed quicquid ſit de cõſuetudine, in rigore tamen iuris id, quod diximus, eſt verũ. Henriq. Leſſius.

Vnde ſtando in rigore verborum, & iuris, ſecluſa omni conſuetudine, id quod diximus eſt ſine dubio tenendum; quod expreſsè tenet Soarius *lib.* 5. *de legibus, cap.* 8. *num.* 19. & omnes quos citauimus *num.* 10. quia aliàs, verba illa, *abſque declaratione*, & ſimilia, eſſent inania, neque efficerent, quod ſignificant, neque effectum aliquem haberent, & quia declaratione ſequuta pœna retrotrahitur à die commiſſi criminis, non enim pœna ponitur à iudice, ſed à iure, ac ſi tunc fuiſſet executioni mandata; & hoc eſt, quod voluit Vaſq. *allegatus*, vt docet Soarius *citatus, num.* 22. 22. Soar. Idem.

Neque argumentum de bonis fortunæ vim habet, neque enim de illis eadem ratio eſt; tum, quia leges ciuiles, & Canonicæ videntur ita interpretari pœnam illam, & concedere delinquenti naturalem retentionem, etiam poſt ſententiam declaratoriam criminis hæreſis talium bonorum, donec à fiſco petantur, & auferantur. etſi enim dominium ſtatim poſt declaratoriam ſententiam criminis, imò & ſtatim poſt commiſſum crimen, & ante declaratoriam ſententiam transferatur in fiſcum; transfertur tamen ſub hac limitatione, & conditione, vt interim dum non profertur ſententia, imò & dum bona poſt probatam ſententiam non petuntur, antiquus dominus retineat poſſeſſionem, & vſum illorum, de facto, non de iure; quod non repugnat naturæ, & conditioni talium bonorum temporalium, quæ ad priuata cõmoda poſſidentis ordinantur: in beneficiis autem, & officiis nunquam id vſus, neque leges declararunt, nec id eſt conſentaneum illorum naturæ, cùm non in commodum proprium poſſidentis primò, & principaliter ordinentur; ſed in bonum publicum; & ideo hæc ſtatim tenentur poſſeſſores dimittere, & renunciare ante vllam ſententiam declaratoriam criminis; ſi verba legis pœnalis id ſignificent, iuxta doctrinam præcedentem, vel poſt prædictam declaratoriam ſententiam, ſi id etiam verba legis intendant, vt patet ex dictis.

Ex dictis hactenus ſequitur, quid ſit reſpondendum ad titulum quæſtionis, reſpondendum enim eſt, officia nec vacare, nec ſententias, & acta iudicum eſſe irrita, ſed firma, & valida, ac proinde non peccare iudices lethaliter vſurpatione iudicij, nec teneri ad reſtitutionem partibus faciendam; nec ad dimittenda officia, vel beneficia, ante ſententiam declaratoriam criminis, etiamſi in lege dicatur; *ipſo facto, ipſo iure, eo ipſo ſit priuatus, vel prorſus priuatus exiſtat*, & ſimilia, niſi legiſlator alia verba addat, quibus apertè ſuam mentem, & voluntatem explicet, veluti ſi addat; *ante vllam declarationem, nulla præmiſſa monitione: teneri in conſcientia dimittere officia, vel beneficia, non poſſe abſolui niſi dimittat: beneficia, & officia eo ipſo vacare, ita vt alteri liberè poſſint conferri*; & alia ſimilia, vt ex dictis patet, quod ſemper eſt intelligendum de rigore iuris, & de mente legis, ac legiſlatoris, vt hactenus diximus, quamuis de conſuetudine aliud poſſit eſſe, iuxta dicta *à num.* 13. & deinceps; & ita reſpondet expreſsè Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub* 8. *num.* 8. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 158 Soarius *lib.* 5. *de legibus, cap.* 8. *à num.* 16. & deinceps, cum multis quos citant. 23. Leſſius. Filliuc. Soar.

CAPVT

CAPVT XXX.

An reus crimine accuſatus, ob quod ad pœnam boni fortunæ condamnandus erat, falsò ſe defendens teneatur ad illam, ad quam niſi falsò ſe defenderet, damnandus erat.

SVMMARIVM.

Proponuntur exempla, vt res explicetur. num. 1.
Refertur prima opinio affirmans. num. 2.
Præfertur ſententia negans. num. 3.
Quid quando reus fuit à iudice inferiori per ſententiam damnatus ad prædictam pœnam, & appellauit, & in appellatione ita ſe falſis teſtibus defendit, vt abſolutus ſit. num. 4.
In vtroque caſu tam in prima inſtantia, quàm in appellatione tenetur huiuſmodi reus in conſcientia parti ad reſtitutionem omnium expenſarum, quas fecit. num. 5.

1. PRæfigo exempla, vt res clarior euadat; vero crimine quis accuſatur, ob quod illius bona fiſco erant ex legis præſcripto addicenda, & crimen erat ſemiplenè probatum, reus ſe falſis probationibus defendit, aut iuramento interrogatus in iudicio à vero, & legitimo iudice negat omnino ſe [illegible] commiſiſſe; quamobrem à crimine, & conſequenter à pœna confiſcationis abſoluitur. item maritus vxorem de adulterio ad pœnam mortis, & amiſſionis dotis legitimè accuſat; illa falſis teſtibus ſe tuetur, & ob hanc falſam, & iniquam defenſionem abſoluitur. Quæritur an ſic abſoluta poſtea teneatur in conſcientia dotem, & cætera bona marito reſtituere, & diuortio aſſenſum præbere, ac ſi vera eſſet ſententia damnata; & idem dicendum in primo exemplo.

2. *Opinio prima.* *Sotus.* *Molin.* *Caſtro.* Hac de re partitur opinio, vtraque eſt valde probabilis: ſecunda probabilior, & tenenda. Prima affirmat, eam tenet Sotus *lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 9. verſ. vnum hic autem.* Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 95. pag. 587. verſ. duo ſunt hoc loco.* Caſtro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 12. §. ex his.* Fundamentum illorum eſt, quia iniuſtè ſe reus defendit, & iniuſta eſt cauſa, ne pœna vel ſibi, vel fiſco adiudicetur, quia ad illam habebat ius in re iuſta in lege fundatum; & qui alteri eſt iniuſta cauſa damni, tenetur illud ei reſtituere; iuxta *cap. ſi culpa, de iniur. & damn. dat.* & in hoc euentu, docet ſimiliter hæc opinio, ſi fiſco, aut marito conſtatet crimen verè fuiſſe commiſſum, & falsò, iniuſtéque ſe defendiſſe, poſſe occultum facere recompenſationem, modò ſcandalum ceſſet, & nõ aliter, nec alio modo obtinere poſſent id quod ſibi eo pacto debebatur, quod locum habet, non ſolùm quando pœna hæc amiſſionis bonorum in lege ipſo facto ſtatuitur, ſed etiam quando abſolutè ſtatuitur, nõ tamen ipſo facto iuxta hos authores; quia in primo caſu, habet fiſcus, vel accuſator, ius in re ad eam pœnam; in ſecundo, ius ad rem ſimulac crimen perpetratum eſt, & probari poteſt, & in vtroque caſu ſuo iure iniuſtè priuatur.

3. *Opinio ſecunda.* Secunda opinio verior, probabilior, ac tenenda, negat omnino teneri reum qui falsò ſe defendit, in conſcientia ad reſtitutionem talis pœnæ fiſco, vel actori faciendam, eam ex meliori fundamento docet Sancius *lib. 1. de matr. diſp. 8. num. 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 10.* Nauarrus *in ſumma Hiſpan. cap. 28. addit. ad numerum 46. Latina 18. num. 49.* Medina *lib. 1. ſumma cap. 14. §. 35. folio mihi 178.* Angles *in floribus 2. part. quæſt. de reſt. legis pœnalis, art. vnico, difficult. vnica, concl. 3. folio 248.* Aragon. *2. 2. quæſt. 62. art. 3. folio 228. num. 1.* & *ibi* Salon *controuerſ. 2.* & Banhez *art. 3. dub. 2. concl. 6. folio 215.* Lud. Lopez *1. part. inſtruct. cap. 159. folio 362. §. At Nauarrus.* Rodriguez *tom. 1. ſumma in 2. edit. cap. 186. num. 6.* Graphis *1. part. deciſ. lib. 3. cap. 7. num. 25.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæſ. 5. & lib. 8. cap. 12. quæſ. 5.* Vaſq. *1. 2. q. 96. art. 5. diſp. 175. cap. 12. num. 13.* Sanchez. Leſſius. Nauar. Medina. Angles. Arag. Salon. Bañez. Lopez. Rodrig. Graphis. Azor. Vaſquez. Ratio eſt, quia actor, & fiſcus non habent directè ius ad pœnam, ſed indirectè & per accidens, mediante ſcilicet iudicis ſententia; quia legiſlator, legem pœnalem condens per ſe, & directè, ſolùm in ea intendit vindictam de reo ſumere ad bonum regimen Reipublicæ, aliorúmque exemplum, ac cautelam, & quaſi per accidens, & indirectè intendit concedere ius actori, & fiſco ad lucrum illius pœnæ, vt ſit veluti præmium, quo fortius animentur ad reum accuſandum, & frænum, quo reus in officio contineatur; ex quo fit, vt reus iniuſtè ſe defendens delinquat directè quidem, & immediatè contra iuſtitiam publicam, & legalem; & contra ius, quod Reſpublica habet, vt id crimen puniatur, non verò contra iuſtitiam commutatiuam in ordine ad pœnam actori, vel fiſco applicandam.

Neque obſtat id quod additur, eum, qui alteri eſt iniuſta cauſa damni, teneri illud in conſcientia reſtituere; nam hoc principium deductum ex *cap. ſi tua culpa, de iniur. & damn. dat.* licèt ſit certiſſimum, intelligendum tamen eſt, quando aliquis eſt immediata cauſa damni; ita vt peccet contra iuſtitiam commutatiuam; non verò quando eſt cauſa mediata, & peccat contra iuſtitiam punitiuam.

Idem dicendum eſt, quando aliquis iuſtè damnatus ad pœnam aliquam pecuniariam à iudice inferiori ad ſuperiorem appellat, non ex cauſa legitima, ſed ex cauſa omnino falſa, & falſis ſe protegens teſtibus; minimè enim iſte tenebitur ad reſtitutionem prædictæ pœnæ, ſi in ipſa appellatione abſoluatur; ita docet expreſsè idem Sanchez *dicto num. 12. tom. 1. Decalogi, lib. 22. num. 23.* & Palacios *lib. 4. de contract. cap. 5. folio 273. col. 2. ante verſum, Porrò frater,* vbi ait non teneri reum ad pœnam, donec vltima ſententia damnetur. Et ratio eſt, quia prior ſententia per appellationem ſuſpenſa eſt, & ſubinde ea non obligat, ac proinde cenſetur, quoad obligationem, ac ſi non eſſet lata, & verò ſuſpendi ſententiam ex eo conſtat, quòd vel iudex ſuperior appellationem admiſit, & inhibuit iudicem à quo, & in hoc caſu non eſt dubium ſuſpendi prædictam ſententiam, etiamſi cauſa appellationis ſit friuola, & inualida, dummodo appellatum fuerit intra legitimum tẽpus; vt communiter DD. tradunt Gomez *tom. 3. var. c. 13. n. 31.* Lancell. *de attent. 2. p. c. 12. limit. 6. n. 20. & limit. 1. à n. 66. & c. 12. limit. 50. n. 128.* vel non admiſit appellationem; nam adhuc ſuſpenſa eſt prædicta ſententia, quia tenebatur admittere, ſi non conſtabat notoriè falſam eſſe appellationis cauſam; eò vel maximè, quia hæc appellatio erat à definitiua ſententia, in qua non eſt neceſſarium exprimere cauſam; & poteſt iuſtificari prædicta appellatio ex nouis actis, & rationibus, vt tradit Maranta *6. p. iud. tit. & quando appellatur, n. 142. & 153.* 4. Sanchez. Palac. Gomez. Lancell. Marant.

Vnde ſequitur non deberi in conſcientia huiuſmodi reum ſoluere prædictam pœnam, donec ab appellationis iudice, confirmetur ſententia iudicis inferioris, & conſequenter non teneri etiam ad illius reſtitutionem ſi ſe reus iniuſtè defendens à crimine abſoluatur, ob rationem ſuprà factam *num. 3. præcedenti.*

5. Tenetur tamen huiuſmodi reus in conſcientia, & ante vllam ſententiam datam iniuſtè, & falſis teſtibus, tam in appellatione, quàm in prima inſtantia ſe defendens ad omnes litis expenſas factas in ſuſtentatione, & defenſione cauſæ iniuſtæ; & peccat mortaliter dupliciter.

Primò, immediatè contra iuſtam commutationem, quatenus eſt cauſa iniuſta talium expenſarum, quas ante vllam ſententiã tenetur reſtituere.

Secundò, contra iuſtitiam publicam legalem, & punitiuam, cui malitioſum, & iniuſtum obſtaculũ ponit, ne ad exequutionem perueniat, & mala puniantur; tenetur etiam huiuſmodi iniuſtè appellans, & in apppellatione ſe iniuſtè falſis teſtibus defendens ceſſare à prædicta appellatione iniuſta, tam ex iuſtitia cõmutatiua, quàm punitiua; & ratio eſt quia tenebatur ex vtraque iuſtitia non appellare; ergo tenetur ceſſare ſi appellauit, & cõſequenter contra vtramque ſimiliter iuſtitiam peccat ab ea iniuſta appellatione non ceſſando; ita docet expreſsè Sanchez *allegatus, dicto lib. 10 de matrim. diſp. 80. num. 14.* & omnes quos pro ſua opinione allegat, quos iam citauimus *num. 3.* Sanchez.

Caput XXXI.

An reo licitum ſit occulta teſtium crimina detegere, ad infirmanda illorum dicta. An à iudice interrogatus teneatur contra ſe ipſum fateri veritatem, & an ad ſui defenſionem poſſit impingere accuſatori crimen mendacij.

Svmmarivm.

Si alius modus reo non ſit, quo ſe iuſtè defendat, & crimen de quo accuſatur, ſit falſum, aut verum, ſed ita occultum, vt in iudicio probari non poſſit, poteſt reus licitè occulta teſtium delicta manifeſtare ad infirmanda illorum dicta; ſi ad id valeant, ſecus ſi non valeant. num. 1.

In quibus caſibus, non poſſit reus id efficere, num. 2.

An peccet contra iuſtitiam reus, ſi alia via, quàm manifeſtatione delictorum teſtium ſe defendere poſſit, & nolit. num. 3.

Quando iudex non interrogat iuxta ordinem iuris, non tenetur reus veritatem fateri, ſiue de ſuo, ſiue de alieno crimine interrogetur. num. 4.

Non tenetur reus iurare de calumnia, quando iudex iuridicè non procedit, & quid importet iuramentum calumniæ. num. 5.

Si reus, & teſtis dubitat an in criminalibus iudex iuridicè procedat, non tenetur veritatem fateri, & poteſt vti amphibologiis, n. 6. Tenetur iudex aperire reo, & teſti ſtatum cauſæ, vt ſciat an legitimè procedat. ibid.

In dubio, an iudex legitimè procedat, fauendum eſt reo. num. 7.

In cauſa fidei non tenentur iudices aperire reis ſtatum cauſæ. num. 8.

Refertur opinio aſſerens teneri reum iuridicè, & poſt ſemiplenam probationem interrogatum fateri crimen proprium, etiamſi ob id morte damnandus ſit. num. 9. & 10.

Præfertur negatiua ſi de proprio crimine interrogetur, ſecus de alio. num. 11. 12. & 13.

Soluuntur argumẽta cõtraria opinionis, n. 14. 15. & 16.

Quando reus falſo crimine accuſatur, aut vero, ſed occulto, & quod in iudicio probari non poteſt, non peccat contra iuſtitiam, dicendo accuſatorem fuiſſe mentitũ, n. 17. An peccet contra charitatẽ, n. 18.

An poſſimus arguere de mendacio eos, qui reuelant ſecreta, quæ eis commiſimus, & quatenus, num. 19.

Circa primam quæſtionem, in titulo propoſitam, ſic ſtatuo, ſi alius modus reo non ſit, quo ſe poſſit iuſtè defendere, & crimen de quo accuſatur ſit falſum, aut verum, ſed ita ocultum, vt in iudicio per alios teſtes probari non poſſit; poteſt reus licitè ſe defendere manifeſtando occulta teſtium delicta, ſi valeant ad infirmandum illorum teſtimonium, ſecus ſi non valent; ita Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 7. art. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. de reo, & Aduocato, dub. 1. n. 1.* Iulius Clarus *quæſt. 24.* Filliucius *tom. 2. tract. 4. in octauum præceptum Decalog. cap. 9. num. 259.* Probatur facilè, quia quiſque poteſt ſe ipſum iuſtè defendere eodem genere armorum, quo iniuſtè impugnatur, nec alter iuſtè queri poteſt de iniuria, cùm ipſe ſit iniuſtus inuaſor, & ſponte ſe huic periculo exponat, eo ipſo, quòd vel teſtatur, vel accuſat; poterit ergo iniuſtè accuſatus iuſtè ſe defendere manifeſtando periurium teſtium, & crimen falſi; excommunicationem illorum occultam, vel alibi fuiſſe infames, aut ſimilia alia crimina occulta illorum, ob quæ vel iuris, vel facti infamiam incurrant, & illorum dicta infirmentur, modò hæc crimina ſint vera, non falſa. 1. *Prima partis tituli concluſio.* Sot. Leſſius. Iul. Clar. Filliuc.

Peccabit tamen reus contra charitatem, ſic ſe defendens in his caſibus. 2. *An peccet, qui ſe ita defendit, & quando.*

Primò, ſi teſtis inuitus teſtimonium protulit, quo manifeſtauit crimen verum, ſed occultum, coactus à iudice.

Secundò, ſi crimen, quod ipſe teſti obiicit, ita eſt graue, vt ei caput ſit amputandum, cauſa verò rei non ſit tanti momenti, quòd ſi ſponte ſe ad teſtificandum obtulit, non eſt tanta ratio iſtius incommodi amputationis habenda; ſibi enim imputare debet incommodum quod per alterius executionem incurrit.

Tertiò, ſi alia via minus noxia poſſit illius dicta infingere, vt ſi ſit amicitia, conſanguinitate, vel affinitate actori, vel accuſatori propinquus, ſi de eius familia, ſi pauper, ſi mente non firma, ſi impubes, & in cauſa criminali, ſi 20. annos attingit, tunc enim ex charitate tenetur alia via minus noxia ſe defendere, quãdo teſtis inuitus, & à iudice coactus teſtatur, ſecus ſi ſe ſponte ad teſtificandum obtulit; ita Authores *allegati*, patet quia lege charitatis tenemur nos defendere, quã minimo damno proximi poſſumus, ſi id ſufficit ad noſtram defenſionẽ.

Obiicies, quando reus teſtes aliter infirmare poteſt aduerſùs ſe ipſum teſtificantes, videtur eſſe contra iuſtitiam, ſi occulta illorum crimina manifeſtat, quia ſi alia via minus noxia ſe poteſt tueri, non habet ius vtendi defenſione nocentiori, ſicut qui iniuſtum aggreſſorem poteſt effugere mutilãdo, contra iuſtitiam peccabit occidendo. Reſpondeo negando aſſumptum, & ſequelam, quia reus habet ius repellendi teſtem iniurioſum, & iniuſtũ 3. *Obiectio.* *Solutio.*

meliori

meliori modo, quo poteſt, cùm teſtis hoc ipſo, quòd ſe ad teſtandum offert, videatur cedere iure ſuo, & permittere reo, vt omni modo ſe tueatur, qui ipſi viſus fuerit commodior, & efficacior; in illo tamen modo tenetur non excedere iuſtum moderamen, ſicut is, qui inuaditur armis, non tenetur ex iuſtitia fugere, aut clamoribus inuaſorem terrere; ſi talis perſona ſit, vt hoc ei dedecori, & infamiæ vertatur; ſed poteſt ſe armis defendere faciendo id, quod ad euaſionem opus eſt, quamuis aliquando ex charitate poſſit obligari, vt alio defenſionis modo, aut fuga vtatur; vt diximus *in quinto præcepto, lib. 1. cap. 6. & 7.*

4. *Secunda pars tituli. Concluſio prima.*

Circa ſecundam partem tituli ſic ſtatuo primò, quando iudex non interrogat iuxta ordinem iuris, non tenetur reus veritatem fateri, ſiue de proprio, ſiue de alieno crimine interrogatus ſit; eſt communis hæc ſententia, eam tenet Nauarrus *in ſumma Lat. cap. 12. num. 8.* D. Thom. 2. 2. *quæſt. 69. art. 7. ad 4* & idem Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 9. num. 767.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 8.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in 8. præceptum Decalogi, cap. 9. num. 262. fol. mihi 776. col. 2.* Henricus *quodlibeto 1. quæſt. 34.* Syluester, & Angelus *verb. confeſſio delict. quæſt. 1.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 136.* & patet ex *cap. qualiter, & quando, & cap. cùm oporteat, de accuſator.* Ratio eſt, quia quando iudex iuridicè, hoc eſt, ſeruato iuris ordine non procedit, non eſt legitimus iudex; ſed eſt inſtar hominis priuati, & ideo nullam obligationem poteſt imponere, & poteſt quilque eum amphibologicè deludere. Tunc autem iuridicè non procedit, quando interrogat de crimine occulto; de quo nec ſit fama, nec indicia ſufficientia, nec ſemiplena probatio contra reum.

D. Thom. Nauar. Leſſius. Filliuc. Henric. Syluest. Angelus. P. Nauarra.

5. *Quid ſit iuramentum de calumnia, & quid importet.*

Vnde ſequitur non teneri reum quando iudex iuridicè non procedit iurare de calumnia; vt optimè notant DD. *allegati*, & ſpeciatim, Leſſius, Syluester, Filliucius; continet autem iuramentum de calumnia, hæc quinque.

Primum, quod putet ſe bonam cauſam proponere, & tueri.

Secundum, quod iuridicè interrogatus à iudice veritatem non celabit.

Tertium, quod ſcienter falſas probationes non adhibebit.

Quartum, quod litem fraudulenter non protendet.

Quintum, quod nihil promiſit, vel promittet alicui cauſa litis, quod iure non permittitur, hæc omnia in iuramento calumniæ continentur; in praxi tamen aduertunt Leſſius *allegatus, num. 8.* & Filliucius *item citatus, num. 265.* non ſemper hæc omnia eſſe iuranda reo; maximè in criminalibus, in quo ſemper ſtylus iudicij ſeruabitur.

Leſſius.

6. *Concluſio ſecunda.*

Statuo ſecundò, ſi reus dubitet an iudex iuridicè, ſeruatóque iuris ordine procedat, non tenetur (idem de teſtibus) veritatem fateri; ita Caietanus 2. 2. *q. 69. art. 1.* Sotus *lib. de teg. ſecreti. n. 3. q. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in 8. præceptum Decal. c. 9. n. 264. fol. mihi 779. col. 2* Leſſius *lib. 2. c. 30. dub. 3. n. 10* & Gutties *lib. quæſt. Canonicar. cap. 11. fol. mihi 132. a num. 39.* Adrianus *quodlibeto 2.* Ratio eſt,

Caiet. Sotus. Filliuc. Leſſius. Guttier. Adrian.

Primò, quia non tenetur reus, nec teſtis parere iudici, cum graui ſuo, vel alterius incommodo, niſi legitimè ei conſtet ſuperiorem poſſe præcipere, at cùm rationabiliter dubitat, an iuſtè præcipiat, & iuridicè procedat, non ei id conſtat; igitur non tenetur.

Secundò, quia tenetur iudex aperire reo, & teſti, ſtatum cauſæ, probationes, indicia, & teſtes, vt ſciat iuridicè contra ſe procedi, ſeque iuſtè interrogari, vt ſi quid contra habeat poſſit opponere, & ſe defendere; vt docet Sotus *de teg. ſecreto in 2. quæſt. 7.* Nauarrus *in ſumma cap. 25. num. 35.* Caietanus 2. 2. *q. 69. art. 2.* Sanch. *tom. 1. Decal. lib. 3. c. 7. n. 11. ad fin.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 10. verſ. hinc ſequitur.*

Sotus. Nauarr. Caiet. Sanchez. Leſſius.

7. Oppones ſemper præſumendum eſſe iudicem iuſtè, & iuridicè procedere; igitur tenetur reus, & teſtis veritatem fateri, in dubio, an iudex iuſtè, & iuridicè procedat; & propter hoc fundamentum Guttierrez *allegatus* magis in hanc partem inclinat; quæ eſt communior omnium iuris Canonici interpretum opinio, quos refert, ſed non ſequitur Sanchez *tom. 1. Decal. lib. 3. cap. 7* Sed noſtrum, ac Theologorum fundamentum eſt melius, ac firmius, quia nemo tenetur parere ſuperiori, cum graui ſuo, vel alterius incommodo, quando dubitat prudentialiter, an ſit ſuus ſuperior; dubitat autem de hoc prudentialiter, quando dubitat, an iuſtè, & iuridicè procedat, quia tunc perinde eſt, ac dubitare, an in eo caſu ſit legitimus iudex, & ſuperior; niſi ergò ſibi conſtet eum iuſtè, & iuridicè procedere, non tenetur ei veritatem fateri, ſed poteſt artificio verborum eum deludere, nam licèt hic occurrant duo principia contraria deducta ex iure naturali, primùm in dubiis præſumendum eſſe pro ſuperiore; ſecundum in dubiis fauendum eſſe reo, quando notabile damnum illi ſequitur; tamen fortius eſt ſecundum principium, quàm primum, & quando duo principia naturalia incompatibilia concurrunt, ſequendum eſt fortius, minus forti relicto, vt eſt commune effatum DD.

Sanch.

In dubio fauendum eſt reo.

8. *Quid in cauſa fidei.*

In cauſa tamen fidei, non tenentur iudices aperire reis ſtatum cauſæ, probationes, & indicia, quantumuis rei id poſtulent; quia in cauſa fidei, & in caſu hæreſis, quando occultum eſt crimen, tenentur teſtes rei veritatem de reo fateri; vt docet Toletus *lib. 4 ſummæ cap. 21. num. 9. verſ. ſecundum eſt, ad fin.* Et ratio eſt, quia crimen hæreſis eſt infectiuum aliorum, & nimis Reipublicæ pernicioſum, vt patet.

9. Dubium tamen eſt, ſi aliquis ſciat, ſuum, vel alienum crimen poſſe iuridicè, non ſolùm ſemiplenè, ſed etiam plenè probari, nondum tamen ſemiplenè probatum eſſe, an teneatur veritatem fateri? Reſpondeo non teneri, ſed poſſe tuta conſcientia iudicem verborum artificio ludificare, quia adhuc iudex non procedit iuridicè, ſiquidem, vt iuridicè procederet, neceſſe erat, vt iſtam ſemiplenam probationem haberet iam probatam, imò tenetur tunc tacere; quandiu enim iudex non habet delictum ſemiplenè probatum, non procedit iuridicè interrogatione teſtium; ita Veiga *in ſumma caſuum conſc. lib. 1 cap. 38.* Nauarr. *in cap. inter verba 11. q. 3. coroll. 6.* & Sotus *lib. de teg. ſecr. m. 2. q. 7.*

Veiga. Nauar. Sotus.

An reus de proprio crimine interrogatus teneatur veritatem fateri, etiamſi ob id morte damnandus ſit. Opinio prima.

An autem quando iudex poſt ſemiplenam probationē iuſtè, & iuridicè interrogat, teneatur reus de proprio crimine interrogatus veritatem fateri, etiamſi capite plectendus ſit, eſt duplex opinio.

Prima, & communior affirmat, eam tenent plerique DD. D. Th. 2. 2. *q. 69. art. 1.* Caiet. *ibid.* Arag. Henric. *quodlib. 1. q. 33.* Palud. *diſt. 19. q. 4. verſus fin.* Gabr. *diſt. 15. q. 6. art. 2. concl. 6.* Nauar. *c. 18. n. 57. & c. 27. n. 35. & c. 25. n. 53. in ſumma Lat.* Sot. *lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2.* Sà *verb. Teſtis*, vbi de reo, *n. 1.* Couar. *q. practic. q. 23.* Ant. Gom. *tom. 2. c. 12. n. 5.* Leſſ. *lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 12. f. mihi 366. col. 1.* Fill. *tom. 2. tract. 40. in 8. præc. Dec. c. 9. n. 265.* Graph. *lib. 3. deciſ. aur. c. 7. n. 16.* Hi authores generatim loquūtur, nec diſtinguūt inter pœnas graues, vel leues. Probatur, Primò,

D. Thom. Caiet. Arag. Henric. Palud. Gabriel. Nauar. Sotus. Sà. Couar. Gomez. Leſſius. Filliuc. Graphia.

Primò, quia quiſque tenetur obedire ſuperiori, iuſtè præcipienti; atqui ſuperior legitimè præcipit, quando ſecundùm ordinem iuris, reum interrogat, aut iuramentum ei defert; ergo reus tenetur parere dicendo veritatē contra ſe ipſum, quādo de crimine proprio ſemiplenè probato interrogatur.

Secundò, quia in hoc caſu iudex habet ius eliciendi veritatem ob bonum publicum; ergo ſi reus eam occultat, facit contra ius, & authoritatem ſuperioris; vnde non ſolùm tenetur veritatem fateri, quando ſub iuramento interrogatur; ſed etiam abſque iuramento, ex vi ſolius præcepti ſuperioris; vt docent Leſſius, Sotus, & alij.

Tertiò, quia alioqui omnes fierent malefactores, & breui Reſpublica plena eſſet criminibus, & iniuriis grauiſſimis, nec intra tectum tutus quiſque eſſe poſſet; & colligitur hæc veritas ex *cap. cum dilecti, de accuſat. & cap. 2 de confeſſion.*

10. *De crimine alieno nemo negat.* Quòd ſi reus, & teſtis interrogatus de crimine proprio ſemiplenè probato à vero iudice, tenetur aduerſùs ſe ipſum veritatem fateri etiam ſi morte plectatur, & illius bona omnia fiſco applicanda ſint, à fortiori tenebitur id fateri, quando interrogatur de crimine alieno; & ita omnes Authores *allegati*; qua de re loquendo ſpeciatim de crimine alieno, nemo eſt omnino, qui neget.

11. *Opinio ſecunda.* Secunda ſententia docet poſt ſemiplenam probationem procedente iudice, iuſtè, ac iuridicè, poſſe reum de crimine proprio interrogatum, veritatem tacere, & crimen celare, & non teneri in conſcientia, nec ratione iuſtitiæ, nec obedientiæ illud manifeſtare, ſed poſſe prudenti amphibologia iudicem deludere, ſi ex confeſſione timeatur grauis pœna temporalis, qualis eſt pœna mortis, confiſcatio omnium bonorū, damnatio diuturna ad triremes, perpetuus carcer, perpetuum exilium. ſi tamen pœna ſpiritualis ſit, vt excommunicatio, irregularitas, interdictum, ſuſpenſio, & ſimilia, docet teneri reo ſub lethali ſuum crimen ſemiplenè probatum fateri, quia pœna ſpiritualis facilè tollitur, & non tam pœna, quàm medicina eſt; quæ opinio eſt valde probabilis, & cum limitatione quadam, quam ſtatim ponemus, eam tanquam probabilem inculcant, ac proponunt, Abbas *in cap. cùm ſuper, de confeſſione.* Angelus *verb confeſſio delicti, num. 1.* Syluester *verb. etiam confeſſio delicti, quæſt. 1.* Armilla *ibi quæſt. 8.* Alcoçer *in ſumma cap. 16. §. & reo* Leſſius illam nō improbabilem appellat, *lib. 2. cap. 31. dub. 3. n. 15* Filliucius probabilem ſimpliciter appellat. *tract. 40. in 8. præceptum Decal. cap. 9. num. 266.* Sà *verb. Reus.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſt. cap. 4. num. 136.* citatur etiam pro hac parte Nauarrus *in cap. inter verba, corollario 64. num. 733.* Veiga *ſumma caſuum, lib. 5. caſu 603.*

Abbas. Angel. Syluest. Armilla. Alcoçer. Leſſius. Filliuc. Sà. P.Nauar. Nauar. Veiga.

12. Qui omnes in vniuerſum docent, quando pœna temporalis timetur, non teneri reos proprium crimen ſemiplenè probatum fateri, etiamſi iuramento interrogētur, ſed certè ſi loquantur vniuerſaliter de quacumque pœna temporali, non eſt tenenda; ſi verò loquatur de grauiſſimis pœnis temporalibus, quales aſſignauimus, eſt probabilis, & piè defendi poteſt, & ſub iſta limitatione, eam defendunt Leſſius, Petrus Nauarra, Veiga, Sà, Filliucius *allegati*. Fundamenta illius ſunt,

Primò, quia nemo contra ſe tenetur arma ad ſui occiſionem miniſtrare, aut ſe ſuis bonis priuare, aut perpetuò in carcere ſe ſponte ſua, includere; perinde autem eſt, moraliter loquendo, crimen ſemiplenè probatum contra ſe ipſum fateri, ex quo hęc omnia timeantur, ac contra ſe ipſum arma dare, & ſe in perpetuo carcere includere; igitur non tenetur illud fateri.

Secundò, quia quandiu manet ſpes euadendi, duriſſimum planè videtur, & ſupra vires humanas tale præceptum, vix enim vnus de millibus erit, qui hoc præceptum ſeruet; præcepta autem humana debent eſſe conformia humanæ naturæ, & non ſupra illius vires: manet autem iſta ſpes euadendi, quandiu crimen nondum plenè, & perfectè probatum eſt,

Tertiò, quia in criminalibus nemo poteſt cogi ad teſtificandum contra conſanguineos ſuos; vt patet ex *l. 4. ff. de teſtibus*, quando veritas aliter haberi poteſt, & docet Lazarius Papienſis *lib. de quæſt. Canon. ſect. 3 quæſt. 11.* & Rodrig. *tom. 1. ſummæ cap. 69. num. 4.* niſi in cauſa fidei, aut ob bonum commune totius Reipublicæ, & Principis; atqui nemo eſt magis alteri conſanguineus, quàm quiſque ſibi; ergo contra ſe ipſum, etiamſi crimen ſit ſemiplenè probatum, nemo tenetur teſtimonium ferre; quærant igitur iudices aliunde probationes, non à reo ipſo. Papienſ. Rodrig.

13. *Inſtantia.* Dices, huiuſmodi legem intelligendam eſſe de delictis occultis; at qui id dixerit, non profectò animaduertit nullum tunc eſſe beneficium legis erga conſanguineos, cùm etiam erga extraneos nemo teneatur, nec iuſtè poſſit cogi ad teſtificandum de criminibus omnino occultis, & nondum ſemiplenè probatis, quando agitur via accuſationis ad punitionem. Et verò propter iſtas rationes, & alias ſimiles ſtrenuè aſſerit Sà *verb. Reus, num. 6.* non debere Confeſſores reos cogere, & obligare in conſcientia, vt ſua crimina in iudicio fateantur, quamuis antecedenter iuraſſent ſe dicturos veritatem, intelligeretur enim tale iuramentum, modò non ſit in illorum præiudicium.

14. *Soluuntur argumenta contrariæ opinionis.* Reſtat modò ſoluere argumenta prioris opinionis *num. 9.* propoſitæ.

Ad primam, & ſecundam rationem illius,

Reſpondeo primò, nullum eſſe inconueniens dari veluti bellum iuſtum in hoc negotio ex vtraque parte, propter probabiles rationes, ac ſententias hinc inde militantes, fieri enim poteſt, vt iudex iuridicè procedens, habeat ius interrogandi, cauſa boni publici, & tamen reus non teneatur aduerſùs ſe ipſum ad mentem illius reſpondere, vt vitam propriam tueatur, vterque enim in hoc caſu iure ſuo vtitur, iudex percontando ob commune bonum, reus amphibologicè celando ob bonum vitæ propriæ, nec mirari quiſquam debet, quòd detur ex vtraque parte iuſtum bellum ſine ignorantia inuincibili, ſic enim qui eſt in periculo vitæ, poteſt fugere è carcere, ante, & poſt ſententiam latam; & tamen leges iuſtè præcipiunt, ne fugiat, & iudex iuſtè de facto ei id poteſt præcipere, & de facto punire fugientes, & tamen reus licitè fugere poteſt effracto etiā carcere, & non tenetur parere, etiamſi alij vincti fugituri ſint, poſſúntque illum alij iuuare ad talem fugam, & præbere inſtrumenta ad rūpendum carcerem; licèt ex illa fuga damnum obueniat cuſtodi, quia iure ſuo vtitur, & ille negligentiæ ſuæ id tribuat, cùm meliùs non cuſtodierit, tenetur tamen reus ſolùm ex charitate conſiderare, an tanti ſua referat fugam capeſſere, vt damnū illud proximi ſecundùm leges charitatis, non ſit curandum; ita Leſſius *lib. 2, de reo, & Aduocato, cap 31. dub. 5. num. 31.* Sà *verb. Reus, n. 9.* Arag. *2. 2. quæſt. 69 art. 4.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 6. art. 4.* Leſſius. Sà. Aragonius. Sotus.

Præterea licitum eſt reo ſatellites ſe iuſtè inſequentes fugere, & ab alio ad id iuuari,

non

non tamen reſiſtendo, non eſt autem reſiſtere, ſe excutere ab apprehendente, qui illum trahit, cui autem licitum eſt fugere, licitum eſt etiam cum ad id iuuare,& cum eo cooperari, niſi lex prohibeat,aut publicij officij ratio;ita Angelus *verb.carcer.num.*3.Tabiena *ibidem n.*1. Sà *allegatus*,& alij.

Angelus. Tabien.

Item poteſt ſeruus bello captus fugere ad ſuos; & tamen dominus iuſtè, & licitè præcipit ne fugiat, & ius habet illum puniendi.

Denique iuſtè præcipit iudex damnatis ad mortem in abſentia, vt compareant,qui tamen non tenentur in conſcientia comparere;vt docet Petrus Nauarra *lib.*2.*de reſt.cap.*4.*num.*144. Non eſt igitur inconueniens dari bellum iuſtum ex vtraque parte.

P Nauarra.

Reſpondeo ſecundò, non dari bellum iuſtum ex vtraque parte formaliter, quia carcerarius ea tacita conditione publicum illum carcerem in cuſtodiā accepit, vt vincti,qui ab illo fugere poſſint, licitè fugiant ad euadendam grauem pœnā,& ipſe ſibi imputet malam cuſtodiam; peccabunt tamen vincti mortaliter contra charitatem, ſi maius malum inde carcerario obueniat, quàm ſit bonum, quod ſibi ex ea ſperant, vnde non poſſunt licitè fugere ad euadendam quamcumque pœnam, ſed quæ ſit maior, quàm pœna quæ carcerario inde euenire poteſt, ſpectato enim ordine charitatis, tenemur leue damnum pati,ne grauiſſimum inde proximo obueniat; vnde ſequitur poſſe iudicem procedere ad torturam rei ex ſemiplena probatione delicti, non tamen teneri reum crimen proprium fateri, quia vterque vtitur iure ſuo, iudex torquendo, & interrogando,reus celando ob bonum vitæ propriæ.

15. Ad tertium reſpondebis, per accidens ſequi, quòd inde aliqui occaſionem arripiant ad perpetranda crimina, cùm id potius tribuendum ſit negligentiæ miniſtrorum iuſtitiæ,quàm audaciæ patrandorum criminum; nec iſta occaſio tam facilè poteſt accipi, cùm ſemiplena probatio ſufficiat ad tormenta & torturas; itaque dantur hic duo præcepta naturalia: alterum obediendi iudici iuſtè præcipienti, alterum tuendi vitam propriam, & fortius eſt præceptum tuendi vitam, quàm obediendi.

16. Ex dictis ſequitur, ſi non fuit auctor criminis, non teneri reum ſub iuramento interrogatum fateri aliquas circumſtantias, ex quibus iudex ſuſpicetur illum fuiſſe criminis autherem, v.c. occiſus fuit aliquis in tali locò,& cum tali gladio, poterit reus licitè iurare ſe ibi non fuiſſe, & gladium non eſſe ſuum,etiamſi ibi fuerit, & gladium alteri accommodaſſet,ſi ex eo quod veritatem fateatur,iudex ſit crediturus, illum fuiſſe occiſorem,cùm tamen non fuerit; ita Leſſius *lib.*2. *de reo, & Aduocato,cap.*31.*dub.*3.*à num.*12. Salon 2.2.*quæſt.*69. *art.*2.Sanchez *lib.*1.*de matr.diſp.*10.*num.*47.Fundamentum eſt, quia iudex in hoc negotio procedit ex falſa præſumptione; & quia ille vult ſcire, quis nam illum hominem interfecerit; & ideo reum de armis interrogat, & de præſentia loci, & reſpondendo hoc modo,ad illius intentionem veram, & ſecundariam reſpondet.

Leſſius. Salon. Sanchez.

17. Circa tertiam partem tituli, quæ ita habet, an liceat reo, & Aduocato illius, impingere crimen mendacij,& calumniæ accuſatori. Breuiter,& reſolutè reſpondeo, ſi reus falſo crimine accuſatur, vel vero, ſed occulto, & quod in iudicio probari non poteſt, non peccat contra iuſtitiam, ſi crimen neget,vel accuſatori mendacium impingat,& calumniam, dicendo illum mentiri, & calumniari; ita colligitur ex D.Thom.2.2.*quæſt.*69.*art.*2.aſſerente, *reum ſe poſſe tueri quacumque via, modò non dicat mendacium.* Atqui dum dicit talem accuſatorem mentiri,non dicit mendacium,nam qui accuſat de eo, quod probare non poteſt, calumniator præſumitur; vt docet gloſſa *in cap.*2.*de calumniatoribus*, ac proinde cenſetur mentiri;tum,quia contra mentem, hoc eſt, contra dictamen conſcientiæ ſuæ loquitur; tum,quia falſum præſumitur in iudicio, quod probari in eodem iudicio non poteſt;ita docet Leſſius *lib.*2. *cap.* 31. *dub.* 2. *num.*6.Syluester *verb.Reſtitutio* 3.*quæſt.*3. Nauarrus *in ſumma cap.*18.*n.*39. Petrus Nauarra *lib.*2. *de reſt.cap.*4.*num.*348. Filliucius *tom.*2.*tract.*40.*in octauum præceptum Decalogi,cap.*9.*num.*261.

Tertia pars tituli. An liceat reo,& Aduocato illius impingere crimen mendacij accuſatori.

D.Thom.

Leſſius. Syluest. Nauar. P.Nauarra. Filliuc.

Idem dicendum eſt,iuxta reliquos DD.de omni illo,qui extra iudicium negat ſe dixiſſe,aut feciſſe aliquid, quod alius illicitè patefecit, vnde infamia, vel offenſio naſceretur: vt ſi ſecretò tibi commiſi quidpiam, & tanquam amico,ex confidentia id tibi patefeci, & tu id alteri retuliſti,qui inde grauiter,& iuſtè offenſus fuit; tunc quidem ſi ille mihi id obiiciat,poſſum negare me nunquam id tibi patefeciſſe, aut dixiſſe,negando enim meo iure vtor, quiſque enim ius habet ſua occulta dicta, & facta celandi, quantum poteſt, ex quibus ſibi offenſio aliqua naſceretur,quòd ſi iniuſto patefactori,inde mali aliquid ſequatur ſibi imputet, ſecus quando alter poterat licitè patefacere, tunc enim illi iniuria fieret,ſi res negaretur,ita expreſsè Leſſius *lib.*1.*cap.*31.*dub.*2.*num.*7. Petrus Nauarra *lib.*2.*de reſt. cap.*4. *num.*348. 18.

Leſſius. P.Nauarra.

Peccabit tamen reus ſaltem contra charitatem, ſi ſe poſſet defendere, quin crimen mendacij alteri impingat,tenetur enim ſe defendere,cùm minima accuſatoris læſione, nam contra charitatem eſt, ſi proximo maius malum inferas, quàm ad tui defenſionem ſit neceſſarium. 19.

Capvt XXXII.

An reus innocens, condemnatus tamen ſecundùm allegata, & probata teneatur obedire ſententiæ, & poſsit, ſe vi defendere, & an retinens officium, vel cathedram ab altero ſe authore, & ſciente iniuſtè ablatam, teneatur reſtituere.

Svmmarivm.

Explicatur ſtatus quæſtionis. num.1.
Si ſententia re vera eſt iniqua, non tenetur reus parcere, & poteſt ſe contra iudicem,& miniſtros citra vim, & ſcandalum iuſtè defendere. num.2.& 3.
*Iudex habet ius exequendi iniuſtam ſententiam, in foro tamen fori,& ſecundùm allegata, & probatà iuſtam, & ideo reus per vim ſe contra illum defendere non poteſt,num.*4.*Poteſt tamen pecuniam abſcondere, ſi fuerit illa multatus.* ibid.
*An reus poſſit ſe vi defendere contra iudicem, quando iudex proceſſit,non ſeruato iuris ordine,num.*5. *& 6. Quid ſi reus non appellauerit.* ibid.in fine.
An quando innocens priuatur officio,cathedra,aut beneficio ex falſa præſumptione, & fundamento, & alteri id ſcienti datur, poſſit tuta conſcientia ille, qui illud accepit, retinere. num.7.8.& 9.

1. PRæMITTO primò, nobis hîc ſermonem eſſe poſſe de ſententia iniqua, re ipſa, hoc eſt, de ſententia ex falſa cauſa falſis probationibus data, quamuis ſecundùm allegata, & probata iuſta cenſeatur, & ſit. nam cùm omnia iudicia humana his falſitatibus pateant, quamuis iudices ſint vigilantiſſimi in inquirenda veritate, contingit, vt citra illorum culpam falſæ probationes ſubrepant, ac ſubinde iniquæ proferantur ſententiæ.

2. *Concluſio prima.*

Statuo ergo primò, quando ſententia re ipſa eſt iniqua, non tenetur reus parere in conſcientia, & poteſt ſe iuſtè citra vim, & ſcandalum contra iudicem, & miniſtros iuſtitiæ defendere, vnde ſi per talem ſententiam re aliqua priuatus eſt, v.c. legato, vel hæreditate, vel pecunia multatus, non tenetur in conſcientia ad ſolutionem, niſi non parendo ſententiæ magis malum, & ſcandalum ſequatur. Et conſequenter ille, cui talis res eſt applicata, ſi ſciat ſententiam falſo fundamento niti, non poteſt eam retinere, & tenetur ſtatim reſtituere; ita communiter DD. D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. Sotus *lib* 3. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 5. *verſ. nihilominus.* Leſſius *lib.* 2 *cap.* 31. *de reo, & Aduocato, dub.* 4. *n.* 24. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum Decalogi. cap.* 9. *num.* 268. Innocent. *in cap. quia plerique, de immunitate Eccleſiæ.* Ratio eſt,

D.Thom. Sotus Leſſius. Filliuc. Innocent.

Primò, quia ſententia iuxta D.Thomam 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 1. eſt quædam lex in hoc facto peculiari alicui impoſita; lex autem non obligat, quando ex eius obſeruatione ſequitur id quod eſt contrarium fini legis; quare cùm finis ſententiæ ſit, vt cuique tribuatur, quod ſuum eſt, ſi ex eius obſeruatione contrarium obueniat, non obligabit.

Secundò, quia in tali caſu iudex, & miniſtri iuſtitiæ non habent re vera ius inuadendi reum, aut puniendi. ſed tantùm illud habent præſumptione quadam falſa Poterit ergo reus iniuſtè inuaſus, ſe iuſtè defendere citra vim, & ſcandalum, ſicut inuaſus ab innocente furioſo ſe poteſt defendere.

3. Dixi *poſſe ſe defendere contra iudicem, & miniſtros*; quia cùm iudex & miniſtri iuſtitiæ in eo caſu non habeant in rei veritate ius inuadendi reum innocentem, ſed tantùm ex falſa præſumptione, quia falsò in foro externo præſumunt eſſe nocentem, poterit inuaſus vti iuſta defenſione abſque vi, & ſcandalo; ſicut qui inuaditur ab innocente furioſo, poteſt ſe contra illum tueri, etiam cum ipſius læſione, & morte, ſi aliter eius violentiam nequeat euadere, eo quòd ille ius non habeat inuadendi, quod maximè locum debet habere, ſi iudici de iniquitate cauſæ conſtaret; ita docet Franciſcus Victoria, & quidam alij Iuriſperiti, quos citat Couar. *lib.* 1. *var.* 1. *reſol. cap.* 2. *num.* 13. & hi ſunt Paris à Puteo, Lucas Penna, Hippolytus, & alij. docet etiam Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *de reo, & Aduocato, dub.* 4. *num.* 30. & Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40 *in octauum præceptum Decal. cap* 9. *n.* 268.

Victoria. Couar. Paris. Leſſius. Filliuc.

4. Dixi, *citra vim, & ſcandalum*; quia, vt notat D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. & Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 6. *art* 4. & Leſſius *citatus num.* 29. iudex habet ius exequendi talem ſententiam, & ad id compellitur authoritate legum, & Reipublicæ, & cùm reus probare non poſſit ſuam innocentiam, tenetur obedire, & cedere iuſtæ ſententiæ in foro externo datæ, alioqui ſequeretur maxima perturbatio, & ſcandalum in Republica. Et ideo hæc ſententia, quæ docet poſſe reum innocentem, iniuſta, & iniqua ſententia damnatum ſe iuſtè contra iudicem, & miniſtros defendere, difficillimè erit in vſu admittenda, propter ſcandalum, quod neceſſariò ſemper ſequetur, aut ſaltem vix abeſſe poterit; vt optimè Leſſius animaduertit citatus *num.* 30. *ad finem*; & ideo addidi, *niſi non parendo maius malum, & ſcandalum ſequatur*, quia propter ſcandalum multa ſunt ſæpe omittenda, quæ de rigore iuris iuſtè fieri poſſunt; vt habetur expreſsè *in cap. ſuper quodam, de ſtatu Monachorum, ad finem illius*; & docet ibi gloſſa *verb. maximo ſcandalo.*

D.Thom. Sotus. Leſſius.

5. Si tamen iudex iniquus eſſet, & proceſſiſſet, iuris ordine nõ ſeruato, tùnc omnino poſſet reus ſe defẽdere, cum iudicis etiam læſione, imò & occiſione, quia in ea circumſtantia nullum ius habet iudex talem ſententiam exequendi, neque ad id authoritate legum compellitur, nec tunc iudex dici poteſt, ſed iniuſtus inuaſor, & tyrannus; ita docet D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. Caietanus *ibi*, & Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 3. *art.* 4. & alij.

D.Thom. Caiet. Sotus.

6. *Oppoſitio.*

Sed oppones, Reſpublica, & Princeps, poteſt ex cauſa de bonis ſubditorum diſponere, eaque ab illis auferre, & aliis dare, vt conſtat ex legibus præſcriptionis; hîc autem videtur eſſe ſufficiens cauſa (videlicet, vt publica iudiciorum forma ſeruetur,) vt ille, cui talis res per ſententiam iniuſtam fuit applicata, eam retineat, & non teneatur illam ſuo domino reſtituere, ſi ſciat ipſam ſententiam falſo fundamento niti; igitur non benè contrarium in concluſione fuit reſolutum. Reſpondeo, etſi hæc cauſa fortè ſit ſufficiens, vt tribuat iudici authoritatem iudicandi contra priuatam ſcientiam, ſecundùm allegata, & probata; tamen non eſt ſufficiens vt dominus rei amittat re vera rem ſuam, itaut in foro conſcientiæ teneatur eam alteri cedere, aut vt alter cui applicata fuit, non teneatur eam reſtituere, ſi poſſit; hoc enim non eſt ad bonum publicum neceſſarium, ſicut ſunt neceſſariæ leges præſcriptionis. Quis enim dicat, niſi demens, & inſanus, expedire Reipublicæ, vt ſi falsò in iudicio probem, me eſſe hæredem à Titio inſtitutum, cùm tamen verus hæres ſit Paulus, poſſim tuta conſcientia eam hæreditatem retinere: aut quis dicet, niſi vecors ſit, & ſpe alterius vitæ deſtitutus, poſſe fiſcum ſibi vindicare bona illius, de quò illi certò conſtat, per falſos teſtes fuiſſe conuictum de hæreſi, ſanè nulla æquitas hoc patitur, nec refert, quòd pars læſa non appellauerit, quia quamuis non appellet, non cenſetur renunciare iuri ſuo; ſed hoc tantum patitur, quòd ampliùs in foro externo non audietur, ſi rem in eodem fóro voluerit poſtea repetere, quæ pœna ponitur in iure ad puniendam negligentiam, non vrgentis rem ſuam; vt optimè docet Sotus *lib.* 3. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 5. *verſ. Quid autem ſi pars læſa.*

Reſponſio.

Sotus.

7. *Quid quando aliquis priuatur cathedra, officio, vel beneficio ex falſo fundamento.*

Sed quid ſi aliquis priuatus eſſet officio, beneficio, aut Cathedra per ſententiam in rei veritate iniuſtam, falſis teſtibus falſóve fundamento datam, ſecundùm tamen allegata, & probata iuſtam; & alicui hæc eſſent à legitimo collatore data: poterit ne iſte hæc iuſtè abſque obligatione reſtitutionis retinere? Reſpondeo hac de re eſſe duplicem ſententiam.

Opinio prima.

Prima docet probabile eſſe non teneri illum ad reſtitutionem, etiam ſi ſciret ſententiam falſis probationibus niti; ita docet expreſsè Innoc. *in cap. quia plerique, de immunitate Eccleſiæ*, & Panorm. *in cap.* 1. *de conceſſ. prabend.* incipit, *qui in viuorum*, gloſſa *ibid. verb. Pellendi*, & communiter Canoniſtæ, quod idem docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *de reo, & Aduocato, dub.* 4. *num.* 28. *verſ. Vnde hæc aliter probatur ſententia.* Fundamentum illorum eſt,

Innoc. Panorm. Leſſius.

Primò,

Primò, quia hoc ipſo quòd condemnatus non appellauit, acquieuit ſententiæ,& ita negotium in rem iudicatam tranſiuit,iuxta *cap. quod ad conſultationem,de ſententia,& re iudicata,& cap. cùm dilectus,de electione*; deinde quia Eccleſia, Rex,aut Reſpublica,eo caſu priuant reum abſolutè officio, cathedra, vel beneficio,& applicant ei cui poſtea conferunt,quod iuſtè facere poſſunt,cùm hæc ſint bona communia,in quibus multo maiorem habent poteſtatem ad diſponendum de illis,quàm in bonis priuatis cuiuſque,& aliunde habent iuſtam cauſam ita diſponendi:ea autem multiplex eſſe poteſt,

Primò, ne iuriſdictiones ſint incertæ, quæ res multo maioris eſt momenti, quàm ne quis ſine culpa in bonis communibus ſuo iure priuetur.

Secundò, quia cùm conſtiterit de innocentia rei,facilè ei poterit alia ratione recompenſatio fieri, conferendo ei aliud officium, Cathedram,vel beneficium cùm vacauerint,& tenetur Epiſcopus ei in alio beneficio recompenſationem facere,&Rex in alio officio,vel cathedra, quàm ob falſum fundamentum ſua proprio,iure acquiſita,ſcienter priuarunt;vt colligitur ex *c.præſentium* 7. q.1. & deducitur ex *cap.inter cætera, de præbendis*,& docet gloſſa *in cap.qui in viuorum,de conceſſione præbendæ,verb. pellendi.*

Tertiò, quia reſtitutio hæc non poteſt fieri,niſi per collatorem:collator autem ſæpe poteſt eſſe ipſemet iudex,qui reum priuauit,& nollet efficere, ne videatur iniuſtam tuliſſe ſententiam;& ſi nõ eſt iudex,id nõ efficiet,ne videatur contra iudicis ſententiam facere,iudicemque damnare;quare is, cui tale beneficium,Cathedra, aut officium eſt collatum, bene poterit illud retinere,cùm reſignando poſſit alteri prodeſſe, neque etiam tenetur illi reſtituere fructus;cùm enim titulum retinere poſſit, & debiti illi ſint propter laborem,& officium,etiã fructus poterit ſeruare,cùm hi ſequantur titulum, & officium, neque tenetur alia via recompenſare, quia cauſa non fuit cur alter ſit priuatus;vnde hic iuſtè queri non poteſt ſibi ab eo fieri iniuriam.

8. Verùm hæc opinio, quæ eſt probabilis, ſolùm habere locum poteſt quando alicui confertur officium, Cathedra, aut beneficium iniuſtè ab alio ex falſo fundamento ablatum, ſe nihil cum tali fundamento cooperante, non verò quando ipſe fuit accuſator, & author, & ad illius inſtantiam priuatus alter fuit, ex eodem falſo fundamento, ſciens ipſe optimè,illum eſſe innocentem,& nihilominus rem vrget vſque ad priuationem illius,& collationem ſuam; quod videtur expreſsè tenere gloſſa *in dict.cap.qui in viuorum,de conceſſione præbendæ,dict. verb.pellendi,initio*, ibi, *Niſi ignorans quis inſtituatur,quo caſu accuſatur, l.ſi quis inficiatus.ff.depoſit. quaſi dicens aliter non excuſatur.* hæc ibi gloſſa. Et idem videtur etiam docere Leſſius *lib.2.cap.31.de reo,& Aduocat.dub.4.num.28.verſ. vnde aliter probatur,in fine*, vbi quærit, an ille,cui collatum fuit beneficium, quod per ſententiam iniuſtam ab alio fuit ablatum,ſciens optimè illo iniuſtè fuiſſe priuatum, teneatur ei fructus illius reſtituere, & reſpondens negatiuè, hanc rationem aſſignat;*quia cauſa non eſt, cur alter iniuſtè ſit priuatus;vnde iuſtè queri non poteſt, ſibi ab eo fieri iniuriam*, quaſi contrarium eſſet dicturus, ſi ipſe cauſa, & auctor fuiſſet prædictæ priuationis iniuſtæ,& idem tenet Sotus *ſtatim allegandus.*

Leſſius.

9. Secunda ſententia probabilior abſolutè docet eum, qui rem aliquam habet ex ſententia iniuſta, & falſo fundamento,ac præſumptione data,quam ſcit ab alio per eandem ſententiam fuiſſe ablatam, teneri in conſcientia eam illi reſtituere, & non diſtinguit inter bona communia Reipublicę,vt officia,Catheda, aut beneficia, & inter bona priuata alicuius hominis, & hanc docent communiter Theologi,inter quos eſt Sot.*lib.5.de iuſt.q.4.art.5. verſ. nihilominus*, & alij plerique. Fundamentum eſt, quia ſententia non habet robur,nec vim obligandi, niſi quatenus eſt veri iuris declaratiua, & quatenus eſt lex quædam particularis, ius ſuum cuique ex veris probationibus tribuens. Si igitur alicui conſtat ſententiam talem non eſſe iuſtam, nec ſuum domino ſuo tribuere, non poteſt iuſtè rem retinere,ſed tenetur illam in conſcientia reſtituere; neque obſtat

Opinio ſecunda.

Sotus.

Primò,quòd res ſit ex iis,quæ pertinent ad bona communia Reipublicæ, quia eo ipſo quòd alicui per legitimum conferentem fuit applicita, ius habet,& acquiſiuit in ea re,quã non poteſt inuitus ex falſa præſumptione, & fundamento niſi per maximam iniuriam, & cum obligatione reſtitutionis priuari.

Secundò, quòd pars læſa non appellauerit, vt inde credamus eo ipſo iure ſuo ceſſiſſe, nam per non appellationem, non cenſetur renunciaſſe iuri ſuo,& à ſe eam rem abdicaſſe omnino, alterique reliquiſſe,ſed tantùm cenſetur renũciaſſe termino dierum, quibus poterat ab ea iniuſta ſententia appellare, & ideo ſi poſtea voluerit rem ſuam in iudicio repetere,non audietur in eodem foro,vt diximus *n.6. in fine*,non tamen per omiſſionem appellationis,cenſetur alteri rei ipſius ius concedere, in foro conſcientiæ,vt patet,maximè,quia aliquãdo fieri poterit,vt ob paupertatem appellationem omittat,vt plerũque fit. Et facit pro hac opinione *c.vigilanti,de præſcriptionib.* in quo deciditur,nulla etiam antiqua poſſeſſione iuuari poſſe malæ fidei poſſeſſores;quare cùm is, cui eo ſciente,& procurante per iniuſtam ſententiam ex falſo fundamento datam res aliena fuit applicata, bonæ fidei poſſeſſor eſſe non poſſit, profectò eam rem retinere non poterit,nec iuuabitur titulo iniuſtæ ſentẽtiæ, & poſſeſſione antiqua: qui enim mala fide poſſidet, non præſcribit; ſi tamen poſt impletam præſcriptionem, malam fidem habere incipiat,exiſtimat Sot.*alleg dict.lib.5.de iuſt.q.4.art.5.* non teneri eam reſtituere; quia finita præſcriptione,quilibet in conſcientia tutus eſt.*c de quarta, de præſcr. & c.quoniam omnis,eod.tit* Finita enim præſcriptione,iure quis poſſidet,& ſi iure;ergo iuſtè,& benè; *c.quia dicam 14. q.4.* nec iam dicitur res aliena,ſed tua *l. Lucius,de euict.* gloſſ.*in c.vigilãti,de præſcrip. verb. nouerit.* Hæc opinio eſt probabilior, & ſecurior; & pro ea faciunt omnia quæ diximus *cap.13. num.5.*& omnibus authoribus,quos *ibi* citauimus, defendi poteſt.

CAPVT XXXIII.

An reis iunctis poſſimus licitè auxilium ad fugam dare, radere catenam, & claues adulterinas præbere, & illi poſſint fugere, & corumpere cuſtodes pecunia ad fugam.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. *num.1.*

Reus ante latam ſententiam ob quodcumque delictum in carcere detentus licitè poteſt fugere. n.2.

Etiam poſt latam iuſtam ſententiam, licitè poteſt fugere, ſi damnatus ſit ad pœnam mortis, infamiæ, mutilationis, aut alterius damni grauis. num.3.

Non poteſt dari iuſta lex, aut præceptum humanum, quod obliget reum ad pœnam mortis, aut mutilationis, aut infamiæ damnatum, vt non fugiat. n.4.

Qui poſt iuſtam mortis ſententiam poteſt è carcere fugere, poſt iniuſtam non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur. num.5.

Damnatus per iuſtam ſententiam ad ſolam pœnam temporariam carceris, non poteſt licitè fugere, damnatus ad carcerem perpetuum poteſt. num.6.

Quid de reo damnato ad exilium, & ſeruitutem. n.7.

An omnes qui poſſunt licitè fugere, poſſint licitè vincula, & carceres rumpere, refertur prima ſententia negans. num.8.

Præfertur ſententia affirmans. num.9.

Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. n. 10. *Vis non infertur iudici, dum carcer rumpitur.* ibid.

Effractores carcerum tenentur ad damnum effracturæ, talis tamen reſtitutio non eſt in vſu. num.11.

An effractor carceris, teneatur de damno cuſtodi illius ſi cauſa ſui alij vincti fugiant. num.12.

An poſſint vincti corrumpere cuſtodes carcerum pecunijs, vt effugiant. num. 13. 14.

An poſſint illos inebriare, vel ſimulatè claues furari, vt alias adulterinas efficiant. num.15.

Quatenus illos poſſint, vel non poſſint decipere. n.16.

An ſit licitum vinctis claues, conſilium, vel auxilium, malleum, aut inſtrumenta dare vt effugiant. num 17. & 18.

An liceat eos exterius iuuare rūpendo carceres. n.19.

Explicatur Nauarrus. num.20.

An liceat miniſtris iuſtitiæ inſtrumenta vinctis dare, vt effugiant. num 21.

Quid ſi id alicui ſpecialiter prohibeatur. num.22.

1. QVÆSTIO vel poteſt procedere de iis reis, qui ſunt in vinculis, ante ſententiam latam, & de fuga ſimplici, aut non ſimplici, per effractionem carceris, per vinculorum fractionem, & effectionem falſarum clauium, corruptionem cuſtodium, per pecunias, & ſimilia, & de his omnibus agemus.

2. *Concluſio prima.* Statuo ergo primò, reus ob quodcumque delictum morte, aut mutilatione membri dignum in carcere detentus, ante latam condemnationis ſententiam, poteſt licitè è carcere fugere; hæc eſt communis omnium DD. ita docet D. Thom. 2.2. *q.66. art.4 ad* 2. Leſſius *lib.2.cap.31.dub.5.n.31.* Filliuc. *tract.40.in* 8 *præcept. Decalog.cap.9. de perſona rei, n.270.* Couar. *lib.1.var.c.2.n.7.* & 11. Sà *verb.reus, n.9* Arag. 2.2.*q.69 art.4.* Sot. *lib.5.de inſt.q.6.art.4.* Vaſq. 1.2.*tom.2 diſp.174.c.11.init.* Syluest. & Angel. *verb. fugere.* Nauar. *in ſum. Lat.c.17.num.*102. Driedo *lib 2 de libertate Chriſtiana, c.6.* Maior *in 4. diſt.15.q.22.* Probatur, quia nondum condemnatus eſt, nec habet præceptum obedientiæ, ſed tantùm miſſus fuit in carcerem, vt præceptum & ſententiam audiat; nemo autem in carcerem detruditur, vt ibi ſponte maneat; ſed cuſtodes adhibentur, vt eum ibi detineant inuitum; liberum ergo ei eſt, & omnino licitum euadere, ſi qua data licita via poſſit, ad id enim habet ius, etiamſi damnum obueniat cuſtodi, nam illud ex ſua culpa patitur, vt docet Couar. *n.11.* citatus, & ex ſua negligentia cùm oſcitanter carcerem cuſtodierit, quia ſe eo periculo expoſuit, cùm carcerē in cuſtodiā obtinuit.

D.Thom. Leſſius. Filliuc. Couar. Sà. Aragonius. Sot. Vaſquez. Syluester. Angel. Nauar. Dried. Maior.

3. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, etiam poſt iuſtam ſententiam latam licitè fugere poteſt, ſi damnatus ſit ad pœnam mortis, vel mutilationis, aut infamiæ, aut alterius grauis damni, vt optimè docet D. Th. 2.2. *q.69, art.4.* Caiet. *ibid.* Sot. *lib.5.q.6.art.4.* Couar. *lib.1.var.c.2.n.11.* Filliuc. *tom.2.tract.40.in 8.præc. Decal.c.9.n.270.§. quod verò.* Leſſius *lib.2.c.31.de reo, & Aduocat.dub.5.n.33.* Sà *verb.reus,* poſt verbum, *teſtis, n.9.* Tabiena *verb.carcer.à n.1.* Syluest. *verb.accuſatio, n.12.* & *verb.fugere, n.1.* Vaſq. *tom.2. 1.2.diſp.174.cap.17.n.16.* & ita communiter Canoniſtæ *in Clement. paſtoralis, de re iudicata.* Ratio eſt; quia non poteſt ei præcipi, vt ibi maneat, cum tanto damno, & periculo ſuo, tale enim præceptū eſt admodum durum, & ſupra omnes vires humanas. Confirmatur, quia iuxta D. Thom. *allegatum,* nemo poteſt obligari, vt ipſe ſe occidat, aut ad faciendum aliquid, ex quo ei mors proximè, & immediatè, aut aliquod graue damnum mutilationis, aut perpetui carceris, ſequatur, niſi ratio boni publici id ſuadeat; vt ſi vrbs eſſet capienda, atqui manendo in carcere faceret reus aliquid (vt ſupponimus) vnde mors, aut mutilatio, vel graue aliquod damnum ſibi proximè obueniret; igitur non tenetur in carcere manere; ſed poteſt fugere poſt latam etiam ſententiam, & præcipiente iudice, ne fugiat; dixi, *proximè,* quia, vt probauimus *in 5. præcepto,* poteſt quis aliqua efficere, vnde mors inferenda ab alio per accidens ſibi obueniat; nullus tamen poteſt ad ea facienda ita condemnari, vt teneatur in omni caſu obtemperare; v.c. poteſt quis licitè manere in carcere, aſcendere ſcalas, præbere iugulum, & ſimilia; non tamen poteſt ad hæc facienda ita damnari, vt teneatur in conſcientia non euadere ſi poſſet; nā ſi oſtenderetur ſpes euaſionis, licitè poſſet reus ſub patibulo, & ictu gladij, fugam capere; tantum enim cuiquam ad vitam conſeruandam ius eſt, vt nulla poteſtate humanā obligari poſſit ad eam non conſeruandam, ſi eius conſeruandæ ſpes detur, niſi ratio boni publici aliud poſtulet, vt latè, & doctè probat Couar. *lib.1. cap 2. num.10.*

D.Thom. Caiet. Sotus. Couar. Filliuc. Leſſius. Sà. Tabien. Syluester. Vaſq.

4. Ex dictis optimè infert Leſſius *dict. lib.2. c.31. de reo, & Aduocat. dub.5.n.34.in fine,* contra Caiet. 2.2.*q.69. art.4.* contrarium aſſerentem, non poſſe dari iuſtam legem humanam, quæ in conſcientia obliget, vt damnatus ad mortem, vel mutilationem, aut grauem aliquam pœnam corporalem non poſſit fugere; & cum Leſſio conſentit etiam Filliuc. *tom.2 tract.40 in 8. præcept. Decal. c 9.n.275. verſ. quod tertio,* & facit pro hac parte id quod docet Couar. *dict.lib.1.var.c.2.n.11.* non poſſe iudicem iuſtè hanc fugam è carcere etiam poſt iuſtam ſententiam mortis, aut mutilationis datam punire, & idem docet etiā Bart. & Luc. à Peña, & docent alij, quos citat, nec ex ea fuga præſumi delictum.

Leſſius. Caiet. Filliuc. Couar.

5. Si autem poſt iuſtam ſententiam latam, licitè poteſt effugere, ſi voluerit; poſt iniuſtam ſententiam, non ſolùm poterit, ſed etiam tenebitur; vt optimè animaduertit Sà *verb. reus,* poſt verbum, *Teſtis, n 9.* Vaſq. *tom.2. 1.2.diſp.174.cap.4.num.31.* Couar. *lib.1. var.c.2.n.10. verſ. ſeptimo.* Ratio eſt, quia manere in carcere cum eo periculo, niſi ob aliquam cauſam fidei, eſſet vitam prodigere, nulliuſque eſſet vtilitatis eam mortem pati; & idem eſt dicendum de eo, qui poſſet iniuſtam mortis ſententiam per appellationem euadere; & nollet appellare iuxta hos authores, & ſpeciatim iuxta Couar. vbi ita ait. *Septimò his animaduerſis opinamur iniquè damnatum ad mortem debere omnino, ſi poſſit,*

poſſit fugere , alioqui ſi in carcere manſerit,peccabit profectò , maxima vtens temeritate, nulla quidem ex cauſa iuſtâ id agens,ex quo indirectè mors ſequatur. Hæc ille.

6. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, damnatus iuſtè ad ſolam pœnam temporariam carceris, non ita diuturnam non poteſt licitè fugere;damnatus verò ad carcerem perpetuum,præſertim grauem, & ad triremes, poteſt.

Leſſius. Filliuc. Sà.

Prior pars de pœna temporaria eſt communis; eam docent Leſſius *lib.2. cap.31. de reo,& Aduoc. dub.5.n.39.* Filliuc.*tom.2.tract.40. in 8.præceptum Decal.cap.9. num.272.* Sà *verb.reus*,poſt verbum, *Teſtis,num.9.* Probatur, quia hæc pœna non eſt ita grauis , vt non teneatur reus ob ſua delicta eam acceptare , & iuſtæ ſententiæ illius obedire , ſicut etiam ſoluere multam pecuniariam , manere ad tempus in Monaſterio incluſum, ſeruire in hoſpitali,& alias ſimiles pœnas non ita graues.

Leſſius. Sà. Salon. Filliuc. Caiet. Couar. Vaſq. Azor.

Poſterior pars de pœna carceris perpetui,& triremium eſt hodie communior ; eam docent idem Leſſius *lib.2.cap.31. de reo,& Aduoc. dub.5.n.39.* Sà *verb.reus* , poſt verbum,*Teſtis* , *num.10.* Salon. *2.2.q.69.art.4.*Filliuc. *citatus*,& alij, contra Caietan.*dict.2.2.q.69. art.4.*& contra Sotum *lib.5. de iuſt. q.6. art.4.*,& Couar. *lib.1. var reſolut. cap.2. num.14.* & contra Vaſquez *2. 2. tom.2. diſp.174. verſ. an verò.* & Azor. *tom.3. cap.24. verſ. ſecundo eſt notandum* , contrarium tenentes , quæ illorum ſententia probabilis etiam eſt ; ſed noſtra probabilior,& ratio noſtræ eſt , quia carcer perpetuus eſt grauiſſima pœna , & ferè æqualis morti , & reus non condemnatur, vt ibi ſponte maneat,ſed vt ibi detineatur incluſus , & nimis graue eſſet præceptum,ac ſupra vires humanas obligare aliquem in conſcientia , vt ſe ſponte contineat , data ſpe ad tam acerbam pœnam euadendam. Si tamen carcer eſſet laxus , & commodus,tunc contraria opinio tenenda erit. Et verò cum Salonio debent cõſentire omnes, qui docent ſeruum captum in bello iuſto, poſſe licitè fugere, recta via,in propriam patriam,quia ſicut poteſt licitè fugere à morte, ita & à ſeruitute,cùm pœna ſeruitutis , pœnæ mortis æquiparetur ; & hi ſunt Couar. *lib.1. var.cap 2. num.10. poſt medium* ; *& in reg. peccatum 2. part. § 11. num.6.* & quos citauimus *in 4 præcepto* , vbi egimus de obligatione ſeruorum in dominos.

Couar.

7. *Concluſio quarta.* De exilio,& ſeruitute,ita ſtatuo quartò. Damnatus ad exilium perpetuum , poteſt licitè fugere è carcere,ſi exilium eſt grauiſſimum;idem de damnato ad regiones peſtilenti aëre infectas,in quibus plerumque homines emoriuntur ; ſecus ſi exilium ſit temporale ; ita docet Leſſius *dict. lib.2. cap.31. de reo,& Aduocat. dub.5. n.39.verſ. de exilio* ; licèt contrarium teneat Vaſq.*2.2. tom.2. diſp.174. n.6. verſ.cæterùm*,vbi aſſerit ſi pœna exilij fuerit determinata ad certum locum,non poſſe fugere, poſſe verò ſi pœna exilij non ſit ad certum locum determinata. Verùm hanc diſtinctionem certi,& incerti loci non admitto, quia poteſt mitti ad certum , ac determinatum locum, vbi certa mors ſit, & tunc,ſicut poteſt ob mortẽ fugere,ſic ab eo exilio,& hoc non negabit Vaſquez ; cum Vaſq.conſentit Turrian. *tom.2. diſp.51. dub.2.num.2.* damnatus verò ad ſeruitutem, etiam poteſt licitè effugere ; quia ſeruitus eſt grauiſſima pœna, & æquiparatur morti;ita docet Salon.*2.2. quæſt.69.art.4.* & non videtur improbabile Leſſio *modò allegato*, præſertim , ſi ſeruitus ſit admodum dura,& intolerabilis. Et verò cum Salonio debent conſentire omnes , qui docent ſeruum captum in bello iuſto,

Leſſius. Vaſq. Turrian.

Dãnatus ad ſeruitutem an poſſit fugere.

poſſe licitè fugere, recta via in propriam patriam; ſicut enim poteſt licitè fugere à morte , ita & à ſeruitute,cùm pœna ſeruitutis pœnæ mortis æquiparetur;& hi ſunt Couar.*lib.1.var.cap.2.n.10. poſt medium* ; *& in reg peccatum 2.p.§.11.n.6.* & quos citauimus *in 4.præcepto*, vbi egimus de obligatione ſeruorum in dominos ;.vt *num.6.* diximus. Couar.

8. *An poſſint vincula, & carcerem rũpere,vt fugiat.*

Sed peculiare dubium eſt,verùm ille,qui damnatus eſt ad pœnam mortis , vel mutilationis , & perpetuæ ſeruitutis carceris perpetui , & triremium poſſit vincula rumpere, & carcerem effringere,vt euadat,qua de re eſt duplex ſententia.

Prima ſententia negans. Syluester. Couar. Armil. Henriq. D.Thom.

Prima negat, eam tenet Syluest.*verb.accuſatio, num.12.* Couar. *lib.1. var. cap.2. num.14.* Henricus *quodlibet.9. quæſt.25.* Armilla *verb. carcer. n.3.* colligitur ex D. Thom.*2. 2. quæſt.69. art.4. ad 4.* Fundamenta huius opinionis hæc ſunt.

Primò,quia effringere carceres,& vincula rumpere, eſt vim , & iniuriam inferre poteſtati publicæ ; nemini autem licitum eſt,aut eſſe poteſt, vim, & iniuriam alteri inferre , alioquin vnuſquiſque poſſet licitè domum vicini ſui effringere , ac rumpere,illique in hoc iniuriam inferre.

Secundò , quia effractores carceris grauiſſimè in iure ciuili puniuntur , nempe pœna mortis; vt patet ex *l.penult.ff.de cuſtod. & exhibit. & l.1 ff.de effractoribus* ; ergo peccant mortaliter prædicti effractores , ſi enim non peccarent , tam grauis punitio eſſet iniuſta.

Tertiò , quia ſi licitum eſſet carcerem effringere ad fugam , non teneretur effractor ad reſtitutionem damni ; atqui tenetur ; ergo non eſt licitum.

9. *Secunda ſententia probabilior affirmans.*

Secunda ſententia probabilior,& tenenda,ſimpliciter affirmat illos omnes reos,qui licitè poſſunt fugere è carcere, poſſe etiam licitè in omnibus caſibus,in quibus fugere poſſunt , carcerem rumpere & effringere, vt fugiant , etiamſi alij vincti fugituri ſint ; ita docet Leſſius *lib.2. cap.31. dub.5. num.36.* Filliuc. *tom.2. tract. 40. in 8. præceptum Decal.cap 9.num.271.*Nauar.*cap 17.num.102.* Caietan.*2. 2. quæſt.69. art.4.* Sotus *lib.5.de iuſt. q.6. art.4.* Salon.*2.2.q.69.art.4.* Sà *verb reus*,poſt verbum,*Teſtis,n.9.* Vaſq.*1.2. tom.2 diſp.174. cap.11. num.16.* Driedo *lib.2. de libert. Chriſtiana , cap.6.* vbi optimè animaduertit Vaſq. non ſolùm quandò reo inuito imminet pœna capitis, mutilationis, aut læſionis grauis,poſſe effracto carcere effugere; ſed etiam quando imminet pœna infamiæ, & dedecoris , ſicut enim nos defendere poſſumus ob tuendam vitam ; ita & ob tuendam famam. Probatur hæc opinio ex his fundamentis , quæ meo planè iudicio ſunt optima.

Leſſius. Filliuc. Nauar. Caiet. Sotus. Salon. Sà. Vaſquez. Dried.

Primò,quia qui poteſt licitè fugere,licitè etiam poteſt mediis vti ad talem fugam;nam cui licitus eſt finis , licita ſunt media ad talem finem ; atqui effractio carceris , & ruptio vinculorum ſunt media ad talem fugam ; ergo in omnibus caſibus , in quibus licitum eſt fugere,licitum etiam eſt vincula rumpere , & carcerem pertundere.

Secundò,quia hoc nõ eſt vim inferre poteſtati publicæ,aut iniuriam illi facere, nam poteſtas publica non eſt ſita in vinculis , aut lapidibus carceris,ſed in iudice,& miniſtris, quibus non licet vim inferre,quando licita eſt condemnatio,non eſt autem , vt alibi diximus , reſiſtere , aut vim inferre, quando licita eſt condemnatio, ſe excutere ab apprehendente , quando illum ad ſupplicium, vel carcerem trahit ; vt docet optimè Sà *modò allegatus.*

Tertiò

Tertiò, quia ſi quis obiiceretur leoni, poſſet licitè ſe pro viribus contra eum tueri, & eum occidere, ſi poſſet; ergo etiamſi damnaretur ad mortem carceris, poſſet illum rumpere, & effringere, cùm par ſit vbique ratio.

Quartò, quia reus non tenetur manere in carcere, ſed iudicis eſt curare, vt vi maiori detineatur, ideo enim catenæ ſunt, compedes, & numellæ ferreæ, & carceres firmiſſimi; quare ſuæ negligentiæ iudex, & cuſtos id tribuat ſi meliùs non ſeruauerint.

Quintò, quia illud præceptum ſi reo iniungeretur, ne fugeret, duriſſimum eſſet, & ſupra vires humanas; quare non eſt dubitãdum, poſſe vinctos effugere ruptis carceribus, & effractis vinculis.

10. Neque obſtant contrariæ opinionis argumenta, nam.

Ad primum, nego vim, & iniuriam inferri iudicibus, & poteſtati publicæ in huiuſmodi effractione, non enim poteſtas publica conſiſtit, vt dixi, in parietibus, & lapidibus, aut lignis ipſius carceris, ſed in iudice, & miniſtris iuſtitiæ.

Ad ſecundum, reſpondeo crimina non eſſe ſolita puniri in iure grauioribus pœnis ob grauitatem illorum: ſed ob pacem Reipublicæ, ea enim quæ magis perturbant pacem Reipublicæ, ſeueriùs puniuntur, licèt non ſint ex obiecto tam grauia, quàm grauia ſunt alia, quæ non ita ſeuerè puniri ſolent, deinde leges citatæ procedunt ex præſumptione, quòd in tali effractione vis cuſtodibus actu inferatur, & ideo tam ſeuerè effractores puniunt, vt ſpeciatim inſinuat *lex penult. ff. de cuſtod. & exhibit. & l. 1. ff. de effractorib.* alioqui pœna fracturæ, non eſt pœna capitis, ſed longè clementior, & arbitraria, docet Anton. Gomez *tom. 3. cap. 9. num. 11* & Leſſius *lib. 2 cap. 31 dub 5 n. 37.*

Leſſius. Gomez.

11. Ad tertium, reſpondeo primò teneri effractores carcerum ad reparationem effractionis, non quòd in carcere infringendo peccent; ſed ex vi taciti, ac virtualis contractus cùm enim iuſtè detineantur ibi, videntur conſentire in compenſationem, ſi velint, eo pertuſo, effugere, quam cõpenſationem iuſtè Reſpublica ab illis poteſt exigere; non enim par eſt, vt per fugam ſuam Reipublicæ damnum inferant, quæ tamen recompenſatio nullibi, vt credo, in vſu eſt; ita reſpondet Leſſius *allegatus, dict. num. 37. verſ. ad ſecundum.* Salon. 2. 2. *quæſt. 69 art. 4.* & Turrianus 2. 2. *tom. 2. diſp. 51. dub. 2. num. 15. pag. 518.*

Leſſius. Salon. Turrian.

Reſpondeo ſecundò, ad nullam reſtitutionem teneri prædictos effractores, ea enim conditione carceres ingrediuntur, vt inuiti ibi detineantur, & ſi poſſint effugere, ruptis etiam carceribus effugiant; & ita docet Vaſquez 2. 2. *tom. 2. diſp. 164. cap. 2. num. 12.*

Vaſquez.

12. Quod adeò verum eſt, vt ſi occaſione fugæ etiam alij vincti fugiant, non ideo tenebitur effractor de damno, quod inde cuſtodibus eueniret, quia vtitur iure ſuo, à quo non tenetur ceſſare, vt damnum cuſtodis, & Reipublicæ impediat, vt optimè docent Salon. 2. 2. *quæſt. 69. art. 4.* & Leſſius *citatus, num. 38.* Sicut qui iniuſtum inuaſorem ſe inſequentem effugit, ſi non poteſt aliter mortem euadere, niſi proterendo, aut occidendo ludentem puerum in via, non tenetur à fuga ceſſare, ne illum occidat, vtitur enim jus ſuum, & per accidens eſt, quòd mors pueri ſequatur.

Quid ſi alij vincti fugiant.

Salon. Leſſius.

Non probo tamen quod *ibid.* Salon ait, iniuſtè ad mortem condemnatum, ſi carcerem perfregerit, ad reparationem teneri, cùm enim per iniuſtiam à poteſtate publica ibi detineatur, non video cur non poſſit carcerem diſrumpere, abſque obligatione reparationis, vt effugiat, imò in hoc caſu non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur fugere, vt docet Sà *n. 5.* à nobis citato cum aliis *ibid.* citatis.

Dubium hîc oriri poteſt, an poſſint huiuſmodi vincti corrumpere cuſtodes, vt euadant, & hæc corruptio multis modis fieri poteſt. 13.

An poſſint vincti corrũpere cuſtodes vt fugiant.

Primò, pecunia, aut promiſſionibus.

Secundò deceptione, & fallaciis, propinando videlicet illis potum, vt dormiant, validè negotium demandando, vt abſentes fiant, & in abſentia fugiant; furando claues, vt alias adulterinas efficiant, aut ſimulatè eas ad alium finem poſtulando, & ſimilia. Ad quod ſic breuiter, & reſolutè reſpondeo, ſi ſermo ſit de corruptione pecuniæ, & promiſſionum, probabile eſt id eſſe licitum: ita docet Fillucius *tom. 2. tract. 40 in 8. præceptum Decalog. cap. 9. num. 274.* Angelus *verb. fugere, n. 1.* & Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 24. dub. 6.* gloſſa *in cap. inter cætera 2. 2. quæſt. 4* Sayrus *in claui regia c. 18. num. 15.* Ratio eſt, quia in hoc nulla eis infertur iniuria, volenti enim & conſentienti nulla fit iniuria, & aliunde reus vtitur iure ſuo, quod habet tuendi propriam vitam, quam poteſt tueri munere, ac pecunia.

Fillius. Angelus. Azor. Sayrus.

Dices huiuſmodi cuſtodes peccare mortiferè accipiendo huiuſmodi pecuniam contra iuramentum fidelitatis, quod in ingreſſu officij accipiunt, & contra obligationem ſui muneris; ex officio enim tenentur vinctos ſeruare, & ſe fideles, ac vigilantes exhibere miniſtros publicæ iuſtitiæ: ergo etiam peccabunt rei iuſtè vincti, & damnati cum illorum peccato cooperando, petunt enim ab eis actum, quem ipſi cuſtodes carceris nunquam poſſunt licitè efficere. Reſpondent Azor, & Fillucius *allegati*, huic obiectioni, quæ meo iudicio fortiſſima eſt, & in hac materia inſtar argumenti Achilæi eſt, peccare quidem mortaliter reos, ſi directè à cuſtodibus petant, vt ſinant illos fugere pro pecunia, & ſimiliter, ſi rem aliquam illis promittant directè ad fugiendum, cooperantur enim directè cum illorum peccato; ſecus tamen ſi pecuniam, vel munus donent, & offerant, ea intentione vt concilient ſibi beneuolentiam cuſtodum, & hac ratione viam ſibi muniant ad fugam, tunc enim non peccant ipſi rei, inquit Azor. quia ſuo iure vtuntur, & cuſtodes ſibi conſulere debent, nam ſic pecuniam, & munera dare, & offerre, non eſt directè petere à cuſtodibus fugam, ſed indirectè, & cõfirmat Azor reſponſionem ſuam, hoc exemplo, ſicut, inquit, ille, qui petit mutuum ab vſurario ſub vſuris, peccat, & cooperatur peccato illius, quia rem petit ab illo, quam ille nunquam poteſt licitè præſtare; ſecus ſi petat ab alio mutuum non dicendo ſub vſuris, quamuis ſciat, illum non niſi cum peccato, & ſub vſuris illud daturum; quia tunc petit ab illo vnam actionem, & rem, quam ille licitè, & illicitè poteſt præſtare, & ſibi imputet ſi illicitè præſtet. Verùm hæc reſponſio Azoris non plenè ſatisfacit, quia ſiue hoc, ſiue illo modo, hoc negotium ſumamus, nunquam cuſtodes poſſunt licitè, vel expreſsè, vel diſſimulatè, fugam permittere huiuſmodi vinctis, & ſic eſt diſpar ratio in illis, & in vſurariis, cùm vſurarij poſſint licitè, & illicitè mutuum dare pro ſuo arbitrio, quod non poſſunt licitè cuſtodes carcerum efficere.

Inſtantia.

Soluitur.

Planè reſpondere etiam poſſumus, huic obiectioni ſufficere in hoc caſu ſi præſcindant per intellectum, & abſtineant vincti à cooperatione, inductione, 14.

ductione, & peccato cuſtodum; licèt enim cuſtodes peccent accipiendo ea munera, non tamen iſti peccant dando, & inuitando, vt accipiant, ſub eo formali pacto, & intentione, vt ſe ſinant fugere, ſicut ſi excommunicatus non toleratus, eſſet in Eccleſia, & Miſſam audiret, in probabili opinione benè ego poſſem etiam illam cum eo audire, abſque intentione communicandi cum illo in diuinis, præſcindendo, videlicet per intellectum hanc communicationem; vt docet Sà *verb. excommunicatio, num.* 40. Fumus *verb. excommunicatio, num.* 43. Innocent *in cap. nuper, de ſententia excommunicationis*; ſic etiam iuxta eundem Sà, & Petrum à Soto *tit. de excommunic. ſect.* 5. qui ſimul ederet, aut dormiret cum eodem excommunicato abſque intentione communicandi cum illo, non peccaret; verùm quamuis hæc reſponſio eleuet argumentum, non exhaurit difficultatem illius, quia in vtroque caſu non inuitatur antecedenter excommunicatus, ad hanc communicationem, ſed vtimur ea occaſione, abſque intentione talis communicationis; hîc verò inuitantur antecedenter, per illam promiſſionem, & donationem ipſi cuſtodes ad illum actum illicitum, & quem nunquam facere licitè poſſunt. Itaque reſpondendum eſt, reos ſolùm ex charitate teneri vitare peccatum iniuſtitiæ cuſtodum, quod vitare non tenentur cum tanto ſuo incommodo; quare ſi ex intentione procurandi ſuum bonum, & non cooperandi cum illis in hoc peccato, id efficiant, planè non peccabunt, & ſi hoc non placet, tenenda erit reſponſio Azoris.

Sà. Fumus. Innocent.

15. De aliis modis deceptionis, reſpondeo, nunquam eſſe licitum potum illis propinare, & eos inebriare, vt dormiant, quia hæc inebriatio, & propinatio de ſe eſt mortalis, licitum tamen eſt ſimulatè negotium illis demandare, & calidè claues ab illis accipere, & alias adulterinas efficere, quia hoc non eſt de ſe peccatum mortale, & ſibi imputent, ſi incauti ſunt: de clauibus, & potu, ita docet expreſsè Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 24. verſ. ſequitur ex dictis*, non enim eſt tanta iniuria vti clauibus adulterinis, quanta eſt parietes effringere, & carcerem pertundere ad fugam; vnde ſi hoc licet, licebit etiam illud; & videtur conſentire cum hac doctrina Filliucius *tom. 2. tract. 4 in 8 præceptum Decalogi cap. 9. num.* 174.

Azor. Filliuc.

16. Itaque in ſumma dicendũ eſt, poſſe reos omnibus modis cuſtodes decipere, in quibus neque vis, neque iniuria illis fit, fieri autem illis iniuriam, propinando illis potum vt dormiant, & ſi iis artibus, & fraudibus ad eos decipiendos vtantur, quæ de ſe non ſunt peccata, & quas facilè quilibet prudens, & vigilans homo intelligere, ac percipere potuiſſet, & inſidias collegiſſet, id licitum eis eſſe, modò à mendaciis abſtineant, vtuntur enim iure ſuo adhibitis verbis ambiguis, & æquiuocis, & dubiis factis, quibus id quod intendunt aſſequantur, & ipſi cuſtodes ſuæ negligentiæ, & ignorantiæ tribuant damnum, ſi quod eis ex illorum fuga poſtea eueniat, ita docet Filliucius *tom. 2. tract.* 40. *in 8. præceptum Decalogi num.* 174. & Sayrus *in claui regia cap. 18. num.* 16.

Filliuc. Sayrus.

17. Dubium etiam eſt, an alij poſſint ipſis reis fugam è carcere conſulere, eiſque conſilium, & auxilium ad eam præſtare, circa quod dubium ſic ſtatuo: quando ipſis licitum eſt fugere, licitum etiam eſt aliis, eis fugam, & carceris ruptionem conſulere, viam, & modum oſtendere, quo poſſint elabi, malleum, limam, claues adulterinas, & alia inſtrumenta præbere; quibus vincula incidant, & carcerem effringant, modò non ſint perſonæ publicæ, & miniſtri iuſtitiæ, aut id illis ſpecialiter prohibeatur; nunquam tamen aliis eſt licitum reos opera iuuare effringendo exteriùs carcerem, & vincula, aut muros rumpendo, quod poſſint fugam conſulere, viamque & modum illius, illis ad euadendum exteriùs aperire, omnes propemodum fatentur, ita fatentur Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 6. num.* 40. Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 6. art.* 4. Salon. Aragon. & Caiet. 2. 2. *quæſt. 69. art.* 4. Filliuc. *tom. 2. tract. 40. in 8. præcept. Decal. cap. 9. num.* 175. Sayrus *in claui regia lib. 12. cap. 17. num.* 24. Sà *verb. reus*, poſt verbum, *Teſtis, num* 9. Tabiena *verb. carcer. num.* 1. Armil. *ibid. num.* 3. Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 24 verſ. dubium quintum*. Vaſquez 1. 2. *tom. 2. diſp. 174. cap. 3. §. ſecundo*. docet Couar. *lib. 1. var. cap.* 2. Nauar. *cap. 17. num.* 103. & alij communiter. Ratio eſt, quia quod nobis licitum eſt facere, licet etiam aliis nobis ſuadere, & conſulere, vt faciamus, & viam, & modum oſtendere, quo illud faciamus, cùm hoc etiam ad conſilium ſpectet.

Poſſunt alij, reis vinctis fugam conſulere.

Non poſſunt carcerem exterius rumpere, aut vincula radere.

Sotus. Leſſius. Salon. Aragonius. Caiet. Filliuc. Sayrus. Sà. Tabien. Armil. Azor. Vaſq. Couar.

18. Quòd verò poſſint malleum, limam, & claues adulterinas, & inſtrumentalia ad fugam eis præſtare, negat Sotus *allegatus, num. præcedenti*, fatentur tamen id omnes *ibi* citati. Ratio manifeſta eſt, quia ille, qui inſtrumenta, aut conſilium præbet ad aliquam principalem actionem, non committit aliud peccatum, præter id, quod eſt in tali actione, vnde actio principalis non ſit mala, nec conſilium, nec inſtrumentorum præſtatio, ac exhibitio erunt mala, nam hæ actiones ſecundariæ non poſſunt malitiam aliunde accipere, quàm ex principali actione; cùm igitur reis licitum ſit muros rumpere, & carcerem effringere; ſequitur, vt aliis liceat non ſolùm conſilium, ſed etiam inſtrumenta præbere; ſi enim licet alicui conſulere finem, cur non etiam porrigere media ad talem finem, ſic omnes DD. *num. præcedenti*, citati, præter Sotum.

19. Quòd autem nunquam ſit licitum vinctos exteriùs iuuare rumpendo, aut radendo vincula, muros, carceres, & portas effringendo, vt effugiant, docent etiam omnes, nemine diſſentiente, ita ſpecialiter Vaſquez 1. 2. *tom. 2. diſp. 174. cap. 3. n.* 26. Caietanus, Salon. & Aragon. 2. 2. *quæſt. 69. art.* 4. Leſſius *lib. 2 cap. 31. dub. 6. num.* 44. Filliucius, Sayrus, Sotus, Azor. & alij citati *num.* 17. Ratio eſt, quia non licet priuatæ perſonæ publicam ciuitatis cuſtodiam violare; alioqui ſi id eſſet licitum, nihil eſſet in vrbe tutum ad cuſtodiam reorum; quod cederet in maximum Reipublicæ detrimentum; deinde, quia non licet cuiquam in bello aggeres, & machinas diruere illius, qui bellum iuſtum gerit ad puniendum malefactores, vt illos tueatur; atqui iudex iuſtum bellum gerit contra malefactores, & iniquos reos, detinendo illos in carcere ad ſupplicium; ergo non licet illos iuuare exteriùs carcerem, & catenas diruendo, effringendoque. Vnde eſt notandum maximum diſcrimen eſſe inter eos, qui inſtrumenta præbent, & inter eos, qui exteriùs carcerem effringunt, quia illi qui inſtrumenta præbent, aut conſilium, & nihil amplius faciunt, ſolùm ſunt cauſa inſtrumentaria, de cuius intrinſeca ratione eſt, vt nullam aliam habeat malitiam, aut bonitatem, quàm habent principalis actio, & finis, ad quem dirigitur; illi verò, qui proximè cooperantur, & adiuuant rumpendo, & effringendo carcerem, non ſunt cauſa inſtrumentaria, ſed principalis,

Vaſq. Aragonius. Leſſius.

tamen

tametſi non ſint tota cauſa, ſed, vt vocant, partialis; quare malitia illius non debet expectari ex cauſa principali, ſed à ſe ipſa.

20. Nauar. Vnde cum Nauar. *in ſum. Lat cap. 17. num. 103.* docet non peccare reum, qui iniuſto carcere detinetur ſi fugiat, neque illum, qui author illi fuit talis fugæ, planè eſt intelligendus de eo, qui author eſt fugæ conſulendo, & præbendo inſtrumenta, non iuuando exteriùs, rumpendoue carcerem, ſeu intelligendus eſt de eo, qui author eſt fugæ, actione tantùm inſtrumentaria, non autem actione cauſæ principalis. Eodem modo licet tibi reo præbere equum, vt fugiat, niſi reus talis eſſet ex quo damnum aliquod ingens Reipublicæ, aut alteri tertio timeretur; vt docet Vaſq. *tom. 2. 1. 2. diſput. 174 cap. 3. ad finem, verſ. ſententia Caietani.* Vaſq.

21. Dixi, *modò non ſint perſonæ publicæ, & miniſtri iuſtitiæ*, quia hi nec iuuare conſilio, nec præbere inſtrumenta poſſunt, cùm ipſi ex officio, & quaſi contractu teneantur curare, vt rei non fugiant, ſed in cuſtodia aſſeruentur, ideoque contra iuſtitiam, ſi fugam conſulant, peccabunt; ita Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub 6. num. 40. in octauum præceptum Decalog. cap. 9. num. 275. verſ. quod ſecundò.* Vaſquez *tom. 2. 1. 2. diſp. 174. cap. 3. verſ. mihi verò.* Aragonius, Caietanus, Salon, & alij 2. 2. *quæſt. 69. art. 4.* & omnes DD. communiter. Leſſius. Vaſquez.

22. Dixi etiam, *aut illis ſpecialiter prohibeatur*, quia quamuis reis non poſſit prohiberi ne fugiant, quando pœna, quæ timetur, eſt grauis, mortis, mutilationis, aut infamiæ, ita vt illi teneantur in conſcientia parere, & iniuſtum reſpectu illorum eſſet tale præceptum, talis lex, aut prohibitio; tamen aliis poteſt iuſtè prohiberi, ne fugam conſulant, aut inſtrumenta præbeant, non enim illi tantum iuris ad fugam, & damnum pœnæ fugiendum habent, quantum ipſi rei, nec illis tam durum eſſet hoc præceptum, quàm durum eſſet ipſis reis, reſpectu enim ipſorum reorum ſpectata naturæ humanæ conditione, & fragilitate duriſſimum planè, intolerabile, & ſupra vires humanas eſſet tale præceptum; ita Leſſius, Filliucius, Azor, Vaſquez, & communiter omnes *allegati*. Filliuc.

Capvt XXXIV.

Soluuntur multa dubia circa obligationem rei in reſpondendo ad iudicis interrogationem.

Svmmarivm.

An reus infamatus, & conuictus de vno crimine in iudicio, ita poſſit à iudice interrogari de alijs, de quibus non eſt infamatus, vt teneatur reſpondere. num. 1. & 2.

Quid ſi crimen de quo non eſt infamatus coniunctum ſit cum illo, de quo infamatus eſt, vel conuictus. n. 3.

Quid quando vnum crimen non poteſt cognoſci plenè, & perfectè ſine alio. num. 4.

An hoc procedat etiam in Prælatis Religionum erga Religioſos ſuos ſubditos. num. 5.

An teſtis poſſit interrogari de alio crimine à iudice, de quo reus non eſt infamatus. num. 6.

An reus conuictus de crimine, vel illud in iudicio confeſſus poſſit interrogari de ſocijs occultis, & nondum indicatis. num. 7.

Quid quando crimina redundant in damnum commune, vt hæreſis, læſa maieſtatis, Sodomia. numero 8.

Quid ſi multi vnum occidant, & vnus capiatur, an hic interrogari poſſit de ſocijs. num. 9.

Quid de criminibus priuatis, quæ ex natura ſua complicem habent, vt ſodomia, adulterium, &c. n. 10.

Quid ſi plebeius homo occidat nobilem cum quo nunquam inimicitias habuit, an interrogari poſſit, an illum aliquis iuſſerit occidere. num. 11.

Quid quando crimina non poſtulant natura ſua ſocium. num. 12.

Quid ſi alicubi in aliqua Prouincia, vel Regione, conſuetudo ſit interrogare de ſocijs in huiuſmodi criminibus, quæ natura ſua ſocium non poſtulant. num. 13.

An teneatur reus veritatem fateri, quando innocens eſt, & iudex contra illum ex falſa præſumptione procedit. num. 14.

An ſi reus metu mortis, veritatem iudicè interrogante negauerit poſſit à Confeſſario abſolui, quin prius ſe retractare teneatur. num. 15.

Quæ requirantur, vt iuſtè aduerſus reum procedat, iudex, eumque interroget. num. 16.

An reus, qui veritatem negauit coram iudice, teneatur coram illo ſe retractare, cum timore nouæ pœnæ incurrendæ. num. 17.

Quid de teſte. num. 18.

Quid ſi reus iam euaſit vincula, & iudicium, ex eo quòd veritatem, interrogatus à iudice, non ſit confeſſus, an tunc obligatus ſit ad ſe retractandum, num. 19.

An reus teneatur in patibulo crimen ſuum fateri. num. 20.

An reus negans crimen ſuum in iudicio teneatur reſtituere famam accuſatori ſuo, ex eo quòd detrimentum illius patiatur. num. 21.

Primvm dubium eſt, an reus infamatus, & conuictus de vno crimine in iudicio, ita interrogari poſſit de aliis criminibus occultis à ſe commiſſis, de quibus nulla infamia præceſſit, nulla probatio, nec indicia, aut teneatur ad iudicis interrogationem reſpondere. Et circa hoc dubium partita eſt ſententia. 1. *De reo infamato, & conuicto de vno crimine in iudicio.*

Opinio prima. Prima docet poſſe iudicem ſic conuictum reum interrogare de alio crimine etiam occulto à ſe patrato, & teneri reum reſpondere, veritatemque fateri. Hanc tenent Tabiena *verb. accuſatio, num. 20. dub. vlt.* D. Ant. *3. part. tit. 9. cap. 7. §. 3. verb. inquiſitio 1. quæſt. 3, verſic. 4.* Palud. *in 4. diſt. 19. quæſt. 4. in fine.* Fundamentum illorum eſt, Tabien. D. Anton Palud.

Primò, quia iudex non prohibetur iuridicè inquirere propter occultationem peccati, ſed propter occultationem peccatoris ne occultus peccator infametur; vnde quamuis in hoc caſu alia peccata, de quibus interrogat, ſint occulta, cùm tamen peccator iam ſit infamatus, & pro ſcelerato habitus, licitè de aliis delictis occultis interrogare poteſt, & reus tenetur reſpondere.

Secundò, quia cùm iudex procedit via Inquiſitionis, requiritur infamia in reo, vel ſufficientia indicia, ad iudicis arbitrium; vt docet Salon. *2. 2. quæſt. 69. art. 2. controuerſ. 6.* & Syluester *verb. inquiſitio 1. num. 10.* atqui cùm reus iam ſit infamatus de vno crimine, ea infamia poteſt eſſe indicium ad aliud arbitrio iudicis; ergo licitè poterit de illo etiam occulto via inquiſitionis procedens iudex interrogare, & reus tenetur reſpondere. Salon. Syluester.

Secund.

2. *Opinio ſecunda.* D. Thom. Secunda negat id licere, & conſequenter affirmat non teneri reum ad eam interrogationem reſpondere; hanc vt probabiliorem tenent communiter DD. ita expreſsè D.Thom. 2.2.*q.69.art.2.* vbi ad infamiam requirit, quod non ſolùm reus ſit infamatus de perſona, ſed de crimine, ita vt non ſufficiat vnum ſine alio, ad inquirendum in particulari contra aliquem, & *q* 80. *art.* 1. *in corpore,* docet ſi exigatur teſtimonium ab aliquo de peccatis occultis, de quibus non præceſſit infamia, non teneri ad teſtificandum; vnde ſi teſtis in eo caſu non teneatur teſtificare de alio, nec reus tenebitur reſpondere, & teſtificari de ſe ipſo. Ita etiam Toletus *lib.* 5. *ſummæ, c.*58 Salon. 2.2.*q.69.art.2.controu.*8. Aragon. *ibid.* & Dominic. Banhez *dub.* 1. *concl.*3. Nauarrus *cap. inter verba* 11.*q.*3. *concluſ.*6. *corollario* 51. *n.*588. Valentia *tom.*3. *diſp.*5.*q.*13. *punct.*2. P.Nauarra *lib.*2. *de reſt.c.*5. *p.*2. *dub.*5.*n.*170. Caietanus 2.2.*q.69.art.*1. *initio.* Sotus *lib.*5. *de iuſt.q.*6. *concl.*5. & *de tegendo ſecreto, memb.* 2.*q.*6.*dub.*5. Angelus *verb. inquiſitio,* §.11. Sayrus *in Claui Regia, lib.*12.*c.*16.*n.*1. *verſ. ſecunda eſt.* Probatur ex iure Canon. *cap. inquiſitionis, de accuſat.* vbi dicitur nullum eſſe pro crimine, ſuper quo aliqua non laborat infamia, inquirendum; & *in c. oporteat, de accuſ.* expreſsè requiritur infamia perſonæ, & delicti, ibi, *Niſi ſuper his,* id eſt, criminibus, *famam eius læſam eſſe noueris.* Et quamuis in his locis præcipuè agatur de inquiſitione, tamen à fortiori hoc debet intelligi de interrogatione rei. Ratio, & fundamentum eſt, quia licèt reus infamatus ſit de furto, v.c. poteſt tamen eſſe innocens, circa adulterium, & homicidium; ergo iniuria illi fiet, ſi de illis interrogetur, & iniquè iudex interrogat, & conſequenter non tenebitur reus reſpondere, ſed poterit iudicem diuertere, aut tacere. Quamobrem non procedit ratio opinionis contrariæ, nam vt iudex iuſtè, & iuridicè interroget, requiritur vtrumque, id eſt, tam infamia delicti, de quo interrogatur, quàm perſonæ; nam dum crimen eſt occultum, iudicio humano non ſubeſt, homo enim de occultis iudicari non poteſt: nec vna infamia circa vnum crimen, poteſt eſſe indicium ſufficiens ad aliud, quando crimina non ſunt connexa, & eiuſdem rationis, ſic licèt aliquis de vno crimine ſit infamis, committet peccatum iniuſtitiæ, & detractionis contra illum ille, qui alia illius peccata reuelaret, quia fama eſt quid partibile, & reſultat ex acquiſitione multarum virtutum, vnde qui illam amittit in vno crimine, non amittit in alio, imò integram retinet in alio; quare verè contra iuſtitiam peccabit, & famam proximi læderet, qui illius crimen occultum, de quo bonam famam habet, reuelaret; vnde etiam iudex, ſi reum diffamatum de vno crimine, de alio occulto interroget, iniuriam illi inferet, & non tenebitur reus illi reſpondere.

Toletus. Salon. Aragon. Banhes. Nauarrus. Valentia. P.Nauarr. Caietan. Sotus. Angel. Sayrus.

Limitanda tamen eſt hæc doctrina.

3. *Quid ſi crimen, de quo non eſt infamatus, coniũctum ſit cum illo, de quo infamatus eſt, vel conuictus.* Primò, niſi illud crimen, de quo reus infamatus eſt, ita ſit coniunctum, ac connexum cum illo alio occulto, de quo non eſt infamatus, vt arbitrio prudentis ſit ſufficiens indicium, & infamia alterius occulti. Sunt enim aliqua vitia ita moraliter inter ſe connexa, & coniuncta, vt meritò infamia vnius, indicium eſſe poſſit alterius arbitrio prudentis iudicis, indicium enim nihil aliud eſt, quàm medium quoddam humanum, quo prudentis iudicis, & hominis intellectus vtitur, ad cognoſcendum aliquid, deducendo probationem, & argumentum ex aliqua circumſtantia connexa ſingulari, *l. indicia, C. de rei vendicat.* Sic reus infamatus, & conuictus de adulterio, & ſi poſtea in lecto, vel cubili adulteræ maritus illius occiſus inueniatur, iure à iudice interrogari poteſt de homicidio, & tenetur reſpondere; item ſi quis conuictus ſit de homicidio, & cadauer hominis occiſi ſpoliatum reperiatur, iuſtè, & iuridicè rogari poteſt homicida de furto, & ſpolio; quia crimina homicidij, & furti in ea circumſtantia connexionem habent arbitrio prudentis; ita docet Sayrus *in Claui Regia lib.*12. *cap.* 17. *num.* 3. *verſ. Primus eſt.*

Secundò limitanda eſt hæc doctrina, quando vnum crimen agnoſci perfectè non poteſt ſine cognitione alterius; ita vt vnum ſit, quaſi circunſtantia alterius; quo pacto conuictus de furto in Eccleſia commiſſo, iuſtè, & iuridicè interrogari poteſt, an fores Eccleſiæ perfregerit, & conuictus de turpi conſuetudine puellæ, quam nuptam deinde vir eius ſtupratam deprehendit, interrogari etiam poteſt, an ipſe illam deflorauerit, quia quilibet prudens de illo hanc ſuſpicionem habebit; & qui in vno homicidio teſtimonium falſum tulit, rectè de illo iudicari poteſt, quod feret in altero: ita idem Sayrus *dicto num.*3. *verſ. ſecundus eſt,* in iis enim circunſtantiis indiciatus in vno, manet indiciatus, infamatuſque in alio. 4. *Quid quando vnum crimẽ non poteſt cognoſci plenè, & perfectè ſine alio.*

Extenditur hæc doctrina ad Prælatos Religionum, iuxta Caietanum 2.2. *quæſt.* 69. *art.*2. Valentiam *tom.*3. *diſp.*5. *quæſt.*13. *punct.*2. & Salonem 2.2. *d.quæſt.69.art.2.controuerſ.*8. Sayrum *in Claui Regia, lib.*12.*cap.*17.*num.*4. & Aragonium 2.2.*d.q.*69 *art.*2. ne ſubditos de vno crimine infamatos iubeant reſpondere de aliis etiam, de quibus infamati non ſunt, nec vllam connexionem habent moralem inter ſe, peccant enim ipſi præcipiendo, & ſubditi non tenentur illis reſpondere, etiamſi ſub excommunicatione præcipiantur, ſi tamen Religioſus ſubditus infamatus ſit de nocturna egreſſione, iuſtè, & iuridicè, poteſt ſuperior interrogare, an ſæculari habitu indutus, enſeve accinctus egreſſus fuerit, an claues adulterinas habuerit; quia hæc omnia habent connexionem medij ad finem, & ſunt veluti morales circumſtantiæ illius criminis. 5. *An hoc procedat etiam in Prælatis Religionum ergà Religioſos ſuos ſubditos.* Caietan. Valentia Salon. Sayrus. Aragon.

Ex dictis infertur rectè, ſicut reus non poteſt interrogari à iudice de alio crimine, de quo non eſt infamatus, ita non poſſe interrogari teſtem de aliis criminibus, de quibus reus non eſt infamis, indiciatuſve, quia talis interrogatio eſt inquiſitio omnino ſpecialis, in qua nullo modo de occultis licet inquirere, ita Salon. Caietanus, & Sayrus *allegati.* 6. *An teſtis poſſit interrogari de alio crimine, de quo reus non eſt infamatus.*

Secundum dubium eſt, an conuictus de crimine, aut illud in iudicio confeſſus, poſſit iuridicè interrogari de ſociis occultis, & complicibus criminis, de quibus nulla eſt infamia, nulla indicia, aut probatio? Partem affirmatiuam tenet Bartolus *in l. repetita, ff. de quæſt.* Iul. Clar. *in pract. criminali, lib.*5. *q.*21. Palud. *in* 4. *diſt.* 19. *art.*4. *in fine,* Sylueſter *verb. inquiſitio* 1. *quæſt.*3. *verſ. quintum.* Pars tamen negatiua communiter, & regulariter loquendo, eſt vera, ſi crimen hæreſis, læſæ maieſtatis, & proditionis patriæ monetæ falſæ excipias, in his enim de ſociis etiam occultis, interrogari poteſt reus, quia alioqui occurri & obuiari damno publico vix poterit, ita communiter DD. Caietanus 2.2.*quæſt.*69.*art.*1.*initio.* Salon. *ibid. controuerſ.*8.*dub.*2. Aragon. *ibid dub.*3. Banhez *dub.*1.*concluſ.*2. Sotus *lib.*5. *de iuſtitia, q.*6. *art.* 2. *concluſ.*5. Nauarrus *in ſumma latina, cap.*18. *num.*58. & 59. & *in cap. inter verba* 11. *quæſt.*3. *con-* 7. *An reus conuictus, vel confeſſus poſſit interrogari de ſocijs occultis.* Paludan. Bartol. Iul. Clar. Sylueſt. Caietan. Salon. Aragon. Banhez. Sotus. Nauarr.

cluſ.6.corollario 49.num.584.& corollario 51.num.589. Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 38.* Saa *verb. indicium, num. 15.* Angelus *verb. confeſſio delicti, §. quarto.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitutione, cap. 4. part. 2. dub. 5. num. 173.* & alij, & patet ex *l. final. C. de accuſator. & l. repetita, ff. de quaſt.* & ex iure Canonico, *cap. nemini 15. quaſt. 3.* ibi, *Nemini præter quam de crimine læſæ maieſtatis de ſe confeſſo, ſuper alienum crimen credi oportet, quoniam eius, atque omnis rei confeſſio periculoſa eſt, & admitti aduerſus quemlibet non debet*; & idipſum habetur *in cap. cum monaſterium, de confeſſis.* quomodo autem periculoſa ſit, docet Imperator Seuerus *l. 1. ff. de quaſt. §. Diuus Antoninus*, quia ſcilicet reus occaſionem habet ad ſe de ſuis inimicis vindicandum, vel de illis, quorum opem implorauit, illamque negarunt, faciendo illos ſocios ſui criminis falsò, quin etiam accuſand viros graues, & potentes ad ſe liberandum, ſperans ſe eadem via fore liberandum, qua illi libertatem fuerunt conſecuti.

Tolet. Angelus. P.Nauarrus.

8\. *Quid quando crimina redundant in damnũ commune.*

Vt tamen omnia plenè intelligantur, animaduertendum eſt, quædam eſſe crimina, quæ redundant in perniciem, damnumque commune, vt læſæ maieſtatis, hæreſis, proditionis patriæ, monetæ falſæ, &c. Alia verò quæ natura ſua ſine ſocio, ac complice exercere nequeunt, vt crimen ſodomiæ, adulterij, & alia huiuſmodi. Alia quæ ſine ſocio fieri poſſunt, vt homicidium priuatum, furtum, &c. Denique, quædam ſunt publica, omnibuſque nota, vt occiſio hominis, cuius cadauer ab omnibus videtur; alia verò ſunt occulta, quæ non niſi à iudice, aut ſuis miniſtris cognoſcuntur. his ita animaduerſis, ſciendum eſt de iure communi, tam Canonico, quàm ciuili, non eſſe licitum interrogare reum de occultis ſociis criminis, exceptis illis criminibus, quæ in damnum Reipublicæ vergunt; vt crimen hæreſis, læſæ maieſtatis, proditionis, falſificatio monetæ, latrocinia publica viarum, & alia ſimilia; in his enim non ſolùm debet iudex de ſociis inquirere in genere, etiamſi nullus laboret infamia, & occulti ſint, ſed ipſe etiam reus illos reuelare tenetur abſque tali inquiſitione, maximè quando crimen pendet in futurum, & in perniciem, damnumque Reipublicæ vergere dubitatur; ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 17. n. 6. verſ. prima propoſitio, & duobus §§ ſeqq.* & omnes, quos citauimus *n. 7.* pro ſecunda opinione. Ratio eſt in promptu quia proprium munus, & officium eſt iudicis conſulere bono communi, ſpreto priuato cuiuſque commodo; non poteſt autem bono communi proſpicere, niſi in his criminibus ſocios agnoſcat; ergo tenetur de ſociis etiam occultis interrogare, & conſequenter reus tenetur reſpondere, illóſque manifeſtare; imò & abſque interrogatione tenetur reus illos manifeſtare, ſi malum adhuc impendet, cùm bonum publicum debeat bono priuatorum hominum anteferre.

Sayr.

9\. *Quid ſi multi vnum occidant, & vnus capiatur, an hic interrogari poſſit de ſocijs.*

Idem dicendum eſt de crimine, quod eſt contra iuſtitiam, innocentiamque alicuius tertij priuati, vt ſi multi, v. c. aduersùs Titium conſpirarint, & vnus capiatur, is enim iure interrogari poteſt, an alij conſpirauerint cum illo, & qui ſint, quando crimen pendet adhuc in futurum: nam ſi ſocij iam ſint emendati, non tenebitur eos reuelare; ita Sayrus *allegatus, verſ. ratio eſt.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quaſt. 6. art. 2. concluſ. 5.* & alij communiter.

10\. *Quid de criminibus priuatis, quæ ex natura ſua complicem habent.*

In criminibus priuatis, quæ ex natura ſua complicem requirunt, vt ſodomia, & adulteria, viarum graſſationes, ſi publica ſunt, & omnibus nota, licitum eſt iudici interrogare de ſocio etiam occulto, tenetur que reus veritatem fateri, ſicut iudex rogare tenetur. Ratio eſt in promptu, quia cùm crimina talis naturæ ſint, vt ſine complice exerceri non poſſint, eo quòd ſunt publica, & conſtat de vno authore criminis, eſt etiam publicum, & notorium, conſequenter aliquem fuiſſe ſocium, & complicem illius criminis; vnde non ſatifaceret iudex officio ſuo niſi de complice inquirat, & conſequenter tenetur reus in eo caſu ad interrogata reſpondere propter bonũ commune, & ne peruertatur ordo iudicialis, ex quo bonum commune pendet. Præterea cùm ſocius in eo crimine quis fuit, velit, nolit, tacitè in hac ſua manifeſtatione conſenſit, ita communiter DD. Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 17. num. 8.* Salon. *2. 2. quaſt. 69. art. 2. controuerſ. 8.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. part. 2. dub. 5. num. 173.*

Sayr. Salon. P.Nauarr.

11\. *Quid ſi plebeius occidat nobilem, cum quo nunquam inimicitias habuit.*

Hinc ſi plebeius, & infimæ ſortis homo virum occidat, cum quo nunquam fuit rixatus poterit illum iudex licitè interrogare de mandante; vt docet Sayrus *allegatus, d. n. 8.* & Salon. etiam *modò citatus*, & conſentit Caiet. *2. 2. q. 69. art. 2.* ſi aliqua coniectura detur, qua coniectare poſſit iudex, homicidium illud mandantem habuiſſe, quia ſufficit ad interrogandum in genere de mandante euidentia criminis illius, quod prudenter iudicatur ex mandato alicuius fuiſſe commiſſum; vt patet ex *l. Laniator, ff. de ſenatuſc* vbi apertè dicitur, *ſi famulus crimen feciſſe conuincitur, interrogetur de mandante.* Nec placet id, quod reſpondet Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2. concl. 2.* legem illam intelligendam eſſe de præcedentibus indiciis alicuius mandantis, aut infamia contra illum. Nam, vt optimè notant Sayr. & Iul. Clar. *lib. 5. pract. crim. q. 64.* lex illa generaliter, & abſolutè loquitur, & non requirit expreſsè talia indicia; & praxis iudicum id obſeruat, vt notat idem Sayrus *allegatus.*

12\. *Quid quando crimina non poſtulant natura ſua ſocium.*

In criminibus aliis particularibus occultis, quæ ex natura ſua complicem non poſtulant, licèt illum habeant, vt ſunt furtum ſimplex, ſimplex homicidium, non licet iudici interrogare reum de ſociis occultis, nullo procedente de illis indicio, nulla infamia, nec reus tenetur ad interrogata reſpondere; ità docet P. Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. p. 2. dub. 5. n. 173.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 12. c. 17. n. 9.* & Aragon. *2. 2. q. 69. art. 2. dub. 3.* Ratio eſt, quia de iure naturæ eſt, vt non procedatur via inquiſitionis ſine infamia præcedente, niſi in caſibus, quibus id expedit bono communi; ſed in criminibus, de quibus hîc agimus, non expedit id bono communi; ergo id iure fieri non poteſt, & conſequenter nec reus ad interrogata tenetur reſpondere.

P. Nauarra, Sayr. Aragon.

Aſſerit tamen Nauarrus *in cap. inter verba 11. q. 3. concl. 6. coroll. 51. n. 589.* id verum eſſe, niſi in aliqua prouincia conſuetudo habeat; vt ex confeſſione ſui delicti interrogentur ſocij occulti illorum criminum, quæ natura ſua ſocium non poſtulant, tunc enim, inquit, ratione talis conſuetudinis interrogare poterit iudex de illis iuſtè, ac licitè, imò tenebitur interrogare, & reus reſpondere. Sed Sayrus *modò allegatus, n. 10.* eam conſuetudinem non approbat, quia eſt introducta contra ius naturæ, & ſolùm ea conſuetudo ſuſtineri poteſt, inquit, in iis criminibus, quæ licèt priuata ſint, ex natura tamen ſua ſocium requirunt; vt in ſodomia, & aliis ſimilibus, cùm in aliis priuatis criminibus de iure naturali requiſita ſit infamia, ante inquiſitionem, vt communiter Authores docent, quòd ſi aliquãdo addit, ſine infamia via inquiſitionis proceditur, non eſt ex vi conſuetudinis, aut alterius legis humanæ, ſed ex interpretatione iuris naturalis per concurrentiam alterius iuris ſtrictioris, vt contingit in peccatis, quæ in Reipublicæ perniciem vergunt, 13.

&

& in publicis delictis, in quibus etiam nulla infamia præcedente, licitum eſt inquiſitionem facere, ne communis Reipublicæ pax perturbetur, aut bonum commune pacis cedat bono priuato, vitæ, vel famæ alicuius; ſemper enim bonum commune præponderat: nulla autem conſuetudo poteſt contra legem naturalem præualere; vnde Salon. 2.2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *controuerſ.* 8. Caietanus *ibid.* & Sotus *lib.* 5. *de iuſt. q.* 6. *art.* 2. *concl.* 5. & Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 17. *n.* 10. & alij hanc conſuetudinem iudicum reprehendunt, qui in caſibus quibuſcumque occultis, occultos complices tormentis extorquent, affirmantes non poſſe iudices in conſcientia contra occultos complices tunc nominatos procedere.

Salon. Caietan. Sotus. Sayr.

14. *An teneatur reus veritatem fateri, quando eſt innocens.*

Tertium dubium eſt, an teneatur reus, à iudice interrogatus veritatem fateri, quando innocens eſt, & contra illum ex falſa præſumptione proceditur, & interrogatur de aliqua circumſtantia, quæ vera eſt, ſi tamen illam fateatur, ſufficiens indicium eſt, vt in iudicio conuincatur de crimine, quod non fecit: caſus eſſe poteſt. Latrones occiderunt hominem in via, gladio innocentis hominis, qui tunc fortè illac tranſibat, & innocens ille poſtea falſis teſtibus de illo homicidio accuſatur, & interrogatus id cum veritate negat; ſed rurſus interrogatur, an tali hora illac iter fecerit, & an enſis ille, qui inuentus fuit in cadauere, ſit ſuus, & ſi hoc fateatur, verè homicida reputabitur: Quæro igitur, an tunc teneatur veritatem fateri: nam iudex iuſtè, & iuridicè procedit; interrogat enim ſecundùm allegata, & probata. Reſpondeo tamen negatiuè, ſi periculum ſit, quòd ex tali confeſſione de homicidio damnetur; ratio eſt, quia iudex non interrogat iuridicè, niſi ex falſa præſumptione, quia ſi veritatem ſciret, nullo modo eum interrogaret, vnde reus nullam ei facit iniuriam negando, ne tale ſubeat periculum, ita D. Thom. 2.2. *quæſt.* 69. *art.* 1. & Sotus *in relectione de tegendo ſecreto, membr.* 2. *q.* 7. *concl.* 7. *dub.* 2. & Sayrus *in Claui Regia, lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 11. & nos *in quinto præcepto*, iam id latè probauimus.

15. *Quid ſi reus metu mortis, veritatē iudice interrogante, negauerit.*

Quartum dubium eſt, an ſi reus, metu mortis coram iudice, legitimè interrogante negauerit veritatem, poſſit illum Confeſſarius obligare, vt dictum retractet, adeò, vt ſi nolit retractare, teneatur illi abſolutionem negare. Reſpondent communiter DD. teneri reum dictum retractare, ſi adhuc proceſſus durat, & captura, ita vt nec per iudicis ſententiam, nec per fugam, aut via alia liberatus ſit, etiamſi cum vitæ periculo id efficiat, & ex eo quòd contra ſe ipſum veritatem fateatur, capite damnandus ſit, & non poſſe abſolui, niſi dictum retractet; ita expreſsè Caietanus 2.2. *quæſt.* 69. *art.* 2. Toletus *lib.* 5. *ſummæ, cap.* 58. ibi, *Debet reus reſpondere verum, quamuis inde cognoſcat, ſibi mortem prouenturam, & peccat mortaliter non reſpondendo, aut verum negando, tum ratione iuramenti, tum ratione mendacij, quod in iudicio profert, quod abſque iuramento eſt mortale, cùm res grauis eſt; cùm verò leuis, poteſt eſſe veniale; debent ergo Confeſſarij nimis aduertere, ne abſoluant reos tales, qui iuxta iuris formam interrogati noluerunt reſpondere.* Et idipſum docet Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 25. *num.* 36. *& cap.* 18. *num.* 58. *& in cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *corollario* 65. *num.* 728. & Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *controuerſ.* 10. & Banhes *ibid. part.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 3. & Sotus *in releƈt. de tegend. ſecret. membr.* 2. *quæſt.* 7. *concluſ.* 2. *& lib.* 5. *de iuſtitia, quæſt.* 6. *art.* 2. *concluſ.* 5. & Sayrus *allegatus dicto lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 12. *in Claui Regia.* Fundamentum illorum eſt, quia reus iuridicè interrogatus etiam cum vitæ periculo, veritatem tenetur fateri aduersùs ſe ipſum, & peccat mortaliter ſi non fateatur; & in peccato mortali perſeuerat, dum id non efficit, ac proinde non eſt capax abſolutionis. Ea tamen in re, vt monent prædicti authores, prudenter ſe gerere debent Confeſſarij, neque enim facilè abſolutionem negare debent, quia cùm aliquando iudices multa indebitè faciant, quibus veritatem ab ipſis reis extorqueant, & in quibus non videtur iuris ordo obſeruari, non debent Confeſſarij præcipites in ea re eſſe. Vide tamen quæ diximus *cap.* 31. *à num.* 4. *vſque ad* 18. vbi latiùs hoc punctum diſcuſſimus, & ibi diximus, non teneri reum aduersùs ſe ipſum veritatem fateri, periclitante vita propria, aut graui pœna temporali impendente.

Caietan. Toletus. Nauarr. Salon. Sotus. Sayr.

Vt autem iudex legitimè, & ſeruato iuris ordine procedat, & interroget, tria requiruntur, & ſeruanda ſunt. 16. *Quæ requiruntur, vt iuſtè procedat iudex aduersùs reum.*

Primum eſt, vt ex dictis patet, vt delictum ſit notorium, famoſum, aut ſemiprobatum, quod contingit, quando datur aduersùs reum vnus teſtis oculatus, omni exceptione maior, & cui nihil opponi poteſt, aut talia indicia, vt illi æquipolleant; vt docet Bartol. *in l. finali, num.* 7. *ff. de quæſt.* & Nauarrus ſtatim *allegandus.* Bartol. Nauarrus.

Secundum eſt, vt probatio ſit iam propoſita in proceſſu.

Tertium eſt, vt ſit reo notificata, intimataque; vt videat ſe ad obediendum teneri, ita Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 25. *num.* 36. Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 58. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. *&* 2. & communiter DD. Toletus.

Illud autem optimè animaduertunt Banhes, & Sayrus, quòd poſtquam reus negauit veritatem coram iudice, & in eo peccauit, ſi tamen poſtea ex eo, quòd illam fateatur, in nouam pœnam incurrat, conuictus de noua culpa periurij, non teneri dictum retractare, & veritatem aduersùs ſe ipſum fateri. Ratio illorum eſt, quia iam non cenſetur rogari de priori caſu, vnde cùm in hoc caſu confitendo veritatem antea ſe negatam prodat ſe reum de noua culpa (quod nemo tenetur facere) conſequenter in hoc caſu non tenebitur eam fateri; quando autem non incurrit nouam pœnam, tunc tenetur illam aduersùs ſe ipſum fateri veritatem, quam iuſtè, & legitimè iudice interrogante, negauit. 17. *An reus, qui veritatē negauit coram iudice, teneatur coram illo ſe retractare.*

Idem quod de reo diximus, procedit etiam in teſte: nam etiam teſtis tenetur veritatem dicere, & dictum retractare cum certo periculo vitæ illius rei, quem voluit occultare. Si enim reus tenetur dictum retractare, & cùm proprio vitæ ſuæ periculo veritatem dicere, quoties iuridicè interrogatur, & mortaliter peccat, non dicendo; multo magis ad hoc tenebitur teſtis cum periculo vitæ alienæ; quod tamen intelligendum eſt, quando certò ſcit ſe iuridicè interrogari, nam ſi prudenter dubitet, an iudex iuridicè procedat, in fauorem potius rei inclinare debet; quia ſi iudex ipſe in dubiis in partem, & fauorem rei debet inclinare, à fortiori teſtis, qui eſt perſona priuata, in eam inclinabit, cùm ei non incumbat punitio delictorum: ita optimè docet Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *c.* 17. *num.* 13. *verſ. & quod de reo.* 18. *Quid de teſte.*

Si tamen reus iam euaſit iudicium, vel per fugam, vel quia ſuperauit torturam, & mentitus eſt iudici, & per ſententiam liber euaſit, tunc quidem non eſt cogendus, vt ſe retractet; ſed abſolui poteſt 19. *Quid ſi reus iam euaſit vincula, & iudicium.*

à Confeſſario impoſita ei pœnitentia ſalutari, debet tamen illum monere Confeſſarius, vt ſit animo præparato ad ſe retractandum, & veritatem confitendam, ſi eadem de re iterum ad iudicium ſit vocatus, quamuis ob id morte ſit afficiendus. Ratio eſt, quia ſolùm tenetur veritatem fateri, quando legitime rogatur, ſed nunc non rogatur; ergo nunc non tenetur ſe ipſum prodere, & manifeſtare; quia tamen veritatem fateri tenetur, ſi iterum in iudicio interrogatus ea de re fuerit, ideò tenetur nunc habere voluntatem, & propoſitum dicendi veritatem, ſi rogatus fuerit; quamobrem ſi Confeſſarius reum ea de re monens deprehendat eum, hanc voluntatem non habere, abſoluere eum non poterit, quia eſt in voluntate faciendi contra obedientiam debitam, atque adeò eſt perſeuerans in propoſito peccandi; non tamen poteſt Confeſſarius eum obligare, vt ad carcerem iterum redeat, aut in iudicio ſe ſiſtat, vt veritatem fateatur, quia hoc, moraliter loquendo, eſſet ſe ipſum occidere; ita docet Saytus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 17. num. 18.*

Saytus.

20\. *An reus teneatur crimē ſuum fateri in patibulo.*

Reus autem qui legitimè, & iuridicè rogatus veritatem in iudicio negauit, ſi poſtea damnatus, & conuictus ducatur ad mortem, non tenetur in patibulo veritatem fateri, niſi aliunde notabile aliquod damnum alicui tertio ſequatur, quamuis licite faciat, ſi eam fateatur; ſatis enim eſt, quòd peccatum per ſacramentalem confeſſionem expiauerit, & abſolutus ſit in foro pœnitentiæ; ita docet Sayrus modò *allegatus, num. 15.* & Nauarrus *in ſumma lat cap. 25. n. 38* qui de hac re interrogatus ita conſuluit, & nos alibi id late probauimus.

Sayrus. Nauarrus.

21\. *An reus negans crimen ſuum in iudicio, teneatur reſtituere famam ſuo accuſatori.*

Sed quia reus negando veritatem in iudicio cum à iudice iuſte, & legitime de crimine proprio rogatur, conſequenter dicit denunciatorem, vel accuſatorem ſuum fuiſſe mentitum, & calumniatorem eſſe, dubium eſt, an ad reſtitutionem famæ denunciatori, ſeu accuſatori teneatur, cuius damnum denunciator ipſe ea cauſa paſſus eſt. Reſpondeo ſi ipſe reus accuſatus verè crimen commiſit, & iuridicè de illo rogatus ſit, & negauit veritatem, peccare quidem, non ſolùm contra obedientiam iudici debitam, ſed etiam contra iuſtitiam debitam accuſatori; atque adeò ſi accuſatoris fama exinde lædatur, teneri reſtitutionem facere accuſatori; hanc autem faciet, confitendo crimen in iudicio, ſi iterum rogatus fuerit. Quia tamen ſi ex eo quod veritatem iam coram iudice negauit, liber euaſit, non ſolent homines id vitio falſitatis in accuſatione, aut denunciatione commiſſæ accuſatori, aut denunciatori vertere. inde eſt, quòd tunc ad nullam ipſis accuſatoribus famæ reſtitutionem teneatur; quia tunc aut nullum, aut perexiguum detrimentum in ea ipſi accuſatores, aut denunciatores patiuntur; ita Saytus *in Claui Regia, d. lib. 12. c. 17. n. 19. verſ. ſecundo.* Si tamen reus (licet verè accuſatus fuerit) contra iuris ordinem, & non legitimè, nec iuridicè à iudice fuerit rogatus, quia ſcilicet ei noluit ſtatum cauſæ aperire, aut indicia manifeſtare in caſibus, in quibus iudex id tenebatur facere, non tenetur tunc ad reſtitutionem famæ ipſius accuſatoris, negando ſe illud crimen commiſiſſe, cùm illam ex eo caſu minimè fateri teneatur; quòd ſi exinde accuſator damnum aliquod in fama patitur, id omnino per accidēs eſt, ſibique accuſator imputet, eo quòd crimen ad iudicium detulit, quod plenè probare non poteſt. Alias dubitationes, quæ in hac materia tractari ſolent, reiiciemus ad eum locum, in quo de iudice tractabimus, ibi enim commodiùs explicabuntur.

Saytus.

Caput XXXV.

An reus renuntiare poſſit defenſioni ſuæ in cauſis criminalibus. Soluuntur alia dubia.

Summarium.

Cauſarum criminalium duo ſunt genera. n. 1.
Reus non poteſt renuntiare defenſionibus ſuis in cauſis criminalibus grauioribus. n. 2. Nec termino probatorio. n. 3.
An reus poſſit renuntiare defenſionibus, quando agitur de iactura famæ illius, aut bonorum externorum, & pecuniæ. n. 4.
An quando pœna corporalis leuis reis imponenda eſt, poſſint illi licitè renuntiare ſuis defenſionibus. n. 5.
Reus in cauſis criminalibus, in quibus imponenda eſt grauis pœna temporalis non poteſt habere pro reproductis teſtibus aduerſus ſe in ſummaria informatione examinatis. n. 6.
An poſſint renuntiare defenſionibus ſuis, quando eſt dubium, an illæ ſibi competant. n. 7. & 8.
An peccent iudices, qui hanc renunciationem reorum, etiam in dubio an illis competat, acceptant. n. 9.
Reus, qui legitime ſeruato iuris ordine, confeſſus eſt in iudicio delictum ſuum, an poſſit defenſionibus ſuis renuntiare. n. 10.
An quando reus in primo termino probatorio, & dilatione ſibi ad ſe defendendum data, nihil probauit, poſſit cæteris terminis, & dilationibus renuntiare. n. 11.
An aſſaſſinus poſſit hanc renunciationem facere. n. 12.
An reus cum iuramento defenſionibus ſuis poſſit renuntiare in cauſis criminalibus grauioribus. n. 13.
An poſſint rei renuntiare appellationibus, & acquieſcere primæ ſententiæ definitiuæ iudicis contra ſe latæ in cauſis criminalibus grauioribus; in quibus pœna grauis imponenda eſt. n. 14.
An poſſit alius conſanguineus, vel extraneus pro illis appellare, illis non conſentientibus. n. 15.
An hæc recipiant aliquam limitationem. n. 16. Quid ſi quis in debitis pecuniarijs ſe obliget ad carcerem publicum ſi non ſoluat intra certum diem renunciata omni defenſione & abſque citatione. ibid. n. 16. verſ. diximus.
An liceat aliquando iudicibus vti ſimulationibus, & fictis promiſſionibus ad extorquendam à reis veritatem, & an ad illas teneantur. n. 17. 18. 19. 20.
Quid ſi iudex aliquem ab Eccleſia extraxit, cum promiſſione reſtituendi eum ad illam. n. 21.

Cavsæ criminales, aliæ ſunt graues, aliæ leues; graues illæ ſunt, ex quibus ſperare rei poſſunt pœnam mortis, mutilationis, carceris perpetui, aut diuturni, diuturni exilij, & ſimiles alias pœnas, quæ iudicio omnium grauiſſimæ arbitrantur; nam olim loco capitalis ſupplicij pœna perpetui carceris in vſu erat; vt conſtat ex Alexandro ab Alexandro *lib. 3. dierum genial. cap. 5.* & ex Cælio Rhodigino *lib. 17. lect. antiq. cap* 8. & ex aliis authoribus. Leues verò illæ dicuntur, ex quibus leuis pœna temporalis timetur, vt pœna breuis exilij, pœna pecuniaria, pœna triremium ad breue tempus. his notatis, 1.

Cauſarū criminaliū duo genera.

Communis ſententia Iuriſperitorum eſt, non poſſe reos defenſioni ſuæ renunciare, in cauſis criminalibus, ex quibus grauis pœna temporalis, vt 2.

Reus non poteſt renuntiare defenſionibus ſuis in grauioribus cauſis criminalibus.

mortis,

mortis, mutilationis, triremium, carceris perpetui, aut diuturni, & diuturni exilij, &c. ſpectatur, ita communiter DD. Riccius *in praxi reſolut. 6. n. 4.* gloſſa notabilis *in l. pactum inter hæredem, ff. de pactis.* Iaſon *in l. ſi quis in ſcribendo, num. 18. C. de pactis, & in Authent. videmus, num. 7. C. de iudiciis.* Hippolyt. *in l. ſi quis vltro, num. 62. ff. de quæſt.* Gutierrez *de iuram. confir. part. 3. cap. 10. num. 1. & 2.* Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 13. de tortura reorum, num. 33.* Ratio eſt, quia nemo eſt dominus vitæ ſuæ, nec membrorum ſuorum; vt habetur *in l. liber homo, ff. ad l. Aquiliam.* Vnde non poteſt licitè hæc periculo exponere, exponeret autem manifeſto periculo, ſi defenſioni ſuæ naturali renuntiaret; triremes autem diuturnus carcer, & exilium morti æquipollent.

3. *Nec termino probatorio.*

Vnde etiam cùm terminus ad reſpondendum ſit genus defenſionis naturalis, non poſſunt rei huiuſmodi termino à iudice præſcripto, in iiſdem cauſis grauioribus criminalibus renunciare, nec poſſunt iudices huiuſmodi renunciationes acceptare; ita Antonius Gomez ſpeciatim *dicto tom. 3. variar. cap. 13. de tortura reorum, num. 33.* & Gutierres *de iuram. confirmat. 3. part. cap. 10. num. 1.* Et ideò ex hoc debent iudices eſſe cauti, & tenentur in cauſis criminalibus grauioribus, aſſignare reis terminum competentem ad fundandam intentionem, & defenſionem ſuam, & non poſſunt admittere renuntiationem illius, ſed expectare debent lapſum prædicti termini in illorum defenſionem; ita præter Authores citatos Couar. *in 4. de ſponſalib. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 16.* Roias *de hæret. 2. part. aſſert. 4. n. 113.* vbi monet Inquiſitores, ne teſtes pro ratificatis à reis habeant; & idipſum quod Gutierres, & Gomezius, tenet gloſſa *allegata, in dicta l. pactum inter hæredem, ff. de pactis, in verb. cùm liceat*; quare concludunt Gutierres, & Antonius Gomes, licèt reus accuſatus, vel requiſitus renuntiet (vt quotidie faciunt) prædicto termino probatorio, ſibi à iudice ad proferendos, vel ratificandos teſtes ad ſe defendendum in cauſis grauioribus aſſignato, non poſſe iudicem talem renunciationem acceptare, cùm in hoc defenſioni ſuæ, quæ eſt de iure naturæ conceſſa, renuntiet, quod facere non poteſt in prædictis cauſis grauioribus, in quibus de vita agitur, vel de pœna alia grauiſſima, quæ morti penè æquipolleat.

Ant. Gom. Guttier.

4. *An reus poſſit renũtiare defenſionibus, quando agitur de illius iactura. Opinio prima.*

Dubitant tamen DD. an quando in reis non timetur iactura vitæ, nec pœna grauis corporalis, quæ vitæ æquipolleat, illis ſubeunda ſit, ſed iactura tantùm famæ, aut bonorum externorum, poſſint illi licitè renuntiare termino probatorio ſibi ad ſuam defenſionem à iudice aſſignato, & iudex hanc renunciationem acceptare; & hac de re partita eſt opinio: nam illi, qui tenent hominem non eſſe dominum ſuæ famæ, ſicut nec vitæ propriæ, conſequenter debent tenere, non poſſe reos huic generi defenſionis naturalis renuntiare, nec iudices hanc renunciationem acceptare; ſicut enim non poſſunt rei vitæ diſcrimen ex ipſis renunciationibus pati, cùm vitæ domini non ſint, ita nec famæ etiam, cùm ſimiliter famæ propriæ domini non ſint; & hi ſunt Caietan. *2. 2. q. 73. art. 2. & in ſumma verb. detractio,* D. Anton. *3. p. tit. 8. cap. 4. §. 1. verſ. primo modo,* & alij, quos citauimus *cap. 8. num. 1.*

Opinio ſecunda.

At dicendum eſt, in ſecunda opinione probabiliori, & veriori, poſſe licitè reos in cauſis, in quibus tantùm de iactura famæ, & propriorum bonorum agitur, huic generi defenſionis naturalis renuntiare, & poſſe iudices hanc renunciationem acceptare, & ita expreſsè docet Gutierrez *de iurament. confirmat. 3. part. cap. 10. num. 1.* Couarr. *in 4. de ſponſal. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 16.* & Petrus Dueñas *reg. 190. in quarta limitatione,* & debent docere omnes, qui tenent hominem eſſe verum dominum propriæ famæ, ſicut & propriorum bonorum; & hi ſunt D. Thom. *2. 2. quæſt. 57. art. 4.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 8.* Molina *tract. 4. diſp. 37. concluſ. 2.* Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. cap. 11. dub. 6.* Malderus *tract. 7. cap. 1. dub. 10. §. dico tertiò.* Sotus *lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 10. art. 2. verſ. celeberrimum autem,* & alij, quos citauimus *cap. 8. num. 2.* Et ratio eſt, quia cauſæ in quibus de iactura tantùm famæ, & bonorum agitur, licèt grauiſſimæ ſint, non ſunt criminales, ſed ciuiles; opinio autem noſtra procedit in cauſis criminalibus tantùm, in quibus de iactura vitæ, aut de pœna corporali, quæ grauis ſit, & vitæ æquipolleat, agitur. Deinde quia non tenetur quis ita conſeruare famam, & bona externa illæſa, cùm verus dominus harum rerum ſit, ſicuti vitam, cuius dominus non eſt, nam vita eſt bonum irrecuperabile, fama autem, & bona externa ſunt bona recuperabilia; quare eſt longè diuerſa ratio inter famam, & vitam.

Si tamen cauſa criminalis eſſet leuis, in qua imponenda eſſet leuis pœna temporalis, vt leuis exilij, pecuniæ, &c. tunc omnes DD. fatentur, poſſe reos termino probatorio ſibi à iudice ad defenſionem dato renuntiare, & poſſe etiam iudicem hanc renunciationem licitè acceptare; ita docet Imola *in l. cuſtodis, ff. de publicis iud. col. 2.* & Ananias *in cap. cùm dilecti, num. 3. de accuſat.* & Ant. Gomez *tom. 3. var. cap. 13. de tortura reorum, num. 33.* & Gutierrez *de iuram. confirmat. cap. 10. num. 2.* & alij communiter; & hæc eſt communis iudicum, & iudiciorum practica, vt *ibidem* teſtatur Gutierrez. 5. *An quando pœna corporalis eſt leuis.*

Imola. Ananias. Ant. Gom. Gutierr.

Hinc etiam ortum habuit praxis hodierna, quæ habet vt in cauſis grauioribus criminalibus, in quibus agitur de imponenda pœna mortis, aut alia grauiſſima temporali morti arbitrio prudentis æquipollenti, non poſſit reus licitè dare pro reproductis, & ratificatis teſtibus ſummariæ informationis contra ſe ipſum acceptæ, nec conſequenter iudex poteſt licitè hanc prædictam dationem acceptare, quia ex ea ratione tollitur defenſio reo, quæ illi de iure naturali conceditur, & quia poteſt optimè contingere, quod aliquis ex teſtibus è vita diſceſſerit, vel abſens ſit, vel ita impeditus, vt ratificari non poſſit in plenario, vltimoque iudicio, vel quod ſi de facto reproducatur, iterumque de ſuo teſtimonio inquiratur, aliquid addat, mutet, vel declaret in fauorem ipſius rei; ita docet Gutierres *citatus, de iuram. confirm. cap. 10. num. 3.* Et ratio eſt, quia tunc ſe priuat reus hoc genere defenſionis ſibi de iure naturali conceſſæ: nemo autem renuntiare poteſt iuri naturali, cum præiudicio tertij, nempe vitæ, quæ eſt Dei, non ipſius renunciantis, vt ſatis probatum manet, nec obſtat, quòd non teneamur pro vita noſtra aliquid Deo reſtituere, quia Deus habet dominium altum noſtræ vitæ, ex quo reſultat peccatum in profuſione illius, non autem reſtitutio, cùm reſtitutio ſolùm oriatur ex rigoroſo dominio iuſtitiæ commutatiuæ; vnde dominium illud altum ſufficit, vt homo hoc non poſſit licitè facere; non ſufficit autem, vt ad reſtitutionem obligetur. 6. *Reus in cauſis criminalibus non poteſt teſtes habere pro reproductis aduersùs ſe in ſummaria informatione examinatos.*

7. *An poſſint rei renũtiare defenſionibus ſuis quãdo eſt dubiũ an aliqua defenſiones ſibi competant.*

Intelligunt autem nonnulli DD. vt non poſſint rei hanc renunciationem facere, quando certum eſt ipſis competere prædictam defenſionem, ſecus in dubio, quando de hoc certo moraliter non conſtat, quia

quia in dubio, vtrùm eis iuſta defenſio competat, vel non competat, licitè poterunt huic defenſioni renuntiare, & iudices illam acceptare, tam in reproductione teſtium, quàm in aliis rebus, & ita docet Antonius Rubeus *in l. ſeruum quoque, §. publicè, ff. de procurat. num. 10.* & gloſſa *in l. 1. ff. de fur. balnea.* quæ opinio fuit Pauli Caſtrenſis, vt oſtendit Gutierres *allegatus num. 4.* Et ex hac opinione Pauli Caſtrenſis, optimè infertur, ſi reus legitimè, ſine metu, & ſeruato iuris ordine confiteatur ſuum delictum in iudicio, neceſſariò admittendam eſſe talem renunciationem in criminalibus cauſis grauioribus, quia tunc non ſolùm dubium eſt, an ei competat defenſio, ſed etiam certum eſt, ei non competere, cùm ipſe crimen fateatur, & ita cum Paulo, Iaſone, Felino, & Hippolyto, tradit Couarr. *in 4. de ſponſal. p. 2. cap. 8. §. 12. à num. 1.*

8. Cæterùm hæc opinio Pauli Caſtrenſis Gutierrio non placet *de iuramento confirmat. 3. part. cap. 10. num. 5.* nec mihi etiam placet.

Primò, quia in dubio potius non admittenda eſt talis renunciatio, quàm admittenda, cùm de vita hominis agatur, quæ eſt bonum irrecuperabile.

Secundò, quia ſi illa opinio vera eſſet, rarò, aut nunquam contingere poſſet caſus in quo ſeruanda eſſet opinio, *num. 2.* explicata, quæ docet non poſſe huiuſmodi reos renuntiare defenſioni ſuæ in cauſis grauioribus criminalibus. Quia etiamſi ipſi allegent ſibi defenſiones legitimas, & peremptorias competere, interim dum id non probatur, de illis dubitatur, & ſic propè ſemper poſſent prædicti rei illis renuntiare, ſi in caſu dubio poſſent, quod eſt in diſpendium generis humani, & contra ius naturale, à quo introducta eſt defenſio.

Tertiò, quia experientia docet, quod reus accuſatus de graui crimine, & delicto, propter quod imponenda eſt de iure pœna mortis, vel alia corporalis grauis, ſæpe allegat tales defenſiones, quæ prima facie, primoque intuitu malitioſæ videntur, & improbabiles, quaſque iudices rigoroſi, & nimium iuſtitiæ zelatores ſpernunt, terminum competentem ad illas probandas denegantes, quæ tamen dato competenti termino probari poſſint. & quæ licet omnino reum non liberent à delicto, liberant tamen à pœna corporali, qua defenſione careret reus, ſi admitteretur illius renunciatio ex eo quòd dubitatur de prædictis defenſionibus; igitur etiamſi de illis non conſtet, admittenda non eſt prædicta renunciatio, quando grauis pœna corporalis eſſet imponenda, quomodo enim certò poteſt conſtare, an competant antequam probentur, cùm ipſæ in probatione conſiſtant? quare ſine dubio rigoroſa eſt, & non tenenda Pauli Caſtrenſis opinio *num. præcedenti* relata.

9. *An peccent iudices, qui hanc defenſionem reum negant in dubio, an illis competat.*

Quapropter hinc benè infertur malè omnino agere, & peccare grauiter iudices illos, qui admiſſa hac defenſionis naturalis renunciatione, reos ad pœnam grauem corporalem damnant, quod rectum iudicium non eſt, quia ſi rei hanc pœnam corporalem grauem ſpectato iure demerentur, non deberit iudices, regulariter loquendo, admittere prædictam renunciationem, & ſi illam ſemel admiſerunt, & poſtea tempore, quo ferenda eſt ſententia, illis conſtet, reos corporaliter eſſe puniendos, debent de nouo illos audire, eiſque aſſignare terminum, vt ſe defendant, & vt ſuas defenſiones in iudicio probent, ſi illas habent, quia alioqui ſententia nulla erit, vt optimè animaduertit Gutier. *de iuram. confirm. 3. p. c. 10. n. 5.* Quamobrem communiter cauſidici optimo ſanè conſilio in ſimilibus cauſis ſolent allegare nullitatem aduersùs prædictas ſententias, allegando, probandoque non potuiſſe reos renuntiare defenſionibus ſibi à iure naturali conceſſis, in illis cauſis, in quibus imponenda illis erat grauis pœna temporalis. Gutierr.

Imò, quamuis reus legitimè, & ſponte delictum ſuum in iudicio fateatur, adhuc non erit admittenda prædicta renunciatio, ſi conſtet illum legitimam defenſionem habere, vt optimè animaduertit idem Gutierres *allegatus d. num. 5. verſ. quatenus verò contra*, Authores contrariæ opinionis aſſerentes, confitentes reo delictum ſuum, rectè poſſe admitti renunciationem ſuæ defenſionis naturalis in iiſdem cauſis criminalibus grauioribus; quare ſi reus ad ſuam defenſionem occidit, vel vulnerauit, vel reuocauit priorem confeſſionem in iudicio factam, tanquam ex errore procedentem; & talis error poſſet in iudicio probari, vel aliam legitimam defenſionem haberet, quæ vel in totum pœnam tolleret, vel in parte minueret, non poteſt huiuſmodi defenſioni renuntiare, nec iudex illam acceptare; poterit tamen ſi de hoc probabiliter non conſtet, tunc enim admitti poteſt talis renunciatio, & opinio Pauli Caſtrenſis, aliorúmque, quos *num. 7.* allegauimus, approbari. 10.

11. *An quando reus in primo termino nihil probauit, poſſit reliquis terminis renuntiare.* Couarr. Gutierr.

Dubitant tamen DD. an reus, qui in primo termino, & dilatione ſibi data ad probandam ſuam defenſionem, non probauit, poſſit cæteris dilationibus renuntiare, aliiſque terminis. Affirmat Couarr. *in 4. de ſponſal. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 16.* iuxta textum *in cap. cum dilecti, de accuſator.* Negat Gutierres *d. lib. de iuram. confirmat. 3. part. cap. 10. num. 6.* quia ſi res bene conſideretur, non loquitur prædictus textus in hoc caſu, ſed quando reus in confeſſione ſua allegauit aliquas defenſiones, quas nõ probauit in termino probatorio, & poſteà allegauit alias, de quibus in ſua confeſſione mentionem non fecit: nam illis non obſtantibus iubet Summus Pontifex reum remoueri ab adminiſtratione Eccleſiæ; deinde in caſu illius textus, non erat de iure reo aliqua pœna temporalis imponenda, ſed remotio ab adminiſtratione Eccleſiæ, vt ex ipſomet textu conſtat; ergo meritò priuatur in eo caſu termino defenſionis, poterat enim reus in illo, illi renuntiare, & ſic id non facit ad præſentem caſum, vt patet.

12. *An aſſaſſinus poſſit hanc renunciationem facere.*

Limitant tamen aliqui DD. hanc doctrinam in aſſaſſino, quia eſt hoſtis publicus, & ideò poteſt iudex ſuis defenſionibus, & dilationibus illum priuare, illaſque acceptare, ſi ille illis renuntiet, ita tradit Rolandus à Valle *conſil. 24. num. 9. lib. 1.* ſed meritò de hac limitatione dubitat Gutierres *allegatus, num. 7.* quia quanto maius delictum eſt, tanto magis admitti debet defenſio, & non ſperni, quandoquidem opinio gloſſæ allegatæ communiter receptæ ad legem *pactum inter hæredem, ff. de pactis, in verb. cùm liceat*, procedit in grauioribus delictis, in quibus grauis pœna corporalis venit imponenda, & non in aliis leuioribus, & reuera nemo verè poteſt dici aſſaſſinus, & communis hoſtis Reipublicæ, nec alio modo delinquens, quouſque talis per ſententiam in contradictorio iudicio probetur, declareturque; ergo etiam ſi ipſe velit illis renuntiare, admittendus non eſt, ſed debet labi prius terminus datus ad probationem.

13. *An reus ſaltem iuramẽto poſſit defenſioni propriæ renuntiare.*

Sed ſupereſt hîc examinanda quæſtio illa, an reus cum iuramento poſſit renuntiare defenſionibus,

bus ſuis, & terminis probatoriis, in cauſis criminalibus grauioribus? Et videtur primo aſpectu affirmandum valere talem renunciationem iuramento confirmatam, iuxta textum *in Authentica ſacramenta puberum*, cum ſimilibus. *C. ſi aduerſus venditionem*, quæ non tantùm procedit in contractibus, de quibus loquitur, ſed etiam in iudiciis. nam in eis quaſi contrahitur. & ita ampliat dictam Authenticam gloſſa *ibi verb. contractibus*, *verſ. item qui in iudicio*. Contrarium tamen eſt tenendum, non enim valet talis renunciatio, nec eſt admittenda, etiamſi iuramento confirmata ſit, quia defenſio ſtatus & perſonæ, eſt de iure naturali, vt patet ex *Clement. paſtoralis, de re iudicata*, & ex conſequenti eſt publici iuris, & ideò renunciatio illius iuramento non confirmatur, argumento capitis *ſi diligenti, de foro competenti*, imò videtur iuramentum in hoc caſu eſſe illicitum, vt optimè notauit Gutierres *de iuram. confirmat. 3. part. cap. 10. num. 8. verſ. ſed hoc non obſtante, & verſ. ſecundò vltrà*, eſt enim contra bonos mores, & bonum iuris ordinem iure naturali inductum; iuramentum autem contra bonos mores non eſt obligatorium, iuxta regulam iuris *in 6.* Tandem, quia nemo poteſt conſentire, vt iniuſtè, & ſine defenſione ſua occidatur, aut mutiletur, quia non eſt dominus vitæ ſuæ, nec membrorum ſuorum; ergo nō poteſt licitè ſe priuare defenſionibus ſuis legitimis, & iure naturali inductis, cùm hoc perinde ſit, ac ſe ipſum occidere, & in occiſionem ſuam iniuſtam conſentire, vnde peccaret in hoc: iuramentum autem quod vergit in diſpendium ſalutis æternæ, non valet, nec ſeruandum eſt, cùm non ſit vinculum iniquitatis; vt habetur expreſſè *in cap. quamuis pactum, de pactis in 6.* & ita docet expreſſè Gutierres *allegatus*, & Baldus *in l. vnica, num. 17. C. de confeſſ.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 2. de delictis, num. 66.* Duennas *reg. 190. limit. 2.* Hippolyt. *in l. 1. §. finali, num. 118 & ſeqq. ff. de quæſtion.*

Gutier.

Gutierres. Baldus Anto. Gom. Duennas. Hippolyt.

14. *An acquieſcere primæ ſententiæ, & iuſtæ appellationi.*

Similiter cùm appellatio genus ſit defenſionis iure naturali inductæ, non poteſt reus renuntiare appellationi, ex qua vita illius pendet, vnde ſi ad mortem damnaretur pro leui furto, tenetur appellare, & non poteſt acquieſcere ſententiæ; imò quilibet de populo etiam extraneus poteſt tunc pro reo damnato appellare ſine conſenſu illius, & etiamſi velit ille acquieſcere ſententiæ, illámque approbare; vt eſt textus expreſſus *in l. non tantum, ff. de appellat.* & *ibi* gloſſa ordinaria id notat, & commendat, & text. *in l. addictos, C. de appellat. & in l. etiam addictos, C. de Epiſcopali audi.* & idem etiam diſponit lex 6. *3. part. tit. 23.* Licèt in aliquo corrigat ius commune, quatenus ſcilicet, diſponit, vt non quilibet de populo extraneus, ſed conſanguineus poſſit pro illo appellare; & hæc ſententia eſt communis, & eam docet Anton. Gom. *tom. 3. var. cap. 12. num. 31. verſ. item etiam*, & pro ea citat Bartolum, Albericum, & Angelum ad dictam legem, *non tantum, ff. de appellat.* quem caſum ſibi contigiſſe in terminis docet idem Anton. Gomes *ibid.* Nam cùm in Salmanticenſi vrbe Aduocatus eſſet pauperum, fuit quidam pro leui furto damnatus ad mortem, & volebat ille libenter acquieſcere iudicis ſententiæ; contra verò Aduocatus Gomezius volebat illum liberare vtendo remedio prædictæ legis, *partita 6. tit. 23. part. 3.* quæſiuit conſanguineum, qui pro illo, illo etiam inuito appellauit, & ex iiſdem actis fuit ſententia reuocata, & abſolutus à pœna mortis, & quadam leui pœna arbitraria damnatus.

15. *An alius cōſanguineus, vel extraneus appellare pro illo.*

Et verò, eſt adeò verum, vt poſſit reus damnatus, vel alio pro eo appellare; vt ſi poſt appellationem interpoſitam iudex de facto velit procedere ad executionem ſententiæ, poſſint licitè ei vi armata reſiſtere conſanguinei ipſius rei appellantis, vel amici illius, quia per appellationem ablata fuit iuriſdictio iudicis *a quo*, & cenſetur priuata perſona; ita communiter DD. Anton. Gom. *tom. 3. var. c. 12. num. 31. verſ. idem etiam.* Innocent. *in cap. ſi quando, de offic. delegati.* & *ibi* Panormitan. *colum. 1. num. 2.* Baldus *in l. addictos, C. de Epiſcopali audient. col. 1.* Cynus *in l. 1. C. vnde vi, fin. colum. & quæſt.* & alij, quos *ibi* citat Anton. Gom. Limitandum tamen eſt hoc,

Gomez. Innocent. Panormit. Baldus. Cynus.

Primò, quando reus damnatus, eſt conuictus per ſolam confeſſionem, vel per ſolos teſtes, ſecùs quando eſſet conuictus tam per confeſſionem propriam in iudicio factam, quàm per teſtes, quia tunc non poteſt appellare, iuxta text. *in l. 2. C. quorum appellat. non reſcind.* & *ibi* gloſſa ordin. nam licèt huiuſmodi lex loquatur in quinque criminibus tantùm, de quibus ibi agit, gratia tamen exempli de illis loquitur; vt docet Anton. Gomez *allegatus, verſ. Quod tamen limita*, quia conuictus per teſtes, & per confeſſionem, non poteſt appellare, niſi euidenter conſtet ei competere appellationem. 16.

Secundò limitanda eſt hæc doctrina in crimine hæreſis, de eo enim reus damnatus appellare non poteſt, vt conſtat ex *cap. vt inquiſitionis, de hæreticis, lib. 6.* Quod tamen intellige in ſententia diffinitiua, ſecus in interlocutoria, quia ab ea poteſt appellari. ita Anton. Gom. *tomo 3. var. cap. 12. num. 31. verſ. ſecundò limita*, cum multis, quos *ibi* citat; & idem eſt de crimine læſæ maieſtatis, & in crimine falſæ monetæ, quia in eis non appellatur; iuxta text. *in l. 2. eod. tit.* & idem diſponit *l. 16. tit. 23. part. 3.* Alias limitationes vide apud Anton. Gomeſium *ibidem*.

Diximus *in cauſis criminalibus*, quia in debitis pecuniariis, ſi quis ſe publica, vel priuata ſcriptura obligauit, ſi promiſſo, ac præfixo tempore non ſoluat certam pecuniæ quantitatem, poſſit ſtatim ſine citatione, nec priùs liquidato debito in publicum carcerem detrudi, atque adeò in debitis pecuniariis huiuſmodi renuntier citationi, & defenſionis generi valere prædictam renunciationem: docet expreſſè Phœbus *tom. 1. deciſ. 15. n. 1 & 2.* & pro ea citat Myſingerum *obſeruat. 91. num. 3. centuria 2.* & Gail. *obſeruationum lib. 2. obſeru. 45.* Gaſparem Rodericum *in tract. de annuis redditibus, lib. 2. q. 1. num. 1. & 1.* vbi aſſerit hanc ſententiam eſſe communiter receptam, & poteſt hæc ſententia confirmari ex iis, quæ adduxit Valaſcus *conſult. 173. num. 11. & 26. lib. 2.* & inſignis Barboſa *in l. alia, §. eleganter, à num. 4. ff. ſoluto matrimonio*, & eſt res expreſſa in noſtro iure Luſitano *lib. 4. tit. 76. §. 2. & 3.* quæ lex eſt ſingularis in hoc regno, & eſt in viridi obſeruantia, & pro ea fuit iudicatum in Senatu Olyſipponēſi *anno Domini 1611.* vt teſtatur idem Phœbus *allegatus*. Et ratio eſt, quia huiuſmodi pactum non officit libertati; nam is, quia pacto ſe obligat ad publicum carcerem, ſi non ſoluat, ad id ſe obligat, ad quod aliàs ex iure, & lege erat obligatus, & ideo nulla lex ciuilis, vel naturalis tali pacto repugnat, vt repugnat lex ciuilis reſpectu carceris priuati. *Authent. imò, C. de actionib. & l. libertas 4. ff. de ſtatu hominum.* Phœbus *allegatus*, & alij.

Ad finem huius capitis dubitabis, vtrùm aliquando liceat iudici vti ſimulationibus, vt veritatem occultam à reis extorqueat: qua de re partita eſt ſententia. 17. *An liceat iudici aliquando vti ſimulationibus.*

Prima affirmat: eam docet Archidiaconus *in cap. nos in quenquam 2. q. 1.* Felinus *in cap. afferte, de præſumpt.*

Archidiac. Felin.

præſumpt. idem *in cap. accedens 2. vt lit. non conteſt, col. 2.* Paris à Puteo *de ſyndicatu, cap. ſaluus conductus, fol. 95. & cap. de tortura, verſ. & aduertendum eſt, folio 107. colum. 4.* Cynus *in l. præſenti, de his qui ad Eccleſ. confug.* Probatur

Puteus. Cynus.

Primò, quia Salomon 3. *Reg. cap. 3.* & refertur *in cap. afferte, de præſumpt.* ſimulauit infantis viui diuiſionem iuri naturali contrariam, vt ea ſimulatione veritatem à reo extorqueret; ergo licitum erit iudici vti ſimulatione aliqua, vt à reo authoreve criminis apud ſe dubij veritatem extorqueat.

Secundò, quia Claudius Cæſar matrem quandam, quæ negabat iuuenem quendam eſſe filium ſuum, coëgit ad confeſſionem veritatis, indicto ei cum ipſo iuuene matrimonio, vt refert Suetonius Tranquillus *in Claudio, cap. 15.*

Tertiò, quia Carolus Magnus, certus, quòd vel pater, vel filius, quos in vinculis tenebat, quendam occidiſſet, incertus tamen, vter eorum eſſet, iuſſit vtrumque ſuſpendi; & cùm pater qui verè occiderat, confeſſus eſſet crimen, innocentem filium ab imminenti ſupplicio liberauit; ita refert Andreas Iſernia *in cap. 1. §. publici latrones, de pace tenenda.* Iaſon *in l. ſi is qui pro emptore, ff. de vſucap. num. 172.* Barbatius *in l. cùm acutiſſimi, colum. 23. C. de fideicom.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam, C. de reuocand. donat. in princ. num. 8.* quo in loco hoc tribuit Carolo II. alio nomine Carolo Marcello; ſed error eſt illius, nam omnes alij id tribuunt Carolo I. ſeu magno: vnde videtur poſſe iudicem aliquid ſimulare cauſæ veritatis indagandæ, vt reum puniat.

Iſernia. Iaſon. Barbati. Tiraquel.

18. Ex hac opinione deducitur poſſe iudicẽ reum delatũ de crimine ex ſola ea confeſſione damnare, quã ab eo promiſſa criminis impunitate extorſit, & iure id permiſſum eſſe, & abſque vllo peccato fieri poſſe à iudice, aſſerunt Archidiaconus, Felinus, Puteus, & Cynus *allegati*; & ratio eſt, quia hæc iudicis promiſſio non eſt obſeruanda, cùm ſit in perniciem Reipublicæ, cuius vtilitati conuenit delicta puniri.

19. *Opinio ſecunda.* Secunda ſententia negat,

Primò, quia iudex non poteſt dolo vti, nec fraude in iudicando, vnde ex confeſſione quæ ab illo extorta fuit per dolum, non poteſt procedere ad punitionem delicti.

Secundò, quia ſæpe rei credent iudices eis fidem ſeruaturos, & ea fiducia confitebuntur crimina, quæ vel ipſi non commiſerunt, vel nullo modo probari poſſunt in iudicio, vt à carceribus, & moleſtiis, quibus opprimuntur, liberentur; vnde ex hac confeſſione ſic per dolum extorta reos minimè puniendos eſſe, niſi ipſi ſpe promiſſionis fruſtrati in eadem confeſſione perſeuerent. Docent Ioan. Imola *conſil. 109.* Decius *in l. ea eſt natura, ff. de regulis iuris, in fine; & in l. vnica, C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt, num. 25.* Hippolyt. *in l. 1. §. quæſt. num. 15. ff. de quæſtion. & in ſingulari 177. & 201.* Alciatus *in l. natura cauillationis, ff. de verb. ſignificat.* Grammaticus *q. 3. poſt deciſiones.* Fortunius *in l. conuentionali, ff. de pactis, col. 4. & ibi* expreſsè Duarenus *col. 30.* Paris à Puteo *de ſyndicatu, cap. de tortura, verſ. ſequitur quæſtio.* Anton. Gomeſ. *tom. 3. cap. 13. num. 6. initio*, vbi dicit confeſſionem rei eſſe nullam, & non poſſe ob illam condemnari, quia dolo, & fraude iudicis fuit extorta; & in hanc opinionem inclinat Couar. *lib. 1. var. c. 2. n. 16. poſt med.* Vbi addit, ſi reus cõfeſſionem ſic per dolum, & falſam promiſſionem extortam poſtea reuocauerit, ſibi indubitatum eſſe, non poſſe licitè, nec debere ex ea à iudice damnari; ſi tamen fruſtratus ſpe promiſſionis in eadem confeſſione ſua per dolum, & falſam promiſſionem extortam perſeuerauerit, poterit, inquit, Couarruuias ex mente omnium, qui hanc quæſtionem tractarunt, damnari, & addit, (& benè) *in eo tamen caſu ſi nec confeſſionem reuocauerit, nec in ea reuocatione perſeuerauerit, temerarium eſſe, & à rectitudine iuſtitiæ alienũ, eum pœna ordinaria punire.* Hæc ille. Vnde ex mente Couaruu. ſolùm poterit damnari ad pœnam arbitrariam reſpondentem iudiciis, quæ iudex habebat, antequam tali ſimulatione, & falſa promiſſione vteretur. Confirmatur tota hæc doctrina, quia iudex nihil debet agere, niſi ex ratione, & iure, & poteſtas iudicis reſtringenda eſt intra rationis, & iuris limites, vt docet D. Gregor. Papa *lib. 8. Epiſtola 12. ad Guidiſcalcum*, & refertur *in cap. illa cauſa 11. q. 3.* conſtat etiam ex regula textus *in cap. cùm inferior, de maior. & obedient.* vbi dicitur iudices ſubditos eſſe iuri; ius autem ſemper odit dolum, & fraudem, & ideo nullibi in iure iudicibus permittitur, vt in iudicando falſis ſimulationibus, aut promiſſionibus vtantur. Deinde, quia doloſa perſuaſio æquipollet violentiæ, in vtroque enim caſu datur iniuria, vnde ſicut peccaret iudex ſi per violentiam, & vim confeſſionem à reo extorqueret, nec valeret talis confeſſio, ita non valet, & peccat cum illam per dolum, & falſam promiſſionem extorquet; totum enim ius dolo, & fraudibus, & iniuriis reſiſtit; & ideo illis reſiſtit, quia in illis datur iniuria; quare hæc ſine dubio ſecunda opinio eſt tenenda.

Imola. Decius. Hippolyt. Alciatus. Grammat. Fortunius. Duarenus. Couarr. Paris. Anto. Gom.

Nec fundamenta primæ opinionis valent. Ad primum enim exemplum Salomonis relatum *in c. afferte, de præſumpt.* reſpondemus id factum fuiſſe Deo id diuinitus Salomoni inſpirante, intúſque illum mouente, quia ibi non agebatur de punitione delicti occulti, ſed de ſcienda, & noſcenda veritate, vt filius veræ matri redderetur, non vt exinde vlteriùs ad punitionem delicti procederetur, vt ex ſacra Scriptura patet, & ideo Deus inſpirauit Salomoni, vt id ageret, vt veritas cognoſceretur, & Deus in eo caſu laudaretur, qui eam ſapientiam Salomoni dederat: duo alia exempla non probo, nec à peccato, & graui iniuria reis illata excuſanda ſunt, ſi in eis punitio criminis intendebatur, per iniuriam enim reorum, & contra ius, & rationem veritas ab illis extorquebatur. 20.

Si tamen iudex non promiſiſſet criminis impunitatem, quam promittere non poteſt, & promittendo peccauit; ſed ſe reſtituturum delinquentem Eccleſiæ, ſi ab ea exiret, ſecúmque abiret, vt ab eo ſeriem rei geſtæ domi inquireret, cenſent Fortunius *in l. conuentionem, col. 4. ff. de pactis*; & Antonius Gomez *tomo 3. cap. 13. num. 7. verſic. Primò quia*, teneri iudicem illum Eccleſiæ iterum reſtituere; & in hanc partem videtur inclinare Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 14. num. 16. in fine*; quamuis, inquit, res dubia videatur; poteſt tamen id probare, quia iam Eccleſia hunc reum poſſidet, & iniuria Eccleſiæ fit in caſu, quo illa delinquentem reum tuetur. & quia fides, & promiſſio etiam hoſtibus præſtita ſemper eſt ſeruanda, eius enim implementum de iure naturali eſt, vt dicitur *in l. conuentionum, ff. de pactis*; quare ſi ratione delicti Eccleſia defendebat delinquentem, & iudex non poterat reum extrahere de Eccleſia, fides, & ſecuritas ei data ſeruanda eſt, & reus Eccleſiæ eſt iterum reſtituendus. 21.

Quid ſi iudex aliquem ab Eccleſia extraxit cum promiſſione reſtituendi illum ad illam. Fortunius.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Soluuntur alia dubia ad reos, & iudices ſpectantia.

SVMMARIVM.

An reus, qui fuit definitiua ſententia abſolutus, poſſit iterum de eo delicto accuſari, & damnari. num. 1.
Et quid ſi nouus accuſator probet colluſionem teſtium, vel tabellionis, vel accuſatoris, vel iudicis. ibid.
Quid ſi ſecundus accuſator ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequantur. num. 2.
An quando reus accuſatus non fuit abſolutus, ſed fuit definitiua ſententia damnatus, poſſit iterum accuſari de eodem crimine. num. 3.
Quid ſi in prima accuſatione omiſſa fuit qualitas aliqua, & circumſtantia aggrauans delictum, & quid ſi illa circumſtantia, & ſecunda accuſatio proponitur ante, vel poſt litis conteſtationem. num. 4.
Quid ſi proponatur poſt latam ſententiam in prima accuſatione ante, vel poſtquam ſententia executioni mandetur. num. 5.
Quid ſi circunſtantia, & qualitas, in prima accuſatione omiſſa, & in ſecunda propoſita non aggrauet, ſed mutet ſpeciem delicti. num. 6.
An quando crimen eſt mixti fori, & per vnum iudicem punitum fuit, poſſit iterum puniri per alium. num. 7. *vſque ad* 12.
Pœna impoſita pro delicto publico in foro pœnitentiæ non tollit pœnam imponendam per iudicem in foro externo. num. 7.
In atrocioribus, & grauioribus delictis mixti fori reus punitus per iudicem Eccleſiaſticum, an poſſit iterum puniri à iudice ſæculari. num. 8.
Et quid ſi reus in totum ſit abſolutus ab eodem iudice Eccleſiaſtico. num. 9.
Quid ſi reus fuit prius punitus per iudicem ſæcularem, an tunc poſſit in delictis mixti fori iterum puniri per iudicem Eccleſiaſticum. num. 10. & 13.
Probabilis eſt opinio, quæ negat poſſe iudicem ſæcularem iterum punire reum punitum per iudicem Eccleſiaſticum, etiamſi in adæquata pœna delicto puniatur. num. 11.
Probabilior contraria opinio, & ſoluuntur fundamenta iſtius opinionis probabilis. num. 12.
An ſi per legem, vel conſuetudinem alicuius Regni, aut Prouinciæ ſit certa pœna impoſita alicui delicto, & reperiatur maior, vel minor pœna eidem delicto iure communi impoſita, puniendus ſit reus pœna iuris communis, vel iure Regni impoſita; & quid ſi pœna Regni corrigat, vel non corrigat ius commune. n. 14.

1. PRIMVM dubium eſt, cùm iudex ſæcularis ex officio proceſſit contra reum, & reus definitiua ſententia fuit abſolutus, an poſſit iterum de eo delicto accuſari in eodem foro ſæculari. Breuiter, & reſolutè reſpondeo.

An reus abſolutus poſſit iterum accuſari, & damnari in eodem foro.

Primò, ſi accuſator extraneus poſtea veniat, vel iudex iterum ex officio velit inquirere, nullo modo poſſe huiuſmodi reum iterum accuſari, niſi extraneus accuſator probet præuaricationem primi accuſatoris, vel iudicis, vel teſtium, vel tabellionis, ita docet expreſsè Anton. Gomes *tomo 3. var. cap. 1. num. 26. fol. mihi* 8. & id diſponit textus *in l. 3. ff. de præuaric. & in l. 3. § ſi tamen plures, ff. de liber. hom. exhib. & in l. ſi quis homicidij, C. de accuſat. & in cap. 1. & final. de colluſ. deteg.* & vtrobique communis DD. patet etiam ex iure Luſitano, in nouis, & reformatis Ordinat. *lib. 5. tit.* 131. cuius rei ratio eſt, ne ſæpiùs de eadem commiſſa culpa reus puniatur, aut moleſtetur; promptius enim eſt ius ad abſoluendum, quàm ad damnandum; talis autem colluſio, & præuaricatio accuſatoris, iudicis, teſtium, tabellionis probari poteſt ex coniecturis, iuxta textum *in l. quia autem, §. non ſimpliciter, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſt.* & facit etiam textus *in l. dolum, C. de dolo,* nam, quæ per dolum, & fraudem facta ſunt, nulliter facta ſunt; vt probat idem Gomez *dicto tomo 3. c. 13. n. 6.* Quare ſi nulliter reus fuit abſolutus, probata colluſione & præuaricatione prioris accuſatoris, vel iudicis, vel teſtium, vel tabellionis, ne delicta impunita maneant, benè poterit ipſe iterum accuſari, & tenetur iudex, probata ea præuaricatione, accuſationem admittere.

Anto. Gom.

Secundò, ſi ſecundus accuſator, qui poſtea ſe ad accuſandum offert, ſit de illorum numero, qui proſequuntur ſuam, vel ſuorum iniuriam, admittitur ſecundus accuſator, licet non probet præuaricationem primi accuſatoris, iudicis, teſtium, vel tabellionum, modò habuerit ignorantiam primæ accuſationis, ſeu inquiſitionis, vel licet non habuerit, fuerit alioqui iuſtè impeditus: nam ſi non habuit huiuſmodi ignorantiam, nec fuit iuſtè impeditus, non admittitur ad ſecundam accuſationem, quia eo ipſo, quòd primam non ignorauit, nec fuit iuſtè impeditus, cenſetur renuntiare iuri, quod habebat ad accuſandum poſtea: ita docet Antonius Gom. *tomo 3. cap. 1. num. 26.* & patet ex textu notabili *in l. ſi cui, § iiſdem, ff. de accuſation. & ex l. ſi maritus, §. ſi ante, ff. de lib. hom.* & verò ſi talis accuſator ſuperueniens erat præſens, præſumitur ſciſſe primam accuſationem, ſeu inquiſitionem, & illam non ignoraſſe; ſi verò abſens erat, id non præſumitur, hodie tamen ſufficit, vt docet idem Anton. Gomez *ibid.* quòd ſuperueniens accuſator iuret ſe illam ignoraſſe, & ad ſuam notitiam non perueniſſe; & ita diſponitur *in l. 12. Caſtella, tit. 1. part. 7.* 2.

Secundum dubium eſt, an quando reus accuſatus, non fuit abſolutus, ſed definitiua ſententia fuit damnatus ad aliquam pœnam corporalem, poſſit iterum accuſari de eodem crimine? & huic dubio reſpondent communiter DD. negatiuè, ſiue accuſetur ab eodem primo accuſatore, ſiue ab alio extraneo tanquam vno de populo, ſiue ab eo, qui proſequitur ſuam, vel ſuorum iniuriam, ſiue à iudice ex officio procedente; ita Antonius Gomez *citatus.* & in hanc rem facit textus *in l. ſepulchri violati actio, ff. de ſepulch. violat.* nam ſi quando reus fuit abſolutus, non admittitur ſecunda accuſatio, niſi ſecundus accuſator colluſionem, & præuaricationem probet, vel primi accuſatoris, vel iudicis, vel teſtium, vel tabellionis, vt modò diximus, à fortiori non admittetur, cùm fuit damnatus, ne quis bis puniatur in idipſum. 3.

Quid ſi reus accuſatus definitiua ſententia fuit damnatus.

Inquiro tamen, an quando in prima accuſatione, & proceſſu omiſſa fuit aliqua qualitas, & circumſtantia, quæ delictum, crimenque aggrauet, & pœnam illius augeat, poſſit reus ratione omiſſionis huius qualitatis iterum de eodem crimine accuſari, & puniri. Et quidem antequam reſpondeam, animaduertendum eſt, ſecundam accuſationem vel poſſe proponi cum illa qualitate ante litem conteſtatam, vel poſt litem conteſtatam, ſed poſt ſententiam latam. ſi proponatur ante litem conteſtatam ſemper eſt à iudice admittenda, & idem eſt, ſi proponatur poſt litis conteſtationem, ante definitiuam ſententiam latam, quia huiuſmodi ſecunda accuſatio tanquam grauior, & comprehendens omnes quali- 4.

Quid ſi in prima accuſatione omiſſa qualitas aliqua, & circumſtātia aggrauans delictum.

qualitates,& circunſtantias delicti ſemper ante, & poſt conteſtationem litis debet præferri primæ;argumento textus *in l.1.C. qui accuſare non poſſunt*, & text.*in l.per minorem,ff.de iudic.*& ita docet expreſsè Anton.Gomez *tomo 3.cap.1.de delictis,num.27.*& Bartolus *in l. Senatus,ff.de accuſat.*

Gomez. Bartol.

5. *Quid ſi proponatur poſt latam ſententiam in prima accuſatione.*

Si verò ſecunda accuſatio proponatur cum illa qualitate, & circumſtantia poſt latam definitiuam ſententiam in prima accuſatione, tunc vel ſententia erat executioni mandata, vel non erat: ſi nondum erat executioni mandata, ſimiliter debet admitti,argumento textus *in l.vnde quæritur,in fine,ff. commodati*;& textus *in l. Iulianus ſcribit*, *§. qui fundum*; *& in l.etiam*, *ff. de ſolut.* & ita tenet expreſsè Bartol. *in prædicta l. Senatus*, *ff.de accuſat.*& ratio illius eſt,quia antequam mandetur executioni,non videtur completa ſententia. Si ſententia iam erat executioni mandata, ſunt qui tenent admittendam eſſe ſecundam accuſationem; & ratione grauioris circunſtantiæ, & qualitatis de nouo additæ aliquam pœnam maiorem arbitrio iudicis imponendam.ita Angelus *in l.Senatus,ff.de accuſat.*& alij; Salicetus verò *in l.qui de crimine,C.de accuſat.* contrarium tenet,& aſſerit nullo modo admittendam eſſe ſecundam accuſationem contra ipſum reum, ne quis bis puniatur ob idem crimen, & factum, ex textu *in l.interpretatione*, *ff. de pœnis.* At verò Antonius Gomes *dicto tomo 3.var.cap.1.de delictis,n.27.* meliùs, & probabiliùs docet, ſiue ſententia ſit iam executioni mandata,ſiue non ſit,ſecundam accuſationem nullo modo eſſe admittendam ratione prædictæ circunſtantiæ aggrauantis delictum,pœnamque illius augentis de nouo additæ, & allegatæ;idque probat

Bartol.

Ant.Gom.

Primò, quia iura abſolutè diſponunt, poſtquam reus fuerit condemnatus de aliquo delicto definitiua ſentētia,amplius de eodem accuſari non poſſe;vt conſtat expreſsè ex *l. ſepulchri violati actio. ff de ſepulchr.violat.*& ex *l.qui de crimine*, *C.de accuſ.* & expreſsè etiam ex noſtro iure Luſitano *in nouis, & reformatis ordinat.lib.5.tit.131.* vbi abſolutè dicitur, ſi reus definitiua iudicis ſententia fuit abſolutus in prima accuſatione,non admittendam eſſe ſecundam accuſationem aduersùs illum,niſi probata aliqua præuaricatione,vel colluſione,vel primi accuſatoris, vel iudicis, vel teſtium, vel tabellionis. Vnde ſi ſecundam accuſationem ius Luſitanum non admittit, quando reus in prima fuit ſimpliciter abſolutus,à fortiori illam non admittet, quando non fuit ſimpliciter abſolutus,ſed aliqua pœna condemnatus,ne quis ex eodem facto, & crimine bis in idipſum puniatur, & quamuis noſtrum ius non diſtinguat de qualitate, & circumſtantia delicti aggrauante omiſſa,vel non omiſſa,& de ſententia mandata, vel non mandata executioni, id parum refert,primò, quia vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: ſecundò, quia loquitur abſolutè, & quando ius loquitur abſolutè, caſum de quo loquitur, & omnes circunſtantias illius comprehendit.

Secundò, quia cùm delictum in prima accuſatione iam fuerit, quoad ſubſtantiam, & eſſentiam in iudicium deductum, & ſententiatum, illa qualitas, & circunſtantia aggrauans, quæ de nouo proponitur,& additur,reperitur ſola ſine ſubiecto, vnde non poteſt adduci in iudicium per ſe; & in terminis propter iſtam rationem præter Gomez *allegatum*, hanc illius ſententiam tenet expreſsè Baldus *in l. etſi ſeuerior, C. ex quibus cauſis*,&c. *& in l.3.§.nouiſſimè,in fine,ff.nauta,caupo.ſtabul.*& Florian. *in l.ſi vulnerato,ff. ad l. Aquiliam.* & Angelus *in l.qui de crimine*, *C. qui accuſare non poſſunt*; & pro hac etiam opinione conſiderari poteſt textus *in l.in delictis,§.ſi detracta,ff.de noxal.* vbi ita habetur;ſi ſeruus dedit mihi damnum, & ego egi contra dominum illius in ſolidum, eo quòd damnum ſciuit, & non prohibuit(quo caſu tenetur in ſolidum)& non probaui,non poſſe me poſtea agere actione noxali ſecuta abſolutoria ſententia,quia cauſa principalis iam in iudicium deducta fuit, & abſolutoria ſententia definita. Et idem eſt,ſi priùs egi contra dominum actione noxali,& abſolutus fuit,non enim poſſum poſtea agere contra illum in ſolidum,quia ſciuit,& non prohibuit.

Baldus. Florianus.

Angelus.

Hæc quæ hactenus diximus vera ſunt, quando circunſtantia aggrauans, non mutat ſpeciem delicti, nam ſi mutet ſpeciem delicti, verum eſt admittendam eſſe ſecundam accuſationem,quia tunc re vera delictum,quod de nouo additur, nunquam fuit ad iudicium deductum,nec definitiua ſententia cauſa fuit vnquam deciſa, fuit enim altera in alia ſpecie delicti: ita communiter Doctores, & Anton. Gomez *tomo 3.cap.1.num.27. verſ.aduertendum tamen*; vnde ſi fortè quis grauiter fuerit vulneratus,& ſtatim iudex proceſſerit,& probato vulnerationis delicto reum pœna arbitraria damnauerit,ſi poſtea vulneratus ex eodem vulnere, è vita diſcedat, non poterit aduersùs reum vulnerantem admitti noua,& ſecunda accuſatio, quia noua qualitas,& circunſtantia mortis,non conſtituit diuerſam ſpeciem delicti; licèt illud intra eandem ſpeciem multum aggrauet, quem caſum ſibi contigiſſe, refert Antonius Gomez *allegatus*, & ita iudicatum fuiſſe teſtatur.

6. *Quid ſi circunſtantia mutet ſpeciem delicti.*

Tertium dubium eſt,an quando crimen eſt mixti fori, & per vnum iudicem vt Eccleſiaſticum punitum fuit, poſſit per alium puniri, vt per ſæcularem,vel è contrario.Et antequam reſpondeam,

7. *Quid quando crimen eſt mixti fori.*

Animaduerto primò, pœnam impoſitam in foro pœnitentiæ, quantumcumque magnam, & publicam, non tollere aliquo modo pœnam imponendam in foro iudiciali, non enim commercium aliquod habet forum internum pœnitentiæ, cum foro iudiciali externo; vnde quamuis publica pœnitentia poſſit in foro interno confeſſionis pro publico delicto & ſcandaloſo imponi, vt olim fiebat, & hodie non fit, nec in vſu eſt, licèt tempore Antonij Gomezij factum fuerit Salmaticæ;vt ipſe refert *tomo 3.var.cap.1. num.40.* nam cùm in ea ciuitate viles quidam, & abiecti homines in die carnis priuij publicum quoddam,& ſcandaloſum ſpectaculum facerent, quod in offenſionem fidei Catholicæ tendebat, publicam pœnitentiam in foro interno, & conſcientiæ ſibi impoſitam fecerunt;& dubitatum fuit,an poſſint poſtea puniri in foro iudiciali, & reſolutum fuit poſſe eo, quòd vterque forus valdè diuerſus cenſeatur, & illa pœnitentia tendat ad diuerſum finem, nempe ad ſatisfaciendum Deo, & animæ ſuæ, & per accidens fuerit, quòd ratione tollendi publici ſcandali, publica fuerit; alia verò tendat ad ſatisfaciendum Reipublicæ, & ad punitionem corporis pro vindicta publica.

Noto,& animaduerto ſecundò, ſi pœna Eccleſiaſtica,eſt medicinalis,& monitoria,vt excommunicatio, non tolli per eam aliquo modo pœnam ſæcularem;vt docet idem Antonius Gomez *allegatus*;& patet expreſsè ex text. *in l. placet*, *verſ. ſi quis contrauenerit*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & id latè probat Paulus Caſtrenſ. *in l. cunctos populos*, *C. de ſumma Trinitate*,

Trinitate, & fide catholic. column. 2. numer. 7.

Noto, & animaduerto tertiò, ſi pœna Eccleſiaſtica eſt præparatoria, & diſpoſitiua ad pœnam ciuilem, & ſæcularem, vt cùm aliquis ob crimen hæreſis, ſodomiæ, vel aliud grauiſſimum delictum ſacris Ordinibus degradatur, & iudici ſæculari traditur, per illam non tolli aliam ſæcularem; vt patet, & eſt textus expreſſus *in Auth. de ſanct. Epiſcop. §. ſi verò crimen, collat.* 191.

8. Tota ergo quæſtio eſt, an quando pœna Eccleſiaſtica eſt ordinaria, & principaliter punitiua delicti mixti fori, & impoſita reo à iudice Eccleſiaſtico, poſſit poſtea idem reus accuſari pro eodem delicto coram iudice ſæculari, & puniri alia pœna grauiori, quàm fuerit à iudice Eccleſiaſtico impoſita. Et communis reſolutio, quam iam alibi retigimus in hoc negotio, eſt, in acrioribus, & grauiſſimis delictis mixti fori, in quibus per iudicem Eccleſiaſticum non poteſt imponi competens, & adæquata pœna delicto, poſſe reum iterum puniri, & per iudicem ſecularem accuſari; & capi, & ei imponi pœnam ordinariam debitam delicto, iuxta leges ciuiles; & ſupponit hæc opinio ſacros canones, per quos iudex Eccleſiaſticus iudicauit ſemper decernere mitiores pœnas delinquentibus, quàm imponant leges ciuiles. nam ſi ſint æquales, & à iudice Eccleſiaſtico impoſitæ delinquenti, non videtur quæſtio habere locum; ita communiter DD.

Baldus. Ananias.

Baldus *in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinitate,* Ananias *in cap qualiter, & quando 2. §. ad corrigendos, de accuſat. col. 7. verſ. circa prædicta.*

Felinus.

Felinus *in cap. quod olim, de Iudæis; & in cap. cùm ſit generale, de foro compet. colum. penultima, num.* 27.

Albericus. Abbas.

Alber. in l. 1. *§. hoc edicto, ff. vi bonor. rapt.* Abbas *in cap. tua, de procurat. colum.* 2. idem Abbas *in cap. cùm ſit generale, de foro compet. colum.* 1. *num.* 2. *& in cap. de his, de accuſat.* & *ibi* Aretinus *colum.* 3. *num.* 12.

Aretinus. Anchar. Anto. Gom.

Ancharranus *in reg. ea quæ, de regulis iuris, in 6. 17. col.* 9. Antonius Gómez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 40. verſ. tertiò facit, poſt initium.* Probatur ex *cap. Felicis, §. per hoc quoque, de pœnis, lib. 6.* vbi text. poſt multas pœnas, quas iis, qui Cardinales offendunt, imponit, aſſerit per eas non intendere facultatem iudicibus ſæcularibus adimere, quo minus poſſint procedere in illo delicto contra reos, & imponere pœnas legales. Nec obſtat id, quod aliqui excogitarunt, nempe hunc textum non dicere poſtquam huiuſmodi reus fuerit punitus per iudicem Eccleſiaſticum, poſſe puniri iterum per ſæcularem, ſed ſtatuere hoc crimen eſſe mixti fori, & poſſe puniri tam ab illo, quàm ab iſto iudice, ab eo ſcilicet primùm, qui priùs de illo cognouerit, quam

Aretinus.

interpretationem huiuſmodi textui dedit Aretinus *in cap. de his, ſecunda concluſ. in fine, de accuſat.* Nam ſi rectè inſpiciantur verba huius textus *in dicto §. per hoc quoque,* iunctis præcedentibus, inueniemus apertè loqui textum poſt pœnam impoſitam à iudice

Anto. Gom. Burgoſ. Decius.

Eccleſiaſtico, & ita illum intelligit Anton. Gomez *citatus,* & Burgoſ. *in cap. 2. de empt. & vend. col. penult. propè finem;* & Philippus Decius *in l. magiſtratibus, de iuriſd. omn. iud. col. finali, in fine.* Nec placet intellectus, ac interpretatio *gloſſa ibi in dicto §. per hoc quoque,* aſſerentis hoc eſſe ſpeciale in illo duntaxat delicto, nam ex eadem ratione idem ſine dubio dicendum in aliis delictis grauioribus, & enormibus, iuxta prædictos DD. & Couarruuiam *lib. 2. var. cap. 10. n.* 6.

9. Et idem à fortiori dicendum eſt, ſi reus delinquens eſſet abſolutus in totum à iudice Eccleſiaſtico in crimine mixti fori, poſſet enim poſtea iudex ſæcularis reum capere, & punire, ſi illum inueniat culpabilem; ita Ancharranus *in reg. ea. quæ, de regulis iuris, in 6. 17. col.* 9. & Antonius Gomez *allegatus dicto num. 40. in fine.* Anchar. Gomez. Et ratio eſt in promptu; quia ſi iudex ſæcularis id poteſt efficere, quando iudex Eccleſiaſticus pœna aliqua puniuit, non adæquata delicto; à fortiori, quando illum abſoluit, ne delicta impunita maneant in republica, expedit enim bono publico delicta puniri.

Sed quid ſi huiuſmodi reus fuerit priùs captus, 10.
& punitus per iudicem ſæcularem, poterit ne iterum puniri per iudicem Eccleſiaſticum. Reſpondet Antonius Gomes *modò allegatus,* negatiuè. Fundamentum illius eſt, quia pœna impoſita per iudicem ſæcularem, ſemper cenſetur grauior ex qualitate iuriſdictionis, & ideo, inquit, in dubio etiam an pœna impoſita à ſæculari iudice fuerit adæquata delicto, poſtea non poterit puniri per iudicem Eccleſiaſticum. At hæc ratio qualitatis iuriſdictionis, ſolùm probat ita tenendum eſſe in dubio prædicto; non tamen probat non poſſe iudicem Eccleſiaſticum, iterum punire huiuſmodi reum, ſi crimen ſit mixti fori, qui vel fuit à iudice ſæculari abſolutus iniuſtè, vel pœna non adæquata punitus, ſi id euidenter conſtat; quare, vt iuriſdictio ſit veluti ex vtraque parte æqualis, ita ſine dubio dicendum eſt, alioqui maior eſſet, & excellentior iuriſdictio ſæcularis iudicis, quàm Eccleſiaſtici in criminibus mixti fori, quod tamen non ita eſt; ſed de hac re ſermo iterum redibit *num.* 12.

Non eſt tamen negandum, probabilem eſſe opi- 11.
nionem, quæ docet nullo modo poſſe iudicem ſæ- *Opinio probabilis quid.*
cularem iterum punire reum delinquentem, punitum iam per iudicem Eccleſiaſticum in criminibus mixti fori, ſiue pœna adæquata punitus ſit, ſiue minori, modò tamen ſibi viſa fuerit ſufficiens; quam expreſsè tenent Anton. de Butrio *in cap. tua, de Procurat. col. 2. num. 18. & in cap. 1. de officio ord. col. finali, num. 26. & ibi* Imola *col. finali.* Ananias *in cap poſtulaſti, de Iudæis, in fine.* & Emanuel Rodriguez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 1. num. 1. fine.* Butrius. Imola. Ananias. Rodriguez. Couarr. *lib. 2. var. cap. 10. num.* 6. cum Abbate, & Aretino, quos *ibi* citat. Fundamentum eſt

Primò, quia iuriſdictio vnius iudicis in crimine mixti fori eſt independens ab alio; & ſolùm æqualitas in eo datur, vt qui prior iudicialem cognitionem acceperit delicti, is reum punire poſſit; ergo punito reo per vnum iudicem, non poteſt poſtea per alium puniri.

Secundò, quia quamuis expediat bono communi Reipublicæ, vt delicta adæquatis pœnis puniantur, tamen cùm ius promptius ſit ad abſoluendum, quàm ad condemnandum, credendum eſt priorem iudicem Eccleſiaſticum, functum fuiſſe munere ſuo, & pœnam ſibi viſam adæquatam delicto, reo impoſuiſſe; quare cùm iudex ſæcularis ſuperior illo non ſit, non poterit poſtea punito delicto reum iterum punire, & ad ſuum iudicium vocare, alioqui enim iudex ſæcularis ſuperior eſſet iudice Eccleſiaſtico; contra *cap. cùm inferior, de maioris. & obed.*

Tertiò, quia quando per diuerſas leges diuerſæ pœnæ imponuntur, vna exacta, atque impoſita, non poteſt imponi alia, etiamſi minor ſit impoſita, vt docet Bartol. *in l. Prætor edixit, §. ſi dicatur, ff. de iniuriis, & in l. quod ego, §. pœna grauior, ff. de his qui notantur infam. col. final. propè finem;* & Innocent *in cap. cùm dilectus, de purgat. can. col. 3. n.* 4. Albericus *in l. Senatus, ff. de accuſat. col. 1. poſt principium,* & *ibi* Dinus, quem ipſe refert. Bartol. Innocent. Albericus. Dinus. & idem Albericus *in l. qui de crimine, C. de accuſ. col.* 3. & alij quos refert, ac ſequitur Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 1. num. 39. initio.* nam

cùm

cùm vtraque pœna ad vindictam publicam delicti tendat,& penes arbitrium iudicis ſit eligere,quam velit,vt illa reum puniat, illámque delicto imponat, ſequitur, vt impoſita vna, non poſſit alius iudex aliam imponere, imò nec ipſe, quia iam ſatiſfactum eſt publicæ vindictæ; vnde cùm etiam per impoſitam pœnam à iudice Eccleſiaſtico ſatisfactum ſit publicæ vindictæ. etiamſi illa minor ſit,& non adæquata delicto, conſideratis legibus ciuilibus, non poterit iudex ſæcularis aliam de nouo imponere: tandem quia in crimine mixti fori habent iudices Eccleſiaſtici, & ſæculares iuriſdictionem alternatiuam. Sed in iuriſdictione alternatiua pœnarum poteſt iudex eligere pœnam, quam velit,vt reum puniat,vt probat text. *in l. 1. §. ſpeculatores, ff. de effract. & in l. 1. in fine, C. de his qui latrones*,& docet Bartol. *in l. quicumque, C. de ſeruis fugitiuis, n. 4.* & Salicetus *ibi, columna penultima*, & Aretinus *ibid. colum. 2.* & Felinus *in cap. inter cæteras, de reſcriptis, verſ. fallit 5. colum. 2.*& vna impoſita,quamuis minor ſit, non poteſt alius iudex ſuo tempore aliam imponere: ergo nec iudex ſæcularis poterit nouam pœnam imponere, & delatum per iudicem Eccleſiaſticum punitum, iterum maiori pœna puniri. Maior,& conſequentiæ ſunt bonæ. Minor probatur, quia alternatiua iuriſdictio competit adæquatè vtrique iudici durante tempore alternatiuæ,éſtque talis iuriſdictio alligata tempore ſuæ iuriſdictionis; quo tempore elapſo, ſi caſus fuit punitus, aut electio pœnarum facta, non poteſt alius iudex iterum delictum punire, & nouam pœnam imponere, cùm non ſit ſupra alium iudicem; ſed quando crimen eſt mixti fori, iuriſdictio cuiuſque iudicis, eſt alligata priori tempori præuentionis; ergo ille iudex,qui prior cognitionem delicti accepit, illud poterit punire maiori,vel minori pœna, prout iudicauerit Reipublicæ expedire, nec alius iudex illud poterit amplius punire,cùm prior illi ſit æqualis in iuriſdictione ad caſtigandum delictum;alioqui ſemper iudices inquieti manerent, & non modica inter illos diſcordiarum,& inimicitiarum anſa daretur.

12. *Quæ probabilior.*

Verùm hæ rationes ſolùm faciunt hanc opinionem probabilem,probabilior tamen eſt prima opinio,quam *num.* 8. explicauimus. datur enim capitalis,& expreſſus textus hac de re, *in cap. Felicis, §. per hoc quoque, de pœnis, lib. 6.* Nec rationes huius ſecundæ opinionis adeò ſunt fortes, vt ſolui facilè non poſſint; nam licèt iudices ſint independentes in iuriſdictione,vt re vera ſunt,& ſolùm æqualitas in eo detur, vt qui prior iudicialem cognitionem delicti acceperit,is reum poſſit punire pœna illa,quæ ſibi viſa fuerit conueniens ad ſatisfaciendum publicæ vindictæ Reipublicæ, tamen potuit ius, vt delicta adæquatè punirentur, ne impunita ex aliqua parte manerent, iuriſdictionem alteri iudici concedere,vt illa adæquatè puniat,vt de facto concedit in prædicto *c. Felicis, §. per hoc, de pœnis, lib. 6.* qui textus eſt doctrinalis,& vniuerſalis,& non ſolùm procedit in percuſſione Cardinalium, de qua loquitur, ſed etiam aliis grauioribus delictis mixti fori;& ſic ſoluitur primum argumentum huius ſecundæ opinionis.

Ad ſecundum dico,ius promptius eſſe ad abſoluendum, quàm ad condemnandum, quando nihil inuenit, quod puniat, & iudicem ſecularem nullo modo eſſe ſuperiorem iudice Eccleſiaſtico, ſi iterum puniat reum adæquata pœna,quem minori,& inadæquata ab Eccleſiaſtico iudice punitum inuenerit, cùm in hoc procedat, veluti ex noua commiſſione Papæ ſibi facta in prædicto *cap. Felicis, de pœnis, in 6.*

Ad tertium reſpondeo,etſi concedamus dari hîc alternatiuam iuriſdictionem, nihil inde contra nos inferri, cùm iudex ſæcularis non ex vi alternatiuæ iuriſdictionis in hoc caſu procedat,ſed ex vi commiſſionis ſibi à Summo Pontifice,& iure Canonico conceſſa *in prædicto cap. Felicis, de pœnis, in 6.*

Nec hæc poteſtas conceditur à iure Canonico iudici ſæculari, quando ſolummodo iudex Eccleſiaſticus reum inadæquata delicto pœna puniuit, 13.
quia credendum eſt etiam illam concedere iudici Eccleſiaſtico, quando iudices ſæculares ſimiliter inadæquata pœna in reos in crimine mixti fori animaduertunt.

Primò,quia alioquin melior eſſet conditio iudicis ſæcularis, quàm Eccleſiaſtici, propter qualitatem illam ampliorem ſuæ iuriſdictionis.

Secundò, quia Chriſtus reliquit in Eccleſia ſua ampliſſimam poteſtatem ad punienda delicta in Republica Chriſtiana, ne illa impunita manerent vel in totum,vel in partem,vt cernitur ex illis verbis Chriſti Domini; *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram*, &c. vnde ſi iudex ſæcularis crimina mixti fori leuiſſima pœna puniret, & iudex Eccleſiaſticus illa ad æqualitatem pœnæ reducere non poſſet,clarum eſt,manere huiuſmodi delicta impunita ex parte, cùm tamen bono communi Reipublicæ expediat,vt delicta publica puniantur:neque obſtat,non dari textum expreſſum,ex quo hæc conceſſio facta inueniatur his iudicibus Eccleſiaſticis, nam vbi illa expreſsè conceditur iudicibus ſæcularibus *in dicto cap. Felicis, §. per hoc quoque, de pœnis, lib. 6.* ibi etiam ob rationes tactas tacitè iudicibus Eccleſiaſticis conceſſa intelligitur, ita enim ad bonum regimen Reipublicæ expediebat. Præterea id colligitur ex ampliſſimis verbis Chriſti Domini, *quodcumque ligaueris, quodcumque ſolueris*, &c.

14. *Quid ſi per legem, aut conſuetudinem certa pœna impoſita, & maior vel minor reperiatur impoſita iure communi.*

Quartum dubium, an ſi per legem, vel conſuetudinem ſpecialem alicuius Regni, aut Prouinciæ ſit certa pœna appoſita pro vno delicto, & reperiatur maior, vel minor pœna tali delicto iure communi impoſita,poſſit iudex reum punire ex his pœna, qua velit, & quam illarum illi imponet? Et reſolutiuè reſpondeo, ſi expreſsè, vel tacitè poteſt conſtare,quod lex Regni corrigat communem legem, legem Regni ſolam eſſe ſeruandam; vt eſt textus *in l. 1. ff. ad l. Aquiliam*;& ita docent communiter DD. Odofredus, Albericus, Baldus, Florianus, & communis Doctorum, *in l. 1. iuncta l. agraria, ff. de termino moto*,& Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 1. de delictis, n. 39. verſ. & confirmatur, in medio*; ſi verò etiam poteſt conſtare vel expreſsè, vel tacitè, quòd lex Regni, aut Prouinciæ nolit corrigere legem communem,ſed pœnam augere,& aggrauare, cumulareque,eo quòd legiſlator iudicauerit illam pœnam iure communi impoſitam,non eſſe adæquatam, & condignam delicto, tunc relicta etiam pœna iure communi impoſita,puniendus eſt reus pœna legis regiæ Regni particularis, vnde leges illæ quæ in aliquo Regno,aut Prouincia grauibus delictis pœnam pecuniariam imponunt, intelligendæ ſunt per accumulationem eam imponere, non per correctionem, ſicut vtraque pœna, tam per leges Regni, quàm per leges communes inducta, etiam ſi iſta ſit corporalis,reis imponenda ſit, cùm pœna pecuniaria legis nouæ, tanto, & tam graui delicto condigna,& adæquata non ſit. Si verò pœna, quæ lege Regni imponitur, ſit condigna, & adæquata delicto,

delicto,& ſit diuerſa à pœna, quæ eidem delicto iure communi imponitur,& non poſſit conſtare, an lex regia velit corrigere pœnam iuris communis, aut illam augere, cenſet Anton. Gomes *citatus dicto §. & confirmatur, ad finem illius, & initio §. ſequentis, incipit, ſi verò,* poſſe iudicem eligere pœnam quam velit, at ſtatim meliori mente recepta, ſéque corrigens, addit nouam legem Regni in iſto caſu ſine dubio eſſe ſequendam,& ratio eſt, quia quando Reges, & Principes in ſuis legibus pœna adæquata delicta caſtigant,& in reos animaduertunt, clarum eſt, velle illos ius commune excludere,& in noſtro Regno Luſitaniæ ita ſine dubio tenendum eſt, dicitur enim in noſtris Ordinationibus nouis *tit.64. lib.* 3. ſequendum eſſe ius commune quando caſus vel de conſuetudine, vel in iure Regni non inuenitur expreſſus, quaſi velit, tunc, ſi expreſſus inueniatur, ius commune excludere;& ita etiam dicendum eſt in Regno Caſtellæ; nam, vt animaduertit Antonius Gomez *dicto tomo 3. var. cap. 1. num. 39. §. ſi verò pœna, in l. 1. ex legibus Tauri* expreſsè dicitur in deciſionibus cauſarum leges Regias priùs eſſe ſeruandas; ergo apertè excluditur in huiuſmodi deciſionibus ius commune, quando ius Regni competenter in cauſa prouidit; ad quid enim prouidit, niſi vt ſeruaretur expreſsè, quocumque alio iure etiam communi extraneo reiecto;& id amplius ex hoc prudentiali iudicio patebit; nam pœna quæ olim antiquis legiſlatoribus viſa fuit adæquata delicto, hodie attento more Regni alicuius particularis, conſuetudine, natura, atque propenſione incolarum, & frequentia delictorum videbitur per exceſſum, aut defectum inadæquata; quare ſine dubio tenendum eſt pœnam legis Regni, relicta pœna iuris communis, delicto, & reo imponendam eſſe, ſi illa iudicio prudentium ſit adæquata, & condigna delicto; & ita colligitur ex Bartol. *in l. 1. ff. vi bonorum raptorum*; & ex Angelo *ibi.* & ex Baldo *in l. metum, C. de furtis*, & ex Paulo Caſtrenſ. *in l. 1. §. dixerit aliquis, ff. de public. & vectig. colum* 1. *num. 5.* & videtur etiam conducere textus *in l. qui cum vno, §. qui poſt, ff. de re militari*, & textus *in l. quid ergo, §. pœna grauior, ff. de his, qui notantur infamia.* & textus *in l. 2. C. de noua. & in l. 3. §. finali, ff. de adimendis legatis.* Vide omnino Antonium Gomez *dicto tomo 3. cap. 1. à n. 38. vſque ad* 40. vbi pulchrè circa hanc materiam diſcurrit, ſed eius vires,& fundamenta omnia collegimus,& hîc tibi illa propoſuimus, ne te illius doctrina fraudaremus, quamuis illa ad iuris peritos magis, quàm ad Theologos ſpectet, ſed hîc in præſenti negotio non erit abs re, vt legenti,& conſideranti quæſtiones, quas modò tractamus, patebit.

CAPVT XXXVII.

De reo, qui præſtitit iuramentum redeundi ad carcerem, an ad illud teneatur, ſi ex reditione mortem timeat, infamiam, vel grauem pœnam.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. num. 1.
Quis carcer dicatur iniuſtus. ibid.
Quando carcer iuſtus eſt, & ſententia lata, aut ferenda etiam iuſta, tenetur reus iurans redire ad carcerē. n. 2.
Quid ſi reus detentus erat in carcere ob cauſam leuem, & cum iuramento iurauit redire ad carcerem, & poſtea commiſit crimen dignum pœna mortis, aut mutilationis. ibid.
Quid quando carcer erat iniuſtus, & ſententia mortis iuſta, aut vice verſa, aut vtrumque iniuſtum, carcer, & mortis ſententia. num. 3.
Refertur prima ſententia affirmans teneri illum, qui iurauit, redire ad carcerem, ſi carcer erat iuſtus, & timebat mortem iniuſtam, negánſque ſi carcer erat iniuſtus, & mors iuſta, vel iniuſta timebatur. num. 4.
Refertur ſecunda affirmans tale iuramentum ſemper obligare ſiue carcer, & mors ſint iuſta, ſiue iniuſta, quando iurans omnia præuidit, & ſe ad id voluit obligare, ſecus ſi non præuidit. num. 5.
Præfertur tertia ſententia docens non teneri ſiue præuiderit, ſiue non præuiderit. num. 6. 7. 8. 9. & 10.
Soluitur obiectio de promittente pecuniam vſurario, & latroni ſub iuramento, quam tenetur illis dare. num. 11. & 12.
Quid ſi iuramentum de redeundo ad carcerem factum fuit cuſtodi, & commentarienſi illius, num. 13. & 14.
An reus qui captiuus erat, ſi ad ſuos redeat præſtito iuramento de redeundo, teneatur redire. num. 15.

NOTANDVM primùm carcerem, vel eſſe poſſe iuſtum,& ſententiam iuſtam, vel iniuſtum, & ſententiam iniuſtam, vel vice verſa, carcerem iniuſtum,& ſententiam iuſtam. Dicitur autem carcer iniuſtus multipliciter. 1. *Quid ſit carcer iniuſtus.*

Primò, quando eſt priuatus alicuius latronis, & homo nobilis ex malitia iudicis in eum ob vindictam ſui odij detruditur.

Secundò, ſi eſt tyranni, aut iudicis incompetentis, vel non procedentis ſecundùm legitimi iuris ordinem.

Tertiò, iniuſtus eſt, ſi in eum coniiciaris ex falſa præſumptione,& mors inde tibi ſequatur, aut notabile detrimentum rei familiaris, famæ, honoris, ita omnes conueniunt; vt docet Soarius *tomo 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. n. 16.* Soarius.

Et quidem quando carcer iuſtus eſt,& ſententia lata iuſta, aut timetur ſententia iuſtè ferenda, omnes aſſerunt ſeruandum eſſe iuramentum. ita Vaſquez *tomo 2. 1. 2. diſput. 174. cap. 5. initio.* & Sanchez *tomo 2. Decalogi, lib. 3. cap. 11. n. 25.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 18. n. 26.* 2. Vaſquez. Sanchez. Sayrus.

Secundò, omnes etiam affirmant eum, qui ob leuem cauſam detentus erat, & è carcere exiuit præſtito iuramento redeundi,& poſt egreſſum tale crimen commiſit, vt mortem, triremes, mutilationem, infamiam, aut carcerem perpetuum, aut diuturnum timeat, non teneri redire, quia poſt illud iuramentum, magna rei mutatio facta eſt; quæ planè excuſat ab impletione illius, ſicut etiam ob rei mutationem excuſatur ille ab impletione iuramenti, qui iurauit Berthæ ſe eam ducturum in vxorem, quæ ſi poſt tale iuramentum lepra fuerit infecta, aut fornicata, propter magnam rei mutationem ad tale iuramentum non obligatur, eſt doctrina communis, quam tradit Soarius *tomo 2. de Religione, cap. 10. num. 16.* Soarius.

Tota difficultas eſt, quando carcer erat iniuſtus, & graue damnum iniuſtum mortis, mutilationis, infamiæ, triremium, vel exilij diuturni, vel perpetui per iniuſtam ſententiam inferendum timetur, itémque quando carcer eſt iuſtus, & damnum iniuſtum impendet, aut vice verſa, quando carcer eſt iniuſtus,& damnum iuſtum nobis imminet, & hac de re triplex eſt ſententia. 3.

4. *Sententia prima, teneri redire ad carcerem iuſtum, etiamſi timeatur iniuſta mortis ſententia.* Nauarrus. Fumus. Panormit. Gloſſa. Syluester. Bartolus. Ioan. Andr. Angelus.

Prima docet tenere, & obligare iuramentum, quando carcer eſt iuſtus, etiamſi timeatur, quòd feratur iniuſta mortis, aut grauis damni ſententia, imò etiamſi iam lata ſit. hanc expreſsè tenet Nauarrus *cap.* 12. *num.* 18. Secus verò ſi carcer ſit iniuſtus, quia tunc ſiue timeatur iuſta, ſiue iniuſta mortis ſententia, aut reuera iam lata ſit, non tenetur redire ad carcerem; idem quod Nauarrus, ſentit Panormitanus *in cap. ſi verò, de iureiurando, colum.* 5. & gloſſa recepta *in Clementina Paſtoralis, de ſent. & re iudicata, in verb. per violentiam.* Syluester *verb. iuramentum* 4. *num.* 26. Bartol. *in leg. relegati, ff. de pæn.* Petrus Andreas *in additionib. ad Specul. eod. tit. de iureiurand. in rubrica.* Angelus *verb. iuramentum* 1. *n.* 37. Fumus *verb. iuramentum, num.* 13. Ratio eſt, quia ſi carcer eſt iuſtus, licèt timeatur mors iniuſta, cadit iuramentum ſuper rem licitam, ſuper itionem ſcilicet, aut reditionem carceris iuſti; tenet ergo tale iuramentum etiamſi mors iniuſta futura timeatur. Confirmatur, quia iuramentum eſt vinculum virtutis & iuſtitiæ, vnde cùm reditio ad iuſtum carcerem, ſit res iuſta, & licita, ſequitur, vt iuramentum de tali reditione neceſſariò obliget. Contra verò ſi carcer eſt iniuſtus, etiamſi iuſta mortis ſententia, aut executio illius timeatur, non tenet tale iuramentum, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, aut iniuſtitiæ; eſſet autem tale ſi obligaret ad redeundum ad iniuſtum carcerem.

5. *Sententia ſecunda, iuramentum ſemper obligare etiamſi carcer ſit iniuſtus, & iniuſta mors timeatur.* Caietanus. Toletus. Leſsius. Saâ. Sotus. Soarius. Sanchez.

Secunda ſententia docet, tale iuramentum ſemper obligare, ſiue carcer ſit iuſtus, & ſententia iniuſta timeatur, ſiue ſit iniuſtus, & ſententia iuſta, ſiue vtrumque ſit iniuſtum, carcer ſcilicet, & ſententia, quando iurans optimè præuidit has iniuſtitias, & nihilominus ſe ad hanc reditionem voluit obligare, ſecus ſi non præuidit; ita docet Caietanus 2. 2. *quæſtione* 89. *circa ſolutionem quarti.* Toletus *lib.* 4. *ſumma, cap.* 22. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num.* 27. Saâ *verb. iuramentum, num.* 11. Sotus *lib.* 3. *de iuſtitia, quæſt.* 2. *art.* 7. Soarius *tomo* 2. *de Religione, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 13. vbi expreſsè aſſerit, illum, qui præuiſo periculo mortis iurauit redire ad carcerem, obligari iuramento, ſiue carcer ſit iuſtus, ſiue iniuſtus, & ſiue mors ſit iuſta, ſiue iniuſta; hanc opinionem ſequuntur communiter Theologi huius temporis. Sanchez *tomo* 2. *Decalogi, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 32. Ratio illorum eſt

Primò, quia ſi carcer eſt iniuſtus, & iuſta, vel iniuſta ſententia timetur, adhuc tenetur redire, quia hanc iniuſtitiam pati poteſt ex virtute patientiæ: atqui ratione iuramenti obligatur quis ſeruare promiſſum in quauis materia virtutis; ergo tenet iuramentum, maximè cùm ſit factum poſt præuiſam rei difficultatem; ſi enim mors erat iniuſta, & carcer iniuſtus; & hæc omnia fuerunt præuiſa, & nihilominus non obſtante tali præuiſione, ſe voluit iurans ad reditionem obligare, quo modo excuſari poteſt.

Secundò, quia qui iniuſtè detinetur, & mortem timet, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, & iurat non fugere, tenetur ſeruare iuramentum; & non fugere, quamuis ianuæ ſint patentes, quia poteſt illud ſeruare ſine peccato, manendo in carcere propter exercitium patientiæ, & propter fidelitatem ſuorum verborum: poteſt enim præferre virtutem moralem fidelitatis, & patientiæ vitæ propriæ; ergo etiam quando mors timetur iniuſta, & carcer erat iniuſtus, obligabit iuramentum ad reditionem carceris, propter exercitium prædictarum virtutum; moraliter enim loquendo, idem eſt, non fugere è carcere, & redire ad carcerem, in his circumſtantiis.

Tertiò, quia promiſſio reditionis cum hac præuiſione mortis, & carceris iuſti, vel iniuſti, fuit prudens; fuit enim facta ex pacto vtili, & neceſſario ad res domeſticas componendas; ergo impletio eſt licita; licitum enim eſt implere, quod prudenter promiſiſti. Tandem quia ſuppoſita promiſſione redeundi cum iuramento, reditus iſte non ſolùm eſt licitus, ſed etiam honeſtus, eſt enim opus virtutis fidelitatis, fortitudinis, veritatis, Religionis; ergo eſt implenda; ergo tenetur iurans ad carcerem iuratum redire.

Nihilominus tertia ſententia docens non teneri redire, & non obligare tale iuramentum, quando carcer eſt iniuſtus, & mors iuſta timetur, & quando carcer eſt iuſtus, & mors iniuſta ſperatur, & à fortiori quando vtraque res eſt iniuſta, mors ſcilicet, & carcer, ſiue cum præuiſione huius iniuſtitiæ, ſiue ſine illa, eſt probabilior, & ſequi debet; fauet enim multis miſeriis, qui facilè hoc iurant, & poſtea iuramentum non implent; eam docet Vaſquez *tomo* 2. 1. 2. *diſputat.* 174. *cap.* 5. *num.* 35. Couarruuias *lib.* 1. *variarum, cap.* 2. *num.* 7. & 8. vbi pro ſe citat Baldum, Curtium ſeniorem, Ancharanum, & inſignem, vt ipſe appellat, Theologum Ioannem Maiorem *diſtinctione* 5. *quæſtione* 22. Tabiena *verb. iurare* §. 10. & *verb. Carcer. num.* 1. & *verb. accuſatio, num.* 10. Abbas *in cap. ſi verò, num.* 4. *de iureiurando.* Ripa *in l. admonendi, num.* 171. *ff. de iureiurando.* Sylua nuptialis *lib.* 3. *num.* 44. Angelus *verb. carcer. num.* 4. Gutierrez *de iurament.* 1. *part, cap.* 57. *à num.* 24. *vſque* 26. Saâ *in ſumma, verb. iuramentum, num.* 11. & dicit eſſe probabilem Saytus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 27. & hanc opinionem tenent multi alij, quos citaui *in* 2. *præcepto, lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. Et pro ea citari etiam poſſunt omnes, qui dicunt, iuramentum de reditione ad carcerem iniuſtum non obligare, & hi ſunt omnes primæ opinionis Authores, quatenus dicunt, ſolum iuramentum de reditione ad carcerem iuſtum obligare, non ad iniuſtum, & fundamenta huius opinionis hæc ſunt. 6.

Tertia verior, non teneri redire quando carcer eſt iniuſtus, & mors iuſta, & quando carcer eſt iuſtus, & mors iniuſta. Vaſquez. Couarr. Ioa. Maior. Tabiena. Abbas. Ripa. Sylua Nupt. Angelus. Gutierrez. Saâ. Sayt.

Primum eſt, quia iuramentum promiſſorium, debet eſſe materia alicuius virtutis, vt poſſit obligare, vt omnes concedunt, & non debet eſſe vinculum iniquitatis, & iniuſtitiæ: redire autem ad carcerem iniuſtum, vel ad iuſtũ, quando ex ea reditione mors iniuſta timetur, non eſt opus alicuius virtutis; non patientiæ, quia licèt ſit opus patientiæ, mortem iniuſtam ab alio illatam ferre ſine querela, cùm quis non poteſt ſe ipſum defendere; tamen non eſt opus patientiæ ſe vltrò offerre morti iniuſtæ ſine alia ratione, & cauſa, ſed peccatum temeritatis, & proiectæ audaciæ; non fidelitatis, tyranno enim, & iniuſtè fidem poſtulanti ad patiendam iniuſtam mortis ſententiam, fides non eſt ſeruanda, niſi aliunde alia cauſa virtutis ſubſit, aliâs quicumque promiſiſſet ſine iuramento redire ad iniuſtum carcerem, deberet ex fidelitate redire, quod nemo concedet; ergo efficitur, vt nullus virtute huius iuramenti redire ad carcerem iuratum teneatur iniuſtum, vel iuſtum, ſi timetur iniuſta ſententia; iuramentum enim non conſtituit materiam quam promittit ſub aliqua virtute, ſi ipſa ratione promiſſionis ſimplicis, antea virtutis non erat, vt eſt communis Doctorum opinio.

Et iuxta hoc fundamentum, reſpondebis ad primum, & ſecundum argumẽtum ſecundæ opinionis 7.

Soarij,

Soarij, quo aſſerebat iuramentum reditionis ad carcerem iniuſtum eſſe vinculum virtutis patientiæ, & fidelitatis, & ideo obligare, & qui iurauit non fugere è carcere iniuſto, teneri iuramento; id enim falſum eſt, vt oſtendimus; quia ſi ita eſſet, iam iuramentum eſſet vinculum iniuſtitiæ.

8\. *Nec quando carcer eſt iuſtus, & iniuſta ſententia timetur, tenetur redire.*

Secundum fundamentum noſtrum eſt, quia ſi carcer alioqui iuſtus eſſet, & nihilominus in eo iniuſta ſententia timetur; iam prædictus carcer ratione prædictæ iniuſtæ ſententiæ datæ, vel ferendæ redditur iniuſtus; ergo eadem erit de illo ratio, atque de carcere tyrannico, & iniuſto; ergo vltrò ſe offerre iniuſtæ ſententiæ in carcere aliàs iuſto, quam quis poteſt facilè declinare, peccatum etiam temeritatis eſt; ac proinde non tenetur iurans ad eum redire, cùm non poſſit abſque peccato, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; & ex hoc fundamento ſoluitur totum fundamentum primæ opinionis Nauari, & aliorum aſſerentium teneri iurantem redire ad carcerem iuratum, ſi carcer erat iuſtus, etiamſi mors iniuſta timeatur.

9\. Tertium eſt, quia redire ad carcerem iniuſtum, & iniurioſum, ex quo mors iuſta timetur, aut etiam ad carcerem iuſtum, ex quo mors iniuſta ſperatur, eſt quodammodo ſe occidere, & concurrere abſque vlla cauſa cum peccato alterius; vnde tam ex parte petentis, quàm ex parte iurantis, eſt iniuſta reditio; & ideo quando iudex iniuſtus iuramentum redditionis petit, cùm petat rem iniuſtam, poteſt prudenti amphibologia à reo deludi, & ſi nihilominus reus ſe voluit ad eam iniuſtam reditionem obligare ſciens, & aduertens eſſe iniuſtam, peccabit quidem mortaliter, non tamen redire tenebitur; nec eſt ſimile de Martyre ſe vltro martyrio offerente, Martyr enim ex motiuo virtutis charitatis, in Chriſtum ſuum ſeruatorem, & fortitudinis Chriſtianæ charitate formatæ hoc efficit, ille verò ex motiuo nullius virtutis hoc efficere poteſt; ergo corruit obiectio, quæ potuit afferri ex martyrio.

10\. Quartum eſt, quia detentus in tali carcere iniuſto, ſi mortem timeat, aut graue damnum iniuſtum, tenetur fugere, ſi poteſt; ergo ſi liber eſt, poteſt non redire, imò tenetur non redire, perinde enim eſt moraliter loquendo teneri fugere, ac teneri non redire, vt patet.

11\. *Obiectio.*

Obiicies, ſicut ille, qui pecunias ſe inuadenti latroni promiſit, tenetur ratione iuramenti eas illi ſoluere, & iuramentum factum vſurario de ſoluenda vſura ſimiliter obligat, iuxta omnes Doctores, cur etiam non tenebitur redire ad carcerem ille, qui promiſit iniquo iudici ſe rediturum?

Soluitur. Reſpondeo eſſe diuerſam rationem vtrobique; nam, vt optimè probat Caietan. 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 7. & Vaſquez *tomo* 2. *in* 1. 2. *diſputat.* 174. *cap.* 5. *num.* 39. (Caietan. Vaſquez.) reddere pecuniam latroni, & vſuras vſurario, eſt opus virtutis, nempe charitatis propriæ, & redemptionis propriæ vexationis, ad quam quiſque iure naturæ tenetur; at redditio ad carcerem iniuſtum, cum periculo mortis iuſtæ, aut iuſtum cum periculo mortis iniuſtæ, non eſt opus virtutis, vt ex dictis conſtat; neque enim ibi eſt redemptio vexationis, imò eſt vltronea oblatio, qua quis ſe offert iniuſtæ vexationi, quod maximè notandum eſt.

12\. Et idem dicendum eſſe exiſtimo cum Vaſquez *modò allegato*, quando timeretur ſententia iniuſta amiſſionis famæ, aut rei familiaris magni momenti, quia licèt quiſque ſit dominus horum bonorum externorum, tamen non licet ei ſine cauſa ea prodigere; quare conſiderari ſemper debet, an ſit, vel non ſit aliqua cauſa licita, & honeſta, ob quam homo ſe poſſit licitè exponere huic periculo.

13\. *Quid ſi iuramentum de redeundo factum fuit cuſtodi ipſius carceris.* Vaſquez.

Sed quid ſi iuramentum de redeundo ad carcerem factum fuerit commentarienſi, & cuſtodi illius, poteritne etiam iurans non redire; imò tenebitur non redire, ſicut non tenetur redire, quando fuit factum tyranno, vel iniuſto iudici? Reſpondet Vaſquez *dicto tomo* 2. *in* 1. 2. *diſp.* 174. *cap.* 5. *num.* 38. Si cuſtos carceris eſſet particeps culpæ iudicis tyranni, & iniuſti, quia ipſe etiam cuſtos iniuſtus eſt, aut ſciens, & cognoſcens iniuſtitiam iudicis, nihilominus vult eſſe cuſtos, idem de illo eſſet dicendum, atque de iudice iniuſto; neque enim ei tunc debet vinctus fidem ſeruare, & damnum quod inde patitur ſibi imputet, quia ad id ſe expoſuit, cùm tyranni, & iniuſti iudicis miniſter eſſe voluit; ſi verò cuſtos bona fide ductus, & ignorans peccatum tyranni, & iniuſtam illius ſententiam, facultatem reo conceſſit, præſtito iuramento redeundi, tenetur redire ſiue damnum quod imminet cuſtodi innocenti ſit in corpore, ſiue in bonis, quia tunc iam non ſine cauſa, nec temerè ſe offerret morti; ſed cum cauſa, nempe pro liberando cuſtode carceris, ac proinde iuramentum præſtitum prædicto cuſtodi locum haberet obligandi, quia promiſſio eſſet in materia virtutis.

14\. Verùm mihi contrarium videtur, quia omnis cuſtos, cùm carcerem in cuſtodiam accipit, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum, cum ea tacita conditione accipit, vt ſi vinctus poſſit euadere, id poſſit licitè efficere; quando timet aliquod graue damnum iniuſtum, vnde ſiue cuſtos particeps iniuſtitiæ iudicis ſit, ſiue non ſit, ſemper reus huiuſmodi damna timens, licitè poterit effugere, quouis etiam iuramento, cuſtodi præſtito, de redeundo; ſicut enim, vt docet Molina *tomo* 3. *diſp.* 674. *num.* 10. (Molina.) ille qui pecuniam à Rege debitam aliter recuperare non poteſt, quàm ex tributis Regis debitis publicano etiam locatis, licitè ſibi de illis poteſt recompenſare, nulla ratione habita damni publicani, quia publicanus, velit, nolit, & tacita conditione locauit, vt ſibi quiſque de illis recompenſare ex Rege poſſit, quando aliter non poſſit; dominium enim exigendi tributum, ſemper manet apud Regem, & publicanus ſolum habet ius exigendi illud nomine Regis; res autem, quæ ſub dominio domini ſui ſunt, ſemper manent obnoxiæ ſatisfactionibus æris alieni, quo illarum domini grauantur: ſic carcer quando commentarienſibus in cuſtodiam traditur, eo tacito pacto traditur, vt quis poſſit ex illo fugere, nulla illis ſatisfactione facta; vnde poteſt iurans vti amphibologia in tali iuramento, quando cuſtodi reditum iurat, ſic intelligens; reditionem ad carcerem iuro, ſi ad illam teneor, & ſemper eſt tale iuramentum ex natura ſua hac conditione affectum, non enim per illud intendit iurans ſe ſuo iure priuare, quando timet graue damnum iniuſtum, imò ſi præuidens huiuſmodi damnum, nihilominus reditum iuraret, tale iuramentum non obligaret, quia iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, nec bona fides, qua cuſtos carceris proceſſit, ad aliquid obligat iurantem; vnde ſibi ipſis commentarienſes cauti ſint, & ſciant ſe habere peſſimum, ac periculoſiſſimum officium, ſciant etiam inter ipſos, & reos eſſe veluti quandam conditionem tacitam (vt notat Azor *tom.* 3. *lib.* 13. *c.* 24. *verſ. item videtur*) (Azor.) vt rei ſi carcerem perfregerint, pœna capitis ſubiiciantur, & ipſi ſubeant grauiſſimum periculum ſuæ negligentiæ, ſi in cuſtodia vigilantes, ac diligentes non fuerint.

15. Ad vltimum inquires, an ille, qui captiuus erat apud infideles, & ab eis ſub iuramento redeundi obtinuit facultatem, vt iret ad ſuos ad quærendum pretium ſuæ redemptionis, teneatur redire cum vitæ periculo, non inuento pretio, aut graui damno mutilationis, aut captiuitatis perpetuæ, imò cum ſolo damno pretij redemptionis, ſi conſiderabile ſit. Reſpondeo, ſi captiuitas ex parte infidelium erat iuſta, teneri, ſi verò erat iniuſta, vt plerumque bellum eſt, quod nobis infideles indicunt, non teneri ex vi iuramenti redire: aliunde verò dico teneri in conſcientia redire, & non poſſe Epiſcopum tale iuramentum relaxare ratione ſcandali; ſcandalizabuntur enim infideles, & putabunt legem Chriſti falſam eſſe, ſi quidem paruipenditur à Chriſtianis, & Religionem Chriſtianam non eſſe amplectendam, quippe quæ fidelitate careat; ita docet Sotus *lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 1. artic. 7. colum. 1. paulo poſt medium, pag.* 608. Veiga *in ſumma Hiſpanica, lib. 4. cap.* 35. idem dicendum eſt, ſi eis iurauit mittere pretium redemptionis ſuæ; ſi autem perſonæ eſſent valde vtiles Reipublicæ, poterunt detineri apud fideles interim dum tentatur, aut procuratur via aliqua honeſta illius redemptionis.

Sotus. Veiga.

Capvt XXXVIII.

Ad quid teneatur Aduocatus ex officio erga illos, quos defendit, & quatenus lethaliter cum obligatione reſtituendi peccet, vel non peccet?

SVMMARIVM.

Quid ſit Aduocatus, & ob quas cauſas nonnullæ perſonæ ab officio aduocandi arceantur. num. 1.
Aduocati an ſint nobiles. ibid.
Referuntur perſonæ, quæ ob indecentiam tantùm arcentur ab officio aduocandi. num. 2.
An neceſſitas tollat hanc indecentiam, & poſſint huiuſmodi perſonæ in neceſſitate aduocare, non obſtante tali indecentia. num. 3.
Sacerdotes an poſſint aduocare, & in quibus caſibus. ibid.
An Clerici in minoribus beneficiati. ibid. & num. 5. & *quid ſi beneficiati non ſint.* ibid.
An Monachi, & in quibus etiam caſibus. num. 4.
An Diaconi, & Subdiaconi. num. 5.
Quod negotium dicatur Eccleſiaſticum. num. 6.
Aduocatus qui ob negligentiam, vel ignorantiam cauſam ſui clientis perdit, tenetur ei ad reſtitutionem. num. 7.
Quid ſi defendat cauſam iniuſtam, & quid ſi à principio putauit iuſtam, & poſtea putauit iniuſtam. num. 8. & 9.
Quid ſi reum fraudibus defendat contra fiſcum, ita vt fiſcus non rapiat illius bona aliter rapturus, niſi fraudibus defenderetur. num. 10.
Quid de Aduocato fiſci, ſi negligenter ſe gerat in cauſa illius defendenda, an ad reſtitutionem teneatur. num. 11.
Quid ſi clienti ſuo intentetur actio criminalis, & illum ita defendat, vt accuſator non poſſit litem obtinere, & ob id pœna talionis puniatur. num. 12.
An poſſit cauſam ſui clientis dubiam defendere. num. 13.
Quid ſi cauſa ſui clientis alicuius criminis rei, ſit minus probabilis. num. 14.
Quid ſi cauſa actoris ſit minus probabilis, abſolutè tamen probabilis. num. 15.
Quid ſi Aduocatus ignoret cauſam eſſe omnino iniuſtam, magis tamen credat iniuſtam. num. 16.
Quid ſi ſecreta ſui clientis magni momenti aduerſæ parti reuelet. num. 17.
Quid ſi falſitatibus faciat, vt aduerſarius ſui clientis cauſam iuſtam perdat. num. 18.
An poſſit in cauſa iuſta, quam defendit, decipere Procuratorem aduerſum, & occultare ea, quæ partis aduerſæ ius impedire poſſunt. num. 19.

NONNVLLÆ perſonæ arcentur à munere, & officio aduocandi, de quibus ſtatim agemus; qui autem prohibentur aduocare, non cenſentur prohibiti in domo ſua, & camera conſulere, & de iure in ſcriptis allegare, iuxta Panormitanum *in rubrica de poſtulat.* quia Aduocatus dicitur ille, qui apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, ſui, vel amici deſiderium exponit, vel alterius deſiderio contradicit; ita Doctores *in l. Paulus* 1. *ff. de poſtulat.* Eſt igitur Aduocati munus, nobile profectò, vt ex multis tradit Caſſaneus *in catalogo gloriæ mundi 7. part. conſiderat.* 28. & conſtat ex *l. laudabile, C. de Aduocat. diuerſorũ iudic. & l. 1. ff. de iuſt. & iure,* & in Luſitania ij, qui ſunt Aduocati in Senatu Regio Olyſſiponenſi gaudent priuilegiis Doctorum, vt probat Phœbus *tomo 1. deciſion. in ſuis Areſtis, folio* 27. quæ maiora, & ampliora ſunt, quàm priuilegia Equitum nobilium, Luſitanè *dos Caualeiros fidalgos.* & ideo, quia hoc munus nobile eſt, nonnulli à munere aduocandi arcentur. Duæ autem ſunt cauſæ ob quam arceantur, vel propter impotentiam, vel propter indecentiam. Propter impotentiam, arcentur furioſi impuberes, muti, ſurdi, & imperiti; eſt enim Aduocatis neceſſaria interior peritia, qua poſſint iuſtitiam cauſarum aſſumptarum ſolerter defendere, & inſuper exterior loquela cum auditu, vt poſſint pronunciare, & audire; quod illis contra ſuum clientem obiicitur, & in promptu ad omnia reſpondere; vnde qui in his deficiunt, omnino prohibentur, & nec pro ſe, nec pro aliis eſſe poſſunt Aduocati, vt optimè notat D. Thom. 2. 2. *quæſt. 71. art. 1.* & grauiter peccant, & ad reſtitutionem tenentur, qui ſine iuris peritia id faciunt; vt ſtatim dicemus *num.* 7. 1.

Panormit. *Aduocatus quid ſit.*

Aduocati munus nobile.

Nonnulli ab aduocandi munere arcentur, & cur.

D Thom.

2. Propter indecentiam ſtatus, conditionis, ac impedimenti arcentur Clerici, Monachi, excommunicati, cæci, infideles, hæretici, infames, & grauibus criminibus dãnati; indecentia autem exercendi huius officij in ipſis perſonis oritur ex duplici cauſa.

Primò ex eo quòd quis rebus maioribus, & diuinis ſit adſtrictus, & intentus, & nec Monachos, nec Sacerdotes decet in quacumque cauſa eſſe Aduocatos, nec Clericos in minoribus, dummodo ſint beneficiati.

Secundò, propter perſonæ defectum vel corporalem, vt patet in cœcis, qui conuenienter in iudicio adſtare non poſſunt; vel ſpiritualem, vt in excommunicatis, infamibus, hæreticis, infidelibus, damnatis, non enim decet, vt alterius iuſtitiæ patronus exiſtat, qui in ſe ipſum iuſtitiam cõtempſit; & ideo infames, hæretici, infideles, & grauibus delictis damnati indecenter ſunt Aduocati; ita docet D. Th. 2. 2. *q. 71. art.* 1. Caiet. *ibi.* Syluest. *verb. Aduocatus, n.* 2. Nauar. *in ſum. Lat. c. 25. n.* 28. Panorm. *in rub. de poſtul.* Bart. *in l. 1. ff. eod. l. nemo* 2. *C. de Epiſcop. aud.*

D. Thom. Caietan. Syluester. Nauarrus. Panormit.

3. Huiuſmodi autem indecentia tollitur per neceſſitatem, ſemper enim in rebus omnibus neceſſitas decentiæ præfertur, iuxta illud, *Neceſſitas non habet*

habet legem, & propter hoc huiuſmodi perſonæ, quæ ratione indecentiæ à munere aduocandi arcentur in neceſſitate, poſſunt pro ſe ipſis, vel perſonis ſibi coniunctis, & pro miſerabilibus vti officio Aduocati. Vnde Clerici in minoribus, etiam beneficiati, poſſunt pro ſe ipſis, & miſerabilibus aduocare; ſi non ſint beneficiati, vbique pro omnibus poſſunt aduocare, vt *infrà* dicemus *ad finem*; & Sacerdotes poſsũt in neceſſitate eſſe Aduocati in cauſa propria, vel pro Eccleſia ſua, & pro coniunctis, & miſerabilibus perſonis; vt docet D.Thom. 2.2. *quæſt.*71. *art.*1. *in corpore.* Armilla *verb. Aduocatus, num.*5. Syluester *verb. Aduocatus, num.*2. & patet ex *cap. Clerici, & cap. cùm Sacerdotes, extrà de poſtulat. & cap. cùm Sacerdotibus, ne Clerici, vel Monachi*, & ex gloſſa *in cap. denique* 14. *quæſt.*5. Itaque huiuſmodi Clericis, & beneficiatis Sacerdotibus prohibita eſt Aduocatio tam coram iudice ſæculari, quàm Eccleſiaſtico, vt de iudice Eccleſiaſtico patet ex *cap fin. de poſtulat. extrà ne Clerici, vel Monachi*, exceptis quatuor caſibus, qui reducuntur ad neceſſitatem.

D. Thom. Armilla, Syluester.

Primò pro ſe.

Secundò pro ſua Eccleſia.

Tertiò, ſi neceſſitas vrget pro perſonis ſibi coniunctis, quæ in huiuſmodi caſu ſunt vſque ad quartum gradum.

Quartum pro miſerabilibus perſonis, & neceſſitas aduocandi pro coniunctis, tunc datur ſecundùm Panormitanum; quem citat, & ſequitur Syluester *verb. Aduocatus, num.*2. quando alium habere non poſſunt, vel non æquè bonum.

Idem.

4. Monachi etiam poſſunt in neceſſitatibus eſſe Aduocati pro cauſa monaſterij ſui, præcipiente Abbate, ac ſuperiore ſuo; vt patet ex *cap. ex parte, de poſtulat. & cap. placuit* 2. 16. *quæſt.* 1. *& cap. Monachi* 2. *ibi*; & docet Nauarrus *in cap. non dicatis* 12. *quæſt.*1. & Salzedo *in Practica criminali, cap.*63. vbi aſſerunt etiam pro perſona benefactrice poſſe Monachos aduocare; Saâ *verb. Aduocatus, num.*2. & Syluester *verb. Aduocatus, num.*2. *verſ.*6. Vt tamen hoc poſſit licitè effici, opus eſt, vt hæc duo concurrant, & neceſſitas, & imperium ſuperioris; quæ ſi concurrant, aduocare poſſunt etiam coram iudice ſæculari; vt ex Panormitano docet Syluester *allegatus*; & patet ex *cap. finali, de poſtulatione*; ſi verò non concurrant, non licet eis etiam coram iudice Eccleſiaſtico; & id docet etiam D.Thomas 2. 2. *quæſt.*71. *artic.*1. *in corpore, ad finem*; & conſequenter etiam pro miſerabilibus perſonis; & idem dicendum eſt de infamibus, & reliquis perſonis, quæ ſolùm ratione indecentiæ ab hoc munere arcentur, poſſunt enim hæ etiam pro ſe, ſuiſque & miſerabilibus in neceſſitatibus aduocare.

Nauarrus. Salzedo. Saâ. Syluester. D.Thom.

5. De reliquis Clericis, conſtitutis in ſacris, non Sacerdotibus, id eſt, de Diaconis, & Subdiaconis maius dubium eſt, an licitè poſſint aduocare, ſiue ſint beneficiati, ſiue non ſint? Et reſpondet Syluester *in dicto verb. Aduocatus, num.* 2. *verſ.* 4. poſſe aduocare coram iudice Eccleſiaſtico in negotiis tam ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis, & coram iudice ſæculari, ſed in negotiis tantùm Eccleſiaſticis, & idem docet etiam Innocentius *in cap.* 1. *de poſtulat. in verb. in negotiis Eccleſiaſticis.* Et idem etiam tenet Panormitanus *in dicto cap.* 1. *de poſtulationibus.* Reliqui Clerici in minoribus, qui beneficiati non ſunt, vbique poterunt aduocare, & coram iudice Eccleſiaſtico, & coram ciuili, in cauſis tantùm ciuilibus, non tamen criminalibus: vt conſtat ex *cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi* 23. *quæſt.*8. & licèt quidam exiſtiment eos poſſe aduocare, ſeu poſtulare pro reis mortis, & proſequi appellationem eos defendendo; argumento *cap.*23. *quæſt.*5. *& cap. eos, ibidem*; tamen iuxta Syluestrum *allegatum, verb. Aduocatus, num.*2. *verſ.*5. tutius eſt abſtinere omnino à tali patrocinio, quod idem docet gloſſa *in c. aliquantos, de poſtul.* & inſinuatur *in cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

Syluester. Innocent. Panormit.

Dicitur autem negotium Eccleſiaſticum ratione perſonæ, vt quando Eccleſiaſtica perſona ſequendo forum rei ſæcularis, litigat cum reo ſæculari: item ratione delicti, vt ſacrilegium, & alia huiuſmodi, & ratione rei, vt quando res eſt Eccleſiæ, & ad illam pertinet; ita docent communiter Doctores, & Syluester *verb. Aduocatus, n.*2. *dicto quarto.* 6.

Quod negotium dicatur Eccleſiaſticum.

Statuo ergo primò, Aduocatus, qui notabili ſua negligentia, aut ignorantia iuſtam clientis ſui cauſam perdit, peccat lethiferè contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem valoris cauſæ, ad expenſas, & ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, ſi pro viro docto ſe gerit, & cliẽs illius ignorantiam non agnoſcat; aliàs non, niſi ſit in dolo, aut lata culpa, & per cauillationem ei cauſam auferat; ita communiter Doctores, Nauarrus *in ſumma Latina, cap.*25. *num.*29. Oſtienſis *in cap. calumniam, de pœnis.* Innocentius *in cap. ſicut dignum, de homicid.* Syluester *verb. Aduocatus, num.*16. Toletus *lib.*5. *ſumma, cap.*62. Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *in octauum præceptum Decalogi, cap.*10. *num.*295. Leſſius *lib.*2. *cap.*31. *dubitatione* 8. *num.*47. patet ex *leg. idem iuris*, §. 1. *ff. ad legem Aquiliam.* Ratio eſt, quia lege iuſtitiæ tenetur pro ſuo cliente diligentiam præſtare, & eo maiorem, quo difficilior eſt cauſa clientis, quam defendit, & ſimiliter ex officio tenetur eſſe inſtructus ſufficienti peritia, cùm pro idoneo, ac diligenti Aduocato ſe gerat, & ob id ſtipendia exigat. 7.

Concluſio prima. Nauarrus. Syluester. Toletus. Filliucius. Leſſius.

Statuo ſecundò, Aduocatus qui defendit cauſam, quam ſcit eſſe iniuſtam, peccat lethaliter, contra iuſtitiam, & obligationem ſui officij, & tenetur ad reſtitutionem parti aduerſæ omnium damnorum, quæ illi obueniunt, cauſa ſui iniuſti patrocinij, expenſarúmque factarum, & omnium, quæ ob litem amiſit, & etiam ſui clientis, ſi animaduertebat illum bona fide procedere, & de iniuſtitia cauſæ non admonuit; idem dicendum eſt de eo Aduocato, qui à principio credebat cauſam eſſe iuſtam, & poſtquam nouit eſſe iniuſtam, non deſerit clientem ſuum, ſi eum admonuit, & ipſe noluit deſiſtere; eſt communis etiam doctrina apud omnes in Armilla *verb. Aduocatus, num.*11. D.Thomas 2.2. *quæſt.*71. *artic.*3. *ad* 2. Syluester *verb. Aduocatus, num.*5. Nauarrus *in ſumma Latina, cap.*25. *num.*28. Leſſius *lib.*2. *cap.*31. *dub.*2. *num.*48. Filliucius *tom.*2. *tractat.*40. *in octauum præceptum, cap.*10. *num.*282. *&* 284. *verſ. dico tertiò.* Sayrus *in Claui Regia, cap.*22. *n.*20. Saâ *verb. Aduocatus, num.*1. Probatur, quia horum omnium damnorum iniuſta cauſa eſt, vel per commiſſionem, vel per omiſſionem iniuſtam eorum, quæ commiſit, vel omiſit contra iuſtitiam; qui autem alteri iniuſta eſt cauſa damni, ad reſtitutionem tenetur. De cauſa dubia, & de cauſa quam ignorabat eſſe omnino iniuſtam, magis autem putabat iniuſtam, dicemus *num.*13. *&* 16. 8.

Concluſio ſecunda. Armilla. D.Thom. Syluester. Nauarrus. Leſsius. Filliucius. Sayr. Saâ.

Animaduertunt tamen Leſſius, Filliucius, & Syluester Aduocatum poſtquam admonuit clientem ſuum de iniuſtitia cauſæ, teneri eum deſerere, ſi ipſe velit illam perſequi, non tamẽ teneri ea quæ ſecreta ſunt prodere aduerſæ parti, niſi maximè neceſſarium foret ad graue aliquod damnum proximi ex charitate impediendum; tunc enim debet iudici 9.

rem aperire, vt occurrat; quiuis enim tenetur, quantum poteſt ſine ſuo damno, proximi malum impedire, neque tunc poteſt inducere partem aduerſam, aut clientem ſuum monere ad aliquam tranſactionem, aut amicabilem compoſitionem; ſed hæc tranſactio, & amicabilis compoſitio ſolùm habere locum debet in cauſa dubia, non verò in cauſa manifeſtè iniuſta, vt optimè animaduertunt Leſſius & Filliucius, cum Syluestro *verb. Aduocatus, d. num. 5.* dum ait, ſi in principio credidit cauſam iuſtam, & in proceſſu inuenit iniuſtam, teneri ſuum clientem admonere de ea iniuſtitia, vt deſiſtat, & ſi nolit, teneri eum deſerere, vel inducere ad ceſſionem cauſæ, aut compoſitionem, ſed ſine damno aduerſarij, quod idem docet D. Thomas *dicta 2.2. quæſtione 71.* Vnde fortè etiam loquitur Nauarrus de ea tranſactione, & compoſitione, quæ non cedat in damnum partis aduerſæ, qualis fortè eſſet, ſi pars libenter remitteret expenſas, maximè, quando non ita magni momenti eſſent; quam ob rem grauiter peccant Aduocati, & Conſiliarij qui dum in proceſſu litis animaduertunt clientes ſuos non habere iuſtam cauſam, inducunt partem aduerſam, & clientes ſuos ad compoſitionem illis grauem, & nimis damnoſam.

D Thom.

10. *Concluſio tertia.*

Statuo tertiò. Aduocatum rei qui eum defendit fraudibus contra fiſcum, & eiſdem fraudibus efficit, ne fiſcus ſui clientis bona rapiat, cùm tamen de iure rapere deberet, niſi Aduocatus reum, ſuum clientem fraudibus defenderet, non teneri reſtituere fiſco illud emolumentum; quod ei ex tali confiſcatione aduenisset, ſicut nec etiam cliens aut reus ſic defenſus ad id tenetur; ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 8. num. 50.* Filliucius *tomo 2. tract. 40. cap. 10. num. 285.* Sanchez *lib. 10. de matrim. diſput. 8. num. 14.* & deducitur ex Nauarro *in ſumma Latina, cap. 18. num. 49.* & patet hoc expreſsè ex iis, quæ diximus *cap. 16. num. 3.* vbi quæſtionem ſimilem agitauimus, & multos pro hac parte citauimus, quos ibi videre poteris; & ratio eſt, quia pœna non debetur niſi ſecuta ſententia, ac proinde nec compenſatio illius, & quamuis Aduocatus, fraudibus iſtis iniuriam inferat Reipublicæ, quatenus peruertit iudicium publicum; hæc tamen iniuria non obligat ad reſtitutionem, quia non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, & particularem, ſed eſt tantùm contra iuſtitiam legalem; qualis etiam eſt iniuria rei ſubornantis falſum teſtem, vt pœnam euadat.

Leſſius. Filliucius. Sanchez. Nauarrus.

11. *Concluſio quarta.*

Statuò quartò. Aduocatus fiſci, qui negligenter agit cauſam illius, & ob eam negligentiam in cauſa eſt, vt fiſcus non poſſit, detecta veritate, reum iuxta leges condemnare ad amiſſionem bonorum ſuorum, non tenetur fiſco ad vllam recompenſationem, tenetur tamen, ſi notabiliter negligens ſit reſtituere fiſco partem ſui ſalarij pro rata, & inſuper tenetur ad reſtitutionem expenſarum, quas fiſcus fecit; ita docet Filliucius *tom. 2. tractat. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 283.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 8. num. 51.* contra Michaëlem Salonium *2.2. quæſtione 69. artic. 4.* contrarium aſſerentis, noſtrum fundamentum eſt, quia officium Aduocati non de Procuratore, vt fiſcus mulctis, ac confiſcationibus diues fiat, ſed vt legum violatores puniantur; vnde non tenetur ipſe ex iuſtitia cauſam proſequi, vt fiſcus bona rei acquirat, ſed vt iuſtitia legalis ſeruetur, ex quo fit, vt non teneatur ad reſtitutionem pecuniæ, & bonorum, in quibus damnandus erat reus, etiamſi cauſæ proſecutionem omittat, quia fiſcus ius propinquum non habet ad bona illa, niſi ſecuta damnatione, vel criminis declaratione per iudicis ſententiam; vt docet Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 10.* & Sanchez *lib. 10. de matrimonio, diſputat. 8. num. 14.* & Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 18. num. 49.* & omnes quos citauimus *cap. 16. num. 3.* ſunt enim multi, & graues, tenetur tamen ad reſtitutionem ſalarij, quod à fiſco accepit pro rata litis, quam non defendit, & ad expenſas litis, quas ipſe fiſcus fecit. Ratio eſt, quia ex vi contractus conducti, & locati tenebatur ad præſtandam bonam diligentiam ne cauſam amitteret.

Filliucius. Leſſius. Leſſius. Sanchez. Nauarrus.

12. *Concluſio quinta.*

Statuo quintò. Si clienti quem Aduocatus defendit, intentetur actio criminalis, & illum ita defendit, vt accuſator non poſſit rem veram conuincere, & ideò ad pœnam talionis accuſator ipſe damnetur, non tenetur Aduocatus illi ad reſtitutionem vllius damni, nec efficitur irregularis; ita Couarruuias *in Clementina, ſi furioſus, 2. part. §. 5. num. 5.* Salonius *2.2. quæſtione 71. artic. 3. controuerſia 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 8. num. 52.* contra Nauarrum *in ſumma Latina, cap. 27. num. 209.* Ratio, ac fundamentum eſt, quia hoc damnum per accidens, & præter intentionem ſuam accuſatori obuenit, cuius ipſe partes non tenebatur defendere, aut iuuare, ſicut alibi diximus de reo, ex cuius negatione veri delicti, quod commiſit, & quod in iudicio probari non poteſt, ſequitur accuſatori talionis pœna.

Couarr. Salonius. Leſſius.

13. *Concluſio ſexta.*

Statuo ſextò, cauſam ſui clientis dubiam ob varietatem opinionum authorum, aut ob diuerſos intellectus legis, qua decidenda eſt, poteſt Aduocatus tuta conſcientia proſequi, ac tueri, ſi cliens admonitus, voluerit, aliter non poteſt; Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 25. num. 28.* Syluester *verb. Aduocatus, num. 5.* Et verò ſi vtraque pars ſit æquè probabilis, conuenit inter Doctores, poſſe Aduocatum cauſam ſui clientis tueri, ita Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 9. num. 52.* Filliucius *tomo 2. tractat. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 285.* habet enim vterque ius experiendi in iudicio iuſtitiam.

Nauarrus. Syluester. Leſsius. Filliucius.

14. *Concluſio ſeptima.*

Statuo ſeptimò, ſi cauſa rei ſit minus probabilis, quàm actoris, poteſt rei iſtius Aduocatus eam defendere tuta conſcientia, ita Sotus *lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 8. art. 3.* Leſſius *modò allegatus, verſ. Dico ſecundò.* Filliuc. *tomo 2. tract. 40. in octauum præceptum, cap. 10. num. 285.* Conſtat, quia reus poteſt ſe tunc licitè defendere; ergo & Aduocatus illius cauſam iuſtè poterit ſuſcipere.

Sotus. Leſsius. Filliucius. Sotus.

15. E contrario verò ſi cauſa auctoris ſit minus probabilis, abſolutè tamen probabilis, etſi Sotus *modò allegatus* cenſeat, non poſſe ſuſcipi defendendam ab Aduocato, regulariter tamen ſuſcipi poteſt, quia ſatis eſt Aduocato, quòd cauſa probabilis ſit, & quòd ex iure deducat leges, & argumenta, quæ iudici offerat, nam nec ſemper, quod probabilius eſt, verius eſt, multa enim quæ videntur falſa, probabiliora ſunt iis, quæ pro veris habentur, vt docet Ariſtoteles; fortè enim iudex cauſam adiudicabit parti minus probabili, ſed magis veræ; dictum tamen eſt regulariter, quia ſi graue damnum ex eo impenderet reo, & parum vtilitatis actori, ex victoria cauſæ adueniret, tunc eſſet contra charitatem defendere auctorem, ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 9. n. 53.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. cap. 10. num. 285.*

Leſsius. Filliucius.

16. Si Aduocatus neſciat cauſam eſſe omninò iniuſtam, penè tamen credat iniuſtam, quàm iuſtam, peccat mortiferè eam ſuſcipiendo, & tenetur parti

parti aduerſæ ad reſtitutionem omnium damnorum, & expenſarum, & ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & tenetur etiam clientem ſuum admonere, vt deſiſtat, aut maiorem diligentiam per alios viros doctos faciat, quod ſi noluerit, tenetur eum deſerere; ita docent omnes vtriuſque iuris Doctores, inter quos numerantur multi, quos modò recenſere non opus eſt; inſtar omnium ſit ſapientiſſimus Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 28.* Antonius Butrius *in cap. breui, de iureiurando.* Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 5.* Ratio eſt, quia cùm penè credat iniuſtam, non credit eſſe probabilem; quare tenetur eam deſerere eùm ſolùm cauſam minus probabilem, probabilem tamen rei ſui clientis poſſit defendere.

Nauarr. Butrius. Sylueſter.

17. *Concluſio octaua.* Nauarrus.

Statuo octauò. Aduocatus, qui aduerſario ſecreta ſui clientis magni momenti oſtendit, peccat mortiferè, & ad reſtitutionem tenetur, ſi ob id ei damnum aliquod obueniat; ita docet Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 29.* patet ex *l. 1. §. ſi is qui, ff. ad legem Corneliam de falſis.* Peccat etiam mortiferè, qui parti aduerſæ publicè, vel ſecretò facit, quod eſt præuaricatorem agere, & ad reſtitutionem damni tenetur; ita idem Nauarrus *num. 30.*

18. *Concluſio nona.*

Statuo nonò. Aduocatus, qui per ſuperfluas dilationes, ſubornationem teſtium, oblationem falſorum inſtrumentorum, & per falſos teſtes, aut alios iniquos, & doloſos modos, falſa iura allegando, quæ ſcit omnino eſſe falſa, facit vt aduerſarius ſui clientis iuſtam cauſam perdat, peccat mortiferè contra iuſtitiam, & tenetur ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis; ita Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 29.* Hoſtienſis *in cap. calumniam, de pœnis*, ſumma Confeſſorum *lib. 2. tit. 5.* Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 4.* Armilla *verb. Aduocatus, num. 19.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum, cap. 10. num. 295.* Toletus *lib. 5. cap. 62.* & alij paſſim, patet ex *cap. ſi quis autem 3. quæſt. 7. & ex l. properandum, C. de iudic. §. illo proculdubio.* Ratio eſt, quia per hæc iniuriam facit parti aduerſæ; qui autem alicui iniuſtè, & per iniuriam cauſa damni eſt, tenetur illud reſtituere; vt patet ex *cap. ſi tua culpa. de iniurijs, & damno dato*; habet enim quiſque ius, vt nemo ſibi per iniuriam, & dolum noceat.

Nauarrus. Hoſtienſ. Sylueſter. Armilla. Filliucius. Toletus.

19. Poteſt tamen ſi habeat iuſtam cauſam, licitè decipere aduerſarium, occultando prudenter ea, quæ ius aduerſæ partis impedire poſſunt, dummodo à mendaciis abſtineat, & aliis falſitatibus non vtatur; ita D.Thomas 2. 2. *quæſt. 71. art. 3. ad 3.* Caietanus *ibid.* Nauarrus *cap. 25. num. 29.* Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 4.* gloſſa *in cap. ne quis 2. 2. quæſt. 2. & in cap. Dominus noſter 23. quæſt. 2.* Fumus *verb. Aduocatus, num. 19.* ita enim D.Thomas *ibid. Licet Aduocato defendenti cauſam iuſtam prudenter occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus partis aduerſæ, non autem licet ei aliqua falſitate vti.*

D.Thom. Caietan. Nauarrus. Sylueſter. Gloſſ. Fumus.

SVMMARIVM.

An Aduocatus reo in graui, & in extrema neceſſitate conſtituto, teneatur gratis patrocinium præſtare, modò præter illam operam, quæ ipſi Aduocato neceſſaria eſt ad ſuum ſtatum conſeruandum, aliquid temporis ſuperſit. n. 20.

Iudex tenetur dare Aduocatum omnibus miſerabilibus, quando nullus eis patrocinari vult propter partis potentiam. n. 21.

Vbi certum ſtipendium iuſtum lege, aut conſuetudine Aduocatis pro aduocatione cauſæ taxatum eſt, non poſſunt illi aliquid vltrà accipere. n. 22.

Vbi nihil eſt taxatum, recipere poſſunt pretium naturale, dummodo rigoroſum non ſit. n. 23.

Poteſt tamen conuenire cum cliente ſuo de certa quantitate pro qualitate litis, iuxta conſuetudinem patriæ, ſiue vincat, ſiue non vincat. n. 24.

Aduocato non licet facere pactum cum cliente de parte litis ſibi danda, ſi victoriam cauſæ obtinuerit. ibid. & 25.

Poſſunt Aduocati conuenire cum ſuis clientibus de certo aliquo palmario in præmium victoriæ præter iuſtum ſtipendium ſibi dandum palmarium, aluicaras *vocant Luſitani.* n. 26.

Quid ſi promiſſo aliquo ſtipendio pro aduocatione cauſæ, partes inter ſe conueniant contractu aliquo tranſactionis, aut amicabilis compoſitionis, vnde deducendum, & an integrum ei ſoluendum. n. 27.

Quid ſi cliens cauſam deſerat pro ſua mera voluntate promiſſo aliquo ſtipendio pro aduocatione cauſæ. n. 28.

An Aduocato in cauſa propria, in qua ſemper expenſas poſtulauit ſoluendum, ſit pretium aduocationis referetur prima opinio negans. n. 29.

Præfertur ſecunda affirmans. n. 30. & 31.

In regno Luſitaniæ nullus Aduocatus poteſt in cauſa propria aduocare. n. 32.

Extra hoc regnum certum eſt deberi Aduocato, qui in cauſa propria aduocat, totum alterius aduocationis lucrum. n. 33.

Quæ conditiones in Aduocato requirantur. n. 34.

An poſſit poſſit pro vtraque in vna, & eadem cauſa aduocare, & in eadem, vel diuerſa inſtantia. n. 35. 36. 37.

An poſſit aduocare contra eum à quo beneficium aliquod accepit. n. 38.

Quomodo ſe debeat habere Aduocatus cum ſuo cliente, qui vult teſtamentum conditum in fauorem alterius annullare. n. 39.

20. *Concluſio decima.*

STatuo decimò; in graui, & extrema neceſſitate rei pauperis quando iniuſtè ad triremes, ad mortem, ad flagella, ad durum carcerem putaretur damnandus, vel grauem contracturus morbum crederetur reus, amiſſa lite, ſi non poſſit ei aliter ſubueniri, tenetur Aduocatus, ſub peccato mortifero, ei ſuum patrocinium gratis exhibere, modò præter illam operam, quæ ipſi Aduocato neceſſaria eſt, ad ſuum ſtatum conſeruandum aliquid temporis, vel induſtriæ ei ſuperſit in grauibus neceſſitatibus. nam in extrema neceſſitate mortis, aut mutilationis rei, tenetur ei opem præſtare, etiam de tempore & induſtria neceſſaria ad ſuſtentandum ſuum ſtatum; ita D.Thomas 2. 2. *quæſt. 71. art. 1.* Caietanus *ibid.* Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 16.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 7. num. 46. verſ. dico ſecundò.* Sotus *lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 8. art. 1.* Armilla *verb. Aduocatus, num. 10.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. cap. 10. num. 287. & 288.* Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 29.* & alij plerique, & ratio eſt, quia ille, qui ſuperfluum habet, tenetur in graui neceſſitate proximi illi opem ferre de ſuperfluo; in extrema verò, aut grauiſſima, de neceſſariis ad ſuum ſtatum; hæc enim regulanda ſunt per opera eleemoſynæ, ad quæ quis tantùm tenetur ex charitate; nemo enim maiorem eleemoſynam tenetur indigenti de ſua arte facere, qua vitam ſuſtentat, ac propagat, quàm diues de ſuis bonis.

D.Thom. Caietan. Sylueſter. Leſſius. Armilla. Sotus. Filliucius. Nauarr.

21. Vnde Aduocatum tenetur dare iudex iis omnibus miſerabilibus, qui propter paupertatem ſuam

vel propter potentiam, & excellentiam partis aduerſæ litigare non poſſunt, nec habent, aut inuenire poſſunt patronum, qui ſe defendant; vt patet ex *l. nec quicquam, ff de officio conſul.* § *finali.* & ſi Aduocatus iuſſus à iudice pro huiuſmodi partibus aduocare, hoc facere renuat, ſine iuſta cauſa, poteſt ab ipſo iudice ab officio aduocationis perpetuò amoueri, iuxta legem *prouidendum, C eodem tit.* intellige tamen, modò ei ſalarium competens ſtatuatur, quando partes non ſunt pauperes, & aduerſa pars nimis potens, & excellens, debetur enim de iuſtitia huiuſmodi ſalarium ipſis patronis, & Aduocatis.

22. *Concluſio vndecima.* Statuo vndecimò, vbi certum honorarium, ſeu ſtipendium, aut pretium pro munere aduocationis, taxatum eſt à Principe, à magiſtratu, vel à conſuetudine patriæ, aut à lege aliqua recepta, & contraria conſuetudine non abrogata, non poſſunt Aduocati aliquid vltra taxam accipere, & ſi illud accipiant, peccant contra iuſtitiam, & tenentur illud danti reſtituere; eſt communis Doctorum, eam docent Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 290. verſ. Reſpondeo.* Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 30.* & patet ex iis, quæ diximus ſuprà *cap. 4. num. 1.* quod enim *ibi* diximus de aliis miniſtris iuſtitiæ, & de Tabellionibus, de Aduocatis etiam intelligendum eſt, & id probat D. Thomas 2. 2. *quæſt. 71. art. 4. in corpore,* in hunc modum, quia quando quis non tenetur alteri aliquid præſtare & exhibere, iuſtè poteſt pro eorum præſtatione recompenſationem accipere. Sed Aduocatus non tenetur ſemper patrocinium præſtare, aut conſilium dare cauſis aliorum; ergo poteſt ſuum conſilium, & patrocinium vendere in iis caſibus, & cauſis, in quibus illud non tenetur dare. *Filliucius. Nauarr.*

23. Vbi tamen nihil eſt taxatum, recipere poſſunt iuſtum pretium naturale, dummodo rigoroſum, & ſupremum non excedant, nam ſi excedant, ad reſtitutionem tenentur exceſſus; ita Authores citati, & patet ex doctrina de pretio iuſto in rebus vendibilibus; in hoc autem iuſto pretio rigoroſo taxando attendendum eſt, ad grauitatem cauſæ, ad laborem patrocinij, ad dignitatem, & ſcientiam Aduocati, & ad conſuetudinem regionis, quæ omnes circumſtantiæ non arbitrandæ ſunt ex iudicio ipſius Aduocati, nemo enim in rebus propriis rectus iudex eſſe poteſt, ſed ex aliorum prudentum iudicio; vt optimè notat Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 30.* argumento *l. 1. §. in honorariis, ff. de var. & extraordin. cognit.* & Filliucius *citatus, num. 291.* Olim tamen Aduocatus in vna cauſa, non poterit accipere ſalarium, quod ſex aureos excederet; vt patet ex *l. 1. ff. de var. & extraord. cognit.* ſed ex tunc magna temporis, & pretij variatio facta eſt, & ideò pretium illud, quod tunc fuit iuſtum, poteſt eſſe modò iniuſtum; quare, vt dixi, iudicium prudentis requiritur.

24. *Cōcluſio duodecima.* Statuo duodecimò. Aduocato non licet facere pactum de quota litis ſibi danda, hoc eſt, de medietate, tertia, vel quarta parte, neque etiam de certa quantitate, vel re, ſibi cum hac conditione, vel pacto danda, *ſi vincat*, eſt enim eadem ratio de promiſſione certæ quantitatis, atque de pacto quotæ; vt docet Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 30. verſ. ſeptimò qui conuenit.* Fumus *verb. Aduocare, num. 14.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 291.* Syluester *verb. Aduocatus, num. 12.* patet ex *l. ſumptus, ff. de pactis, & l. litem, C. de procurat. l. ſi qui, C. de poſtulat. & §. arceantur 3. quæſt. 7.* & ratio, ob quam id legibus prohibeatur, eſt, ne per fas, & nefas ad victoriam cauſæ Aduocati incumbant, tanta enim veritas à iure in iudicio requiritur, vt omnem etiam occaſionem peruertendi illam velit amputare. *Nauarr. Fumus. Filliucius. Syluester.*

Poteſt tamen Aduocatus conuenire cum cliente ſuo; vt ſibi certa quantitas iuſta (ſpectata qualitate cauſæ, conſuetudine Regionis, dignitate Aduocati, vt dixi) pro ſuo labore ſoluatur, ſiue vincat, ſiue non vincat; quia in hac conuentione nulla occaſio peruertendæ veritatis datur; ita Nauarrus, Fumus, & Syluester *allegati.* 25.

26. *Palmarium quid, & an licitum.* Palmarium illud dicitur, quod datur pro victoria adepta, ac conſecuta, *Aluicaras* vocant Luſitani; poſſunt ergo Aduocati cum ſuis clientibus conuenire de certo aliquo palmario moderato in præmium victoriæ præter iuſtum ſtipendium, ſi vincant, ſibi dando; ita Nauarrus *in ſumma Latina cap. 25. num. 30.* Syluester *verb. Aduocatus, num. 12.* Imola *in l. 1. ff. de var. & ext.* Speculator, & Salicetus, quos citat, ac ſequitur Syluester. Ratio eſt, quia in hoc caſu, quamuis Aduocatus palmarium perdat, & cauſam, non perdit laborem ſuum, & ideo non datur illi vera occaſio peruertendæ veritatis in iudicio per allegationes falſas, & productionem falſorum teſtium, ac inſtrumentorum. *Nauarr. Syluester. Imola. Salicetus.*

27. *Concluſio decimatertia.* Statuo decimotertiò, ſi promiſſo certo ſtipendio iuſto, cliens poſtea contractum aliquem tranſactionis, & amicabilis compoſitionis cum aduerſario ſuo efficiat, & in tali contractu interueniat opera, & induſtria Aduocati (integrum ei conuentum ſtipendium debetur) ſoluendum quidem vel à cliente ſuo, cum quo pactus fuit, vel ab aduerſario prout partes paciſcentes inter ſe conuenerint; ſi verò non interuenit opera, & induſtria Aduocati, accipiet non integrum ſtipendium, ſed pro rata; ſi autem tranſactio, & amicabilis compoſitio fiat in fraudem Aduocati, quod raro accidet, totum ei ſtipendium debetur, ne malitia ſuo patrocinetur authori; ita Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 292.* Syluester *verb. Aduocatus, num. 15.* Sayrus, quem citat Filliucius, & ex parte Fumus *verb. aduocare, num. 16.* *Filliucius. Syluester. Sayr. Fumus.*

Quidam exiſtimant, ſi promiſſo certo ſtipendio cliens cœpta iam cauſa ex ſola ſua mera voluntate illam deſerat, teneri in conſcientia totum, ac integrum ſtipendium ſoluere ſuo Aduocato, quia per illud non ſtetit; ſicut qui locauit operas ſuas ad integrum annum, vel menſem, & deinde conducens illis vti nequeat, tenetur totum, & integrum pretium elocationis conuentum locatori ſoluere; ita Filliucius *allegatus, num. 293.* & Sayrus *cap. 24. num. 23.* & colligitur ex Syluestro *verb. Aduocatus, num. 13.* Et quidem de iure ita eſt dicendum; dubito tamen, an ita praxis obtineat; quare, vt optimè *ibi* notat Syluester, licèt de iure totum, & integrum ei ſalarium, & ſtipendium debeatur, de æquitate tamen prompta ſoluetur. 28.

29. *An Aduocato qui in cauſa propria aduocauit, debeatur à parte aduerſa ſalarium aduocationis. Opinio prima.* Dubium tamen eſt, an Aduocato, qui in cauſa propria contra aliquem aduerſarium ſuum aduocauit, & litem obtinuit, in qua ſemper expenſas aduocationis ſuæ poſtulauit, adiudicandæ ſint prædictæ expenſæ, ac ſi in cauſa aliena aduocaſſet.

Negant aliqui Doctores, ex eo fundamento, quòd regula illa deducta ex *l. properandum. §. ſi autem*

tem alterutra, C. de iudicijs, de qua agit Menochius *de arbitris, quæſt. 74. num. 6.* Quòd victus victori teneatur de expenſis, intelligatur, vt procedat tantùm de illis expenſis, quæ victor re vera fecit, non autem de illis, quas non fecit, aut quæ ei ex priuilegio, vel gratia fuerunt remiſſæ, vt patet ex *l. finali. C. de fruct. & litium expenſ.* in qua dicitur victum non teneri victori ad expenſas, quæ ex gratia, & priuilegio victo remittuntur; vnde infert Paulus Caſtrenſis *ad dictam legem, num. 2.* hanc opinionem tenens, neque etiam ipſum victum victori Aduocato teneri ad illas, quando ipſe in cauſa propria Aduocatus fuit; quia regula, quòd victus victori de expenſis teneatur, intelligitur ſolùm de illis expenſis, quas re vera victor fecit, non quas feciſſet. Vnde cùm ille aduocando pro ſe nullas re vera fecerit in ipſa aduocatione, ſequitur quòd ei non debeantur, & hanc opinionem tenet etiam Bartolus *in l. ſtipulatus, ad finem, ff. de fideiuſſoribus.*

Paul. Caſtr. — Bartol.

30. *Opinio ſecunda.* Secunda opinio affirmat, verius eſſe victum victori Aduocato teneri de iure ad expenſas, quas ipſe Aduocatus feciſſet, niſi aduocaret in cauſa propria, quando ipſe Aduocatus prædictum ſalarium, expenſáſve petiuit; ita docet expreſsè Valaſcus *tom. 1. concluſ. 26. num. 23. ad finem.* Ratio illius eſt,

Valaſcus.

Primò, quia non debet eſſe victus melioris conditionis in cauſa quam habet cum homine Aduocato, quàm cum aliqua alia perſona: atqui ſi illam haberet cum alia perſona, & cauſa caderet, teneretur de iure ad prædictas expenſas; igitur ad illas etiam de iure tenetur agens cum ipſo Aduocato.

Secundò, quia ſcientia Aduocati non debet eum deterioris conditionis facere; faceret autem ſine dubio ſi non poſſet à victo prædictas expenſas petere, & ille illas ei non teneretur ſoluere.

Tertiò, quia condemnatio expenſarum fit propter contumaciam malè litigantis; vt patet ex *d. l. properandum. C. de iudicijs. §. ſin autem alterutra*, & ex Doctoribus *ibi*; vnde non debet ei in hac parte indulgeri, ex eo quòd cum Aduocato litigauerit, cùm ibi etiam contumaciam oſtenderit.

31. Hæc opinio ſecunda videtur probabilior, & tenenda; nec obſtat textus, qui citatur à Bartolo *in d. l. finali. C. de fruct. & lit. expenſ.* iuxta ſecundam lecturam; quia loquitur de expenſis litis remiſſis per priuilegium legis, vel Principis, non verò de expenſis, quas non fecit victor litigans, eo quòd ipſe fuerit Aduocatus, & per ſe laborauerit in cauſa propria, vnde eſt diuerſa ratio vtrobique.

32. In hoc tamen regno Luſitaniæ hoc locum non habet, quia nullus in eo Aduocatus poteſt in cauſa propria aduocare; quod exactiſſimè ſeruatur in omnibus tribunalibus, propter vehementem affectionem, quam præſumitur quis habere ad cauſam propriam, & ad præcidendas occaſiones falſarum allegationum, & aliorum inconuenientium, quæ re vera in iudicio ſequentur ex tali aduocatione, vt conſideranti patebit, & ideò iubetur Aduocatus litigans, vt per alium Aduocatum, quem ipſe conſtituat, cauſam dicat; quapropter hodie etiam in regno Luſitaniæ ſalarium aduocationis, inter alias expenſas litis penditur actori vincenti, qui litem obtinuit, licèt ipſe Aduocatus ſit; vt optimè notauit Valaſcus *dicto tomo 1. conſultat. 25. num. 25.*

Valaſc.

33. Illud certum extra hoc Regnum vbicumque Aduocati per ſe ipſos poſſunt aduocare in cauſis propriis, & id eis non prohibetur, deberi Aduocato, qui in cauſa propria aduocauit, totum illud lucrum alterius aduocationis quod perdidit, & lucraturus eſſet, niſi in cauſa propria aduocaret, & teneri iudices illud ei adiudicare, ſi illud tanquam intereſſe poſtulauerit; & in hoc conueniunt vtriuſque opinionis Authores, Paulus à Caſtro *in l. ſtipulatus, ff. de fideiuſſoribus, num. 2.* Bartolus *ibi, in fine.* Valaſcus *tom. 1. conſult. 25. num. 23.* Abbas *in cap. finem litibus, num. 30. de dolo, & contumacia.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum, cap. 10. num. 297.* & alij.

P. à Caſtr. — Bartol. — Valaſc. — Abbas. — Filliucius.

34. In ſumma igitur, quod iam patet ex dictis, & notarunt Toletus *lib. 5. ſummæ, cap. 62.* & Saytus *cap. 24.* & Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 10. num. 295.* quatuor conditiones requiruntur in Aduocato, ſeu Procuratore.

Toletus. — Saytus. — *Quæ conditiones requiruntur in Aduocato, ſeu Procuratore.*

Prima eſt ſcientia ſufficiens ad tale munus, alioqui peccat mortiferè, & tenetur ad reſtitutionem, non ſolùm capitalis cauſæ, ſed totius intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, vt diximus *num. 7. huius capitis.*

Secunda, diligentia, quæ in tribus maximè cernitur, in petendo terminos iuſtos in cauſa, in reſpondendo pro ſuo termino; alioqui tenetur de damno parti læſæ, in eo quòd ſe multis litibus non occupet, ſed tantùm eas ſuſcipiat, quibus ipſe ſufficiat.

Tertia veritas, quam debet ſeruare tam in ſeipſo, quàm in clientibus, vt non ſit author mendacij, nec falſos teſtes inducat, nec petat dilationes ſuperfluas, vt diximus *num. 18.*

Quarta iuſtitiæ, vt non defendat cauſam iniuſtam, de qua re iam egimus *à num. 8.*

35. *Concluſio decimaquarta.* Statuo decimoquartò. Aduocatus vbi ſcit iuſtitiam, vel iniuſtitiam cauſæ, non poteſt pro vtraque parte Aduocati munus exercere in eadem cauſa, quia ſemper ex vna ſaltem parte iniuſtam cauſam ſcienter tueretur, quod non licet, vt latè probauimus *num. 8.* Ita communiter Doctores, Bartholomæus Fumus *verb. Aduocare, num. 20.* Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 7.* Graphis *lib. 3. deciſion. aur. cap. 8. num. 11.*

Fumus. — Sylueſter. — Graphis.

36. In cauſa verò dubia, aut pro vtraque parte probabili, ſicut licitè poteſt tueri ſingulas, ita & vtrique patrocinari in his tribus caſibus dumtaxat.

Primò, quando patrocinatus fuit vni parti, & deinde cognoſcens ſe malè egiſſe, & illam partem iuſtitia eſſe deſtitutam reuocat ſuum patrocinium, & conſilium, vt tenetur; tunc enim poteſt hanc partem relinquere, & alteram tueri, quod tamen cautè propter ſcandalum faciendum eſt; ita Sylueſter *verb. Aduocatus, num. 2.* Bartolus *in l. finali. C. de furtis.* Angelus *in l. Labeo. ff. de aqua pluuiali arcen.* Ioan. Andreas *in cap. finali, de teſtibus.*

Sylueſter. — Bartol. — Angelus. — Ioan. Andr.

Secundò in diuerſis articulis, vt ſi pro vna parte aduocet in cauſa principali, pro alia in cauſa appellationis, dummodo ſcandalum abſit; ita Sylueſter *allegatus*, & Armilla, & Specular. *in tit. de aduocatione.* gloſſa *in l. finali, ff. de poſtulat.* Ioannes Andreas, & Dominicus, & Præpoſit. *in cap. diſciplina, diſt. 46.*

37. Tertiò in diuerſa inſtantia, nam in eadem in dubiis hoc fieri non poteſt, tum quia rariſſimè hoc poteſt fieri ſine ſcandalo, detrimentoque famæ, tum quia videtur impoſſibile, quòd viſa, & conſiderata materia habeatur bona fides de vtraque cauſa; tum, quia neceſſariò tunc debet Aduocatus

catus allegare contraria, & allegans contraria non eſt audiendus; vt conſtat ex *l. 1. C. de furtis*, & ita Syluester Syluester *verb. Aduocatus, num. 7.* Armilla Armilla. *verb. Aduocare, num. 10.* Quare in dubiis in eadem inſtantia debet eligere partem rei defendendam, iuxta regulam, *cum ſunt, in 6.* vel pro matrimonio, non contra illud; pro teſtamento, pro dote, pro cauſa pia, debet aduocare; vt patet ex *cap. finali, de re iudicata*; & ex *cap. ex literis, de probationibus*; & ex *cap. inter dilectos, de fide inſtrument. ad finem.* aliter eſt præuaricator, & puniendus; vnde *in dicto cap. ex literis, de probationibus*, aſſerit Summus Pontifex, in vna eadémque cauſa, quando vnus, verbi cauſa, dicit ſe actu poſſidere prædium, aut villam per ſpatium quadraginta annorum, & citat alterum, & alter affirmat ſe poſſeſſorem fuiſſe illius per æquale, aut maius ſpatium, & actionem eidem indicit, poſſe pro vtraque parte eoſdem teſtes produci, quia eſt diuerſa inſtantia, vterque enim eſt actor, & reus in eadem cauſa, ſed in diuerſa inſtantia; ille tamen principaliter dicitur actor, qui primò ad iudicium prouocauerit. Vnde ſi iidem teſtes poſſunt teſtificari pro vtraque parte in eadem cauſa, & diuerſa inſtantia, idem etiam Aduocatus poterit aduocare.

38. Non poteſt Aduocatus aduocare contra eum, à quo beneficium aliquod gratuitum, donationémve liberalem accepit, ſine vitio ingratitudinis, niſi pro ſe, vel pro patre, aut matre, pro cauſa pia, vel pro alia perſona miſerabili, & ea de cauſa poteſt donatio libera, & gratuita reuocari; primum patet ex *cap finali, de poſtulat.* ſecundum ex *l. Papinian. ff. de inofficioſo teſtamento, & cap. finali, de donat.* Poteſt tamen Aduocatus aduocare contra Rempublicam, à qua ſalarium accipit, Bartol. quicquid dicat Bartolus *in l. 2. C de Aduocat. diuerſ. iud.* quia ſalarium non eſt beneficium gratuitum, ſed pretium pro labore debitum; ita contra Bartolum tenent Panormitanus, & Speculator *in tit. de* Panormit. Syluester. Speculator. Armilla. *Aduocatis*, Syluester *verb. Aduocatus, num. 9.* Armilla *verb. Aduocare, num. 21.*

39. Aduocati tenentur in conſcientia interrogare ſuos clientes, qui illorum patrocinium petunt, vt ipſis tanquam hæredibus ab inteſtato in foro externo adiudicentur bona defuncti, in minus ſolemni teſtamento, aut codicillo aliis relicta, an ſibi perſuadeant eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, quod ſi renuant, aut ipſimet Aduocati, illis negantibus, ſibi perſuadeant, non fuiſſe voluntatem teſtatoris ea bona illis relinquere, non poſſunt in conſcientia illis præſtare patrocinium, vtpote ad rem iniuſtam, tenenturque ſuos clientes admonere non poſſe petere ea bona in foro conſcientiæ, niſi, remoto omni dubio, arbitrentur eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, & in dubio teneri facere compoſitionem cum parte; ita docet Molina. Molina *tom. 1. de iuſtitia, tract. 2. diſp. 81. col. 1. ad finem*; & in eadem columna in medio aſſerit (& bene) teneri eum, qui tanquam hæres ab inteſtato vult infirmare, annulareque aliquod teſtamentum & hæreditatem in eo alteri relictam, ſibi vindicare, iurare in foro externo, & poſſe ad id à iudice obligari, an firmiter credat, & ſibi perſuadeat, voluntatem teſtatoris fuiſſe ea bona ſibi relinquere, quod ſi iurare renuat; adiudicanda eſt hæreditas illi, cui in minus ſolemni teſtamento relicta fuit; iuxta *l. vlt. C. de fideicommiſſis.*

Capvt XXXIX.

De teſtibus; quot teſtes in cauſis criminalibus, & ciuilibus requirantur.

SVMMARIVM.

Iudex non poteſt damnare aliquem ciuiliter, vel criminaliter, niſi per publicam notitiam teſtium. n. 1.

Quibus modis poſſit conſtare de delicto. ibid.

Duo teſtes omni exceptione maiores ſufficiunt iure gentium ad damnandum aliquem morte. n. 2.

Et idem in cauſa ciuili magni momenti. ibid.

In cauſa matrimoniali ſi agatur de diſſoluendo matrimonio ratione conſanguinitatis, parentes, & conſanguinei ſunt teſtes idonei. n. 3.

De iure naturali, quot teſtes ſufficiant. n. 4.

In cauſis leuioribus vnus teſtis ſufficit ad damnandum aliquem ad leuem pœnam. n. 5.

In communibus proclamationibus Religionem in cauſis leuibus vnus teſtis ſufficit, & aliquando in re graui, vt ſi dubitetur, an paruulus ſit baptizatus, an Eccleſia ſit conſecrata, aut an quis petierit confeſſionem. n. 6.

Quot teſtes requirantur ad damnandum Cardinales, Epiſcopos, Presbyteros. n. 7. & 8.

Quot teſtes requirantur de iure communi, & an debeant eſſe viri in teſtamentis clauſis, & in codicillis. n. 9.

Quid de iure Luſitano. n. 10.

An quis poſſit in hoc regno Luſitaniæ efficere teſtamentum nuncupatiuum ſine Tabellionis approbatione, ſua propria, vel aliena manu ſignato. n. 11.

An voce tantùm teſtamentum in hoc regno fieri poſſit. n. 12.

De iure Canonico validum eſt teſtamentum quod fit coram Parocho, & duobus teſtibus ad pia, & non pia. n. 13.

An iure ciuili & Canonico requirantur duo teſtes præter accuſatorem. n. 14.

Qui denuntiat in via fraternæ correctionis denuntiator poteſt eſſe, & teſtis. n. 15.

Quot teſtes requirantur ad valorem matrimonij. n. 16.

Quales eſſe debeant, an omni exceptione maiores. ibid.

Ivdex non poteſt damnare reos ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter, niſi per publicam notitiam ſibi conſtet de crimine, illiuſque authore, & de veritate rei ſuper quam lis intenditur; tripliciter autem poterit conſtare de crimine per publicam ſcientiam ſi de illo agatur, 1.

Primò ſi ipſe iudex cum tribus, vel quatuor teſtibus deprehendat criminoſum in flagranti delicto.

Secundò, ſi reus delictum in iudicio fateatur.

Tertiò, ſi teſtibus conuincatur: hic tertius modus ferè eſt ordinarius; de illo ergo agendum.

Inquiritur ergo primò, quot, & quales teſtes requirantur ad plenam probationem in iudicio, tam in cauſa mortis, & criminali, quàm in cauſa ciuili, & magni momenti, qua de re ſic ſtatuo; duo teſtes, omni exceptione maiores, id eſt, quibus nihil opponi poteſt, ob quod iure illorum dicta infirmentur, aut à præſtando teſtimonio repellantur, ſufficiunt, iure gentium, tam ad aliquem morte damnandum criminaliter, quàm ad pronunciandam 2. *Quot, & quales teſtes requirantur ad plenam probationem iure gentium.*

ciandam ſententiam contra aliquem in re magni momenti in cauſa ciuili. Probatur ex ſacra Scriptura, Deuter. 17 & 19. *In ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur*, & ex D. Paulo 1. ad Timoth. 5. num. 19. *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus, aut tribus teſtibus*, (vbi obiter notabis contra hæreticos huius temporis, iam Apoſtolorum tempore habuiſſe Timotheum ſuum, Eccleſiaſticum tribunal, diſtinctum à Tribunali ſæculari, in quo perſonæ Eccleſiaſticæ iudicabantur, quod egregiè notat Baſtida *in errores fratris Pauli Veneti, cap. 11. fol. mihi 19.*) conſonat ius ciuile, *l. vbi numerus, ff de teſtibus*, & Canonicum *in cap. licet vniuerſis, de teſtibus*, & ex *cap. licet cauſam, de probat. & cap. cùm eſſes, de teſtamentis*, docent communiter

D Thom. Caietan. Aragon. Salon. Leſſius. Sayr. Filliucius. Sanchez.

DD. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 70. *art.* 2. Caietanus, Aragonius, Banhes, & Salon. *ibid.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 24. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 15. Filliucius *tract.* 40. *in octauum præceptum Decalogi, cap.* 8. *num.* 243. Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, diſp.* 45. *num.* 30. vbi latè probat ad diſſoluendum matrimonium legitimè contractum duo teſtes omni exceptione maiores requiri; quia eſt cauſa grauiſſima, in qua de magno præiudicio animarum agitur; quod habetur expreſsè *in cap.* 1. *de conſanguinitate*, & docent communiter Doctores,

Sotus. Couarr.

Sotus *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt. vnic. art.* 5. *concluſ.* 3. Couarr. cum multis, quos refert *in* 4. *Decretal. cap.* 8. §. 1. *num.* 7. & 8.

3. Excipe tamen, niſi agatur de diſſolutione matrimonij ratione conſanguinitatis, tunc enim ſunt legitimi teſtes, parentes, & conſanguinei; quia conſanguinei cæteris meliùs parentelam agnoſcunt; *cap. ſuper eo* 2. *de teſtibus*, latè Maſcardus *de probat. concl.* 2035. *num.* 20. Sancius *allegatus, num.* 31. & alij.

Maſcard. Sanchez.

4. *Quot requirantur de iure naturali.*

Dixi *iure gentium*; quia de iure naturali non ita eſt; poterat enim Reſpublica Regi, vel Principi ſuo prudenti, ſapienti, ac iuſto dare poteſtatem ad damnandum aliquem morte ex propria ſcientia, cum vno teſte, vel ſine illo, & probabile eſt principem in quibuſdam caſibus illam habere, vt docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 11. & *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 25. Non eſt igitur de iure naturali, vt requirantur duo teſtes, ſed de iure gentium: requirit autem ius gentium duos, quia vnus facilè peruerti, aut corrumpi poteſt; duo autem difficiliùs, raro enim loquuntur conformiter. Aduerte autem iure gentium requiri duos teſtes, non quòd ius gentium præcipiat, vt duo ſufficiant; ſed quia non plures requirit, & permittit reum ex duobus teſtibus damnari; quod receptum eſt apud omnes gentes.

Leſſius.

Ius gentium, pro iure naturali.

Appellatur autem ius gentium à multis Canoniſtis ius naturale, quia eſt proximum iuri naturæ, id enim in quo omnes gentes conueniunt, ſignum eſt à natura deſcendere, & ideò multi Doctores ius naturæ cum iure gentium confundunt. Huic reſolutioni non obſtat,

5. Primò, quòd in cauſis leuioribus ſufficiat vnus teſtis ad damnandum aliquem ad leuem pœnam, quando ita expedit ad bonum commune, & rectum regimen Reipublicæ; & ideò, vt cauſas leuiſſimas exciperemus, diximus *num.* 2. in cauſis grauioribus de iure gentium ſufficere duos teſtes; ſic iudices damnant lignantes in nemore alieno, furantes fructus ex hortis, vuas ex vineis ex ſolo teſtimonio vnius publici cauillatoris, *Coimeiro* vocant Luſitani, quia res eſt leuiſſima, & ita confert ad bonum publicum, aliter non poſſent iſta eſſe tuta; ita Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 5. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 31. & addit Leſſius cuſtodis publici teſtimonium non ſufficere ad condemnationem ſine aliis indiciis, ſi reus neget, ſed tantùm ſufficere ad inquirendum, ad minandum, non ad condemnandum.

Sayr. Leſſius.

Adde etiam ad leuem aliquam punitionem, quæ ſit abſque infamia, poſſe interdum vnum teſtem, qui ſimul ſit accuſator, ſufficere, vt ſolet fieri in ſcholis inter ſcholaſticos; in communibus proclamationibus inter Religioſos; ad grauem autem pœnam, ex qua ſubſequi poteſt infamia, requiruntur ad minimum duo teſtes de iure gentium, præter eum, qui ſupplet vicem accuſatoris, & aliquando in re graui, in qua non agitur de præiudicio tertij, ſufficiet vnus teſtis fide dignus; vt ſi dubitetur de paruulo, an ſit baptizatus, & de aliquo, an ſit abſolutus ab excommunicatione, ſatis enim tunc erit vnus teſtis fide dignus, vel ex viſu, vel ex auditu, à viris fide dignis. Ita Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 15. Idem quando dubitatur, an conſecrata ſit Eccleſia, vnus enim teſtis tunc ſufficiet, iuxta eundem Sayrum, & Syluestrum *verb. teſtis, quæſt.* 5. quia aliàs periret fides humana, ſi in his caſibus non ſufficeret teſtimonium vnius boni viri. Idem dicendum quoque eſt, quando dubitatur, an quis petierit Confeſſorem ſecundùm Doctores citatos, conſentit Farinacius *in praxi, part.* 2. *quæſt.* 62. *num.* 37. Gabriel *tit. de teſtibus, lib.* 1. *concluſ.* 1. *num.* 17. Felinus *in cap. veniens, de teſtibus, gloſſ.* 1. *num.* 18. *in fine*, & alij. 6.

Sayrus. Syluester. Farinac. Gabriel. Felinus.

De iure poſitiuo Canonico, & ciuili plures teſtes requiruntur in cauſis grauioribus; ſic iure Canonico ad damnandum Presbyterum Cardinalem, 44. teſtes requiruntur; ad damnandum Epiſcopum Cardinalem, 72. ad Diaconum Cardinalem, 27. ad reliquos Clericos Ordinarios damnandos, ſiue Sacerdotes, ſiue non Sacerdotes, ſeptem; quod totum patet ex *cap. Præſul* 2. *quæſt.* 5. ibi, *Præſul non damnabitur, niſi cum* 72. *teſtibus, nec Præſul ſummus à quoquam iudicabitur, quoniam ſcriptum eſt, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Presbyter autem Cardinalis, niſi cum* 44. *Subdiaconus, Acolytus, Excorciſta, Lector, Oſtiarius, non niſi ſeptem condemnabitur, teſtes autem, & accuſatores ſint ſine aliqua infamia.* hæc ibi. Ratio eſt, quia Eccleſiaſtici, & præcipui Prælati apud multos ſunt in inuidia; quia cæteros corripiunt. 7.

De iure poſitiuo quid.

Notant autem communiter Doctores Leſſius *dicto lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 26. & Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent. quæſt.* 66. *num.* 5. hunc numerum teſtium iam hodie non eſſe in vſu, & quicquid olim de iure fuerit, minorem hodie numerum ex conſuetudine requiri; quod priùs notauit, ac docuit Decius *in cap. & ſi Clerici, initio, num.* 1. *de iudicijs.* 8.

Leſſius. Iul. Clar. Decius.

De iure communi ciuili, in teſtamentis clauſis, requiruntur ſeptem teſtes maſculi, liberi, aut pro liberis reputati, puberes, rogati, & qui ſimul conueniant, ac præſentes ſint, & audiant, videant, intelligántque teſtatoris voluntatem, vel ſcriptam, vel voce tenus prolatam. Si voce tenus, teſtamẽtum abſque vlla ſcriptura conditum fuerit, non eſt neceſſaria ſubſcriptio, aut ſigillum; ita Molina *tom.* 1. *de iuſtitia, diſp.* 126. *initio*, & habetur *in l. hac conſultiſſima*, §. *per nuncupationem, C. de teſtament.* & *Inſt. de teſtament.* §. *vltimò*, & *l. hæres palam, ff. eod. tit.* nec ſatis eſt, vt præſentes ſint, & audiant vocem teſtatoris, ſed opus eſt etiam, vt illam videant, in apertis quinque, in codicillis quinque, in cauſis grauioribus, excepta cauſa mortis, ſufficit vnus teſtis 9.

De iure ciuili in teſtamentis, quot teſtes requirantur.

teſtis eximiæ authoritatis, vt Rex, Imperator, Papa, Cardinalis, dictat enim ratio, vt illis non minor fides habeatur, quam dictis duorum teſtium; vt notat Sayrus *in Claui Regia, lib.12.cap.21. num.15.* & Filliucius *tom.2.tract.40. in octauum præceptum Decalogi, cap.8.num.236.in fine.*

Sayrus. Filliucius.

10. *De iure Luſitano quid.*

De iure verò Luſitano, ſi teſtamentum nuncupatiuum publicum fiat per Tabellionem, qui illud in ſuo exemplari, ſeu notarum libro inſcribat, ſatis ſunt quinque teſtes maſculi, qui liberi ſint, modò decimumquartum pubertatis annum excedant, ita vt cum tabellione ſint ſex teſtes, debéntque tam teſtes ipſi, quàm teſtator illud ſubſcribere, modò poſſit ſcribere, & ſciat; aliter enim quiſque teſtium ſubſcribere debet loco teſtatoris, & ſtatim infra eandem ſubſcriptionem debet addere, ſe de mandato teſtatoris loco illius ſubſcripſiſſe, quòd illi ſcribere neſciret, vel non poſſet; quæ omnia ſufficiunt, & neceſſaria ſunt, vt teſtamentum ſit validum: ita habetur in noſtris Ord. *in veterib. lib.4.tit.76.initio; in nouis, lib.4.tit.80.* & ita docet Molina *allegatus.*

Molina.

11. *An teſtamentum fieri poſſit ſine Tabellione.*

Poteſt etiam fieri in hoc regno Luſitaniæ, teſtamentum validum nuncupatiuum ſine Tabellione ſcriptum manu teſtatoris, aut alicuius alterius; modò ſubſcribatur à teſtatore, aut ab illo, cuius manu fuit ſcriptum, & adhibeantur quinque alij teſtes qualitatis *num. præcedenti* explicatæ, coram quibus ſimul legatur, & cùm lectum fuerit, à ſingulis ſubſcribatur; in hoc tamen euentu, neceſſe omnino eſt, vt poſt mortem teſtatoris, iudicis authoritate fiat publicatio talis teſtamenti ad petitionem, vel hæredum, vel quorumcumque aliorum, quorum intereſt, vt pronuntietur, an tale teſtamentum ſit legitimum, tunc enim citantur omnes, quibus intereſt, & eiuſdem iudicis authoritate, vocantur teſtes; qui prædicto teſtamento conficiendo interfuerunt, adhibitóque iureiurando, fit experientia, an illæ ſint illorum inſcriptiones, & hoc ſolum fit, quando Tabellio tali teſtamento non interuenit; nam ſi interueniat, ſiue teſtamentum ſit clauſum, ſiue apertum, neceſſaria non eſt publicatio iudicis, iuxta probabiliorem ſententiam, quam ſequitur Molina *tom.1. de iuſtitia, diſp.126.§.in eo autem, & §.quando ad validum,* & Couarruuias *in cap.cùm eſſes, de teſtament. num.2.* & Antonius Gomez *ad l.3. Tauri à num.25.* & quam ſequuntur noſtræ ordinationes Luſitaniæ *in noua recopilatione, lib.4. tit.80. in veter. lib.4. tit.76.*

Molina. Couarr. Ant.Gom.

12. *An fieri voce tantùm.*

Tandem fieri etiam poteſt, teſtamentum nuncupatiuum, validum in hoc regno, vel quæuis alia diſpoſitio de propriis bonis, ſine vllo Tabellione, aut ſcriptura, vel publica, vel priuata, voce tenus, dummodo fiat tempore mortis, & coram ſex teſtibus, ſiue maſculis, ſiue fœminis, coram quibus teſtator moribundus ſuam voce tenus explicet voluntatem: priuilegium enim hoc ſolùm conceditur, eo quòd fiat id tempore mortis, nam extra hoc tempus, irritum eſſet tale teſtamentum in hoc regno; ita habetur *in Ordinat. veterib. lib.4. tit.6. in nouis, tit.80. §.4.* & docet Molina *tom.1. de iuſtitia, diſp.126. verſ.tertiò fieri etiam poteſt*; in hoc tamen euentu, ſicut & in alio, de quo egimus *num. præcedenti*, in quo validum eſſe diximus teſtamentum nuncupatiuum, cui non interuenit Tabellio publicus, neceſſe eſt, vt poſt defuncti mortem teſtamentum illud iudicis authoritate publicetur.

Molina.

13. De iure autem Canonico, validum eſt teſtamentum, quod Parochiani conficiunt coram Presbytero, ſeu Parocho ſuo, & tribus, vel duobus aliis perſonis idoneis; vt patet ex *cap.cùm eſſes, de teſtamentis.* ibi; *Propoſuiſti talem in tuo Epiſcopatu conſuetudinem obtinere, quòd teſtamenta, quæ fiunt in vltima voluntate penitus reſcinduntur, niſi cum ſubſcriptione ſeptem, vel quinque teſtium fiant, ſecundùm quod leges humanæ decernunt; quia verò à diuina lege, & ſanctorum Patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ conſuetudine id eſſe noſcitur alienum, cùm ſcriptum ſit:* In ore duorum, vel trium ſtet omne verbum; *præſcriptam conſuetudinem improbamus; & teſtamenta quæ Parochiani coram Presbytero ſuo, & tribus, vel duobus alijs perſonis idoneis, in extrema fecerint voluntate, decernimus permanere, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne quis huiuſmodi audeat reſcindere teſtamenta,* & gloſſa *ibi* in caſus propoſitione, *& verb. improbamus,* ſolùm intelligit hoc de teſtamentis, in quibus bona relinquuntur Eccleſiis, vel ad pias cauſas. Verùm Valaſcus *tom.1. conſult.74.num.13.* optimè probat non ſolùm valere hoc teſtamentum ad pias cauſas præfato modo factum, ſed etiam ad non pia, quia ius Canonicum *in cap. relatum 1. de teſtamentis*, ad pias cauſas requirit in talibus teſtamentis duos tantùm teſtes, & in prædicto *cap. cùm eſſes*, ad non pia requirit duos, vel tres idoneos teſtes, & Parochum; quare non ſolùm hoc eſt intelligendum de teſtamento ad pia, ſed etiam ad non pia; credo tamen hoc habere locum tantùm in teſtamentis ſæcularium factis in terris ſubiectis Papæ, & dominio Eccleſiaſtico, hoc eſt, in illis terris, in quibus Papa Dominus eſt temporalis; & in teſtamentis Clericorum extra terras Summi Pontificis, quia hi non ſunt ſubiecti legibus Principum ſæcularium; & ideò ſiue ad pia, ſiue ad non pia, iuxta hanc formam capitis, *cùm eſſes, de teſtamentis,* teſtamenta ſua conficere poſſunt vbicumque degant, etiam extra dominium temporale Papæ; vt optimè probat Aluarus Valaſcus *dicto tom.1.conſult.74.num.13.* & Menchaca *lib.3.de ſucceſſione creata, part.1.§.22. num.38. in fine*, & pleniùs *num.84.* & huiuſmodi teſtes ſufficit quòd ſint fœminæ; vt docet prædictus Valaſcus *num.11.* & Couarr. *in d.cap.cùm eſſes, de teſtamentis, num.14.* quia licèt hoc caput requirat teſtes idoneos, non loquitur tamen de idoneitate iuris ciuilis, ſed iuris diuini, in qua principaliter innititur textus ille iuris Canonici, vt patet ex contextu illius capitis, licèt alij requirant teſtes maſculos, & non fœminas, iuxta idoneitatem iuris ciuilis, quos videre poteris in Valaſco *allegato.*

De iure Canonico validum eſt teſtamentum quod fit coram Parocho, & duobus teſtibus, ad pia, & non pia.

Valaſc. Idem. Menchac. Couarr.

14. *De iure ciuili in accuſationibus præter accuſatorem duo teſtes requiruntur.*

Requiruntur autem in iure ciuili, & Canonico, duo teſtes præter accuſatorem, vel id, quod vicem illius ſubeat; non enim poteſt procedere iudex ad ſententiam ſine accuſatore vero, vel ficto, qui tamen neque iure naturali, neque iure diuino, neque iure gentium, neceſſarius eſt, vt docet Leſſius *lib.2.c.30.dub.4.n.29. & c.24.dub.12.* Non iure naturali, aut gentium, quia accuſator non requiritur, vt aliquid probet, ſed ſolùm vt excitet iudicem ad iudicandum, ſecundùm publici iuris formam, & teſtium probationem, & ideò tota cognitio eſt ex teſtibus, & non ex accuſatore; iure autem naturæ, aut gentium, non requiritur, vt iudex aliunde excitetur ad iudicandum, ſed hoc ſtatutum fuit à iure poſitiuo ad coërcendam iudicum petulantiam, ſi ſponte ſua, vel relatione alicuius priuati hominis extraiudicialiter facta poſſent cauſas criminales inchoare, nulla infamia præcedente. Non iure etiam diuino accuſator requiritur,

quiritur, à teſte diſtinctus, quia *Deut.* 17. *&* 19. ſolùm requiruntur duo teſtes, vt quis damnetur ad mortem; Deuter. 17. *In ore duorum, vel trium teſtium peribunt, qui interficientur*, & Deuteron. 19. *Non ſtabit vnus teſtis contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fecerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Et *Matth.* 18. Ille qui corripit fratrem, & poſtea illum denuntiat Eccleſiæ, vocatur teſtis; vt patet ex verbis Chriſti Domini, *Corripe eum intra te, & ipſum ſolum*; & poſtea, *ſi te non audierit, adhibet tecum duos, vel vnum teſtem, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum*, id eſt, vt optimè explicat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 30. Si vnum adhibes, iam eſtis duo teſtes; ſi duo, iam eſtis tres.

15\. *Quid in denunciationibus, quando proceditur ad emendationẽ fratris.*

Ex quo infertur, illum, qui denuntiat via fraternæ correctionis, denuntiatorem poſſe eſſe ſimul, & teſtem, ſi deponat, eodem modo, quo teſtes deponere ſolent, vnde patet iure poſitiuo diuino non eſſe neceſſarios duos teſtes præter denuntiatorem, ſed vnum eſſe ſatis, ſi ipſe, vt teſtis poterat deponere. Nec obſtat illud Chriſti Domini ad adulteram, Ioannis 8. *Nemo te accuſat, nec ego te condemno.* ibi enim accuſare eſt denuntiare, ſeu teſtificari, ac ſi Chriſtus diceret: Nemo teſtificatur aduerſum te, nec ego te condemno; antea enim dixerat, *vbi ſunt qui te accuſabant*, id eſt, vbi ſunt teſtes, qui deponebant aduersùs te; quia igitur deficientibus teſtibus, deficit condemnatio. *Si nemo te accuſat, nec ego te condemno.*

Ad valorem matrimonij, quot teſtes requirantur.

Ad valorem autem matrimonij de iure Canonico, certum omnino eſt, requiri ſaltem duos teſtes, cum Parocho, nec ſufficere vnum teſtem, cum eodem Parocho; quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrimonio.* expreſsè irritat matrimonium non contractum coram Parocho, & duobus teſtibus, vt optimè animaduertit

Sanchez.

Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſput.* 41. *num.* 1. Vnde quantumcumque eximius teſtis ſit, vt Princeps, Rex, aut Epiſcopus, non ſufficit vnus cum Parocho; præſcribit enim Concilium formam eſſentialem ad valorem matrimonij, & actum authoritatiuum huiuſmodi valoris, & requirit ad minimum duos teſtes cum ipſo Parocho; nec opus eſt, vt huiuſmodi duo teſtes ſint omni exceptione maiores, quibus nihil in iure opponi poſſit ad infirmanda illorum dicta, ſed probabilius eſt, ſufficere quoſcumque teſtes habentes rationis vſum; licèt ſint infames, excommunicati, parentes, conſanguinei, fœminæ, ſerui, familiares, imò infideles, vt latè probat

Sanchez. Vera Crux. Speculum. Rodriq. Spino. Cucus. Henriq.

Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſput.* 41. *num.* 5. Veracrux *in appendice ad Speculum, toto dub.* 7. Spino *ſpeculo teſtament. gloſſa* 15. *num.* 60. Manuel Rodrigues *tom.* 1. *ſummæ, in ſecunda editione. cap.* 219. *num.* 18. Anton. Cucus *lib.* 5. *inſtitut.* Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap.* 3. *num.* 19. Segura *in director. indic.* 2. *parte, cap.* 15. *num.* 60. Petrus de Ledeſma *de matrimonio, quæſt.* 45. *art.* 5. *puncto* 3. *poſt quartum dubium*, §. *concluſio ſit.* Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum non petit teſtes omni exceptione maiores, ſed petit tantùm teſtes, & præſentiam Parochi, & cùm exigat teſtimonium Parochi, poteſt ſupplere defectum aliorum. Deinde, quia in cauſa fauorabili admittuntur teſtes aliàs inhabiles, vt ob fidei fauorem decernitur in capite *ob fidei fauorem, de hæreticis in* 6. & cauſa matrimonij eſt valde fauorabilis, vt habetur *in cap. finali, de ſententia, & re indicata*, & ideò ad teſtificandum in ea admittuntur fœminæ, *cap. ſuper eo* 2. *de teſtibus, & conſanguineis*, vt probat Sanchez *allegatus.*

CAPVT XL.

Quomodo teſtes plenè probent, & quæ conditiones requirantur ad hanc probationem.

SVMMARIVM.

Quot conditiones requirantur, vt duo teſtes plenè probent. n. 1.

Nulli vt teſti, nec Epiſcopo creditur in alterius praiudicium, niſi iurato. n. 2.

Quid ſi pars aduerſa iuramentum remittat. n. 3.

Et quid ſi agatur de diſſoluendo matrimonio. ibid.

An pars poſſit alteri parti, in querelis iuramentum calumniæ remittere. n. 4.

Non valet, regulariter loquendo, teſtimonium ſi quis depoſitionem ſuam ſcribat, & dicat ſe ſub iuramento id teſtificari. n. 5.

An in aliqua circunſtantia poſſit valere teſtimonium manu propria ſcriptum, & ſignatum, lectum coram iudice, ſi teſtis dicat, ſe ita iurare. n. 6.

Teſtis vt valeat, opus eſt, vt deponat de eodem facto. n. 7.

Teſtes, conteſtes, in quibus rebus debeant conuenire. n. 8.

Si vnum delictum habeat continuationem, & plures teſtes, vnus poſt alium illud videant, hi teſtes conteſtes ſunt. n. 9.

An ſufficiant teſtes ſingulares ad probandum aliquem eſſe hæreticum, vt ſi vnus deponat de vna propoſitione hæretica, alius de alia. n. 10. *&* 11.

Teſtes ſingulares efficiunt ſemiplenam probationem. n. 12.

Quid ſi duo deponant de eadem propoſitione, & hæreſi aſſerta, & diſſentiant in ſolo tempore. n. 13.

Teſtes, vt valeant, opus eſt, vt ſenſu aliquo externo rem percipiant. n. 14.

Teſtes de auditu quid probent. ibid.

Teſtes in teſtamentis vt probent teſtamentum, opus eſt, vt videant illud fieri. n. 15.

VT duo teſtes plenè probent, quatuor requiruntur conditiones. 1. *Quot conditiones requirãtur, vt duo teſtes plenè probent.*

Prima eſt vt deponant iurati.

Secunda, vt deponant de eodem facto.

Tertia eſt, quòd ſenſu externo factum perceperint, verbi cauſa, quòd viderint occidentem, audierint blaſphemantem.

Quarta, vt ſint omni exceptione maiores; adde

Quintam, vt teſtis vel eligatur à litigante, vel vocetur à iudice, & non ſe intromittat ad ferendum teſtimonium contra aliquem; de his omnibus conditionibus ſigillatim agemus.

Prima conditio, vt teſtes deponant iurati, patet ex *cap. nuper, de teſtibus.* ibi, *Nullius teſtimonium, quamuis Religioſus exiſtat, niſi iuratus depoſuerit in alterius præiudicium*, debet credi, & ex *cap. tuis quæſtionibus, de teſtibus*, vbi Panormitanus ſic, *Nec Epiſcopo quidem, vt teſti credi debet, niſi iuratus depoſuerit in alterius præiudicium.* Ratio eſt, quia abſque iuramento faciliùs homines mentiuntur, & veritas in iudicio certiſſimo modo indaganda eſt, 2. *Conditio prima.*

inuocatio enim diuini nominis frænum nobis eſt, ne vltra veritatem diuagemur; & hæc eadem ratio ab omnibus aſſertur authoribus, à Leſſio *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 32. à Sayro *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 1. vbi ex multis iuribus probat non valere dictum contra tertium, niſi iuramento formatum ſit, & præcipuè ex *l. iuriſiurandi. C. de teſtib.* & ita docet D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 3. *ad* 2. & Couarr. *lib.* 2. *var. reſol. cap.* 13. *num.* 3.

Leſſius. Sayr. D.Thom. Couarr.

3. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi pars aduerſa iuramentum remittat, vt expreſsè habetur *in cap. tuis quæſtionibus, de teſtibus.* ibi ad finem, *niſi fortè teſtimonium à parte remittatur aduerſa.* Et huius rei rationem aſſignat gloſſa. *ibi, verb. remittatur*, quia dicto aduerſarij poterat pars totum ius ſuum committere; ergo à fortiori verbis teſtium, patet ex *l. vltima. C. de fideicommiſſis.* Excipit tamen gloſſa *ibi*, iuramentum in cauſa matrimoniali, in qua agitur de matrionio diſſoluendo; quia ibi non ſolùm agitur de vtilitate partium, ſed etiam de valore matrimonij; atque adeò de præiudicio ſacramenti, vt patet ex *cap. ſuper eo, de eo qui cognouit conſang. vxoris ſuæ*, & ne partes colluſionem efficiant in præiudicium ſacramenti, ideò vnus non poteſt rem totam relinquere dicto, & veritati alterius; imò, vt notat egregiè Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 41. *num* 5. *verſ. tertiò probatur*, & Maſcardus *de probationibus, concluſ.* 1025. *num.* 13. olim etiam ad ſoluendum matrimonium exigebantur teſtes omni exceptione maiores, ſecus in cauſa matrimoniali, in qua agitur de probando matrimonio iam contracto; quia ibi creditur confitenti, quando alter veritatem totam relinquit dicto illius, tunc enim non agitur de præiudicio ſacramenti, ſed de fauore illius, & ius in tantum vult fauere cauſæ matrimonij, quando agitur de probatione illius, vt etiam teſtes infames, fœminas, conſanguineos, & excommunicatos admittat, vt docet Sanchez cum multis *lib.* 3. *diſp.* 41. *num.* 5 & patet ex iis, quæ diximus *cap præcedenti, num.* 11.

Sanchez. Maſcard,

4. An autem pars in cauſis criminalibus poſſit alteri parti iuramentum calumniæ remittere, refert gloſſa *in cap tuis quæſtionibus, de teſtibus, verb. remittatur*, tres opiniones,

An iuramentum calumniæ remitti poſſit à parte.

Prima negat omnino; primò, quia nec conſuetudo valet de ipſo non præſtando, vt patet ex *cap. cæterùm, de iuramento calumniæ*, & videtur expreſſum *in l.* 2. *C. de iurament. calumn.* §. *ſed quia veremur.* ſecundò, quia iuramentum calumniæ, introductum eſt, non in fauorem tantùm partium, ſed ob communem vtilitatem; vnde nec tacitè, nec expreſsè remitti poteſt. nam de ſuo poteſt quis remittere, quod voluerit, de alieno autem nihil poteſt remittere; vnde cùm huiuſmodi iuramentum ob bonum præcipuè commune fuerit introductum, illi profectò præiudicaretur, ſi talis remiſſio valeret.

Secunda affirmat, quia iuramentum calumniæ præcipuè introductum eſt in fauorem partis, & vt veritas eliciatur, & non occultetur, vt aſſeritur *in cap. quanquam,* 14. *quæſt.* 2. Vnde cùm in fauorem partis introductum ſit, neceſſe eſt, vt fateamur poſſe ab illa remitti.

Tertia, & media aſſerit huiuſmodi iuramentum expreſsè quidem remitti non poſſe, ne ſententia propter hanc expreſſam remiſſionem caſſetur poſtea, argumento legis, *filiusfamilias,* §. *veterani, ff. de procuratoribus*; tacitè verò remitti poſſe, iuxta legem, *iuſiurandum.* § *qui iuſiurandum, ff. de iureiurando.* Bartolus *in l.* 2. §. *ſin autem, ad finem, C. de iurament. calumniæ*; & gloſſa capitis, *tuis quæſtionibus, de teſtibus, verb. remittatur, in fine, in additione*; ſed hæc opinio, meo iudicio, non ſubſiſtit, quia, vt eſt commune effectum Iuriſperitorum, Taciti, & expreſſi eadem eſt vis, eadem poteſtas; vnde ſi expreſsè remitti non poteſt, nec etiam tacitè poteſt, & ſi tacitè poteſt, expreſsè etiam poteſt: nec etiam ſecunda placet, quia negari non poteſt primò, & principaliter fuiſſe iuramentum calumniæ introductum ob bonum publicum, & commune, vt ceſſarent lites, odia, & iurgia in multos, qui ex odio innocentes accuſare in iudicio poſſent, niſi iuramento calumniæ huic malo occurreretur. Secundariò verò in fauorem, & vtilitatem partis aduerſæ, contra quam actio criminalis intenditur: nulla autem priuata, & particularis perſona bono communi officere poteſt, nec cedere eo fauore, qui ob illud iure introductum eſt: reſtat ergo, vt amplectamur primam, quæ, meo iudicio, eſt probabilior, quam expreſsè ſequitur Oſtienſis *in cap. cæterùm, de iuramento calumniæ*, & Ioannes Andreas *ibi*.

Bartol. Oſtienſ. Ioan. Andr.

Ex hac prima conditione, ſequitur primò regulariter non valere teſtimonium, ſi teſtis depoſitionem ſuam in ſcriptis iudici tradat, quamuis ſubſcribat, & dicat, ſe ſub iuramento veritatem loqui, ſic docet Sayrus *lib.* 12. *cap.* 20. *in Claui Regia, num.* 2. Panormitanus, & Felinus *in cap tuis quæſtionibus, de teſtibus*, & Syluester *verb. teſtis, quæſt* 6. *verſ.* 5. & Couarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 13. *num* 6. & Baldus *in l. iuriſiurandi. C. de teſtibus*, quos omnes citat, ac ſequitur Sayrus *loco allegato*, vnde fallitur Bartolus *in l. Theopompus, num.* 12. vbi docet, valere teſtimonium traditum in ſcriptis, ſi teſtis illum expreſſim legat coram iudice, & poſtea dicat ſe ſub iuramento id aſſerere, & confirmare. Ratio huius rei eſt, quia cùm iudex teſtem per articulos interroget, ex modo teſtificandi, ex vocis pronunciatione, & implicatione, vel cohærentia in dictis, faciliùs deprehendere poteſt falſitatem, vel veritatem. nam cùm in ſcriptis teſtis præmeditato, ac compoſito ſermone reſpondeat, faciliùs poterit rem palliare, ac veritatem obtegere, in præiudicium notabile partis, ac propriæ conſcientiæ. 5.

Sayrus. Panormit. Felin Syluester. Couarr. Bald. Bartol.

Dixi *regulariter*, quia, vt notant Felinus, & Couarruuias *citati*, & placet Sayro item *citato*, poterit opinio Bartoli admitti in aliqua circunſtantia, & ob aliquam iuſtam cauſam, verbi cauſa, quando res adeò perplexa eſſet, vt multo tempore ad præmeditandam veritatem indigeret, vel ſi teſtis morbo eſſet impeditus, aut loqui non poſſit, poſſit tamen ſcribere; item ſi perſona eſſet grauiſſima, ac nobiliſſima, ad quam iudex, ſcriba, miniſtrique iuſtitiæ faciles aditus non haberent, tunc enim optimè poterit ſuum teſtimonium in ſcriptis Tabellioni tradere ſub iuramento firmatum; poteritque ei prius iuramentum à iudice dari, & præaſſumpto iuramento, poterit poſtea ſuum teſtimonium ſcribere, illúdque iudici tradere præſente Tabellione, vt ex eo cauſam valeat decidere, cuius depoſitio in his circunſtantiis valebit. 6.

Opinio Bartoli in aliqua circunſtantia admitti poteſt.

Secunda conditio eſt, vt deponant de eodem facto, & hæc cōditio præcipua eſt, & patet, quia alioqui teſtes non erunt conteſtes, ſed ſingulares teſtes, quorum alter alterius dictum non confirmat; ſed vterque ſuum tantùm. Enim verò, aliud eſt eſſe teſtem ſingularem, aliud conteſtem; teſtes ſingulares dicuntur, quoties duo, vel plures, imò & mille deponunt de diuerſis numero delictis. Verbi cauſa, ſi vnus dicat ſe vidiſſe Petrum ſuffu 7.

Conditio ſecunda.

ſuffurantem equum; alius dicat ſe vidiſſe illum furantem argenteum diſcum, alius mulum, alius ſacculum pertuſum pecunia, alius bouem, ouem alius, iumentum, aut vitulam eodem, aut diuerſo tempore; teſtes hi omnes ſunt ſingulares, & ſinguli probant ſuum dictum tantùm, & nullus dictum alterius, & ſic dabitur tantùm probatio per vnum teſtem; ita Leſſius *tom. 1. lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 33.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 15.* & ideò valdè probabile eſt apud omnes Doctores, ſingulares teſtes non ſufficere ad plenam probationem in cauſis grauioribus, vt ſi agatur de damnatione ad mortem, vel danda ſententia in præiudicium notabile alicuius; ita D.Thomas *2. 2. q. 7. art. 2.* Caietanus, Salon. & Aragonius *ibidem*, Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. c. 21. num. 15.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 8. num. 236.* & habetur *cap. licet vniuerſis, de teſtament. & cap. licet cauſam, de probationibus.* Dixi, *in cauſis grauioribus*, quia in cauſis leuioribus, vt in condemnatione ad pœnam pecuniariam, non magni præſertim momenti, vel ad corporalem leuem, ſufficit teſtimonium vnius fide digni; ſic enim expedit bono Reipublicæ regimini; ita Sayrus *allegatus*, & Filliucius *tract. 40. in octauum præceptum, cap. 8. num. 236.*

Teſtes ſingulares qui. Leſſius. Sayr. D.Thom. Caietan. Filliucius.

8. Teſtes, conteſtes, dicuntur illi, qui deponunt de eodem numero, delicto, iiſdémque circumſtantiis; vnde vt conteſtes ſint, debent conuenire in tempore, & loco, & delicti ſpecie: nam ex diuerſo tempore, & loco, colligitur diuerſum factum, non idem, niſi res ſit ſucceſſiua, & tempus continuatum requirat, vt ſi quis furatus fuerit equum Olyſippone, & vnus teſtis eum eodem die ex quo inſidentem viderit in proximo oppido Olyſipponis, alius in ſequenti oppido, alius in alio ſequenti, & ſic ſucceſſiuè in omnibus oppidis ſucceſſiuis, vſque ad Scalabitanum oppidum, in quo eidem equo, & eodem die inſidens viſus fuerit; tunc quidem, quia res eſt continuata ex diuerſo loco, & tempore, non diuerſum, ſed idem factum colligetur; ſi tamen vnus teſtis exprimat certum diem, & alter dicat ſe non meminiſſe diei, aſſignet tamen factum, & locum, valebit teſtimonium, & conteſtes erunt teſtes non ſingulares, ac proinde plenam efficient probationem; ſecus tamen ſi aſſignaret alium diem; tunc enim cenſeretur eſſe aliud factum, niſi talis eſſet naturæ, vt non poſſit bis fieri, ita Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 33.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 20.*

Teſtes, conteſtes qui. Leſſius.

9. Aduerte tamen, contingere aliquando, vt vnum delictum maiorem habeat continuationem, quàm aliud, & tunc ſi plures teſtes, vnus poſt alium viderint idem delictum, verè conteſtes erunt. verbi cauſa, commiſit quis adulterium, & viſus eſt adulter in actu adulterij à tribus, ſeu quatuor teſtibus per feneſtram, vel rimulas oſtij, vno poſt alium, verè iſti teſtes non ſunt ſingulares, ſed conteſtes, & delictum illud ſufficienter probant, ſicut diximus de eodem equo Olyſippone furato, *num. præcedenti*, ita docet Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 20.* Tabiena *verb. teſtis, in verſ. 4.* & Sayrus citat multos, quos apud illum vide.

10. Dubium tamen eſt, an ſufficiant teſtes ſingulares ad probandum aliquem eſſe hæreticum; qua de re partita eſt opinio.

Quot teſtes ſufficiant ad probandum aliquem eſſe hæreticum. Opinio prima.

Prima negat, quia non ſatis eſt ſi vnus teſtis deponat de vna propoſitione hæretica, v. c. de iſta, *Verbum non incarnatum eſt*, & alius deponat de alia, v. c. de iſta, *Chriſtus non eſt Deus.* Sicut enim nemo poteſt probari eſſe homicida, adulter, vſurarius, aut ſodomita, aut ſacrilegus, niſi vnum idemque factum externum per duos ſaltem teſtes probetur, ita nemo poteſt probari hæreticus niſi vna, eadémque hæreſis aſſerta; aut commiſſa per duos teſtes conteſtes de eadem hæreſi probetur, & hanc opinionem ex hoc fundamento tenent Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 16.* Peña *ad Directorium 3. part. commentario 12.* vbi dicunt hanc eſſe communem de iure, & in praxi, & de communi teſtatur etiam Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 33.* Filliucius *tom. 2. tract. 40. in octauum præceptum Decalogi, cap. 8. num. 237.* Aragonius *2. 2. quæſt. 70. art. 2.* Banhez *2. 2. quæſt. 70. art. 2. dub. 3.* Menochius *lib. 2. centuria 3. de arbitr. caſu 225. num. 23.* Ioannes Andr. *in cap. vt officium, §. 1. de hæretic.* Baldus *conſil. 390. lib. 4.* & Director. Inquiſit. *3. part. quæſt. 72.* Ratio eſt, vt dixi, quia nemo poteſt probari hæreticus in genere, niſi aliqua ſpecies hæreſis illius probetur in particulari, implicat enim aliquem probari furem, vſurariumve, quin probetur in actu ſingulari per duos teſtes conteſtes de ipſo facto, aliquod illius furtum, vſura, aut adulterium. ergo ſimiliter idem erit dicendum in hæreſi, & huius opinionis eſt etiam Simancas *de Catholicis inſtit. tit. 64. n. 61.* vbi probat non poſſe teſtes ſingulares hæreſim plenè probare, niſi ſaltem ad plurimos teſtes ſingulares accedant duo teſtes conformes, & *num. 68. & 69.* appellat periculoſam contrariam ſententiam.

Sayrus. Peña. Leſſius. Filliucius. Aragon. Banhes. Menoch. Ioan. Andr. Baldus. Director.

11. Secunda opinio affirmat per teſtes ſingulares conteſtes, & probantes hæreſim in genere ſatis probari poſſe hæreticum, ita vt ei imponi poſſit pœna relaxationis. Fundamentum illius eſt, quia ad probandam rem aliquam in generali, ſufficiunt teſtes ſingulares, quamuis vnuſquiſque illorum deponat de diuerſis actibus, quando tales actus concludunt genus, quod probare intendimus, quia in hoc caſu quamuis teſtes ſint ſingulares in vnoquoque horum actuum, ſunt tamen conteſtes in genere, *l. qui ſententiam.* ibi, *in vnum conſpirantes. C. de pœnis.* textus *in cap. dudum, de conuerſ. coniugat.* & gloſſa *ibid. verb. ſubſtantia*, quæ probatio admittitur à plurimis Doctoribus in alia quacumque materia, cùm agitur de probanda re aliqua in generali, veluti ſi quis probauerit in generali aliquem eſſe blaſphemum, adulterum, vſurarium, furem, ſodomitam, aut ſimoniacum, & ad probandam poſſeſſionem, vel iuriſdictionem, quæ acquiritur per diuerſos actus ſingulares, vt docet gloſſa *in cap. nihilominus 3. quæſt. 9.* & gloſſa *in l. ob carmen. ff. de teſtibus*, vt per Gomez *in l. 45. Tauri, n. 193.* & Aymon. *conſ. 73. n. 34.* & ita ob hanc rationem ſufficient teſtes ſingulares probantes in genere aliquem eſſe hæreticum, vt crimen hæreſis ſit probatum, & vt ei ordinaria pœna relaxationis imponatur. & ex hoc fundamento hanc opinionem in hæreſi ſecuti ſunt Iacobus Burrigarius *in l. Arriani. C. de hæreticis.* Baldus *in l. actor. C. de probat.* Ananias *cap. 2. de hæret.* Salicetus *in l. quicumque. C. de probat.* Ant. Gomez *lib. 3. var. cap. 12. num. 12.* Albertin. *in cap. 1. de hæret. lib. 6.* vbi aſſerit hanc opinionem in praxi eſſe receptam, & Aretinus *in l. teſtium. C. de teſtibus*, & alij.

Opinio ſecunda. Gomez. Aymon. Burrigarius. Baldus. Ananias. Salicetus. Ant. Gom. Albertin.

Ego vtramque opinionem iudico ſatis probabilem; prima tamen videtur iuris rigori magis conſentanea; iudicium tamen meum libenter ſubmitto praxi ſanctæ Inquiſitionis pro ſingulis tribunalibus, nam cùm vtraque opinio ſit probabilis, in

Iudicium Authoris.

in vno vna, in alio alia, maximè, vbi malicia hæreſis, & cautela hæreticorum in perdenda fide, maior fuerit, ſequi poteſt.

12. *Teſtes ſingulares efficiunt ſemiplenam probationem.* Negandum tamen non eſt, etiam in prima opinione dicta horum teſtium ſingularium efficere pluſquam ſemiplenam probationem. nam vterque per ſe ſumptus ſufficit ad ſemiplenam probationem, & alter alteri nouum addit iudicium, & ſuſpicionem, vt patet.

13. *Quid ſi duo deponant de eadem hæreſi, & diſſentiant in ſolo tempore.* Si autem duo de eodem facto, aut de eadem hæreſi aſſerta deponant, diſſentiant verò ſolo tempore, plenè probant, quia in ſubſtantia delicti conueniunt, quod idem dicendum eſt ſi diſſentiant, non ſolùm in tempore, ſed etiam in loco. nam cùm ſit idem numero ſignificatum, habetur pro eodem actu, imò diſſenſio temporis, & loci interdum facit maiorem fidem, vt patet in exemplo, de eo, qui furatus eſt equum Olyſippone, & eodem die cum illo viſus fuit à diuerſis teſtibus in Scalabitano oppido, & in omnibus oppidis ſucceſſiuis ab Olyſippone, vſque ad Scalabim, ita docet Leſſius *tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 33. in fine.* Leſſius.

14. *Conditio tertia.* Tertia conditio eſt, vt ſenſu aliquo externo percipiant. *l. ſolùm, de teſtibus*, vbi gloſſa, & communiter Doctores, & Leſſius *modò allegatus, num. 34.* Ratio eſt, quia non poſſunt eſſe certi de externo facto, niſi per aliquem ſenſum externum; teſtes tamen, qui de eo quod ab aliis audierunt, deponunt, ad plenam probationem non ſufficiunt, quia cognitio ex auditu dumtaxat ſpectat ad fidem humanam; condemnare autem aliquem res grauis eſt; quamobrem non eſt iudicandum ob fidem tantùm humanam, de qua ſolùm teſtes ex auditu deponunt de veritate commiſſionis delicti; in delictis verò, quæ conſiſtunt in voce, vt in blaſphemia, contumelia, & detractione, teſtes cùm id audiunt æquipollent teſtibus de viſu: tale enim delictum non poteſt alio ſenſu melius percipi, quàm auditu, nec requiritur ſemper, vt ſimul audiens viderit delinquentem loqui, ſatis enim tantùm eſt, vt audiat eius vocem, quando plenam notitiam illius habet, quando in iure non eſt expreſſum requiri etiam viſionem illius, qui loquitur, ita communiter Doctores, Sayrus *in claui regia lib. 12. cap. 21. n. 22.* Filliucius *tract. 40. in octauum præceptum Decalogi cap. 8. n. 239. verſ. in delictis.* Panormit. *in cap. 2. n. 5. de conſuetudine. & in cap. cùm cauſam n. 8. de teſtib.* gloſſa *in cap. teſtes. verb. Audierunt. 3. quæſt. 9.* & ponit Sayrus hoc exemplum ex Hoſtienſi. Quidam tabernarius ſubtraxit furtiuè amicæ ſuæ cyphum argenteum, quem nolebat ei reſtituere, poſuit illa, vt vafra erat, & aſtu plena, poſt parietem Notarium, & teſtes; ille verò inflammatus amore amicæ confeſſus eſt delictum, & re audita, rogauit illa poſtea Tabellionem, & teſtes de confeſſione illius, remque ſic hac arte obtinuit, aliter non obtentura, quæ praxis hodie eſt communis, & ad multas difficultates expediendas inſeruit, quia tamen vox ſæpe fingi poteſt, oportet, vt bene nota ſit, aliter nihil probabitur. Sayrus. Filliucius. Panormit. Gloſſ.

15. Dixi *quando in iure non eſt expreſſum*, requiri etiam viſionem, quia opus eſt, vt teſtes de teſtamentis deponentes non ſolùm audiant, ſed etiam videant teſtatorem, quia expreſſum eſt in iure, non valere teſtes, niſi & viderint, & audierint teſtatorem loquentem, patet ex *l. ſi non ſpeciali, C. de teſtam.* Vnde non ſufficit quòd teſtes teſtatorem audiant inter cortinam, aut medio interpoſito pariete, quamuis notiſſimam illius vocem habeant; vt docent Panormitanus *in cap. 2. n. 5. de conſuetudine*; & Bartol. *in dicta lege, ſi non ſpeciali, C. de teſtam.* vbi communiter Doctores, Sayrus *in Claui Regia. lib. 12. cap. 21. num. 22.* Et ratio eſt, quia teſtamenta multos habent inſidiatores, & vox teſtatoris propter infirmitatem ſolet facilè immutari. Panormit. Bartol. Sayrus.

Agitur de teſte hæretico, & infideli.

SVMMARIVM.

Qui teſtes ſint idonei, & omni exceptione maiores, & qui non ſint. num. 16.

Qui teſtes in cauſis criminalibus iure Canonico repellantur, ſerui videlicet, fœminæ, faſcinoroſi homines. num. 17.

Iure ciuili communi in omni cauſa admittuntur fœminæ etiam criminali. num. 18.

De iure communi in cauſis criminalibus, repellitur minor viginti annis. num. 19.

Non admittuntur inimici. num. 20.

Neque aſcendentes, neque deſcendentes admittuntur, neque collaterales vſque ad quartum gradum. num. 21.

An domeſtici admittantur, familiares, & ſerui mercenarij. num. 22.

Non admittuntur periuri, qui cum iuramento falſum in alia cauſa teſtificati ſunt. num. 23.

Neque ſocij criminis, niſi in hæreſi, ſodomia, & nummis falſis in crimine læſæ maieſtatis, in famoſo furto, in philtris, & ſortilegiis. num. 24.

An perſonæ viles, & pauperes admittantur. num. 25.

Neque teſtes corrupti, qui in iudicio probantur aliquid accepiſſe. num. 26.

Qui poſſint, vel non poſſint eſſe teſtes de iure Luſitano, à numero 27. vſque ad 36.

In omni iure tam communi, quàm Luſitano, admittuntur teſtes non idonei, quando delictum tale eſt, vt per alios probari non poſſit. num. 37.

Quid ſi vnus teſtis ſit valde dignus; alius minus idoneus. num. 38.

Licèt teſtis minus idoneus non probet, facit tamen indicium. num. 39.

Non valent teſtes ſe ingerentes ad teſtificandum. num. 40.

QVARTA conditio eſt, vt teſtes ſint idonei, ſeu omni exceptione maiores; illi autem in iure dicuntur idonei, quibus nihil in eodem iure opponi poteſt, nullaſque ad infirmanda illorum dicta patiuntur exceptiones; è contra verò non idonei teſtes, ſunt illi, quibus aliquid opponi poteſt; & qui vel ex natura rei, vel ex iuris diſpoſitione patiuntur exceptiones; ita Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 5. num. 35.* Quia verò omnes perſonæ perfectum vſum rationis habentes, teſtes idonei de iure naturali cenſentur; niſi aliquid habeant, ob quod ius humanum præſumat eos non eſſe idoneos, videndum eſt, qui nam iure poſitiuo à teſtificatione repellantur, & ſic meliùs intelligetur, qui ſint omni exceptione maiores. 16. *Conditio quarta. Qui teſtes dicantur idonei, & omni exceptione maiores.* Leſſius.

Primò igitur in cauſis criminalibus, iure Canonico repelluntur ſerui, ac fœminæ ob fragilitatem ſexus, & mutabilitatem ingenij, faſcinoroſique homines; ita habetur *cap. Forus, ſub finem, de verb. ſignif.* ibi, *Teſtes autem conſiderantur conditione, natura, & vita. Conditione, ſi liber, non ſeruus, nam ſæpe ſeruus metu dominantis teſtimonium ſupprimit veritatis. Natura, ſi vir, non fœmina; nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit. Vita,* 17. *Qui teſtes non ſint idonei.*

ſi

ſi innocens, & integer actu. nam ſi vita bona defuerit, fide carebit, non enim poteſt iuſtitia cum ſcelerato homine habere commercium. Hæc ibi, & idipſum habetur etiam *cap. mulierem 33. quæſt. 5.*

18. *Meretrices nō admittuntur in cauſis criminalibus.* Iure tamen ciuili communi, in omni cauſa admittuntur fœminæ. *l. ex eo, ff. de teſtibus*; præterquam in teſtamento *l. qui teſtamento, §. mulier, ff. de teſtamentis*, ita communiter tradunt Doctores, vt docet Leſſius *lib. 2. c. 30. dub. 5. n. 36.* & Gomez *c. 12. n. 13.* Meretrix tamen non poteſt eſſe teſtis in cauſa criminali; vt tradit Iulius Clarus *q. 24. n. 14.* & ita tenent communiter DD. vt teſtatur Iaſon *in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinitate*, & Conrad. *in pract. fol. 80. num. 18.* quæ autem dicatur meretrix, docet Iulius Clarus *lib. 1. ſentent. §. meretrix.* (Iul. Clar. Iaſon. Conrad.)

19. Secundò de iure communi in cauſis criminalibus, repellitur minor viginti annis, *l. in teſtimonium, ff. de teſtibus*, dictum tamen illius facit indicium ſufficiens ad capturam, non torturam, vt docent Leſſius, & Gomezius *allegati*, vnde non placet opinio Sylueſtri *verb. teſtis, q. 1.* aſſerentis, teſtimonium impuberis, indicium eſſe ſufficiens ad torturam. Si tamen ſit pubes, id eſt, quatuordecim annorum in maſculis, duodecim in fœminis, admittitur teſtimonium illorum in ciuilibus. (Leſſius. Gomez.)

20. Tertiò, repelluntur inimici illius, contra quem teſtimonium dicitur in criminalibus, & ciuilibus: exceptis iis criminibus & litibus, in quibus alij teſtes non idonei admittuntur, vt in probanda ſimonia, hæreſi, & ſimilibus; vt patet ex *cap. per tuas, de ſimonia*, debet tamen eſſe iniuria grauis, vt ſi præceſſit ſuper crimen capitale, vel ſuper magnam partem bonorum, hoc tamen arbitrio iudicis definiendum relinquitur.

21. Quartò aſcendentes, & deſcendentes accuſatoris, item collaterales, ſed iſti collatores vſque ad quartum gradum tantùm; ita docet Anton. Gomez *cap. 12. num. 15.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 5. n. 37.* Idem de affinibus. Conſanguinei tamen & affines rei, interdum admitti poſſunt, ad illud defendendum, eiuſque innocentiam probandam, vt docet Iulius Clarus *quæſt. 24. num. 12. in fine*, ſic enim habet vſus quando innocentia illius aliunde conſtare non poteſt. Leſſius *num. 38.* (Ant. Gom. Leſſius. Iul. Clar.)

22. Quintò, repelluntur domeſtici accuſatores, & familiares illius, inter familiares autem connumerantur famuli, licèt mercenarij ſint, docet gloſſa *in cap. literis, de teſtibus*, & Gama *deciſ. 287. n. 2.* & infames infamia iuris in cauſa criminali, & hoc eſt certiſſimum, & ſine controuerſia, vt docet Iulius Clarus *q. 24. n. 13.* & Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 5. n. 38.* infamis autem infamia facti, regulariter etiam repellitur, aliquando tamen in defectum aliorum, quando veritas aliter haberi non poteſt, admittitur, ſed cum tortura, ita Clarus *quæſt. 24. num. 23.* Leſſius *citatus, d. num. 38.*

23. Sextò, periuri tam in cauſa ciuili, quàm criminali, qui in aliqua cauſa falſum cum iuramento aſſeruerunt, qui enim ſemel peierauit, putatur facilè peieraturus, iuxta communem regulam, *Semel malus, ſemper præſumitur malus, in eodem genere mali*, ita docet Farinacius *in praxi, tom. 2. q. 50. num. 186.* patet ex *cap. ſi quis coniunctus, & cap. paruuli 22. quæſt. 5.* Caret enim periurus ea, quæ potiſſimum in teſte requiritur, nempe veritate. (Farinac.)

24. (Leſſius.) Septimò propelluntur rurſus ſocij criminis, *l. fin. C. de accuſat. & cap. veniens 1. de teſt.* docet Leſſ. *lib. 2. c. 30. dub. 5. n. 39.* quia hi facilè alium nominabunt, vel ex odio, vel quia ſi ſocium excuſent, ſe excuſabunt. Excipientur tamen in iure aliqua crimina, in quibus admittuntur ſocij criminum, ad teſtimonium, vt in hæreſi, in ſodomia, in crimine monetæ falſæ, læſæ maieſtatis, in famoſo furto, in philtris, & ſortilegiis, addit Anton. Gomez *cap. 12. n. 16.* idem dicendum in delictis, quæ non poſſunt ſine ſociis committi; itaque in his omnibus delictis, teſtimonium ſocij non ſolùm erit ſufficiens indicium ad torturam, ſed etiam ſemiplena probatio, & accedente alio ſocio, qui id deponat, iam erit plena, & poterit reus condemnari, vt docet Cynus *in l. vltima, C. de accuſat.* & Panormit. & Leſſius *citatus, d. lib. 2. cap. 3. dub. 5. num. 39.* debet tamen hæc depoſitio fieri tanquam à teſte, id eſt, ſub iuramento, & citata parte, cui etiam danda eſt copia depoſitionis, vt poſſit ſe defendere, niſi in cauſa hæreſis praxis aliud obtinuerit. (Panormit. Leſſius.)

25. Octauò, non admittitur etiam perſona vilis, & pauper, de qua ſuſpicio facilè haberi poteſt, quòd pecunia corrumpetur, ſecus ſi ſit honeſta, *l. 3. & 4. ff. de teſtibus*, Sylueſter *verb. teſtis, quæſt. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 30. dub. 5. num. 39. fine.* Farinacius *conſilior. tom. 2. deciſ. 138. num. 4.* Vilis autem perſona dicitur ſatelles, mulier inhoneſta, ita idem Farinacius *tom. 2. conſilior. deciſ. 79. num. 2.* Felinus *in cap. quoties, de teſtibus, num. 5.* & alij, quos citat, ac ſequitur idem Farinacius *ibidem.* Pauper autem ille dicitur, qui manibus victum quotidianum cogitur quærere, ita gloſſa *in l. pauperitas, ff. de excuſat. tutor.* Farinacius *deciſ. 409. num. 1.* (Sylueſter. Leſſius. Farinac. Felin.)

26. Nonò denique teſtes corrupti, qui in iudicio probantur aliquid accepiſſe pro teſtimonio ferendo, ſiue vero, ſiue falſo; vt habetur *in cap. 1. ſi teſtes, de teſtib.* & docet Molina *tom. 1. de iuſt. diſp. 83. §. de teſte, in fine.* Expelluntur etiam hæretici, vt dicam *num. 30.* (Molina.)

27. *De iure Luſitano, qui nō poſſint eſſe teſtes.* Hi omnes repelluntur à teſtificando de iure communi. Veniamus ad noſtrum ius Luſitanum. De iure igitur Luſitano *lib. 3. tit. 56.*

Repelluntur primò, pater, materque, auus, & auia, proauique omnes aſcendentes, & deſcendentes, parentes enim, & reliqui aſcendentes non poſſunt eſſe teſtes in cauſis filiorum; neque filij, & deſcendentes in cauſis parentum, ſiue pro illis, ſiue contra illos, niſi tamen de ætate filiorum agatur, quo caſu poſſunt parentes teſtes eſſe reſpectu filiorum, quia nemo melius, quàm parentes filiorum ætatem ſcire poteſt, in hoc tamen caſu, non illis integra habetur fides; ita expreſsè decernitur *in nouis ord. lib. 3. tit. 56. num. 1.*

28. Repelluntur etiam fratres in cauſis fratrum, ſi fortè frater eſt ſub poteſtate, & regimine ſui fratris; idque tàm in cauſa criminali, quàm in cauſa ciuili, magni tamen momenti, vt ex dicta ordinatione patet.

29. Item ſeruus non poteſt eſſe teſtis in cauſa domini, exceptis iis caſibus, qui iure exprimuntur; vt hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis, & exceptis aliis criminibus, de quibus egimus *num. 20.*

30. Repellitur Maurus, Turca ac Iudæus in cauſis Chriſtianorum, quando lis agitur inter duos Chriſtianos: ſi tamen cauſa agatur inter Chriſtianum, & Maurum, Turcam, hæreticum, ac Iudæum, valebit teſtimonium Iudæi contra Chriſtianum, ſi Iudæus à Chriſtiano proferatur in teſtem, & teſtimonium Chriſtiani contra Iudæum, ſi Chriſtianus à Iudæo producatur, non è contra, ſi Iudæus proferat Iudæum contra Chriſtianum, meo tamen iudicio valebit teſtimonium Chriſtiani contra Iudæum, ſi Chriſtianus proferatur à Chriſtiano in teſtem contra Iudæum; quia Religio

Chriſtianorum eſt maxima; & fides maior, & conſcientia illorum delicatior. Idem de Mauro, & Turca, & eadem etiam eſt ratio de hæreticis; teſtis etiam hæreticus admittitur, de iure communi, ſicut & de iure Luſitano contra alium hæreticum; ita Farinacius *de hæreſi, quæſt.* 188. §.7. *num.*138. & patet ex *l.quoniam,§.in ſe autem. C.de hæreticis,* & *ibi* gloſſa *in figuratione caſus, in verſ.aut inter hæreticos,* docet Simancas *de Catholicis inſtit. tit.*74. *num.*42. Repertor.Inquiſitor. *verb.teſtes, verſic.circa prædicta dicendum.*Maſcard.*de probat.lib.*2.*concluſ.*857.*num.*4. licèt contrarium ſentiat Alberic. *d.l.quoniam,num.*1. *iuncto num.* 4. *C. de hæreticis*, & quòd ratione infamiæ hæreticus non ſit bonus teſtis contra hæreticum. Sed contrarium eſt verius, & communiter receptum. Hæreticus autem pœnitens, & ad fidem conuerſus iure communi ad teſtificandum admittitur, & probat ita Albericus *in dicta l. quoniam, num.* 3. *C. de hæreticis.* Farinacius *de hæreſi dicta quæſt.* 188. §. 7. *num.* 140. *& in tract. de teſtibus, quæſt.* 56. *à num.* 113. Et ſi tamen hæreticus non admittatur in cauſa fidei ad teſtificandum contra fidelem, id intelligendum eſt, vt integram faciat fidem, tamen ſi plures hæretici fuerint conteſtes ad iudicis arbitrium probabunt. Ita Simancas *de Cathol. inſtit. tit.*64. *num.*43. *&* 45. & & alij quos citat.

31. Repelluntur etiam amentes, aut memoria omnino deficientes, hi enim nullo in caſu admittuntur in teſtes, cùm brutorum inſtar ſe gerant.

32. Item minores quatuordecim annorum in nulla omnino cauſa, tam ciuili, quàm criminali teſtes eſſe poſſunt de iure Luſitano, vt patet ex *lib.* 3. *noua ordin. tit.*56. *num* 6. niſi cauſæ criminales ſint grauiſſimæ, tunc enim admittuntur dicta illorum, qui nondum decimumquartum ætatis annum explent; ſed ſine iuramento in defectum aliarum probationum, vt ex illorum dictis iudices de veritate informentur, ne delicta impunita maneant in Republica; ita habetur *lib.*3. *noſtra ord.noua, tit.*56. *num.*6.

33. Repelluntur rurſus inimici, de quibus iam egimus *num.*10. inimici, inquam, capitales, & quamuis actu non ſint ad inuicem inimicis, ſufficit quòd aliquando fuerint; ita *ibid. num.*7. declaranturque *ibid.* capitales eſſe inimici omnes illi, qui vel actu habent, vel aliquando habuerunt cauſam aliquam criminalem, vel ciuilem magni momenti, omnium videlicet bonorum, aut magnæ partis illorum; aut membrum aliquod amputarunt, ij enim omnes nullo modo poſſunt eſſe teſtes contra illos, cum quibus huiuſmodi cauſas habuerunt, nec contra illorum liberos, vxores, fratres, aut nepotes; idem de iis, qui magnum furtum contra aliquem commiſerunt, aut quauis alia magna iniuria illum affecerunt, ita habetur *in nouis ordin.d.lib.*3. *& dicto tit.*56.*num.*6.

34. Item omnes iuncti ob cauſam aliquam criminalem, niſi iam ante carceris detruſionem relati eſſent in teſtes: ſi tamen aliquis detruſus eſſet in carcere ob aliquam cauſam ciuilem, vel ob aliquod aliud crimen leue, quod ſi probatum fuerit, non mereatur pœnam corporalem, nec exilium extra patriam, & terminum illius vltra ſex menſes, poterit quidem eſſe teſtis, ſi perſona ſit honeſta, & bonæ æſtimationis, ac famæ. Vincti etiam teſtes eſſe poterunt in criminibus, quæ in carcere committuntur, cùm aliter de veritate conſtare non poſſit, ita noſtræ Ordinationes Luſitaniæ *lib.*3.*tit.*56.*n.*9.

35. Et generaliter etiam in omnibus caſibus, qui contingerent, quamuis aliquis pro ſuſpecto à parte recuſetur, & recuſatio ipſa ſit valida, ac legitima, & in iudicio procedat, poterit iudex eum nihilominus in teſtem admittere; ac ſi recuſatus non fuiſſet, & ſi poſtea recuſatio probata fuerit, iudex prædicto illius teſtimonio fidem maiorem, aut minorem habebit, prout ſibi iuſſum fuerit; ita ius Luſitanum citatum *lib.*3.*tit.*56.*noua Ord.num.*10.

Et in omni caſu, ac crimine, quo Maurus, aut ſeruus aliquis Chriſtianus niuei, albique coloris fuerit accuſatus; poterunt illius delicti complices eſſe contra illos integræ probationis teſtes legitimi, ac ſi participes delicti non eſſent, ita *ibid.* eodem iure Luſitano *num.*11. 36.

Notabis tamen primò, tam de iure Luſitano, quàm communi, & Canonico teſtes non idoneos admitti poſſe, tanquam verè legitimos, ac idoneos, quando delictum eſt commiſſum, eo loco, & tempore, quo alij teſtes haberi non poſſunt, vt in ſylua, domo, agro, monte, & nocturno tempore, ne delicta maneant impunita; vt patet ex *cap. finali, de teſtibus,* in quo ſocij criminis ad detegendam conſpirationem contra Epiſcopum admittuntur, quia in defectum probationis minus idonei teſtes admittuntur, qui aliàs non admitterentur; vt patet ex *l. penult. C. de hæret. & ex cap. ſi teſtes* 4. *quæſt.* 3. *§. item ſerui reſponſio, & cap. cum dilectus, de electione,* & docet Leſſius *lib.*2.*cap.*30.*dub.*5.*num.*41. Farinacius *de hæreſi, quæſt.*188. §.7. *num.*150. vbi admittit teſtes hæreticos ad probandum etiam in teſtamentis, & contractibus, ne iuſtitia pereat, quando alij inueniri non poſſunt, quod videtur probari ex *l.quoniam,§.*7.*C.de hæreticis.* 37.

Leſſius.

Notabis ſecundò ſi alter teſtis ſit valdè dignus fide, alter verò minus idoneus, poſſe illum iſtius defectum ſupplere egregiè, ita vt ſimul probationem efficiant, ita Bald. *in l.ſi quis ex argentarijs,§.*1. *ff.de edendo,* & alij Doctores *ibid.* & Leſſius *lib.*2. *cap.*30.*dub.*5.*num.*41. 38.

Bartol. Leſſius.

Notabis tertiò, & ſi teſtis minus idoneus ſemiplenè non probet, facere tamen indicium, quod cum aliis coniunctum ſufficiat ad torturam, niſi ob ſubiectionem, vel reuerentiam, quam reo habere debet (vt ſi ſit ſeruus, filius, aut libertus, à teſtificando repellatur) tunc enim nullum facit indicium; ſimiliter ſi ob inimicitiam ad ferendum teſtimonium non admittatur, item ſi propellatur, eo quòd parte non citata teſtimonium ferret, aut ante litem conteſtatam, in his enim caſibus non valent teſtimonia, vt habetur *in cap. quoniam frequenter, vt lite non conteſtat.* quidam tamen dicunt teſtes minus idoneos, nullum facere indicium ſi tempore depoſitionis pars oppoſuit exceptionem inhabilitatis, idque approbat Ant.Gomez *lib.* 12. *cap.* 20. quamuis Leſſius *dicto lib.* 2. *cap.* 30. *dub.*5. *num.*40. *in fine,* hoc non credat in praxi receptum; verùm opinio Gomezij eſt iuri, & rationi conformis. 39.

Ant.Gom. Leſſius.

Teſtes non poſſunt ſe intromittere, ingerereque ad teſtimonium contra aliquem ferendum, debent enim eſſe, vel à parte producti, vel à iudice vocati, & rogati, aliàs illorum teſtimonium non valebit, patet ex *l.hæres palam,§.finali.ff.de teſtam.* & ex *l.vxori.ff.de falſ.§.*1. ita docet Bart. *in l.quæ omnia, ff.de procur.* & facit *cap.qualiter, de electione,* & ita docet etiam Syluester *verb.teſtis,num.*6. præſumitur enim hoc caſu corruptus, imò requiritur quòd non promittat teſtificari quid certum, ſed ſolùm quod dicat ſe dicturum veritatem; & cum Syluestro idem tenet Gama *deciſ.*110.*num.*10. 40.

Nihil probat teſtis ſe ingerens ad teſtificandum.

Capvt

CAPVT XLI.

An, & in quibus caſibus, attendatur primum, & ſecundum dictum teſtis varij in iudicio, agitur de iis qui dicunt ſe ob metum in Tribunali ſanctæ Inquiſitionis alios accuſaſſe.

SVMMARIVM.

Quid ſi teſtis iuridicè deponat contrarium eius, quod priùs extra iudicium dixerat. num. 1.
Quid ſi in articulo mortis dicat contrarium eius, quod iurauerat. num. 2.
Quid ſi vulneratus in articulo mortis dicat ſe non fuiſſe vulneratum à Titio. num. 3.
An teſtes, qui in iudicio vnum, & extra iudicium aliud contrarium dicunt, puniendi ſint tamquam falſi. num. 4.
Quid ſi ex coniecturis conſtet, teſtimonium in iudicio fuiſſe falſum, & dictum extra iudicium fuiſſe verum. num. 5.
Quid ſi teſtis iuratus in iudicio, vnum deponat, & extra iudicium aliud iuret. num. 8. & 7.
Quid è contrario. ibid.
Quid ſi aliunde appareat iuramentum iudiciale verius eſſe. num. 8.
Quid quando teſtis in tortura vnum dicit, & extra torturam aliud, aut è contra. num. 9. & 10.
Quid quando teſtis vnum in iudicio ſub iuramento, & aliud extra iudicium ſub eodem iuramento affirmat, an puniendus ſit de falſo. num. 11.
Quid ſi teſtis iuret in iudicio diuerſa, animo corrigendi ſeſe. num. 12.
Quid ſi ſe corrigat incontinenti. num. 13.
Quid ſi ex interuallo. num. 14.
In fauorem fidei teſtes ſe retractantes ex interuallo etiam admittuntur, vt ſi prius veritatem, & ſe eſſe hæreticos negauerant, & poſtea tam de ſe, quàm de aliis affirment. num. 15.
Quid ſi ſe, vel alios prius de hæreſi accuſauit, & poſtea ex interuallo, vel incontinenti ſe retractat. num. 16.
Quid ſi aliquis hæreticus de hæreſi conuictus Confeſſario poſtea dicat ſe mentitum fuiſſe, & complices falsò accuſaſſe. num. 17.

1. *Concluſio prima.* STATVO primò, ſi teſtis iuridicè examinatus, deponat in iudicio contrarium eius, quod priùs extra iudicium dixerat, ſtandum eſt ſecundo dicto iudiciali, non primo extraiudiciali; ita communiter Doctores, Felinus *in cap. cùm in tua, de teſtibus, num. 7. verſ. ſed contrarium, num. 8.* Imola *ibi, num. 6. verſ. ſi autem primum dictum.* Iulius Clarus *in practica criminali, §. finali, quæſt. 63. verſ. primus caſus eſt.* Menoch. *de arbit. lib. 2. caſu 108. num. 22.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. c. 21. num. 4.* gloſſa *in cap. cum cauſa, de teſtibus,* communiter recepta. Baldus *in l. nullum, col. 1. C. de teſtibus.* Ratio eſt in promptu; quia tunc ſtandum eſt poſteriori illius depoſitioni, tum propter Religionis iuramentum, tum ob iudicis authoritatem; idem dicendum ſi contrarium dixiſſet apud hominem priuatum, vel apud iudicem non competentem.

(Margin: Felinus. Imola. Iul. Clar. Menoch. Sayr. Baldus.)

2. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, ſi teſtis etiam in articulo mortis dicat contrarium illius, quod depoſuit in iudicio, adhuc ſtandum eſt priori eius dicto, & teſtimonio prolato in iudicio, ſiue lata ſententia iam ſit, ſiue ferenda, ita etiam communiter Doctores, Felinus *in cap. cùm in tua, de teſtam. num. 6.* Baldus *in l. generaliter, C. de numeran. pec. notab. vltimo.* Couarruuias *var. reſolut. lib. 2. cap. 13. num. 7. in fine.* Iulius Clarus *in practica criminali, §. finali, quæſt. 53. verſ. ſecundus eſt caſus.* Gabriel. *lib. 7. concluſione 30. num. 2.* Menochius *citatus num. 20.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 5.* Alexand. *lib. 6. concil. 124.* Bartolus *in l. ſi quis in graui, §. 1. ff. ad Syllan.* vbi dicit aſſertionem vulnerati in articulo etiam mortis aſſerentis ſe à Titio fuiſſe vulneratum, aut occiſum, non probare contra ipſum Titium; quod idem ſequitur Couarruuias *lib. 2. var. cap. 13. num. 8.* affirmans ex hoc dicto Titium non eſſe torquendum, niſi alia acceſſerint adminicula, & indicia; ſufficit tamen hoc dictum, vt Titius capiatur, & in carcerem detrudatur, vt docent Sayrus, & Couarruuias *allegati.*

(Margin: Felinus. Baldus. Couarr. Iul. Clar. Gabriel. Menoch. Sayr. Alexand. Bartolus.)

Cæterùm ſi vulneratus è contrario in mortis articulo dicat ſe à Titio non fuiſſe vulneratum, teſtimonium hoc plurimum proderit Titio, adeò vt ſi non accedant alia indicia, ipſe Titius torqueri non poſſit, & niſi alia ſint indicia contrarium ſuadentia, innocens habeatur; ſi tamen accedant alia grauia indicia, non obſtante occiſi proteſtatione, torqueri poterit, propter illa; ita Doctores *allegati*; & ratio eſt, quia in mortis articulo nemo præſumitur falſum dicturum, nemo enim præſumitur immemor propriæ ſalutis; vt habetur *in l. vltima, C. ad l. Iuliam*; & docet gloſſa *in cap. literas, de præſumpt.* & ſpeciatim Couarruuias *allegatus, n. 8. initio,* & quamuis hæc ratio militet etiam in primo caſu; tamen ius illam ibi non admittit, quia promptius eſt ad abſoluendum, quàm ad condemnandum. 3.

Nec huiuſmodi teſtis, qui in iudicio contraria loquitur illorum, quæ extra iudicium dixerat, aut extra iudicium contraria eorum, quæ in iudicio depoſuit, puniendus eſt pœna falſi; vt probat Menochius *lib. 2. de arbitr. centuria 2. caſu 108. verſ. ſeptimus caſus, num. 22.* nam quamuis Bartol. *in l. eos qui, ff. de falſis, num. 4.* dicat eum, qui diuerſa teſtimonia probet, falſi criminis reum eſſe, & fidem non mereri; tamen id intelligendum eſt de eo, qui ſolemniter, & in iudicio vero, & competenti cum iuramento contrarium aſſerit, tunc enim tanquam periurus habendus eſt, & condemnandus; vt expreſsè docet Panormitanus, & Decius *in cap. per tuas, de probat. col. vlt.* Felinus *in cap. cùm in tua, in fine, de teſtibus.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 13. num. 7.* 4.

(Margin: Menoch. Bartol. Panormit. Decius. Felinus. Couarr.)

Si tamen ex aliquibus coniecturis conſtet, teſtimonium in iudicio prolatum fuiſſe falſum, & dictum extra iudicium aſſertum verum. Tunc quidem debilitatur, infirmatúrque valdè prædictum teſtimonium in iudicio prolatum; & ſic non exiguam diminutionem patietur arbitrio iudicis definiendam; totum enim hoc negotium arbitrio iudicis committitur; ita Couarruuias *lib. 2. var. reſolut. cap. 14. num. 7. verſ. eſt & aliud.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 20. n. 5.* Farinacius *in praxi part. 2. q. 66. n. 208. & 209.* 5.

(Margin: Couarr. Sayrus. Farinacius.)

Sed quid ſi teſtis iuratus in iudicio rem vnam deponat, & poſtea extra iudicium, ſub iuramento contrarium illius, quod in iudicio depoſuerat, affirmet, ídque vel in articulo mortis, vel extra illum; & è contrario, quid ſi prius ſub iuramento extra iudicium rem vnam affirmet, & poſtea in iudicio contrarium ſub iuramento in iudicis præſentia deponat. Reſpondeo, in hac circunſtantia, mihi videri neutro illius dicto ſtandum eſſe, neutrumque teſtimonium valere, ſi appareat teſtimonium 6.

Tindar. Gabriel. Rolandus. Menoch. Farinacius. Couarr. Iul. Clar.

illius extra iudicium eſſe verum. Ita docet Tind. *in tractat. de teſt. lib. 2. part. 1. cap. 4. num. 1.* Iacob. de ſancto Georg. *in l. qui falſo, num. 7. verſ. ſubdit tamen ipſe Panormitanus, ff. de teſtibus.* Gabriel. *lib. 7. concluſione 31. num. 4.* vbi plurimos refert Rolandus *conſil. 40. num. 6. & ſequentibus, lib. 1.* Menochius *de arbitr. lib. 2. caſu 108. num. 23.* Farinacius *in praxi 2. part. q. 66. num. 204.* Couarr. *var. reſol. lib. 2. cap. 13. n. 7. in fine.* Iulius Clar. *in pract. §. finali, q. 53. verſ. primus caſus eſt, in fine.*

7. Quod tamen intelligendum eſt, dummodo iuramentum primæ, vel ſecundæ, extraiudicialis diſpoſitionis verè, & firmiter fuerit præſtitum, aliàs ſecus, iuxta eundem Tind. *in tract. de teſtibus, lib. 2. p. 1. cap. 7. n. 37.*

Felinus. Aretinus. Decius. Tindar. Tiraquel. Couarr.

8. Si tamen aliunde ex coniecturis, & præſumptionibus appareat iuramentum iudiciale, magis veriſimile eſſe, quàm extraiudiciale, aut hoc, quàm illud, tum quidem ſtandum eſt illi, quod magis veroſimile videtur, quod totum arbitrio iudicis committitur; vt docet Felinus *in cap. cùm in tua, de teſtibus, verſ. idem dicas.* Aretinus *in cap. tuas, num. 5. & num. 32. & 34. de teſtib.* Decius *ibidem, num. 45.* Tindar. *in tract. de teſtibus, lib. 2. part. 1. c. 11. initio.* Romanus *conſil. 505. num. 3. verſ. item limitatur iſta concluſio.* Tiraquel. *de reuocand. donat. in præfat. n. 49. verſ. & ſimile.* Couar. *lib. 2. var. reſolut. cap. 23. n. 7. verſ. eſt aliud.*

9. *Quid quando teſtis in tortura vnum dicit, & extra torturam aliud.*

Farinacius. Cæpolla. Rolandus. Decianus. Menoch. Iul. Clar. Boſſius.

Veniamus ad torturam, in qua idem ferè cum proportione dicendum eſt, nam quando teſtis in tortura aſſerit contrarium eius, quod extra torturam in iudicio dixerat, ſtandum eſt ſecundo dicto in tortura, ſiue ad eam fuerit citata pars, ſiue non fuerit, niſi primum dictum ſine tortura ex aliqua rationabili cauſa, magis veriſimile videatur, quàm ſecundum, ita communiter Doctores, Farinacius *in praxi 2. part. quæſt. 66 num. 178.* Cæpolla *conſil. 60. num. 19. verſ. ſecundò reſpondetur.* Rolandus *conſ. 40. num. 14. lib. 1.* Decianus *conſil. 38. num. 47. lib. 2. verſ. tertiò reſpondeo.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 108. num. 14.* Iulius Clar. *§. finali, quæſt. 53. verſ. quartus caſus eſt, ad medium.* Boſſius *in tit. de oppoſit. contr. teſt. poſt num 1. in 1. fallentia, & tit. de tort. n. 20.* & communiter omnes.

10. Idem dicendum eſt, quando teſtis extra torturam dicit contrarium illius, quod in tortura dixerat; nam etiam tunc ſtandum eſt ſecundo dicto habito ex tortura, iuxta Authores citatos, niſi aliunde appareat, verius eſſe illius dictum, ac depoſitio extra torturam; quod negotium toto arbitrio iudicis relinquitur. Hæc tamen omnia procedunt in perſonis vilibus, in ſeruis, infamibus, criminoſis, & variis, quorum dicta de iure non admittuntur ſine tortura; nam in hominibus liberis, qui non ſunt infames, nec viles, nec varij, nec criminoſi, aliud dicendum eſt, cùm enim hi ſi torqueantur, indebitè torqueantur; vt patet ex *l. ex libero, ff. de quæſt.* ſtandum eſt, non illorum teſtimonio indebita tortura extorto, ſed teſtimonio extra illam prolato; ita cum multis probat Farinacius *in praxi 2. q. 56, n. 180.* & Iul. Clar. *in pract. §. finali, q. 53. verſ. tertius eſt caſus, poſt medium,* & multi, quos citant ac ſequuntur.

Farinacius. Iul. Clarus.

11. *Quid quando teſtis vnum in iudicio ſub iuramento, & aliud extra iudicium ſub eodem iuramento affirmat.*

Sed dubium eſt, an quando teſtis examinatus in iudicio vnum ſub iuramento dicit, & contrarium extra iudicium ſub eodem iuramento affirmat, de falſo puniendus ſit; affirmant multi, & graues DD. modò firmiter extra iudicium prædictum præſtiterit iuramentum, & modò non puniatur pœna falſi ordinaria; ſed arbitrio iudicis extraordinaria, ita Farinacius poſt multos *2. part. praxis, q. 56. num. 92.* & Tindar. *de teſtib. lib. 2. part. 1. cap. 4. n. 2. per totum; & cap. 7. n. 75.*

Farinacius. Tindar.

12. *Quid ſi iuret in iudicio diuerſa, animo ſe corrigendi.*

Dubium tamen non vulgare eſt, quid tenendum ſit; ſi teſtis, iuret in iudicio diuerſa, animo corrigendi ſe ſe, & ſe retractandi (nam ſi ſimpliciter diuerſa iuret, & varius ſit, nulla fides ei eſt habenda, niſi aliunde ex coniecturis appareat, quodnam illius dictum veroſimilius ſit,) quod negotium totum arbitrio iudicis committitur.

Felinus. Bartol. Couarr. Menoch. Sayro. Farinacius. Iul. Clar.

Reſpondeo primò, ſi huiuſmodi teſtes ſtatim in eodem iudicio, & incontinenti (vt aiunt) proprium teſtimonium corrigit, valere vltimam depoſitionem, in qua priorem emendauit; conſtat ex *cap. præterea, de teſtib. cogendis,* & *ibi* Felin. *num. 10.* Et idem affirmat Bartol. *in l. eos, num. 3. ff. de falſis.* & Couarr. *lib. 2. var. cap. 13. à num. 17.* & Menochius *lib. 2. de arbitr. centuria 2. caſu 108. à num. 20.* Sayrus *in claui Regia, lib. 12. cap. 20. de fide teſtib. adhib. num. 7.* Farinacius *in praxi part. 2. q. 66. §. 6. n. 227.* vbi multos allegat Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. finali, q. 51. verſ. quartus eſt;* & gloſſa laudata, *in cap. apud miſericordem 32. quæſt. 1. verb. Reuertitur,* ibi; *Poteſt aliquis mutare confeſſionem ſuam, maximè incontinenti.*

13. *Qui dicatur ſe incontinenti in iudicio corrigere.*

In continenti autem emendatur teſtimonium, Primò antequam teſtis illud ſubſcribat.

Secundò poſt ſcriptionem, antequam è conſpectu iudicis diſcedat.

Tertiò, antequam allocutus fuerit partem, etiamſi aliqua temporis intercapedo elapſa ſit; ita communiter Doctores, Menochius *lib. 2. de arbitr. centuria 2. caſu 108. poſt num. 5. & 6.* gloſſa citata *in cap. apud miſericordem 32. quæſt. 1.* Sayrus *allegatus n. 7.* Panormitan. *ibi, colum. 3.* & Felin. *num. 5.* Iulius Clar. *§. final. quæſt. 54. & q. 51.* Couarr. *lib. 2. variar. cap. 13. num. 8.* Farinacius *in praxi 2. part. q. 66. §. 6. num. 232.* poſt multos, & patet ex *dicto cap. apud miſericordem,* & ex *cap. qui falſo 4. quæſt. 3.* Debet tamen iudex in hoc caſu vti magna diligentia, an hic teſtis potuerit corrumpi, an non, & an ſit alioqui vir probus, an improbus, an etiam motus ſcrupulo, an ex malitia ſe retractet; nam totum hoc negotium arbitrio iudicis remittitur, vnde penes arbitrium illius eſt iudicare, an partem fuerit, vel non fuerit allocutus; vnde animaduertit Rota *de teſtibus, in nouis, deciſ. 19. & in nouiſſimis, deciſione 346. part. 1.* & Gabriel *lib. 7. concluſ. 27. num. 11.* Si teſtis poſt triduum à die depoſitionis ſe corrigat, præſumi poſſe fuiſſe partem allocutum, & ab ea ſubornatum, quod intelligendum eſt, niſi cauſam ſuæ correctionis aſſignet, in quo negotio graue iudicium iudicis requiritur.

Rota. Gabriel.

14. *Quid ſi teſtis ex magno interuallo ſe retractat.*

Baldus. Sayr. Alciatus. Menoch.

Reſpondeo ſecundò, ſi teſtis non ſtatim, ſed ex magno interuallo teſtimonium reuocauerit, non poſſe admitti, niſi in vno tantùm caſu; in quo debet priorem errorem probare; probabit autem illum, ſi veriſimilem obliuionem allegauerit, aut odium in partem, contra quam teſtimonium protulit, probauerit, in quo iudicium etiam, & arbitrium iudicis requiritur; vt docet Baldus *in l. Presbyteri, C. de Epiſcop. & Cleric.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 20. num. 7.* Alciat. *tractat. de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 29. num. 2. & 14.* Felinus *in cap. cùm in tua, de teſt. & atteſtationib. num. 3. verſ. Item fallit.* patétque ex *cap. præterea, de teſtibus cog.* ibi, *ſi teſtis in continenti ſe corrigat, reprobari non debet; ſecus autem erit, ſi correctioni ſuæ interpoſuerit internallum.* Docet etiam Menochius *de arbitr. quæſtionibus, lib. 2. caſu 108. num.*

Farinacius. *num.8.* Farinacius *in praxi 1.part.q.66.§.6.num.146.* Omnes tamen præfati DD.aſſerunt eum qui ex interuallo contraria in eodem iudicio deponit, abſque animo ſe corrigendi, periurum eſſe; & falſi reum, & teſtimonium illius non valere, nec in prima, nec in ſecunda depoſitione. Vnde in hoc caſu, reiecto eo teſtimonio, alij teſtes producendi ſunt; & ratio eſt, quia non eſt maior ratio, cur primo potius, quàm ſecundo teſtimonio credatur, vnde tanquam falſarius puniendus eſt, & à teſtificatione repellendus, iuxta Baldum *in l. geſta, col. 2. C. de re iudic.* & Saytum *allegatum, dicto n.7. in fine.*

15. Animaduerte tamen, in fauorem fidei ſemper admitti poſſe teſtes ex longo etiam interuallo ſe retractantes; vnde ſi quis coram dominis Inquiſitoribus iurauerit, ſe tam de ſe, quàm de aliis veritatem circa hæreſim dicturum, illámque celauerit, & poſtea ex interuallo velit corrigere dictum ſuum, & fateri ſe fuiſſe hæreticum, & tam contra ſe, quàm contra alios ſuos complices hæreſim manifeſtare, ſi nihil aliud, quàm prædictum periurium obſiſtat, admittendum eſt illius teſtimonium, & poſteriori depoſitioni ſtandum erit; ſiue partem fuerit allocutus, ſiue non; eſt enim hic ſpecialis fauor fidei Catholicæ, modò tamen ex manifeſtis indiciis non appareat talem ex animi leuitate, aut corruptione pecuniæ, aut odij fomite, aut liuore vindictæ, eam retractationem efficere, ſed zelo fidei Catholicæ dictum ſuum velle corrigere, ac modò, quæ priùs tacuerat, reuelare; ita docent communiter Doctores; Sayrus *in claui Regia, lib. 12. cap. 20. num.* 8. Couarr. *lib. 2. variar. cap. 13. num. 9.* Menochius *lib. 2. de arbitr. centuria 1. caſu* 108. *à num. 20.* & Peña *in Director. Inquiſitor. part. 3. quæſt. 63. commento* 114. patétque expreſsè *ex cap. accuſatus, §. licèt, de hæreticis in 6.* ex gloſſa *ibi, verb. poſtmodum*; & quamuis Couarruuias, & Menochius velint hanc ſententiam de reuocando priori teſtimonio ex interuallo ſolùm admittendam eſſe, quando teſtes teſtificantur, contra ſemetipſos, & contra ſuos complices; non verò quando teſtificantur contra alios, aut aliorum complices; ex eo fundamento, quòd tunc propriæ culpæ cognitio, & vera pœnitentia, maxima ſit veritatis præſumptio; tamen Sayrus, & Peña ex alio fundamento ducti, docent, hoc etiam procedere, quando deponunt contra alios, & aliorum complices reuelant; eſt enim hoc priuilegium ſpeciale in fidei fauorem, ne occultum hæreſis virus ſerpat, & id inſinuatur in verbis text. *in dict. cap. accuſatus, §. licèt, de hæreticis, in 6.* ibi, *& poſtmodum velint corrigere dictum ſuum, contra ſe, & alios, ſuos complices deponendo.* Sed hic text. magis videtur fauere priori opinioni Couarruuiæ; nullam enim diſtinctionem ponit in illis verbis, *ac alios ſuos complices.* Nam ſi vellet diſtinguere alios à ſuis complicibus, diceret, *contra ſe, & alios ſuos*, & non ſuos complices, cùm autem illam non ponat, videtur noluiſſe efficere eam diſtinctionem. Verùm eadem eſt ratio in fidei fauorem, quando reuelat ſuos, & non ſuos complices, vt patet.

Sayr.

Menoch.

Penna.

16. E contra verò, dubium etiam inſurgere poteſt, an teſtimonium illius qui ſe, vel alios coram dominis Inquiſitoribus accuſat, & complices detexit, poſtea tamen vel ex interuallo, vel incontinenti ſe retractat, admittendum ſit. Reſpondeo negatiuè; quia id non tam in fauorem, quàm in deſtructionem fidei, erit vt patet, neque etiam hîc valebit allegatio debilitatis memoriæ, aut tormentorum metus, ſi teſtis dicat, ſe ob memoriæ infirmitatem, & tormentorum metum alios falsò accuſaſſe, aut de ſe falsò dixiſſe, fuiſſe hæreticum, cùm tamen talis non fuerit, cùm in ſimili caſu memoriæ defectus nunquam præſumatur, nec metus tormentorum poſſit allegari; alioqui id maximum erit ſubterfugium ad occultandam veritatem, ſunt enim caſus, in quibus memoriæ defectus non præſumitur, qualis eſt hic, in quo agitur de fide, quam quis habet, vel non habet; moraliter enim loquendo, nemo poteſt obliuiſci de fide, & conſequenter nec de illis, cum quibus illam communicauit, niſi fortè tam ſit pronus ad hanc communicationem, cum omnibus aliis eiuſdem hæreſis faciendam, vt facilè obliuiſci poſſit alicuius externi complicis, non tamen patris, matris, fratris, ſororis, vel eorum, cum quibus aſſiduè conuerſatur, & eſt maximè coniunctus; hi enim difficile è memoria excidere poſſunt.

Sed quid ſi aliquis pœnitens de hæreſi conuictus, Confeſſario poſtquam è carcere exiuit, in 17.
confeſſione dicat ſe falſum ob metum tormentorum, aut ex odio, vel vindicta alios accuſaſſe; obligandus ne erit iſte in conſcientia, cum periculo etiam vitæ, & bonorum externorum, famæ, & honoris ad ſe retractandum coram veris iudicibus, aut dominis Inquiſitoribus? Reſpondeo

Agitur de illis qui poſtquam è carcere ſanctæ Inquiſitionis exeunt, dicunt ſe in eo iudicio alios falsò accuſaſſe.

Primò affirmatiuè, nunquam enim eſt à tali retractatione excuſandus, ob vitæ, bonorum, famæ, aut honoris iacturam; ſi in his proximum contra quem falſum teſtimonium dixit, reſpectiue læſit, hoc eſt, non eſſe excuſandum ob periculum vitæ, ſi vita illius, quem falsò accuſauit, periclitatur; nec ob periculum bonorum, famæ, aut honoris, ſi alium in his etiam læſit, vt diximus *ſupra*, cùm de reſtitutione famæ, vitæ, & bonorum externorum egimus; & dicemus *infra cap. 25. num.* 4. ad id enim velit, nolit ſe obligauit, cùm falſum teſtimonium dixit, maximè, quia hic ſi de hæreſi conuictus fuit, iam famam, & bona amiſit. & hoc ex vi iuris ſequendum erat, quia tamen poſſunt eſſe aliæ rationes, ob quas illos ab huiuſmodi retractatione excuſemus; ideo reſpondeo

Secundò, poſſe aliunde excuſari, quia ob fauorem fidei ſemper priori teſtimonio ſtandum eſt, iuxta ea quæ diximus *num.* 16. Alioqui nunquam occultæ hæreſes auelli poterunt, nec iudicium firmum, ac ſtabile dabitur, ſed omnia pendula, & in perpetuo motu, ac volubilitate erunt.

Deinde in iis, qui in Luſitania ex genere Hebræorum ſunt, & Iudaiſmum abiurarunt, id non multum curandum eſt, quia de his dubito, an verè ſint conuerſi, & an ex malitia ad minuendam, imò ad infamãdam authoritatem illius ſanctiſſimi Tribunalis, id efficiant; & quia ipſi etiam poſtea, cùm exeunt, ſibi ad inuicem ea falſa teſtimonia facillimè remittunt, ac veniam condonant, vel per vocalem petitionem, ſi præſentes ſunt, vel per epiſtolas ſi abſentes, quorum aliquas ego vidi; dubito, an fictæ, an veræ fuerint, & incredibile planè eſt, quàm facillimè id ſibi omnes ad inuicẽ condonent, & ad veterem redeant amicitiam. quod mihi maximum indicium eſt id fictè fieri ad infamandum rectiſſimum illud tribunal, quod tantopere euertere curant: & quia hæ rationes ſunt vehementiſſimæ ad hoc ſuſpicãdum, Confeſſarius prudens debet abſolutionẽ illis ſub conditione dare, non tamen omnino negare. quia in hoc cõſcientiæ foro reis ſemper credendum eſt, cùm ipſi ſint accuſatores, & teſtes.

Si

Si tamen ipſi accuſauerint ex Chriſtianis, quos veteres vocamus, in quibus videlicet nulla eſt labes ſanguinis Hebræi, omnino ad hanc retractationem obligandi ſunt, cum vitæ etiam, & famæ periculo, & non abſoluendi, niſi ſe retractent, quia ad id velint, nolint ſe obligatur, cùm falſum teſtimonium in re tam graui dixerunt, ita mihi planè poſt multam conſiderationem viſum eſt; quod regulariter tenendum erit, in quo maxima Confeſſarij prudentia requiretur, & in eo viros doctos, & probatæ vitæ conſulet.

SVMMARIVM.

Quid agendum ſit, quando vnus, & plures teſtes vnius partis, verbi cauſa actoris ſibi varij, & diſcordes ſunt. num. 18.
Quid ſi ſint diſcordes in circunſtantiis. num. 19.
Quid quando teſtes actoris, & rei ſunt inter ſe varij, & diſcordes, & ſunt æquales numero, & conditione. num. 20.
Quid ſi non ſint æquales numero, & dignitate. num. 21.
Diuitibus, & dignioribus, credendum potius eſt, quàm pauperibus, ſi cætera ſint paria. num. 22.
Quid ſi vnus teſtis contradicat pluribus. num. 23.
Quid ſi multi, ſed pauciores numero, contradicant pluribus. num. 24.
Quid ſi tabellio vnum ſcribat, & teſtis iuret, ſe aliud dixiſſe. num. 25.
Duo teſtes omni exceptione maiores, an præualeant contra inſtrumentum; aut ſcripturam tabellionis. num. 26.
Teſtis ſibi in eodem, vel diuerſo examine varius, an concordandus ſit. num. 27. 28. & 29.
Quid ſi teſtis in primo examine de loco, & tempore affirmatiuè deponat, & in ſecundo examine dicat ſe de loco, & tempore non recordari. num. 30.
Quid è contrario ſi in primo examine non recordetur de loco, & tempore, & in ſecundo recordetur. num. 31.
Quid ſi in primo examine ſub dubio deponat, & in ſecundo affirmatiuè. num. 32.
Quid è contra. num. 33.

18. *Quid agendum ſi teſtes vnius partis ſint diſcordes.*

DVbium verò ſpeciale eſt, quid agendum ſit, quando vnus, vel plures teſtes ſibi varij, & diſcordes ſunt. Et verò ſi plures teſtes inter ſe diſcordent, faciliùs ad concordiam, & conſenſum reduci poſſunt; vel enim diſſident in ſubſtantia facti; aut in præcipuis illius circunſtantiis, quæ variant facti ſubſtantiam, puta in tempore, in loco, vel in perſonis, de quibus principaliter agitur, v. c. ſi vnus teſtis dicat, factum hoc commiſſum fuiſſe tali tempore, & loco; alius verò alio tempore, & loco; item ſi vnus dicat reum percuſſiſſe alapa, alius fuſte, vel gladio, teſtes iſti ſingulares ſunt, & non probant idem factum. Sed vnuſquiſque ſuum tantùm confirmat, & ideo teſtimonium illorum non plenè probat; vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 2. *ad* 2. Caietanus, & Aragonius, & Thomiſtæ *ibi*, quod procedit, quando hoc tanquam certum affirmant, nam ſi vnus dicat, crimen, aut factum hoc fuiſſe commiſſum à tali, vel tali homine, & aſſerat ſe non meminiſſe, quo tempore, aut quo loco fuiſſet commiſſum, & alter aſſignet determinatum tempus, & locum, non ita infirmatur alterius teſtimonium, vt non efficiat etiam aliquam probationem, iuxta D. Thomam, & Authores ſtatim allegandos. (D. Thom.)

19. Vel diſcordant in aliquibus circunſtantiis, non pertinentibus ad ſubſtantiam facti; v. c. ſi vnus teſtis dicat tempus eſſe nebuloſum, alius verò eſſe ſerenum; vnus quòd domus fuerit picta, alius non picta; vnus quòd percuſſerit gladio oblongo, alius verò gladio ordinario; hæc diſcrepantia non multum præiudicat illorum teſtimoniis; quia homines non ſolent circa hæc multum eſſe ſoliciti; vnde facilè hæc memoria excidunt; imò & aliqua diſcordia in talibus, illorum teſtimonium facit credibilius, vt optimè notauit D. Thom. quia ſi in omnibus concordarent, etiam in minimis videbuntur loqui ex condicto, quod tamen prudenti iudicis arbitrio relinquitur diſcernendum.

Quando teſtes diuerſæ partis, id eſt, actoris, & rei diſcordes ſint, in pertinentibus ad facti ſubſtantiam; ſi ſunt æquales numero, vel pares dignitate, ſtandum eſt iudici pro reo; ita communiter Doctores, D. Thomas 2. 2. *q.* 7. *artic.* 2. *ad* 2. Caietan. & Aragon. *ibi*, Sayrus ſuprà allegatus *num.* 13. & alij; & colligitur ex *cap. ex literis, de probationibus*, & Doctoribus *ibi*; primò, quia in dubiis fauendum eſt reo; melior enim eſt conditio poſſidentis, niſi in cauſis fauorabilibus, vel vt cauſa libertatis; patet ex *reg. in pari delicto, & reg.* 11. *& reg. cùm ſint, de regulis iuris, in* 6. Nam reus eſt poſſeſſor famæ, vel vitæ, vel bonorum, & ideo iudex in dubiis propenſior eſſe debet ad abſoluendum, quàm ad condemnandum; niſi in dictis cauſis fauorabilibus, verbi cauſa, in libertate, in matrimonio, in teſtamento, in dote; tunc enim ſi vtriuſque partis teſtes ſunt æquales, ferenda eſt ſententia pro libertate, pro teſtamento, pro matrimonio, & dote, potius, vt valeant, quàm non valeant; vt patet ex *cap. ex literis, citato, de probationibus, ibi, Quòd ſi ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferentur, cùm promptiora ſint iura ad abſoluendum, quàm ad condemnandum, præterquam in liberali cauſa, in qua, ſi vtriuſque partis teſtes æquales fuerint, pro libertate ſententia proferetur.* & gloſſa *ibi, verb. liberali*, id eſt, *in querela inofficioſi teſtamenti, in cauſa matrimoniali, in dote; vnde verſus hic ab omnibus apponitur.* (20. *Quid ſi teſtes actoris, & rei diſcordes ſint.* D. Thom. Aragon. Caietan.)

Stat, Teſtamentum, libertas, coniugium, dos.
Si teſtes ſunt æquales, qui vtrimque producuntur; patetque etiam ex *cap. ſi quis* 33. *quæſt.* 2. & ex *cap. vlt. de ſentent. & re iudic.* incipit, *duobus iudicibus*; & ex *l. antepenult. ff. de manumiſſ. & l. inter pares, ff. de re iud. & l. libertas, ff. de regulis iuris*; & ex *cap. cùm redemptor.* 12. *q.* 2. Quod adeò verum eſt, vt ſi à duobus iudicibus, iuriſdictionem ordinariam habentibus, diuerſæ ſententiæ proceſſerint, teneat ſententia pro reo, non pro actore data, niſi in prædicta cauſa fauorabili, matrimonio videlicet, libertate, dote, & teſtamento, vt expreſsè deciditur in dicto *cap. vltimo, de ſentent. & re iudic.* ibi, *Duobus iudicibus, diuerſas ſententias proferentibus, ſi ex iuriſdictione ordinaria proceſſerunt, tenet pro reo, non pro actore ſententia, niſi in cauſa fauorabili, pro matrimonio, libertate, dote, ſeu teſtamento pro ipſo fuerit promulgata.*

21. *Quid ſi non ſint æquales numero, & dignitate.*

Quando teſtes actoris, & rei, inter ſeſe diſcordes ſunt, & non ſunt æquales numero, & pares dignitate, tunc iudex ex multis debet prudenter attendere, cui debeat fauere, verbi cauſa, ad numerum teſtium, ad qualitatem, ad fauorem cauſæ; ita communiter DD. ad qualitatem; vt ſi teſtes ſint diuites, & alij pauperes ſint; nobiles, & alij ignobiles; ſtandum eſt enim potius diuitibus, & nobilibus, quàm vilibus, & pauperibus, dummodo tamen diuites, & nobiles non ſint vitæ improbæ,

&

& alij probæ; quia tunc potius horum, quàm illorum teſtimonio credendum eſt; at cæteris paribus illis potius, quàm his, ſtandum eſt: reputantur enim pauperes, & viles diminutæ fidei; reſpectu diuitum, & nobilium; ita Farinacius *in praxi part. 2. pag. 95. num. 35. & 36. quæſt. 57.* Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 6. num. 8. verſic. vnde conſtat quandoque.* Menochius *de arbitr. lib. 2. caſu 96. num. 9.* Rolandus *conſil. 24. num. 50. volum. 1.* D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. gloſſa *in l. 3. ff. de teſt. verb. Plebeiis*, & patet ex *cap. ſi teſtes 4. q. 3. §. teſtium fides*, & gloſſa *ibi, in verb. Quis decurio.*

Farinacius. Couarr. Menoch. Rolandus. D Thom.

22. Imò, & nobilioribus, diuitibus, ac dignioribus credendum eſt magis, quàm ignobilioribus, & pauperioribus, etiamſi iſti numero ſint plures, illi verò pauciores, modò tamen numeri exceſſus non ſit magnus; ſi enim huiuſmodi exceſſus ſit magnus, credendum eſt potius multis ignobilibus, & pauperibus, quàm pauciſſimis nobilibus; quando autem in propoſito negotio, magnus, vel paruus dicatur exceſſus, remittitur arbitrio iudicis prudentis; ita Farinacius *in praxi part. 2. pag. 95. colum. 2. fine, & 96. initio, col. 1. q. 57. num. 35. 36. 38. & 39.* Curtius *in tract. de teſt. n. 35. verſ. ideo pauci nobiles, & num. 36. verſ. niſi eſſet magnus exceſſus.* Monticel. *in ſuo teſtium repertorio, verb. nobilis, fol. mihi 422. colum. 1. verſ. penult. & fol. 441.* & alij plures, quos citat, ac ſequitur idem Farinacius; quod ſemper intelligendum eſt, modò diues, & nobilis non ſit malæ famæ; pauper verò, & vilis bonæ; quia tunc magis credendus eſt pauper, & vilis virtuti deditus, quàm diues, & nobilis vitiorum ſtudioſus, imò etiam quando dicimus teſtes diuites præferendos eſſe teſtibus pauperibus, intelligendum id planè eſt, ſi diuitiæ fuerunt acquiſitæ honeſto, & iuſto modo, non autem inhoneſto, & iniuſto, vt per vſuram, furtum, prauitatem, dolum, fallaciam, aut rapinam; quia ſicut hi animam ſuam ob hanc illicitam acquiſitionem perdiderunt; ita credendum eſt, quòd & in aliis decipient, & perdent; ita docet Farinacius *in praxi 2. part. quæſt. 56. à num. 38. vſque 44. pag. 96.* Baldus *in cap. ſi qui teſtium, de teſt. n. 5. verſ. & magis creditur.* Campeg. *de teſt. reg. 113. fallent. 5. in fine.* Alberic. *in l. 3. verſ. ſecus ſi dicas, num. 5. & 6. ff. de teſt.* Fulg. *in l. teſtium, num. 2. ff. de teſtibus*, & plures alij; quos citat, ac ſequitur idem Proſper Farinacius *locis aſſignatis.*

Farinacius. Curtius. Monticel.

Teſtibus diuitibus potius credendum, quàm pauperibus, ſi diuitiæ honeſtè fuerunt acquiſitæ.

Farinacius. Baldus. Campegius. Albericus. Fulgoſius.

23. *Teſtimonium vnius infirmum ad condemnandum.*

Si vnus teſtis contradicit pluribus, nihil prodeſt eius contrarietas, cùm vnius teſtimonium ſit nullius; neque enim vnus teſtis iuſtificare poteſt, aut condemnare, vt habetur expreſsè *in cap. admonere 33. quæſt. 2.* ibi, *Quoniam nec Euangelium, nec vlla diuina, humanave lex, vnius teſtimonio etiam idoneo, quempiam condemnat, vel iuſtificat.* Eſt communis omnium rectè ſentientium doctrina.

24. Si multi, ſed pauperes numero contradicant pluribus, conari debet iudex eos concordare; ſi verò concordare non poſſit, conſentiat pluribus, relictis paucioribus, niſi dignitas, probitas, aut conditio paucorum plurimorum numero præponderet, iuxta ea, quæ diximus *num. 21. 22. & 23.* Adde etiam, niſi pauciores veroſimiliora dicant, & aptiora negotio; ita D. Thomas 2. 2. *q. 70. art. 2. ad 2.* ibi, *Cui parti iudici ſit ſtandum, vel ex numero teſtium, vel ex dignitate eorum, vel ex fauorabilitate cauſæ, vel ex conditione negotij, & dictorum erit iudicandum.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 14.* & alij quos allegat.

D. Thom.

Si multi contradicant paucioribus, credendũ illis eſt, niſi pauciores veroſimilius loquantur.

Sayr.

25. Aliud dubium eſt, an ſi tabellio vnum ſcribat, & teſtis ſub iuramento interrogatus affirmet ſe aliud dixiſſe, vtri eorum credendum ſit. Reſpondeo, credendum potius eſſe tabellioni inſtrumentoque illius, quam vnico teſti, ſe contrarium dixiſſe atteſtanti; nam in eo caſu præſumitur pro tabellione, *l. ſi quis decurio. C. de falſis, cap. ad audientiam, de præſcript.* ibi, *Alio modo ſcrinarius ſcripſiſſet dicta teſtium, quàm dixiſſent*, & infrà, *Nos igitur non credentes ipſum ſcrinarium cùm iuratus ſit officium ſuum fideliter exequi, aliquid ſcripſiſſe, quàm à teſtibus diceretur*, &c. & gloſſa *ibi, verb. ſcrinarius. Scrinarij*, inquit, *appellantur tabelliones; quod eſt vulgare apud Romanos*; facit etiam caput, *cùm dilectus, de fide inſtrumentorum*; at verò Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 13. num. 10.* Panormitanus, & Felinus *ad prædictum caput, ad audientiam, & in cap. cùm cauſam, de teſtibus*, docent id verum eſſe in cauſis ciuilibus, non autem in criminalibus, quia in criminalibus cauſis non ſolent iudices committere teſtium examinationes tabellionibus, ſed ipſi etiam præſentes eſſe ſolent; at in cauſis ciuilibus ſolent ipſi, propter multitudinem negotiorum, & propter alia impedimenta, id efficere, præſtito priùs iuramento apud ſeipſos de veritate dicenda; poteſt enim iudex accipere iuramentum à teſtibus de veritate dicenda, & poſtea illos tabellioni remittere in cauſa ciuili tantùm; ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 21. num. 10.* ex Salicet. *in Auth. apud eloquentiſſimum, C. de fide inſtrum.* & ex Felino *in cap. cùm cauſam, de teſtibus*, & quòd tabellioni potius, quàm vnico teſti, credendum ſit, docet etiam Alexand. *lib. 1. conſiliorum, conſ. 70. & lib. 2. conſ. 65.*

Quid ſi tabellio vnum ſcribat, & teſtes affirment ſe dixiſſe aliud, cui tunc potius credendum ſit.

Couarr. Panormit. Felinus. Sayr. Salicetus.

Duo tamen teſtes, omni exceptione maiores, iuxta ſententiam aliquorum præualent contra tabellionem, & contra inſtrumentum illius, modò teſtes optimè concordes ſint in tempore, hora, & loco, quo inſtrumentum dicitur factum fuiſſe, & aſſerant ibi inſtrumentum fuiſſe tunc factum, nec fieri potuiſſe, quin ipſi vidiſſent; ſi tamen præter authoritatem tabellionis, adſit vnus teſtis pro parte tabellionis, tunc non ſufficiunt duo teſtes, omni exceptione maiores, ſed requiruntur tres idonei, & qui nullam exceptionem patiantur; ſic Couarruu. *lib. 2. var. cap. 13. num. 11.* & Sayrus *citatus, num. 11. §. Cæterùm.* Vnde, inquiunt, quando gloſſa *in cap. cùm Ioannes, de fide inſtrument. verb. Quodlibet inſtrumentum*, aſſerit authoritatem inſtrumenti publici, non minori numero, quàm trium, aut quatuor teſtium improbari poſſe, intelligendum eſt, quando præter authoritatem tabellionis, teſtis vnus pro inſtrumento ſtat. Nec etiam obſtat, iuxta hanc ſententiam, quòd *in cap. quoniam contra, de probat.* ſtatuatur, vt tam in ordinario iudicio, quàm in extraordinario iudex ſemper adhibeat, aut publicam, ſi poteſt habere, perſonam, id eſt, tabellionem; vt *ibi* gloſſa explicat, *verb. duos viros*, aut duos viros idoneos, id eſt, teſtes, qui fideliter vniuerſa iudicis acta conſcribant, vbi videtur, quòd tabellionis authoritas æquiualeat duobus teſtibus idoneis, & ſic ad præualendum contra hanc publici tabellionis authoritatem, non ſufficere duos teſtes idoneos, & omni exceptione maiores, ſed requiri tres, aut quatuor, nam id intelligendum eſt, vt diximus, & docent Couarr. & Sayrus *allegatus*, quando à parte tabellionis, vnicus etiam teſtis ſtat, ſecus ſi nullus ſtet. Verùm propter huiuſmodi textum ego magis inclino in opinionem huius gloſſæ, quæ ad præualendum contra authoritatem tabellionis, & publici inſtrumenti, requirit tres, vel quatuor teſtes idoneos, ac omni exceptione maiores, etiamſi à parte tabel-

26. *Quot teſtes præualeant contra tabellionem.*

Couart. Sayro.

tabel

tabellionis,nullus teſtis ſtet,quia re vera huiuſmodi rexius,authoritatem tabellionis,& publicæ perſonæ æquiparat authoritati duorum teſtium idoneorum: cùm ergo ſint pares, opus eſt, vt aliunde hæc ab illa maiori numero teſtium vincatur. De hac tamen re redibit ſermo infrà *cap.44.à n.1.*

27. Sed quid de eodem teſte ſibi in eodem, vel diuerſo examine vario? Reſpondeo breuiſſime hac de re duplicem eſſe opinionem.

Quomodo cõcordandus ſit teſtis ſibi in eodem, vel diuerſo teſtimonio varius. Opinio prima.

Prima docet teſtem ſibi in eodem, vel diuerſo examine, circa idem teſtimonium varium,quando non eſt manifeſtè ſibi contrarius, omnibus modis, quoad fieri poteſt, concordandum eſſe etiam per impropriationem verborum illius, & per ſubauditos, ac ſubintellectos ſenſus, & per interpretationem ſuppletiuam dicti illius, idque quo ad effectum tantùm euitandi falſum,non quoad effectum probandi aliquid in iudicio,teſtis enim ſibi varius, & contrarius,nullam meretur fidem; ita communiter Doctores,quos citat, & latè ſequitur Farinacius *in praxi 2. part. quæſt. 66. part. 9. à num. 317. vſque ad 322.* & ſpeciatim id tenet *in num. 326. pag. 305.* Alexander *conſil. 140. & 149. num.28. in fine, lib.5.* Grammat. *inter conſilia, conſ.50.num.35.* Tindar. *in tractat. de teſtibus, part.3. cap. 12. in fine, verſ. vnum quoque notetis.* Soares *in theſauro receptarum litera T num.146.* Iulius Clarus *q. 5. poſt verſic. quartus caſus eſt*; & ratio eſt, quia pœnæ falſi ſunt grauiſſimæ, & perfectum delictum requirunt; vnde vbi non eſt manifeſta varietas, quæ nullo modo concordari, ac ad bonum ſenſum reduci poteſt, pœnæ falſi non incurrentur; vbi autem aliqua veritas apparet, fidem non meretur teſtis, teſtis enim, vt ei fides habeatur, debet eſſe conſtans,non varius,neque inſtabilis, vt patet ex toto titulo de teſtibus cogendis.

Farinacius. Alexand. Grammat. Soares. Iul.Clar.

28. *Opinio ſecunda.* Secunda opinio docet huiuſmodi teſtem in eodem, vel diuerſo examine varium concordandum eſſe, quando illius contrarietas, & varietas non eſt ita manifeſta,vt nullam pariatur concordiam, non ſolùm quoad effectum euitandi falſum, ſed etiam quoad effectum probandi. hanc tenent Felinus *in cap.cùm tu, de teſt. num.3.*& *ibi* latè Aretinus *num. 3.* Alciatus *in l. 1. num. 21. ff. de noui oper. nunc.* Socinus *conſil. 72. num. 7. lib. 2. & conſil. 56. num. 17. lib.4.* Claudius *conſil.6. litter. C. verſ. teſtes ſolent reduci ad concordiam.* Petrus *deciſ.28.num.3. part.3.* vbi dicit ita fuiſſe reſolutum in Rota; & ratio eſſe poteſt; quia memoria hominum non ita firma eſſe poteſt, vt aliquamulum non variet, & in diuerſo examine, imò & in eodem, maximè ſi depoſitio ſit de re dubia, & intricabili, vt multa plerumque ſunt; aſſerit tamen hæc opinio non mereri tunc huiuſmodi teſtem integram, ac perfectam fidem;ſed diminutam arbitrio iudicis definiendam.

Felinus. Aretinus. Alciatus. Socinus. Claudius.

29. Ex his duabus opinionibus prima communior eſt, & magis recepta; authoritas tamen Rotæ,quæ ſtat pro ſecunda, eam valdè probabilem facit. Ego cum Proſpero Farinacio *in praxi 2. part. pag. 305. colum. 1. num. 327. quæſt. 66.* quæſtionem ſic deciderem, quòd in criminalibus contra reum teſtis ſibi varius, & concordatus non probet, & ita ſpeciatim docet Felinus *in dict. cap. cùm tu, de teſtibus, num. 16.* & Boſſius *in tit. de oppoſit. contra teſtes, num 12.*ſecus in ciuilibus,totum tamen hoc negotium arbitrio iudicis committitur.

Proſperus. Farinacius. Felinus. Boſſius.

30. Illud tamen notari velim, ſi teſtis in primo examine affirmatiuè de tempore, & loco deponat,& in ſecundo examine de eodem facto deponat, dicat tamen, ſe de loco, & tempore non recordari, eſſe ſibi contrarium; & ita varium, vt nullam mereatur fidem in criminalibus, vel ſi aliquam meretur, meretur admodum diminutam arbitrio iudicis definiendam, quia in criminalibus variatio temporis, & loci eſt eſſentialis. Ita docet Farinacius *in 2.part.praxis,quæſt.66.n.329.& 330.pag.305.* Baldus *in l. finali, colum. 1. in fine, C. de re iudicat.* Bartol. *in l. in exercendis, verſ. quæro quid ſi teſtis, C. de fide inſtrument.* Alexander *conſil.185.num.4. & 7.* nam quamuis poſſit contingere,vt hodie quis eius rei non recordetur,de qua antea recordabatur, tamen fieri non poteſt, vt poſtea non excitetur memoria circa locum, & tempus, quo crimen patratum fuit.

Farinacius. Baldus. Bartolus. Alexand.

Si tamen in primo,vel in eodem examine priùs dixit ſe non meminiſſe de loco,& tempore,& poſtea in eodem examine, vel diuerſo dicat ſe de illo meminiſſe; omnes ferè authores aſſerunt huiuſmodi teſtem non eſſe varium, ſed fidem facere, & probare; poteſt enim contingere,quòd hodie quis memoria rem aliquam non teneat, & poſtea in illam ſubitò eueniat, vt experientia quotidie compertum eſt; limitandum tamen id eſt non procedere, quando teſtis in ſecundo examine fuit patrem allocutus, tunc enim præſumitur fuiſſe corruptus, & propterea non probat; ita communiter Doctores,Felinus *in cap præterea, de teſtibus cogend. ad finem, verſ.ſed aduerte.* Diaz *reg. 754. in prima limitatione.* Farinacius *allegatus num.332.pag.306.col.1. initio.* Aretinus *in cap.cum cauſa 2.de teſt.n.10.* Natta *conſ.537.n.25.*& alij communiter. 31.

Quid ſi teſtis in vno examine dicat ſe non meminiſſe de loco, in quo crimen patratum fuit, & in alio dicat ſe de illo meminiſſe.

Idem dicendum eſt, ſi teſtis in primo examine ſub dubio deponat, in ſecundo verò affirmatiuè; probat enim huiuſmodi teſtis, & ſtatur dicto ſecundo illius; ſecus in eodem examine, & teſtimonio;tunc enim dicitur varius, & ſibi contrarius, & non probat niſi nouam memoriæ cauſam alleget, ita Farinacius *dicta p.2.praxis,q.67.n.334.pag.306. col.1,initio.*Tindar.*lib.1.de teſt.c.7.n.1.* Cortus *de teſt. p.7.n.343.*Foller.*in practica criminali,tit.capiat informationem,num.59.verſ.ſed prædicta intelligas.* 32.

Farinacius. Tindar. Cortus. Follerius.

Sed quid è contra,ſi teſtis primò affirmatiuè deponat,deinde dubitatiuè dicat ſe credere. 33. *Quid ſi è contrario.*

Reſpondeo primò,ſi in vno, & eodem examine teſtis dicit ſe ſcire,& deinde ſe credere,nihil detrahit primo dicto,quia nemo præſumitur velle ſe incontinenti corrigere,& ſic ei fides integra habenda eſt,niſi aliunde ex circumſtãtiis aliquid præſumatur.

Reſpondeo ſecundò, ſi teſtis qui primò dixit ſe ſcire,allegauit veram rationem ſuæ ſcientiæ,etiamſi poſtea dubitatiuè deponat, non eſt varius, nec primum dictum euacuat, licèt poſtea dicat ſe credere,& non dicat ſe ſcire: ita idem Farinacius *allegatus num.344.* Gabriel *lib.7. concluſ. 29. num.42. & ſequent.* ſed quia hæc materia potius ad Legiſtas, quàm Theologos ſpectat, ideo illi finem imponimus;conſule tamen Farinacium hac de re *loco allegato*,vbi ſatis prolixus eſt.

Farinacius.

CAPVT XLII.

De obligatione teſtium in ferendo teſtimonio, & quatenus obligentur, vel non obligentur ad reſtitutionem pro ferenda vero, vel falſo teſtimonio.

SVMMARIVM.

Teſtis qui ſciens, & prudens, vel ex craſſa ignorantia falſum

falſum teſtimonium dixit, quo alterum læſit, tenetur ad reſtitutionem læſionis in ſolidum. num. 1.

Non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientia. num. 2.

Quid ſi reus iam erat per alios teſtes conuictus, & accedat teſtimonium falſum alicuius, ob quod nulla ei maior pœna, aut damnum ſit inflictum; an tunc iſte teſtis ad aliquam reſtitutionem teneatur. num. 3.

Qui teſtimonium falſum, aduerſus aliquem profert, ratione cuius mors, mutilatio, aut damnum aliquod patitur iniuſtè, tenetur ad reſtitutionem, & ad retractationem illius. num. 4.

Quid ſi ex inaduertentia, ignorantia, aut obliuione inculpabili illud proferat. num. 5.

Qui poteſt aliquem teſtimonio ſuo à morte liberare, & antequam requiratur à iudice, non vult teſtimonium ferre, an peccet contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur. num. 6.

An illum, qui ex maleuolentia alium accuſauit de crimine, quod non poteſt probare ob quod pœnam talionis patitur, teneamur liberare teſtificando veritatem à iudice non requiſiti. num. 7.

Quid ſi à iudice requiramur. ibid.

An qui vocatus, & requiſitus à iudice ad teſtificandum ſe iniuſtè excuſat à ferendo teſtimonio ſciens iuſtitiam partis ex ſuo teſtimonio pendere, teneatur ad reſtitutionem parti faciendam ex damno dato; & quid ſi in ipſo actu teſtificandi veritatem tacet, & an qui iuſſus à iudice, vt ſcripturam proferat, ex qua iuſtitia tertij pendet, illam non vult proferre, & rumpit. à num. 8. vſque ad 16.

Pars proferens teſtes tenetur ipſis teſtibus expenſas facere eundo, redeundo, & ſtando, & inſuper tenetur illis ſoluere intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis. num. 17.

Pro ferendo vero teſtimonio, & ſententia nihil poteſt accipi; & ſi quid acceptum fuit ante vllam ſententiam eſt reſtituendum. num. 18.

An teſtis, iudex, & tabellio, vltra damnum quod dederunt, teneantur reſtituere in conſcientia ante vllam ſententiam id quod pro iniuſta ſententia, & teſtimonio ferendo, & pro conficiendo iniuſto inſtrumento acceperunt, refertur prima ſententia. à n. 19. vſque ad 24.

1. DOCTRINA huius capitis vtiliſſima eſt, & in foro ſacramenti Pœnitentiæ quotidiana; non erat ita olim, ſed hodie, quia creſcunt lites in foro externo, creſcit malitia ex parte teſtium, iudicum, & litigantium, & multo magis ex parte Tabellionum, & miniſtrorum iuſtitiæ; quamobrem aliquantulum in ea explicanda ſpatiabimur, non ſine fructu, vt ſperamus. Igitur ſic

Concluſio prima. Statuo primò, ſi teſtis, vel ſciens, & animaduertens, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, ratione cuius alterum iniuſtè læſit, tenetur ad reſtitutionem damni in ſolidum, ita docet Leſſius (Leſſius.) *lib. 2. cap. 30. dub. 7. num. 52.* & patet ex *cap. ſi tua culpa, de iniur. & dam. dat.* & ex *cap. Parochianos, de ſentent. excommunic.* vbi docet, *donec læſis congruè ſatisfaciant.* docet Barrol. (Barrol.) *in l. nunquam plura, ff. de priuat. delict.* Bald. (Baldus.) *in l. quicumque, C. de ſeru. fug. & in l. cùm ancillam, C. de inceſt. nupt.* Ananias (Ananias.) *in cap. 1. de crimine falſi, num. 1.* Farinacius (Farinacius.) *part. 2. praxis, quæſt. 62. num. 5. pag. 308. col. 2.* vbi ab eo allegantur. Ratio eſt, quia per iniuriam eſt cauſa iniuſta, & efficax totius damni, & non ſolùm in foro conſcientiæ tenetur ad intereſſe omnium damnorum, ſed etiam in foro externo poteſt damnificatus actionem intentare ciuilem contra hunc falſum teſtem de damno ſibi dato, & intereſſe; ita Abbas (Abbas.) *in dicto cap. 1. de crimine falſi, num. 1.* Anchatranus (Anchar.) *ibi num. 1. in 2. notabili, & num. 12.* Butrius (Butrius.) *ibidem num. 4. & 8.* Marianus Socinus (Socinus.) *num. 109.* Caſtrenſ. (Caſtrenſ.) *in l. presbyteri, num. 3. C. de Epiſcopis, & Clericis.* Iaſon *in l. præſcriptione, num. 8. C. ſi contra ius, vel vtilitatem publicam.* Tindar. (Tindar.) *de teſt. part. 1. cap. 9. num. 6.* Angelus (Angelus.) de Peruſ. *in Additionibus*, circa materiam teſtium, *num. 15.* Iul. Clarus (Iul. Clar.) *§. falſum, verſ. pœna autem.* Soares (Soares.) *in ſua collecta comm. opin. litera T. num. 155.* Simancas (Simancas.) *de Cathol. inſtit. tit. 64. rubr. de teſt. n. 85.* Moncada (Moncada.) *ad Crot. de teſtib. part. 9. n. 379. ad finem; verſ. notabis tamen.* Boſſius (Boſſius.) *in tit. de falſis, num. 149.* & alij.

2. Miror tamen, qua ratione, & fundamento addant Farinacius *allegatus num. 6.* & Iulius Clarus *§. falſum, verſic. pœna autem, in fine*, poſt Vincentium, & Corſetum, & alios, quos allegat, ſolùm in foro contentioſo, teneri teſtem falſum ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, non in foro conſcientiæ in quo aſſerunt, licèt teſtis falſus teneatur de falſo teſtimonio, non teneri tamen de damno ex illo emergenti, & hoc eſſe valdè notandum, cùm facilè quis poſſit reſpondere contrarium; non enim huic opinioni fundamentum inuenio, cùm certum principium ſit, iniuſtum damnificatorem de omni damno teneri, & intereſſe, vt diximus *initio n. 1.* quod latiùs explicabimus *n. 11.*

3. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò, ſi reus iam erat per alios teſtes conuictus, & teſtimonium falſum alicuius teſtis accedens nihil effecit, eo quòd propter illud reo non ſit grauior pœna inflicta, nec iudex firmior ſit redditus ad eam imponendam, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis grauiter contra iuſtitiam peccet. Ratio eſt, quia etſi iniuſtè grauem iniuriam ei inferat, non eſt tamen cauſa efficax damni dati, quia ex prioribus teſtimoniis iam cenſetur efficaciter illatum, vnde cùm hæc iniuria aliena ſit à damno, non excuſabitur illator illius à peccato, excuſabitur tamen à reſtitutione; ita Leſſius (Leſſius.) *lib. 2. cap. 30. dub. 7. n. 52. verſ. aduerte tamen.*

4. *Concluſio tertia.* Statuo tertiò, ille, qui falſum teſtimonium contra aliquem dixit ſciens, ac prudens, ratione cuius mors, mutilatio, aut damnum aliquod iniuſtè ei eſt inferendum, tenetur ad reſtitutionem, & ad retractandum ſuum dictum, cum æquali etiam periculo vitæ, famæ, boni temporalis, aut honoris, ſi ſimile damnum reo timeatur; ita docet Leſſius (Leſſius.) *citatus num. 53. & cap. 11. dub. 22. num. 117.* Gabriel *in 4. diſtinct. 15. concluſ. 7. ad finem.* Saytus (Sayt.) *in Claui Regia, cap. 19. num. 8.* Filliucius (Filliucius.) *tomo 2. tract. 40. cap. 8. num. 254.* Petrus Nauarra (P.Nauarra.) *lib. 2. cap. 5. num. 233.* & alij communiter. Ratio eſt, quia quiſque tenetur damnum, quod alteri inique parauit, auertere cum pari damno ſuo, ad id enim velit, nolit, ſe expoſuit, nec refert, quòd quiſque magis teneatur conſulere vitæ ſuæ, quàm alienæ; id enim ſolum verum eſt, quando vterque eſt æquè innocens, & in pari innocentia cauſæ: hinc fit, vt ſi aliquos ad falſum teſtimonium ferendum, induxiſti tuo conſilio, tenearis ex iuſtitia eos monere, vt retractent ſe ſe, quòd ſi noluerint, teneris ipſi iudici totam tuam machinationem aperire, vt innocens liberetur, quamuis inde tibi certa mors impendeat, ſi ob tale teſtimonium aliis etiam immineat; ita Leſſ. (Leſſius.) *d. lib. 2. c. 30. dub. 7. n. 54.* & P. Nauar. (P.Nauarra.) *lib. 2.*

Nauarrus. Ludou. Lop. Sotus. Medina. Caietan. Couarr.

lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 253. Nauarrus *in ſumma Latina*, *cap.* 15. *num.* 17. Ludouicus Lopez 1. *part. Inſtruct. cap.* 116. *concluſ.* 3. Sotus *lib.* 4. *de iuſtitia*, *quæſt.* 6. *artic.* 5. *ad* 4. Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 3. *cauſa* 4. *ad* 4. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 4. Couarruuias *ad reg. peccatum*, 1. *part.* §. 3. *n.* 6. quod intelligendum eſt, modò reuocationem illam apud iudicem profuturam ſperemus, ſecus ſi non putetur profutura; ſimiliter ſi non induxiſti conſilio, ſed mandaſti, teneris reuocare mandatum; iuxta doctrinam traditam in materia de irregularitate, quæ tota hîc applicanda eſt.

5. *Concluſio quarta.*

Statuo quartò. Qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, inaduertentia, vel obliuione mortaliter non culpabili, ratione cuius contigit aliquem grauiter lædi & damnificari, non tenetur ad reſtitutionem; idem de Tabellione, qui falſum inſtrumentum fecit ex eadem ignorantia, aut inaduertentia, & de quocumque alio miniſtro iuſtitiæ in ſuis actionibus; ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 7. *num.* 55. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 77. *artic.* 4. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *num.* 353. & omnes modò allegati; & ratio eſt, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm nihil habeatur non ratione iniuſtæ acceptionis, cùm nihil acceperit, non ratione damnificationis iniuſtæ, cùm illa actio fuerit inuoluntaria, & non peccauerit ſaltem mortiferè, vt ſupponimus, & valdè probabile eſt, neminem teneri ex damno illato, quando in illo inferendo mortaliter non peccauit; vt egregiè probat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. vnde cùm non appareat aliud principium, ob quod illum ad reſtitutionem obligemus, cenſetur damnum illud fortuitò accidiſſe.

Leſſius. Caietan. P. Nauarra.

6. *Concluſio quinta.*

Statuo quintò. Qui ſuo teſtimonio poteſt aliquem ab iniuſta morte liberare, & antequam requiratur à iudice, & præceptum iudicis illi intimetur, non vult teſtimonium ferre, peccat mortiferè contra charitatem, non tamen ad aliquam reſtitutionem tenetur, ita Nauarrus *in ſumma Latina*, *cap.* 25. *num.* 47. *& in cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *num.* 638. 706. *&* 722. Gabriel *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 6. *art.* 2. *concluſ.* 7. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *in corpore*; & expreſsè Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. *num.* 58. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 7. *artic.* 1. Salon 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 1. *dub.* 3. Ratio eſt, quia nemo tenetur ex iuſtitia ſe offerre ad teſtificandum, tenetur tamen ex charitate, ſi videt ſuum teſtimonium eſſe neceſſarium ad liberandum innocentem, vel ad eripiendum accuſatorem à periculo pœnæ talionis, qui propter bonum publicum tenebatur accuſare, & verò ſi intelligat ſuum teſtimonium non profuturum, tenetur facere quòd in ſe eſt, vt veritatem aperiat iudici, vel alteri, qui poteſt prodeſſe. Dicitur enim in Pſalmo, *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*; & Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* & ad Roman. 1. *Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* & ibi gloſſa, *Conſentire eſt tacere, cùm poſſis redarguere.*

Nauarrus. Gabriel. D. Thom. Leſſius. Sotus. Salon.

7. Similiter non tenetur ad reſtitutionem ille, qui non vult teſtificari; quando graue damnum ex teſtimonio ſuo ſibi, vel ſuis timet, nec ſuperior Eccleſiaſticus, vel ſecularis eum poteſt ad huiuſmodi damnum ſubeundum, & teſtimonium ferendum obligare, niſi ratio boni publici, quod huic damno particulari præponderet, id poſtulet; vnde citatus, & requiſitus à iudice, poteſt non comparere, & ſi compareat, poteſt aliquo artificio, & fictione ſe eximere: ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. *num.* 56. Nauarrus *in ſumma Latina*, *cap.* 25. *num.* 50. Baldus *in cap. cùm nuntius, de teſtibus.* Syluester *verb. Denunciatio, quæſt.* 1. *& verb. Correctio*, §. 7. *ad finem.* Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *num.* 255. Sayrus *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 24. Sotus *de teg. ſecret. memb.* 2. *dub.* 3. *quæſt.* 7. Nemo enim cum tanto ſuo diſpendio, tenetur tale teſtimonium ferre.

Leſſius. Nauarrus. Baldus. Syluester. Filliucius. Sayrus. Sotus.

Si aliquis alium ſponte ſua accuſauit odio, & maleuolentia, non zelo iuſtitiæ, & boni communis de crimine aliquo, ob quod mortem mereatur, & ex defectu probationis pœna ei talionis impendeat, nemo tenetur ex charitate cum damno ſuo, vel alterius ſe offerre ad teſtificandum, vt eum ab imminenti pœna talionis liberet; conſtrictus tamen à iudice tenetur in actu teſtificationis, non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia veritatem dicere; ita expreſsè Nauarrus *cap.* 25. *à num.* 40. & D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 1. *in corpore*, *in fine.* Ratio eſt, quia nemo tenetur ex charitate ſe offerre ad teſtificandum; vt illum à pœna talionis liberet, qui ſe ſponte, & nullo cogente in tale periculum coniecit, quia non eſt innocens, ſed nocens. Conſtrictus tamen à iudice in actu teſtificationis, non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia tenetur veritatem fateri, ne iuſtitia pereat. 8.

Nauarrus. D. Thom.

Sed quid ſi quis vocatus, & requiſitus à iudice, vt teſtimonium ferat, nolit accedere, tenetur ne ad reſtitutionem, ſciens ſe poſſe reum ab impendenti damno liberare ſuo teſtimonio, & de facto non liberauit, quia noluit ad teſtimonium ferendum accedere, aut poſt requiſitionem iudicis falsò ſe ab eo teſtimonio ferendo excuſauit, dicens, verbi cauſa, partem aduerſam ſibi eſſe inimicam, & ideo ſe non poſſe in ea re teſtificari, ſciens totam iuſtitiam ex ſuo teſtimonio pendere, aut ſaltem illud neceſſarium eſſe ad iuſtitiam ſeruandam. Reſpondeo, hac de re partitam eſſe opinionem. 9.

Quid ſi vocatus à iudice ad teſtificandum ſe iniuſtè excuſet à ferendo teſtimonio.

Prima affirmat ad reſtitutionem teneri; eam docet expreſsè Nauarrus *in ſumma Latina*, *cap.* 25. *num.* 41. *verſ. Tertiò qui caſu.* Leſſius *tomo* 1. *de iuſtitia*, *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. *num.* 54. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 258. Salon. 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 1. Sotus *lib.* 2. *de iuſtitia*, *quæſt.* 7. *artic.* 1. Banhes, Petrus Nauarra, & Valentia, quos citat; ac ſequitur Filliucius *allegatus*; & de mente D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 70. *artic.* 4. *in corpore.* Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd vocatus, & requiſitus fuit à iudice, tenetur ex iuſtitia teſtificari, & in actu teſtificationis veritatem fateri; ſicut enim ſi iudex alicui præcipiat, vt proferat ſcripturam, in qua vel tota iuſtitia cauſæ, vel magna pars iuſtitiæ illius conſiſtit, & ille eam rumperet, vel quauis alia cauſa iniuſta ſe excuſaret, tenetur ad reſtitutionem damni, quod inde alteri tertio ſequitur, ſic iſte tenetur ad reſtitutionem damni, quod alteri ſequitur, ex eo quòd præcipiente iudice teſtimonium ferre nequit, iniuſtè ſe excuſans.

Opinio prima. Nauarrus. Leſſius. Filliucius. Salon. Sotus. D. Thom.

Ex hac opinione à fortiori ſequitur, ſi poſt citationem, & requiſitionem iudicis ad teſtificandum teſtis accedat, & in actu teſtificationis verum taceat, aut occultet, in notabile damnum partis, teneri ad reſtitutionem; quia eo ipſo, quòd ad actum teſtificationis accedit, tenetur ex iuſtitia verum dicere; & id expreſsè docet D.Thomas 10.

D. Thom.

dicta

Nauarrus. dicta 2. 2. quaſt. 70. artic. 4. in corpore, & Nauarrus allegatus num. 40. & alij quos num. præcedenti citauimus, & ratio eſt, quia ſicut quando alicui munus tutoris imponitur, & ipſe illud acceptat, tenetur ex iuſtitia cum obligatione reſtitutionis fideliter bona pupilli adminiſtrare, ita teſtis, qui officium teſtis acceptauit, & ad teſtificandum acceſſit, tenetur ex iuſtitia, & cum obligatione reſtitutionis veritatem dicere.

11. Opinio ſecunda. Molina. Secunda opinio partim affirmat, partim negat: eam docet Molina tomo 1. de iuſtitia, tract. 2. diſputat. 83. §. de teſte, & tomo 4. diſput. 700. num. 4. vbi multa aſſerit.

Aſſerit enim primò teſtem illum, qui in actu teſtificandi contrarium dixit ac res ſe habebat, eaque ratione in cauſa fuit, vt iudex in contrarium ferret ſententiam, ac ferenda erat, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem faciendam, nulla iudicis expectata ſententia ei, qui ob eam cauſam cauſa cecidit, & ſuum ius non obtinuit, & ad totum damnum illi ſubſecutum tanquam veram cauſam, aut ſaltem concauſam illius damni iniuſtam; & addit Molina vltimo loco allegatus, hoc verum eſſe abſque controuerſia; & verum ait, in hac enim veritate, omnes Doctores conſentiunt, nullo excepto, quod Iul. Clar. ſciam, præter vnum Iulium Clarum lib. 5. ſent. §. falſum, num. 19. vbi aſſerit, in foro contentioſo teneri huiuſmodi teſtem ad hanc reſtitutionem, quia ob crimen falſi, quod commiſit, falſum teſtimonium proferendo, dignus eſt, vt à iudice à reſtitutione omnium damnorum damnetur; in foro verò conſcientiæ, non teneri, niſi de falſo teſtimonio, non autem de damno ex illo ſubſequuto, quod perinde eſt, ac dicere periurum eſſe, non tamen teneri ad reſtitutionem damnorum; & Iulius Clarus allegat pro ſe Vincentium in cap. 1. de cuſtod. Euchariſt. Verùm hæc opinio Iulij Clari paradoxa eſt, & ſingularis, & communiter reprobatur.

12. Aſſerit ſecundò, idem dicendum eſſe, quando ſolùm tacuiſſet veritatem, quam ſciebat, & ita accedendo ad teſtificandum in cauſa fuit ob veritatem quam tacuit, vt is, à cuius parte iuſtitia ſtabat, non adhiberet, nec proferret alios teſtes, quia tunc cauſa fuit iniuſta, ob quam ille, à cuius parte iuſtitia ſtabat, cauſa cadetet; ac proinde de iuſtitia ante vllam ſententiam ei teneri ad reſtitutionem; & in hoc videtur concordare cum Nauarro, & D. Thoma, quos numer. 10. allegauimus; imò cum communi ſententia DD. quatenus aſſerunt, teneri teſtem, qui in actu teſtificandi veritatem tacet, ad reſtitutionem, ſi in damnum notabile partis illam taceat; diſcordat verò, quatenus addit, opus eſſe, vt ob eam cauſam deſinat pars illa, pro qua iuſtitia ſtabat, alios teſtes proferre, ſciens alios veritatem etiam tacituros, quia ille eam tacuit; nam hoc alij Authores præter ipſum Molinam non addunt, neque opus eſt id, quod Molina addit, quia ſufficit, quòd pars pro qua iuſtitia ſtabat, iuſtitiam cauſæ amittat, ex eo quòd huiuſmodi teſtis veritatem in teſtificando taceat, vt illum ad reſtitutionem cauſæ, & damnorum obligemus, quando tota iuſtitia ex illius teſtimonio pendebat.

13. Molina. Leſſius. Aſſerit tertiò, in primo loco allegato, hoc eſt, tomo 1. diſputat. 83. §. de teſte, tractat. 2. non teneri huiuſmodi teſtem ad reſtitutionem ſi vocatus à iudice ad teſtimonium proferendum in cauſa aliqua, quæcumque illa ſit, fraude, fuga, fictioneve aliqua actum teſtificandi declinauerit, & ea declinatione in cauſa ſit, vt pars illa, pro qua iuſtitia ſtabat, cauſam amittat, aut damnum aliquod patiatur; & hoc non eſſe improbabile, addit Leſſius tomo 1. de iuſtit. lib. 2. cap. 30. dub. 8. num. 59. vbi dicit ſe hac de re conſuluiſſe viros doctos Louanienſis Academiæ, & ita ſibi reſpondiſſe; quamuis ipſe Leſſius, vt diximus num. 9. & ſtatim etiam dicemus, contrarium ſequatur, cum communi opinione, à qua non eſt recedendum; fundamentum Molinæ eſt

Primò, quia citatio illa, & præceptum ſuperioris non imponit teſti obligationem iuſtitiæ ad teſtificandum, ac proinde non peccabit contra iuſtitiam, ſi fuga, falſa, aut ficta cauſa teſtimonium declinauerit, ſed contra charitatem in proximum, & contra obedientiam iudicis; ex violatione autem obedientiæ, & charitatis non oritur obligatio iuſtitiæ, cùm hæc ſola oriatur ex peccato contra iuſtitiam.

Secundò, quia ſi quis iuſſus à iudice ſuſcipere tutelam pupilli nolit acceptare, ſed fictè, aut dolo, vel ex qualibet alia cauſa ſe excuſaret, non tenetur ad reſtitutionem bonorum pupilli, ſi illa malè adminiſtrarentur ab alio; ſed ſolùm eſſet in magiſtratum inobediens, & in pupillum parũ pius; ergo etiam ſi teſtis hoc modo fugiat, & decliner teſtimonium, non tenebitur ad reſtitutionem faciendam parti illi, pro qua ſtabat iuſtitia, etiamſi alij teſtes contra illum teſtimonium falſum proferant, aut taceant veritatem; ſed ſolùm inobediens erit in iudicem, & contra charitatem peccabit in partem.

Tertiò, quia non eſt eadem ratio de præcepto ſcripturæ proferendæ, in qua conſiſtit iuſtitia partis, quod eſt vnicum fundamentum Authorum contrariæ ſententiæ explicatæ num. 9. Quia illa ſcriptura eſt res externa, de qua Reſpublica poteſt ex iuſta cauſa diſponere, ſicut ex eadem iuſta cauſa diſponere poteſt de bonis externis ciuium, & ideo iuſtè poteſt iudex ex iuſtitia præcipere illam habenti, vt illam exhibeat in iudicio, quando ex illa pendet iuſtitia partis, & ille ex iuſtitia tenetur obedire, quia illud præceptum in eo caſu, eſt veluti quædam iudicis ſententia, qua obligat habentem talem ſcripturam ad illam proferendam, & ſubditi ex iuſtitia tenentur parere iudicis ſententiæ; at veritas, quæ eſt in intellectu, eſt res merè interna, & actus liber & occultus, ad quam propalandam, nulla poteſtas publica ex iuſtitia poteſt obligare.

Verùm hæc ſententia Molinæ nullo modo eſt admittenda, eſt enim admodum pernicioſa Reipublicæ, nam vt homines ſunt proni ad malum, facilè aliis poſt requiſitionem, & præceptum iudicis nocebunt, & fictè, & doloſè ſe excuſabunt à veritate teſtanda, cum damno Reipublicæ, peribit enim iuſtitia, niſi ad reſtitutionem obligentur, & ſciant ſe ad illam teneri, & ideo optimè Leſſius dict. tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. cap. 30. dub. 8. n. 59. poſtquam dixit hoc eſſe probabile, addidit hæc verba. *Hac dixerim non aſſerendo, ſed diſputando, vt res iſta à viris doctis magis examinetur, alioqui mihi communis, & recepta ſententia magis eſt cordi*; id eſt, ſententia contraria, quam num. 9. explicauimus; vnde ſi poſt præceptum iudicis doloſè, aut ficta cauſa, à teſtificatione declinauerint, ad reſtitutionem obligandi ſunt in conſcientia, quia iam tunc præiudicium aliquod patitur pars, & hæc quidem obligatio non oritur ex præcepto iudicis immediatè, quo 14. Leſſius.

teſtem obligat ad ferendum teſtimonium, ſed oritur ex iure naturali explicitè, & implicitè ex obligatione iuſtitiæ impoſitæ à Republica ipſis teſtibus, potuit enim Reſpublica imponere hanc obligationem de iuſtitia vnicuique, & de facto illam impoſuit, vt vbi primùm vocatur à iudice ad ferendum teſtimonium, teneatur de iuſtitia accedere ad teſtificandum, niſi habeat cauſam legitimam illum excuſantem; & hæc obligatio eſt quaſi connaturalis hominibus, iniuncta à iure naturæ, ne iuſtitia, qua Reſpublicæ gubernantur, pereat; ad quam obligationem ex iuſtitia, velint, nolint, tenentur omnes & ſinguli, qui membra Reipublicæ ſunt, potuit enim hanc obligationem iuſtitiæ cuique ſuorum ciuium Reſpublica imponere ad ſui conſeruationem, non enim ſine iuſtitia Regna, & imperia diu conſeruantur; & ita docet Leſſius *allegatus*.

Vnde oriatur obligatio teſtificandi verum ex iuſtitia.

15. Ad id quod pro opinione Molinæ in ſecundo loco adducitur, eſt diuerſa ratio: nam nemo ex iuſtitia requiſitus, etiam à iudice, tenetur acceptare munus, & officium tutoris, aut curatoris pupillorum; nondum enim Reſpublica talem obligationem iuſtitiæ commutatiuæ, ciuibus ſuis impoſuit: poſſunt tamen iudices ex iuſtitia legali, ex qua nulla reſultat reſtitutionis obligatio, obligare aliquem ad acceptandum munus tutoris, aut curatoris, & poſtquam munus tutoris acceptauit, tenetur ex iuſtitia cum obligatione reſtitutionis orta ex officio, bona pupillo fideliter adminiſtrare. Nec diſtinctio inter præceptum de Scriptura proferenda, & de dicenda veritate quicquam valet, quia re vera ſi ex vtraque re pendeat iuſtitia, hoc eſt tam ex oſtenſione ſcripturæ, quàm ex teſtificatione veritatis, in vtraque re dabitur eadem obligatio, quòd enim ſcriptura ſit res externa, & veritas res interna reſidens in intellectu, id per accidens eſt, vt patet.

16. Aſſerit quartò Molina relatus *num.* 11. in vtroque loco ibi allegato, non teneri etiam ad reſtitutionem parti faciendam; ſi in actu teſtificandi veritatem in notabile damnum partis taceat, vel occultet, ex eodem ſuo fundamento; quia ſcilicet ſolùm peccauit contra charitatem, & contra obedientiam publicæ poteſtati debitam, non verò contra iuſtitiam; ac proinde non teneri in foro conſcientiæ reſtituere damna, ex eo quòd veritatem ſuo teſtimonio non aperuerit. Sed hoc fundamentum iam conuulſum eſt ex dictis *num.*9. *&* 10. non enim obligatio reſtitutionis, & teſtandi verum, & illud non occultandi in actu teſtificandi, oritur ex præcepto iudicis, vt diximus, ſed oritur ex obligatione iuſtitiæ impoſita à Republica vnicuique teſti, quam obligationem potuit Reſpublica ſuis ciuibus ad ſui conſeruationem imponere, & eſt illis hæc obligatio iuſtitiæ, connaturalis in hoc caſu.

17. Illud certiſſimum, teneri partem, quæ aliquos teſtes profert, ſoluere ipſis teſtibus expenſas itineris eundo, ſtando, & redeundo, pretium laboris, ſi quem notabilem ſubierint, accedendo ex remoto loco ad ferendum teſtimonium, & valorem, ac æſtimationem operarum quibus ſe priuant eundo, ſtando, & redeundo, & intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis; nemo enim cum hoc proprio diſpendio, & damno tenetur teſtimonium ferre pro alio, & ideo illis hæc omnia in vtroque foro iure debentur; patet ex *cap. ſtatutum, de reſcript.* in 6. *lib.* 1. §. *proferendo*, *& cap. ſi teſtes*, §. *liberi*, *verſ. venturis* 4. *quæſt.* 3. *l. quoniam*, *C. de teſtibus*, & ex noſtro iure Luſitano in veterib. Ord. *lib.* 3. *tit.* 42. §. 5. *in nouis*, *lib.* 3. *tit.* 55. §. 6. imò de iure etiam Luſitano *lib.* 1. *tit.* 11. §. 2. *in nouis*; teſtes qui aliunde ad Curiam, vel iudicis præſentiam vocantur, vt teſtimonium in cauſis criminalibus ferant, non ſuis expenſis, ſed expenſis Senatus, & iuſtitiæ ad ipſum teſtimonium proferendum accedunt, & verò ſi iter quinque leucas excedat, non poſſunt vocari ad Curiam, vt in ea in cauſis criminalibus deponant, niſi quinque Senatores fuerint concordes; vt patet ex *dicto lib.* 1. *noua Ordin. tit.* 11. §. 2.

Statuo ſextò, pro ferendo teſtimonio vero, & vera ſententia, nihil poteſt teſtis, aut iudex accipere, & ſi quid acceperunt, tenentur illud in conſcientia ante vllam ſententiam reſtituere, ſiue ferant, ſiue non ferant; qua de re iam diximus *ſuprà cap.* 26. *n.* 13. & ratio eſt 18.

Concluſio ſexta.

Primò, quia quicquid datur pro teſtimonio iuſto, aut iuſta ſententia proferenda, cenſetur omnino inuoluntarium, & coactè datum metu iniuſti teſtimonij, iniuſtæque ſententiæ; vt optimè docet Leſſius *tomo* 1. *de iuſtitia*, *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 55. §. *Reſpondeo negando*, *in fine*, & quamuis ille ſolùm loquatur de iuſta ſententia, tamen eadem eſt ratio de iuſto teſtimonio; qui autem aliquid accipit & retinet, contra voluntatem domini rei retentæ, tenetur illud ei reſtituere; ergo iudex, & teſtis tenentur ad huiuſmodi reſtitutionem, cùm contra voluntatem Domini accipiant, & retineant. Leſſius.

Secundò, quia nihil eſt ibi vendibile, pro quo teſtis, & iudex pretium accipere poſſint, aut exigere; nam vterque tam teſtis, quàm iudex de iuſtitia, & ex officio tenentur verum teſtimonium, & iuſtam ſententiam ferre; ergo contra iuſtitiam faciunt, aliquid accipiendo, & ad reſtitutionem in conſcientia tenentur, ſi aliquid exegerunt, & acceperunt, quod non ſit pro expenſis itineris, pro pretio laboris, & operarum; ita expreſsè Nauarr. *cap.* 25. *num.* 45. *& cap.* 17. *num.* 33. *in ſumma Latina*; *& cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concluſione* 6. *coroll.* 63. & Molina *tomo* 1. *de iuſtitia*, *diſput.* 83. §. *teſtis*, *litt. B. col.* 2. & debent neceſſariò teneri omnes qui dicunt, teneri teſtem iuridicè interrogatum de iuſtitia veritatem fateri, & iniuriam facere parti, iudici, & Reipublicæ, non teſtificando veritatem; quos citauimus *num.* 9. Inter quos eſt etiam Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *cap.* 8. *num.* 251. & id patet expreſsè ex *cap. cùm ab omni ſpecie*, *de vita*, *& honeſtate Clericorum*, ibi, *Cùm nec iuſtum iudicium iudici vendere liceat, & venales ſententiæ ab ipſis etiam legibus ſecularibus reprobentur.* Nauarrus. Molina. Filliucius.

Maius dubium eſt, an teſtis & iudex, & tabellio teneantur in conſcientia reſtituere id, quod pro iniuſto teſtimonio, & pro ſententia iniuſta ferenda acceperunt, & tabellio id quod pro confectione falſi inſtrumenti accepit; in quo notandum eſt, non eſſe in primis dubium, teneri huiuſmodi iudices, teſtes, & tabelliones, qui pro pretio iniuſtas ſententias, & teſtimonia protulerunt, iniuſtúmque inſtrumentum fecerunt, damnum illud reſtituere, quod ſuo teſtimonio, & inſtrumento falſo, iniuſtáque ſententia dederunt; vt probauimus *n.* 4. & docet Gabriel. *in* 4. *diſt. concl.* 7. Omnis enim qui proximè iniuſtè damnum graue infert, & læſionem, grauiter peccat contra iuſtitiam, & tenetur illud reſtituere, vt eſt communis doctrina; ſed tota dubitatio eſt, an 19. Gabriel.

vltra

vltra hanc reſtitutionem damni, teneantur etiam reſtituere parti pretium illud, quod pro ea iniuſtitia ei facienda ab ea acceperunt, qua de re eſt duplex opinio.

20. Opinio prima. Leſſius. Prima negat; eam tenet Leſſius *tomo* 1. *de iuſtitia, cap.* 14. *dub.* 8. *à num.* 52. *ad* 55. vbi dicit, non teneri iudicem reſtituere id, quod pro iniqua ſententia ferenda accepit; & eadem eſt ratio de teſte, & tabellione, qui aliquid pro ferendo iniuſto teſtimonio, & falſo inſtrumento conficiendo acceperunt; docet etiam Molina *tomo* 1. *de iuſtitia, diſputat.* 89. & Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 17. *num.* 30. *verſic. ſecundò dico*; & *cap.* 25. *num.* 45. *verſ. ſexto.* Toletus *lib.* 5. *ſumma, cap.* 21. *in fine, & cap.* 59. & in hoc vltimo loco agit de teſte, in primo de iudice. Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 2. *poſt dubitat.* 12. *num.* 132. Rodriguez *in ſumma, part.* 2. *cap.* 40. *concluſ.* 2. D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *artic.* 1. *in corpore, & quæſt.* 67. *artic.* 5. *ad* 2. & multi alij, quos citauimus *cap.* 27. *num.* 16. vbi de hac re iam egimus. Fundamentum eſt

Molina. Nauarrus. Toletus. P. Nauarra. Rodriguez. D. Thom.

Primò, quia etſi opus illud iniuſtum, vt teſtimonium, aut inſtrumentum falſum, & iniqua ſententia, pro quibus pretium vnus dedit, & alter accepit, non ſit pretium æſtimabile, qua malum, & offenſio Dei eſt, tamen qua delectabile eſt, & vtile danti, & quâ detrimentoſum eſt, periculoſum, & laborioſum accipienti, inter homines pretio æſtimabile iudicatur; ergo quod hac ratione datur, pro eo opere quâ laborioſum, periculoſum, & detrimentoſum eſt accipienti, & quâ delectabile eſt danti, poteſt accipiens pro eo labore, periculo, & detrimento, ſi non licitè, tamen validè pretium aliquod, quod tali labori, detrimento, & periculo, arbitrio prudentis reſpondeat, abſque obligatione reſtitutionis, accipere, & ſolum tenebitur reſtituere id, quod arbitrio prudentis valorem laboris, periculi, & detrimenti excedit. Sic meretrix, quæ copiam ſui corporis, communi pretio vnius aurei ſolet exponere, ſi pro ea copia ab aliquo iuuene quinquaginta aureos extorſerit, tenetur ei ad reſtitutionem exceſſus; vt optimè docet Leſſius *allegatus, num.* 53. quod tamen, vt ipſe *ibi* optimè ait, locum non habet in ea, quæ putatur honeſta, aut cum matrona aliqua, vel filia illius, centum aureos pro copia ſui corporis ab eo accipit, qui dare poteſt; retinere enim illud pretium poteſt, & nihil tenetur reſtituere, tanti enim, vel etiam pluris poteſt ſuam pudicitiam æſtimare, res enim, quæ certum pretium non habent, nec ad vſum vitæ ſunt neceſſariæ, ſed voluptatis cauſa quæruntur, arbitrio venditoris poſſunt æſtimari, vt eſt communis omnium ſententia, in materia venditionis.

21. Secundò, quia neque de iure naturali, neque de iure poſitiuo, tenetur iudex reſtituere id, quod accepit pro iniqua, & iniuſta ferenda ſententia, aut teſtis pro iniquo teſtimonio, aut tabellio pro conficiendo falſo inſtrumento; quia ſi de iure naturali tenerentur illud reſtituere, tenerentur id reſtituere eis, qui illis pretium dederunt, ſed non tenentur illud eis reſtituere; ergo nulli tenentur. Minor probatur; quia illi in huiuſmodi pretio accipiendo, nullam eis iniuriam intulerunt, libenter enim, & liberè dederunt, & obtulerunt pro eo opere malo, & iniuſto, quod ipſi non tenebantur facere de iuſtitia; imò tenebantur de iuſtitia contrarium facere; ergo illis nihil tenentur reſtituere; nam quod ait D. Anton. *part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 1. huiuſmodi reſtitutionem faciendam eſſe pauperibus, cùm neque retineri poſſit ab accipiente, nec dari debeat à dante, & offerente; vt patet ex his illius verbis. *ibi, ſi pecunia data ſit iudici, ad eum corrumpendum, vel teſti ad falſum teſtimonium dicendum, vel alicui ad falsò accuſandum, vel Aduocato ad iniuſtè aduocandum, illi datori reddi non debet, quia turpiter dedit, nec ſibi retinere poteſt, ſed pauperibus elargiri, vel illi in cuius damnum, & iniuriam data eſt; & præcipuè ſi amiſiſſet ex hoc iuſtam cauſam.* Solum locum habet poſt ſententiam latam; meretur enim vterque, vt illo pretio iuſta ſententia priuetur: accipiens, quia iniquè accepit, dans, quia ob turpitudinem dedit: at ante ſententiam latam iuſtè poteſt retineri, & abſque vlla obligatione reſtitutionis; & cum D. Antonino *allegato*, idem ſentit Syluester *verb. Reſtitutio.* 2. §. 1. & *verb. Reſtitutio.* 4. *quæſt.* 1. & *verb. eleemoſyna, quæſt.* 4. *verſ. tertium.* vbi dicit, ſic datum non eſſe reſtituendum danti, quia in pari cauſa turpitudinis, potior eſt conditio poſſidentis, iuxta *l. ſi ob turpem cauſam,* §. *porrò, ff. de condict. ob turpem cauſam.* Sed hodie huiuſmodi data, & accepta fiſco Regio applicantur per iudicis ſententiam, vt alibi diximus, & infrà videbimus.

Probatur tertiò, non teneri huiuſmodi recipientes pretium de iure naturali, ante vllam ſententiam reſtituere, ſed poſſe illud retinere, iniuſto opere perpetrato, ſi illud iam pro huiuſmodi iniuſtis actionibus acceperunt, & teneri promittentem illud eis dare in conſcientia, perpetrato eodem opere, ſi tanti labor ille, & periculum, cui ſe patrator expoſuit, æſtimetur; quia qui accepit aliquid pro homine iniuſtè occidendo, & de facto illum occidit, non tenetur illud reſtituere, & qui promiſit aliquid pro opere turpi, pro furto faciendo, tenetur illud ſoluere promiſſario opere impleto, & promiſſarius non tenetur illud ei, à quo accepit, reſtituere, ſolum enim tenetur reſtituere damnum ex occiſione, & furto ſecutum in defectum iubentis furtum, & homicidium fieri, vt eſt communis ſententia, quam docet D. Thomas 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *in corpore, & quæſt.* 62. *artic.* 5. *ad* 2. vbi docet, poſſe quemlibet retinere id, quod accepit pro opere malo, & non diſtinguit de opere malo, contra iuſtitiam, an non contra iuſtitiam; quod idem docet Couarr. *ad reg. peccatum, part.* 2. §. 2. Ergo etiam, qui aliquid accepit pro iniuſto teſtimonio ferendo, ſi opere completo, & de facto illud acceperit, non tenebitur illud reſtituere in foro conſcientiæ, ureque naturæ; tenebitur tamen opere non completo. 22.

D. Thom. Couarr.

Non iure poſitiuo, quia ante ſententiam latam, qua in pœnam ſui ſceleris eo emolumento priuetur, non tenetur teſtis illud pretium reſtituere, quod pro iuramento falſo ferendo accepit. (idem de iudice, qui pro iniuſta ferenda ſententia, & de tabellione, qui pro falſo inſtrumento conficiendo, aliquid accipiunt.) vt docet Leſſius *tomo* 1. *de iuſtitia, lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 56. & Nauarrus *cap.* 17. *num.* 30. & 36. & Syluester *verb. Reſtitut.* 2. *q.* & §. 1. Et ratio eſt, quia omnes leges, quæ pacta turpia, & iniqua reſcindunt; & ſpecialiter lex, *generaliter, ff. de verb. obligat.* quæ ita habet. *Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti, velut ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat, ſed & officio prætoris continetur ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari.* & lex, *pacta, C. de pactis,* ibi, *Pacta quæ contra leges, conſtitutionéſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt.* Non reddunt irritam acquiſitionem ex tali cauſa 23.

Leſſius. Nauarrus.

ſa opere completo, nec inhabilitant antecedenter accipientem, ad comparandum eius rei dominium, nec etiam inhabilem faciunt dantem, ad donandum aliquid validè ob eam cauſam, ſed tantùm videntur diſponere, vt ante patrationem operis, promiſſiones illæ, & pacta pro inualidis habeantur, & ne ex illis opere etiam completo obligatio aliqua ciuilis oriatur, ob quam peti poſſit in iudicio promiſſum, quod videtur expreſſum in dicta lege generaliter illis verbis, *Sed & officio prætoris continetur, ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari*; vt docet Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 8. num 57.* Couarruuias *ad regulam, peccatum, §. 2. part. 2. num. 6.* & Nauarrus *allegatus*; ex nullo ergo principio hæc reſtitutio facienda eſt.

Leſſius. Nauarrus.

24. Neque obſtat *lex 1. C. de donationibus inter virum & vxorem*, in qua iubetur ancilla reſtitui militi, quam ipſe dederat concubinæ, quia id militum tantùm priuilegium eſt, conceditur enim militibus ex ſpeciali priuilegio ius repetendi in iudicio id, quod ſuis concubinis, & meretricibus donarunt; volunt enim Imperatores, ne ſui milites hac via per huiuſmodi concubinarum illecebras depauperarentur, ex quo tamen non ſequitur teneri concubinas ante vllam iudicis ſententiam, ad aliquam reſtitutionem; vt optimè animaduertit Leſſius *d. lib. 2. cap. 14. dub. 8. num. 58.* Ita ſe habet iſta ſententia, aliam dabimus in Summario ſequenti.

Leſſius.

SVMMARIVM.

Refertur ſecunda ſententia, affirmans teneri teſtes, tabelliones, & iudices in conſcientia, ante vllam ſententiam reſtituere id, quod pro iniuſta ſententia, & teſtimonio, & pro conficiendo iniuſto inſtrumento acceperunt. num. 25.

Opera iniuſta, & contra iuſtitiam facta, ſunt inuendibilia. num. 26.

Leges humanæ iuſtæ poſſunt ſuos ſubditos inhabiles reddere antecedenter ad celebrandos contractus. num. 27. & 37.

An id quod datur pro iniuſta ſententia, & teſtimonio ferendo, & pro iniuſto inſtrumento conficiendo valeat tanquam donatio merè gratuita, & liberali. num. 28.

An huiuſmodi accipientes teneantur ſolùm hoc reſtituere, quia per leges humanas, inhabiles redduntur ad accipiendum, an etiam ex iure naturæ. num. 29.

Cui nam reſtituendum ſit id quod pro huiuſmodi iniuſtis actionibus, ab huiuſmodi officialibus, & teſtibus accipitur ante patrationem operis iniuſti. num. 30.

Quid ſi opus iniuſtum, & actiones iniuſtæ ſint iam facta, cui tunc reſtitutio eſt facienda. num. 31.

Licèt hæc ſecunda opinio ſit communior, non eſt neganda abſolutio ei, qui voluerit priorem opinionem ſequi. num. 32.

Ex hac opinione ſequitur, promittentem aliquid dare tabellioni pro iniuſto inſtrumento conficiendo, & iudici pro iniuſta ſententia, & teſti pro iniquo teſtimonio non teneri illud ei dare patrato opere. num. 33.

Iudicium authoris ſuper vtramque opinionem. num. 34.

Non eſt contra ius, vt ex eadem actione reſultet obligatio reſtituendi damnum datum, & ius retinendi id, quod pro tali damno faciendo datur, reſpectu diuerſorum finium. num. 35.

Opera iniuſta ſunt vendibilia, quatenus ſunt laborioſa, & detrimentoſa illa vendenti, non quatenus ſunt iniuſta. num. 36.

Secunda ſententia affirmat, teneri huiuſmodi teſtes, iudices, & tabelliones iniquos in conſcientia ante vllam ſententiam de iure naturali, reſtituere id, quod pro iniuſto teſtimonio, & falſo inſtrumento conficiendo, & iniuſta ferenda ſententia acceperunt, idque ſiue ante, ſiue poſt teſtimonium iniuſtum datum, latam ſententiam, aut falſum inſtrumentum confectum; ita docet Sayrus *in Claui Regia, lib. 10. cap. 2. num. 12.* Caietanus *2. 2. quæſt. 32. artic. 7.* Couarruuias *ad regul. peccatum, part. 2. §. 2. num. 7.* Alexand. de Alex. *part. 3. ſumma, quæſt. 40. memb. 6. artic. 3. §. 2. in fine.* Gabriel. *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 6. art. 3. dub. 1.* Paludan. *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 3. artic. 5. in fine.* Adrianus *in 4. quæſt. 19. de reſt. quæ incipit, Reſtat inquirere, verſ. hoc ſuppoſito, & verſ. videndum.* Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. artic. 1. in reſponſ. ad 2. verſic. ſecundus ergo modus.* Ioannes Medin. *C. de Reſt. q. 2. dub. 2. concluſione 4. & quæſt. 10. verſ. Eſt itaque.* Ledeſma *2. 4. quæſt. 18. artic. 5. fol. 263. colum. 1. & 2.* & clariùs *fol. 264. col. 1.* Michaël Salon. *2. 2. quæſt. 62. artic. 5. controuerſia 3. concluſ. 6.* Banhez *ibi dub. 3.* Aragon *ibidem concluſ. 6.* Medina *lib. 1. Inſtruct. confeſſor. cap. 16. §. 3. in fine.* Angles *in floribus in 4. ſent. part. 2. quæſt. cui facienda eſt reſtitutio, difficultate 12. concluſ. 4.* Valentia *tomo 3. diſput. 5. quæſt. 6. puncto 5. §. quid nam reſtituendum ſit.* Ludouic. Lopez *1. part. inſtruct. conſc. cap. 106. quæſ. 2.* Corduba *in quæſtionario, quæſt. 32. in 4. propoſitione, dubio 1. & 4.* Qui omnes in hoc conueniunt, teneri recipientem ad reſtitutionem ante omnem repetitionem in iudicio, & ſententiam iudicis. Et pro hac parte ſtat etiam D. Auguſtin. *Epiſt. 54. ad Macedonium*, his verbis. *Iuſtius dicitur Aduocato: Redde, quod accepiſti, quando contra veritatem extitiſti, iniquitati affuiſti, iudicem fefelliſti, de falſitate viciſti. Reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculum aufertur; & non eſt reſtituendum alienum quod in ipſo foro, vbi peccata puniuntur, legibus id prohibentibus obtinetur? ſceleratius accipitur pecunia pro ſententia iniuſta, quàm pro iuſta, & pro teſtimonio falſo, quàm pro vero.* Hæc ille. Quibus verbis ſatis ſuam mentem explicat, & æquiparat hanc obligationem reſtitutionis, obligationi illi, quam habet fur, reſtituendi id, quod furto abſtulit, & dicit grauius peccatum eſſe contra iuſtitiam, illam acceptionem, quàm acceptionem furti, & meritò; nam furtum ſolùm iniuſtitiam continet ex parte latronis furantis, illa verò acceptio iniuſtitiam continet ex parte dantis, & ex parte accipientis. Probatur rationibus,

25. Opinio ſecunda. Sayr. Caietan. Couarr. Alexand. de Alex. Gabriel. Palud. Adrianus. Sotus. Ioan. Med. Ledeſma. Salon. Banhez. Aragon. Medina. Angles. Valentia. Ludou. Lop. Corduba. D. Auguſt.

Primò, quia ad eamdem virtutem iuſtitiæ pertinet, præcipere opera iuſtitiæ, & prohibere opera iniuſtitiæ, ſed illa iniuſta acceptio, eſt opus iniuſtitiæ; ergo prohibetur per virtutem iuſtitiæ; ergo tenetur accipiens reſtituere id, quod iniuſtè accepit, ſiquidem contra iuſtitiam accepit. Confirmatur, quia ſicut ad iuſtitiam ſpectat, ius ſuum vnicuique tribuere; ita ad illam ſpectat prohibere, & vetare, ne damnum alteri inferatur. Sicut igitur iudex tenetur ex iuſtitia gratis facere iuſtitiam, & teſtis gratis iuſtum teſtimonium ferre; ita quoque tenentur vitare gratis iniuſtitiam; ſicut qui debitor eſt mille aureorum, tenetur illos ſoluere gratis, & reſtituere domino id, quod pro illis gratis ſoluendis accepit.

Secundò,

Secundò, quia eſt contra ius naturæ, vt ex eadem actione poſſit quis pretium pro illa exercenda iuſtè, & abſque obligatione reſtitutionis accipere, ex qua reſultat obligatio reſtituendi damnum alteri illatum; ſed huiuſmodi iudex, teſtis, & Tabellio tenetur reſtituere damnum partibus per iniuſtum teſtimonium, ſententiam, vel inſtrumentum illatum; ergo contra ius naturæ aliquid pro ea actione iniuſta exercenda accipiunt; ergo tenetur illud ante omnem ſententiam reſtituere.

26. Tertiò, quia huiuſmodi opera iniuſta, & contra iuſtitiam facta non ſunt vendibilia, nec pretium, aut æſtimationem merentur: nam ſiue illa conſideremus, quatenus ſunt mala, & deuiant à lege æterna, offenſionémque Dei continent, ſiue quatenus ſunt periculoſa,& detrimentoſa facienti, & delectabilia illi, propter quem exercentur, nullius valoris ſunt; in primis enim, quatenus ſunt mala, & deuiant à lege diuina, & æterna, nullam recipiunt æſtimationem, vt omnes fatentur; ergo id quod pro illis accipitur, iniuſtè accipitur; ergo qui illud accipit, ad reſtitutionem tenetur, deinde quatenus præciſè ſunt delectabilia illi, propter quem exercentur, nullum etiam pretium, nullum valorem,nullam æſtimationem habent, nam delectatio illa non eſt aliquid accipientis, ſed eſt aliquid ementis,& illius qui pretium dat, pro eo autem, quod noſtrum non eſt, nullum pretium recipere poſſumus, nemo enim iuſtè vendere poteſt alienum. Deinde, quia illa delectatio eſt in præiudicium, & damnum tertij, iniuſtè illi datum; ergo nullius valoris eſt; ergo ad reſtitutionem tenetur ille, qui pro ea aliquid accepit. nam pro iniuria alteri facienda, & iniuſtitia committenda iniuſtè, & contra iuſtitiam pretium accipitur; quod autem contra iuſtitiam accipitur,neceſſariò reſtituendum eſt. Tandem, quia quatenus ſunt laborioſa, & detrimentoſa facienti,non ſunt etiam vendibilia, nec pretio æſtimabilia; ergo neceſſariò reſtituendum eſt pretium, quod pro illis acceptum fuit. Probatur antecedens,quia labor ille, & detrimentum eſt contra iuſtitiam ſumptum; eſt enim iniurioſum, & nociuum proximo, & ab illo ex iuſtitia tenetur, illum ſuſcipiens ceſſare; ergo ſi non ceſſat, & pretium aliquod pro illo exercendo accipit,iniuſtè, & contra iuſtitiam accipit; ergo ad reſtitutionem tenetur, labor enim iniuſtus voluntariè ſuſceptus, & proximum in bonis ſuis contra voluntatem illius damnificans,vendi non poteſt, nec iuſtè compenſari;ergo ſi compenſatur, iniuſtè compenſatur; ergo ſi iniuſtè compenſatur, iuſtè compenſatio retineri non poteſt; ergo reſtituendum eſt in conſcientia id,quo fuit compenſatus.

27. Quartò, quia leges humanæ iuſtè poſſunt ſubditos ſuos reddere inhabiles ad iniuſtos contractus celebrandos, itavt ſi aliquid accipiant, illud teneantur reſtituere: atqui de facto leges ciuiles iam huiuſmodi iniquè contrahentes inhabiles reddiderunt, ad aliquid dandum, vel accipiendum; ergo dans inualidè dat, & accipiens inualidè accipit, ergo tenetur ex iuſtitia reſtituere id, quod accepit. Maiorem nemo negat. Minor facilè probatur ex *l.generaliter, ff. de verbor.obligat.* ibi, *Generaliter nouimus turpes ſtipulationes, nullius eſſe momenti*, & ex *l.2. & 3. ff. de condict. ob turpem cauſam*; & ex *l. iuriſgentium. §. ſi ob maleficium. ff. de pactis.* nam huiuſmodi leges non ſolùm inhabilitant perſonas ad validè ſuper his iniuſtitiis contrahendum, ſed etiam annullant, & inualidant prædictos contractus,& declarant ipſo iure naturali eſſe irritos,& inualidos,vt probatum manet.

Neque obſtat id, quòd aiunt nonulli ex contrariis Doctoribus, Nauarrus videlicet *in ſumma latina, cap.17. num.32.* & Petrus Nauarra *lib. 4. de reſtit. cap.3. poſt dub.12. num.142.* licèt conuentiones, & pacta non valeant, ſub illa forma, qua partes intendunt, & contrahunt, valere tamen illam acceptionem, tanquam donationem merè gratuitam, & liberalem, virtualiter in ipſo contractu incluſam, quia dans id merè gratuitò, & liberaliter dat, nam hoc falſum eſt, quia eſt datum ex vi contractus, non ex vi donationis liberalis, & contractus ex vtraque parte oneroſi excludunt omnem donationem liberalem, tam formalem, quàm virtualem, vt optimè docet Ludouicus Lopez *1.part. inſtruct. cap. 106. quæſt.2.* Vnde non cenſendum id eſt, gratis fuiſſe donatum, virtualiter ſaltem: & fauent verba D. Auguſtini *epiſt.54.ad Macedonium*, & refertur *in cap.ſanè 14. quæſt.5. Qui pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret, vel puderet emiſſe.* Deinde quamuis ſpontaneè, & gratis dediſſet, cùm tamen illa actio ſub titulo pretij, & contractus ſit prohibita, & accipiens inhabilis reddatur ad accipiendum, & donans ad dandum, non poteſt accipiens in conſcientia huiuſmodi pretium retinere, in odium enim delicti contra iuſtitiam commiſſi leges ciuiles huiuſmodi contrahentes inhabilitant, & conſequenter, nullum dominium accipiens acquiſiuit, vnde cùm res non ſit facta ſua,tenetur illam ſtatim reſtituere. 28.

Non obſtat etiam id quod reſpondent contrarij DD.non teneri huiuſmodi accipientes id reſtituere iure naturali, & in foro conſcientiæ, ſed ſolùm legibus humanis pœnalibus, quæ cùm pœnales ſint,pœnámque contineant,non obligant,niſi poſt iudicis condemnationem. Nam falſum eſt, teneri ſolùm legibus humanis ſic acceptum reſtituere, quia iam probauimus iure naturali irritam eſſe talem donationem, & acceptionem contra iuſtitiam ex titulo mercedis celebratum. Deinde, quamuis ſolis legibus humanis inhabiles reddantur, ſtipulantes ad ſic contrahendum, & leges illæ pœnales ſint, non ſunt tamen pœnales reſpectu accipientis, ſed reſpectu dantis; reſpectu enim accipientis ſunt directiuæ, & eos abſque vlla ſententia inhabilitantes, iuxta probatiſſimos Doctores, inter quos eſt Sotus *lib. 4. de iuſtitia, quæſt. 7. art. 1. ad ſecundum,verſ.interrogans autem.* Salon.*2.2.quæſt.62. art.5.controuerſ.3.concluſ.6.* Aragonius *ibid.concluſ.6.* Corduba *in quæſtionario, quæſt. 32.* Bartholomæus Medina *lib. 1. inſtruct. confeſſ.cap. 16. §.3. in fine.* Ludouicus Lopez *2.part.inſtruct. conſc.cap.17.circa medium.* Rodriquez *in ſumma,part.2.cap.40.concl.2.* Gregorius Sayrus *in Claui Regia, lib. 10. cap. 2. num.15.* & quamuis merè pœnales eſſent, reſpectu etiam accipientis, cùm tamen in priuatione conſiſtant, ſtatim ipſo facto, & abſque ſententia, & condemnatione iudicis obligare poſſunt, vt patet in pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, & priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, quo fit, vt nec recipere poſſint, nec retinere prædicti accipientes, ſed teneantur ſtatim, & ante vllam ſententiam reſtituere. 29.

Sotus. Salon. Aragon. Corduba. Medina. L Lopez. Rodriquez. Sayrus.

Si tamen ab authoribus huius ſecundæ ſententiæ,inquitas,cui nam reſtituendum ſit id,quod pro huiuſmodi actionibus iniuſtis datur. 30.

Reſpondent primò, ſi teſtimonium falſum, ſententia iniuſta, aut falſum inſtrumentum, non

 ſunt

ſunt, data, & facta, reſtitutionem ipſis dantibus faciendam eſſe, vt iniquus contractus reſcindatur. (& idem dicendum eſt, ſi quid Epiſcopo datum fuit, vt Ordines, aut beneficium conferret.) & ita ſpeciatim docent Ioan. Medina *C. de reſtit. q.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 4. Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 17. *num.* 30. *verſic.* 4. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 32. Petrus Nauarra *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 2. *dub.* 12. *num.* 144. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *in reſponſione ad* 2. *concluſ.* 7. Ludouic. Lopez 1. *part inſtruct. conſc. cap.* 107. Sayrus *allegatus, num.* 38. & in hoc benè docent; nam etiam authores primæ opinionis aſſerunt ante patratum opus reſcindendum eſſe contractum, & reſtituendum eſſe pretium danti, & ratio eſt,

Medina. Nauarr. Cordub. Petr. Nauar. Aragon. L. Lopez. Sayrus.

Primò, quia non donauit, niſi ob cauſam principaliter; ergo cauſa illa non ſubſiſtente, non abdicauit à ſe, nec ſe priuauit donans dominio illius pretij; ergo non poteſt accipiens in conſcientia illud retinere; ergo tenetur illud reſtituere.

Secundò, quia omnis promiſſio, ſtipulatio, & pactio de re turpi, ſiue ſit contra iuſtitiam, ſiue contra aliam quamcumque virtutem, ante rem impletam, eſt inualida, & nulla, imò eſt peccatum, & reſcindenda, vnde qui pecuniam pro ſententia iniuſta, aut pro adulterio committendo promiſit, non tenetur promiſſionem illam ſeruare ante implementum operis, ſed tenetur illam reſcindere, quia talis promiſſio, & pactio eſt de opere malo, & de peccato patrando; in malis autem promiſſis, fides reſcindenda eſt, vt patet ex *cap. in malis* 22. *q.* 4. & ideò cùm opus non ſit adhuc patratum, tenetur accipiens reſcindere infamem contractum, & reſtituere danti ſuum pretium, quod præter authores citatos, docent etiam Authores primæ ſententiæ. Molina *tom.* 1. *de iuſtitia, diſp.* 94. *concluſ.* 2. Caietanus 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *ad ſecundum.* Couarruuias *in reg. peccatum, p.* 2. *n.* 1. *de reg. iuris in* 6. Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *controuerſ.* 3. *concluſ.* 2.

Molina. Caietan. Couarr. Salon.

31. Reſpondent ſecundò, ſi opus ſit iam impletum, & teſtimonium falſum iam ſit datum, aut inſtrumentum falſum iam ſit confectum, ante ſententiam iudicis reſtituendum pretium etiam danti, poſt ſententiam verò reſtituendum eſſe ei, cui à iudice fuerit applicatum, fiſco videlicet, & id docent Sayrus *in Claui Regia, lib.* 10. *cap.* 2. *num.* 2. Sotus *lib.* 4. *de iuſtitia, q.* 7. *art.* 1. *ad ſecundum, verſ. interrogans autem*, & communiter omnes.

Sayr. Sotus.

32. Animaduertit tamen Gregorius Sayrus modò citatus *num.* 16. licèt hæc ſecunda opinio ſit communior, & probabilior, & iuxta eam ſemper conſulendum ſit, ſi tamen aliquis pœnitens ſequi velit opinionem Nauarri, & priorum Doctorum, non eſſe ei negandam abſolutionem, ſi nolit reſtituere id, quod iam pro patrato opere impleuit.

33. Et ex hac opinione ſecunda ſic hactenus explicata, ſequitur euidenter eum, qui aliquid promiſit prædicto iudici, Tabellioni, aut teſti pro ſententia iniuſta danda, teſtimonio falſo ferendo, aut inſtrumento falſo conficiendo, non teneri illud ei dare, patrato opere iniquo, tum quia alter inhabilis eſt ad accipiendum, & iſte peccat dando, ſicut peccauit contra iuſtitiam promittendo, tum quia ipſe recipiens de iure naturali, & ante vllam ſententiam, tenetur illud ei reſtituere, vt hactenus probatum eſt, & liquet ex dictis.

34. *Iudiciũ Authoris.* Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, vtraque valdè probabilis. Prima tamen (licèt minus communis ſit, & licèt pauciores authores habeat, quàm ſecunda) mihi videtur rationi conformior, & tenenda, & fundamenta huius ſecundæ iam partim ſoluta ſunt, partim ſic ſoluuntur.

Ad D. Auguſtinum *epiſt.* 54. *ad Macedonium*, reſpondeo primò, ſecutum fuiſſe ſecundam opinionem, quæ eſt valdè probabilis. Reſpondeo ſecundò, illum voluiſſe in vtroque foro rem eſſe reſtituendam, ſed poſt latam ſententiam vtriuſque iudicis, tam fori externi, quàm interni, externi quidem, quia leges ciuiles in pœnam ſceleris commiſſi iubent, vt accipiens priuetur eo infami emolumento, & vt denegetur actio danti ad illud in iudicio repetendum, vt patet ex *l. generaliter, ff. de verbor. obligat. num.* 23. *allegata.* In foro interno autem, & conſcientiæ; quia, vt notat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 61. meritò poteſt Confeſſarius præcipere recipienti in pœnam, & pœnitentiam talis peccati, vt infame illud pretium pauperibus reſtituat, & præcipere etiam danti, & promittenti, ſi opus infame iam completum eſt, & pretium nondum ſolutum, vt ſimiliter illud pretium pauperibus donet, & tribuat.

Ad ſecundum reſpondeo, non eſſe contra ius naturæ, vt ex eadem actione reſultet iuſta retentio, & obligatio reſtitutionis, reſpectu diuerſorum, quando diuerſo modo conſiderantur, nam extra dubium eſt, teneri iudicem, teſtem, & Tabellionem iniquos, reſtituere damnum tertio, quod illi ex iniuſta illa actione dederunt, non eſt autem extra dubium, teneri reſtituere pretium, quod ab aliquo acceperunt, vt illi tertio damnum illud darent. Et quamuis ad eandem virtutem iuſtitiæ pertineat, opus iuſtitiæ præcipere, & opera iniuſtitiæ prohibere, tamen ita prohibet opera iniuſtitiæ, vt ſi quid pretio æſtimabile habeant, pro quo, iuſtè (quamuis non licitè) pretium aliquod accipi poſſit, illud poſſit retineri, huiuſmodi autem opera iniuſtitiæ, hoc eſt, confectio inſtrumenti falſi, & falſi teſtimonij, & prolatio ſententiæ iniuſtæ reſpectu damni, quod tertio cauſant, ſunt iniuſta; reſpectu verò pretij, quod pro illis accipitur, ſunt illicita, ſed non ſunt iniuſta, vnde cùm reſpectu pretij, quod pro illis accipitur, ſint laborioſa, detrimentoſaque accipienti, & voluptatem cauſent in dante, & hæc omnia de ſe ſunt pretio æſtimabilia; quare ſi arbitrio prudentis, tanti illa æſtimentur, quanti labor ille, & voluptas valet, non eſt prædictum illorum pretium reſtituendum, ſed iuſtè poteſt retineri, licèt non licitè, imò cum peccato acceptum ſit. 35.

Ad tertium reſpondeo illa opera iniuſta, non eſſe vendibilia, quatenus ſunt mala, ſed quatenus ſunt laborioſa illa facienti, & delectabilia illi, propter quem fiunt, & non præcisè propter illam voluptatem, nec præcisè propter illum laborem eſſe vendibilia, & pretio æſtimabilia, ſed ex toto hoc complexo reſultat, quòd vendibilia ſint, & pretio æſtimabilia. 36.

Dices, ſed quatenus ſunt laborioſa facienti, & delectabilia illi propter quem fiunt, ſunt iniuſta, & contra iuſtitiam; ergo pro illis nullum pretium iuſtè recipi poteſt. *Obiectio.* Reſpondeo formaliter loquendo ex ipſo labore, & voluptate non eſſe iniuſta, materialiter tamen reſpectu damni, quod cauſant, eſſe iniuſta, & ideò illa exercentes damnum, quod cauſant, tenentur reſtituere ex iuſtitia illi tertio cui datum fuit, non tenentur verò reſtituere pretium danti, niſi poſt ſententiam latam. *Reſponſio.*

Ad quartum reſpondeo, huiuſmodi leges ciuiles eſſe pœnales, & non obligare in conſcientia, niſi poſt ſententiam latam, & æqualiter pœnales eſſe, tam reſpectu dantis, quàm accipientis, & quamuis ius inhabilitet antecedenter ad celebrandum illum 37.

infamem

infamem contractum, tamen in conſcientia non obligat ad reſtituendum id, quod accipitur, niſi poſt ſententiam condemnatoriam iudicis, qua iudicet, contractum illũ eſſe ex eorum numero, ad quos celebrandos, leges ciuiles inhabilitant. Ex dictis conſtat, quid in hac re tam difficili, & obſcura dicendum ſit; ex his enim quæ diximus, facilis, & manifeſta ſatis erit, & ſaltem pro noſtra tenuitate, & rudi Mineruа, non potuimus illam amplius declarare.

CAPVT XLIII.

Quæ pœna ſtatuta ſit in iure, falſis teſtibus, quis iudex illam poſſit infligere, an ille iudex, coram quo falſum teſtimonium dicitur, etiamſi ſit laicus, & teſtis Eccleſiaſticus.

SVMMARIVM.

Teſtis falſus, Deum, iudices, & homines offendit. n.1.

Quam pœnam habuerit olim ex legibus Romanorum. n.2.

Quam pœnam habeat hodie ex iure communi Imperatorio. n.3.

Quam pœnam habeat ex iure Luſitano. n.4. & 5.

Quam pœnam habeat ex iure Canonico. n.6. & 7.

Teſtis falſi pœna eſt de iure Canonico, quod ei amplius in indicio non creditur etiam in veris. n.8.

Si eſt Clericus, deponitur, & traditur curiæ ſæculari. n.9.

Poteſt puniri ab eo iudice, coram quo teſtimonium falſum dixit, etiamſi aliunde ſit iudex incompetens. ibid.

Qua pœna ab eodem iudice puniendi ſunt, ordinariáne, an arbitraria. n.10.

Teſtis laicus ſi deponat falſum coram iudice Eccleſiaſtico, poteſt ab eo puniri. n.11.

Et etiam a ſæculari, ſed datur præuentionis locus. ibid.

Iudex arbiter, apud quem teſtis falſum iurauit, an poſſit illum punire. n.12.

An iudex delegatus. n.13.

An Clericus falſum deponens, coram iudice ſæculari poſſit ab eo puniri. à n.14. vſque ad 26.

Exemptio Clericorum, an ſit de iure diuino, an de iure poſitiuo Eccleſiaſtico. n.17. & 18.

An exemptio Clericorum conſuetudine poſſit tolli, minui, vel abrogari. n.19.20. & 21.

An Eccleſia ſpoliata, aut damnificata à laico poſſit repetere reſtitutionem in integrum, coram iudice Eccleſiaſtico. n.22.

Actor debet ſequi forum rei. ibid.

An Clericus læſus in bonis patrimonialibus poſſit petere reſtitutionem in integrum coram iudice Eccleſiaſtico, etiam aduerſus laicum. n.23.

Quid de patrimonio, ad cuius titulum Clerici ordinati ſunt, an hoc gaudeat priuilegio bonorum Eccleſiæ. ibid.

An Clericus coram Eccleſiaſtico iudice, teſtimonium falſum dicens, poſſit ab eo puniri, licèt aliunde non ſit iudex ſuus. n.24. & 25.

Teſtis in teſtimonio verum tacens, poteſt puniri de falſo. n.26.

1. *Teſtis falſus Deum, iudices & homines offendit.*

TESTIS falſus Deum, iudices, & homines offendit, & triplicem in vno peccato committit deformitatem, neceſſariò in confeſſione explicandam; periurij in Deum, iniuſtitiæ in homines, contra quos falſum teſtimonium dicit; mendacium in iudice, quo iudicium forenſe peruertit, & propter grauitatem huius delicti, grauiſſimis pœnis, huiuſmodi teſtes falſi in iure puniuntur.

Primò olim ex *l.12. Tabularum*, è ſaxo Tarpeio, quæ Turris miræ altitudinis erat, præcipites agebantur, & ſic vltimo ſupplicio afficiebantur, teſte Aulo Gellio *lib.20. ſuarum noctium Atticarum, cap.1.* & Simanca *de Catholic. inſtit. tit. 64. num.83.* Tiraquellus *de pœnis, cauſ.31. num.29.* — 2. *Quam pœnã habuerit olim ex legibus Romanorum.* Aul.Gell. Simanc. Tiraq.

Poſtea hæc pœna nimis acerba viſa eſt, & eius loco in teſtem falſum, pœna deportationis, cum publicatione, confiſcationeque omnium bonorum, ſi homo ſit liber, ſucceſſit: ſi autem ſeruus vltimo ſupplicio afficitur, de iure communi imperatorio loquendo, patet ex *l.1. in principio, ff. ad legem Corneliam de falſis, iuncto §. finali, & ex l. ſi diuino, in fine, ff. de pœnis*, docet Angelus Peruſinus *in additionibus, circa materiam, de teſtament. poſt num.15.* Abbas *in cap.1. de crimine falſi. num. 6.* Simanc. *de Cathol. inſtit. tit.64. num.89.* Marian. Socin. *in cap.1. de crimine falſi, n.109. in fine, verſ. ſi verò loquitur.* Compellens autem, & inducens teſtem ad teſtificandum falſum, eadem pœna, qua ipſe teſtis falſus punitur, puniendus eſt, vt docet Ananias *in cap.1. de crimine falſi, num.9.* — 3. *Quam hodie ex iure communi.* Angel. Abbas. Simanc. Socin. Ananias.

In noſtro iure Luſitano ſeueriùs adhuc in teſtes falſos animaduerſum eſt, nam ipſi teſtes falſi ad mortem omnino damnantur, & illorum bona omnia Regis fiſco applicantur, & eodem modo animaduerſum eſt in eos, qui aliós inducunt, & corrumpunt, ad teſtificandum falſum in cauſa criminali digna mortis pœna, ſiue inducant, aut corrumpant ad aliquem falsò abſoluendum, ſiue ad condemnandum; ſi tamen induxerint ad abſoluendum, non ſit in reis mortis executio, donec Rex ea de re admoneatur, informeturque; ſi autem crimen dignum mortis non fuerit, aut cauſa fuerit ciuilis, in perpetuum exilium in Braſiliam pelluntur, publicatis omnibus illorum bonis, ſi legitimis aſcendentibus caruerint, & in omnibus, ac ſingulis horum caſibus, nemo poteſt veniam à Rege obtinere, & ſi fortè via aliqua obtenta fuerit, ſubreptitia iudicatur, & tanquam non impetrata habetur, vt patet ex *nouis ordin. lib.5. tit.54. initio.* — 4. *Quam ex iure Luſitano.*

Et ſi probatum fuerit in iudicio, quòd aliquis pecuniam aliquam, vel quid aliud alicui promiſerit pro teſtimonio falſo ferendo, quamuis idipſum non acceptauerit, nec voluerit teſtimonium ferre, ſi cauſa ad quam fuit inductus ciuilis fuerit, talis corruptor, & inductor publicè virgis à tergo cæditur, reſte per oppidum ad collum appenſa, inclamante præcone cauſam ſupplicij: ſi verò fuerit cauſa criminalis non digna mortis, eadem pœna punietur: ſi digna mortis fuerit, in Braſilicam regionem ad decennium propellitur, ſi ad condemnandum aliquem inducebat, additur à tergo publica flagellatio; ſi verò ad abſoluendum, in Africam ad idem decennium mittitur, & eandem cum proportione pœnam habet ille, qui teſtes falſos obtulerit, quamuis poſt illorum oblationem illis vti noluerit, ita habetur iiſdem noſtris ordinationibus nouis *d. lib.5. tit.54. num.1. & 2.* — 5.

De iure Canonico, quia falſi teſtes, tribus, vt dixi, perſonis, noxij ſunt, Deo, iudici, & hominibus; vt habetur *in cap. 1. de crimine falſi*, ideò, vt docet gloſſa *ibi, verb. lædit*, triplici pœna puniuntur. — 6. *Quam ex iure Canonico.*

Primò enim, quia Deum periurio ſuo offendunt, ieiunium eis in pane, & aqua, quadraginta dierum

dierum ſpatio, & per ſeptennium alia quoque pœnitentia indicitur, vt patet ex *cap. quicumque, q.* 1. & ex gloſſa *ibi verb. ſine ſexto.*

Secundò, quia iudicem deludunt, & publicum iuris, & iudicij ordinem peruertunt, notantur infamia, *cap. ſi quis conuictus* 2. *quæſt.* 5.

Tertiò, quia proximum lædunt, puniuntur iuxta modum læſionis, hoc eſt, quacumque alia pœna, à iure ſtatuta; ita Proſper Farinacius 2. *part. praxis, quæſt.* 67. *num.* 8. *pag.* 309. *col.* 1. & multi, quos allegat.

7. Ananias. Butrius. Iaſon. Ant.Gom. Peña. Et ideò *in num.* 9. notat egregiè, multò grauiùs damnandum eſſe falſum teſtem tam in cauſa mortis, quàm in cauſa ciuili, vel criminali, quàm damnandus ſit reus, quod idem docet etiam Ananias *in cap.* 1. *de crimine falſi*, *num* 8. *in fine*, & *ibi* Butrius *num.* 6. Iaſon *in l. etſi legibus, ad finem. C. ſi contra ius, vel vtilitatem publicam.* Anton. Gomez *ad legem Tauri* 87. *num.* 7. Peña *in director. Inquiſitor. part.* 3. *quæſt.* 73. *commento* 122. *fol.* 675. *verſ. in contrarium*; in cauſa verò non capitali arbitraria pœna puniendum eſſe.

8. Bartol. Ioan. Andr. Zabarell. Anan. Præterea, teſtis falſi pœna eſt, quod ei ampliùs in foro iudiciali in veris etiam non creditur. Vnde licèt aliis criminoſis fides habeatur; falſidicis tamen non habetur, non ſolùm in cauſis, in quibus falſum deponunt, ſed etiam in aliis, in quibus verum dicunt; ita docet Bartol. *in l. transfigere, de tranſact. poſt principium, in verb. quæro, quæ ſit ratio,* & communiter Canoniſtæ *in cap. fraternitatis, de crimine falſi*, Innocentius *ibi, num.* 1. Ioannes Andr. *num.* 1. Zabarella *num.* 1. Ananias *num.* 5. *in rubrica ibi, num.* 6. vbi quatuor notat ſpecialiter, quibus obnoxius eſt teſtis falſidicus.

Primum eſt, quòd ſuſpicio falſi ſufficit, vt illius teſtimonium non valeat, niſi veritas à parte talem teſtem producente aliunde probetur, & poteſt accuſare ad pœnam, iuxta legem, *iubemus, C. de probat.*

Cynus. Secundum eſt, vt teſtis falſus damnetur ſine accuſatore, vt patet ex *l. nullum, C. de teſtibus.* Animaduertit tamen Cynus *ibi*, hoc ſolum procedere in duobus caſibus,

Primò, quando imponitur pro falſo dicto pœna extraordinaria, & arbitraria legis Corneliæ, de qua egimus *num.* 3. quia tunc requiritur accuſator.

Secundò, quando falſum committitur per teſtes; & idem approbat Ananias *d. cap.* 1. *de crimine falſi, num.* 6.

Tertium, quia ſi in crimen falſi incidit, pronuntiatur, vt patet ex *l. vbi. C. eod.* quod aliàs non fit.

9. Bartol. Anan. Quarta pœna eſt depoſitio; nam Clericus de crimine falſi conuictus ſtatim deponitur, & traditur curiæ ſæculari, & deducunt aliqui ex *cap. cùm non ab homine, de iudicijs*, quod regulariter non ſeruatur, vt notat Ananias *allegatus dicto num.* 6. *in fine.* Illud verò ſpeciale eſt, in crimine falſi, poſſe ſcilicet teſtem, qui teſtimonium falſum profert, puniri ab eo iudice, coram quo falſum teſtimonium profert, etiamſi huiuſmodi iudex ſit iudex cauſarum ciuilium tantummodo, & aliàs iudex incompetens; vt egregiè probat text. *in l. nullum. C. de teſtibus.* ibi, in fine prædictæ legis, *Data cunctis iudicibus abſque vllo præſcriptionis obſtaculo in teſtes, quorum voces falſitate, vel fraude non carere perſpexerit animaduertendi licentia*, & ita docet Bartol. *in l. ſi quis oppreſſus, in fine, ff. de falſis.* Ananias *in cap.* 1. *de crimine falſi, num.* 1. *in ſummario*, & communis Doctorum.

Et quamuis contra hoc videatur ſtare lex, *Diuus* 2. *in fine, ff. de falſis*, & aliqui etiam velint, non poſſe teſtem falſum puniri à iudice, coram quo falſum teſtimonium profert, ſed debere iſtum iudicem remittere puniendum iudici ordinario, vt volunt 10.
Butrius *in cap.* 1. *de crimine falſi, n.* 9. Ancharranus *ibi, num.* 9. nullo tamen modo recedendum eſt à prima ſententia, vtpote magis communi, vt docet Farinacius 2. *part. praxis, quæſt.* 67. *num.* 27. & 28. *pag.* 311. *col.* 1 *initio*, vbi ait, *in num.* 29. cum multis, quos allegat teſtem falſum non ſolùm poſſe puniri ab eodem iudice, coram quo falſum teſtimonium dictum fuit in ea inſtantia, ſed etiam illa finita, poſſe accuſari coram alio iudice ordinario, & ab eo de nouo puniri. Cùm tamen iudex ciuilis incompetens, hoc eſt, non cauſarum criminalium, punit ex officio, & ſine accuſatore, teſtes, qui coram illo teſtimonium proferunt, id intelligendum eſt, vt poſſint illi ab eo puniri pœna arbitraria, & extraordinaria ratione contemptus; videtur enim teſtis iudicem contemnere, coram quo teſtimonium falſum profert, & adhuc punitus pœna hac extraordinaria ab hoc iudice incompetenti, & ciuili, poteſt poſtea puniri pœna ordinaria, à iudice criminali, & competenti, vt latè probat Farinacius 2. *part. praxis, quæſt.* 67. per multos, & multa iura, quæ allegat, & Ananias *in cap.* 1. *de crimine falſi, num.* 9. & 10. Ancharran. *ibi num.* 11. Butrius *num.* 7. Abbas *num.* 5. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent.* § *finali, quæſt.* 38. *verſ. ſed quære*, & hæc eſt communior, & receptior ſententia, quamuis Cynus *in l. nullum, C. de teſtibus, num.* 8. *in fine*, & Bartol. *ibi num.* 9. & Albericus *num.* 4. contrarium voluerint, eo quòd nemo bis in idipſum puniendus ſit; at hoc intelligendum eſt, quando bis adæquata, & ordinaria pœna punitur, tunc enim nemo bis in idipſum punitur; ſecus quando à priori iudice non punitur adæquata pœna delicto, & ordinariè illi impoſita, vt tamen iudex incompetens, coram quo teſtimonium falſum dictum fuit, poſſit extraordinaria pœna ad ſuum arbitrium falſum teſtem punire abſque formatione proceſſus, opus eſt, vt crimen falſi ita ſit publicum, & notorium, vt neceſſarium non ſit formare proceſſum ad teſtem conuincendum, puta ſi teſtis fuit confeſſus, vel conuictus in iudicio, vt latè per multos probat Farinacius *allegatus, num.* 42.

Butrius. Anchar. Farinac. Farinac. Anan. Anchar. Butrius. Abbas. Iul.Clar. Cynus. Bartol. Albetic.

Imò ſi teſtis laicus deponat falſum coram iudice Eccleſiaſtico, poteſt huiuſmodi teſtis puniri non ſolùm à ſuo iudice ſæculari, & ordinario, ſed etiam ab ipſo iudice Eccleſiaſtico, & dabitur inter eos præuentionis locus; vt docet Farinacius *modò allegatus, num.* 33. & Afflictis *deciſ.* 259. *num.* 4. & 6. vbi affirmat ita reſolutum fuiſſe in ſenatu Regio Neapolitano, & Couarruuias *in pract. quæſt. cap.* 18. *num.* 8. *verſ. ſed & hac in re*, & Iulius Clarus *lib.* 1. *ſentent.* § *finali, quæſt.* 38. *num.* 37. & punitus adæquatè ab vno ex his iudicibus, non poteſt poſtea puniri ab alio, vt docet idem Farinacius *num.* 35. & Baldus *in l. nullum, C. de teſtam. num.* 7. 11. *A quo puniri poſſit.* Farinac. Afflict. Couarr. Iul.Clar.

Iudex tamen arbiter, coram quo teſtis falſum teſtimonium dicit, nullo pacto, nec etiam pœna extraordinaria illum poteſt punire, niſi ſit arbiter ex neceſſitate iuris, aut ſtatutorum electus, ita Speculator *in tit. de teſtibus*, §. 1. *num.* 46. *verſ. quid de arbitro.* Ancharran. *in cap.* 1. *de crimine falſi, num.* 9. Tindarus *in tract. de teſtibus, part.* 3. *num.* 1. Marſilius *in l.* 1. §. *præterea, num.* 27. *poſt medium, ff. de ſicar.* Angelus *de malefic. in verb. Falſario, num.* 24. *ad finem, verſ. ſi autem cum arbitro.* Monti. *in repert. teſt. rub. teſtis* 12.

punitio

*punitio per quem,&c.fol.*510.*col.*1.*verſ.*4. & Farinac. *citatus,num.*46.

13. Iudex etiam delegatus poteſt punire falſum teſtem, coram ſe ipſo falſum teſtificantem pœna arbitraria, non ordinaria; ita Boicius *in cap.* 1. *de crimine falſi, num.*3. *verſ.ſed per viam extraordinariam.* Curtius iunior *in l.*1.§.*qui mandatum, num.*14. *ff.de officio delegati.* Boſſius poſt Iaſonem, quem allegat *in tit. de falſis, num.* 103. Cæſar Viſilius *ad Afflictis, deciſ.* 230. *num.* 3. vbi affirmat hanc eſſe communem reſolutionem; vnde non eſt approbandus Menochius *de arbitr. quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 91. *num.*18. *verſ. non eſt vera hæc conciliatio*, qui ſimpliciter negat, & ait nec pœna ordinaria, nec extraordinaria, poſſe iudicem delegatum punire teſtem illum, qui coram ſe falſum teſtificatur; nam à ſententia id affirmante, non eſt recedendum; vt optime animaduertit Farinacius 2. *part. praxis, quæſt.* 67. *num.* 49. *&* 50. additis tamen his declarationibus,

Boicius. Curtius. Viſilius. Menoch. Farinac.

Prima eſt, vt ſit delegatus Principis non inferioris.

Secunda vt ſit delegatus in cauſa criminali, qui aliquam puniendi habeat poteſtatem, non in cauſa ciuili, qui nullo modo punire poteſt, vt doctè animaduertit Couarruias *pract. quæſt. cap.* 8. *verſ.ſunt tamen qui, iuncto verſ. & idem erit*, & Ancharranus *in cap.*1.*de crimine falſi,num.*9.*ad medium.* Abbas *ibid. num.* 9. *in fine.* Butrius *ibidem, num.*16. Cynus *in l.nullum. C.de teſtibus, num.*4. Iulius Clarus §.*finali, quæſt.* 39. *verſ.ſed quæro.* Petrus Surdus *conſil.* 42. *num.*18. *in fine, lib.*1. & quamuis ſententiam Menochij priùs ſecutus fuerit Farinacius *in lib.*1.*tit.de Inquiſitor.quæſt.*1.*num.*61.poſtea tamen re maturiùs diſcuſſa, mutauit opinionem, dummodo ſit iudex delegatus à Principe, non ab inferiori,& dummodo ſit delegatus in cauſa in criminali, non ciuili.

Couarr. Anchar. Abbas. Butrius. Cynus. Iul. Clar. Surdus. Farinac.

14. *Quid ſi Clericus falſum deponat corā iudice ſæculari.* Sed quid ſi Clericus falſum deponat coram iudice ſæculari? Reſpondeo hac de re triplicem eſſe ſententiam.

Opinio prima. Prima abſolutè docet, poſſe Clericum ab eo iudice ſæculari puniri; hanc tenet gloſſa *in l.nullum. C.de teſt.in prima gloſſa,* Cynus,& Baldus *ibi,* Alexander *in Apoſtillis ad Bartolum in l.*1. *in ſecunda oppoſitione, ff. de iudicibus*, & alij; ſed hæc opinio abſurdiſſima eſt, cùm illi reſiſtat totus titulus *de foro competenti*, & patet euidenter ex *cap.ſi diligenti, de foro competenti*, ſunt enim Clerici exempti à iuriſdictione ſæculari, vt manifeſtum eſt, quare nullam in eos iudices ſæculares exercere, aut habere poſſunt iuriſdictionem, & alioquin excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt, vt notiſſimum eſt,& ſtatim dicemus.

Cynus. Baldus. Alexand.

15. *Opinio ſecunda.* Secunda ſententia, non minus abſurda docet poſſe Clericum falſum teſtificantem coram iudice ſæculari, puniri ab eo pœna arbitraria, non ordinaria ex motu proprio, non ad inſtantiam partis, hanc docet Federicus de Senis *conſil.* 93. incipit, *Factum tale eſt*, Ancharranus, & Angelus, quos citat Afflictis *deciſ.*230.*num.*12.*verſ.tertia fuit opinio.* Gabriel, Caſſanæus, & Aufrerius, quos citat, ſed non ſequitur, Iulius Clarus *lib.*5.*ſent.* §.*finali, q.*38. *verſ.ſed hic quæro,ad medium,*ſed hæc ex eodem fundamento reiicitur,qua prima fuit reiecta.

16. *Opinio tertia.* Tertia ſententia veriſſima, & communiſſima, docet nullo modo poſſe Clericum coram iudice ſæculari falſum teſtificantem ab eodem iudice puniri, nec ordinaria pœna, nec extraordinaria, etiamſi Clericus ſub iuramento renuntiaſſet priuilegio ſui fori, & ſe velit ſæculari iudici ſubiicere. Patet ex *cap.ſi diligenti,de foro competenti*, & ex toto eo titulo; hanc tenet Albericus *in l.Presbyteri, n.*1. *C. de Epiſcopis, & Clericis.* Salicetus *in l. nullum, num.*4. *in fine. C. de teſt.* Ananias *in cap.*1. *de crimine falſi, num.* 2. *&* 3. Curtius iunior *in l.* 1. *num.* 23. *ff. de iudic.* Afflictis *deciſ.* 203. *num.* 1. vbi affirmat ita teneri communiter iuris Canonici interpretes, Couarr. *in practicis quæſtionibus, cap.* 18. *num.* 8. Iulius Clarus *lib.*5. *ſent.* §. *finali, quæſt.* 38. Menochius *de arbitr.quæſtionib. quæſt.*91. *num.* 18. *lib.*1. Rolandus *conſil.* 12. *num.* 25. *lib.*1. Bernardus Diaz *in pract. criminali Canonica, cap.* 87. *ad finem*, & plures alij, quos citat, & ſequitur Farinacius 2. *part. praxis, quæſt.* 67. *num.*56. *pag.*313. *col.*1. & ratio eſt, quia Clerici omnes, tam quo ad eorum bona Eccleſiaſtica, quàm quo ad perſonas in cauſis ciuilibus, & criminalibus, ſunt exempti à iuriſdictione, & poteſtate ſæculari, *cap. experientia* 11.*quæſt.*1. *cum duobus ſequentibus, cap.qualiter, cap. Clerici, cap. at ſi Clerici. de iudic. cap. ſæculares, de foro competenti, lib.* 6. *Authentica ſtatuimus, de Epiſcopis, & Clericis.* DD. *in omnibus citatis iuribus*, & contrarium aſſerere damnatum fuit, inter articulos Ioannis VVicleph *in Concilio Conſtantienſi*, & ita ſunt exempti, vt etiam volentes non poſſint ſe ſubmittere iuriſdictioni ſæcularium iudicum, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus cauſis, vt patet liquidò ex *cap.ſi diligenti*, & ex *cap ſignificaſti,de foro competenti,& cap.non licet* 3.*quæſt.*6.

Albericus. Salicetus. Ananias. Curtius. Afflictis. Couarr. Menoch. Diaz.

Et hæc quidem exemptio Clericorum, quo ad diuerſa, diuerſam habuit originem: nam quo ad res ſpirituales, & merè Eccleſiaſticas procedit à iure diuino, & gloſſ. & DD.*in cap.ſi Imperator* 96. *diſt.* Cardinal. *in repetitione cap. propemodum in* 7. *oppoſitione, de ſentent. excommunicat.* Abbas, Felin. & DD. *in cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitutionibus.* Couarr. latè *practicar. quæſt. cap.* 31. *col.* 4. *in* 1. *concluſione.* Sotus *in* 4. *lib.*2. *art.*2. *col.* 2. *verſ. ſecunda concluſio.* Victoria, qui validiſſimis argumentis hoc probat in ſuis relectionibus, *in tit. de poteſtate Eccleſiæ, in quæſt. vtrùm Clerici ſint exempti à poteſtate ſæculari, in tertia propoſitione.* An autem perſonæ Clericorum ſint exemptæ à iuriſdictione ſæculari de iure diuino,vel poſitiuo, ad præſentem quæſtionem non ſpectat, ſunt enim hinc inde opiniones. Mihi ſemper in hac controuerſia probabilior viſa fuit ſententia Soti, & Victoriæ locis ſuprà citatis, videlicet, licèt hæc exemptio non immediatè, & ſimpliciter procedat à iure diuino, eſſe tamen eidem iuri maximè conformem, proximam, & conſentaneam. Nam ſicut Clerici à iure diuino ſunt conſtituti miniſtri in Eccleſia Dei, ſic etiam conſequenter eorum perſonæ debent eſſe exemptæ à iuriſdictione ſæcularium, abſurdum enim eſſet, vt miniſtri Eccleſiæ, qui in ſpiritualibus ſunt iudices, & paſtores ſæcularium, & Regum, & iudicum, ab ipſis iudicarentur, & tanquam rei coram illorum tribunalibus ſtarent iudicandi, cùm tamen oues à paſtoribus, non paſtores ab ouibus debeant iudicari, *cap. denique, & cap.quis dubitet* 96.*diſt.* Quod verò attinet ad bona Clericorum,ſeu Eccleſiarum, quamuis DD. antiqui fuerint in opinione, vt etiam de iure diuino fuerint exempta, vt videre eſt in Rota *in antiquis, de conſuetud. cap.* 2. Tamen receptior opinio, præcipuè recentiorum,& Theologorum, nunc eſt, bona Eccleſiarum exempta tantùm eſſe de iure poſitiuo, iuxta Sotum, Victoriam,& Couarruuiam *locis ſuprà allegatis*, qui quæſtionem prolixiùs proſequuntur. 17

Couarr. Sotus. Victoria.

Hæc

18. Hæc exemptio Clericorum, quo ad bona, & perſonas, ſi dicatur eſſe de iure poſitiuo, introducta eſt à iure Pontificio, non per leges imperiales, niſi quatenus conſtitutione ſummorum Pontificum eas approbarunt, & nullus ſæcularis Princeps, quauis poteſtate, etiam imperiali fulgens, per ſuas leges, ſtatuta, aut conſtitutiones illam tollere, aut diminuere iure poteſt; vel illi aliqua ex parte derogare. Probatur, quia ſi Summi Pontifices potuerunt ad bonam, & exactam adminiſtrationem Reipublicæ Eccleſiaſticæ eximere Clericos, & eorum bona à poteſtate, & iuriſdictione ſæculari, vt patet ex iuribus *num.* 16. allegatis, & ſi poteſtas ſpiritualis eſt, in ordinem ad finem ſpiritualem, & ſupernaturalem, & ad bonum, & rectum Eccleſiæ regimen, vt docet Soares *lib.* 3. *de legibus, cap.* 6. *num.* 6. §. *ex quibus.* Nauarrus *in cap. nouit, de iudicijs, notab.* 6. *num.* 16. & Victoria *in relectionibus, de poteſtate Eccleſia*, §. *diſſeruimus, num.* 9. & patet ex *cap ſolitæ, de maiorit. & obedient. & cap. tributum,* §. *quamuis* 23. *quæſt.* 8 ſequitur vt temporalis, & ſæcularis iuriſdictio ſit ſubiecta iuriſdictioni ſpirituali, & ſupernaturali, corpus enim creatum fuit à Deo, vt obediat animæ, & ſpiritui, & anima vt corpus gubernet, & regat; deinde quia vbi primùm tota Reſpublica ſæcularis, & eius Principes, & Imperatores, qui ſunt ipſius capita temporalia, conſenſerunt in dictam exemptionem Clericorum, quod patet ex *dicta Authentica ſtatuimus, C. de Epiſcopis, & Clericis*, prædictum conſenſum reuocare non poſſunt, ex notatis per Doctores *in cap. nouit, de iudic.* & patet ex regula notiſſima iuris, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Vnde ſequitur, vt quicquid Principes ſæculares per ſuas leges, ſtatuta, vel decreta decreuerint, vel in futurum decernent contra hanc exemptionem, vel libertatem Eccleſiaſticam, vel in præiudicium illius, ſit nullum, & inualidum, iuxta *Authenticam caſſam, de ſacroſanctis Eccleſiis, & cap. nouerit, de ſent. excom.* & ideò conſueuerunt Summi Pontifices, quolibet anno, in Bulla, quam publicant in Cœna Domini, excommunicare, & anathematizare omnes, qui ſtatuta, ordinationes, ſeu quæuis alia decreta, quouis quæſito colore, aut prætextu fecerint, ordinauerint, aut publicauerint, ex quibus libertas Eccleſiaſtica tollitur, vel in aliquo deprimitur, aut quouis modo reſtringitur, vt ex dicta Bulla latiùs patet.

19. Et hæc prædicta exemptio Clericorum, nulla conſuetudine tolli, abrogari, aut in aliquo minui poteſt, nam cùm reſpectu rerum ſpiritualium, & merè Eccleſiaſticarum procedat ex iure diuino, vt probatum manet, vtique ex hac parte, conſuetudine tolli non poteſt. nam in iis, quæ ſunt de iure diuino, conſuetudo nihil operatur, *cap. vltimo, de conſuetud* & DD. *ibi*, quo ad exemptionem verò reſpectu perſonarum Eccleſiaſticarum in cauſis criminalibus, habemus textum expreſſum *in cap. at ſi Clerici, de iudic.* & DD. *ibi*.

20. In cauſis verò ciuilibus tam reſpectu perſonarum, quàm bonorum Eccleſiarum, & Clericorum, adeſt communis opinio omnium Doctorum, quòd conſuetudo contra huiuſmodi exemptionem nihil poteſt; & gloſſa *in dicto cap. at ſi Clerici*, (Gloſſ.) quæ illum textum intelligit etiam in cauſis ciuilibus, Rota *in antiquis de conſuetud. cap.* 1. & quamuis Couarruuias *practic. quæſt. cap.* 30. & 31. hanc (Rota. Couarr.) communem opinionem velit conſtringere, & limitare, eam tamen communem fatetur, quæ quidem opinio, meo iudicio, ex iure ciuili irrefragabiliter probatur, ex *dicta Authentica caſſa, C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, vbi Imperator ait, *caſſa, & irrita eſſe omnia ſtatuta, & conſuetudines inductas contra libertatem Eccleſiæ, earumque perſonas*, &c. & attento ipſo iure nulla eſſe decernit, vbi pulchrè notant Doctores limitationem, quæ habet, quòd conſuetudo tollit legem non procedere contra legem huiuſmodi conſuetudini in futurum reſiſtentem, illamque nullam, ſi introducatur, declarantem, quod notat etiam Bartol. *in Authentica nauigia. C. de furt.* Ex quo infert Abbas *in cap. vltimo, de conſuetud. num.* 42. quòd conſuetudo ſemel reprobata à iure, non poteſt ampliùs induci, & quamuis prædicta Authentica *Caſſa*, loquatur ſolùm de Italia, tamen intelligendam eſſe per totum orbem, tradunt *ibi* Salicet. Bald. Caſtr. & alij. De iure autem Canonico probatur clarè prædicta communis opinio ex *cap. nouerit, de ſententia excommunicat.* vbi Pontifex excommunicat illos, qui in futurum ſeruare fecerint conſuetudinem introductam contra libertatem Eccleſiaſticam. Probatur etiam clarè ex *cap.* 1. *de conſuetud.* vbi ait Summus Pontifex non eſſe admittendas conſuetudines, quæ grauamen inferunt Eccleſiæ. Idem probatur ex *cap. ad audientiam, eodem tit.* vbi dicitur conſuetudinem, quæ obuiat Canonicis ſanctionibus, nullius eſſe momenti, ex quo ſequitur, quòd conſuetudo, contra exemptionem Eccleſiaſticam, cùm ſit tam de iure ciuili, quàm de iure Canonico reprobata, quantumuis immemorabilis ſit, nihil poſſe operari.

Nec obſtant contra hanc communem opinionem ea, quæ adducit Couarruuias *citatus*, dum 21. ait prædictam conſuetudinem fundari in illa ratione, quòd exemptio Clericorum ſit de iure diuino, quod, inquit, cùm ſit falſum, conſequenter corruit communis opinio, nam hæc communis opinio non ſuſtinetur, nec in ea ratione fundatur, ſed legibus, & Canonibus *ſupra citatis*, quibus conſuetudo in futurum contra talem exemptionem irritatur, & tollitur. Cætera verò adducta à Couarruuia ad confirmandam ſuam opinionem, qua tenet per conſuetudinem legitimè præſcriptam, introductam ex tacito conſenſu Clericorum, poſſe ex aliqua parte tolli exemptionem illorum, dummodo tamen ex huiuſmodi conſuetudine, maxima Clericis, & ordini Eccleſiaſtico iniuria non fiat, & inferatur damnum paci, & tranquillitati miniſtrorum Dei, non egent aliqua reſponſione, quia non loquuntur de conſuetudine reprobata per leges.

Quæ exemptio Clericorum à ſæcularibus poteſtatibus in cauſis etiam ciuilibus adeò vera eſt, vt 22. cùm iura imperialia, & ciuilia decernant, debere ſemper actorem ſequi forum rei; vt patet ex *l.* 2. *C. vbi, & apud quem cognit. in integ. reſtit.* tamen hoc non valeat, quando agitur de reſtitutione Eccleſiæ, nam ſi laicus Eccleſiam bonis ſuis ſpoliauerit, aut perturbauerit iure quodam ſpeciali, poterit reſtitutionem in integrum petere aduersùs ipſum laicum coram iudice Eccleſiaſtico proprio ipſius Eccleſiæ, quamuis ipſa tunc vicem actoris agat, & ſæcularis ſit reus; quod egregiè probat Innocent. *in cap. cùm ſit generale, de foro* (Innocent.) *competent.* patet ex textu *in cap.* 1. *de in integr. reſtitut.* vbi Abbas *num.* 18. & idem *in cap. conſtitutus, eodem* (Abbas.) *tit. col.* 1. & ex textu *in cap penultimo, de rebus Eccleſ.* & docent communiter Doctores, Abbas *num.* 10. Felinus *col.* 2. Marianus Socinus *num.* 13. *in dicto* (Socin.) *cap. cùm ſit generale, de foro competenti.* Couarruuias (Couarr.) *variar. reſol. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Aufrer. *in Clement.* 1. (Aufrer.)

de

de officio ordinar. in tract. de poteſtate Eccleſiæ, num. 48. Cuius rei ratio eſt, quia Eccleſia cùm de iure, & priuilegio ſpeciali ſibi conceſſo agit, illud deducere, & requirere poteſt, coram proprio iudice; ſic coram proprio iudice Eccleſiaſtico agit de remedio, & priuilegio Canonis; & quamuis Couarruuias poſtquam hæc fundamenta iecit, illa voluit conuellere, tamen ſudauit, laborauit, ſed non conuulſit; tandem enim videns futilitatem rationum, quibus hæc fundamenta voluit conuellere, ſic ait *ibid. d. num.* 2. *ad medium. Scio me diuinatione vti, ne inuitus cogar hac in re ab alijs receptam ſententiam ſequi.*

23. Aſſerit tamen ibi Couarruuias *num.* 3. *initio*, hæc intelligenda eſſe de bonis Eccleſiaſticis ipſius Eccleſiæ, non verò de bonis ſæcularibus, ſeu patrimonialibus ipſorum Clericorum, nam Clerici læſi in patrimonialibus à laicis, non poſſunt petere reſtitutionem in integrum coram iudice Eccleſiaſtico, ſed id debent requirere coram iudice ſæculari, cùm actores ſint, & ſæcularis ſit reus; & actor, ſecundùm etiam ius Canonicum, forum rei ſequi debeat; quam doctrinam illius tenet etiam Ioannes Imola *in cap. conſtitutus, num.* 3. *de in integrum reſtit.* contra Antonium, & Abbatem *ibi*, & contra Felinum *in dicto cap. cùm ſit generale, de foro competenti, col.* 2. Philippum Francum *in rubrica de appellat. ad finem*, Romanum *ſingul.* 112. Quia hoc priuilegium de reſtitutione in integrum coram iudice Eccleſiaſtico, aduersùs laicum deducendum, conceſſum eſt bonis Eccleſiæ tantùm, non verò bonis patrimonialibus, & ſæcularibus ipſorum Clericorum, cùm nullibi in iure hoc expreſſum ſit, & alioqui durum ſit bona patrimonialia Clericorum, ea prorſus habere priuilegia, quæ bonis Eccleſiarum conceſſa ſunt, cùm bona Eccleſiæ ad cultum diuinum, & ad ſubueniendum pauperibus dicata ſint; illa verò patrimonialia ad alios quoſcumque vſus pro libito Clericorum deſtinentur, & ad hæredes conſanguineos, extraneoſve, vt ipſis dominis libuerit, tranſmittantur. Verùm ego modò hanc quæſtionem non diſputo, videat illam curioſus apud eundem Couarruuiam *dicto lib.* 1. *variar. reſolut. cap.* 4. *num.* 3. *&* 4. vbi etiam diſputat, an patrimonium ſæculare, ad cuius titulum Clerici ſacris Ordinibus inſigniti ſunt, gaudeant priuilegiis conceſſis bonis Eccleſiarum, & *dicto num.* 4. reſoluit non gaudere ex eo fundamento, quòd prædictus titulus non efficiat prædicta bona Eccleſiaſtica, ſed ſolùm id operetur, vt nec vendi, nec alienari poſſint viuentibus ipſis Clericis, dum beneficium non habent, ne mendicare cogantur, cum dedecore ſacrorum Ordinum, & hoc ſolùm ſacri Canones intendunt. Et verò inter Luſitanos communis eſt ſententia Clericos in bonis patrimonialibus cenſendos eſſe vt laicos, & iudicanda eſſe illorum bona patrimonialia, vt laicorum bona, & ita iudicatum fuit in ſupremo ſenatu Olyſipponenſi *anno* 1611. vt refert Melchior Phœbus *tom.* 1. *deciſ.* 19. *num.* 3. *&* 4. & id docet etiam Valaſcus *de partitionibus, cap.* 35. vbi aſſerit Clericos in bonis patrimonialibus, & in bonis induſtria illorum, vel labore acquiſitis, vel per vltimas voluntates, vel contractus, aut in caſtris, vel à Principe donatis reputari, vt meros laicos, & poſſe de illis donatione, & teſtamento, vt abſolutos, & liberos dominos, liberè diſponere, & id etiam docet Gutierrez *lib.* 1. *quæſt. canon. cap.* 34. *num.* 11. *&* 12. *& practicarum quæſtion. lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 7. Peres *lib.* 1. *ordinamenti, tit.* 2. *in l.* 8. *in gloſſa Conocidos clerigos*, & hac de re eſt gloſſa ſingularis *in l. munerum*, § *patrimoniorum, verb. Pontifex, ff. de muner. & honor.* ibi, *Quia vt prædia poſſideant, à lege humana eſt.* Et loquendo etiam de bonis, ad quorum titulum ſacris ordinati ſunt; idem cum Couarruuia ſentit Salzedo *in practica cap.* 18. *num.* 14. & Morla *in Emporio* 1. *part. tit. de legibus, quæſt. vltima, num.* 7. Decius *conſil.* 519. *num. penult. & conſil.* 516. *num. vlt.* ex eo etiam fundamento, quia prædictus titulus non efficit ea bona Eccleſiaſtica, ſed ſolùm id operatur, vt nec vendi, nec alienari poſſint viuentibus Clericis, dum beneficium, ex quo congruè ſuſtentari poſſint, non habent, iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. vnde cùm huiuſmodi bona patrimonialia Clericorum merè ſæcularia ſint, poſſunt præſcribi præſcriptione ordinaria 10. aut 20. annorum, & non requirunt præſcriptionem 40. annorum, quam requirunt bona Eccleſiaſtica, vt latè probat Phœbus *allegatus*, & iudicatum fuit in ſenatu Luſitano dicto anno 1611.

Hæc obiter dicta ſint ad oſtendendam abſurditatem illarum opinionum, quas retulimus *n.* 14. *&* 15. aſſerentium Clericum, coram iudice ſæculari teſtimonium falſum ferentem, poſſe ab ipſo iudice ſæculari, pœna ordinaria, vel extraordinaria puniri. 24.

Illud magis certum videtur, ſi Clericus coram iudice Eccleſiaſtico ordinario, alieno, & non ſuo, teſtimonium falſum dicat, poſſe ab eo puniri pœna extraordinaria, etiamſi Clericus ſit exemptus, ita docet expreſsè Ananias *in cap.* 1. *de crimine falſi, num.* 3. & quamuis ille dicat, poſſe ab eo puniri, & non addat, *pœna extraordinaria*, tamen id ita intelligendum eſt, iuxta ea, quæ diximus *num.* 9. & cum Anania conſentit etiam Cynus *in l. nullum. C. de teſtibus*, & Salicetus *ibi, verſ. quæro, an hac lex*, & facit pro hac re *lex* 1. *ff. ſi quis in ius vocatus non ierit*, & ratio eſſe poteſt, quia tunc non conceditur iuriſdictio ſæculari iudici in perſonas Eccleſiaſticas, quæ ſunt ſpirituales perſonæ; quod ſolum prohibetur *in cap. diligenti, de foro competenti*, & in toto eo titulo, & alioqui expedit Reipublicæ etiam Eccleſiaſticæ, vt teſtimonia falſa ſeueriſſimè puniantur. 25.

Animaduertendum eſt tamen, ad finem huius quæſtionis, teſtem tacentem veritatem, poſſe puniri de falſo, ac ſi falſum exprimeret, diceretque in ſuo teſtimonio, vt patet ex *cap. cùm dilecti, de accuſat.* vbi aſſeritur, teſtem iurantem ſe dicturum plenam veritatem, incurrere pœnam falſi, tacendo illam, ita docet Ananias *dicto cap.* 1. *de crimine falſi, ad marginem.* 26.

Teſtis verum tacens poteſt puniri de falſo.

Anan.

CAPVT XLIV.

De Tabellionibus, & Notarijs, ad quid teneantur, ratione ſui muneris.

SVMMARIVM.

An Tabellioni potius, quàm teſti per eum examinato credendum ſit, cùm de veritate teſtimonij controuertitur. n. 1.

Quid in cauſis criminalibus. n. 2.

Tabelliones, an poſſint examinare teſtes ex commiſſione iudicis. n. 3.

Quot teſtibus improbari poſſit, & reprobari inſtrumentum factum à Tabellione. n.4.

Quot teſtes ſufficiant, ad hanc improbationem, quando ſunt ex ijs, qui in tali inſtrumento ſcripti ſunt. n.5.

An, & quatenus teneantur reſtituere id, quod acceperunt pro faciendo falſo inſtrumento. remiſſiuè ad caput 39. num.19. n.6.

An, & quatenus teneantur reſtituere maius ſtipendium, ſi maius acceperunt, quam ſibi à lege taxatum ſit. remiſſiuè ad cap.26.à num.1. n.7.

Quatenus aliquid licitè accipere, & retinere poſſint, quàm ſibi à lege ſit taxatum, pro maiori labore, & induſtria, quam ponunt, remiſſiuè ad cap.26.num.12. n.8.

Quid de acceptis, quæ Luſitanè vocantur Proes e precalcos, *remiſſiuè cap.26.num.7.* ibid.

Quatenus Tabellionibus, & miniſtris iuſtitiæ lege poſitiua ſint prohibita xenia, & munerum acceptiones, remiſſiuè ad cap.27.à num.6. n.9.

Quid requiratur in Tabellionibus, & Notarijs ad munus ſuum. n.10.

Quatenus teneantur ex fidelitate, & iuramento, eſſe in officio ſuo fideles, & in quo conſiſtat hæc fidelitas, quam iurant, cùm poſſeſſionem officij ſui accipiunt num. 11. & quatenus ad reſtitutionem teneantur. ibid.

Quam pœnam habeant Tabelliones de iure Luſitano, ſi proceſſus, aut ſcripturas falſas conficiant. n.12.

Quam pœnam habeant illi, quorum fauore, ordine, aut auxilio, vel mandato hæc fecerunt. n.13.14.

Quatenus poſſint, vel non poſſint depoſitiones teſtium ſine iudice accipere. n.15.

1\. *An Tabellioni potius, quàm teſti credendum ſit, cùm de veritate teſtimonij cõtrouertitur,* Couarr.

AN quando teſtes vnum dicunt, & Tabelliones in ſuis ſcripturis, aut proceſſibus aliud affirmant, credendum ſit potius Tabellionibus, quàm teſtibus, aut teſtibus, quàm Tabellionibus, & quot numero teſtes præualere poſſint contra Tabelliones, diximus *cap. 41. n.25.* Quæſtionem tamen egregiè tractat Couarruuias *lib.2. variar.reſol. cap.13.num.10.* vbi dicit, ſi teſtis præſtito iuramento aſſerat ſe aliter teſtimonium dediſſe, quàm ſcriptum Tabellionis referat, Tabellioni potius, quàm teſti credendum eſſe, quia pro illo, cùm ſit officialis publicus, ſtat præſumptio, vt patet ex *l. ſi quis decurio. C. de falſis*, & ex *cap. ad audientiam, de præſcriptionib.* ibi, *Nec credentes ipſum ſcrinarium*, id eſt, Tabellionem, *cùm iuratus ſit officium ſuum fideliter exequi, aliud ſcripſiſſe, quàm à teſtibus diceretur.* Vnde gloſſa *verb. iuratus. Sic ergo præſumitur pro aliquo ratione iuramenti.* Itaque cùm pro parte Tabellionis ſtet iuramentum, quo iurauit fideliter ſe officium exequuturum, ſtet etiam ratio honeſtatis publicæ, ſunt enim Tabelliones, ſerui publici, vt conſtat ex *cap. quamquam, de vſuris*, non quòd ſint ſerui, ſed quòd publicum exerceant officium, vt dicitur *in l. generali. C. de Tabellion. lib.10.* Inde eſt, quòd pro illis ſtet præſumptio veritatis, vt optimè animaduertit etiam Panormitanus *d. cap. ad audientiam.*

2\. Limitat tamen Couarruuias, & verum id eſſe ait, in cauſis tantùm ciuilibus, propter rationem fidei inſtrumentariæ, non in criminalibus, in quibus ob iuratam aſſeuerationem teſtis in tali, vel tali caſu criminali, multum vacillat, infirmaturque Tabellionis fides. argumento *l. vltima. C. de probat.* & id docet etiam Abbas, & Felinus *in cap. cùm cauſa, de teſtibus, in fine*, & Alciatus *de præſumpt. reg. 3. cap.13. num.20.* Abbas, Felin. Alciat.

Quamobrem prouidè, ac cautè à iure ſtatutum eſt, vt in cauſis arduis, & criminalibus non committant iudices teſtium examinationem tabellionibus, imò ipſi præſentes ſint huic examinationi, vt diſponitur *in Authent. apud eloquentiſſimum. C. de fide inſtrumentorum, & in Authent. de teſtibus, §. hæc omnia*, & licèt in cauſis ciuilibus idem agendum ſit, iuxta text. *in l.3. §. Diuus, ff. de teſtibus.* & gloſſam *in l. hac conſultiſſima, §. vlt. C. qui teſtamenta facere poſſunt*, tamen propter multitudinem negotiorum, quibus iudices impediti ſunt in cauſis ciuilibus, minoris momenti committitur tabellionibus examinatio teſtium, præſtito priùs iuramento, apud ipſum iudicem de fidelitate in illarum examinatione ſeruanda, *cap. ſi qui teſtium, de teſtibus, cap.2. de iudic. in 6. l. ad egregias, de iureiurand.* Couarr. *lib. 2. variar. cap. 13. num. 10.* in Luſitania tamen non à Tabellione ſolùm teſtes examinantur, ſed vel à iudice in negotiis arduis ſolent examinari, vel præſente alio viro probatæ fidei, quem vocant Luſitani *Enqueredor.* quaſi Inquiſitor veritatis teſtium, qui à Rege, vel à Republica ad interrogandos teſtes, deputatus eſt cum Tabellione, quando iudices id per ſe efficere non poſſunt, exceptis nonnullis caſibus, de quibus agit Luſitanum ius *in nouis ordinationibus, lib.1. tit.85. & tit.65.* quem morem ad multitudinem negotiorum expediendam aptiſſimum eſſe conſtat, & illum ab Athenienſibus noſtri Luſitani acceperunt, nam olim Athenis ſex viri præter iudices in iudicio aderant, vt viderent, & notarent, an Notarij, & Tabelliones aliquid adderent, vel omitterent, ex iis, quæ à teſtibus dicebantur, vt refert Poſtellus *lib. de magiſtratibus Athenis, cap.26.* Dubitatum tamen fuit in Luſitania, an in crimine adulterij, quod iuxta leges regni morte punitur, ex *ordinat. noua lib.5. tit.25.* an examinator teſtium, vulgo *Enqueredor*, poſſit ſimul cum tabellione teſtes examinare, quod dubium ortum fuit ex ordinatione, & lege Luſitaniæ *lib.1. tit.85. §.3. & tit.65. §.33.* vbi diſponitur quòd teſtes in caſu mortis, & in aliis criminibus in his legibus exceptis iudex non poſſit teſtium examinationem aliis committere, ſed per ſe eorum teſtimonia recipiat, & iudicatum fuit in Senatu ſupremo Olyſipponenſi in cauſa adulterij, & in alia ſimili, in qua imponitur pœna mortis poſſe ſolum ſcribam & examinatorem eos recipere, quia prædictæ leges procedunt in caſu, in quo conſtet de corpore mortuo, vt refert Phœbus *tom.1. deciſ.10. num. 2. & 3.* & conſtat ex dictis legibus Luſitaniæ, ibi, *noſcaſoẽ de morte*, quæ verba in propria ſignificatione accipienda ſunt, & in caſu in quo conſtet de corpore mortuo, ex *reg. legis 1. §. is qui nauem, ff. de exerc. act. l. 3. §. hæc verba. ff. de negot. geſt.* Decius *conſil. 433. num. 23. & conſil. 541. num.14.* 3.

4\. *Quot teſtibus improbari poſſit inſtrumentum tabellionis.*

Dubium igitur eſt, quot numero teſtibus improbari poſſit publicum inſtrumentum Tabellionis, etiamſi vnum, vel plures habeat inſcriptos teſtes, quidam enim aiunt, duos probatos teſtes, omni exceptione maiores, id eſt, quibus nihil opponi poteſt, æquipollere authoritati vnius inſtrumenti publici, imò illam excedere, & ſic poſſe improbari huiuſmodi publicum inſtrumentum per duos teſtes, & ratio illorum eſt, quoniam inſtrumenti fides ſolùm à Notario pendet, qui illud confecit, non à teſtibus in eo inſertis, iuxta *cap. ad audientiam, de præſcript.* ſed Tabellio vnus eſt, ergo non debet præferri duobus teſtibus, omni exceptione maioribus; ergo debet propter authoritatẽ publicam,

publicam, quam habet, illis æquipollere, vt docet gloſſa *in cap. cùm Ioannes, de fide instrumentorum, verb. quodlibet instrumentum.* Ioannes Andreas, Antonius Calderinus, & Abbas *in dicto cap. cùm Ioannes num.* 13. & Felinus *ibi num.* 35. Ergo quocumque alio adminiculo ex alia parte accreſcente, vincetur authoritas publica Tabellionis, ac proinde ſi accreſcat authoritas vnius teſtis, improbabitur prædictum publicum inſtrumentum tribus, licèt enim quibuſdam viſum fuerit hanc rem committendam eſſe arbitrio iudicis prudentis, vt is rem definiat, tamen alij, communiter loquendo, verum eſſe exiſtimant tribus teſtibus poſſe improbari publicum Notarij inſtrumentum, etiamſi vnum, vel plures teſtes habeat inſcriptos, gloſſa verò allegata *in dicto cap. cùm Ioannes, verb. quodlibet instrumentum*, exiſtimat quatuor ad minus teſtes requiri, vt publicum improbent inſtrumentum. ibi, *Si quaris quot teſtes praiudicent instrumento? poteſt dici, quòd quatuor, vel quinque ad minus, quia authoritas Tabellionis videtur aquiualere duobus teſtibus, iuxta* cap. quoniam contrà, de probationibus, *& ipſum instrumentum valet duos teſtes, quia parem vim obtinet probatio teſtium, vel instrumentum, vt hîc deciditur, & ſic patet quòd ad minus per quatuor, vel quinque teſtes improbetur instrumentum.* Hæc gloſſa. At meliùs Couarruuias *lib. 2. variar. cap.* 13. *num.* 11. arbitratur tribus teſtibus improbari poſſe inſtrumentum. nam ſi duo teſtes fidei, & authoritati publicæ inſtrumenti æquipollent, conſequens eſt, vt ſi alter teſtis accreſcat, illud improbent, & labefactent, & ita cum Couarruuia, tenent Guido Papæ *in dicto cap. cùm Ioannes.* Alexander *conſil.* 93. *lib.* 5. *col. penult.* Decius *conſil.* 101. *col.* 2. Aymo *conſil.* 56. *col. penult.* Nec refert quatuor teſtes in caſu illius Decretalis, *cùm Ioannes*, ad improbandum publicum inſtrumentum fuiſſe productos, quia ex ratione, quam pars litigans contra huiuſmodi inſtrumentum allegabat, conſtat tres tantùm ſufficere. ibi, *Non tamen quodlibet instrumentum tanti debet eſſe momenti, vt trium, vel plurium idoneorum teſtium depoſitionibus præferatur.* Ex quibus patet, tres teſtes idoneos, & omni exceptione maiores ſufficere ad vnum inſtrumentum publicum improbandum, etiam ſi pluribus teſtibus in eo in ſcriptis confectum ſit, cùm tota authoritas inſtrumenti à Tabellione, tanquam à perſona publica pendeat, non à teſtibus in eo inſcriptis, & idipſum patet ex Regia conſtitutione Regni Caſtellæ *legis* 117. *tit.* 18 *partit.* 3. & *l.* 32. *tit.* 11. *partit.* 5. quæ quatuor, vel ſaltem tres teſtes exigit, & in ea neceſſarij ſunt ad tollendam ipſius inſtrumenti fidem, ſitque directa probatio aduersùs ipſum inſtrumentum, cùm probatur, eum cui tribuitur obligatio inſtrumenti, fuiſſe eo die Salmanticæ, quo dicitur inſtrumentum factum fuiſſe Toleti.

Couarr. — Guido. Alexand. Decius. Aymo.

5. *Quot teſtes ſufficiant ad hanc improbationem.* Couarr. Quòd ſi teſtes, qui contra inſtrumentum producuntur, ſint ex iis teſtibus, qui in eodem inſtrumento inſcripti ſunt, exiſtimat Couarruuias *allegatus dicto lib. 2. variar. reſolut. cap.* 13. *num.* 11. *verſic. ſecunda concluſio*, duos teſtes ſufficere ad tollendam inſtrumenti fidem, iuxta text. *in cap. tam literis, de teſtibus*, quæ eſt communis reſolutio, iuxta Felinum *in dicto cap. cùm Ioannes, num.* 46. & Zaſium *lib.* 2. *ſingular. reſponſion. cap.* 23. & addit Couarruuias duos teſtes ſufficere ex iis, qui in eodem inſtrumento inſcripti ſunt, etiamſi præter Tabellionem, vnus teſtis non adſcriptus in inſtrumento in fauorem, & probationem illius producatur, quod notauit etiam, & docuit Corneus *conſil.* 232. *lib.* 1. *col.* 2. & Aymo *conſil.* 36. *col. penult.* Imò vnus tantùm teſtis ex iis, quæ neceſſariò adeſſe debent, & inſcribi in inſtrumento, ſi aduersùs illud teſtificetur, ſufficit vt nutet, & vacillet fides ipſius inſtrumenti, non tamen vt prædictum inſtrumentum improbetur, ita text. ſingularis *in l.* 1. §. *vltimo, ff. quemadmodum teſtamenta aperiantur*; & *inibi* Doctores, Couarruuias *allegatus*, & Felinus *num.* 50.

Felinus. Zaſius.

6. *An & quatenus teneãtur reſtituere id quod acceperunt pro faciendo falſo instrumento.* An Tabelliones, teſtes, & iudices, teneantur in conſcientia reſtituere id quod acceperunt, pro faciendo falſo inſtrumento, ferendo falſo teſtimonio, & iniqua ſententia, diximus *cap.* 39. *à n.* 19. & deinceps.

7. *An & quatenus teneãtur reſtituere maius ſtipẽdium, ſi maius acceperĩt quàm ſibi à lege taxatum ſit.* An, & quatenus Tabelliones teneantur ad reſtitutionem, ſi maius ſtipendium in pretium accipiant, quàm ſibi vſu, lege iuſta, aut conſuetudine ſit taxatum; diximus etiam *cap.* 26. *à num.* 1. Quare nihil hac de re hîc vltrà addendum eſt, ibi enim id videri poterit.

8. *Quatenus aliquid maius liceat accipere, quàm à lege taxatũ ſit.* *Quid de acceptis, quæ Luſitanè* Proes, e precalcos. Quatenus verò poſſint Tabelliones licitè vltra pretium iuſtum ſibi à lege, vel conſuetudine taxatum aliquid pro maiori labore, & diligentia accipere, & petere à partibus litigantibus, diximus *ibidem dicto cap.* 26. *num.* 12. De acceptis, quæ Luſitanè *Proes, e precalcos* vocamus, egimus *ibidem num.* 7. ac demum quatenus ad reſtitutionem teneantur, ſi à iuſtitia defecerint, tractauimus *ibidem num.* 15. Et ibidem etiam egimus de muneribus miniſtrorum iuſtitiæ, *Peitas* vocant Luſitani, in quibus iuſtitiæ miniſtris, tabelliones etiam, & ſcribæ cauſarum intelliguntur *num.* 18.

9. *Quatenus tabellionibus, & miniſtris iuſtitia xenia ſint prohibita.* Quatenus verò Tabellionibus, iudicibus, & iuſtitiæ miniſtris prohibeantur, lege poſitiua, xenia, & munerum donationes, diximus *cap.* 26. *à num.* 6. *vſque ad finem capitis*; quamobrem ſolùm curſim, ea quæ in locis citatis deſunt, hîc apponemus.

10. Requiritur ergo in Notariis, & Tabellionibus, mediocris ſaltem ſcientia earum rerum, quæ ad eorum officium pertinent, ſi enim illorum ignorantia craſſa, vel malitia actor, aut reus, vel perſona aliqua graue aliquod damnum pateretur, peccant contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, vt communiter docent Doctores. Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 25. *num.* 53. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 10. *num.* 298. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quaſt.* 5. *concluſ.* 9. & conſtat ex *cap. ſi culpa tua, de iniurijs, & damno dato*, & ex iis, quæ alibi diximus, ea enim, quæ ibi de teſtibus diximus, qui malitia, dolo, culpa, vel ignorantia craſſa damnum intulerunt, Tabellionibus etiam erunt applicanda. An autem quando damnum ex ignorantia inculpabili illorum datum eſt, ad reſtitutionem teneantur, diximus etiam alibi; vnde Tabellio, & Notarius, qui inſtrumentum falſum in damnum alicuius conficit, & qui verum occultat in tertij præiudicium, aut inſtrumentum rumpit, vel de eo aliquid dolet, & qui inſtrumento à ſe confecto, malitiosè, vel per craſſam ignorantiam, clauſulas aliquas obſcuras apponit, vel neceſſarias omittit, ob quas aliquis legatum ſuum, aut debitum perdit, & qui ſolemnitates neceſſarias dolo, vel culpa lata prætermittit, puta ſuum nomen, ſignum, teſtes, diem, menſem, aut annum, ſine dubio ad reſtitutionem in foro poli tenetur, & ad omne intereſſe lucri ceſſantis, ac damni emergentis, & in foro externo datur actio

Nauarr. Filliucius.

contra illum, non ſolùm de reſtitutione rei, ſed etiam totius præfati damni, & intereſſe, iuxta Authores *allegatos*, nam cùm ſit publica perſona, tenetur ex iuſtitia ſuum munus fideliter obire, & ſcire ex officio ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſcribenda acta, & conficienda inſtrumenta ad ſuum officium pertinentia.

11. *In quo conſiſtat tabellionis fidelitas.* Obligatio autem fidelitatis, quam Tabellio iurat ſe ſeruaturum, cùm ad poſſeſſionem officij ſui admittitur, in his rebus conſiſtit.

Primò, quòd fideliter inſtrumenta, de quibus rogatus fuerit, conficiet, nihil veritatis tacendo, nihil falſitatis miſcendo, ſub pœna reſtitutionis, vt diximus.

Secundò, quòd ſecreta partium, & iuſtitiæ, non reuelabit, niſi iuſtiſſima de cauſa.

Tertiò, quòd ſcienter non efficiet inſtrumenta, de aliquo contractu iniuſto, vſurario, aut illicito.

Quartò, quòd retinebit apud ſe copiam, & originalia omnium inſtrumentorum, & quòd petentibus det ſolum tranſumptum.

Quintò, quòd non debet occultare inſtrumenta, quæ ab eo exiguntur, præcipuè ſi legata contineant.

Sextò, quòd conficere debet acta, de iis, quæ viſu, & auditu percipiuntur.

Septimò, quòd debet certiores facere partes de obſcuris, præcipuè, mulieres, ſimplices, & ruſticanos, tenetur enim ex charitate monere partes ignorantes, præſertim, quando renuntiant alicui iuri, vt ſciant ad quid ſe obligent.

Octauò, tenetur integrè ſcribere teſtium depoſitiones, idque ea iuſtitia, & cum obligatione reſtitutionis, nihil falſi addendo, nihil veri occultando; ita communiter DD. Nauarrus *in ſumma lat. cap.* 25. *à num.* 52. Fillincius *tract.* 40. *cap.* 10. *num.* 300. Panormitan. *in cap. ſicut, ne Clerici, vel Monachi, num.* 19. Hoſtienſis, & Ioan. Andr. *ibid.* (Nauarr. Fillincius. Panormit. Hoſtienſ. Ioan. Andr.)

12. *Quam pœnã habeant tabelliones de iure Luſitano, ſi proceſſus, aut ſcripturas falſas conficiant.* Tabelliones autem, & Notarij, qui ſcripturas falſas, actus, proceſſus, & inſtrumenta efficiunt, de iure Luſitano ſuſpendio necantur, ita *in nouis ordin. lib.* 5. *tit.* 53. *initio*, & illorum bona fiſco Regio applicantur, & quamuis à Rege, via aliqua veniam delicti obtineant, pro non obtenta habetur, & pro ſubreptitia iudicatur.

13. *Quam illi, quorum fauore hæc fecerunt.* Ille verò, cuius ordine, mandato, aut præſcripto Tabellio ipſe falſum inſtrumentum, ſcripturam, actus, ac proceſſus effecerit, ſiue ipſe Tabellio falſitatis conſcius fuerit, ſiue non fuerit, ſi ipſa ſcriptura ad valorem vnius metæ argenteæ, hoc eſt, vt Luſitani vocant, *Marco de prata*, peruenerit, quamuis in re talem valorem ille non obtineat, morte naturali damnatur, & bona inſuper fiſco Regio amittit, quòd ſi huiuſmodi ſcriptura ad hanc quantitatem non peruenerit, in perpetuum exilium ad Regionem Braſilicam cum publicatione bonorum propellitur: teſtes autem, qui tali ſcripturæ authoritatem præſtiterint, ſi falſam eſſe cognouerint, eadem pœna plectuntur. Ita ius Luſitanum *in nouis ordinat. lib.* 5. *tit.* 57. *num.* 1.

14. Similiter vbi primùm quis in aliquo proceſſu ſcripturam aliquam in iudicio præſentauerit, quæ poſtea falſa fuerit inuenta, ipſe illam præſentans per decennium in exilium in Regionem Africanam mittitur, & inſuper illius bona confiſcantur, modò legitimis aſcendentibus, aut deſcendentibus careat, aliàs, ſi eos habeat, non confiſcantur; quæ omnia executioni mandantur, quamuis ille, qui talem ſcripturam præſentauerit, illi nuntium in iudicio remittat, & dicat ſe illa vti nolle; ſi tamen rationem aliquam allegauerit, qua iudex probabiliter poſſet iudicare illum, talem falſitatem non feciſſe, nec ipſi ſcripturæ adiumentum aliquod, fauorem, conſilium, aut auxilium dediſſe, nec falſitatis ipſius potuiſſe eſſe conſcium, & idem probauerit, ab iiſdem pœnis excuſabitur, vt *ibid. num.* 2. dicitur.

Tabellio, & Notarius, non poſſunt de iure ex ſe ipſis, teſtium iuramenta accipere, eorumque dicta examinare, poſſunt tamen de iudicis mandato, & commiſſione, quando propter multitudinem negotiorum, aut publicas occupationes iudices impediti ſunt, & ipſis creditur, teſtantibus de commiſſione ſibi à iudice facta; hoc tamen, vt *ſuprà* diximus, procedit in cauſis ciuilibus ordinariis, non in arduis, & grauiſſimis, nec in criminalibus, niſi fortè ſint leues, ita communiter Doctores, Farinacius 2. *part. praxis, q.* 77. *cap.* 4. *à num.* 180. *vſque ad* 201. Bald. *in Auth. apud eloquentiſſimum, n.* 1. *ad fin. C. de fide inſtrum.* Gloſſa *in Auth. ſed iudex, in gloſſ.* 1. *in principio. C. de Epiſcopis, & Clericis.* Albericus *ibi n.* 1. Salicetus *ibi poſt num.* 2. Ananias *in cap. cùm cauſa, num.* 2. *extrà de teſtibus*, Innocent. *in cap. quoniam contra, de probat. in princip.* vbi expreſsè ait, credendum eſſe Notario teſtanti de commiſſione ſibi à iudice facta pro examinandis teſtibus, & ita de conſuetudine ſeruari, & idem docet Bartol. *in l. ex ſententia, ff. de teſtam. tutel. circa med. verſ. induco iſtam legem.* Claud. Aquenſ. *col.* 1. *verſ. vltimo, in l. ſciendum ff. de verb. obligat.* Angelus *ibid. repet. verſ. limitat hæc Bartol.* & quicquid ſit, de iure, de conſuetudine ita receptiſſimum eſt, alioqui non expedirentur negotia ea facilitate, quæ requiritur, & neceſſaria eſt ad obuiandum ſumptibus, & expenſis ab ipſis partibus faciendis, quod in maximum earum detrimentum cederet; eſt enim hic vſus, & conſuetudo valde conſentanea ac conformis iuri communi, quod in decidendis cauſis breuitatem deſiderat. 15. *Quatenus poſſint depoſitiones teſtium accipere ſine iudice.* (Farinac. Baldus. Albericus. Salicetus. Ananias. Innocent. Bartol. Claud.)

Capvt XLV.

De denuntiatione, & denuntiatore, & quatenus tenemur denuntiare.

SVMMARIVM.

Quid ſit denunciatio, quid accuſatio. n. 1.
Quid in vtraque à iure intendatur. ibid.
Iudices tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares, quatenus teneantur ex officio inquirere generaliter de delictis. n. 2.
Tenentur de iure naturali, has inquiſitiones facere, & quis finis illarum ſit, & viſitationum. n. 3.
Quo tempore teneantur illas efficere. n. 6.
An iudices Eccleſiaſtici poſſint obligare iudices ſæculares, & è contrario iudices ſæculares, Eccleſiaſticos, ad huiuſmodi inquiſitiones, & viſitationes generales faciendas, quando in ea re fuerint negligentes. n. 4.
Prouinciales, & generales, an teneantur de iure naturali ſuos ſubditos viſitare, & an per ſe, vel per alios, n. 5. *& quoties in anno.* n. 6.
Epiſcopi ſingulis annis per ſe, vel per alios, tenentur viſitare ſuam diœceſim. n. 7.
Quis finis harum viſitationum. ibid.
In his viſitationibus ſolùm tenentur ſubditi denuntiare ea delicta, quibus quis eſt infamatus. n. 8.
Si crimina iam ſint emendata, aut peccatorum emendatio de proximo ſperatur, non tenentur illa denuntiare. n. 9. *& cap.* 51. *n.* 5.
An prius quàm fiat denunciatio præcedere debeat ſemper fraterna monitio, & correctio Chriſtiana. n. 10.

An

An quando ſunt in damnum tertij, quòd adhuc impendet ſit fraterna monitio præmittenda. *ibid.*

An teneantur ſuperiores declarare, in monitorijs ſuis, vt non denuntientur, niſi ea peccata, de quibus aliquis eſt infamatus. *n.11.*

1. *Denunciatio quid ſit.* DENVNCIATIO iudicialis, eſt mera criminis manifeſtatio, & reuelatio ſine aliqua actione, vel accuſatione, qua denuntiator crimen ſui proximi, ſuperiori iudici, ſeu Prælato, tanquam iudici denuntiat, vt ipſe ex officio faciat, quod ei videtur ſecundùm ius. *Accuſatio quid.* Accuſatio verò, eſt delatio criminis cum actione, in qua à iudice petitur, & ipſe compellitur reum punire; vnde denuntiator non dicitur actor, ſicut accuſator; differt autem denunciatio ab accuſatione in multis,

Primò, quia denuntiator iudicialis non intendit primò, & per ſe vindictam publicam, & punitionem delicti, ſed ſolùm intereſſe ſuum, in quo per iniuriam læſus fuit; accuſator verò, primò, & per ſe intendit punitionem publicam delicti, ob bonum publicum.

Differt ſecundò, quia denuntiator non tenetur probare crimen teſtibus; accuſator verò tenetur.

Differt tertiò, quia quamuis denuntiator iudicialis intendat vindictam publicam modo aliquo, & ſecundariò, non eſt tamen ob denunciationem infligenda tota pœna iuris denuntiato; ob accuſationem verò ſi probetur, tota pœna iuris eſt imponenda accuſato; ita docent communiter DD. & patebit infrà, cùm de accuſatione egerimus, & docet Sayrus *in Claui Regia, lib.12. cap.10. num.5.* & hæc vltima differentia colligitur ex *cap. inquiſitionis de accuſat.*

2. *Notandum primum.* Igitur notari velim primò, teneri omnes iudices tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares ex officio, & munere ſuo inquirere generaliter, de omnibus iis rebus, quæ ad officium, & iuriſdictionem ſuam ſpectant, quod vno ex tribus modis fieri poteſt, ac debet; nam quædam ſpectant ad iudicem ſæcularem, quædam ad Eccleſiaſticum, quædam verò ſunt mixti fori, & ſpectant ad vtrumque iudicem, tam Eccleſiaſticum, quàm ſæcularem, ad eum primò, qui cognitionem rei accepit.

Ad iudicem ciuilem, & ſæcularem ſpectat cognitio cauſarum ciuilium, & criminalium: ciuilium vt cauſæ contractuum, & rerum temporalium; criminalium, vt furta, adulteria, homicidia, & alia crimina, quibus eſt adnexa mortis pœna.

Ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectant cauſæ matrimoniales, & beneficiales, & cauſæ hæreſis, iuxta ea, quæ in Tridentino Concilio *ſeſſ.24 can.12.* diſponuntur, & etiam cognoſcere poſſunt de omnibus criminibus, quibus excommunicatio in iure Canonico, vel quæuis alia cenſura Eccleſiaſtica eſt adnexa.

Ad vtrumque iudicem, ſæcularem, & Eccleſiaſticum, ſpectat in primis crimen ſodomiæ ad iudicem Eccleſiaſticum ratione cenſuræ annexæ. nam ſæculares etiam homines tam dirum nefas exercentes in iure excommunicantur; ad ſæcularem ratione pœnæ mortis, quæ iure ciuili huic crimini imponitur. Spectat deinde crimen blaſphemiæ; an autem huiuſmodi crimina mixti fori poſſint puniri in vno Tribunali, cùm ſufficienter fuerint punita in alio, ſuprà in hoc libro diximus, & dicam infrà, cùm de accuſatione egerimus.

Notari velim ſecundò, teneri iudices ciuiles, & Eccleſiaſticos de iure naturali, & ex obligatione officij inquirere, & viſitare ſuos ſubditos, an benè viuant, an leges ciuiles, & Canonicas obſeruent, an crimina ſint in Republica, quæ puniri debeant de obligatione iudicum Eccleſiaſticorum, patet ex *cap.1. de officio Ordinarij, & cap. cùm olim, de accuſat. & cap. Romana, de cenſib. in 6.* quibus in locis præcipitur Prælatis Eccleſiaſticis, vt ſtatis temporibus faciant viſitationes, & inquiſitiones generales, in prouinciis, & diœceſibus ſuis, vt proſpiciant moribus ſubditorum, & purgetur Reſpublica delictis, & zizaniis, vt fructus creſcat in horreum Domini. De obligatione iudicum ciuilium patet ex *l.congruit. ff. de officio Præſidis*, & ratio huius obligationis iuris naturalis eſt, quia inquiſitio generalis non fit ad petitionem partis, ſed ex obligatione officij, & ex debito, quo ductu naturæ tenentur vtrique iudices proſpicere bono communi Reipublicæ, & conſequenter purgare, & caſtigare delicta, vt homines iuxta rationem viuant, eo enim ipſo, quo ſuperiores ſunt, tenentur ex officio bono communi proſpicere, & publicè delinquentes, de quibus præceſſit infamia, nullo accuſante punire, & ſubditos ſuos dirigere ad finem, quem leges ciuiles, & Eccleſiaſticæ intendunt; dirigunt autem leges ciuiles ſuos ſubditos ad pacem, & felicitatem temporalem Reipublicæ, vnde de omnibus criminibus, quæ hanc pacem Reipublicæ, ac felicitatem temporalem perturbant, inquirere ex officio tenentur iudices ſæculares; dirigunt verò leges Eccleſiaſticæ, & ſacri Canones ſuos ſubditos ad felicitatem æternam, & æternam beatitudinem, & ideò de omnibus delictis, quæ conſecutionem huius finis impediunt, tenentur inquirere generaliter iudices, & paſtores Eccleſiaſtici; quare huiuſmodi poteſtates ciuilis, ſeu politica, & Eccleſiaſtica tantum inter ſe diſtinguuntur, quantum diſtinguitur cœlum à terra, & finis vnius à fine alterius; ratione enim finis diuerſificantur inter ſe, & hæc eſt communis doctrina omnium Theologorum, & Canoniſtarum, ita docet Soares *lib.3. de legibus, cap.6. n.6. §. ex quibus.* Nauarrus *in cap. nouit, de iudic. notab.6. num.16.* Victoria *in relect. de poteſt. Eccleſ. §. diſſeruimus, num.9.* conſtat ex *cap. ſolitæ, de maiorit. & obed.* & ex *cap. tributum, §. quamuis 23. quæſt.8.* Soares. Nauarr. Victoria.

Hinc inſurgit dubium, obiter explicandum, videlicet, ſuppoſito quòd finis legum ciuilium, & canonicarum, & finis viſitationum, & inquiſitionum generalium ſit vtramque Rempublicam ciuilem, & Eccleſiaſticam purgare delictis, quatenus huiuſmodi delicta finem vtriuſque poteſtatis impediunt, comparationem, ſcilicet, pacis publicæ, quæ eſt finis poteſtatis politicæ, & ſæcularis, & aſſecutionem felicitatis æternæ, & beatitudinis, quæ eſt finis poteſtatis Eccleſiaſticæ. An tanta eſſe poſſit negligentia ſæcularium iudicum, in puniendis delictis publicis, & ſcandaloſis, pacem publicam interturbantibus, vt liceat iudicibus Eccleſiaſticis, de huiuſmodi criminibus agnoſcere? affirmant Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap.1. num.1. in medio*, & Gabriel, quem citat ſuper Canonem, *lect.75. litera Q.* dummodo tamen ad vitandam irregularitatem, pœna ſanguinis, in huiuſmodi delicta non animaduertant. Sed cùm de iure *in cap. qualiter, & quando, de iudicijs*, prohibitum ſit, ne huiuſmodi iudices ſe intromittant in iuriſdictionem aliorum, Rodriq. Gabriel.

3. *Notandum ſecundum.*

4. *An iudices Eccleſiaſtici poſſint obligare iudices ſæculares, & è vicißim, ad faciendas viſitationes generales, quando, in ea re fuerint negligentes.*

& ne vnus falcem mittat in ſegetem alienam, potiùs dicerem, poſſe in eo caſu iudicem Eccleſiaſticum, præmiſſa fraterna admonitione, cenſuris grauibus, & pœnis Eccleſiaſticis obligare iudicem ſæcularem, vt exoneret conſcientiam ſuam, & ſcandalis publicis, iuxta obligationem officij ſui, obuiet, conuenientibus punitionibus, prouenit enim hoc ex fine vtriuſque poteſtatis, nam finis temporalis, poteſtatis ciuilis, eſt ſubiectus, & ſubordinatus fini ſupernaturali poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſicut corpus animæ; quod colligitur ex *cap. ſolitæ, de maioritate, & obedientia*, & ex toto eo titulo, & ratione huius ſubordinationis, poterunt iudices Eccleſiaſtici in prædicta negligentia obligare iudices ſæculares, vt exonerent conſcientiam ſuam officium ſuum exequendo; & ex eo etiam euidentiùs probatur, quia iudices ſæculares, imò Reges, & Imperatores, quantùmuis eminenti poteſtate fulgeant, ſunt oues, & in ordine ouium conſtituti, & quatenus oues paſci, corrigi, & emendari debent, & ſi noluerint reſipiſcere, puniri; de illis enim etiam intelligitur illud dictum Chriſti Domini ad D. Petrum, & in eo omnibus ſummis Pontificibus, illius ſucceſſoribus, & conſequenter omnibus iudicibus Eccleſiaſticis, *Paſce oues meas.* Quod egregiè confeſſus eſt Baſilius Imperator, *oratione in VIII. Synodo*, vt refert Becanus *tom. 1. quæſtionum miſcellan. fol. 656.* Vnde ſequitur euidenter, falſum eſſe id, quod inſinuant Rodriquez, & Gabriel *locis allegatis*, poſſe ſimiliter iudices Eccleſiaſticos corripi, puniri, & emendari à iudicibus ſæcularibus, quando illorum tanta fuerit negligentia in puniendis delictis, quorum cognitio ad illos ſpectat, & quæ conſecutionem æternæ felicitatis impediunt, vt eadem ſcandala in Republica oriantur, hoc enim falſum, & improbabile eſt,

Becanus.

Primò, quia finis poteſtatis Eccleſiaſticæ, non eſt ſubiectus, & ſubordinatus fini poteſtatis politicæ, & ſæcularis, imò è contrario finis poteſtatis politicæ eſt ſubiectus, & ſubordinatus fini poteſtatis Eccleſiaſticæ.

Secundò, quia iudices Eccleſiaſtici ſunt paſtores, & ipſi iudices ſæculares oues, & oues iuxta rationem naturalem non debent iudicare paſtores; vt in prædicta oratione octauæ Synodi, confeſſus eſt Baſilius Imperator his verbis, *Quantacumque Religionis, ac ſapientiæ laicus laude exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa virtute exteriùs polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet: Epiſcopus verò, quantacumque ſit irreuerentia plenus, donec Epiſcopus eſt, & veritatis verbum prædicat, paſtoru vocationis, & dignitatis damna non patietur; quæ ergo ratio eſt in ordine ouium conſtitutis paſtores ſuos verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea quæ ſupra nos ſunt quærendi, & ambiendi; oportet ergo nos cum timore, & fide hos audire, & facies eorum vereri, & nihil ampliùs, quàm ea, quæ noſtri ordinis ſunt requirere.* Quæ veritas adeò ſolita eſt, vt illam vel inuitus confeſſus ſit Caluinus *lib. 4. ſuarum inſtit. cap. 11. §. 4.* conſtringente eum, & obligante ſolida, & pura veritate, vt refert idem Becanus *allegatus*, ita enim Caluinus ibi, *Magiſtratus ſi pius eſt, non volet ſe eximere à communi ouium, & filiorum Dei ſubiectione, cuius non poſtrema pars eſt Eccleſiæ ex verbo Dei,* Paſce oues meas, *iudicantis ſe ſubÿcere, vt iudicium illud tollere debeat.*

Tertiò, quia iudices ſæculares, nullam iuriſdictionem habent ſuper perſonas ſpirituales, & Eccleſiaſticas; omnis enim poteſtas ſæcularis, temporalis, eſt ordinata ad felicitatem temporalem Reipublicæ, tanquam ad finem proprium. Quare illius leges non poſſunt obligare perſonas ſpirituales, & Eccleſiaſticas, quæ ſunt exemptæ, & nullam vnquam in eas iuriſdictionem habuit, *cap. benè quidem 96. diſt.* ibi, *Nunquam licuit laicos ſtatuendi in Eccleſia præter Romanum Pontificem habere aliquam poteſtatem, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi, cap. Eccleſia ſancta Mariæ, de conſtitut.* ibi, *Laicis ſuper Eccleſiaſticis perſonis, nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet poteſtas, non authoritas imperandi, à quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & fauorem, nullius firmitatis exiſtat, cap. inolita, cap. placuit, cap. ſi Clericus, cap. ſi quis ex fratribus, cap. peruenit 11. quæſt. 5. cap. decernimus, de iudicÿs.* Azor *tom. 1. lib. 2. cap. 12. verſ. quæri ſolet.* Soares *lib. 4. contra Regem Angliæ, cap. 34. num. 38.* Poterunt tamen iudices ciuiles, tanquam amici monere iudices Eccleſiaſticos, vt officium ſuum exequantur, quia in hoc nullam iuriſdictionem exercent.

Azor.
Soares.

5. Ex prædicta hactenus doctrina, elicit Emmanuel Rodriquez, (& optimè) *in tract. de ordine iudiciario, cap. 1. num. 2.* hanc concluſionem. *Iure diuino, & naturali, tenentur Prouinciales Religionum viſitare iudicialiter Religioſos ſuos ſubditos per ſe, vel per alios*, quod euidenter probatur ex illis verbis Chriſti Domini, *Paſce oues meas*, & ex illis Lucæ 22. *Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Quod etiam refertur ad omnes Prælatos habentes animarum curam, & ob eandem rationem addit Emmanuel Rodriquez. Tenetur generalis cuiuſque Religionis familiam ſuam viſitare per ſe, vel per alium, cùm ſit illius ſupremus paſtor, quod intelligendum eſt, iuxta formam conſtitutionum, & conſuetudinem cuiuſque Religionis, & ideò quamuis Religio D. Franciſci ſtatutum habeat, vt Miniſter generalis illius ſuam familiam viſitet, & admoneat, tamen hoc intelligendum eſt per ſe, vel per ſuos Prouinciales; vt explicant Corduba ſuper Regulam D. Franciſci *cap. 10. quæſt. 1.* & Rodriquez *allegatus*.

Prouinciales, & Generales, an teneantur ſuos ſubditos viſitare per ſe, vel per alios iure diuino, & naturali.

Corduba.
Rodriq.

6. Ius naturale, quo huiuſmodi Prælati Religionum, hoc eſt, tam generales, quàm Prouinciales, per ſe, vel per alios, tenentur viſitare ſuos Religioſos, non determinauit tempus, quo hæ viſitationes ſint faciendæ; cùm enim hæc obligatio iuris naturalis contineatur in illis verbis Chriſti Domini, *Paſce oues meas*, & in illis, *Confirma fratres tuos.* & in illis nullum tempus certum aſſignetur ad hanc confirmationem, & viſitationem, inde oritur, vt determinatio temporis, quo huiuſmodi viſitationes faciendæ ſunt, ad ius naturale non ſpectet, ſed ad ius Eccleſiaſticum: ſic de iure naturali tenemur Deum honorare, actionum verò, per quas illum honorare tenemur, determinatio ad Eccleſiam ſpectat; de iure naturali eſt etiam, vt miniſtros Dei, & paſtores ſuos ſæculares oues alant, quotæ autem, & taxæ decimarum determinatio, quæ illos alere debebant ad iudicium Eccleſiæ ſpectauit, & Eccleſia in eo negotio approbauit iudicium Moyſi, qui in lege vetere prudentialiter pro ſuſtentatione congrua miniſtrorum Dei, quotam decimalem fructuum aſſignauit, denique de iure naturali erat, vt homines per confeſſionem ſacramentalem in gratiam, & amicitiam Dei redirent; quo autem tempore hoc faciendum eſſet, Eccleſia determinauit in Concilio Lateranenſi, in quo decretum fuit,

fuit & ſtatutum, vt ſingulis annis fieret tempore Quadrageſimæ.

7. Ad hunc igitur modum Eccleſia etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 1. & cap. 20. & ſeſſ. 7. cap. 8. & ſeſſ. 21 cap. 8. de reformat.* vbi loquitur de Epiſcopis, diſpoſuit iure ſuo poſitiuo, & determinauit, vt hæc viſitatio fieret ſingulis annis, & ſic tenentur Paſtores Eccleſiaſtici, ſæculares, & Regulares de iure poſitiuo, Eccleſiaſtico viſitare quotannis ſuos ſubditos; cùm tamen hoc ius Eccleſiaſticum, & poſitiuum, præceptum affirmatiuum contineat, non debent damnati ad culpam mortalem iudices illi, tam politici, & ciuiles, quàm Eccleſiaſtici, qui nec per ſe, nec per alios ſubditos viſitant quotannis; & ratio, ac fundamentum huius rei deſumitur ex fine, ad quem huiuſmodi viſitationes ordinãtur, ac diriguntur, nam cùm finis viſitationum ſit corrigere, & emendare delinquentes, tollere ſcandala de Republica, punire defectus, & delicta, ceſſante cauſa, & neceſſitate finis, conſequenter ceſſat obligatio ſingulis annis viſitandi, & conſequenter, ſi neceſſitas viſitandi vrgeat, non ſolùm ſingulis annis tenentur prædicti ſuperiores viſitare; ſed etiam frequentiùs; ſed tunc non ex vi iuris, & præcepti poſitiui, ſed ex obligatione officij, & ex vi iuris naturalis; ita docet Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 1. num. 2. & 3.* & ex parte etiam Sayrus *lib. 12. cap. 10. num. 16.*

Rodriquez. Sayro.

8. *In viſitationibus quæ delicta teneantur denunciare ſubditi.*

In his verò viſitationibus, etiamſi præcipiantur ſubditi ſub cenſura denunciare omnia delicta, ſolùm tenentur denunciare ſuperioribus tamquam iudicibus ea delicta, quorum authores laborant infamia de talibus delictis, & quæ correctione digna ſunt, tacendo ea quæ occulta ſunt; vt colligitur *ex cap. qualiter & quando, de accuſat.* & docent communiter DD. Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 18. num. 38. verſ. vigeſimoprimò.* Sayrus *allegatus.* Salon. *2. 2. quæſt. 69. artic. 2. controuerſia 5.* Aragonius *2. 2. quæſt. 67. artic. 2.* Valentia *tomo 3. diſputat. 5. quæſt. 14. puncto 1.* Angelus *verb. Inquiſitio. §. 1.* Syluester *ibi quæſt. 4. verſic. 3.* Tabiena *ibi num. 10.* Sotus *lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 6. artic. 2. concluſ. 5. & in relect. de teg. ſecret. memb. 2. quæſt. 6. concluſ. 2.* Et ratio eſt, quia ſubditus ad ea tantùm tenetur reſpondere, quorum ſuperior eſt legitimus iudex, nullus autem ſuperior, præter Deum, eſt iudex eorum delictorum, de quibus nulla eſt infamia, & ideo non poteſt abſque peccato interrogare delicta de aliquo particulari ſubdito, dum illorum non laborat infamia; vt dicitur *in cap. qualiter, & quando, de accuſat.* tunc autem quis laborat infamia delicti, quando talia indicia de illo ſunt, vt æquipolleant ſemiplenæ probationi, & à fortiori quando datur ſemiplena probatio aduersùs illum. Quando autem quis ſit ſufficienter indiciatus, & infamatus de aliquo crimine, ad hoc, vt teneamur illum denunciare, dicemus infrà *cap. ſequenti, à n. 25. vſque ad 29.*

Nauarrus. Sayro. Salon. Aragon. Valentia. Angelus. Syluester. Tabiena. Sotus.

9. Item ſi crimen iam ſit emendatum, aut illius emendatio de proximo ſperatur, nemo etiam tenetur denunciare; vt docet Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. num. 17. verſ. Ratio eſt*; & eſt communis ſententia, quam explicabimus infrà, cùm de accuſatione agemus. Ratio autem eſt, quia perquiſitiones generales, viſitationéſque ex officio factæ, & denunciationes ad emendationem delictorum tendunt; quare ſi peccator iam eſt emendatus, ceſſat finis denunciationis, ceſſante autem fine, ceſſat effectus; ſi tamen tunc poſt emendationem peccatoris delinquentis adſit accuſator, qui velit illum accuſare, & aliquis interrogetur, vt teſtis tenetur veritatem reſiari, vt de ſe patet; ſed hac de re redibit ſermo *cap. 51. num. 4.*

Si autem crimen non ſit emendatum, tunc 10. denunciatio fieri debet, ita vt ſi ſit priuatum, & ſpes ſit correctionis, præcedat ſemper fraterna monitio; ſi verò ſit in damnum communitatis, & Reipublicæ, aut in præiudicium tertij, vel periculum ſit in mora, debet ſtatim fieri denunciatio prætermiſſa monitione fraterna, atque Chriſtiana; vnde in inquiſitione, quam faciunt Inquiſitores, vel in ſuis viſitationibus, vel propoſitis edictis, manifeſtanda ſunt hæreſis delicta, etiam ſi delinquens nulla laboret infamia, vt hac ratione bono communi fidei, & Religionis Chriſtianæ proſpiciatur, & bono etiam priuato ipſius delinquentis. Et idem dicendum eſt de delictis, quæ in damnum temporale Reipublicæ tendunt, & aliis ſunt pernicioſa, quando periculum aliis imminet, & frater non eſt emendatus, etſi nulla exiſtat infamia, quia in huiuſmodi criminibus tenetur vnuſquiſque aut damnum illud impedire, aut deferre ad ſuperiorem qui illud impediat, etiamſi nulla fiat inquiſitio.

Sed hîc dubium eſt, an extra hos caſus, qui 11. in damnum fidei Reipublicæ, & tertij ſunt, teneantur ſuperiores, & iudices, quando generalem ex officio Inquiſitionem delictorum efficiunt, exprimere in ſuis edictis ſe ea tantùm inquirere, & præcipere denunciari delicta, quorum authores laborant infamia; qua de re duplicem inuenio opinionem.

An teneantur ſuperiores in monitoriis ſuis declarare, quæ peccata denuntiari debeant.

Prima negat; eam tenet Caietanus *tomo 1. opuſc. tract. 31. in reſponſ. 5. ad primum*; & Banhez *2. 2. quæſt. 70. artic. 1. dub. 2. ad ſecundum.* Ratio illorum eſt, quia mandata, & præcepta ſuperioris ſemper intelligenda ſunt iuxta ordinem, & diſpoſitionem iuris naturalis, & diuini, atque adeò ſubintelligitur ſemper in illis, nolle ſe inquirere de occultis, quorum nulla eſt infamia, cùm iure naturali, & diuino talia reuelare vetemur.

Opinio prima. Caietan. Banhez.

Secunda opinio affirmat, teneri ſuperiores id exprimere, maximè ſi inquiſitio generalis in loco aliquo, in quo plerique ſunt ſimplices, ac ruſticani, nec facilè habent viros doctos, ac prudentes, quos conſulere poſſint; hanc tenet Sotus *in relect. de teg. ſecreto memb. 2. quæſt. 6. concluſ. 2.* Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 62. num. 848.* & in communi *in rubr. de iudic. num. 68.* Ratio illorum eſt, quia alioquin magna daretur occaſio ſubditis ignorantibus, & ſimplicibus errandi, illa denunciando in damnum famæ proximi, quæ denunciare non tenentur, quod tenentur ſuperiores vitare, quantum poſſunt; iſta ſecunda opinio videtur verior, quam etiam ſequitur Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. num. 18. verſ. Sotus.* Et prima Caietani, & Banhez ſolùm habere poterit locum in locis, in quibus homines ſunt prudentes, & docti, qui hæc omnia ſciunt, à quibus illa facilè addiſcere poſſint? vt optimè in hac re animaduertunt Michaël Salon *2. 2. quæſt. 69. artic. 2. controuerſia 5. in fine.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. part. 2. dub. 3. num. 154.* & Sayrus *allegatus.*

Opinio ſecunda. Sotus. Nauarrus. Sayro. Salon. P. Nauarra. Sayro.

Capvt XLVI.

Quotuplex ſit inquiſitio, & quid ſit; agitur de inquiſitione generali, & particulari. ſoluuntur multa dubia.

Svmmarivm.

Quid ſit inquiſitio. num. 1.
Inquiſitio omnino generalis, vel poteſt eſſe ex parte criminum, vel ex parte perſonarum, à numero 2. *vſque ad* 4.
Inquiſitio ſpecialis quæ ſit. num. 5.
Inquiſitio mixta partim generalis, partim ſpecialis, quæ, & qualis. num. 6.
Inquiſitio generalis, tam ex parte criminum, quàm perſonarum fieri poteſt à ſuperiore abſque indiciis, & infamia præcedenti. num. 7.
Refutatur Alciatus aſſerens, ad inquiſitionem generalem requiri indicia, & infamiam præcedentem. num. 8.
In inquiſitione generali, non poteſt iudex inquirere de Petro, vel Paulo, an tale, vel tale crimen commiſerit. num. 9.
An iudex, & ſuperior, tam Eccleſiaſticus, quàm regularis & ſæcularis, ſciens delictum ſubditi, de quo nulla eſt infamia, cum duobus, aut tribus aliis teſtibus, poſſit iuſtè inquirere particulariter de illo. num. 10. & 14.
An ſpectato iure naturali, an ſolùm de iure poſitiuo, requiratur accuſatio ad puniendum aliquem. num. 11.
Nemo tenetur in inquiſitione generali, cùm à iudice interrogatur, ſuum crimen iudici reuelare, quamuis ſit valdè publicum. num. 12.
An inquiſitio mixta partim generalis, partim ſpecialis requirat infamiam, vt quis teneatur perſonam reuelare. num. 13.
An ſuperior Regularis poſſit ſecretò corrigere ſubditum, cuius nulla eſt infamia, eſt tamen delictum illius ſoli ſuperiori, & tribus aliis notum, & quatenus poſſit. num. 14.
An delicta quæ vergunt in damnum tertij & hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis, & monetæ falſæ, requirant infamiam, vt manifeſtentur. num. 15.
Quomodo intelligatur factum Diui Gregorij, quando excommunicauit peccatorem quendam occultum, qui libellum famoſum ſcripſit, & vulgauit, niſi ſe proderet. num. 16. & 17.
Et quid de Monacho, quem cum pecunia inuenta ſepelire fecit. num. 17.
An cùm crimen eſt publicum, perſona verò committens illud occulta ſit licitum contra perſonam inquirere. num. 18. & 19.

1. *Inquiſitio quid ſit,* Inqvisitio eſt legitima quædam inueſtigatio, quam iudex ex officio efficit, inquirens de aliquibus criminibus, aut de aliquo delinquente, infamia delicti laborante, emendationem illius primariò intendens. Ita Rodriguez *tract. de ordinario, cap. 2. initio*; conſtat ex dictis, & patet ex *cap. qualiter, & quando, 2. de accuſationib.* Iuris Canonici periti ad iſtud caput ſuo more, modóque plures inquiſitionis modos, & ſpecies conſtituunt; Theologi tamen duas tantùm, aut ad ſummum tres enumerant, ad quas reliquæ omnes reducuntur. (Rodriguez.)

& quotuplex. *Prima* eſt generalis omnino.

Secunda ſpecialis.

Tertia partim generalis, partim ſpecialis, quæ mixta dici poteſt.

Generalis omnino vno è tribus modis fieri poteſt. 2. *Inquiſitio generalis quomodo fieri poſſit.*

Primò enim generalis eſſe poteſt ex parte criminum tantùm; vt cum Prælati Eccleſiaſtici, viſitantes ſuam diœceſim, vel iudices ſæculares ſuam Prouinciam inquirunt, an ſint aliqua delicta, quæ emendari poſſint, & purgari in populo, verbi gratia, furta, adulteria, homicidia, & alia, de quibus iudices ſæculares cognoſcunt, & an ſit concubinatus, an Sacramenta ritè, & rectè adminiſtrentur, aut publica iuramenta falſa, an blaſphemiæ, & alia de quibus iudices Eccleſiaſtici, & Prælati in ſuis viſitationibus communiter interrogant.

Secundò poteſt eſſe generalis quo ad perſonas; vt cùm iudex ſæcularis inquirit, an ſint aliqui fures, & facinoroſi in Republica, an aliqui adulteri, an homicidæ, pœna digni, & de hac inquiſitione generali loquitur *l. congruit, ff. de officio Præſidis*; & etiam cùm inquirit, quis occiderit Petrum, qui inuentus fuit mortuus, aut qui in rixa multorum occubuit pugione transfixus, de qua loquitur lex *mandatus, ff. de condict. ob turpe cauſam*; iudex verò Eccleſiaſticus, an Clerici benè viuant, an rectè munia ſua exequantur, an Parochiani Miſſam audiant, & an laborent diebus feſtis, an ſint aliqui in Parochia concubinarij, an blaſphemi, & falſum iurãtes. 3.

Tertiò poteſt eſſe generalis quoad delicta, & ſpecialis quoad perſonas, aut è contrario generalis quoad perſonas, & ſpecialis quoad delicta. Primo modo eſt generalis quoad delicta, & ſpecialis quoad perſonas, cùm inquiritur per viſitationem, & viſitatorem, quæ perſonæ tali die, tempore, & hora extiterint in Eccleſia ad inueſtigandum, & emendandum, ac puniendum crimen per aliquem eorum commiſſum, vt Monaſterium reformetur, de qua agitur *in cap. inquiſitionis, de accuſationib.* Generalis verò quoad perſonas, & ſpecialis quoad delicta, vt cùm inquiritur de aliquo ſcelere, & maleficio ſpeciali contra ciuitatem commiſſum, & iudex interrogat generaliter quis illud commiſerit. 4.

Specialis omnino ex parte delicti, & perſonæ, eſt illa, in qua in particulari & nominatim inquiritur, & ſpecificatur certa perſona, & certum crimen; vt, verbi gratia, an Petrus hoc homicidium commiſerit, hoc furtum fecerit. Specialis, ex parte delicti, & non ex parte perſonæ, vt cùm inquiritur quis hoc furtum particulare fecerit; ſpecialis, ex parte perſonæ, & non ex parte delicti, vt cùm inquiritur, an Petrus, vel Antonius delictum aliquod commiſerit, vel furtum aliquod, aut homicidium, &c. 5. *Inquiſitio ſpecialis quæ.*

Partim generalis, & partim ſpecialis, ſeu mixta recurrit cum illa, quæ eſt ſpecialis ex parte delicti, & generalis ex parte perſonæ, vt cùm ſpeciale delictum exprimitur, & nominatur; perſona verò non exprimitur, nec nominatur, ſed generaliter, & in communi inquiritur, quis illud commiſerit, vt cùm inquiritur quis commiſerit tale, vel tale furtum; & cum illa etiam, quæ eſt ſpecialis ex parte perſonæ, & generalis ex parte delicti; vt cùm inquiritur, an Petrus, vel Paulus ſit homo facinoroſus, & pernicioſus in Republica, vel in Parochia. His animaduerſis, 6. *Inquiſitio mixta quæ.*

Statuo primò, Inquiſitio generalis, tam ex parte criminum, quàm perſonarum fieri poteſt iuſtè, & iuridicè à iudice ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſæculari, abſque vlla præuia infamia, & abſque vllo actore, & denunciatore; eſt communis Doctorum (præter vnum Alciatum, quem ſtatim examinabimus) ita 7. *Concluſio prima.*

Sotus

Sotus. Angelus. Sylueſter. Tabiena. Nauarrus. Salon. Rodriquez. Aragon. Valentia. Sayro.

Sotus *in releſt. de teg. ſecret. memb. 2. quæſt. 6. concl. 2. & lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 6. artic. 2. concluſ. 5.* Angelus *verb. Inquiſitio*, §. 1. Sylueſter *ibi quæſt. 4. verſic. 3.* Tabiena *ibi num. 1.* Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 18. num. 38. verſ. vigeſimoprimo; & in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 62. num. 645.* Salon. 2. 2. *quæſt. 69. artic. 2. controuerſia 5.* Rodriguez *in tractat. de ordin. iudiciario, cap. 2. num. 2.* Aragonius 2. 2. q. 67. *artic. 2.* Valentia *tomo 2. diſputat. 5. quæſt. 14. puncto 1.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. num. 15. verſic. Prima propoſitio.* colligitur ex *cap. 1. de officio ordinario, & cap. cùm olim, de accuſat. & cap. Romana, de cenſib. in 6.* Et ratio eſt euidens,

Primò, quia in inquiſitionibus generalibus procedunt iudices, & ſuperiores ex officio ſuo, & obligatione illius; ergo, vt ſatisfaciant obligationi officij ſui, non opus eſt, vt præcedat infamia delicti.

Secundò, quia nulli faciunt iniuriam, cùm de nullo in particulari inquirant, & aliunde ex officio tenentur generaliter inquirere, & peccabunt contra iuſtitiam legalem, & obligationem ſui officij, niſi hoc efficiant, tenentur quippe Prælati, & iudices ſæculares, eo ipſo quòd ſunt iudices, & Prælati, moribus ſuorum ſubditorum proſpicere, eóſque ad propoſitum ſibi finem dirigere. Sæculares iudices ad pacem publicam, & felicitatem temporalem qui eſt proprius, & immediatus finis poteſtatis politicæ, & ſæcularis Prælati, & iudices Eccleſiaſtici ad felicitatem æternam, & beatitudinem, qui eſt proprius, & deſtinatus finis poteſtatis Eccleſiaſticæ; & ideo ex officio etiam tenentur huiuſmodi iudices tollere impedimenta, & purgare Rempublicam delictis, quæ his finibus ab vtraque poteſtate intentis obſtaculo eſſe ſolent.

8. Sed ſolus (ex his quos viderim) Alciatus *in cap. 1. de officio ordin. num. 5.* contrarium tenet, aſſerens nec etiam generaliter poſſe iudices, tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares inquirere de delictis, & perſonis facinoroſis, quin præcedat aliqua infamia ciuium, aut notitia delictorum. Fundamentum illius eſt, quia ſicut interrogatio, & inquiſitio eſt generalis; ita reſponſio erit generalis, ac proinde totus proceſſus erit inutilis, ridiculus, & incertus, v. g. inquiret iudex, an ſint aliqui facinoroſi, vel aliqua delicta in Republica; & in tali, vel tali oppido, pago, aut ciuitate; reſpondere poterit ille, qui ſub iuramento interrogatur in generali, eſſe, aut non eſſe, quæ reſponſio erit inutilis, & ſuperuacanea; ſed ad hanc obiectionem reſpondeo, quando inquiſitio, & interrogatio eſt generalis ex parte iudicis, non poſſe teſtem, ſeu denunciatorem reſpondere generaliter, ſed teneri in conſcientia manifeſtare in ſpeciali, & in indiuiduo, delicta, quæ non ſunt occulta, & perſonæ, quæ iam ſunt iudicatæ, cùm ad huiuſmodi perſonas corrigendas, & ad emendanda delicta, & punienda, inquiſitio hæc generalis dirigatur; & quamuis ſuperior ex hac inquiſitione generali non poſſit procedere ad inquiſitionem ſpecialem eorum delictorum, quæ occulta ſunt, aut illarum perſonarum, de quibus nulla præceſſit infamia delicti, quia tamen reuelanda ſunt ea, de quibus præceſſit infamia, quæ ſine tali inquiſitione, & viſitatione nullus curaſſet manifeſtare, ratione illorum inquiſitio hæc vtilis iudicanda eſt, cùm exinde puniantur delicta, & Reſpublica hominibus ſceleratis liberetur, ac magna ex parte purgetur, vt conſtat.

9. *Concluſio ſecunda.* Statuo ſecundò. In inquiſitione generali non poteſt iudex inquirere in particulari, de Petro, v. c. aut Paulo, an tale, vel tale delictum commiſerit, ſed ſolùm licitum ei eſt inquirere in generali, quis commiſerit hoc, vel illud delictum, aut in tali, vel tali peccato deliquerit, niſi cum Petrus, vel Paulus, vel perſona particularis iam eſt infamata de eo delicto, vt ſtatim dicetur, ita docet Rodriguez *in tractat. de ordine iudiciario, cap. 2. num. 2.* & Sayro *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. num. 19.* Angelus *verb. Inquiſitio*, §. 1. Silueſter *ibi quæſt. 4. verſic. primum.* Sotus *lib. 2. de iuſtitia, quæſt. 6. artic. 5. concluſ. 5. & in relectione de teg. ſecret. quæſt. 6. membr. 2. concluſ. 1.* Salon. 2. 2. *quæſt. 69. artic. 12. controuerſ. 6.* Petrus Aragon, & Banhez *ibidem.* Nauarrus *in Manuali Latino, cap. 18. num. 38. verſic. 21.* Valentia *tomo 3. diſputat. 5. quæſt. 14. puncto 1.* & alij; colligitur expreſsè ex *cap. qualiter, & quando 2. & cap. cum oporteat*; & ex *cap. Inquiſitionis, de accuſationib. & cap. Heli, de Simonia*; & ex *cap. Deus omnipotens 2. quæſt. 1.* patet ex iis, quæ diximus *num. 5.* Probatur

Rodriguez. Sayr. Angelus. Silueſter. Sotus. Salon. Aragon. Banhez. Nauarrus. Valentia.

Primò, quia hæc eſt inquiſitio ſpecialis, ex parte perſonæ, & ex parte delicti: talis autem inquiſitio fieri non poteſt ſine magna iniuria proximi, & ſubditi, nulla præcedente infamia illius.

Secundò, quia *Geneſeos* 4. non inquiſiuit Deus de Caino, niſi poſtquam vox ſanguinis fratris ſui Abel clamauit ad Deum de terra, quæ eſt vnica ratio, qua hanc noſtram concluſionem probauit ſummus Pontifex *in dicto cap. qualiter, & quando,* allegato. Nec deſtructi ſunt Sodomitæ; donec clamor eorum, ſeu infamia delicti aſcendit ad cœlum, vnde poſtea dixit Deus, *Deſcendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Geneſeos* 18. & *Lucæ* 16. habetur, non vocaſſe Dominum villicum ad reddendam rationem, niſi poſtquam infamatus eſt apud Dominum de iniqua villicatione, & præcedente, ac præeunte hac infamatione, tunc vocauit illum ad iudicium, & interrogauit illum in particulari, *Quid eſt hoc quod audio de te? redde rationem.* Ex quibus omnibus locis, patet non poſſe licitè iudices procedere, nec habere ius procedendi, contra aliquem in particulari, & inquirendi de illo, niſi præcedat infamia aliqua de illo. Et ratio à priori eſt, quia iudex non poteſt procedere ad punitionē alicuius rei, quin adſit aliquis accuſator illius, ſed quando iudex procedit via inquiſitionis particularis contra aliquem in particulari, procedit iam ad punitionem delicti, & emendationem delinquentis; ergo non poteſt procedere contra illum, niſi ſit ſaltem virtualis aliquis accuſator, hoc eſt, infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio delicti. Maior patet ex *cap. ſi quis poteſtatem 23. quæſt. 4.* vbi dicitur, *Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare, ſicut nec Chriſtus Iudam abiecit.* nam quamuis furem eſſe eum ſciret, quia tamen non erat accuſatus à ſocietate ſua, ab illo non fuit expulſus; & *cap. 1. de accuſat.* ita ait Felix Papa: *Si legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus.* Nec Chriſtus Dominus adulteram damnauit, imò eam abſoluit ex eo quòd nemo eſſet qui eam accuſaret. Ioan. 8. *Mulier, vbi ſunt qui te accuſabant; nemo te condemnauit? nemo, Domine. Nec ego te condemno, vade in pace.* Minor probatur, quia iam iudex habet, quod puniat, habet enim ſemiplenam probationem delicti, cùm ex delictis, & clamoroſa inſinuatione ſemiplenæ probationi æquipollente procedit; quare ex vi talis indicij poteſt, & tenetur ex officio de re inquirere, & veritate comperta delinquentem punire; quamuis enim inquiſitio generalis primariò ordinetur ad purgationē Reipublicæ, & emendationem

delicto

delictorum, ſecundariò etiam tendit ad punitionem delinquentium, alioqui nullius vtilitatis foret inquiſitio, nec vllo pacto delicta corrigentur, niſi delinquentes puniantur, iuxta illud,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Conſequentia eſt bona; quare probatione nõ eget.

10. Hinc fit, quòd quamuis iudex Eccleſiaſticus, & ſæcularis, imò etiam Regularis delictum occultum ſui ſubditi agnoſcat, de quo nullum eſt indicium publicum, nec clamoroſa inſinuatio, vel ſparſus rumor, ſed adhuc eſt omnino occultum, & ſciat etiam duos, tres, vel quatuor teſtes eſſe conſcios illius, per quos tale delictum probari poſſit: nequeat via inquiſitionis particularis de illo ſpecialiter inquirere, vt eum puniat, vt docet expreſsè Innocentius III. *in cap. inquiſitionis, de accuſat.* §. *Tertia dubitationis*, ibi, *Non ſufficere ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem non infamatum, etiamſi duo, vel tres teſtes iurati omni exceptione maiores aſſerant, ſe vidiſſe hominem aliquem delictum illud commiſiſſe.* Deficit enim accuſator, qui neceſſariò requiritur ad puniendum aliquem, vel clamoroſa inſinuatio, & talia indicia, quæ vicem accuſatoris ſubeant, & virtualiter accuſent, aut niſi ſit fiſcalis, aut iuſtitiæ promotor, qui ex officio tenetur accuſare, qui etiam in conſcientia non poteſt accuſare, niſi id quod poteſt probare, & niſi præcedant indicia ſufficientia, & hanc veritatem tradit etiam Caietanus
Caietan. Sotus. expreſsè 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 1. & 2. *in initio.* Sotus *in relect. de teg. ſecreto, memb.* 2. *quæſt.* 6. *poſt concluſionem* 1. *dub.* 1. & 2.
Nauarrus. Nauarrus *in cap. inter verba* 11 *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *corollario* 48. *num.* 579.
Salon. Aragon. Valentia. Sayro. Michaël Salon 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 2. *controuerſia* 6. Aragon *ibi quæſt.* 67. *artic.* 3. *in fine.* Valentia *tom.* 3. *diſputat.* 5. *quæſt.* 14. *puncto* 1. Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 200. Poteſt tamen tunc ſuperior regularis, tanquam Pater, non tamquam iudex eum corrigere, & emendare, & ſecretò flagellare, vt docet Emanuel Rodriguez *in tractat. de ordine iudic. cap.* 3. *num.* 4. Sed de hac re redibit ſermo *infra num.* 14.

11. *Notandum.* Notabis autem, ex iure ſolo poſitiuo, requiri accuſatorem ad punitionem: nam inſpecto iure naturali, non videtur aliquis accuſator, aut infamia, quæ viam accuſatoris ſubeat, requiri ad inquirendum ſpecialiter de aliquo ad punitionem. Sed videtur ſolum ſufficere notitia illa, quæ tollat à iudice temeritatem, qualis eſſet illa, quam haberet iudex, & duo, aut tres teſtes de ipſo delicto teſtantes, nam ſpectato iure naturali, id videtur ſufficere, vt res toti communitati manifeſta cenſeatur, cùm iudex vicem, & poteſtatem totius communitatis gerat; ſolo igitur iure humano prohibitum eſt iudicibus, vt non procedant via inquiſitionis particularis contra aliquem ad punitionem, niſi præcedente infamia, ſeu clamoroſa inſinuatione delicti, *in cap qualiter, & quando* 2. & *in cap. inquiſitionis, de accuſat. & cap. nihil* 2. *q.* 1. & optima ratione prohibitum eſt; voluit enim ius humanum, quantum fieri poteſt bono communi prouidere, cum minima iactura famæ, & boni priuatorum hominum; nam non parum læditur fama hominis, ex eo quòd de aliquo in particulari fit apud alios inquiſitio; vnde expectare voluit ius humanum, donec fama apud aliquos ſit modo aliquo perdita, antequam puniret, aut ad punitionem iudex via inquiſitionis particularis inquireret; hac tamen ratione non obſtante benè poſſet iudex ſpectato rigore iuris naturalis ſine accuſatore inquirere ad punitionem, & bonum commune famæ priuati hominis anteponere, ſed ſpectata diſpoſitione iuris Canonici, quæ eſt valdè conformis ad ius naturale; ſicut peccaret, & malè ageret iudex, qui ſine clamoroſa inſinuatione inquireret particulariter de aliquo homine ad punitionem, ita peccaret, & malè ageret denunciator, qui ſine eadem clamoroſa inſinuatione reuelaret, & hæc fuit cauſa, ob quam Deus morte ſummum Sacerdotem Heli caſtigauerit 1. *Reg.* 2. vt refertur *in cap. Heli, de ſimonia*, quia, ſcilicet filios ſuos, non ad exemplum populi punierit, cùm tamen eſſent publicè diffamati, nam ex officio præcedenti hac infamia tenebatur bono communi conſulere. & peccata non impunita relinquere, & tota hæc doctrina eſt optima, & deducta eſt ex Sayro *allegato, d. lib.* 12. *in claui Regia, cap.* 10. *à n.* 21. *vſque ad* 22.

Statuo tertiò. Nemo tenetur in inquiſitione generali, cùm iudex generaliter, & in communi inquirit, ſuum crimen reuelare, quamuis ſit valdè publicum, tenetur tamen, cùm à iudice poſtquam eſt indiciatus, & poſt ſemiplenam probationem, iuridicè ſub iuramento interrogatur, fateri veritatem etiam contra ſeipſum, modo quo ſæpe alibi explicauimus: ita communiter Doctores D. Thom. 2. 2. *q.* 69. *artic.* 2. Syluester *verb. correptio, q.* 8. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 2. Sotus *lib.* 5. *de iuſt. quæſt.* 6. *artic.* 2. *concluſ.* 5. Rodriguez *in tract. de ordine iudic. cap.* 2. *num.* 4. Sotus *ſuprà* allegatus. Et ratio eſt, quia inquiſitio generalis, non eſt formaliter iudicium, ſed eſt præambulum quoddam, & inueſtigatio materiæ ad iudicium; primò enim iudex inquirit, an ſit aliquod vitium in communitate, & an ſit aliquis de illo infamatus, & poſtea ſi inueniat teſtes, procedit ad iudicium, & punitionem; vt optimè notat Albericus *in aſſert. Cathol. quæſt.* 34. *num.* 6. & Bartolus *in l. finali, ff. de quæſt.* & Rodriguez *modò allegatus*, & in hoc iudicio tenetur reus crimen de ſe ipſo fateri, cùm de illo interrogatur à iudice, iuſtè, & iuridicè procedente. 12. *Concluſio tertia.* D. Thom. Syluester. Caietan. Sotus. Rodriguez. Albericus. Bartol.

Statuo quartò, quando inquiſitio eſt mixta, ita vt exprimatur perſona in particulari, crimen verò in generali, non poteſt ita inquiri de illa perſona, quin præcedat infamia, & ideo iniquè ageret iudex quicumque ille ſit, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus, qui de Petro nulla infamia laborante inquireret, an aliqua ſcelera, & peccata commiſerit; quæ autem infamia requiratur, dicemus infrà *à num.* 25. ita expreſsè tenet Caietanus 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 1. & 2. Sayro *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 22. Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 2. *controuerſia* 7. Aragonius *ibi dub.* 2. Banhez *ibi dub.* 10. Valentia *tomo* 3. Rodriguez *in tractat. de ordin. iudic. cap.* 3. *num.* 4. Probatur 13. *Concluſio quarta.* Caietan. Sayro. Salon. Aragon. Banhez. Valentia. Rodriguez.

Primò, quia non eſt negandum maximam fieri iniuriam illi, de quo in particulari iudex inquirit, an aliquod crimen commiſerit, nulla de illo præcedente infamia, vt enim homines proni ſunt ad ſuſpicandum malum, peruerſam de illo opinionem concipient.

Secundò, quia dum quis non eſt malus, ſemper præſumitur bonus, atqui talis perſona eſt in iuſta poſſeſſione ſuæ famæ; ergo iniquè, & iniuſtè faciet iudex, qui de illius perſona particulariter inquirit nulla præcedenti infamia, nulla clamoroſa inſinuatione.

Tertiò, quia quæ occulta ſunt, non ſubſunt iudicio humano; quomodo ergo iuſtè poteſt iudex inquirere, cùm ſit perſona publica de occultis, & de perſona, de qua nulla præceſſit infamia? Tandem probatur ex ſacra pagina, ex omnibus locis, quæ

numero

numero nono retulimus,& ex iure Canonico;nam *in cap. inquiſitionis,de accuſat.* ita dicitur, *Nullum eſſe puniendum pro crimine, ſuper quo aliqua non laborat infamia*; & *cap. cum oporteat, eodem titulo*, dicitur non eſſe procedendum ad inquiſitionem alicuius. *Niſi ſuper prædictis famam eius læſam eſſe noueritis*. & *cap. qualiter, & quando 2. ibidem*, ita ſtatuitur. *Si ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, tunc ad inquiſitionem procedendum eſt*; quaſi diceret, non aliter, nec alio modo.

14 Diximus *num.* 10. ſi iudex ex duobus, vel tribus, aut quatuor teſtibus, ſiue ſæcularis ille ſit, ſiue Regularis, ſciat crimen ſubditi ſui, de quo nullum eſt indicium publicum, nec vllo modo eſt infamatus, ſed crimen eſt omnino occultum, & ſolùm illis teſtibus, & iudici notum, non poſſe iudicem ex hac notitia procedere ad inquiſitionem ad puniendum ſubditum publicè.

Quæro modò, an ſi ſuperior ſit Regularis, poſſit huiuſmodi ſubditum occultum emendare, & caſtigare, quo modo, & quatenus. Reſpondeo poſſe. ita Rodriguez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 3. num.* 4. vbi ponit hoc exemplum. Eſt hic Petrus Religioſus, de quo tres, vel quatuor teſtes denunciant ſuperiori ſuo ſecretò ſub iuramento, ſe vidiſſe illum in lectulo cum fœmina, & de hoc crimine, vel de alio ſimili nullo modo eſt infamatus, teſtéſque ſolùm hoc dicunt ſuperiori ſub ſecreto, vt remedium malo adhibeat; non poteſt ſuperior ex hac denunciatione procedere ad punitionem publicam, contra huiuſmodi ſubditum, nec in particulari inquirere de vita illius, dum non eſt infamatus de tali crimine, vel de alio ſimili; & in hac veritate concordant omnes Doctores, quos citauimus *num.* 10. Ex quo colligitur, addit Emanuel Rodriguez *allegatus*, grauiter peccare illos ſuperiores Eccleſiaſticos, vel Regulares, qui ex ſimilibus denunciationibus ſtatim procedunt ad punitionem, vel particularem, & perſonalem inquiſitionem ſuorum ſubditorum, de quibus nulla præceſſit infamia; hi enim ſuperiores nimio, & indiſcreto zelo ius Canonicum, & ordinem iudicialem peruertunt, quod in cauſa ſemper eſt, vt dum ſubditos contra ius, fáſque punire volunt, in maiora peccata labantur, & publiciora, quibus ſuam religionem fœdiùs commaculent, id ita Deo permittente, quòd contra legem diuinam, & ſacros Canones occulta ſubditorum peccata publica efficiant; quod notat etiam Aragonius 2. 2. *quæſt.* 67. *artic.* 3. *ad finem, & quæſt.* 33. *art.* 8. *pag.* 828. *colum.* 1. & Sotus *in relect. de teg. ſecret. memb.* 2. *quæſt.* 4. & idem Rodriguez *de ordin. iudic. cap.* 5. *num.* 2. & *loco allegato, cap.* 3. *num.* 4. Poteſt tamen ſuperior regularis, ex hac notitia, tamquam Pater eum corrigere ſecretò, & emendare, & flagellare, ſi opus fuerit, quamuis ipſe dicat ſe paratum eſſe ad emendationem: & verò ſi poſt hanc ſecretam admonitionem, & punitionem ſubditus iterum lapſus fuerit, & recidiuum commiſerit, poteſt Prælatus tunc tanquam iudex procedere contra illum iuridicè, eíque præceptum obedientiæ imponere, aut iuramentum dare, vt veritatem fateatur, eúmque aliis pœnis publicè punire, dicente Chriſto Domino, *ſi Eccleſiam non audierit*, hoc eſt, *Prælatum, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; hoc eſt, publicè deuita illum, vt publicè puniatur. Sed hoc intelligitur, modò crimen illius occultum, iam ſit tribus, vel quatuor, vel duobus teſtibus probatum, vt diximus, vel confeſſum ſit ab illo in iudicio, nam ſi non fuerit delictum illius probatum, aut per ipſum confeſſum, non poteſt Prælatus eum poſt hanc admonitionem publicè punire, ſi recidiuum committat; vt docet idem Rodriguez *de ord. iudic. cap.* 3. *num.* 4. *poſt medium*, vbi citat Angles *in floribus*. Si autem ſubditus poſt ſecretam illam admonitionem ſui ſuperioris reſipuerit, & illius emendatio nota fuerit Prælato, non poteſt ampliùs contra illum procedere, nam cùm finis correctionis fraternæ ſit bonum priuatum illius, qui corrigitur. Ratio naturalis poſtulat, vt delinquens emendetur, quàm minimo damno ſuo emendari poſſit. ita docent Aragonius *citatus* 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *in fine*. Ludou. Lopez *inſtr. conſc.* 2. *part. cap.* 10. *in fine*. Rodriguez *in tract. de ord. iudic. cap.* 3. *n.* 4.

Rodriguez. Aragon. Sotus. Aragon. Ludou. Lop.

15 Prædicta tamen doctrina intelligenda eſt, modò crimen non ſit contra rempublicam, aut contra communitatem, quale eſt ex natura ſua crimen hæreſis, & læſæ maieſtatis falſorum nummorum, & ſodomiæ ob eius atrocitatem, & iuxta aliquos peccatum fornicationis in Religioſo; nam iuxta multos DD. cùm peccata ſunt in damnum communitatis, aut Reipublicæ, ſtatim contra delinquentes abſque vlla ſubditorum infamia poſſunt iudices poſt plenam probationem illorum contra ſubditos ad publicam punitionem procedere, & tenetur vnuſquiſque illa denunciare, & accuſare, nulla præcedente infamia, quia eo ipſo quòd ſunt in damnum publicum, quiuis eſt pars læſa, & proclamat vt pars læſa, atque adeò in iſtis denunciatio vim accuſationis habet, & via denunciationis cum via accuſationis confunditur; in delictis verò, quæ ſunt in damnum priuatorum hominum, denunciator ſolùm eſt denunciator, & non accuſator, nam cùm in his non ſit pars læſa, non tenetur accuſare. Ita Rodriguez *in tract. de ord. iudic. cap.* 3. *num.* 4. *paulo ante finem*. Sotus *de teg. ſecret. memb.* 2. *q.* 4. *concl.* 3. Angles *de correct. frater. artic.* 2. *difficult.* 3. *concluſ.* 1. *corollario vltimo*, quos citat idem Rodriguez *ibidem*; vbi tamen aſſerit vltima duo peccata ſodomiæ, & fornicationis ex natura ſua, non eſſe in damnum communitatis, quia per illa non intendunt delinquentes illa committentes communitati nocere, ſed voluptatem libidine explere, nec ex natura ſua, ita pernicioſa ſunt Reipublicæ, ſicut peccatum hæreſis, læſæ maieſtatis, & falſorum nummorum. Quicquid tamen ille dicat, ſi periculum ſit manifeſtationis, & publicationis, ita illis occurrendum eſt, ac ſi contra communitatem immediatè ſint facta; nam licèt nec ex natura ſua, nec ex intentione delinquentium nociua ſint communitati; tamen non eſt negandum ex hominum malitia religioſæ communitati multum nocere, propter infamiam enim vnius Religioſi, tota Religio tam fœde ſæpè infamatur, vt nolint Chriſtiani fidenter ad Sacramenta accedere, & reliqui illius Religionis Sacerdotes ſuſpecti ſint, & impediantur à libera adminiſtratione Sacramentorum, vt patet, quod neceſſariò redundat in damnum multorum.

16 Sed contra hanc doctrinam opponi poteſt factum Diui Gregorij Papæ, & *cap. quidam maligni* 5. *quæſt.* 1. vbi D. Gregorius excommunicauit publica excommunicatione quendam occultum authorem libelli cuiuſdam famoſi, quem ediderat in Secretarium ipſius Pontificis, nulla præcedente huius hominis infamia, præcepítque in ea excommunicatione, vt is ſe proderet, aliàs excommunicationem incurreret. Sed verior, & communior reſponſio huius obiectionis eſt, ſummum Pontificem non excommunicaſſe huiuſmodi peccatorem occultum, ſub conditione niſi ſe proderet,

nec pro peccato præterito, ſed ei tria præcepiſſe, vt vel dicta in libello expoſita probaret, vel reſtitueret famam diffamato, vel abſtineret ab Euchariſtia donec famam reſtitueret ad quæ omnia tenebatur. Etenim eo ipſo quòd alterum diffamauit, tenebatur aut obiectum crimen probare, aut famam reſtituere, quam quidem cùm reſtituere non poſſet, ſi non poſſet crimen in iudicio probare, tenebatur publicè ſe retractare, & ideo ſolùm ibidem eo præcepto obligatur delinquens ad id, quod aliàs de iure naturæ facere tenebatur; quamuis enim non teneamur reſtituere famam proximi iniuſtè à nobis læſam, cum periculo vitæ propriæ, communiter loquendo, tenemur tamen reſtituere cum periculo famæ propriæ, maximè cum perſona, cuius famam læſimus, dignior nobis eſt, vt in caſu propoſito contigiſſe ſupponitur; quod verò reſtituendo alteri famam ſe ipſum proderet, id per accidens eſt, ex eo quòd faciendo ea, ad quæ de iure naturali, & diuino tenebatur, ſecundariò, & per accidens ſequitur manifeſtatio ſui, & ſui peccati occulti, & ideo ei etiam præcepit Summus Pontifex ne Euchariſtiam ſumeret, donec famam reſtitueret, ad quod alioqui iure naturali & diuino tenebatur, quia cùm eſſet in peccato mortali, quandiu famam iniuſtè à ſe ablatam non reſtituebat, & exiſtebat in peccato mortali, tenebatur de iure diuino, & naturali, ab Euchariſtia abſtinere, (ſancta enim ſanctè iure naturali, & diuino tractanda ſunt) rectè ei Papa vtrumque ſub excommunicatione præcepit, nempe vt famam iniuſtè à ſe læſam alteri reſtitueret, & ſi reſtituere nollet, à ſacra communione abſtineret; ita vt ſi huic mandato non obediret, non ob peccatum præteritum, ſed ob præſentem inobedientiam excommunicationem incurreret, ita reſpondet Soares à nobis ſuprà allegatus, vbi de reſtitutione famæ iniuſtè per libellos famoſos ablatæ egimus, & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. c. 10. n. 4.* Sayro.

17. Non obſtat contra præiactam doctrinam, factum eiuſdem D. Gregorij, qui iuſſit Monachum quendã ſuum ſubditũ occultũ proprietarium ſepeliri extra locum ſacrum cum certa pecuniola, quam habere poſt mortem compertum fuit, additis his verbis. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Nam vel ea pecunia non attingebat quantitatem mortalem; & D. Gregorius id fecit ad exemplum aliorum Monachorum, quod facere licitè potuit in eo caſu, quòd ad mortalem quantitatem pecunia non attingeret, cùm exinde nullam conſiderabilem infamiam mortuo euenire conſtet, vel ſi ad peccatum mortale attingebat, neceſſe eſt, fateamur prædictum Monachum infamatum fuiſſe de eo peccato proprietatis dum viueret, & ideo, quia omnibus conſtabat in morte, eum proprietarium fuiſſe, ad terrorem, & emendationem aliorum iuſſum fuiſſe ſepeliri à Diuo Gregorio eo modo; qua de re iam egimus alibi *in ſeptimo præcepto*, vbi de furtis Religioſorum egimus.

18. *Concluſio quinta.* Statuo quintò, ſi crimen eſt publicum, & diffamatum, perſona verò, quæ illud commiſit, eſt occulta & ſecreta; ita vt Petrus, v.g. nulla laboret infamia illius criminis, non eſt licitum iudici contra Petrum in particulari inquirere, & interrogare de illo, an tale crimen publicum commiſerit. Ponamus exemplum; inuentus eſt homo occiſus in certo loco, non licet iudici inquirere de aliquo, puta de Petro in particulari, an huiuſmodi hominem occiderit; ſi nulla de Petro præceſſit infamia circa illam occiſionem, poteſt tamen, & tenetur iudex inquirere in generali, quis fuerit occiſor illius; itémque poteſt inquirere in particulari de aliquibus circunſtantiis ſingularibus, per quas veniat in cognitionem occulti occiſoris. v.c. poteſt inquirere, quis tali hora, & tempore illo loco, & hora tranſierit, quibus armis tranſierit, & an curſim, & fugiens, an ordinario modo & lento gradu, vt ſi fortè exinde aliqua indicia alicuius perſonæ occultæ haberi poſſint, vt ex illis ad inquiſitionem perſonæ particularis procedere poſſit, quæ per illa indicia aliquo modo iam cœpit infamari; ita communiter Doctores, Rodriguez *in tractat. de ordin. iudic. c. 3. n. 5.* Sayro *in Claui Regia, lib. 12. c. 10. n. 22. verſ. imò quamuis.* Sotus *de teg. ſecret. memb. 2. q. 6. concl. 1. dub. 4.* Nauarrus *cap. inter verba, concl. 6. corollario 46. n. 214.* Corduba *in ſumma, q. 64. punct. 1.* Petr. Nauarr. *lib. 2. de reſt. c. 4. n. 154.* Aragon. *2. 2. q. 69. art. 1. & 2.* Ratio eſt Rodriguez. Sayro. Sotus. Nauarrus. Corduba. P. Nauarra. Aragon.

Primò, quia hæc eſt conſuetudo omnium iudicum, per has enim interrogationes harum particularium circunſtantiarum, ſæpe veniunt in cognitionem occulti omnino occiſoris; de quo nulla antea præceſſit infamia, nam per illas circunſtantias iam incipit infamari homicida, & poſtquam modo aliquo infamatus eſt, tunc ex illa generali inquiſitione poteſt iudex ad particularem inquiſitionem perſonæ infamatæ procedere, alioqui niſi hoc ita fieret, citò Reſpublica homicidiis abundaret, ſi iudices in hoc caſu non poſſent hoc modo inquirere.

Secundò, quia ita *Deut. 21.* præcipiebatur iudicibus legis veteris, & licèt præcepta politica, & iudicialia illius legis cum illa expirauerint, nihilominus tamen modo aliquo indicant, quæ inquiſitio in hac re ſit rationi conſona. Iudicibus enim illis præceptum olim erat, vt ſi in agro, vel via, inueniretur cadauer hominis occiſi, duceretur à iudicibus ad oppidum, vel locum viciniorem, & maiores natu illius populi inquirerent, ac punirent reum ſi apud eos inueniretur fortè, ſin minus exeuntes in agrum, oblato quodam ſacrificio publicè teſtarentur ſe mundos eſſe à ſanguine illius occiſi; ergo etiam licitum erit, nunc in lege gratiæ, hoc, aut ſimili alio modo, de occiſione occulto inquirere per circunſtantias ſpeciales, per quas modo aliquo infamari poſſit occultus occiſor, & peccator modo explicato.

Tertiò, quia lex illa quæ præcepit, ne iudex procedat ſuper delicto ſine accuſatore, vel infamia, non eſt lex diuina, aut ita propriè iuris naturalis, quin iuſtis de cauſis limitari nequeat, ſed ius poſitiuum contraria conſuetudine legitimè præſcripta tolli, & limitari poteſt, vt conſtat ex *cap. vltimo, de conſuetudine*; & ex *l. de quibus, ff. de legibus*; ſicut enim conſuetudo legem facit, ita eam tollit, & limitat; vt latè probat Felinus *in cap. cùm omnes, de conſtit.* & Decius *in c. quæ in Eccleſiarum, de conſt.* Quare cùm hæc ſit conſuetudo omnium iudicum; vbicumque hic modus inquirendi obſeruetur, non eſt dubium eadem conſuetudine ius inquirendi de occultis eſſe hac in parte moderatum, & limitatum, & ita hanc opinionem cum Theologis allegatis, tenent etiam alij grauiſſimi Theologi, inter quos eſt Valentia *tomo 3. diſp. 5. q. 14. punct. 1.* Banhez *2. 2. q. 70. art. 1. dub. 2.* Sà *verb. iudiciales actus, §. de modo procedendi.* Salon. *2. 2. q. 69. art. 2. controu. 7.* Tabiena *verb. inquiſitio, §. 8.* & D. Thomas huius etiam opinionis fuit; nam, vt refert Syluester *verb. Correptio, q. 8.* Interrogatus D. Thomas cùm eſſet in quodam Capitulo generali ſui Ordinis Pariſiis coacto, de quodam furto publico, cuius author erat ignotus, an poſſit ſuperior de authore illius inquirere? Reſpondit

Conſuetudo facere poteſt legem, & tollere. Felinus. Decius. Valentia. Banhez. Sà. Salon. Tabiena. Silueſter.

dit affirmatiuè, quod verò Sylueſter addit D.Thomam ita tunc ſenſiſſe, quia eo tempore iuuenis erat,& Bachelaurcus tantùm, & fuiſſe reprobatum ab omnibus Doctoribus, & Magiſtris illius Capituli;& poſtea 2.2.*quæſt.*61. *artic.*2. mutaſſe ſententiam,non videtur congruum; nam D.Th.vt docet Sayro *in Claui Regia,lib.*12.*cap.*10. *n.*24.*verſ.Imola, ibid.ad finem,* duo in eo capitulo dixit. Primum,iudicem,& ſuperiorem debere inquirere,& reum teneri ſe manifeſtare,hoc ſecũdum ſolùm retractauit D.Thomas *loco citato* 2.2. docens oppoſitum,nempe non teneri reum in inquiſitione ſe manifeſtare, vt diximus *n.*12.illud verò primum,de quo quæſtio eſt,nec D.Tho. retractauit, nec Magiſtri negarunt.

19. *Obiectio.* Oppones,ſi iudex poſſet in eo caſu iuſtè,& iuridicè inquirere, ſequeretur teneri authorẽ criminis in ea inquiſitione ſeipſum detegere, ſi fortè inter alios à iudice rogaretur,ſemper enim cùm iudex iuſtè & iuridicè interrogat, tenetur reus ſicut teſtis, veritatem dicere,in eo enim caſu interrogatur ſicut teſtis: abſurdum autem eſt,dicere teneri;& hæc eſt ratio,ob quam Sotus *lib.*5. *de iuſt.q.*6.*art.*2.*concl.* 5. contrarium aſſeruit,& id ipſum tenuit etiam Caiet. 2.2.*q.*69.*art.*2.& Palud.*in* 4.*diſt.*19.*q.*4.*ante finem*,& alij. (*Sotus. Caietan. Paludan.*) Sed reſpondeo non teneri reum in eo caſu ſeipſum manifeſtare, ſed poſſe reſpondere, ſe neſcire quis fecerit, veréque tunc reſpõdet ad intentionem iudicis, quam inquirendo habere debet, quamuis enim iudex iuſtè,& iuridicè, tunc procedat inquirendo generaliter, non tamẽ in inquiſitione habet ius rogandi reum,ſed ſolùm rogãdi alios teſtes,ſolùm enim inquirere poteſt à ſingulis,an ſciant aliquem aliũ diuerſum ab illis hoc feciſſe,non autem an ipſimet fecerint, non enim in quocunque caſu in quo tenetur teſtis dicere veritatem,tenetur reus etiam illam dicere, loquendo de ſe ipſo, non enim in eo caſu interrogatur, an ille id fecerit, ſed an ſciat quis id fecerit;& ſolùm quando interrogatur, an ipſe fecerit,tenetur veritatem iudici reſpondere,ſi ſemiplena probatio detur contra illum,aut talia indicia, quæ ſemiplenæ probationi æquipolleant, hîc autem talia indicia contra illum non dantur; ita reſpondet Sayrus, & optimè *in Claui Regia,lib.*12.*cap.*10.*num.*15.*verſ.reſpondeo in tali caſu*;& ob eandem rationem, ſi inter alios iudex fortè interroget complicem rei in crimine, non tenetur ille reum ſocium ſuum, & complicem criminis prodere,quia prodendo illum ſe ipſum conſequenter prodit;ita idem Sayrus *allegatus*,& benè. (*Reſponſio. Sayro.*)

20. Quòd ſi adhuc roges, an ſi vnus tantùm ſciat, quis crimen illud notorium commiſerit,& ille ſub iuramento interrogetur à iudice generaliter inquirente,teneamur illum prodere, & veritatem fateri? Reſpondent aliqui teneri,quia quamuis ex ſolo ſuo teſtimonio non poſſit reus condemnari,ex illo tamen teſtimonio acquirit iudex ius torquẽdi ipſum reum. At meliùs id negat omninò Sayrus *in d.Claui Regia, lib.*12. *c.*10. *n.*16. quia licèt ex ſolo illo teſtimonio non poſſit reus à iudice damnari; poteſt tamen ex illo torqueri; vnde patietur reus graue detrimentum.Solùm igitur iudex ius interrogãdi habet, ita vt alter veritatem fateri teneatur, quando duo,vel tres crimen ſciunt,& tunc ſi aliquis eorum interrogetur, cùm ſciat alios crimen agnoſcere,veritatem fateri tenetur,quia tunc iudex iuridicè rogat,vnde reſpondere veritatem tenetur.

21. *Concluſio ſexta.* Statuo ſextò,quando aliquis de aliquo crimine, aut delicto infamatus,& de illo tantùm crimine illius præceſſit infamia, huius tantùm criminis, & non alterius facienda eſt inquiſitio,niſi hoc crimen ſit adeò coniunctum cum illo, de quo infamatus eſt, vt illud perfectè cognoſci non poſſit ſine cognitione iſtius; & ideo iudex, qui peculiariter de furto inquirit, ſciens furtum commiſſum fuiſſe ex altari alicuius Eccleſiæ,poteſt inquirere incidenter de ſacrilegio,quamuis de tali ſacrilegio nulla præcedat infamia;ita Rodrig.*in tract.de ord.ind.c.*3.*n.*6.

SVMMARIVM.

An poſſit denunciator, reuelare inhabilitatem ſecretam, de qua quis non eſt infamatus,quando inquiſitio fit ad officium, vel beneficium obtinendum, aut obtentum poſſidendum,& quid ad matrimonium, & ſacros Ordines. num.22.& 23.

An poſſint Prouinciales,& generales Religionum,inquirere de defectibus ſuorum ſubditorum, de quibus non ſunt infamati,cùm eos ad prælaturas promouent. n.24.

Quid ſit infamia,& clamoroſa inſinuatio. num.25.

Quinam hominũ numerus ad illam ſufficiat. n.26.& 27.

Quæ indicia ſufficiant ad infamandum aliquem, & vt de aliquo inquiri poſſit in particulari. num.28.

Ad accuſandum aliquem requiritur accuſator verus, vel fiſcalis, ſeu promotor iuſtitiæ. n. 29. *Ad denunciandum de aliquo,requiruntur ſolum talia indicia,vt homo iam dicatur infamatus.ibid. Hæc indicia ſubeunt vicem accuſatoris.ibid. Denunciatio eſt actus iudicij extraordinarij. Accuſatio eſt actus iudicij veri, & proprij,formaliter loquendo.* ibid.

Iudicium extraordinarium, ſeu præambulum, incipit ab inquiſitione ſpeciali, quæ fit à iudice de aliqua perſona ſpeciali. num.30.

Hæc inquiſitio fieri non poteſt à iudice,niſi perſona particularis,de qua fit, ſit iam infamata. ibid.

*An in aliquibus caſibus poſſint teſtes denũciare de aliquo in inquiſitionibus generalibus,quin ille ſit infamatus de crimine de quo denunciãt.*n.31.*& qui ſint hi caſus.ibid.*

An iudices poſſint inquirere de aliquo ſpecialiter in inquiſitionibus particularibus,& teſtes de illo teſtificari,eúmque denunciare, nulla præcedenti illius infamia,& quid de crimine hæreſis,læſæ maieſtatis, & de aliis,quæ impendent in damnum tertij. n.32.& 33.

STatuo ſeptimò. Quando iudices, non ad punitionem, ſed vt ſciant, an aliquis habeat impedimentum aliquod, aut inhabilitatem, ad aliquod officium, aut beneficium acquirendum, aut ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, iubent fieri ſpecialem aliquam inquiſitionem circa aliquam perſonam, tenetur quis fateri veritatem, & reuelare prædictum impedimentum & inhabilitatem (& idem eſt de impedimẽto ad matrimonium, & ad ingreſſum Religionis) etiamſi talis impedimẽti & inhabilitatis in illa perſona,nulla præcedat infamia, nec vllo modo de illa re ſit apud alios indiciata,eſt communis omniũ opinio.Ratio eſt,quia nulla in ea reuelatione fit iniuria tali perſonæ;nam eo ipſo quòd voluit ſacros Ordines ſuſcipere officium,aut beneficium obtinere,matrimoniũ contrahere,aut Religionem ingredi,vel rem aliquam obtinere,quæ cum tali impedimento, aut inhabilitate obtineri nequit, virtualem licentiam conceſſit, vt de illo quiſque veritatem fateatur, quam ſcit, etiamſi nulla de tali impedimento præcedat infamia, volenti autem, & conſentienti, nulla fit iniuria; ita docet Rodriguez *in tractat.de ordin.iudic. cap.*3. *num.* 7. & eſt communis omnium doctrina. 22. *Concluſio ſeptima.* *Rodriguez.*

23. Et idem dicendum eſt,quando quis iam promotus eſt ad aliquod officium,aut beneficium, illúdque acceptauit,nondum tamen illius poſſeſſionem accepit, ſi de illo ſpecialis inquiſitio circa aliquam inha-

inhabilitatem fiat, ne in tali officio, aut beneficio confirmetur, ob eandem rationem, eo enim ipſo quòd beneficium, vel officium voluit, debuit etiam velle omnes conditiones, quæ ad illud obtinendum requiruntur; ita Rodriguez *allegatus*, & communis Doctorum conſenſus.

24. *Illatio.* Et hinc infertur, poſſe Generales, & Prouinciales Religionum inquirere de meritis ſpecialiter, & de meritis illorum, quos volunt in Prælatos eligere, quamuis nulla de illis præceſſerit infamia, alioqui erunt irrationabiliter inuiti, ſi nolint, vt illorum defectus, & inhabilitates, de quibus nulla præceſſit infamia, reuelentur; ita *Rodriguez.* Rodriguez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 3. n. 7.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. n. 10.* & deducitur apertè ex dictis.

25. Sed quoniam communiter, & generaliter loquendo, in inquiſitionibus, & viſitationibus ordinariis nemo tenetur reuelare, niſi illa de quibus quis iam eſt infamatus, aut contra illum clamoroſa inſinuatio habetur, aptè & cõuenienter rogabis, *Infamia; & clamoroſa inſinuatio quid ſit.* quid ſit infamia; quid clamoroſa inſinuatio. Omiſſis illis, quæ parum ad rem præſentem faciunt, & quæ hîc congerunt Authores facta acri, & diligenti inquiſitione in negotio. Reſpondeo duo præcipuè ad infamiam, & clamoroſam inſinuationẽ requiri.

Primum eſt frequens opinio, & vox bonorum.

Secundũ eſt, vt ſit de tali crimine; vnde infamia ſic definiri poteſt: Eſt frequens vox bonorũ, & proborum hominũ, qua hominem de tali crimine ſuſpectum reddet. Per illam particulam *freqũes opinio, & vox bonorum*, excluditur clamor, & opinio malorum, vox enim frequens malorum, & infimæ ſortis hominum, legitimam infamiam non efficit. Per ſecundam illam particulam, *vt ſit de tali crimine*, excluditur inquiſitio de aliis criminibus, quia inquiſitio, generaliter loquendo, non poteſt fieri niſi de illo crimine, de quo quis diffamatus eſt. Ita docent *Caietan. Sotus. Sayr.* Caietanus 2. 2. q. 69. art. 1. Sotus *lib. 5. de iuſtitia, q. 6. art. 2. concl. 5. prope finem.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. n. 12. verſ. caterùm.* Vnde Sotus meritò inuehitur in Magos, ſeu Ariolos & Aſtrologos, qui aſtu diabolico, via iniqua, & arte infami maleficia, & crimina aliorum deregũt, eóſque iudices, acri reprehenſione dignos eſſe affirmat, qui ex illorum dictis occaſionem capiunt contra aliquos in particulari inquirendi, non enim id licitum eſt, eo quòd illa infamatio, nec vox multorum, nec proborum ſit.

26. *Quinam hominum numerus ad illam ſufficiat.* Sed hîc etiam inquires, quinam hominum numerus ad infamiam requiratur, nam definita infamia, ſequitur, vt meritò, ac rectè inquiramus, quotus hominum numerus ad infamandum aliquem ſit neceſſarius; & hac de re duplex eſt opinio.

Opinio prima. Prima Canoniſtarum, *in cap. inquiſitionis, de accuſat.* docet denarium numerum, neceſſarium eſſe ad reddendum aliquem infamem, & ad infamiam faciendam; itaut rectè poſſimus dicere, præceſſit infamia de illo, cuius crimen ſcitur à decem. Verùm, vt benè notat *Sotus. Sayro. Salon.* Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2. concl. 6.* & clariùs *in relect. de teg. ſecret. memb. 2. q. 6. dub. 3.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. n. 13.* & Salon 2. 2. q. 99. *art. 2. contro. 1.* nihil in iure definitum eſt de tali numero denario. Nam in prædicto *cap. inquiſitionis, de accuſat. §. Tertia dubitationis, & §. quaſiuiſti*, ſolùm habetur non ſufficere duos, aut tres teſtes, etiamſi ſub iuramento aſſerant eſſe vocem publicam, & famam, tale delictum à tali homine fuiſſe commiſſum, vt aliquis dicatur infamis circa hoc delictum, nam aliud eſt credere iſtorum dictis, aliud eſt alium eſſe infamem, ſeu infamatum de aliquo delicto; hi enim non deponunt de infamia, ſed deponunt de voce & rumore infamiæ, qui poteſt eſſe falſus, quia propter dicta paucorum, non debet quis infamatus reputari. Deinde hoc non placet, quia in magnis populis decem pauci ſunt.

Secunda opinio docet, cùm nihil hac de re ſit definitum in iure, relinqui arbitrio prudentis, diſcernere, ac iudicare, quænam infamia ſit ſufficiens, 27. *Opinio ſecunda.* & quis rumor, aut vox frequens bonorum hominum, vt quis infamis reputetur, conſideratis circunſtantiis loci, temporis, perſonarum; ita docent Sotus, Salon, & Sayrus *allegati.* Illud tamen notari velim, vocem hác, ac terminum, *Notorium*, non deriuari ab hoc nomine *notus*, ſeu *noto*, vt voluit Sylueſter *verb. notorium.* Nam ſi ab illo deriuaretur, ille diceretur infamis, cuius crimen notũ eſt tribus, vel quatuor, licèt de illo per alios nulla ſit ſparſa infamia, nulla vox habita; quod tamen falſum eſt, vt conſtat ex numero præcedenti. Deriuatur ergo ab hoc verbo *noſco*, & ita illud eſt publicum & notorium, de quo omnes, aut ſaltem maior pars populi, vrbis, viciniæ, Collegij, loci notitiam habet, dummodo collegium numeroſum ſit; quam ob rem notorium & publicum de facto, de quo hîc in præſentiarum agimus, illud eſt, quod tam euidens eſt, vt nullo modo negari poſſit, vt docet gloſſa *in cap. de manifeſtis 2. queſt. 1. & in cap. euidentia, de accuſat.* Quamobrem, vt res aliqua, aut crimen aliquod dicatur publicum & notorium, nullam certam regulam poſſumus aſſignare; vt benè notant Authores *allegati*; & Sotus *citatus*; *& in 4. diſt. 12. q. 1.* & Rodriguez *de ordine iudiciar. cap. 3. n. 2.* & ideo id quod *Rodriguez.* pro certiori in hoc negotio poſſumus affirmare, vt notat Rodriguez *allegatus*, eſt, quòd vt crimen aliquod, & delictum dicatur publicum, & notorium ex fama (de qua publicitate hîc tantùm agimus) plures perſonas requiri in vna ciuitate magna, quàm in parua, vt verò dicatur publicum & notorium in vicinia, aut in Collegio, oportere, vt notum ſit maiori parti viciniæ, aut Collegij, dummodo inibi ſint ad minimum decem perſonæ; animaduerto tamen, tam amplum eſſe poſſe & numeroſum Collegium, vrbem, aut populum, vt non ſufficiat notitia decem perſonarum, vt crimen aliquod dicatur publicum, & quis de illo infamatus; vnde non probo id, quod ait Rodriguez *allegatus, d. n. 2. ad finem*, vbi dicit, ſibi videri ſufficere notitiam decem perſonarum in vrbe magna, Collegio & populo, vt aliquid dicatur publicum, quia credibile eſt huiuſmodi perſonas iam hoc crimen publicaſſe: at hoc dici non poteſt, quia dum hoc non conſtat, id non poſſumus iudicare. Animaduertendum tamen eſt, aliquos diſtinguere inter notoriũ & manifeſtum, ſed inutiliter, quia in iure idem eſt vtrumque, *cap. quæſitum, de cohabit. cler. cap. cùm olim, de verb. ſignific.*

Circa indicia quod ad rem præſentem attinet, 28. notandum eſt, indicia, vt alibi diximus, nihil aliud *Quæ indicia ſufficiant ad infamandum aliquem, & vt de aliquo inquiri poſſit in particulari.* eſſe, quàm circunſtantias, & ſigna quædam, ex quibus mens prudenter, & rationabiliter de actionibus, & operibus aliorum iudicare poteſt; ceterùm, vt rectè Diuus Thomas 2. 2. *quæſt. 69. artic. 2.* Caietanus, & Salon *ibidem*; & Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 2.* Valentia *tomo 3. diſputat. 5. quæſt. 13. puncto 2.* *D Thom. Salon. Sotus. Valentia. Sayro.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 10. n. 13. verſ. ceterùm*, & alij notant, indicia hæc non leuia eſſe debent, ſed perfecta, quæ violentiam & vehementem ingerant ſuſpicionem, & ex quibus morali quadam certitudine liceat coniectare criminis veritatem; vt ſi nudus cũ nuda inueniatur in eodem lecto, ſignum eſt coitum habuiſſe; item ſi quis diſtricto enſe, ſangui

ſanguineque aſperſi deprehendatur iuxta occiſum, maximè inimicum. Item ſi quis inueniatur occiſus latis vulneribus, & cultroſis, & inimicus illius reperiatur cultrum habuiſſe, aut eo tempore à fabro ferrario emiſſe, concurrentibus aliis adminiculis. Aut talia ſint, vt duorum, vel trium teſtium teſtimonio æquipolleant, aut vnus ſaltem teſtis omni exceptione maior, & cui nihil opponi poſſit: itaque plura eſſe debent indicia, loci, temporis, & perſonæ. regulariter enim indicium vnum non ſufficit: in hac enim denique materia de indiciis multum valet iudicium prudentis iudicis; poteſt enim aliquando contingere, vt vnum indicium pluribus æquipolleat; & huiuſmodi indicia manifeſta eſſe debent reſpectu facti, & perſonæ, cuius eſt indicium; non enim ſatis eſt, vt indicia ſint facti niſi ſint etiam perſonæ delinquentis; ſicut non ſatis eſt infamia de crimine, niſi ſit etiam de perſona, & quòd talis perſona de tali crimine ſit diffamata; tandem opus eſt, vt huiuſmodi indicia manifeſtentur reo, vt videat ſe iuridicè interrogari, ac proinde teneri ſe reſpondere, vt alibi diximus, & docet Gregorius, Sayro *allegatus*, quando verò indicia ſunt vehementiſſima, & æquipollent perfectæ probationi, imponenda eſt reo pœna ordinaria legis; quando verò non æquipollent, imponenda illi eſt pœna arbitraria, in quo multum operatur iudicis prudentia, & in iis, & in aliis ſimilibus arbitrariis oportet habere iudicem propitium, & fauorabilem; ita communiter legum periti, *in l. fin. ff. de quæſtionib.* & Panormitanus *in cap. cùm in contemplatione, de regulis iuris.*

29. *Iudicii quotuplex ſit.*

Notandum verò eſt iudicium eſſe duplex, ordinarium, & extraordinarium, ſeu formale & præambulum. Formale, ſeu ordinarium, eſt illud in quo datur verus, & proprius accuſator, qui oblato libello, & in dicta actione alium accuſat, & huiuſmodi accuſator, vel eſt fiſcalis iuſtitiæ, vel quicumque alius accuſator, qui aliū vult accuſare; vnde talis accuſator, dicitur *Actor*, eiúſque accuſatio dicitur *Actio*, & cùm iudex via accuſationis procedit, vt iuridicè procedat, & reum interrogetد, requiritur ſemiplena probatio, vel indicia expreſſa vltra accuſatorem; tunc autem datur ſemiplena probatio, cùm datur aduersùs reum vnus teſtis oculatus omni exceptione maior; hic tamen teſtis, ſi ſit ſocius criminis, ſemiplenam probationem non efficit; indicia autem manifeſta, talia eſſe debent ad hoc, vt iudex via accuſationis iuridicè cum accuſatore interroget, vt æquipolleant ſemiplenæ probationi, & vt reus nihil probabiliter contrà obiicere poſſit, ſicut nihil contra poteſt obiicere teſti omni exceptione maiori, quæ ſemiplenam probationem efficit, ideo enim dicitur teſtis omni exceptione maior, quia nihil ei poteſt à reo in contrarium eius rei quam teſtificatur, opponi hæc ſemiplena probatio habita, vel ex vno teſte oculato, cui nihil opponi poteſt, vel ex indiciis grauibus illi æquipollentibus cum accuſatore ſufficit, vt iudex reum iuridicè interroget, non autem, vt eum ad pœnam ordinariam legis impoſitam tali delicto condemnet; quare ſi reus interrogatus, vel in tortura poſitus negauerit, & aliunde non aduenerint aliæ probationes, quæ plenè probent delictum, tunc iudex vel reum abſoluet, vel ad arbitrariam pœnam damnabit peccata maiori, vel minori probatione ex indiciis deſumpta: ſi autem confeſſus fuerit delictum, vel plena probatio adueniat, pœna ordinaria legis, non arbitraria iudicis punietur. Hæc eſt doctrina communis omnium Doctorum.

Iudicium autem extraordinarium, ſeu præambulum eſt illud quod incipit ab inquiſitione ſpeciali, quæ fit contra aliquem reum iam indiciatum, & infamatum de crimine; in hoc iudicio non habetur, nec datur verus accuſator, ſed fictus & virtualis, nempe indicia ſufficientia, aut ſemiplena probatio, ſeu infamia quæ vicem accuſatoris ſuppleant, ipſa enim infamia reum quodammodo, & ex fictione iuris accuſat, vt patet ex *cap. inquiſitionis, de accuſation.* & ex *cap. cùm oporteat, eodem titulo,* ibi, *Niſi ſuper prædictis famam ipſius*, id eſt, rei, *læſam eſſe noueritis vos ad inquiſitionem*, ſcilicet ſpecialem, *ſubitò non procedatis.* & *in cap. qualiter, & quando* 2. *ibi, eodem. ſi ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, tunc ad inquiſitionem procedendum*; patet etiam ex ſacra pagina, *Vox ſanguinis tui Abel de terra clamat ad me*; id eſt, *te accuſat.* ita docet Nauarrus *in comment. in rubrica, de iudic. n.* 17. *&* 18. Sunt autem quinque, quæ ficti accuſatoris vicem ſubeunt in inquiſitionibus ſpecialibus. 30. *Iudicium extraordinarium, ſeu præambulum quod.*

Primum, vt dixi, eſt publica infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio, & indicia tam manifeſta, quæ factum & perſonam ita dari iudicent, vt reus nihil contrà obiicere poſſit, vt de infamia, aut talibus indiciis, procedere poteſt iudex ad inquirendum de aliquo in particulari, vt diximus.

Secundum notorietas & euidentia facti, quando ſcilicet factum, & perſona ita ſunt notoria, vt nullo modo poſſint celari.

Tertium cùm iudex delictum videt, & in ſua præſentia, & aliorum duorum, aut trium teſtium ſit, tunc enim etiam hoc ſufficit ad inquirendum ſpecialiter de delinquente, etiamſi nulla alia præceſſerit infamia de illo, circa illud delictum (dico, *& aliorum*, quia ſi ipſe ſolus vidit, crimen eſt omnino occultum, nec cōtra delinquentem inquirere poteſt, cùm ipſe non poſſit ſimul eſſe accuſator, & teſtis) nam præſentia ipſius iudicis vicem habet accuſatoris, maximè ſi tunc ſedeat pro tribunali; ita Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 10. *verſ. tertium.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* 67. *artic.* 3. vbi refert Diuum Ludouicum Galliæ Regem, præcepiſſe abſcindi linguam cuiuſdam ſubditi, quia contra legem quam ea de re condiderat, in ipſius præſentia, & aliorum multorum aſpectu blaſphemauerat. Sayro. Caietan.

Quartum rebellio manifeſta contra ipſum Prælatum, ſi enim poſt denunciatum crimen præcepto, & correctioni admonitioníque Prælati non obedierit, tunc Prælatus poteſt via inquiſitionis particularis contra illum procedere, quia in obedientia ille fictus eſt accuſator; & vicem accuſatoris ſubit; & hoc eſt, quod Chriſtus dixit, *ſi te non audierit, adhibe alium teſtem, quòd ſi te non audierit*, ſcilicet adhibito alio teſte, *dic Eccleſiæ*, id eſt, Prælato. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, id eſt, poſt excommunicationis pœnam à Prælato tanquam iudice inflictam; ita Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 10. *verſ. Quartum.* Aragonius 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 3. *ante finem*; quod intelligendum eſt, poſſe Prælatum contra illum via inquiſitionis ſpecialis procedere, ſi delictum teſtibus probari poteſt, ſi enim non poſſit, & frater admonitus negat, vel non emendatur, non poteſt Prælatus vlteriùs procedere, nec illum punire, quia Prælatus non poteſt illum punire, niſi vt iudex: proceſſus autem iudicialis, non prodeſt niſi quando probari poteſt id, quod deducitur in proceſſu. Sayro. Aragon.

Quintum, denunciatio iuridica quæ fit ob bonum

num commune, poſtquam enim quis in generali inquiſitione indiciatus eſt, tunc poteſt contra illum formari ſpecialis inquiſitio, quia tunc iam illa indicia vicem accuſatoris habent. Ipſa autem inquiſitio generalis contra omnes peccatores in communi, quam iudices ex officio tenentur facere, dici etiam poteſt iudicium extraordinarium, ſed valdè remotè, vt patet.

31. *An in aliquibus ſaltem caſibus poſſint teſtes denuntiare de aliquo in inquiſitionibus generalibus.*

Supereſt inquirendum, an in aliquibus ſaltem caſibus, poſſint teſtes denunciare de aliquibus delictis, & delinquentibus in inquiſitionibus generalibus, nulla præcedente infamia, & nullis præcedentibus indiciis ex parte delinquentium, quæ ſubeunt vicem accuſatoris ficti. Reſpondeo eſſe nonnullos.

Primus eſt caſus hæreſis.

Secundus caſus læſæ maieſtatis, proditio Reipublicæ, ciuitatis, & falſificatio monetæ.

Tertius eſt caſus, in quo agitur de impediendo malum, quod pendet in futurum, in præiudicium tertij ad tollendam occaſionem illius, præſertim ſi ſit in præiudicium animæ.

Quartus eſt, quando quis publicè confeſſus eſt crimen ſuum extra ordinem iuris, ſed hic caſus re bene conſiderata non excipitur à communi regula, quia illa publicatio eſt infamatio, & ideo iam præcedit infamia.

Quintus, quando crimen committitur in conſpectu iudicis, & aliorum circunſtantium; omnes hi caſus, & alios plures inuenies apud Gregorium Sayrum *in claui Regia, lib.* 11. *cap.* 11. *à n.* 11. & deinceps, ſed hi ſunt communiores.

Sayro.

32. *An iudex poſſit de aliquo ſpecialiter inquirere in inquiſitionibus particularibus.*

Maius dubium eſt, an iudex poſſit inquirere ſpecialiter de aliquo in inquiſitionibus particularibus, & teſtis de illo teſtificari, nulla præcedenti infamia delicti, ex parte perſonæ inquiſitæ. Reſpondet Sayrus *allegatus*, in omnibus caſibus modò relatis, poſſe iudicem ſpecialiter de aliquo inquirere, & teſtem denunciare abſque indiciis & infamia præcedentibus de perſonis inquiſitis, ſed in exemplis quæ affert, ſupponit debere prius præcedere ſaltem aliquam ſuſpicionem de tali delicto, quæ habeatur priùs de perſona inquiſita, & ponit exemplum in hæreſi, & in crimine læſæ maieſtatis, & tandem ſequitur opinionem Nauarri *in cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *corollario* 63. *num.* 683. *& in Commentariis, in rubric. de iudiciis, num.* 92. vbi dicit ad inquirendum de peccato hæreſi, aut læſæ maieſtatis alicuius, & contra aliquem in particulari, opus eſſe, vt præcedat ſaltem aliqua ſuſpicio illius, alias non eſſe licitam talem inquiſitionem ſpecialem; & idipſum aſſerunt Ioan. Andr. Dominicus, & Philippus ex *cap. vt officium inquiſitionis, de hæreticis, in* 6. *in principio*, & Aretinus *in cap. qualiter, & quando, de accuſationib.* Ego verò diſtinguerem, & dicerem, quando agitur de pura, & mera punitione delicti iam facti, & conſummati, quod non pendet in futurum quo grauiora ſunt delicta; eo grauiora indicia ex parte iudicis debere præcedere, vt ſpecialiter inquirat de aliquo; quomodo enim poteſt iudex infamare aliquem de fœdiſſimis, & grauiſſimis delictis, qualia ſunt hæreſis, læſæ maieſtatis, proditionis patriæ, ſodomiæ, nummorum falſorum, inquirendo ſpecialiter de illo ſine grauibus, & ſufficientibus indiciis, aut ſolùm ob læuiſſimam ſuſpicionem; profectò nullam rationem video. Quando verò agitur de impediendo ſimul malo, & de punitione delicti, quod adhuc in damnum Principis, vrbis, ciuitatis, aut in detrimentum temporale, vel ſpirituale multorum imminet; vt in hæreſi quæ ſerpit, & in proditione Principis, vrbis, aut in conflagratione alicuius communitatis; tunc quidem ex parte iudicis minora iudicia, & mediocris ſuſpicio ſufficit ad inquirendum ſpecialiter de aliquo; & in hoc ſenſu credo locutum fuiſſe Nauarrum *allegatum*, vbi egregiè animaduertit, non poſſe iudicem licitè procedere ad capturam in crimine hæreſis (& idem eſt in crimine læſæ maieſtatis) niſi grauis, ac vehemens ſuſpicio de reo habeatur, & niſi de fuga timeatur, ob magnum famæ, vitæ, & bonorum detrimentum ipſius rei, in quo optimè ſupponit Nauarrus maiora & fortiora indicia, requiri ad capturam, quàm ad inſtituendam ſpecialem inquiſitionem de aliquo.

Hæc ex parte iudicis requiruntur in his criminibus grauioribus *num.* 31. numeratis ad inſtituendam peculiarem inquiſitionem de aliquo; ex parte verò teſtium, ſeu denunciatorum, ſi agatur de impediendo malo, vt ſemper agitur in crimine hæreſis, quæ ex natura ſua ſemper occultè ſerpit in aliorum, quos hæretici peruertunt, damnum, & in crimine conſpirationis in Principem, & proditionis in patriam, & falſæ monetæ, & ſimiliter in omnibus aliis quæ ſunt in damnum tertij, quod adhuc in futurum pendet, ac timetur, dico, nullam requiri infamiam, nec indicia, ad hoc vt teſtes teneantur hæc delicta denunciare, & ſic teneri ſtatim illa denunciare, tam in inquiſitionibus generalibus, quàm in particularibus, imò & extra omnem inquiſitionem, quin aliqua præcedant indicia delinquentium. Et ratio eſt, quia damna, & mala futura impediri debent omni modo poſſibili; hic autem modus eſt poſſibilis, cùm denunciator non teneatur probare delictum, ſed teneatur tantùm tanquam vnus de populo obuiare malo, quod populo impendet, & tanquam vnus fidelis, occurrere fidei detrimento, quod imminet fidelibus. Dico quod ſentio, libenter aliorum opinionem ſecuturus. In aliis verò delictis, quæ non vergunt in aliorum damnum, ſemper requiruntur indicia, de quibus numeris præcedentibus egimus. 33.

CAPVT XLVII.

De accuſatore, & accuſatione; quid ſit accuſatio, quas ſolemnitates requirat, an ſemper debeat præcedere fraterna monitio.

SVMMARIVM.

Quid ſit accuſatio. *num.* 1.
An ſit de ſe bona. *ibid. verſ. notabis autem.*
Accuſatio requirit ſex conditiones, prima vt fiat in ſcriptis. *num.* 2.
Secunda, vt exprimatur nomen accuſatoris, & accuſati, & quatenus. *num.* 3.
Tertia, vt denominetur ſpecies delicti, de quo quis accuſatur. *num.* 4.
Quarta, vt ſubſcribatur accuſatio ab accuſatore. *num.* 5.
Quinta, vt in accuſatione ponatur locus, & tempus, in quo commiſſum fuit delictum. *num.* 6.
Sexta eſt inſcriptio accuſatoris, qua ſe obliget ad pœnam talionis, & an hodie hoc ſit in vſu. *num.* 7.

An

An accuſator teneatur exprimere diem & horam delicti ad petitionem rei accuſati. *num.* 8.
Quid ſi accuſator poſuit diem & horam delicti, & non ad petitionem partis, & non poſſit probare. *num.* 9.
Quid ſi qualitas aliqua ponatur in libello accuſatorio tanquam aggrauans delictum, quæ non poſſit probari. *num.* 10.
An pendente lite poſſit noua circunſtantia delictum aggrauans de nouo apponi ibid. verſ. dubitabis tamen.
Accuſatio, vt ſit iuſta debet carere prauaricatione, tergiuerſatione, & calumnia. *num.* 11. & 12.
An peccet ille, qui alium falsò accuſat, putans re vera illum commiſiſſe delictum, & an ad reſtitutionem teneatur, ibid. verſ. ſi tamen. Et quid ſi delictum erat ſecretum, & accuſator putabat eſſe publicum. *ibid.*
Quid ſit prauaricatio, & quomodo fiat. *num.* 13.
Quid ſit tergiuerſatio. *num.* 14.
An accuſator poſſit ab accuſatione deſiſtere, & an aliquando ad id in conſcientia teneatur. *ibid.*
An Princeps poſſit præcipere, vt ceſſet accuſatio, & in quibus caſibus. *num.* 15.
An ante accuſationem ſemper præmittenda ſit fraterna correctio. *num.* 16.
Aliquando præmittenda eſt, aliquando non, & an in crimine hæreſis. *num.* 17.

1. *Accuſatio quid ſit.* Leſſius. Azor. Iul. Clar. Filliucius. Rodriguez.

ACCVSATIO eſt delatio rei delinquentis de crimine in libello accuſatorio coram iudice, ob publicam vindictam in ſcriptis facta. ita Leſſius *tomo* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. Azor. *lib.* 13. *cap.* 19. Iul. Clar. *in §. accuſator, quæſt.* 12. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *in octauum præceptum, cap.* 7. *n.* 201. Rodrig. *tract. de ordine iudiciario, cap.* 5. *num.* 1.

Dicitur primò, *Delatio rei, ſeu delinquentis de crimine*; in quo conuenit cum denunciatione, & querela: differt autem ab inquiſitione, quia in inquiſitione procedit iudex, vel ex obligatione officij ſui, abſque vlla delatione criminis ſibi facta, vel ex ſola præuia infamia, vel ex euidentia criminis; in accuſatione autem procedit tantùm ex delatione ab accuſatore facta.

Dicitur ſecundò, *in libello accuſatorio*; quia in hoc diſtinguitur à denunciatione præcedente ex querela, nam accuſatio fit in libello; denunciatio non fit in illo. Eſt autem libellus accuſatorius, breuis ſcriptura, continens intentionem accuſatoris; continet enim petitionem, cauſam, & actionem illius.

Dicitur tertiò, *facta ad publicam vindictam*; quia in hoc etiam diſtinguitur accuſatio à denunciatione; accuſatio enim ſemper tendit ad publicam vindictam criminis. Denunciatio non ſemper, ſed aliquando, vt cùm fit ſuperiori tanquam patri; à querela autem diſtinguitur, quia querela non ſemper fit ad publicam criminis vindictam, ſed aliquando ob priuatum bonum partis offenſæ. Præterea accuſatio fit, vt diximus, oblato libello accuſatorio, cum ſubſcriptione accuſatoris; at querela fit nudis verbis, & iudex deinde ex officio procedit ad examinationem teſtium, & capiendam informationem contra reum. Verum tamen eſt, non eſſe neceſſarium, vt in delictis paruis accuſatio fiat in ſcriptis, vt ſtatuitur *in l. leuia, ff. de accuſation.* & animaduertit Rodriguez *allegatus*; nam ideo in ſcriptis proponitur, ne memoria excidat, quæ enim verbo proponuntur, facilè elabuntur; vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 68. *articul.* 2. parum autem refert, quòd leuia delicta è memoria iudicis ela-

bantur, & impunita maneant in Republica; & ſi accuſator vult procurare publicam vindictam illorum, ea ſuggerat iudici, vt puniat.

Notabis autem accuſationem non eſſe ex ſe malam, imò eſſe bonam ex ſe, iuſtam, & neceſſariam ſuo tempore, & loco, vt docet Caietanus 2. 2. *quæſt.* 67. & Sotus *de tegend. ſecret. membro* 2. *quæſt.* 5. & *lib.* 5. *de iuſtit. & iur. articul.* 1. quamuis enim, vt ait D. Paul. *ad Romanos* 13. non poſſimus reddere malum pro malo, ius tamen habemus, vt nos via iuſtitiæ, & iudicis, & iudicij defendamus. Ad vindictam enim malefactorum, & præmium bonorum iuſtitiæ à Deo conſtituta eſt, vt Reſpublica bona pace fruatur, & malefici puniantur, & ad hunc finem tendit accuſatio ex natura ſua, non ad peculiarem vindictam; nam ſi accuſator in accuſatione ſua intendat, non bonum publicæ vindictæ, ſed ſpecialem vindictam ſuæ iniuriæ, ſine dubio mala tunc erit accuſatio, non ex ſe, ſed ex malitia accuſatoris, ſi quidem mutat finem accuſationis, illámque extra ſuos limites educit; & quia, ordinariè loquendo, ex hominum malitia, ſemper accuſatio ipſa cum propria vindicta permiſcetur, ideo non debet ſuaderi à viris prudentibus, ſed diſſuaderi. *An ſit de ſe bona.* Caietan. Sotus.

Accuſatio igitur ſex ſolemnitates requirit, & forma illius de iure communi, in huiuſmodi ſolemnitatibus conſiſtit. 2. *Accuſationis conditiones ſex.*

Prima eſt, vt fiat in ſcriptis, vt conſtet quid accuſatori contra reum ſit probandum, & ne poſſit poſtea accuſator aliquid mutare, ſi fortè videat ſe non poſſe probare id quod dixerat; conſuetudine tamen in multis partibus receptum eſt, vt fiat verbalis accuſatio, modò adſit Notarius, qui querelam in ſcriptis excipiat; vt docent Iulius Clarus §. *Accuſator, quæſt.* 12. *num.* 6. *in lib.* 5. *ſentent.* Leſſius *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 2. Filliucius *tomo* 2. *tractat.* 40. *in octauum præceptum, cap.* 7. *num.* 202. Iul. Clar. Leſſius. Filliucius.

Secunda eſt, vt in accuſatione exprimatur nomen accuſatoris, & accuſati, debet enim conſtare quis ſit accuſans, & reus accuſatus; ſi tamen nomen accuſati ignoretur, ex circumſtantiis habitu, ſignis, & officio deſcribi poteſt. Ita DD. allegati; ſic ad declarandum aliquem pro excommunicato publico, ſi eius nomen ignoretur, ſufficit, ſi nominetur per prædictas circumſtantias officij, vel beneficij, & ex aliis ſignis, ex quibus in cognitionem illius facilè venire poſſimus, iuxta communem DD. in materia excommunicationis. 3.

Tertia eſt, vt denominetur ſpecies delicti, de quo reus accuſatur, quæ quidem ſolemnitas eſt omnino neceſſaria, quia ſemper in hoc ſtabilimento fundatur tota intentio accuſatoris, alioquin enim tota accuſatio redderetur incerta, & eſſet magis pura infamatio, quàm vera accuſatio, adimeretúrque reo facultas ſe iuſtè defendendi, & conuincendi teſtes de falſitate contra omnem iuſtitiam. patet ex *l. edicta, C. de edict.* & ex *l. libellorum, ff. de accuſation.* imò ſi crimen tale ſit, vt ex natura ſua ſocios exigat, vt adulterium, ſodomia, &c. debet etiam accuſator exprimere perſonam, cum qua reus accuſatus delictum commiſit. ita Authores *allegati*, Iulius Clarus, Leſſius, Filliucius. 4.

Quarta eſt ſubſcriptio accuſatoris; adeò, vt ſi non ſubſcribat, accuſatio ſit nulla, & facultas detur reo accuſato, repetendi iniuriã ex integro, & accuſator 5.

damnandus ſit ad expenſas, quamuis ius habeat inſtituendi rurſus de nouo ſuam accuſationem; ita deciditur *in l. libellorum, ff. de accuſationibus*; ſi verò accuſator vel neſciat inſcribere, vel ſcribere non poſſit, debet rogare alium, vt pro eo ſubſcribat.

6. Quinta eſt, locus & tempus delicti, vt annus & menſis, & locus in quo crimen fuit commiſſum, ſi enim tempus, & locus non ponatur, nulla cenſebitur criminalis accuſatio, ex eo quòd accuſatio redderetur incerta, & eriperetur facultas reo accuſato ſe iuſtè defendendi; quomodo enim probare poterit teſtes fuiſſe falſos, ſi tempus & locus in quo commiſſum fuit delictum, non aſſiguetur. Ita Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 2. Diem tamen & horam, in qua patratum fuit delictum, non tenetur accuſator apponere in libello accuſatorio, niſi reus accuſatus id poſtulauerit, habet enim reus ius id poſtulandi, vt ſe tueatur, & probet ſe eo die, & hora fuiſſe abſentem, aut alibi commorantem, & ad petitionem rei cogendus eſt accuſator hæc apponere. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 5. Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *accuſator*, *quæſt.* 12. *num.* 13. & Soares *in adnotat. ad Gomezium.*

Leſsius.

Leſſius. Iul Clar. Soares.

7. Sexta eſt inſcriptio accuſatoris, qua ſe obligat ad pœnam Talionis; hæc tamen conditio non eſt in vſu in foro ſæculari, tum quia retrahit homines ab accuſando, tum quia hoc tempore iudex ex officio procedere poteſt, ſi accuſator defecerit; in foro autem Eccleſiaſtico, in quo ſeruatur ius Canonicum, neceſſaria eſt, ex textu *in cap. qualiter, & quando*, 2. *de accuſation.* Verùm quamuis ad pœnam talionis in foro ſæculari ſe accuſator non obliget expreſsè, tamen tacitè ad illam manet obligatus ex iuris diſpoſitione, præſertim ſi deprehenſus fuerit malitiosè, & per calumniam accuſaſſe. textus *in l. mulier, & in l. quæſitum, ff. ad Senat. ſconſultum Turpilliani.* Conſuetudo tamen habet, vt non puniatur pari pœna, ſed minori, arbitrio iudicis, ne homines ab accuſatione omnino deterreantur; vt docet Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 9. *num.* 1. idque per multos, & multa iura probat. Olim enim accuſator, qui aliquem de falſo crimine, vel de vero, ſed occultè accuſabat, ſi id in iudicio non probabat, puniebatur pœna talionis; vt patet ex lege veteri Exodo 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; & ex *l. mulier*, allegata, & ex *cap. calumniator, & cap. qui non probauerit* 2. *quæſt.* 3. Hodie tamen de conſuetudine pleriſque in locis ea pœna ablata eſt; & meritò, erat enim nimis dura, & arcebat homines ab accuſatione in damnum Reipublicæ, vnde non in omnibus, ſed in quibuſdam tantùm caſibus retenta eſt.

Couarr.

Primus eſt, in quo iniquè accuſatus capite plectendus erat, ſi probaretur delictum, in eo enim eadem pœna plectitur accuſator, illo non probante. In aliis verò caſibus graui pœna arbitraria arbitrio tantùm iudicis plectitur. Vnde huic pœnæ tacitè ſe ſubmittit accuſator, velit, nolit, cùm accuſationem in iudicio coram iudice proponit; patet ex *cap. ſuper his, de accuſation.* & ex *l. in priuatis, ff ad Senatuſconſultum Turpilliani*; manet tamen ſemper infamis, & ſi infamia ciuilis fuit, hoc eſt, in ſæculari tribunali contracta, poteſt à Principe ſæculari remitti: infamia autem Canonica, hoc eſt, in Eccleſiaſtico foro contracta, à ſolo Papa remitti poteſt. textus *in cap. Euphemium* 2. *quæſt.* 3. gloſſa *ibi, in verb. infamia*, docet Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 208.

Filliucius

Scio Antonium Gomez *tomo* 3. *var. cap.* 11. *n.* 4. & 5. negare conſtanter teneri accuſatorem ponere in libello accuſatorio diem, & horam commiſſi criminis ad petitionem rei, ex duplici fundamento. 8.

Ant. Gom.

Primò, quia *in l. libellorum, ff. de accuſat.* citata, ita dicitur, *Nec diem autem, nec horam inuictus comprehendet.*

Secundò, quia alioqui reus facilè eluderet accuſationem, ſubornando teſtes, ſed re vera ipſe Ant. Gomez *ibidem*, fatetur noſtram opinionem eſſe communem; & ad legem libellorum reſpondemus, ibi tantùm ſignificari, non eſſe id per ſe neceſſarium, ſi tamen reus id ad ſuam defenſionem velit, id ab eo poſſe poſtulari, & cogi poſſe accuſatorem ad diem, & horam aſſignandam; & ad rationem illius reſpondemus non eſſe præſumendum tam facilè teſtes corrumpi poſſe, maximè, quia id poteſt in iudicio probari, vt illorum dicta infirmentur; ſi tamen accuſator non meminit diem, neque horam, poteſt cum iuramento affirmare ſe non recordari, & id ſufficit; ita docet Leſſius *tomo* 1. *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 8. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *accuſator, q.* 12. *num.* 13. Si autem meminit, & exprimat, non tenetur probare, quia ad hoc ſe non obligauit, imò contraria probatio incumbit reo, ita Leſſius *dicto num.* 5.

Leſſius. Iul. Clar.

Si verò accuſator ſponte ſua poſuit diem & horam commiſſi criminis, & non probauit eo die, & hora fuiſſe commiſſum, ſed alio tempore, communiter Doctores affirmant, non eſſe condemnandum reum, ſed abſoluendum, quia diuerſitas temporis, arguit, & inducit diuerſitatem delicti, & conſequenter non eſt probatum illud delictum, quod fuit deductum, & propoſitum in iudicio, argumento textus *in l. denunciaſſe, §. quid tamen, ff. de adulteriis*; & ita docet expreſsè Bartol. *in iſta lege, colum.* 1. *num* 1. *& in l. is qui reus, ff. de publ. iudiciis, colum. penultima, num.* 9. Felinus *in cap. licèt cauſam, de probat. colum. penultima.* Baldus *in l.* 1. *Cod. qui accuſare non poſſunt, colum.* 13. *num.* 67. *& in l.* 2. *C. de probat.* & alij. modò tamen crimen ſit reiterabile. nam ſi non ſit reiterabile, vt homicidium, quod impoſſibile eſt committi plures in eadem perſona, non arguitur diuerſum crimen, & ſic non probato etiam die, neque hora, non ſequetur abſolutio, ſed condemnatio. Hæc tamen communis ſententia hodie non ſeruatur in praxi, vt animaduertit Leſſius *tomo* 1. *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 6. & Iul. Clar. *lib.* 5. *ſentent.* §. *accuſator. quæſt.* 12. *num.* 14. & Anton. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.* 11. *num.* 6. Si enim delictum etiam iterabile, v. c. hæreſis, ſodomia, furtum, ſacrilegium, periurium apertè probatum ſit fuiſſe commiſſum per teſtes idoneos, omni exceptione maiores, tali menſe, & loco, quid, quæſo, refert, quòd erratum ſit in die & hora, non enim punitur delictum, quod commiſſum fuit tali die, & hora, ſed punitur delictum quod reuera commiſſum fuit, de quo conſtat apertè, niſi fortè ratio delicti ſit talis, quod ex circumſtantia diei, & horæ conſtet & pendeat. 9.

Quid quando accuſator poſuit diem & horam delicti.

Leſſius. Iul. Clar. Gomez.

Pari ratione ſi circumſtantia aliqua, vel qualitas aggrauans delictum, propoſita ſit in libello accuſatorio; v. c. quòd occiderit proditoriè, vel quòd furatus fuerit bis, aut ter, quæ non poſſit probari, probetur tamen ipſum delictum ſine ea qualitate, & circumſtantia, debet patratio illius condemnari; mitiùs 10.

Quid ſi qualitas aliqua ponatur in libello accuſatorio.

mitiùs tamen ad arbitrium iudicis, quia in iſto caſu idem delictum, quoad ſubſtantiam probatum eſt, non verò aliud diuerſum. nam licèt qualitas propoſita augeat pœnam, non tamen conſtituit diuerſam ſubſtantiam, aut diuerſum ſpecie delictum, quia illud quod differt, ſecundùm magis, & minus, non dicitur differre ſpecie, vt eſt textus *in l. finali, ff. de fundo instructo*, & *ibi* Bartol. & communis DD. quare punietur delictum, ſed minori pœna, quàm puniretur, ſi ea qualitas probaretur, quia ſpectat ad bonum publicum, ne delicta in Republica impunita maneant, quando plenè in iudicio probantur; ita Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. cap. 30. dub. 1. num. 7.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 11. num. 7.* parum enim refert, quòd accuſator non potuerit illam qualitatem probare, quando probauit illius ſubſtantiam. Accedit etiam, quòd in libellis apponi ſolet clauſula proteſtatoria, qua accuſator proteſtatur ſe nolle obligare, niſi ad probandum id, quod eſt neceſſarium, & principale; ſecus tamen eſſet, ſi qualitas, & circunſtantia mutaret ſpeciem delicti, quia tunc etiamſi probaretur aliud delictum, nulla condemnatio daretur, cùm re vera non fuerit probatum illud delictum, quod propoſitum fuit, & accuſatum, ſed aliud diuerſum ſpecie, & ſubſtantia alterius delicti; poterit tamen accuſator ex integro, & de nouo nouam inſtituere accuſationem, contra delinquentem, iuxta ea, quæ diximus *cap. 36. num. 6.* quia tunc illud delictum, quod probatum non fuit, nunquam fuit ad iudicium quo ad ſubſtantiam deductum, nec fuit accuſatum, ſed ſubſtantia alterius; quare ex illo, & ob illud nulla pœna imponi poteſt, poterit tamen accuſator de nouo accuſationem ſuam intendere, ſi voluerit.

Leſſius. Ant. Gom.

An pendente lite poſſit noua circumſtantia delictum aggrauans de nouo apponi.

Dubitabis tamen, an ſi factum, & delictum propoſitum fuerit in accuſatione, & libello ſimpliciter ſine ea qualitate, & circunſtantia aggrauanti, poſſit poſtea accuſator, pendente iudicio, & proceſſu, eam addere, & cumulare? Reſpondeo affirmatiuè, modò tamen id notum fiat reo, vt illi detur locus defenſionis, & dummodo hoc fiat ante ſententiam definitiuam; ſiue ea ſit executioni mandata, ſiue non, ita probat textus ſingularis, & vnicus *in l. in delictis, §. ſi detracta, in fine, ff. de noxal.* vbi expreſsè diſponitur, quòd ſi actum eſt ſimpliciter ſimplici actione noxali, non propoſita qualitate, quod dominus ſerui id ſciuerit, poſſe illam qualitatem poſtea addi pendente iudicio, & proceſſu, & ita docet optimè Anton. Gom. *tom. 3. variar. cap. 11. num. 8.* & alij, quos *ibi* citat. Neque obſtat textus in materia *in l. edita actio, C. de edendo*, vbi diſponitur non poſſe mutari, vel emendari libellum, & actionem in iudicio poſitam poſt litem conteſtatam, quia id debet intelligi, quo ad ſubſtantiam, & ſpeciem delicti, non verò quo ad circunſtantiam aggrauantem. Ita tenet, & declarat Gomez *citatus*, & Albericus *in dicto §. ſi detracta*, & ante illos Antonius Butrius *in dicta l. edita actio. C. de edendo, col. 4.* & *ibi* Cynus *col. 9.* & Baldus *col. 3. num. 8.* & alij.

Ant. Gom.

11\. *Quæ requirantur vt accuſatio ſit iuſta.*

Debet tamen accuſatio eſſe iuſta, & ad cauendam iniuſtitiam illius, tria ante oculos proponenda ſunt, vt vitentur.

Primum calumnia.

Secundum præuaricatio.

Tertium tergiuerſatio, iuxta D. Thomam *2. 2. quæſt. 68. art. 8.* Sotum *de tegendo ſecreto, membr. 2. quæſt. 5. concluſ. 5.* Sayrum *in Claui Regia, cap. 15. in octauum præceptum, num. 12.* Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 6. num. 2.* Calumnia eſt accuſare aliquem falsò de crimine ſcienter & animaduertenter, ſiue ſit in cauſa ciuili, ſiue in criminali; in vtroque autem caſu vltra peccatum mortale incurrit calumniator obligationem reſtitutionis, iuxta Authores allegatos. Calumniari etiam ille dicitur, qui de vero crimine, ſed occulto, quod in iudicio probari non poteſt, ſcienter accuſat, eodemque modo obligatur ad reſtitutionem damni, quod inde ſequitur, ita DD. *citati*, & ſpeciatim Filliucius *tract. 40. in 8. præceptum Decalogi, cap. 7. num. 205.*

D. Thom. Sotus. Sayrus. Rodriq.

Si tamen accuſator ignoranter accuſet reum per libellum, putans ſcilicet illum re vera commiſiſſe crimen, aut prædictum crimen occultum, de quo illum accuſauit, potuiſſe in iudicio probari, & cauſa proceſſit vſque ad definitiuam ſententiam, ob quam, & in qua fuit reus ad aliquam pœnam temporalem damnatus, v. c. vt ſolnat accuſatori centum aureos, & expenſas, tenetur accuſator ipſe in conſcientia ei reſtituere illos centum aureos, in quibus factus eſt ditior, non tamen expenſas, neque damna, quæ inde reo pullularunt. Ita expreſsè Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 6. num. 4.* Et ratio eſt, quia reſtitutio ex duobus principiis emanat.

Idem.

Primò ex eo, quòd quis alienum retineat.

Secundò, ex eo quòd iniuſtè acceperit, quod Theologi vocant, ratione rei acceptæ, & ratione iniuſtæ acceptionis.

Primum ceſſat in hoc caſu, quia accuſator non retinet expenſas, quas reus fecit, neque damna, quæ inde illi pullularunt; ceſſat etiam

Secundum, quia accuſator formaliter loquendo, nihil egit iniuſtè formaliter, ſed fecit per ignorantiam, & inſcienter; putabat enim bona fide, id eſſe verum, & re vera crimen, de quo illum accuſabat, reum commiſiſſe; quare in hoc negotio, caſuque præſenti ſubintrat regula illa communis, quæ aſſerit, illum qui bona fide alienum expendit, aut in cauſa eſt expendendi illud, non manere obligatum ad reſtituendum, niſi ad illud, in quo factus eſt ditior. Neque obſtat, quòd ex odio, aut maleuolentia accuſauerit, id enim ſolùm erit peccatum odij contra charitatem, & non tollet ignorantiam, & bonam fidem, qua putabat reum re vera commiſiſſe illud crimen, aut potuiſſe probare crimen occultum, quod reus fecit, & ipſe accuſator probare non potuit, & ratione iſtius ignorantiæ, & bonæ fidei à reſtitutione excuſabitur, & ſolùm tenebitur reſtituere id, in quo factus eſt ditior, vt dixi.

Ille autem, qui in rebus ciuilibus rem ſibi de iuſtitia debitam peteret, & obtineret, modo indebito, vt adhibitis falſis inſtrumentis, & teſtibus, iudicans ſe aliter illam recuperare non poſſe, aut non tam citò poſſe, cùm tamen multum ſibi referat, illam habere, peccabit quidem contra charitatem, non contra iuſtitiam, ac proinde ad reſtitutionem non tenebitur; ita Filliucius *allegatus tomo 2. tract. 40. cap. 7. num. 208.* & Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 32.* Toletus *lib. 5. ſummæ cap. 57.* conducit Diuus Thomas *2. 2. quæſt. 71. art. 3. ad 3.* & alij; ſic milites Catholici poſſunt fingere ſigna partis aduerſæ pugnantes in bello iuſto, vt hoſtes vincant, modò illa ſigna cultum falſæ ſectæ non denotent.

12\. *An peccet ille, qui alium falsò accuſat, putãs re vera illum commiſiſſe delictum.*

Filliucius. Nauarr. Toletus. D. Thom.

Præuaricatio vno è duobus modis poteſt contingere.

13\. *Quomodo fiat præuaricatio.*

Primò,

Primò, quando aliquis in exteriori reum accuſat, in occulto tamen ei fauet.

Secundò, quando tacet, ac diſſimular vera crimina, & magna, quæ contra reum habebat, & alia inducit minoris momenti, de quibus reum accuſat, eaque minora in libello, & iudicio proponit, relictis maioribus, quod præuaricationis peccatum contingere etiam poteſt in iudicibus, acceptando ſcilicet falſas exceptiones, & teſtimonia, & inſtrumenta, vt reum liberet, & vt ab accuſatore non vincatur, & in eo caſu vltra peccatum, quod committit, ad reſtitutionem tenetur, quia contra iuſtitiam, & obligationem ſui officij agit; & in Aduocatis, oſtendendo ſcilicet parti aduerſæ fundamenta ſui clientis, quod peccatum ſimiliter eſt contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem obligat, vt probat Sotus *de tegendo ſecreto, membr. 2. quæſt. 5. concluſ. 6. & 5.* Nauarrus *cap. 25. n. 30.* Rodriquez *tract. de ordine iudic. cap. 6. num. 5.* Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 3. *ad* 2. & Sayrus *in Claui Regia in octauum præceptum, cap. 15. num. 14.*

Sotus. Nauarr.

D.Thom. Sayr.

Accuſator autem, qui cum damno Reipublicæ, & alicuius tertij, in cauſa criminali cum aliquo paciſcitur de relinquenda accuſatione, quam nouit eſſe iniuſtam, peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere id, quod pro tali pacto faciendo accepit, & omne damnum, ſi quod alteri, & accuſato inde obuenerit, & ratio eſt, quia, cùm primùm agnouit accuſationem ſuam eſſe iniuſtam, & crimen ob quod reum accuſabat, falſum fuiſſe, aut ita occultum, vt in iudicio probari non poſſet, tenebatur ex iuſtitia deſiſtere, nullus enim debet nocere alicui iniuſtè, vt bonum Reipublicæ promoueat, & ideò licèt à principio ignoranter, & cum bona fide, putans crimen verum fuiſſe, & in iudicio potuiſſe probari, cauſa boni communis accuſationem inceperit, tamen ſimul ac cognouerit crimen falſum fuiſſe, aut occultum, ſtatim tenetur ex iuſtitia deſiſtere, ita docet Nauarrus *in ſumma latina, cap. 25. num. 31.* Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 6. num. 6.* argumento *cap. ſi quem 2. quæſt. 3. & l. tranſigere. C. de tranſact.* & facit id, quod docet Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 68. *in corpore.* Et ſimiliter poteſt etiam ille, qui iniuriam à reo, quem accuſat, accepit, pro pacta pecunia, veniam ei dare, & de deſiſtentia accuſationis pro eadem pecunia cum eo paciſci ratione damni, quod paſſus fuit, ſi tanti arbitrio prudentis æſtimetur. v. c. poteſt maritus deſiſtere ab accuſatione adulterij, quam contra adulterum in iudicio propoſuerat, & cum adultero pactum pro certa pecunia inire, veniamque ei promittere, & dare, quamuis expediat Reipublicæ adulteria in aliorum exemplum, & publica peccata punire, iuſtificatur enim huiuſmodi contractus, ratione damnorum, quæ maritus adulteræ, in perſona, & bonis accepit, quia cum damno ſuo nemo tenetur commune Reipublicæ bonum promouere, dummodo tamen ex tali pacto facto cum adultero, nullum inde damnum alteri tertio directè obueniat, cum damno enim, & præiudicio tertij id fieri non poteſt, & peccabit maritus ſi cum prædicto præiudicio, damnoque tertij, veniam concedat adultero, & tenebitur ad reſtitutionem talis damni, ita docet Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario, cap. 6. dicto num. 6.* Corduba *in ſumma caſuum, quæſt. 77.* Ludou. Lopez *lib. 2. inſtruct. conſc. cap. 45. pag. mihi 515.* Couarr. *lib. 2. variar. cap. 10. num. 7. verſ. ſecundum.*

Nauarrus. Rodriquez.

D.Thom.

Rodriq. Corduba. L.Lopez.

Couarr.

14. Tergiuerſatio quid.

Tergiuerſatio eſt, quando quis abſque iuſta cauſa ab accuſatione deſiſtit, cum ad proſecutionem illius ob bonum commune tenetur. In cauſa autem propria, quatuor modis poteſt quilibet accuſator abſque peccato, & vitio tergiuerſationis licitè ab accuſatione deſiſtere.

Primò ad libitum ſuum in accuſationibus, quorum criminum punitio non ſpectat ad bonum publicum Reipublicæ, ſicut enim accuſator in huiuſmodi cauſis liberè, & ſpontè accuſauit; ita liberè, & ſponte poteſt ab accuſatione deſiſtere. nam cùm non ex debito Reipublicæ, ſed vtens iure ſuo accuſet, poteſt ipſe iuri ſuo, quoties voluerit, ſine præiudicio alterius renuntiare, niſi ex tali renuntiatione ſequatur ſcandalum, & niſi circunſtantiæ ſint tales, vt propter bonum commune debeat accuſationem proſequi in cauſa propria, vt ſi reus, quem accuſauit, ſit homo facinoroſus, & valde pernicioſus Reipublicæ, tunc enim neque accuſator debet ab accuſatione deſiſtere, neque iudex id poteſt permittere. Extra hunc caſum poteſt accuſator in criminalibus deſiſtere ante litem inchoatam abſque licentia iudicis, poſt inchoatam verò litem de licentia iudicis, non tamen ſine illa: in ciuilibus autem, quæ proprium intereſſe concernunt abſque conſenſu iudicis, tam ante, quàm poſt litem inchoatam, poteſt quis ab accuſatione ceſſare, dummodo non ſequatur ſcandalum, aut damnum tertij, & poteſt etiam pro ceſſatione iuſtam pecuniam accipere, & promiſſam in iudicio repetere, ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. in fine*, & communiter Doctores.

Secundò, quando ab initio accuſationis, putauit ſe bona fide aliquem accuſaſſe, & poſtea in progreſſu videt ſuum errorem, tunc enim non ſolùm poteſt, ſed tenetur deſiſtere, vt diximus *num. præcedenti.*

Tertiò, propter metum cadentem in virum conſtantem.

Quartò, ſi imperio, & mandato Principis iubeatur, poteſt enim Princeps iuſta de cauſa non ſolùm in initio accuſationem repellere, ſed iam admiſſam à iudicio abolere, & præcipere accuſatori, vt ceſſet & deſiſtat, v. c. ſi accuſatur aliqua perſona, quæ non poteſt ſine magna oppidi perturbatione puniri, & ex eius punitione perpetuæ diſſenſiones, & inteſtina odia, & pericu loſæ inimicitiæ oriantur. itemque ſi ex aliqua accuſatione inter duas nobiles familias alicuius oppidi, grauiſſima odia, & ſcandala, ac factiones naſcantur, iuſtam cauſam habet Princeps ad abolendam accuſationem inchoatam, & præcipiendi, vt ceſſet, etiamſi accuſator propriam iniuriam ex priuata cauſa, ea accuſatione vindicare intendat, vt communiter docent Doctores, Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. fine.* Leſſius *tom. 1. de iuſtitia, lib. 2. cap. 30. dub. 3. num. 15.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 68. art. 3.* & Sotus *de tegendo ſecreto, membr. 2. quæſt. 5. concluſ. 5.* imò poteſt etiam iudex, iuxta hos Doctores, initio accuſationem non admittere, ſi prædicta ſcandala Reipublicæ, oppidove impendant, non poteſtate ordinaria, ſed ex epikeia, & tacita voluntate Principis, & totum negotium ſuſpendere, quoad vſque Regem informet. Et ratio eſt, quia ad Principem primò, & principaliter ſpectat

Sayrus. Leſſius. Sotus. Caietan.

ſpectat curam gerere boni communis, ad quod bonum priuatorum hominum refertur; vnde cùm ad illum primò, & principaliter hoc ſpectet, ad illum etiam ſpectat finem imponere accuſationi, quæ origo, & fomentum eſt earum inimicitiarum, quæ publicum bonum, pacemque perturbant.

15. *An Princeps poſſit præcipere vt ceſſet accuſatio, & quando.*

Similiter cauſam iuſtam habet Princeps ad reprimendam inchoatam accuſationem ab aliquo ſubdito ſuo aduerſùs alium, ob priuatam cauſam in iudicium adductam, ſi reus accuſatus perſona ſit valdè vtilis, & neceſſaria Reipublicæ; in eo enim caſu ſolus ſupremus Princeps poteſt accuſationem iam inceptam reſcindere, & abolere: iudex autem inferior ſolùm poteſt ab initio ex epiikeia, vt dixi, non admittere, admiſſam autem non poteſt illam reſcindere, ſi in ea accuſator de ſatisfactione, & vindicta propriæ agat iniuriæ, quia ad ipſum non ſpectat primò, & principaliter procuratio pacis Reipublicæ, & boni communis, vnde tenetur ex officio partibus ius dicere, & non poteſt prætextu boni publici aliquem eximere, alioqui ſæpe iudicis amicos ſuos eo prætextu liberarent; at ſi perſona accuſata ſit in aliqua arte valde excellens, & multum ad bonum publicum conducens, aut ex accuſatione illius grauiſſima ſcandala timeantur; poterit differre ſententiam, & Principi reſcribere, illumque infamare, vt iudicet, quid in eo caſu ſit faciendum. Ita Authores *allegati*.

16. *An ante accuſationem ſemper præmittenda ſit fraterna correctio.*

Vidi ſæpe dubitare, an ante accuſationem præmittenda ſemper ſit fraterna monitio, ſicut eſt præmittenda ante denuntiationem. Et huic dubio his duabus concluſionibus reſpondeo.

Concluſio prima.

Prima eſt, ſi accuſator poteſt probare in iudicio accuſationem, quam proponit, non tenetur præmittere fraternam admonitionem, ſiue in ea vindictam propriæ iniuriæ intendat, ſiue publicum bonum Reipublicæ, quæ vult, vt publica delicta puniantur, vt ſcelerati timore ſupplicij, & pœnæ formidine à peccatis cohibeantur. Ita communiter Doctores, Azor *cap.* 19. *dub.* 3. Leſſius *tom.* 1. *de iuſtitia*; *lib.* 2. *cap.* 30. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 203. gloſſa *in cap. licet, de ſimonia* 2. *quæſt.* 8. *initio.* Syluester *verb. accuſatio*, *quæſt.* 3. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. Nauarrus *in ſumma latina*, *cap.* 18. *num.* 30. Driedo *de libertate Chriſtiana*, *cap.* 10. Rodriquez *tract. de ordine iudiciario*, *cap.* 6. *num.* 9. & alij. Et ratio eſt, quia accuſatio tendit ad vindictam ſceleris, propter publicum bonum; denuntiatio verò ad emendationem peccatoris. Quare illa non requirit admonitionem, ſi crimen poteſt in iudicio probari, iſta requirit, vnde reus non poteſt iuſtè conqueri de iniuria aliqua ſibi facta, quòd priuſquam accuſatio contra illum proponatur, monitus non fuerit. Addit tamen Corduba citatus à Rodriquez, & Rodriquez *loco allegato*, quamuis bonum publicum, aut particulare, publicæ, vel priuatæ vindictæ in accuſatione intendatur, teneri accuſatorem præmittere ſemper ante accuſationem, Chriſtianam monitionem, ſi ex ea emendatio delinquentis ſperatur, idque non ratione boni communis, vel particularis, ſed ratione ſalutis ſpiritualis proximi delinquentis, quam primò, & per ſe debemus intendere, ſiue via accuſationis, ſiue via denuntiationis contra eum procedamus, debemus enim ſemper emendare peccatores, quàm minimo damno famæ illorum poſſimus, quod probabile eſt, ſed id, quod diximus, probabilius, eo enim ipſo, quòd crimen eſt publicum, ius habemus, vt via accuſationis ſine admonitione contra reum procedamus, & ſibi ipſe imputet, quòd illud publicum fecerit; quare addunt aliqui Doctores ſi ex accuſatione, nulla delinquentis emendatio intendatur, ſed ſola publica punitio, & hac ſola intentione ab accuſatore in iudicio accuſatio proponatur, peccabit accuſator mortaliter contra charitatem, & Chriſti præceptum de admonendo proximo peccatore, niſi illam præmittat, ſi profutura ſperatur, alioqui non: ita Rodriquez *tract. de ordine iudiciario*, *cap.* 6. *num.* 10. Durandus *in* 4. *diſt.* 19. Corduba *in additionibus ad Sotum*, *de tegendo ſecreto*, *membro* 2. *quæſt.* 5. *concluſ.* 4. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſtitutione*, *cap.* 4. *num.* 255. Fundamentum illorum eſt, quia etiam cùm via accuſationis procedimus, præcipua noſtra intentio debet eſſe emendatio delinquentis; quare ſi ex accuſatione quæ ſine admonitione fit, non ſperatur emendatio, ſperatur autem, ſi priùs admoneatur, tenetur accuſator ex charitate, antequam proponat accuſationem peccatorum, reum admonere, etiamſi crimen poſſit in iudicio probare, & videtur hæc illorum doctrina, iuxta pietatem Eccleſiæ, quæ pœna excommunicationis non punit, niſi contumaces; & ſemper parata eſt, illos benignè excipere ſi reſipiſcant. Verùm hæc doctrina, licèt probabilis ſit, non eſt in vſu, & id quod diximus, probabilius eſt,

Primò, quia præcepta Chriſti, debent eſſe iuxta vires humanas, & ſuauia: difficillimum autem eſſet compellere, & obligare eum, qui iniuriam, & offenſionem accepit ad emendandum ſe iniuriantem, fraterna, & charitatiua admonitione, cùm iniuria eſt publica, & in iudicio poteſt probari, ſufficit enim, quòd odio eum non habeat.

Secundò, quia cùm primùm delinquens ſuum crimen publicum fecit, velit, nolit, ius fecit, non ſolùm offenſo, ſed etiam cuicumque de Republica, vt via accuſationis vindictam publicam in bonum Reipublicæ procuret.

Tertiò, quia non tenemur directè primò, & principaliter in accuſationibus intendere emendationem proximi, cùm via accuſationis procedimus, ſufficit enim, quòd tunc principaliter intendamus honeſtum aliquem finem, qualis eſt publica punitio, & vindicta delictorum, in qua ſemper inuolutè & veluti de connotato, & indirectè includitur emendatio peccatoris, iuxta illud, *Vexatio dat intellectum*; quare ſolùm peccabit mortaliter contra charitatem accuſator, quando formali, & poſitiuo actu interno, vel externo, excluſerit emendationem peccatoris, dixeritque in hac accuſatione, nolo, nec intendo emendationem peccatoris, ſed ſolùm volo, & intendo publicam illius punitionem, quia hic actus non poteſt procedere, niſi ex odio formali, vel virtuali perſona ipſius peccatoris, alioqui enim ſi hunc actum non eliciat, ſemper in accuſatione ſaltem ſecundariò intenditur proximi emendatio, quod ſufficit, vt præcepto charitatis Chriſtianæ ſatisfaciamus.

Secunda concluſio. Quando crimen eſt occultum, & in iudicio probari non poteſt, tunc tenetur accuſator, ante accuſationem præmittere 17. *Concluſio ſecunda.*

admoni

admonitionem, & peccat mortaliter contra charitatem, niſi illam præmittat, ſi ex illa emendatio peccatoris ſperatur, præſertim ſi ipſe ſit perſona honeſta, & bonæ famæ; excipienda ſunt tamen aliqua crimina contra publicum bonum vt iam diximus, in quibus charitas non obligat, ad hanc fraternam correctionem præmittendam; vt hæreſis, falſificatio nummorum, proditio, & conſpiratio in Principem, & ſimilia; periculum enim aliorum, quod ex his delictis ſequitur, & impendit, multò pluris æſtimandum eſt, quàm bonum priuatum delinquentis; quando tamen certò, & firmiter conſtaret, quòd frater emendabitur, & quòd omne aliorum periculum priuata admonitione ceſſabit, ac præcauebitur, tunc ante accuſationem præmittenda erit ex charitate fraterna monitio; rarò tamen ceſſabit in his tribus criminibus numeratis. Quare in illis non eſt ſcrupuloſè examinandum, an fortè emendetur; quare eligi ſtatim poteſt accuſatio prætermiſſa monitione fraterna; ita Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 1. *& quæſt.* 33. *artic.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 104. Nauarrus *in ſumma latina*, *cap.* 18. *num.* 31. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 4. *dub.* 7. *num.* 186. & alij.

D.Thom. Filliucius. Leſſius. Nauarr. P.Nauarr.

Caput XLVIII.

Quis poſſit, vel non poſſit accuſare, & an iudex poſſit in criminalibus abſque accuſatore delicta punire.

SVMMARIVM.

An accuſator, qui ob publicam tantùm accuſat vindictam, debeat eſſe ciuis populi in quo delictum commiſſum fuit. n. 1.
An licitè poſſit quis accuſare reum ob publicam vindictam, quando nec ſuam, nec ſuorum iniuriam proſequitur. n. 2.
Iudex an poſſit ad vindictam delicti procedere ſine accuſatore. n. 3.
In quibus caſibus poſſit iudex via inquiſitionis contra reos procedere ſine accuſatione. n. 4.
Promotor iuſtitiæ, ſeu fiſcalis in delictis grauioribus ſubit vicem accuſatoris. n. 5.
In Religionibus, in delictis minimis, & leuibus, quæ non attingunt peccatum mortale, poſſunt ſuperiores ad vindictam procedere ex ſola denuntiatione, abſque accuſatore. n. 6.
In grauioribus delictis, quæ peccatum mortale attingunt, ſi id efficiunt, peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem famæ ſubditorum. n. 7.
Quæ perſonæ de iure accuſare non poſſint. n. 8.
Hæ perſonæ, prohibitæ poſſunt accuſare proſequendo ſuam, & ſuorum iniuriam, ſolùm enim extra hunc caſum iure repelluntur. n. 9.
Vſque ad quem gradum poſſit quis ſuorum iniuriam accuſando proſequi. n. 10.
An Clericus in cauſa criminali, abſque irregularitate, poſſit accuſare illum, qui ſibi fecit iniuriam. n. 11.
Et an facta, vel non facta proteſtatione. ibid.
An poſſit ſuorum iniuriam in criminalibus proſequi facta proteſtatione. n. 12. & 13.
An Clerici poſſint eſſe teſtes in cauſa ſanguinis, aut denuntiatores. n. 14.
Quando Clerici, & idem de laicis iure naturali tenentur denuntiare in cauſa ſanguinis non peccant, nec vllam irregularitatem incurrunt, etiamſi proteſtationem non præmittant. n. 15.
Regulariter loquendo, actio delicti, & ius accuſationis, extinguitur morte rei delinquentis. n. 16.
Sunt aliqui caſus in quibus non extinguitur, vt hæreſis, læſæ maieſtatis, & alij, quos ibidem vide. n. 17.
In his poſſunt rei poſt mortem accuſari, damnari illorum memoria, & bona confiſcari. ibid.
Intra quantum tempus proponenda ſit hæc accuſatio contra mortuos, ita vt intra aliud tempus proponi non poſſit. n. 18.
An caſus, & crimen hæreſis excipiatur ab hoc præſcriptionis termino. n. 19.

1\. Certvm eſt apud Doctores poſſe quemlibet de populo pro delicto publico delinquentes accuſare; an verò teneatur, dicemus *cap. ſequenti, num.* 3. Dubium tamen eſt, an accuſator debeat eſſe ciuis illius populi, in quo delictum commiſſum eſt, an poſſit eſſe ciuis forenſis alterius populi, & partita eſt ſententia in hoc negotio.

An accuſator debeat eſſe ciuis populi, in quo delictum commiſſum fuit.

Prima docet, ſolùm ciuem illius populi, in quo commiſſum fuit delictum, poſſe delinquentem accuſare, non verò forenſem. Ita Angelus de Peruſ. *in rubrica de pub. iud.* Fundamentum illius eſt,

Opinio prima.

Primò, quia ad ciues ſolùm pertinet ius populi ſui tueri, non ad forenſes, vt habetur *l.* 1. *&* 2. *de popul. act.* ergo ſolùm ciues populi, in quo commiſſum fuit publicum delictum, de illo accuſare poterunt delinquentem, ſiue huiuſmodi delinquens forenſis ſit, ſiue conciuis, vt ius ſui populi tueantur.

Secundò, quia licèt ad quemlibet de populo pertineat Rempublicam, aut oppidum admonere de nouo opere, pro bono publico extruendo, vt dicitur *in l. in Prouinciali*, *§. finali*, *cum l. ſequenti*, *ff. de noui oper. nunt.* tamen hoc debet intelligi, vt illud ius nuntiandi pertineat ſolis ciuibus, non forenſibus, niſi eo caſu, quo ædificium fieret in via publica; tunc enim quilibet etiam forenſis poteſt nuntiare, & ius habet nuntiandi, quia ſua intereſt propter frequentiam, & facultatem tranſeundi, ita docet, & declarat Bartol. *in l. allegata*, *in Prouinciali*, *§. finali.* & Paulus Caſtrenſis, Iaſon, & alij *ibi.*

Secunda tenet id pertinere ad forenſes etiam; ita tenet Antonius Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 28. *verſ. ſed ego*, & Angelus de Peruſ. ſibi contrarius *in l. finali*, *de priuat. delict. in fine*, *num.* 6. Imola *in l.* 1. *ff. de public. iud. col.* 2. *in fine.* Baldus *in d. l. in Prouinciali*, *§. finali*, *ff. de noui oper. nunt.* ex eo fundamento, quia vbi iura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus: iura autem non diſtinguunt inter forenſem, & non forenſem ciuem, ſed cuicumque, abſolutè loquendo, datur facultas publica crimina accuſandi, ratione publicæ vtilitatis; quando enim nullus reperitur prohibitus; omnibus id facere permittitur; vt dicitur *in l qui accuſare*, *ff. de accuſat.* Nec obſtat, quòd forenſes non poſſint nouum opus nuntiare, niſi id quod ad vias publicas conducat, quia id verum eſt, eò quòd illud ædificium, opuſque nouum extruendum, aut deſtruendum, non poteſt

Opinio ſecunda. Ant. Gom. Angelus. Imola. Bald.

poteſt nocere, aut vtile eſſe, niſi ciuibus illius loci; quare ad illos ſolos illius nuntiatio ſpectat. At verò in delictis publicis, in quibus delinquens poteſt omnibus ſuo prauo exemplo nocere forenſibus, & non forenſibus, omnibus ſpectat accuſatio, quia omnibus intereſt, vt puniantur; ſunt enim omnes vna charitate vniti, & ideò cenſetur vniuerſalis vtilitas, non particularis; ego huic vltimæ ſententiæ aſſentior.

2\. *An & quãdo poſſit quis licitè accuſare reum ob vindictam publicam.*

Hinc inquires, an poſſit quis licitè, & bona conſcientia, reum delinquentem de crimine publico accuſare, ſiue forenſis, ſiue non forenſis ſit, quando nec ſuam, nec ſuorum iniuriam proſequitur. Reſpondeo hac de re tripartitò accipi opinionem.

Opinio prima. Ant. Gom. Abbas. Hoſtienſ. Innocent.

Prima docet, abſolutè, quemlibet poſſe licitè, & tuta conſcientia, reum delinquentem accuſare. Hanc tenet Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 19. ad finem.* Abbas *in cap. 1. de iniurijs*, *col. 2.* Hoſtienſis *in cap. olim*, *eod. tit.* Innocentius *in cap. accuſaſti*, *de accuſationibus*, & alij, modò id faciat ex zelo iuſtitiæ, non ex odio, aut animi rancore, & commotione. Ratio eſt, quia id permittunt leges, & laudabilis actio videtur; vt decernitur *in l. vnica. C. de famoſ. libell.* vbi expreſsè dicitur, cuſtodiam gerere publicæ ſalutis illum, qui alium denuntiat, aut accuſat, & deducitur ex *cap. illud 23. quæſt. 4.* vbi habetur iudicem, Notarium, accuſatorem, executorem, & teſtes iuſtitiam exercere contra delinquentem: actus autem iuſtitiæ, actus virtutis eſt.

Opinio ſecunda.

Secunda id negat, primò, quia talis accuſator reputatur inimicus, & accuſatio actus odij, & inimicitiæ eſt, iuxta textum *in cap. ſi quis Epiſcopus 2. quæſt. 7.* vbi expreſsè dicitur, accuſationem eſſe genus illaudabilis intentionis, & textum *in cap. ſi omnia 6. quæſt. 1.* vbi probatur, accuſationem potius fieri ex cauſa odij, & inuidiæ, atque ex animi rancore, quàm ex charitate, & zelo boni publici. Probatur deinde ex ſacra pagina Leuitic. 19. *Non eris criminator, nec ſis ſuſurro in populis, non ſtabis contra ſanguinem proximi tui, non oderis fratrem tuum, non quaras vltionem, non memor eris iniuria ciuium tuorum.* vbi in illis verbis, *non ſtabis contra ſanguinem proximi tui*, & in illis, *non quaras vltionem*, accuſatio propriæ vindictæ in bonum publicum prohibetur, & in illis, *non quaras vltionem*, abſolutè omnis accuſatio prohibetur, tam ob vindictam communem; & zelo boni publici, quàm ob vindictam propriæ iniuriæ.

Opinio tertia.

Tertia diſtinguit, & ait non peccare accuſatorem, ſi accuſet de crimine publico zelo iuſtitiæ, propter bonum commune, imò iuſtè, & licitè facere. Si verò proſequatur ſuam, vel ſuorum iniuriam, ſiue zelo boni publici, & iuſtitiæ, ſiue zelo propriæ vindictæ, ordinariè peccare, quia rarò, aut nunquam id fieri poterit, ſine commotione animi, & odio perſonæ accuſatæ; hanc videtur tenere Ioannes Faber §. 1. *Inſtit. de publ. iud. col. finali.*

Prima tamen opinio eſt vera, nam abſolutè loquendo, ſiue quis accuſet proſequendo ſuam, vel ſuorum iniuriam, & ob vindictam propriam, ſiue ob bonum commune, præcisè illud intendendo, proſequendoque; ſi tamen ſine ira, odio, aut maleuolentia id facit, non peccat, quia id leges, & ſacri Canones permittunt, imò iubent; non debent autem leges, & ſacri Canones fouere peccata, cùm iuſti ſint; ſi verò odio, & maleuolentia id faciat, peccabit quidem; quia in foro conſcientiæ, tenetur quis remittere iniuriam, & rancorem animi, atque amarulentiam, & id ſolum prohibet ſacra pagina in authoritate citata *Leuitic. 19.* Non prohibet autem proſequi ſuam, vel ſuorum iniuriam via iudicialis, in iudicio forenſi, ſiue id fiat, intendendo ſolùm ob bonum commune, publicam vindictam, ſiue intendendo priuatam vindictam ob bonum particulare: ita communiter Doctores, & ex his reſponſum manat, ad fundamenta contrariarum opinionum, & confirmari poteſt veritas huius reſolutionis, quia accuſatio eſt ius quoddam competens parti pro exigenda vindicta, ſiue publica, ſiue priuata; vt probat Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 1. num. 30.* Cùm ergo ſit ius, iniuſtitiam continere non debet, nec peccatum, alioqui leges, & ſacri Canones peccata præciperent, quod abſit.

Notabis autem, nullibi ius naturale expreſsè iudicibus præcipere, vt ad vindictam non procedant ſine accuſatore in cauſis criminalibus; ius tamen Canonicum, & ciuile, id expreſsè iubere, quod conſentaneum, ac valdè conforme eſt ad ius naturale; patet ex *cap ſi legitimus*, *de accuſationibus.* ibi, *ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus*, & ex *l. illicitus*, *ff. de officio præſidis*, vnde non poteſt in criminalibus iudex quemquam iudicare, vel condemnare, niſi habeat accuſatorem; vt docet Diuus Thomas *2. 2. quæſt. 7. art. 3. in corpore.* Caietanus *ibi*, & alij Thomiſtæ, & Rodriquez *tract. de ordine iudiciario, cap. 5. num. 2.* conſtat ex Paulo ad Feſtum proconſulem, Actor. 25. *Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, qua ei obijciuntur.* Et exemplo Chriſti Domini, de muliere adultera, Ioann. 8. *Mulier, vbi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo, vade in pace, & iam ampliùs noli peccare.* Eſt communis doctrina, & ratio eſt euidens. nam iudex eſt ius dicens, & interpres iuſtitiæ inter duos litigantes, vnum accuſantem, & petentem, & alterum ſe defendentem, ideò enim ad eum partes, ſeu litigantes confugiunt, tanquam ad iuſtitiam animatam, vt ius iuſtitiæ eis dicat; ſed hoc fieri non poteſt, niſi quando vnus eſt actor, & alius reus: ergo in criminalibus cauſis, non poteſt iudex aliquem condemnare, niſi habeat accuſatorem, vel aliquem, qui vicem accuſatoris gerat; vt iuſtitiæ promotorem, ſeu fiſcalem. Neque obſtat, quòd humana iuſtitia diriuetur à iuſtitia diuina, & Deus peccatores iudicet, etiamſi nullus ſit accuſator, vt inde inferamus, poſſe iudicem in iudicio aliquem damnare, ſine accuſatore. Nam Deus in ſuo iudicio diuino vtitur conſcientia peccatoris, loco accuſatoris, iuxta illud Matthæi 5. 25. *Eſto conſentiens aduerſario tuo, citò dum es in via*, id eſt, conſcientiæ tuæ, quæ te accuſat coram Deo; vtitur etiam publica infamia, & euidentia facti, quæ locum accuſatoris habent; iuxta illud Geneſeos 4. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*; vnde gloſſa *ibi*; & Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 67. art. 3. ad 2. *Euidentia perpetrati ſceleris accuſatore non eget.*

3\. *Iudex an poſſit ad vindictam delicti procedere ſine accuſatore.*

D. Thom. Caietan. Rodriq.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poſſunt 4. iudices,

iudices, via inquiſitionis procedere contra reos abſque accuſatore, non via accuſationis; vt notant Doctores, Caietanus 2. 2. *quaſt.* 66. *artic.* 3. Rodriquez *in tract. de ordine iudiciario*, *cap.* 5. *num.* 3.

Caietan. Rodriq.

Primus eſt, ſi iudex ſimul, cum aliis vident crimen perpetrari.

Secundus eſt, quando ſunt publica iudicia criminis, publicaque infamia delicti, contra reum; tunc enim contra ipſum reum poſſunt iudices procedere via inquiſitionis, inquirendo de crimine, & non ſtatim puniendo; vt fecit Deus, cum Caimo *Geneſeos* 4. cuius fratricidium erat publicum, clamabat enim vox ſanguinis fratris ſui Abel de terra ad Deum pro vindicta, & publica punitione; & tamen Deus reſpondit, *Deſcendam & videbo*, id eſt, & inquiram, *an malitiam opere compleuerit:* in quo formam dedit iudicibus ad procedendum in iudiciis humanis ex publica notitia, & infamia ad inquiſitionem delicti, & non ſtatim ad punitionem, niſi delictum ſit tale, vt moram non patiatur eius publicum ſupplicium, & vindicta; v. c. ſi timeamus, & periculum ſit, quòd reus valde Reipublicæ pernicioſus euadat, aut propter ſupplicij dilationem magna in Republica ſcandala, & publicæ factiones impendeant.

Tertius eſt, cùm præcedit denunciatio iuridica ordinata ad vindictam publicam delictorum, vt fit in Tribunali ſanctæ Inquiſitionis, quæ denunciatio nihil aliud eſt, quàm declarare & manifeſtare illud delictum iudici, vt illud puniat. Differt autem hæc denunciatio ab accuſatione, quia ille, qui ita denuntiat, non tenetur probare delictum, accuſator verò tenetur.

Accuſatio & denunciatio differunt.

5. Notabis itaque in delictis grauioribus, in quibus non datur accuſator, qui velit illa in iudicio probare, promotorem iuſtitiæ, ſeu fiſcalem locum habere accuſatoris, qui ex officio non ſolùm tenetur accuſare delicta, contra Principem commiſſa, ſed etiam omnia alia delicta contra prauum exemplum Reipublicæ perpetrata, in quibus non datur accuſator, & huiuſmodi fiſcalis, ſeu iuſtitiæ promotor peccat grauiter, & mortaliter, ſi videt, & ſcit ſe non poſſe probare in iudicio crimen, de quo reum accuſat, veluti peccat quicumque alius accuſator; quod enim illicitum eſt alteri accuſatori, illicitum etiam eſt iuſtitiæ promotori, qui loco accuſatoris à Republica conſtitutus eſt ad accuſandum, vt probat Aragonius 2. 2. *quaſt.* 67. *art.* 3. *in fine*, & Rodriquez *de ordine iudiciario*, *cap.* 5. *num.* 3. *ad finem*, & hodie dici non poteſt, procedere iudices Eccleſiaſticos, vel ſæculares ſine accuſatore, cùm in vtroque foro detur promotor iuſtitiæ à Republica conſtitutus, ad accuſandos delinquentes, & ea de cauſa iudices excuſamus à multis, & grauiſſimis culpis, quas committere poterant iudicando, niſi fiſcales darentur ad accuſandum.

Promotor iuſtitia, ſeu fiſcalis ſubit vicem accuſatoris.

Aragon. Rodriq.

6. Ex his criminibus, & iudicio ſæculari, & Eccleſiaſtico gradus fieri poteſt ad crimina Religioſorum, & ad Tribunalia Prælatorum Religionum, ſed de his iam ſatis dictum ſuprà eſt, & imprimis benè animaduertunt Rodriquez, & Aragonius *modò citati*, debere eos eſſe ſcrupuloſiores, & cautiores in iudicando, quàm iudices Eccleſiaſticos, & ſæculares, cùm in illorum iudiciis non detur fiſcalis iuſtitiæ, qui locum accuſatoris habeat, & Religioſi potius denuntient: ſciendum itaque eſt, poſſe Prælatos Religionum, leues defectus, & delicta punire, ad maiorem Religionis perfectionem abſque accuſatore, idque ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ; quod habetur *in compendio priuileg. fratr. Minor. verſic. ſic correcti fratr. §. ſexto*, & ad id ordinantur capitula ſingulis hebdomadis, ſemel, aut bis in Religionibus acta, ad corrigendos ſcilicet leues defectus, qui culpam mortalem non attingunt ex ſola ſimplici denuntiatione vnius fratris, & teſtis, qui conſtitutus eſt, à ſuperiore ad huiuſmodi defectus notandos, & in capitulis denuntiandos.

In cauſis tamen grauioribus, quæ peccatum mortale attingunt, & ex quibus ſequitur infamia delinquentis, & quæ abſque prædicta infamia ipſius Religioſi delinquentis puniri intra Monaſteria non poſſunt, nequeunt abſque graui peccato Prælati Religionum procedere ad publicam intra Monaſteria punitionem ſine accuſatore, vt docet Aragonius 2. 2. *quaſt.* 67. *artic.* 7. & Rodriquez *de ordine iudiciario*, *cap.* 5. *num.* 2. *poſt principium*, & ait Aragonius *ibi*, nullum ex Prælatis doctioribus, & Deum timentibus contrarium agere; & verò ſi aliqui nimium zelatores contrarium agunt, ſunt ex illorum numero, inquit hic Doctor, qui abutuntur iuriſdictione ſua, vt maleuolentiæ ſuæ ſatisfaciant potius, & ignorantiæ, quàm bono communi propriæ Religionis, in quo Deum ſpernunt, & ius, & ideò non ſolùm mortaliter contra iuſtitiam peccant, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem famæ ſubditorum, quam illis iniuſtè abſtulerunt, & eo grauius contra iuſtitiam peccant, quo maiori potentia famam ſuorum ſubditorum lædunt; quare ſolùm tunc poſſunt, tanquam Patres ex huiuſmodi denuntiationibus, delinquentes ſecretò corrigere, abſque infamia illorum, vt diximus *cap.* 46. *num.* 14. 7.

Multæ autem perſonæ, accuſare delicta in Republica, in vtroque iure, ciuili, & Canonico prohibentur; de quibus agit gloſſa *in cap. ſi legitimus*, *de accuſat.* Et ideò in prædicto cap. dicitur, *ſi legitimus accuſator non fuerit*, *non fatigetur accuſatus*, vt per verbum illud, *legitimus*, excludantur perſonæ, quæ accuſare de iure non poſſunt: in primis enim criminoſus de iure Canonico alium accuſare non poteſt, *cap. qui ſine*, *& cap. poſtulatus* 3. *quaſt.* 7. qui enim alium accuſat, debet eſſe bonæ famæ non ſuſpectus per iura prædicta, ne qui trabem geſtat in oculo, feſtucam eiiciat de oculo fratris ſui, nec inimicus, nec infamis, vt probat textus *in cap. cùm oporteat*, *& in cap. meminimus*, *de accuſationibus*, & textus *in l. qui accuſare*, *ff. de accuſationibus*, & docet Bartolus *ibi*, & Antonius Gomez *tom.* 3. *variarum*, *cap.* 1. *num.* 31. nec mulier, nec miles, nec minor, iuxta prædictam legem. Perſonas itaque quæ accuſare in criminalibus de iure non poſſunt, omnes ſignificauit egregiè, & comprehendit gloſſa *in dicto cap. ſi legitimus*, *allegato*, his verſiculis. 8.

Quæ perſonæ de iure accuſare nequeũt.

Bartol. Ant. Gom.

Fœmina, pupillus, delatus, crimine tentus,
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortilegusque,
Infamis, ſeruus, pauper, cum milite, Princeps,
Libertus, ſocius ſocium, nec non inimici.
Clericus Eccleſiam, nullus deferre valebit.

Notabis verò omnes huiuſmodi perſonas prohibitas; poſſe accuſare proſequendo ſuam, vel ſuorum 9.

ſuorum iniuriam, ſolùm enim extra ſuæ, vel ſuorum iniuriæ proſecutionem ab accuſando repelluntur à iure; ita expreſsè textus *in l. hi tamen omnes, ff. de accuſationibus, & in l. de crimine, C. qui accuſare non poſſunt*, & inter ſuos connumeratur maritus, de cuius morte poterit vxor accuſare, quia eſt vna caro cum illa, & reputatur magis vna perſona coniuncta cum vxore, quàm aliæ conſanguineæ, vt dicitur *in cap. gaudemus, §. qui verò, de diuortijs*, & ideò ſi ex vna parte concurrat vxor mariti occiſi ad accuſandum occiſorem, & ex alia conſanguinei mariti, præferenda eſt vxor conſanguineis, quia in ea maior coniunctio, & affectio concurrit, cùm ſit vna caro maritus, & vxor, & ita docet Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 32.* poſt multos, quos allegat *ibidem.* Ratio verò à priori, ob quam huiuſmodi perſonæ in criminalibus extra proſecutionem ſuæ, ſuorumque iniuriæ prohibeantur accuſare à iure, multiplex eſſe poteſt; nam in primis iniuſtè Princeps accuſabit, cùm idem ſit iudex; iudex enim quatenus iudex, accuſator eſſe non poteſt; cæteræ verò perſonæ, vel ob infamiam, vel ob inimicitiam meritò repelluntur, cùm facilè falſum crimen poſſint imponere. Idem de milite, & de ſeruo, & de paupere, & de pecunia corrupto; pupillus, & fœminæ, maturum iudicium in criminalibus habere non poſſunt; ſocij criminis facilè totam culpam in ſocios conijcient, vt à ſe illam depellant; vincti ſimiliter, & delati, cùm ſint rei, vt reos liberent, faciles ſunt ad falſum iurandum. Quare meritiſſimò ius huiuſmodi perſonas repellit.

10. *Vſque ad quē gradum poſſit quis ſuorū iniuriam proſequi.*

Sed dubium inſigne eſſe poteſt in hac materia, vſque ad quem gradum poſſit quis ſuorum iniuriam proſequi accuſando? Quatuor opiniones inuenio in hac re.

Opinio prima.

Prima docet vſque ad ſeptimum gradum. Fundamentum illius eſt, quia in gloſſa *in l. fœmina, C. ad Turpillianum*, dicitur non poſſe cogi conſanguineos in cauſa criminali ad ferendum teſtimonium contra ſuos conſanguineos vſque ad ſeptimum gradum; ergo vſque ad iſtum gradum, ſolùm poteſt accuſator iniuriam ſuorum conſanguineorum proſequi: benè enim valet argumentatiò de vno caſu ad alium, cùm ratio argumentationis in ipſa conſanguinitate fundetur.

Opinio ſecunda.

Secunda opinio ait poſſe accuſatorem id facere vſque ad decimum gradum inter agnatos, hoc eſt, aſcendentes, & vſque ad ſeptimum inter cognatos, ſeu tranſuerſales. Ratio illius eſt, quia vſque ad hunc gradum poteſt quis alteri ſuccedere ab inteſtato.

Opinio tertia.

Tertia aſſerit, procedere hanc accuſationem vſque ad ſextum gradum tantùm. Fundamentum illius eſt, quia vſque ad hunc gradum, non poteſt conſanguineus inuictus ferre teſtimonium contra ſuum conſanguineum, in cauſis criminalibus, vt expreſsè deciditur *in l. 2. ff. de accuſator. & in l. 4. ff. de teſtibus, iuncto textu in l. iuriſconſultus, §. ſexto gradu, ff. de gradibus.*

Opinio quarta.

Quarta, & verior, affirmat, ſolùm poſſe accuſatorem proſequi ſuorum iniuriam vſque ad quartum gradum, hanc tenet Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 34. fine*, & patet ex *l. 2. tit. 1. partita 7.* & ex *l. 26. eodem tit. & partita*, & ex *l. petitionum, verſic. egredientem, C. de aduocatis diuerſ. iud.* vbi textus dicit, Aduocatum fiſci, licet non poſſit pro extraneis patrocinium præſtare, & aduocare contra fiſcum, poſſe tamen aduocare pro conſanguineis, vſque ad quartum gradum, & ratio nulla alia eſſe poteſt, niſi quia vſque ad hunc gradum poteſt quis proſequi ſuorum iniuriam in linea tranſuerſali. Ex his opinionibus tertia eſt iuri communi conformior; quarta, & vltima, eſt communior in praxi, & id patet etiam ex iure Luſitano *lib. 5. nouæ ordinationis, tit. 121. §. 9. verſic. porem*, & notandum eſt, quia ille, qui habet chartam ſecuritatis, aut eſt in vinculis propter mortem alicuius, licet de iure noſtro Luſitano non teneatur citare conſanguineos mortui vltra primum, aut ſecundum gradum, tamen conſanguinei intra quartum gradum eum poterunt accuſare, etiamſi per ſententiam ſit abſolutus, vt docet Melchior Phœbus *tom. 1. deciſionum, deciſ. 9. num. 7. concluſ. 3.* quia vnuſquiſque conſanguineus intra hunc gradum poteſt reum accuſare, cùm accuſatio vnius alterum non excludat, ex *dicta ordinatione, lib. 5. tit. 121. §. 9. dicto verſic. Porem*, & eſt etiam optimus textus *in l. 1. §. finali*, & *ibi gloſſa verb. conſumi, ff. de iniurijs*, & ſic iudicatum fuit in Senatu Regio Olyſipponenſi, vt refert Phœbus *allegatus dicta deciſione, & numero.* Accedit etiam pro iſta opinione illa ratio quod vſque ad quartum gradum datur impedimentum dirimens matrimonium inter conſanguineos; nec opus eſt extendere hanc accuſationem vſque ad ſextum, aut ſeptimum gradum, in quo quis poſſit alteri ſuccedere ab inteſtato, quia ſucceſſio eſt fauor, accuſatio eſt pœna, & in iis, quæ pertinent ad fauores, ampliatio admittitur, non verò in iis, quæ pœnalia ſunt, vt communiter Doctores animaduertunt.

De Clerico tamen inquires, quare reijciatur, & an abſque periculo irregularitatis poſſit accuſare laicum coram iudice ſæculari in criminalibus. Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 33.* abſolutè reſpondet, non poſſe Clericum licitè accuſare laicum de publico delicto ad vindictam publicam, ſiue imponenda ſit reo pœna ſanguinis, ſiue non ſit, iuxta textum *in cap. Sacerdotem 2. quæſt. 7.* Si verò proſequatur ſuam propriam iniuriam, vel Eccleſiæ, cum diſtinctione reſpondet, nam vel ex tali delicto imponenda eſt pœna ſanguinis; vel non eſt imponenda. Si non eſt imponenda, poteſt licitè, & ſine irregularitate reum in criminalibus accuſare, vt probat textus *in cap. cùm ſit generale, de foro competenti.* Si eſt imponenda, poterit accuſare laicum in criminalibus coram iudice ſæculari præmiſſa proteſtatione, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis iudex non procedat, & tunc proteſtatione non obſtante, poterit iudex, ordinariam, & competentem pœnam mortis, & ſanguinis imponere, & ipſe Clericus irregularitatem effugiet, iuxta textum *in cap. 2. de homicidio, lib. 5.* cuius ratio eſt, quia aliàs daretur materia delinquendi in Clericos, ſi ipſi ſuos malefactores accuſare non poſſent: ita enim textus habet. *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque, qui de laicis ſuis malefactoribus, querelam penes ſæcularem iudicem deponentes petunt emendam ſibi fieri, & prouideri, ne contra eos talia de*

11. *An Clericus accuſare poſſit illum qui ſibi fecit iniuriam.*

cætero præſumantur proteſtando expreſsè, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet, quamuis aliàs in tali caſu de iure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi iudex mortem illis inferat, iuſtitia exigente; alioqui ſi Clerici propter metum huiuſmodi, quia iudex ſæcularis ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona liberè deprædandi, ità textus. Vbi non ſufficit proteſtatio tacita, ſed requiritur expreſſa, vt notat gloſſa *ibi, verb. proteſtando expreſsè.* nam licèt taciti, & expreſſi eadem ſit vis, eademque poteſtas; tamen vbi ius expreſsè requirit expreſſum, reiicit tacitum, & ita tenet etiam Molina ſtatim allegandus, *num. ſuo* 6. Quare, inquit ibi gloſſa, cautè faciet Clericus, ſi de hac ſua proteſtatione ſcribi faciat publicam ſcripturam, ita ſe habet opinio Gomez *allegati*, & idem docet etiam Molina *tom. 4. de iuſtitia, tract. 3. diſp. 8. num. 3.* & Couarruuias *in Clementina ſi furioſus, part. 2. §. 5.* qui addit præmiſſa hac expreſſa proteſtatione non incurrere Clericos, & Prælatos irregularitatem, ſubſecuta poſtea morte, quamuis ipſi in initio accuſationis mortem malefactorum formaliter intendant: crederem tamen cum Molina *allegato, num. 4.* peccare illos tunc, ſi directè, ac expreſsè, & per ſe ſua querela mortem intendant, aut mutilationem, & irregularitatem non euadere; & ratio eſt, quia id indecens eſt ſtatui ipſorum; neque eſt id, quod in textu ipſius permittitur; non verò crederem eos peccare, ſi ſolùm intenderent, vt punirentur, non curantes quòd morte, aut mutilatione puniantur, ſi ea pœna digni ſint, nihil impediente, quòd præuideant veroſimiliter fore infligendam, hoc enim videtur eſſe, quod eis in textu permittitur.

Gomez. Molina. Couarr.

12\. *An poſſit ſuorum iniuriā proſequi facta proteſtatione.* Rogabis hîc, an non ſolùm ſuam, ſed ſuorum etiam iniuriam facta hac proteſtatione poſſint Clerici proſequi accuſando, vſque ad quartum gradum, eo modo, quo diximus *num. 10.* abſque irregularitate. Reſpondeo mihi videri non poſſe abſque prædicta irregularitate id facere; quod deduco ex illis verbis textus, *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque, qui de laicis ſuis malefactoribus penes ſæculares iudices querelam deponentes petunt*, &c. vbi verba illa, *de ſuis malefactoribus*, non videntur extendi ad malefactores ſuorum conſanguineorum; & id etiam colligitur ex ratione, quam reddit ipſe textus. *Alioqui ſi Clerici propter metum huiuſmodi, quia iudex ſæcularis ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona liberè deprædandi*, vbi verba illa, *daretur materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona liberè deprædandi*; explicant, qui ſint malefactores ſui, de quibus querelam intendere poſſint, & eſſe illos tantummodo, qui eos trucidant, vel mutilant, vel illorum bona dilapidant, non verò eos, qui occidunt, trucidant, mutilant, vel dilapidant bona parentum ſuorum, aut ſuorum conſanguineorum: quare cùm huiuſmodi conceſſio exorbitet à iure communi Canonico, in quo prohibentur Clerici ſe immiſcere cauſis ſanguinis, & ſit diſpenſatio ipſius iuris, & omnis diſpenſatio iuris, ſit mors illius, ſtrictiſſimè eſt interpretanda, iuxta omnes Doctores, & non eſt extendenda, & ita ſtrictè eſt interpretanda, vt ſaluentur tantùm verba diſpenſationis; quare cùm ea verba ſaluentur in accuſatione ſuorum malefactorum, & dilapidatorum, non ſunt amplianda ad malefactores, & dilapidatores ſuorum parentum, fratrum, aut conſanguineorum, vſque ad quartum gradum, & ita ſentit expreſsè Molina *tom. 4. de iuſtitia, tract. 3. diſput. 8. num. 8.* Molina vbi ita ait, *Si iniuria, vel damnum illata non eſſent Clerico, neque rebus ſuis, vt ſuo mancipio, vel famulo, ita vt iniuria in ipſum Clericum redundet, modo explicato* diſput. 2. *tunc eſto illata eſſent ſuo conſanguineo, peccaret ſe ita immiſcendo cauſa ſanguinis, irregularitatémque incurreret, ſubſecuta morte, aut mutilatione, nihil impediente, quod proteſtationem præmitteret. Ratio autem eſt, quia* in prædicto capite 1. citato, *ſolùm permittitur conqueri de malefactoribus ſuis, non verò de ijs, qui alijs damnum intulerunt. Poſſunt nihilominus accuſare eos, qui damnum Eccleſiis ipſorum intulerunt, vt colligitur ex* cap. cùm generale, de foro competenti, *& docet Antonius Gomez* tom. 3. variar. Gomez. reſolut. cap. 1. num. 33. *& Doctores communiter.* Hæc Molina.

13\. Neque obſtat primò, quòd parentes, & fratres, magis coniuncti ſint Clericis, quàm mancipia, & quàm famuli, vt dicamus, ſi Clerici facta ea proteſtatione, poſſunt abſque irregularitate, ſi mors ex accuſatione ſequatur, accuſare, & proſequi iniuriam illorum; à fortiori etiam poſſe accuſare præmiſſa eadem proteſtatione iniuriam fratrum, & parentum ſuorum. Nam mancipia pertinent ad bona Clericorum, & cum bonis externis computantur; ſunt enim re vera bona, & pecuniæ illorum, & in prædicto textu, conceditur expreſsè facultas Clericis ad eos accuſandos, qui bona ſua dilapidant. Et quamuis Molina modò citatus mancipiis addat famulos, dicendo, *Rebus Clerici vt ſuo mancipio, vel famulo*; tamen, vt credo, famulum addidit inaduertenter. nam *dicto tomo 4. de iuſtitia, tract. 3. diſput. 2. num. 6. verſic. ſi famulo libero*, expreſsè aſſerit, ſi famulo libero iniuria fiat, non concedi actionem domino, ſed ſolùm ipſi famulo iniuriam paſſo, quia liber eſt, & non pertinet ad bona domini, neque vendi à domino poteſt.

Non obſtat ſecundò, quòd Molina addat hæc verba, dicta diſput. 2. & dicto §. famulo libero. *Excipitur niſi in contumeliam, ſeu iniuriam domini eſſet ea iniuria famulo illata, nam tunc vtrique tam famulo, quàm domino actio* (hoc eſt, accuſatio) *concederetur, quatenus id in iniuriam domini eſſet factum, vt habetur* §. ſed libero, Inſtitut. de iniuriis, l. item apud Labeonem, in fine, ff. eod. tit. & l. 10. tit. 9. part. 7. nam *ibi* loquitur de dominis ſæcularibus, quibus licitum eſt iure ſæculari, & ciuili iniuriam ſuam, & ſuorum famulorum, quatenus iniuria famulorum in ſuam propriam iniuriam cedit, vſque ad pœnam ſanguinis, & mortis accuſare. At Clericis id iure Canonico prohibetur, & ſolùm eis conceditur hæc accuſatio erga ſuos malefactores, & bonorum dilapidatores, præmiſſa prædicta proteſtatione, & non erga malefactores parentum, aut fratrum, aut famulorum ſuorum, vt dictum manet.

14\. *An poſſit eſſe teſtis in cauſa ſanguinis, aut denunciator.* Notabis verò, quamuis permiſſum, ac conceſſum Clericis ſit conqueri in criminalibus coram iudicibus ſæcularibus modo explicato, non

tamen

tamen eis conceſſum eſſe aliter ſe immiſcere cauſæ ſanguinis, ſeu mortis, aut mutilationis; quare ſi ſe immiſceant teſtificando, aut denuntiando, quamuis prædictam proteſtationem præmittant, peccabunt, ſubſecutaque morte, aut mutilatione irregularitatem incurrant, & hæc eſt communis Doctorum ſententia; quam tenet Couarruuias *in Clementina ſi furioſus, part. 2. §. 5. ad finem, num. 5.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 19. num. 32.* & Molina *tom. 4. de iuſtitia, tract. 3. diſp. 8. num. 6. verſ. quartum eſt.* Non eſt autem immiſcere ſe cauſæ ſanguinis, quando aliquis Clericus coram iudice Eccleſiaſtico teſtificatur, denuntiat, vel accuſat de crimine, cuius cognitio ad forum Eccleſiaſticum ſpectat, & ratio eſt, quia iudex Eccleſiaſticus procedere non poteſt ad pœnam ſanguinis, vnde in eo tribunali neceſſaria non eſt proteſtatio, quamuis crimen tale ſit, de quo omnino credendum ſit iudicem Eccleſiaſticum traditurum eſſe reum brachio ſæculari, illumque foro omnino interficiendum ob tale crimen; quare teſtificando, accuſando, aut denuntiando in Tribunali ſanctæ Inquiſitionis, neceſſaria non eſt talis proteſtatio, quia tribunal eſt Eccleſiaſticum, & Domini Inquiſitores ad pœnam ſanguinis procedere non poſſunt, ſed ſolùm ad damnandum reum de crimine hæreſis, & declarandum incurriſſe pœnas iure ſtatutas, ita docet Molina citatus *num. 9.* Vnde priuilegium illud à Paulo IV. *die 29. Aprilis anni* 1557. conceſſum, vt qui interſunt Tribunali ſanctæ Inquiſitionis, immunes ſint irregularitate ea de cauſa incurrenda, quod refert Maiolus *de irregularitate, lib. 2. cap. 9. num. 8.* & Molina citatus *dicto num. 7.* ſolùm impetratum fuit ad pacandas conſcientias, & tollendos ſcrupulos, non quaſi eſſet neceſſarium, vt egregiè notarunt Molina, & Maiolus *allegati.*

Couarr. *Sayr.* *Molina.*

15. *Notandum de Clerico.* Notari etiam velim quando Clerici (& idem de perſonis etiam laicis) tenentur iure naturali denuntiare poteſtatibus publicis crimina aliqua, vt impediantur damna Reipublicæ, aut proximorum, etiamſi ex tali denuntiatione mors ſequatur, aut mutilatio, non peccare, neque incurrere irregularitatem, neque in tali denuntiatione vlla egere proteſtatione, vt irregularitatem euadat, ita docet Molina *tom. 4. de iuſtitia, tract. 3. diſp. 8. num. 9. & tom. 3. tract. 2. diſp. 109. concluſ. 8.* latè notari etiam velim nunquam eſſe licitum Clericis teſtificari coram iudicibus ſæcularibus, niſi de licentia Epiſcopi, ſed de his alibi diximus.

16. *Actio, & ius accuſationis morte rei delinquentis regulariter loquēdo extinguitur.* Regulariter autem loquendo, actio, & ius accuſationis extinguitur per mortem delinquentis, ſicut enim morte illius extinguitur delictum, quoad pœnam temporalem, & confiſcationis bonorum, ſiue delictum ſit publicum, ſiue priuatum, ita extinguitur actio, & ius accuſationis, ita docent communiter Doctores, Angelus, & Imola, & Bartolus *in l. defuncto, ff. de publ. iud.* & patet ex his verbis prædictæ legis, *Defuncto eo, qui reus fuit criminis, eſt pœna extincta*, docet etiam Antonius Gomez *tom. 3. cap. 1. num. 78.* conducit lex *in ſenatus, §. ſi propter, ff. ad Turpillianum.*

17. *quando non.* Dixi, *regulariter loquendo*, quia ſunt aliqua delicta, quæ non extinguuntur morte, ſed poſt mortem poſſunt puniri vt delictum hæreſis; habetur enim id in practica; nam poſt mortem hæretici imponitur pœna concremationis cadaueri. Et idem eſt in delicto læſæ maieſtatis, & in delicto ſodomiæ; imò, & quando ſe occidit, imponi poteſt pœna cadaueri, vt trahatur publicè per vias publicas, & poſtea ſuſpendatur; ita loquens de tribus prioribus caſibus, hæreſis ſcilicet, læſæ maieſtatis, & ſodomiæ, docet Antonius Gomez *dicto tom. 3. variarum, cap. 1. num. 79. ad finem*; loquens verò de vltimo caſu illius, qui ſe ipſum occidit: ita docet Paris de Puteo *in tract. ſyndicatus*, & ante illos docuit Baldus *in l. 2. C. qui teſtamenta facere poſſunt.* Similiter quoad confiſcationem bonorum ſunt aliqua crimina, quæ poſt mortem durant, & ideò etiamſi delinquentes emoriantur, probato tamen poſtea illorum crimine, bona illorum confiſcari poſſunt, & tale in primis eſt crimen hæreſis, patet ex textu *in l. 4. C. de hæreticis, & in l. Apoſtatam, C. de Apoſtatis, & in cap. cauſitus, § in eo verò caſu, de hæreticis, lib. 6.* & idem diſponit *lex* Caſtellæ 7. *tit. 1. part. 7. & lex 9. tit. 20. lib. 4.* & docet Antonius Gomez *tom. 3. variar. cap. 1. num. 80.*

Secundò tale eſt crimen læſæ maieſtatis humanæ, vt eſt textus *in l. ex iudicior. verſ. 1. ff. de accuſat. & in l. Pantomimus, §. rei perduellionis, ff. de acquir. hæred. & in l. donationes in concubinam, §. finali, ff. de donat.* durat enim hoc crimen læſæ maieſtatis, etiam poſt mortem, & poſt, & poteſt reus mortuus accuſari, damnari, & bona illius publicari poſſunt, poſt illius mortem, & contra memoriam illius formandus eſt proceſſus, & hæredes illius publicis edictis citandi ſunt, & vocandi, pro conſeruando delinquentis honore, quia agitur de præiudicio illorum; ita per multos, & multa iura, probat Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 12.* & idem dicendum eſt in omnibus criminibus, in quibus rei poſt mortem poſſunt accuſari, & illorum bona publicari, ſemper enim hæc citatio illorum hæredum publicis edictis facienda eſt, propter eandem rationem, quia ſcilicet de præiudicio illorum agitur.

Tertiò tale eſt crimen repetundarum, quando ſcilicet iudex, durante officio iniuſtè aliquid accepit à litigantibus, vel a ſubditis, poſt mortem enim iudicis, probato hoc delicto bona illius confiſcantur in pœnam, vt habetur *in dicta l. ex iudiciorum, ff. de accuſationibus*, & ibi Gloſſa ordinaria, & communis DD. *& in l. 1. ff. ad leg. Iul. repet.*

Quartò tale crimen peculatus, quando ſcilicet quis rem ſacram, vel publicam furto abſtulit, & ſubtraxit, huiuſmodi enim etiam delictum durat poſt mortem quoad pœnam publicationis bonorum, vt docet Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 1. num. 80.* & patet ex *l. finali, ff. ad legem Iul. peculatus.*

Quintò, tale denique crimen, occiſionis ſui ipſius, quando reus delinquens conſcientia criminis ſe ipſum interficit poſtquam eſt accuſatus, vel inquiſitus de crimine, vel in eo deprehenſus, ſi enim delictum, de quo accuſatus, vel inquiſitus fuit, aut in quo fuit deprehenſus, dignum erat publicatione bonorum, confiſcantur illius bona poſt mortem, perfectè probato eodem delicto; quia tunc ſi ſe ob cauſam interficit, habetur pro confeſſo, & condemnato, poſſunt tamen hæredes probare contrarium, quòd ſcilicet nec ſe pro ea cauſa occiderit, nec cri-

men commiſerit. Ita Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num.* 80. & eſt textus *in l. finali, ff. de bon. eorum, qui ante ſen. mort. ſibi conſc.* & *ibi* Gloſſa ordinaria, & Doctores. Denique, generaliter loquendo, quando ob aliquod delictum imponitur in iure pœna amiſſionis bonorum ipſo iure, vel facto, tali enim caſu durat delictum poſt mortem, quoad bonorum publicationem; & ideò ſi probentur prædicta delicta fuiſſe in vita delinquentium commiſſa, eorum bona poſt mortem publicantur, ita docet Decius *in l. pupillum, §. in hæredes, ff. de regulis iuris, fallentia* 2. Tiraquellus *in repetitione legis vnquam, C. de reuoc. donat. num.* 241. Platea *in l. finali, C. de iure fiſci, lib.* 10. *col.* 2. Abbas *in cap. delicti, de arbitr. col.* 3. *& in cap. finali, de donat. col.* 2. Ioannes de Ananias *in cap. vergentis, de hæret. col.* 2. Baldus *in l. vna, C. ex delictis defunctorum, col.* 2. Salicetus *in l.* 1. *C. ſi reus, vel accuſator mortuus fuerit, col.* 1. & probat textus *in l. Caius, ff. ad Syllanian. & ex l. ex iud. verſ. adeò, ff. de accuſat. & in Auth. de inceſtis nupt.*

Decius. Tiraq. Platea. Abbas. Anan. Baldus. Salicet.

18. *Intra quantũ tempus proponenda ſit hæc accuſatio cõtra mortuos.*

In omnibus autem caſibus (excepto caſu hæreſis,) in quibus reus poteſt accuſari poſt mortem, & probato delicto memoria illius damnari, & bona confiſcari intra quinquennium poſt prædictam illius mortem debet proponi contra illum actio, & accuſatio, nam tranſacto quinquennio non poteſt ampliùs accuſari, nec contra ipſum, nec contra illius hæredes procedi, vel alios tertios bonorum poſſeſſores; ita probat textus *in l. 2. C. de Apoſtatis, & in l. 2. C. de vectig. & com.* vbi dicitur in bonis fiſco delatis propter vectigal non ſolutum præſcribi contra fiſcum ſpatio quinquennij, quem textum *ibi* commendant Gloſſa ordinaria, Bartol. & alij DD. *in l. commiſſa, ff. de publ. & vectigal.* docet Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 1. num.* 81.

19. *An caſus hæreſis excipiatur ab hoc præſcriptionis termino.*

Dixi, *excepto caſu hæreſis*, quia *in cap. 2. de præſcript. lib. 6.* diſponitur in crimine hæreſis, intra quadraginta annos, poſſe procedi contra hæreticum poſt mortem illius, & in eo textu imponitur pœna publicationis bonorum, quæ nocet hæredibus, & aliis quibuſcumque poſſeſſoribus; & quamuis Panormitanus *in cap. cùm nobis, de præſcript. col. 3. num.* 8. aſſerat deciſionem text. *l. 2. C. de Apoſtatis*, & ſuperiorem ſententiam, quæ docet præſcribi actionem, & accuſationem, contra mortuos delinquentes ſpatio quinquennij, procedere etiam in hæreticis, quando bona illorum applicantur fiſco ſæculari; ſecus verò eſſe quando applicantur fiſco Eccleſiæ; quia tunc ſuccedit diſpoſitio prædicti *cap. 2. de præſcript. lib. 6.* & non niſi ſpatio quadraginta annorum poſt mortem delinquentium hæreticorum præſcribi; quamuis etiam Bartolus *in prædicta l. 2. C. de Apoſtatis*, aſſerat omnia iura ciuilia, & Canonica, quæ dicunt in crimine hæreſis, læſæ maieſtatis, & alio quocumque grauiſſimo, poſſe procedi contra delinquentem poſt mortem illius, debere intelligi intra ſpatium quinquennij; & idipſum per illum textum teneat Gloſſa ordinaria *in l. Manichæos, C. de hæreticis*, & Angelus de Aretinis *in §. interdum, Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſtato defer.* tamen Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num.* 81. pro firma veritate ſtatuit in crimine hæreſis, non finiri actionem contra hæreticum poſt mortem illius, niſi ſpatio quadraginta annorum, ſiue bona hæreticorum applicentur fiſco Eccleſiæ, ſiue ſæculari; & ratio illius eſt, quia crimen hæreſis, eſt merè Eccleſiaſticum, & in eo proceditur ſecundùm diſpoſitionem iuris Canonici, per quod inducitur iſta quadragenaria præſcriptio *in dicto cap. 2. de præſcript. lib. 6.* Ego Antonij opinioni conſentio, quia vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ius autem Canonicum introducens hanc præſcriptionem contra mortuum hæreticum, aſſerit præſcribi ſpatio quadraginta annorum, & non diſtinguit quando eius bona applicantur fiſco Eccleſiæ, nec quando applicantur fiſco ſæculari; quare ſiue illa applicentur huic, ſiue illi fiſco, non niſi ſpatio quadraginta annorum contra mortuum hæreticum præſcribitur, vt dicebat idem Antonius Gomez.

Panormit. Gloſſa. Angelus. Ant. Gom.

SVMMARIVM.

Si reus poſt ſententiam criminis latam definitiuam diſcedat è vita, tranſacto quinquennio poſſunt bona, in quibus fuit damnatus ab hæredibus illius auferri, hæc enim actio non præſcribit, n. 20.

An hæc pœna amiſſionis bonorum tranſeat ad hæredes delinquentis, quando ſolummodo venit in conſequentiam pœnæ mortis, aut mutilationis, refertur prima ſententia affirmans. n. 21.

Præfertur ſententia dicens ſemper tranſire ad hæredes ſiue veniat, ſiue non veniat in talem conſequentiam. n. 22.

Quid ſi à ſententia diffinitiua appellatum ſit. n. 20. *&* 21.

Si delictum ſolùm mereatur pœnam pecuniariam, extinguitur morte delinquentis, ſi reus delinquens moriatur ante accuſationem, & quid ſi propoſita iam accuſatione, & ante, vel poſt litis conteſtationem. n. 23.

An actio iniuriæ, quam aliquis habebat contra alium, extinguatur cum illo, & an ad illius hæredes tranſeat. n. 24.

Defuncto accuſatore, qui publicum, vel priuatum delictum, ob publicam vindictam accuſabat, an poſſit alius eam accuſationem proſequi. n. 25.

Quis ſit legitimus iudex delicti, an iudex originis, & domicilij delinquentis, an iudex loci, in quo delictum commiſſum eſt, à num. 26. *vſque ad* 28.

An quando plures ſocij committunt idem delictum, omnes teneantur ad pœnam illius, & an ſententia abſolutoria vnius proſit alteri, v. c. an ſententia abſolutoria adulteri proſit adulteræ. num. 29. *&* 30.

In delictis quæ natura ſua requirunt ſocium, vt adulterium, ſodomia, ſtuprum, inceſtus, ſententia abſolutoria vnius prodeſt alteri. n. 31.

Quid ſi ex natura ſua complicem non requirunt, vt furtum, homicidium, &c. n. 29.

Licèt verò, regulariter loquendo, delictum extinguatur morte delinquentis, & quoad pœnam punitionis, & quoad pœnam confiſcationis bonorum, vt diximus ſuprà *num.* 16. exceptis caſibus *num.* 17. *&* 18. relatis, tamen id debet intelligi, quando reus delinquens ante ſententiam definitiuam criminis latam diſcedit, etiamſi lis, & accuſatio contra eum fuerit conteſtata. Secus ſi diſcedat è vita poſt ſententiam definitiuam, quia tunc cùm lis tranſeat in rem iudicatam, pœna confiſcationis bonorum ad hæredes 20. *Quid ſi reus poſt latam ſententiam criminis è vita diſcedat.*

redes rei delinquentis tranſit, qua de re eſt textus *in l. ex iudic. ff. de accuſat.* & *ibi* Bartolus, Albericus, & communis DD. Et idem eſt, ſi reus delinquens crimen ſolemniter in iudicio fuit confeſſus, vel erat contra eum iam facta legitima probatio, quia iſti caſus æquiparantur diffinitiuæ ſententiæ, vt docet Baldus *in l. vnica, C. ex delictis defunctorum, col. 2. num. 3.* ſed iſta ſententia Baldi non placet Antonio Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 82.* nec mihi placet, imò improbabilis mihi omnino videtur,

Primò, quia eſt pœna, & pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potiùs reſtringendæ; vt in omni materia pœnali omnes fatentur DD.

Secundò, quia dato, & non conceſſo, quòd huiuſmodi duo caſus æquiparentur ſententiæ diffinitiuæ, id non debet intelligi de ſententia exiſtenti intra tempus datum ad appellandum, hæc enim non tranſit in rem iudicatam; ſed de ſententia vltima, & definitiua, quæ in rem iudicatam tranſit; vnde ſi reus etiam mortuus fuit poſt ſententiam diffinitiuam, ſi ab ea fuit appellatum, vel mortuus fuit intra tempus datum ad appellandum, extinguitur delictum morte delinquentis quoad prædictam confiſcationem bonorum, & tunc huiuſmodi pœna non tranſit ad hæredes, & ratio eſt concludens, quia ſententia, & pœna confiſcationis, in ea contenta, non habet effectum conſummatum, quando ab ea fuit appellatum, vel poteſt appellari, & ita docet Antonius Gomez *allegatus*, & gloſſa ſingularis, & vnica *in l. ex iudicior. ff. de accuſationibus*, & multi, quos ad hoc allegat Antonius Gomez *citatus*, imò tunc reducitur lis, & cauſa principalis, ad priorem ſtatum, in quo erat ante litem conteſtatam; iuxta textum *in l. ita demum, C. de Procurator.*

21. Sunt etiam aliqui qui dicunt, debere etiam doctrinam præiactam intelligi, quando pœna confiſcationis bonorum venit in conſequentiam delicti, non verò quando principaliter directè, & per ſe, in ſententia fuit appoſita pœna amiſſionis bonorum, & in conſequentiam pœna aliqua corporalis fuit inducta, quia quando ſententia directè tendit ad pœnam amiſſionis bonorum, licèt à ſententia ſit appellatum, vel duret tempus datum ad appellandum, indiſtinctè tranſit hæc pœna ad hæredes delinquentis poſt mortem illius, non verò quando venit in conſequentiam alicuius pœnæ corporalis, ita docet Antonius Gomez *tom. 3. cap. 1. num. 83.* & id probat ex textu *in l. 3. C. ſi pend. appellat. mors interueniat*, & *ibi* Cynus, Bartolus, Baldus, Salicetus, & alij, & ratio huius rei eſt, quia quando principaliter, & per ſe imponitur pœna confiſcationis bonorum, videntur duæ ſententiæ, vna pœnæ amiſſionis bonorum, altera condemnationis delicti: & ideò prima, & principalis ſententia amiſſionis bonorum, etiamſi ab ea appellatum ſit, vel duret tempus ad appellandum, ſtatim tranſit in rem iudicatam; altera verò condemnationis delicti non tranſit; non ita tamen quando ſententia amiſſionis bonorum eſt acceſſoria, & accidit in conſequentiam delicti, quia tunc extincto ipſo delicto per mortem delinquentis, de quo principaliter agitur, extinguitur pœna bonorum, & reputatur vnica tantùm ſententia.

An, & quando pœna amiſſionis bonorum tranſeat ad hæredes.

Cynus. Bartol. Bald. Salicetus.

22. Verùm hæc ſententia, non mihi placet.

Primò, quia textus abſolutè dicunt, pendente appellatione ſententiæ cauſam, ad priorem ſtatum, in quo erat ante ſententiam, reduci; vt conſtat ex *l. ita demum, C. de procurat.* & ex *cap. ſolùm, de appellat. lib. 6.* vbi abſolutè diſponitur, quòd attentata poſt appellationem ſententiæ, vel in tempore ad appellandum reuocantur per iudicem appellationis, & non diſtinguunt inter ſententiam tendentem primariò ad amiſſionem bonorum, an ad punitionem delicti, & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Secundò, quia ordinariè, & regulariter loquendo, pœna amiſſionis bonorum ſemper venit in conſequentiam punitionis corporis, mortis, ſcilicet, vel mutilationis: excepto crimine hæreſis, de quo aliud ſpecialiter deciſum eſt in iure Canonico.

Tertiò, quia alioqui daretur magna confuſio, & ſemper iudices moleſtiam paterentur importunatione partium, & hæredum delinquentium defunctorum, vt declarent, an illorum ſententiæ tendant principaliter ad punitionem amiſſionis bonorum; an ad punitionem corporalem, & tenerentur illi hoc in ſuis ſententiis declarare, quando illas proferunt ad tollendam hanc ambiguitatem, quod non ita fit, nec fingi poteſt dari ibi duas ſententias, vt prima opinio fingit; quare ſine dubio hoc mihi videtur probabilius. Nec *lex 3. C. ſi pendente appellatione*, quam Antonius Gomez pro ſe affert, ei multum fauet, loquitur enim ipſa lex de caſu, in quo reus punitur præcisè in amiſſione bonorum, non verò de caſu, in quo primariò punitur in amiſſione bonorum, & ſecundariò in exilio, aut pœna alia corporali, de quo procedebat quæſtio; ita enim ait lex ibi, *An verò non ex damnatione capitis, ſed ſpeciali præſidis ſententia, bona auferantur; tunc enim ſubducto reo*, id eſt, mortuo reo, *ſola capitis cauſa perimitur*, hoc eſt, extinguitur, *bonorum remanente quæſtione.*

Si tamen delictum ita leue eſt, vt propter illud nullo modo imponenda ſit pœna corporalis mortis, vel mutilationis, ſed pœna aliqua ciuilis pecuniaria, vt in delicto iniuriæ, furti, vel alicuius ſimilis, tunc quidem ſi reus delinquens emoriatur, ante accuſationem in iudicio propoſitam, vel ea propoſita, ante litem conteſtatam, extinguitur delictum; ſi verò moriatur pendente, ac propoſita accuſatione, & lite iam conteſtata, illa pœna pecuniaria tranſit in hæredes delinquentis rei, & à fortiori tranſibit poſt latam ſententiam, vt docet Antonius Gomez *tom. 3. variarum, cap. 1. num. 83.* quod probat ex *l. ex iudicior. verſic. 51. ff. de accuſationibus*, & ex textu *in l. vna, C. ex delictis defunctorum*, quod idem diſponitur *in l. 25. tit. 1. partita 7.* vnde infert, ſi quis ſtuprauit virginem, & diſcedat ante litem motam, & conteſtatam, non poterit virgo corrupta contra hæredes defloratoris ſui agere pro damno, & intereſſe, vel pro dote; quod verum eſt, & procedit de iure ciuili: at de iure Canonico, inquit Antonius Gomez, & eius æquitate benè poterit petere, & tenetur hæres ſatisfacere virgini corruptæ damnum ſuæ virginitatis, & ita in hoc caſu tenet etiam Collectarius *in cap. 1. de adulterijs, col. 2. num. 2.* 23.

Quid ſi delictum mereatur tantummodo pœnam pecuniariam.

Sed quid, ſi moriatur accuſator, vel iniuriam paſſus? actio & accuſatio, quam ille habebat, aduersùs illum, qui ſibi intulit iniuriam, tranſit ad 24.

An actio iniuriæ extinguatur cum iniuriante.

ad hæredes illius? Reſpondeo, vel actio, & accuſatio, aduersùs iniuriam ſibi inferentem ei competebat ratione rei familiaris, damni, & intereſſe, quod prætendebat, & ſibi defecit, vt in delicto furti, vel ei competebat ad ſolam ſimplicem, & meram vindictam, vt in delicto meræ iniuriæ præciſè à damno. Si primo modo, indiſtinctè talis actio, & accuſatio tranſit ad hæredes accuſatoris, ſiue delinquens moriatur ante accuſationem intentatam, & litem conteſtatam, ſiue poſt illam. Si ſecundo modo, non tranſit, quia defuncto accuſatore, qui iniuriam paſſus fuit, non tranſit actio accuſatoria illius ad eius hæredes, niſi viuente illo, aut ante mortem illius lis fuerit con-

Ant.Gom. teſtata, ita docet Antonius Gomez *tom 3. variar. cap.* 1. *num.* 84. per multos, & multa iura, quæ allegat, & patet ex *l.* 1. §. *hæredem, ff. de priuatis delict.*

25. Defuncto etiam accuſatore, qui publicum, vel priuatum delictum ob vindictam publicam accuſabat, quilibet alius poteſt accuſare, & proſequi accuſationem, & eam aſſumere in eodem ſtatu, intra triginta dies; iis verò tranſactis, non poterit eam aſſumere, ſed poterit accuſare de nouo, iuxta textum *in l. libellorum, §. finali, ff. de accuſat.* & docet Antonius Gomez *d. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 86. *initio.*

26. *Iudex legitimus delicti quis.* Sed quid, ſi reus delictum commiſit Eboræ, furtum, v. c. aut homicidium, & captus fuit in loco originis, in quo habebat fixum domicilium, v. c. Conimbricæ, tenetur ne iudex domicilij loci, remittere illum ad iudicem loci vbi delictum commiſit per literas requiſitorias? Reſpondeo in hac re triplicem dari opinionem.

Opinio prima. Prima aſſerit, poſſe iudicem originis, & domicilij, acceptis litteris requiſitoriis illum remittere ad iudicem loci, vbi delictum commiſit ex vrbanitate, non ex obligatione, & neceſſitate, hanc tenet gloſſa ordin. *in l. ſi cui, §. finali, ff. de accuſationib.* Fundamentum huius opinionis eſſe poteſt, quia par in parem non habet imperium; vt dicitur *in l. non magiſtratus, ff. de arbitris*; quare cùm vterque iudex, reſpectu huiuſmodi delinquentis parem iuriſdictionem habeat, alter ratione loci, in quo commiſſum eſt crimen, alter ratione loci domicilij, & originis, ſequitur vt neuter in neutrum imperium habeat, & vt reus poſſit puniri ab illo iudice, à quo primò captus fuit. Secundò, quia ratione capturæ, & comprehenſionis præuenta fuit iuriſdictio à iudice originis. & domicilij.

27. *Opinio ſecunda.* Secunda docet, ſi iudex domicilij, vel originis cœpit iam cognoſcere de delicto, & cauſam præparauit, non teneri illum remittere ad iudicem loci, vbi delictum commiſit; teneri verò ſi non-

Anchar. dum cauſam præparauit: ita docet Ancharranus *in repetitione textus, in cap. poſtulaſti, de foro compet. oppoſit.* 2. *num* 4.

Alexand. Alexander *in l. Diuo Pio, §. ſententiam Romæ, col.* 1. *ff. de iudic.* Ratio eſſe poteſt, quia poſt præparationem cauſæ, præuenta eſt iuriſdictio, & vbi cœptum eſt iudicium, ibi debet finiri, *l. vbi acceptum, & l. ſi quis poſtea, ff. de iudicijs.*

28. *Opinio tertia.* Tertia opinio docet teneri iudicem loci domicilij, & originis delinquentis, qui priùs illum comprehendit, ſi fuerit requiſitus, mittere vinctum delinquentem ad iudicem loci, vbi delictum commiſit; & ſolùm ex vrbanitate illum poſſe ad eum mittere, antequam per litteras requiſitorias reus ab illo petatur, at poſtquam ab eo petitur, non iam ex vrbanitate, ſed ex neceſſitate teneri, ita

Ant.Gom. docet Antonius Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 1. *num.* 87.

Gloſſ. Imola. Gloſſ. Abbas. Bald. Gloſſa ordin. *in Clementina Paſtoralis, de re iudicata.* Imola *in l. penultima, ff. de pub. iud. col.* 2. gloſſa *in cap. finali, de foro competenti*, & idem ibi tenet Abbas *col.* 3. *num.* 15. Baldus *in l. penult. C. de execut. rei iudic. col.* 9. *num.* 29. imò

Bartol. addit Bartol. *in l. ſi cui, § ſi quis comprehenſorum. ff. de accuſationibus*, teneri iudicem originis, & domicilij delinquentem remittere ad iudicem loci delicti, quando illum per litteras requiſitorias petit, quin ſibi conſtet delictum eſſe commiſſum in iuriſdictione petentis remiſſionem, & etiam nulla præcedenti cauſæ cognitione, ex parte iudicis loci delicti commiſſi. Quod idem docet Salicetus *in Authentica ſi verò crim. C. de adult. col.* 2. *num.* 5. & ratio eſſe poteſt, quia ſolùm per illam iuridicam requiſitionem ſuppoſita commiſſione delicti in tali loco, cenſetur præuenta iuriſdictio, à iudice requirente. Ex his opinionibus, ſecunda mihi videtur probabilior, propter illius fundamentum, ex quo optimè primæ, tertiæque opinionis fundamenta ſoluuntur.

29. *Quãdo plures ſocij committant idem delictũ, quid.* Dubium autem præcipuum in hac materia eſt, an quando plures complices committunt idem delictum, omnes teneantur ad pœnam illius, & an ſententia abſolutoria vnius, & condemnatoria proſit, vel noceat aliis. Cui breuiter, & reſolutiuè reſpondeo; in criminibus, quæ complicem ex natura ſua non requirunt, vt furtum, homicidium, teſtimonium falſum, &c. omnes, & ſinguli per ſe tenentur ad pœnam, & ſententia abſolutoria, vel condemnatoria lata contra vnum ſocium, non prodeſt, nec nocet aliis; nec pœna etiam pecuniaria, vel corporalis, ſoluta ab vno liberat alios; ita Antonius Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 1. *num.* 88. *concluſ.* 1. & patet ex *l. finali, ff. de iuriſdictione omnium iudicum*, & ex *l. item Mela*, §. 1. *ff. ad legem Aquil.* Et ratio eſt, quia vnuſquiſque per ſe ſolùm cenſetur primò, & principaliter commiſiſſe delictum; quare vnuſquiſque ad pœnam illius per ſe tenetur, cùm à qualibet perſona cenſeatur propriè, & ſingulariter commiſſum.

Nec obſtat, quòd quando plures tenentur 30.
in ſolidum aliquam pecuniam ſoluere, vt in furto à pluribus conſultò commiſſo, ſolutio vnius liberat alios, vt diximus *in ſeptimo præcepto*, & conſtat ex *l.* 2. *ff. de duobus reis*, & docet Bartolus *in Authentica Hoc ita, eod. tit.* nam id ſolum procedit in contractibus, & in ſolutione pecuniæ debitæ, ex quaſi contractu, qualis datur in furto à pluribus conſultò commiſſo; in eo enim caſu, omnes tenentur in ſolidum, vel reſpectu vnius intereſſe reſultans ex contractibus, vel reſpectu damni. Vnde ex ſolutione facta ab vno, meritò liberantur alij. At non ita res ſe habet, quando omnes, & ſinguli tenentur per ſe ad eandem pœnam delicti, tunc enim ſolutio facta ab vno, non liberat alios; ſoluit enim tunc pro ſe, ſuoque proprio, & diſtincto delicto, non pro delicto aliorum, quo caſu benè poterit iudex ferre ſententiam contra vnum, ſi liquet de cauſa (etiamſi omnes accuſentur in eodem libello, vt permittit ius *in l.* 1. *C. ſi reus, vel accuſator mortuus fuerit, & in l. qui pupillam, §. finali, ff. de adulter.*) & contra eum exequi ſententiam, durante proceſſu, & inſtantia aliorum. Et ſimiliter, ſi iudex ferat ſententiam contra omnes, & vnus appellauit, aliis non appellantibus, poterit ſententiam mandare executioni contra non appellantes, &

contra

contra appellantem non poterit, quia durat appellationis inſtantia, patet ex *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* & ex text. *in l. minoribus, C. de his quibus vt indign.*

31. Reſpondeo ſecundò in delictis, quæ natura ſua requirunt complicem, vt eſt ſodomia, inceſtus, ſtuprum, & adulterium, &c. ſententia abſolutoria vnius complicis prodeſt alteri, ſententia tamen condemnatoria vnius non præiudicat alteri; ita docet Anton. Gomez *dicto tomo 3. var. cap. 1. n. 89. & 90.* primum patet ex text. *in l. denuntiaſſe, §. finali, ff. de adult.* & ex Bartol. *in dicta lege denunciaſſe, & dicto §. finali, in eademmet lege, & §.* quod maximè procedit in adulterio propter fauorem, & decus matrimonij: & ratio eſſe poteſt

Primò, quia omnia iura promptiora ſunt ad abſoluendum, quàm ad damnandum.

Secundò, quia poteſt alter complex, & ſocius allegare, & probare, ſe metu adactum commiſiſſe crimen, aut aliam iuſtam cauſam, ob quam ſi non in totum, ſaltem in partem liberetur à pœna alteri ſocio impoſita.

32. Reſpondeo tertiò, quando delictum eſt commiſſum ab vno principaliter, & pœna amiſſionis bonorum, rationis illius peruenit ad alium, veluti in conſequentiam; ſententia, & condemnatio amiſſionis bonorum principalis nocet alteri; v. c. damnatur quis de hæreſi, & ob ipſam hæreſim bona illius confiſcantur, ſententia illius nocet omnibus illis, qui poſt commiſſum crimen contractu aliquo, vel donatione bona ab ipſo hæretico acceperunt; ita docet Antonius Gomez *allegatus, num. 90.* (Ant.Gom.) & probat text. *in l. quiſquis, §. filij verò, C. ad legem Iul. maieſt.* & text. *in cap. cùm ſecundùm leges, de hæret. in 6.* & in terminis ita tenet Bartolus *in l. cùm filiusfamil. ff. de verbor. obligat. colum. 2.* Item ſententia principaliter lata contra ſeruum delictum aliquod capitale committentem, nocet, & præiudicat domino non citato, nec vocato, & poteſt mandari executioni, contra ipſum ſeruum, non audito domino. Denique ſi ex diſpoſitione alicuius legis, vel ſtatuti pater teneretur ſoluere pœnam pecuniariam filij quatenus tangit legitimam ipſius filij, ſententia lata principaliter contra filium, noceret, & præiudicaret patri non vocato, neque audito; ita Bartol. *in dicta l. cùm fil. famil. ff. de verb. obligation. colum. 2.* Secus tamen eſt, quando fit diſcuſſio in bonis debitoris ad effectum, vt perueniatur ad tertium poſſeſſorem pignorum, vel fideiuſſorem, quia tunc requiritur eorum citatio, & vt ipſi audiantur; ita Angel. *in dicta lege cùm fil. famil. ff. de verbor. obligat. in fine,* & Anton. Gom. *allegatus dicto num. 90. verſ. quartò infertur.* Et ratio diuerſitatis eſt, quia debitor non amiſit dominium ſuorum bonorum, à die quo contraxit debitum, ſicut hæreticus amiſit à die commiſſi criminis, & ita validè, & licitè illa poterat alienare, quod hæreticus facere non poteſt, & idcirco fideiuſſores, & qui pignus habent, audiuntur; illi verò, qui bona hæreticorum habent, non audiuntur, ſi conſtat, quòd hæreticus poſt commiſſum crimen hæreſis bona ſua alienauit.

33. Idem quod diximus de bonis hæreticorum, dicendum eſt etiam de illis, qui crimen læſæ maieſtatis humanæ commiſerunt, & poſt commiſſum huiuſmodi crimen, bona ſua alienarunt, nam alienatio etiam bonorum facta ab eo, qui commiſit hoc crimen læſæ maieſtatis, eſt ipſo iure nulla à tempore commiſſi criminis, ſiue ea fiat titulo gratuito, & lucratorio, ſiue titulo honoroſo, & ſi de facto poſt commiſſum crimen bona aliqua alienentur, poterit fiſcus liberè ea vindicare, à quocumque poſſeſſore, etiam pretio non ſoluto, ita diſponit ius *in l. ex iudicior. verſ. adde, ff. de accuſation. & in l. donationes in concubinam, §. finali, C. ad legem Iul. maieſt.* & vtrobique DD. tenet etiam, & declarat Bartol. (Bartol.) *in l. poſt contractum, ff. de donat. & in l. ſi debitor, in fine, ff. de his, quæ in fraudem creditor.* Ioannes Andreas, (Ioan.Andr.) Anchartan. (Anchar.) Dominicus, (Dominicus.) & communis Canoniſtarum, *in cap. cùm ſecundùm leges, de hæret. in 6.* Iaſo. (Iaſo.) *in §. item ſi quis in fraud. Inſtit. de act. colum. 17. num. 89.* pro qua ſententia, quæ eſt communiſſima, facit etiam text. *in l. ſi debitor, ff. de his, quæ in fraud. cred.* Limitandum tamen eſt, dummodo pretium illorum non ſit conuerſum in vtilitatem illius, qui crimen læſæ maieſtatis commiſit, & extet in bonis eius, quia tunc non poteſt fiſcus vindicare prædicta bona à poſſidente, cui illa ipſe delinquens alienauit, vel permutauit, aut ſi voluerit illa vindicare, teneretur fiſcus pretium illorum ſoluere poſſidenti; & reſtituere, quia re vera ipſa bona in poteſtate delinquentis ſunt per alia bona ex pretio illorum comparata, & ſubrogata, quod idem eſt dicendum in crimine hæreſis; ita communiter DD. Antonius Gomez (Ant.Gom.) *tomo 3. variar. cap. 2. num. 2. verſ. quod tamen intellige.* Bartol. (Bartol.) *in l. ſi debitor, in fine, ff. quæ in fraudem cred.* Ioannes Andreas (Ioan.Andr.) *in cap. cùm ſecundùm leges, de hæret. in 6. colum. finali.* Anchartanus (Anchar.) *ibi colum. 1.* Archid. (Archidiac.) *colum. 2.* Dom. (Dominicus.) *colum. 2.* & idem Ancharran. *in cap. finali, de præſcript. in 6. colum. 1.* Romanus (Romanus.) *in l. Senatus, ff. ad Syllanian.* pro qua ſententia, & opinione facit textus *in l. ex his, ff. quæ in fraud. creditor.* vbi dicitur, ſi creditor reuocat ab emptore alienanata in fraudem, teneri pretium reſtituere, ſi extat in bonis eius, vel ſi conuerſum eſt in eius vtilitatem.

CAPVT XLIX.

Quatenus teneatur quis ex charitate, aut ex officio accuſare, & an poſſit pretium iuſtè accipere, ne accuſet.

SVMMARIVM.

Accuſatio de ſe eſt bona, & eſt licita tam ob vindictam publicam via iuridica procurandam, quàm ob vindictam priuatam. num. 1.

An ſemper requirat præuiam monitionem. num. 2.

In foro iudiciali, quando aliquis ſcit crimen contra Principem, & Rempublicam eſſe committendum ſi non denunciat, punitur eadem pœna, qua author criminis. num. 3.

Accuſare non tenetur quis, niſi id, quod poteſt in iudicio probare. num. 4.

An quando crimen iam commiſſum eſt, teneatur quæuis particularis perſona illum accuſare ad vindictam publicam, etiamſi illud poſſit in iudicio probare. num. 5.

Quando crimen impendet, & ſoli authori nocet, ſemper præmittenda eſt fraterna monitio, ſi inde alteri nullum malum impendeat. num. 6.

Omittentes accuſare, & denunciare ſolùm peccant contra charitatem. num. 7.

Quid ſi ſint cuſtodes, & officiales iuſtitia, an tunc contra iuſtitiam peccent. num. 8.
An teneantur huiuſmodi cuſtodes, & officiales ad reſtitutionem damni dati ſi non accuſent. num. 9.
Quid ſi delinquentes tales ſint, vt ſi licentiam petant, illam facilè impetrent, an tunc teneantur ad reſtitutionem ſi non accuſent. num. 10.
Ad quid teneantur huiuſmodi cuſtodes, & officiales ſi aliquid accipiant ne accuſent delinquentes. num. 11.
An officiales, & cuſtodes huiuſmodi, teneantur reſtituere pœnam, ad quam damnandi eſſent delinquentes, ſi illos accuſarent. num. 12.
An qui in confiniis Regnorum, merces prohibitas aduehunt, & inuehunt, teneantur ad tributa, quæ furantur. ibid. in fine.
Quid ſi cuſtodes, & officiales ſe abſcondant malitioſè, vt eo dolo delinquentes capiant, an tunc eis ad aliquam reſtitutionem teneantur, & peccent. num. 13.
Iuſta ſunt leges, quæ certis temporibus anni piſcationem, aut venationem prohibent, pœnæ tamen illarum non debentur, niſi poſt ſententiam latam. num. 14.

1. *Accuſatio de ſe bona eſt, & licita.* EX dictis patet, licitum eſſe cuiquam alterum accuſare tam ob vindictam publicam, & publicam ſatisfactionem Reipublicæ, quàm ob iniuriam ſibi factam, ſi enim accuſatio de ſe eſt bona, vt *cap. 47. num. 1.* probauimus, ſequitur, vt licitum ſit accuſare, cùm ſemper licitum ſit actum bonum exercere, vindicare enim iniurias, & procurare eam vindictam via iuridica, & per poteſtatem publicam, eſt actus iuſtitiæ, ac proinde virtutis, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 68. artic. 1.* Caietanus *ibi*, & Banhez, & Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 5.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num. 1.* & plures, quos ibi citat, nemo tamen tenetur alium accuſare ob iniuriam ſibi factam, cùm enim homo ſit dominus propriæ famæ, & bonorum, poterit ſi in iſtis patiatur aliquam iniuriam, eam liberè condonare. (D Thom. Caietan. Banhez. Sotus. Sayr.)

2. *An ſemper requirat præuiam monitionem.* Dubium igitur eſt, an, & quando teneantur homines ex præcepto charitatis accuſare, & imprimis in cauſa propria ciuili, nullus tenetur, vt modò diximus, alterum accuſare; in criminali verò partita eſt opinio, authores hinc inde decertantes; ſed optimè conciliari poſſunt, ſi dicamus aliquando teneri, aliquando non teneri. Teneri quidem, quando vident, & ſciunt delictum aliquod in Republica eſſe committendum, vel contra ſe, vel contra alium, & non poſſunt aliter damno impendenti occurrere. v. c. homicidio, vel furto; idem de damno publico, & communi; à fortiori dicendum eſt, vt de coniuratione in Principem, de proditione Reipublicæ, de falſificatione numorum, de hæreſi, de furto publici ærarij, &c. In his enim caſibus, cùm damnum adhuc immineat, & non ſit datum, ſi nulla alia via illud efficaciter, & cum effectu impedire poſſumus, tenemur ex præcepto charitatis iudici denunciare, vt impediat; ita communiter Doctores, D. Thom. 2. 2. *quæſt. 68. artic. 1.* Sotus *de tegend. membr. 1. quæſt. 5.* Syluester *verb. accuſatio, quæſt. 2.* Anton. Gomez. *tomo 3. variar. cap. 1. num. 9. verſ. quintò limita*, vbi aſſerit, eum qui videt, & ſcit aliquod delictum eſſe committendum contra aliquem, peccare mortaliter contra charitatem, ſi non prohibet & impedit cùm poſſit, & id probat text. *in cap. ſicut dignum, §. illis etiam, de homicidio*, cuius verba ſunt hæc. *Qui potuit hominem liberare à pœna mortis, & non liberauit, eum occidit.* & textus *in cap. quanta, de ſentent. excommunicat.* vbi dicitur teneri in conſcientia, & cenſeri excommunicatum illum, qui videt, & ſcit delictum committendum in Clericum, & non prohibet, cùm poſſit, & idipſum tenet Abbas *in cap. 1. de reſtit. ſpoliat. column. finali, num. 9.* Decius *in reg. culpa caret, ff. de reg. iuris, colum. penult. & finali.* (D.Thom. Sotus. Silueſter. Ant.Gom. Abbas. Decius.)

3. Imò in foro iudiciali, & externo, ſi quis ſciat, & videat crimen eſſe committendum contra Principem, vel Rempublicam, & non prohibet, reuelat, vel denunciat, cùm poteſt, punitur eadem pœna, qua punitur ipſum crimen, ac ſi ipſe feciſſet, & author illius eſſet, ita expreſsè tenet Bartol. *in l. vtrum, in fine, ff. ad leg. Pompe. de parricid.* argumento illius textus, *& in l. 1. §. occiſorum, ff. ad Syllan.* Salicetus *in l. 1. C. ad leg. Corneliam de ſicariis, colum. 2.* Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 8. verſ. tertiò limita*, poſt multos, quos *ibi* citat, rigoroſa profectò eſt hæc ſententia, vt fatetur ipſe Anton. Gomez *ibi*, ſed ſtatim addit. *Tamen in puncto iuris, videtur vera, & tenenda, & illam ſequor.* & pro hac opinione facit text. *in l. quiſquis, §. id quod, C. ad legem Iulia maieſtat.* vbi dicitur omnia, quæ ſunt diſpoſita in crimine læſæ maieſtatis, locum habere in miniſtris, atque ſatellitibus conſciis, & text. *in l. vnica, §. pœnas, verſ. cæteros, C. de rapt. virg.* vbi habetur in illo crimine puniri conſcios non prohibentes, ſicut facientes, vel opem præſtantes; quanto ergo magis in noſtro delicto contra Principem, & Rempublicam; nam licèt pœnæ non extendendæ ſint de caſu ad caſum, tamen ſaltem in eadem ſpecie, quando caſus eſt deformior, ratio ipſa naturalis dictat eſſe iuſtiſſimè extendendas; præſumit enim ius in eo caſu eum, qui extra confeſſionis Sacramentum crimen contra Remplicam, & Principem ſciuit, & illud manifeſtando, ei noluit obuiare, ſocietatem occultam habuiſſe cum delinquentibus, iuxta illud, *Non caret vitio ſocietatis occultæ, qui manifeſtis vitiis deſinit obuiare.* quod propriè dicitur de iudicibus, qui manifeſta, & publica vitia in Republica congruenti punitione, nolunt caſtigare; ſi tamen iudicibus conſtiterit, illum reuera nullam ſocietatem occultam cum delinquentibus habuiſſe, mitiori pœna ad illorum arbitrium illum poterunt punire, ſpectato crimine, circunſtantiis, & qualitatibus illius. (Bartol. Salicetus. Ant. Gom.)

4. *Accuſare quis non tenetur, niſi quod probare poteſt in iudicio.* Accuſare verò non tenetur quiſquam, niſi id quod poteſt in iudicio probare; & ratio eſt in promptu, quia nemo tenetur ex charitate alterius damnum via accuſationis impedire cum graui ſuo damno, atqui niſi quis crimen, de quo aliquem accuſat, in iudicio probare poſſit ſufficienter, damnum graue patietur, tum expenſarum, tum pœnæ (ſi non talionis, cùm non ſit iam hodie in vſu) ſaltem arbitrariæ, vt ſuprà diximus; ergo non tenetur; ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 68. artic. in corpore.* ibi, *ſi quod crimen quis ſciuerit, quod vergat in damnum Reipublicæ, tenetur ad accuſandum. ſecus autem ſi crimen fuerit, quod probare non poſſit, tunc enim minimè tenetur.* vbi illud, *quis*, omnes perſonas, nulla excepta comprehendit; ita docet etiam Sotus *de tegend. ſecret. membr. 2. quæſt. concluſ. 1. ad 2.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 16. num. 6.* Filliucius *tomo 2. de iuſtit. tractat. 40. cap. 7. num. 15.* Nauarr. *in ſumma Latina, cap. 25. num. 33.* Toletus *in ſumma, lib.*

lib. 5. cap. 57. verſ. prima. Anton. Gomez *tomo 3. var. cap. 1. num. 9. verſ. aduertendum tamen*, & plures quos allegat.

5. *Quid quando crimen iam eſt commiſſum.* Quando verò crimen, ac delictum iam commiſſum eſt, & emendatum, ſiue ſit commiſſum contra bonum publicum, ſiue contra perſonam aliquam priuatam, ſiue contra ſeipſum, etiamſi aliquis teſtes habeat, quibus illud ſufficienter in iudicio probare poſſit, non tenetur ex præcepto charitatis delinquentem accuſare, poteſt tamen illum licitè accuſare, ſi voluerit. Ratio eſt, quia in accuſatione proceditur ad vindictam publicam ad aliorum exemplum. Vindicta autem publica delictorum, non ſpectat primò, & per ſe ad priuatam perſonam, ſed ad publicam, ac proinde non tenetur priuata perſona ex præcepto charitatis delinquentem accuſare; ſi tamen à iudice iuridicè interrogetur, tenetur tanquam teſtis, veritatem fateri, quia licèt non teneatur accuſare, tenetur tamen veritatem teſtari; ita Filliucius *tomo 2. tractat. 40. cap. 7. num. 216.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 16. num. 7.* Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 57. num. 3. verſ. prima*, vbi hæc exempla ponit. v. c. *Cognouiſti aliquem, qui fuit numorum falſificator, aut qui Regi inſidias parauit, iam tamen deſtitit omnino à tali peccato, non teneris illum denunciare, vel accuſare. Similiter cognouiſti aliquem in hæreſim fuiſſe prolapſum, ſuis tamen omnino pœnituiſſe, & ab errore diſceſſiſſe, non teneris etiam illum accuſare, vel denunciare, teneris tamen interrogatus à iudice veritatem teſtificari iuſtè, & iuridicè procedente, hoc eſt, cùm authoris infamia, vel probatio aliqua, aut indicia illius præceſſerunt*; hæc ibi Toletus.

Filliucius. Sayro. Toletus.

6. At quando crimen non eſt in damnum tertij publicum, vel priuatum, ſi nondum commiſſum ſit, ſed impendeat, & accuſatione, vel denunciatione impediri poſſit, prius præmittenda eſt correctio fraterna, & Chriſtiana monitio, quàm denuncietur, vt iam diximus *cap. 47. num. 16.* ſi ſpes ſit emendationis, ſecus ſi non ſit, nec profutura ſperetur talis correctio, tunc enim ſtatim quis tenetur crimen denunciare; ita communiter DD. Toletus *lib. 5. ſumma, cap. 57. num. 7.* Filliucius *tomo 2. tractat. 40. cap. 7. num. 217.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 16. num. 9.* & plures quos allegat. Vide quæ diximus *dicto cap. 47. à num. 16.*

Toletus. Filliucius. Sayrus.

7. Ex dictis colligitur omittentes accuſare, & denunciare, cùm tenentur ſolùm peccare contra charitatem, ſi ſint perſonæ priuatæ, & non teneri ad reſtitutionem, ſi non accuſent in caſibus, in quibus id facere tenebantur; patet, quia ex charitate, non ex iuſtitia ad id tenentur: obligatio autem reſtitutionis oritur ex violata iuſtitia, non ex offenſa charitate; ita communiter DD. Salon. 2. 2. *quæſt. 68. artic. 1. controuerſ. 3. dub. 2.* Filliucius *citatus, num. 218.* Sayrus item *allegatus, cap. 14. num. 13.*

8. Si verò ſint officiales iuſtitiæ, & perſonæ publicæ, qui ad id ex officio tenentur, peccant contra iuſtitiam non accuſando, & tenentur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia cùm ad id teneantur ex iuſtitia, ob ſtipendium, quod à Rege, vel Republica accipiunt, contractus, vel quaſi contractus intercedit inter ipſos, & Rempublicam; ex contractu autem obligatio iuſtitiæ, & reſtitutionis oritur. ita Filliucius *tomo 2. tract. 40. cap. 7. num. 219.* Sic cuſtos mercium, & tributorum regalium, quando illa iuſta ſunt, qui à Rege, vel Republica ad ea tributa cuſtodienda ſtipendio conducuntur, ad reſtitutionem tenentur, ſi, vt dixi, iuſta ſint, & illa furto auferri ſinant; vt docet Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 25. n. 34.*

Filliucius. Nauarrus.

Animaduertendum tamen in multis caſibus, non teneri huiuſmodi officiales ad reſtitutionem. 9. *An officiales teneantur reſtituere damnum, ſi non accuſent.*

Primò, quando delinquentes contra legem, quam huiuſmodi officiales tenentur cuſtodire, id agunt ex graui neceſſitate, vt ſi ſtatutum dicat quòd omnes ſyluam publicam cædentes ſoluant certam mulctam, & aliquis pauperculus graui neceſſitate compulſus, ex ea ſylua ligna aliqua cædat, non tenentur huiuſmodi officiales eum in eo caſu accuſare.

Secundò, quando tales delinquentes, ſunt conſanguinei, propinqui, vel amici dominorum, qui ius habent in rebus, quas cuſtodiunt, v. c. in venatu, piſcatu, vel ſylua cædua, vel eorum qui legem condiderunt. v. c. decurionum populi, quos Vreatores, vel conſules vrbium, aut oppidorum appellamus; de quibus rationabiliter cenſeri poteſt, non fuiſſe mentem eorum, cùm eam legem condiderunt, amicos ſuos, propinquos, & conſanguineos in illius pœnis comprehendere; ita Filliucius *tomo 2. tractat. 40. cap. 7. n. 219.* Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. n. 14.* Nauarrus *in ſumma Latina, cap. 17. num. 122.* vbi ita, *Excuſatur cuſtos, venatus, aut piſcatus prohibiti, & ſyluarum cæduarum, aut paſcuorum conſtitutus ab iis, quorum ſunt iura illa ſi ſciret eos, quos contra facientes inueniſſet, feciſſe id ex neceſſitate, quæ eos à peccato excuſabat, & non permittit eis plura, quàm talis neceſſitas exigit, dixi, ſi ſciret, quia in dubio non excuſatur: excuſatur etiamſi ſciret eos, quos in huiuſmodi locis inuenit eſſe conſanguineos, aut adeò amicos domini prædictorum iurium, vt probabiliter credat illi eorum venatum placiturum.*

Filliucius. Sayrus. Nauarrus.

Idem dici poteſt in caſu, quo delinquentes tales ſint, vt ſi licentiam petiiſſent, v. c. cædendi ligna, venandi, piſcandi, aut armenta paſcendi in loco prohibito, illam impetraſſent: ita Filliucius *allegatus*, & Sayrus *num. 15.* Ratio illorum eſt, quia tunc non cenſentur domini inuiti de re ipſa, ſed de modo, nam illam licentiam darent, ſi peteretur. Contrarium tamen tenet expreſsè Nauarrus *in dicta ſumma Latina, cap. 17. num. 123.* vbi expreſsè dicit, teneri cuſtodes in eo caſu ad reſtitutionem, eo quòd licèt dominus conceſſurus illis fuiſſet prædictam licentiam ſi per illos ab eo peteretur, eſt tamen rationabiliter inuitus de re ipſa, non de modo tantùm, quando illam non petierunt. Ego ſententiam Sayri & Filliucij ſequor, & approbo, propter illius fundamentum, & Petrus Nauarra ſtatim *allegandus*, hanc etiam Nauarri ſententiam tribuit Medinæ *C. de reſtit. quæſt. 12. dubio vltimo, verſ. quanta autem*, ſed vt optimè animaduertit Sayrus, Medina *ibi* hoc non dicit, ſed ſolùm abſolutè dicit, teneri huiuſmodi officiales, & perſonas publicas ad accuſandum, & obligari ad reſtitutionem ſi non accuſent: cum Filliucio, & Sayro, conſentiunt etiam, & bene, Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 4. dub. vltimo, num. 139.* Caietanus *in ſumma verb. furtum*, & alij communiter, imò & ipſe Nauarrus, contrarium aſſerit expreſsè *in eadem ſumma Latina, cap. 17. num. 138.* his verbis. *Qui occultè aliquid accipit ab eo, cui non diſpliceret acceptio ſibi nota, ſed occulta, is licèt peccet venialiter, non tamen mortaliter, quia eius acceptio, aut retentio, non eſt contra voluntatem domini, ſed modus ſolùm*

10. Filliucius. Sayrus.

ſolum accipiendi, quod ad peccandum mortaliter non ſufficit.

11. Huiuſmodi autem cuſtodes, & officiales aliquid accipientes, vt non accuſent, vel denuncient, ad multa tenentur: in primis enim tenentur ad damnum Reipublicæ, aut tertiæ perſonæ, ex illorum crimine illatum, vt ad furtum lignorum ex ſylua, ad reſtitutionem furtum ex venatione: ita Medina *C. de reſtit. quæſt. 3. cauſa 10. verſ. quinto.* Salon. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *controuerſ.* 2. *dub. vlt.* Corduba *in ſumma, quæſt.* 66. §. 2. *in fine.* Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 16. Sotus *lib.* 4. *de iuſtit. quæſt.* 7. *artic.* 1. *verſ. ſecundus ergo.* Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 25. *num.* 34. Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 5. *verſic.* 7. Filliucius *tomo* 2. *tractat.* 40. *cap.* 7. *num.* 220. Couar. *ad regulam peccatum, part.* 2. §. 2. *num.* 7. *de regulis iuris, in* 6. & alij communiter; non tenentur tamen reſtituere id quod acceperunt, ne accuſarent, iuxta Nauarrum, Syluestrum, Filliucium, & Couarruuiam *allegatos*; & ratio huius rei eſt, quia cooperantur negatiuè ad damnum huiuſmodi, cùm ex contractu, aut quaſi contractu illi obuiare teneantur; ergo tenentur ad tale damnum: ſuppoſito verò, quòd à legibus non inhabilitentur ad aliquid accipiendum, nec in pœnam delicti, ad reſtitutionem eius rei, quam acceperant, damnentur, non tenentur reſtituere id quod ne accuſarent, acceperunt; non enim apparet vnde oriatur obligatio huius reſtitutionis, nam quòd acceptio illa ſit cauſa peccandi contra iuſtitiam, & non exequendi officium ſuum licitè, & debito modo, id tantùm probat, eam acceptionem eſſe peccaminoſam, non probat verò fuiſſe directè, & formaliter contra iuſtitiam, ſicut proberet ſi promiſiſſent ſe munera non accepturos, & ex contractu, vel quaſi contractu ad id ſe obligaſſent; ita Nauarrus, Couarruuias, Syluester, Filliucius *allegati.* Licèt Medina, Salon, Corduba, Sayrus, & Sotus *citati*, exiſtiment teneri etiam illos reſtituere id quod acceperunt, ne accuſarent, ex eo fundamento, quia tales ex iuſtitia tenebantur crimina accuſare, & denunciare; ergo contra iuſtitiam faciunt aliquid accipiendo, ne accuſent. ergo tenentur ad reſtitutionem. Reſpondeo, concedendo maiorem, negando minorem, non enim directè peccant contra iuſtitiam aliquid accipiendo ne accuſent, ſed occaſionaliter, quod peccatum potius eſt contra charitatem in ſeipſos, quam contra iuſtitiam in alios.

Nauarrus. Syluester. Filliucius. Couar.

12. An autem cuſtodes, & officiales huiuſmodi non denunciantes, ſeu non accuſantes eos qui delinquunt, teneantur ſoluere pœnam pecuniariam, ad quam damnandi eſſent delinquentes, ſi accuſarentur ab illis, eſt dubium inter DD. ſed communis ſententia reſoluit non teneri, quia pœna non debetur, niſi poſt ſententiam latam; quare ante talem ſententiam nec fiſcus, nec Reſpublica, habet ius ad talem pœnam, & conſequenter huiuſmodi officiales non denunciantes, non faciunt directè contra ius, quod fiſcus habet in pœnas, ſed tantùm faciunt contra iuſtitiam ex contractu. Vnde tenentur ad damnum Reipublicæ, vel tertiæ perſonæ illatum, & non tenentur ad pœnam; ita communiter DD. Nauarrus *in ſumma, cap.* 25. *num.* 34. Syluester *verb. Reſtitutio* 3. *quæſt.* 5. *verſ. ſeptimum.* Corduba *quæſt.* 66. §. 2. Imò Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 221. exiſtimat teneri huiuſmodi officiales, & cuſtodes ad reſtitutionem tantùm eius pecuniæ, & ſalarij, quod eo die accipit pro rata in ſtipendium. Alij exiſtimant teneri quoque pœnas reſtituere, ſed ſententia Nauarri eſt verior, & communior, & addit Nauarr. idem dicendum eſſe de cuſtodibus, & præfectis, qui ſtipendio conducuntur à Rege ad non extrahendas, aut inuehendas merces prohibitas in confiniis Regnorum, Prouinciarum, & ciuitatum, quando permittunt illas importare, vel exportaré; hi enim peccant quidem morriferè, nec abſolui poſſunt, abſque firmo emendationis propoſito, & tenentur ad reſtitutionem damnorum, ſeu Tributorum, Regibus, aut Reipublicæ, quæ inde illis erant debita, ſi iuſta erant; non tamen tenentur ad reſtituendas pœnas, quas tranſgreſſores reſtituere tenebantur, ſi denunciati fuiſſent ſententia ad illas damnati; ita idem Nauarrus *in ſumma Latina, dicto cap.* 25. *num.* 34. Ipſi verò mercatores, & domini mercium, qui eas aduehunt, & inuehunt, aſportant, & tranſportant ex vno Regno in aliud occultè, & clanculò, non tenentur ad prædicta tributa, cùm ſe exponant pœnæ amiſſionis illatum; tales enim leges, pœnales cùm ſint, ſolùm ad pœnam obligant in conſcientia, & non niſi poſt latam ſententiam.

Nauarrus. Syluester. Corduba. Filliucius.

Si huiuſmodi cuſtodes, & officiales diſſimulent, & ſe abſcondant eo animo, & malitia, vt vectores mercium, & lignatores, & venatores capiant in delicto, & merces amittant, pœnáſve ſoluant, peccant quidem mortaliter contra charitatem, non tenentur tamen ad vllam reſtitutionem faciendam tranſgreſſoribus ipſarum legum, quos eo dolo capiunt, ſi quod illi inde damnum incurrunt. 13.

Primò, quia ex officio, & iuſtitia non tenentur illi conſulere bono delinquentium, ſed Regis, aut Reipublicæ.

Secundò, quia id omnes cuſtodes faciunt, & ab omnibus ſcitur, & ita nemo deceptum ſe dicere poteſt, ſcienti enim, & conſentienti nulla fit iniuria; ita docet Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 221. *initio*, & Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 17. *num.* 124. Sayro *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 17. Medina *C. de reſt. quæſt.* 12. *dubio vltimo, verſic. ſi denique.* Corduba *in ſumma, quæſt.* 66. §. 2.

Filliucius. Nauarrus.

Illud tamen eſt animaduertendum, iuſtas eſſe leges, quæ prohibent venationem certarum ferarum certis, & determinatis temporibus, quando ſcilicet pariunt, oua ponunt, & excudunt, aut nutriunt, aut tempore niuis, aut ne illis, vel illis inſtrumentis venatus, vel piſcatus fiat, quia huiuſmodi prohibitiones in populi vtilitatem, & bonum commune redundant; ſed qui talium prohibitionum tempore venantur, vel piſcantur, non tenentur reſtituere id, quod venati, aut piſcati ſunt, niſi poſt iudicis condemnationem: nec ſimiliter tenentur ſoluere pœnam, niſi poſt eandem ſententiam. ita Nauarrus *in ſumma Latina, cap.* 17. *num.* 124. Medina *C. de reſt. quæſt.* 12. *colum.* 2. Sic quamuis iuſtæ ſint leges, quæ ſub grauiſſimis pœnis prohibent aſportationes, & inuectiones mercium ex vno Regno in aliud, non tenentur qui illas occultè tranſportant, & inuehunt ad reſtituenda furata tributa, & illatum pœnas, niſi poſt latam iudicis ſententiam. 14.

Leges prohibentes piſcationem, aut venationem certis temporibus, iuſtæ ſunt.

Caput

CAPVT L.

Soluuntur aliqua dubia circa accuſationem delictorum, & reorum.

SVMMARIVM.

Aliquando plures concurrunt ad accuſandum reum delinquentem, an omnes poſſint à iudice admitti. num. 1.

Quis tunc poſſit concedere veniam reo, & remiſſionem delicti, & intra quem terminum dierum. num. 2.

An ſi accuſator poſt accuſationem in iudicio inchoatam moriatur, vel impeditus ſit, poſſit alius accuſator à iudice admitti, & quando. num. 3.

An ſi alius accuſator, mortuo primo, ad accuſandum non ſuperueniat, qui propoſitam accuſationem proſequatur, poſſit iudex id ex officio efficere, & intra quem terminum. num. 4.

An facta concordia, & data venia reo, poſſit iudex ex officio adhuc accuſationem proſequi contra reum, etiamſi venia ob pactam pecuniam detur. num. 5.

An teſtes primæ accuſationis fidem faciant in ſecunda, quin de nouo interrogentur. num. 6.

Quid de conſuetudine. num. 7.

An quando delictum inuenitur punitum diuerſis legibus, ex qua puniendum ſit, & quid ſi vna lex corrigat, vel non corrigat pœnam alterius. num. 8.

Quomodo puniri poſſit ciuitas, vniuerſitas, aut populus, ſi totus delinquat, an morte, an alia pœna. num. 9. 10. & 11.

Notantur aliqua ſcitu digna circa minorem, à quatuordecim annorum, vſque ad ſecundum annorum, an poſſit eſſe iudex, an Tabellio, an Doctor, an matrimonium validè contrahere, an decurio populi. num. 12.

Minor ſi tempore infantiæ, hoc eſt, vſque ad ſeptennium completum aliquem occidat, an poſſit aliqua pœna puniri. num. 13.

Quid ſi ſit proximus infantiæ, & habeat decem, & dimidium, & fœmina nouem, & dimidium. num. 14. & 15.

Quid ſi minor ſit proximus pubertati, & decimum annum, & dimidium excedat, & fœmina nouem, & dimidium. num. 16.

An ſi minor proximus pubertati in iudicio confeſſus fuerit delictum, admittendus ſit ad reſtitutionem, ita vt talis confeſſio ei nihil noceat. num. 17.

1. *An quando plures concurrunt ad accuſandum, omnes admitti poſſint à iudice. Opinio prima.* PRIMVM dubium eſt, an quando plures conſanguinei vſque ad 4. gradum concurrunt ad accuſandum reum de aliquo delicto, omnes poſſint à iudice admitti. Reſpondeo hac de re partitam eſſe ſententiam.

Prima affirmat, eam docet Motla *in Emporio iuris, tit. de legibus, q.14.n.9.* & pro ea iudicatum fuit in regio Senatu Olyſipponenſi *anno* 1616. vt refert Melchior Phœbus *tomo 1. ſuarum deciſionum, deciſ.9.num.*10. & hæc ſententia confirmari poteſt ex eo, quòd ius vindicandi mortem defuncti eſt penes quemcumque ex hæredibus in ſolidum, & in indiuiſum, & non pro parte cùm diuidi non poſſit, *l. portiones, ff. de his quibus vt indign.*

Opinio ſecunda. Secunda opinio negat, & ait non debere omnes à iudice admitti, ſi ſint inæquales in gradu, ſed poſſe iudicem eligere magis idoneum, proximiorem in gradu, vel in quo reperiatur maior qualitas dignitatis, perſonæ, ætatis, vel alterius iuſtæ cauſæ. ita diſponitur *in l. ſi plures, ff. de accuſat. & in l. ſi verò, §. hæc autem, ff. de his, qui deiecerunt, vel effuder.* docet Anton. Gomez *tomo 3. var. tit. de delictis, cap. 1. n.* 35. & Vincentius Franchus *in 2. part. deciſ.* 382. & hæc, meo iudicio, eſt probabilior ſententia, & ratio eſt, quia ſicut non poteſt reus pluries ob id crimen puniri, ita nec à pluribus ob illud accuſari, accuſatio enim ad punitionem, & vindictam tendit, vnde ſi plures eſſent accuſatores, plures darentur punitiones, quod fieri non poteſt; quare ſi plures extranei ad accuſandum concurrant, & cum eis concurrat aliquis, qui velit ſuam ſuorúmque iniuriam proſequi, is à iudice præferendus eſt aliis, quia ſua magis intereſt accuſare. Si verò concurrant plures, qui ſuam ſuorúmque iniuriam proſequantur, tunc ille, qui in gradu proximiori eſt, præferri debet; ſi autem omnes ſint in gradu æquali, omnes ſimul admittuntur, nec vnus excludit alium, nec iudex poteſt vnum eligere illorum; omnes tamen tunc debent offerre eundem libellum accuſatorium, & illum ſubſcribere; ita vt ex pluribus fiat vna accuſatio, tendens ad vnam punitionem delicti; ſi tamen vnus illorum prius accuſauit, & litem conteſtatus eſt, non debet alius admitti ſi poſtea adueniat, licèt ſit in eodem gradu, ita Antonius Gomez *allegatus*, Salicetus *in l. ſi accuſatoribus, C. de accuſat. colum. 2. & in l. qui de crimine, eodem tit. colum. 5. oppoſitione 7.* Notat tamen Phœbus *allegatus*, ſequens opinionem Senatus Luſitani, quòd in promulgatione ſententiæ circa condemnationem pecuniariam, etiamſi concurrant omnes conſanguinei ei non æquales in gradu, ſemper præferendum eſſe illum, qui fuerit proximior in gradu, & pro hac ſua opinione citat Farinacium *tit. de diuerſis criminibus, quæſt. 104. num.* 104.

Ex dictis infertur illum ſolum poſſe concedere remiſſionem delicti, & veniam auctori illius, qui admiſſus fuerit à iudice ad accuſandum, quia erat in gradu proximiori; ſi verò omnes erant in eodem gradu, ab omnibus dari debet prædicta venia, & fieri prædicta remiſſio, & concordia: in opinione tamen Luſitanorum, quæ admittit omnes conſanguineos vſque ad quartum gradum ad accuſandum, ad omnes pertinet, & ad quemlibet illorum in ſolidum, veniam dare, ſicut & accuſare. Multum autem refert, vt reus delinquens veniam impetret delicti, quia ea impetrata, non poteſt puniri pœna ſanguinis, ita Gomez *allegatus d. n. 25. ad finem.* Si tamen pater, aut frater, vel alius conſanguineus in primo gradu remittat alicui mortem filij, aut fratris, vel conſanguinei, poterant mater, vel alij fratres, vel vxor, aut alij conſanguinei vſque ad quartum gradum venire contra eam remiſſionem, & de nouo delinquentem accuſare, ita idem Ant. Gom. *allegatus.* Boerius *deciſ. 120. & 121.* Afflictis *in conſt.* & alij, quos refert, & ſequitur Bombinus *conſ. 69. in fine.* 2. *Illatio.*

3. *An ſi accuſator poſt inchoatam accuſationem moriatur, vel aliàs impediatur, poſſit alius accuſator admitti, & quando.* Secundum dubium eſt, ſi accuſator poſt accuſationem in iudicio propoſitam è vita diſcedat, vel aliàs impeditus ſit, an poſſit alius admitti ad accuſandum, & quomodo? Reſpondeo ſi vult repetere accuſationem primò intentatam, eandémque inſtantiam, & proceſſum in eo ſtatu, in quo illum inuenit, poſſe, modò intra triginta dies ad accuſandum appareat. ita deciditur *in l. libellorum, ff. de accuſat. §. finali.* Si verò non vult accuſationem primo intentatam proſequi, ſed aliam de nouo inchoare, antiqui DD. negant, vt fatetur Antonius Gomez *dicto tomo 3. variar. cap. 1. in tit. de delictis, n.*36. & id videtur eſſe verius ſpectato rigore iuris. Nam

Nam textus *in l. conſtante matrimonio, ff. de adulter.* ſolùm dicitur *derelicta accuſatione ab vno, ab alio exerceri, vtile eſſe.* quod ſolùm indicat poſſe inchoatam vigeri, non nouam inchoari; & textus *in l. penultim. ff. de publ. iud.* ſolùm aſſerit accuſatore defuncto rem ab alio peragi poſſe, & textus *in l. 23. in principio, tit. 1. part. 7.* ſolum diſponit mortuo accuſatore poſſe alium accuſare, quæ omnes leges non diſtinguunt, de accuſatione iam cœpta, & noua, imò *lex 19. tit. 20. lib. 4. fori, in fine,* videtur expreſsè dicere quòd nullo modo poſt mortem accuſatoris audiatur alter ſi nouam accuſationem velit intendere. quare vbi ius non diſtinguit, nec nos id facere debemus.

Nouiores verò authores aſſerunt mortuo accuſatore admittendum eſſe aliam nouam accuſationem proponentem, ne delicta impunita maneant. ita docet Anton. Gomez *citatus*, & Bartol. *in dicta l. libello, §. finali, ff. de accuſat. colum. 2. num. 6.* & *ibi* Albericus, & Iacobus de Aretio, & Salicetus *in l. qui de crim. C. de accuſat. colum. 1. num. 7. in fine*, & Angelus de Peruſio *in l. 1. C. de gener. abol. colum. 1. in medio*, & Ananias *cap 2. de colluſ. de tegend. colum. 3. in medio*, & Imola *in l. penultima, ff. de public. indic. colum. finali, prope medium*; hi tamen omnes nullum textum afferunt pro ſe, ſed dicunt ita intelligenda eſſe iura citata, cùm tamen ius hoc non addat, nec nos addere debemus, maximè, quia, ne delicta impunita maneant, ſufficit, ſi accuſatio cœpta proſequatur.

4. Illatio prima.

Ex prætacta doctrina videtur inferendum mortuo accuſatore, vel impedito, ſi alius accuſator non ſuperueniat, qui cœptam accuſationem velit continuare, ne delicta impunita maneant poſſe iudicem ex officio procedere contra reum delinquentem intra triginta dies ſi vult proſequi eandem inſtantiam; aliàs ſi nouam vult proponere in opinione communi, quæ id aſſerit, poterit nouam accuſationem intendere intra idem tempus: ita docet expreſsè Imola *in l. penult. ff. de public. indic. colum. 2. prope finem.* Anton. Gomez *tomo 3. var. cap. 1. num. 36.* & alij.

5. Illatio ſecunda.

Infertur ſecundò, licèt in delictis in quibus pendente lite, & accuſatione pro certa pecunia fit concordia inter reum delinquentem, & actorem, ſeu accuſatorem, cùm accuſator pro ea pecunia ab accuſatione deſiſtit, & veniam reo impertit, poſſe iudicem accuſare ex officio intra eoſdem triginta dies, ſi vult inchoatam inſtantiam, & accuſationem proſequi à tempore deſiſtentiæ, aliàs illis tranſactis in opinione, quæ docet, poſſe nouum accuſatorem nouam ponere accuſationem, debet de nouo incipere, & nouam inſtantiam, & proceſſum intra tempus à iure præſcriptum inchoare; ita docet Cardinalis *in cap. de his, de accuſat. colum. 2.* argumento text. *in prædicta l. libellorum, §. finali, ff. de accuſat.* & Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 36. notabili primo.* Vnde reprobatur ſententia Bartoli *in l. transfigere, C. de tranſact. lect. 2. colum. 1. in medio*, vbi expreſsè tenet, facta concordia, & tranſactione inter partes, debere alium accuſatorem, vel iudicem nouum proceſſum, & accuſationem inchoare; eo quòd prima per prædictam tranſactionem, & concordiam, iam ſit perempta, & extincta, & idem ſentit cum Bartolo, idem Felin. *in cap. de his, de accuſat. colum. 1. num. 3.* Neque ratio Bartoli aliquid probat, nam per concordiam illam perempta, & extincta eſt illa accuſatio, quoad tranſigentes ſolùm, non quo ad alios; vt expreſsè dicitur *in l. finali, C. ſi reus, vel accuſator mortuus fuerit.*

Cardinalis. Ant. Gom. Bartol.

6. An teſtes primæ accuſationis fidem faciant in ſecunda.

Quæſtio tamen eſt, an in caſibus, in quibus extincta eſt accuſatio, & perit, extinguitúrque inſtantia per mortem accuſatoris, vel per pacem, & concordiam partium, & alia de nouo accuſatio inchoatur, teſtes primæ accuſationis peremptæ, fidem faciant in ſecunda, & noua accuſatione; ita vt de nouo teſtimonium ferre poſſint, nam cùm prima inſtantia ſit perempta, atque extincta, videtur, non poſſe facere fidem in alia inſtantia, & accuſatione diuerſa. Reſpondendum tamen eſt, ſi prædicti teſtes viuunt, & præſentes ſunt, poſſe iterum de nouo interrogari, & antiquam eorum probationem nullam eſſe, & extinctam cum prima ipſa inſtantia, & accuſatione; ſi verò iam ſunt mortui, vel ita longo tractu abſentes, vt commode interrogari non poſſint, tunc ne delicta impunita maneant antiquæ probationes prioris inſtantiæ, & accuſationis valent, & habent integrum effectum; ita probat text. *in l. finali, C. de teſtibus,* vbi diſponitur perempta, extinctáque inſtantia, cœpta coram arbitris, ſi iterum cauſa agitetur coram iudice ordinario, debere repeti, & examinari de nouo teſtes, ſi viuunt; ſi verò ſunt iam mortui, eorum dicta fidem facere, & plenam probationem in ſecunda, & noua inſtantia; & confirmatur etiam hoc ex textu *in l. penultima, §. finali, C. de arbitr.* & ex *cap. præſentata, de teſtibus*, & ita diſponitur *in l. 38. tit. 16. partita 3.* & docet Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 37.* Gomez.

7. Hæc de iure; de conſuetudo tamen hodie extincta inſtantia in cauſa criminali per concordiam partium, vel morte accuſatorum, vel ex qualibet alia cauſa poterit alius accuſator, vel iudex ex officio proſequi, & continuare eandem accuſationem, & proceſſum quocumque tempore, etiam poſt triginta dies, ita ſingulariter tenet ſolus Angelus de Peruſ. *in dicta l. transfigere, C. de tranſact. colum. 2. num. 7.* & addit Anton. Gomez *allegatus num. 38.* fortè æquum, & iuſtum eſſe, hoc hodie ſic eſſe in praxi, fauore Reipublicæ, propter vitandos circuitus, & expenſas; quare ſi alicubi ea conſuetudo fuerit, ſeruari debet, quia rationi conſentanea eſt.

8. An quando delictum inuenitur punitum diuerſis legibus, ex qua puniendum ſit.

Tertium dubium eſt, an quando delictum inuenitur punitum pluribus legibus, ex qua puniendum ſit. Reſpondent iuris Ciuilis periti, ſi illud delictum in omnibus punitur vnica tantùm pœna, tunc ſiue puniatur per vnam legem, ſiue per plures, non poſſe ampliùs puniri, & accuſari, quàm ſemel, patet ex *l. Senatus, ff. de accuſat.* ibi, *Senatus cenſuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret.* & *ibi* Gloſſa ordinaria, Bartolus, Albericus, Angelus, & communis DD. opinio. Si diuerſæ pœnæ imponantur pluribus legibus, & conſtet, quòd cumulatiuè imponuntur, eo quòd expreſsè id exprimitur, tunc omnes poſſunt imponi; patet ex *l. qui ſepulch. C. de ſepulch. viol.* ibi, *Quæ pœna priſcæ ſeueritati accedit.* Si conſtat quòd vna pœna tollit, & corrigit aliam, illa ſola debet imponi; ita diſponitur *in l. 1. ff. ad l. Aquiliam.* Si diuerſæ pœnæ pluribus legibus imponantur, & nec tacitè, nec expreſsè diſcerni poteſt, an vna tollat, & corrigat alia, tunc iuxta aliquos neutra corrigit, aut tollit aliam, etiamſi conſtet de prioritate, & poſteritate

illarum:

illarum: ita expreſsè probat textus *in l. quoties, verſ. ſi eodem facto, ff. de act. & obligat.* & hanc opinionem tenet expreſsè Bartol. *in l.* 1. *ff. vi bonorum rapt.* & Baldus *in l. in eum, C. de furtis*, & plures quos citat Anton. Gomez *tomo* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 38. *concluſ.* 4. Alij (& veriùs) exiſtimant vltimam pœnam poſterioris legis tollere priorem, ita docet idem Antonius Gomez *ibidem, ad medium*, & id probat ex textu *in Auth. vt nulli iudicum, §. ſi verò quando, collat.* 9. & ex textu *in Auth. ſed hodie, C. de adulter.* vbi ſimpliciter aſſerunt iura, adulteram conuictam de adulterio detrudendam eſſe in Monaſterium, & *ibi* affirmant DD. pœnam legis antiquæ, quæ erat pœna mortis, corrigi, ac tolli per hanc poſteriorem pœnam detruſionis in Monaſterium poſterioris legis, eo quòd lex poſterior ſemper corrigat, ac tollat legem priorem; & hanc opinionem cum prædicto Antonio Gomezio, tenent pluſquam viginti Authores, quos ille *ibid.* citat. Ego in hoc iuris puncto dicerem videndum eſſe, an ſingulæ pœnæ, quæ in ſingulis legibus continentur, ſint adæquatæ delicto: ſi ſunt adæquatæ delicto, ſine dubio vltima, & poſterior lex corriget, & tollet priorem, cùm æquitas humana non patiatur tantam pœnarum ſeueritatem; ſi non ſunt adæquatæ delicto, poſteriores non corrigent, nec tollent priores, & tunc iudex eliget ex illis pœnis, quas pœnas, aut quam pœnam delicto imponat, attentis, & conſideratis circumſtantiis delicti, grauitate illius, & grauitate, ac ſeueritate pœnarum, & hæc opinio eſt clara, & conformior rationi; & eam tenet Baldus *in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinitat. & fid. Catholic. colum.* 7. *initio, & in l. data opera, C. qui accuſare non poſſunt, colum.* 2. *num.* 5. & Imola *in l.* 2. *ff. de public. iud. colum.* 2. *in fine, verſ. quid autem ſi*, & Paulus Caſtrenſis *in dicta l. cunctos populos, colum.* 2. *num.* 6. Et ratio eſt euidens, quia ad iudicem ſpectat merita cauſæ expendere, qualitatem delicti videre, vim probationum inſpicere; ergo ad illum etiam pertinet, pœnam eligere, quæ tali delicto reſpondeat.

Bartol. Baldus. Ant. Gom. — Sententia authoris. — Baldus. — Imola. P. Caſtrenſ.

9\. *Ciuitas delinquit, quomodo tota puniatur.*

Quartum dubium eſt, quomodo puniri poſſit ciuitas, populus, aut vniuerſitas, ſi tota delinquat. Reſpondeo, aut delictum tale eſt, quod pœna pecuniaria puniri poſſit, aut tale, quod iuxta leges, & iuris diſpoſitionem pœnam ſanguinis, mortis, aut mutilationis mereatur. Si pœna pecuniaria puniri poteſt, bene poteſt cadere in totam ciuitatem, & in ſingulos illius ciues, & tunc ex illorum bonis, fiet pœnalis ſolutio, & ſi non habent bona ſufficientia, cogentur ſoluere certam mulctam annuatim, aut per ſingulos menſes, quam ipſi poſſint ſuis laboribus, & operis acquirere; ita communiter Doctores *in l.* 1. *§. finali, ff. quod cuiuſque vniuerſitatis nomine*, & *ibi* Gloſſa ordinaria, & Bartolus *in l.* 4. *§. actor, ff. de re iudicata*, & Antonius Gomez *tomo* 3. *cap.* 1. *num.* 53.

Bartol. Gomez.

10\. Si pœnam mortis, aut mutilationis mereatur ipſa ciuitas, aut vniuerſitas in ſe puniri non poteſt tali pœna; nam ciuitas, & vniuerſitas eſt perſona ficta inſenſibilis, & non eſt capax pœnæ ſenſitiuæ, nec poteſt dici poſſe tunc punire omnes ciues, & omnes pœna mortis, & mutilationis eſſe afficiendos, quia tunc punirentur infantes, mulieres maiores, & minores inculpabiles, qui nullum delictum commiſerunt, nec ſceleris fuerunt participes, quod ſpecies crudelitatis inauditæ eſſet. Dicendum nihilominus eſt, ſi delictum ſit grauiſſimum, & enormiſſimum, ob quod filius puniri poſſit pro patre, aut pater pro filio, aut in crimine læſæ maieſtatis diuinæ, & humanæ, de quo *in cap. ſtatutum, de hæreticis in* 6. *& in cap. Felicis, de pœnis, eodem libro; & in l. quiſquis, §. filij, C. ad legem Iuliam maieſtatis.* Populúmque benè, & iuſtè poſſe ipſam ciuitatem, & vniuerſitatem in ſe ipſa puniri ſeuerè, & criminaliter ipſam ſolo æquando, aratróque ſcindendo, & ſale aſpergendo, ſicut contigit olim Carthagini, quæ paſſa eſt aratrum, illa enim pœna, quæ ipſi vrbi tunc datur, reputatur in iure pro pœna mortis ciuilis, omnes tamen perſonæ illius ciuitatis, non debent tunc puniri, quia non omnes deliquerunt; quod optimè probat textus *in l. ſi vſuſfructus ciuitati legetur, ff. quibus modis vſuſfructus amittatur.* ibi, *ſi vſuſfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea inducatur, ciuitas eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago, ideóque quaſi morte deſinit habere vſumfructum.* Et verò licèt tunc ij, qui nullam culpam commiſerunt, ciuitate, & domiciliis careant, nullum eſt inconueniens, cùm delictum tale ſit, vt vnus poſſit pro alio puniri, in priuatione bonorum domicilij, habitationis, & famæ; ſi verò delictum non ſit grauiſſimum, & enormiſſimum, ſed commune, & ſimplex, vt homicidium, reſiſtentia, vel quodlibet aliud ſimile, tunc quia pœna mortis non poteſt habere locum in ciuitate, eo quòd non ſit perſona animata, ſed ficta, benè poterit prædicta pœna ſolo æquationis à iudice alterari, & mutari in aliam, iuxta textum *in l. quid ergo, §. pœna grauior, ff. de his, qui notantur infamia*, & ita docet Gomez *tomo* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 53. *fine.* & communis Doctorum.

Gomez.

Sed adhuc inquiro, an quando delictum eſt grauiſſimum, & enormiſſimum, vt in crimine læſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ, & ciuitas ſolo æquatur, modo prædicto, vltra hanc pœnam puniendæ ſint morte ipſæ ſingulares, & particulares perſonæ illius. Reſpondeo tunc poſſe puniri ſpeciales perſonas, quæ illud commiſerunt, tam mandantes, quàm mandatarias, & ob eandem rationem à fortiori debent puniri Rectores, & gubernatores vrbium, qui conſilium, mandatumve dederunt, ita Paulus Caſtrenſis *in l. ſicut, col.* 5. *ff. quod cuiuſque vniu. nomine.* Cynus *in l. ſi quis in tantam, C. vnde vi, col. penult.* Cardinalis *in cap. dilect.* 2. *de ſimon. col. finali.* Abbas *ibi col.* item *finali*, Ananias *col. penult. quæſt.* 4. Bartolus *in l. aut facta, §. finali, ff. de pœnis, col.* 12. Antonius Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 1. *num.* 54. & ita factum fuit olim tempore communitatum Regni Caſtellæ, quando aliquæ ciuitates, communi conſenſu, contra Principem, & Imperatorem ſuum Carolum V. meliori zelo, quàm conſilio rebellarunt, licèt enim communi conſilio id fecerint, tamen etiam punitæ fuerunt perſonæ aliquæ particulares, & ſingulares, quæ verè, & realiter delictum commiſerunt, & ſimiliter ipſi Rectores, & Gubernatores illarum, vt refert Anton. Gomez *allegatus.* 11.

Delictum quando eſt grauiſſimum, quid. — P. Caſtrenſ. — Cynus. Cardinalis. Abbas. Ananias. Bartol. Ant. Gom.

Quartum dubium eſt, an minor poſſit delinquere, ita vt poſſit puniri; & verò pro huiuſmodi dubij perfecta intelligentia, antequam ad illud reſpondeamus, 12.

Notantur aliqua circa minorem.

Iul.Clar. lina *tomo 4. de iuſtit. tract.* 111. *diſp.* 36. *num.* 3. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſent.* §. *vlt. q.* 60.

17. Multi tamen, quos refert Anton. Gomez *citatus num.* 66. in quotum ſententia propendet Gregor. Lopez *l.* 4. *tit.* 19. *part.* 6. Inter quos eſt Alexand. *conſil.* 80. *colum.* 1. *num.* 20. *volum.* 7. Alciatus *in tractat. præſumpt. præſ.* 42. *in fine*; aſſerunt ſi minor de quo loquimur, confeſſus fuit ſuum delictum non ſufficienter aliunde probatum, poſſe reſtitui in integrum aduersùs eam confeſſionem, iuramento etiam confirmatam, vt ſibi non noceat, ſed reducatur ad ſtatum, in quo ante talem confeſſionem lis erat, refértque Anton. Gomez in quodam euentu, minorem quendam præuia conſultatione reſtitutum fuiſſe; ipſe verò multis, ac validis rationibus probat non habere locum talem reſtitutionem, niſi probetur prædictum minorem tale delictum non commiſiſſe, & in eo læſum fuiſſe per ſuam confeſſionem, in quo euentu maior etiam reſtitueretur, & huic Antonij Gomezij ſententiæ conſentit Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *vltimo, quæſt.* 60. *num.* 4. & eam ſequitur Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tractat.* 111. *diſput.* 36. *num.* 4. modò minor iuridicè interrogatus fuerit, ita vt confiteri ſuum crimen teneretur, quia videlicet iam dabatur aduersùs illum ſemiplena probatio, hoc eſt, vnus teſtis, omni exceptione maior, aut talia indicia, quæ ſemiplenæ probationi æquipollerent, ſi enim ſemiplena probatio aduersùs illum non eſſet data, ſanè confiteri non tenebatur ſuum delictum, quamuis illud commiſiſſet, ac proinde eo ipſo conſtaret, eum ſibi læſiſſe ſua confeſſione, concedendaque proinde ei foret reſtitutio in integrum aduersùs eam læſionem ſibi indebitè factam, & maximè concurrente culpa iudicis non iuridicè interrogantis eum minorem.

Ant Gom. Iul.Clar. Molina.

SVMMARIVM.

Minor pubertati proximus, nulla omnino pœna, nec ordinaria, nec arbitraria puniri poteſt pro delictis ſequentibus; primò quando eo ſciente in domo illius falſa moneta excuditur. num. 18.

Secundò, ſi crimen ſit carnis, vt adulterium, ſtuprum, ſodomia, & concubitus cum beſtia. num. 19.

Quid ſi in ea ætate potens ſit ad generandum, & an matrimonium valeat, ſi ab illo contrahatur. num. 20. & 21.

Quid ſi quis minor viginti quinque annorum Virginem deflorauerit. num. 22.

Tertiò ſi delictum in non faciendo, ſeu in omittendo merè conſiſtat, modò non ſit valdè ſuſpectus, participem illius fuiſſe. num. 23.

Si minor damnatus ſit ad exilium, & illud non impleuerit, & ob id in carcerem trudatur, an poſſit reſtitui in integrum. num. 24.

Minor pubertati proximus propter homicidium, & alia delicta, exceptis tribus præcedentibus, pœna arbitraria damnari poteſt arbitrio iudicis, non ordinaria. num. 25.

An minor viginti quinque annis, ſpectato iure communi damnandus ſit, pœna ordinaria mortis, ſi deliquerit, an pœna arbitraria. Refertur prima ſententia aſſerens non teneri iudicem minori pœna, quàm ordinaria illum punire, poſſe tamen id efficere ſi voluerit. num. 26.

Præfertur ſecunda aſſerens teneri pœnam ordinariam minuere, & ob id in reſidentia teneri de ſyndicatu. num. 26.

Quid de iure Regni Caſtellæ. num. 27.

Quid de iure Luſitano. num. 28.

Quando minor deliquit in ætate, in qua pœna ordinaria puniri non poteſt, an poſtea in maiori ætate puniri illa poſſit. num. 29.

A Doctrina hactenus tradita, quòd ſcilicet minor, ſeu impubes pubertati proximus, puniri poſſit, ac debeat pro delictis arbitrariè in ea ætate commiſſis, excipiuntur nonnulla delicta, quæ memoria tenenda ſunt. 18.

Minor pubertati proximus nulla pœna puniri poteſt in delictis quæ ſequuntur. Primò.

Excipitur imprimis delictum, quo in domo talis minoris, & impuberis falſa moneta excuditur, ipſo bene ſciente, neque impediente, nec manifeſtante; ſi enim ad falſam monetam non cooperetur, propter debitum excuſſionis, quod ab aliis patratur, non amittit ſuam domum, vt illam amitteret, ſi pubes eſſet, & quatuordecim annos completos haberet; ita habetur *l.* 1. *C. de falſa moneta, & l.* 9. *tit.* 7. *part.* 7. & docet Molina *tract.* 2. *diſp.* 702. *& tomo* 4. *tract.* 3. *diſp.* 36. *n.* 5.

Excipitur ſecundum delictum carnis, vt adulterium, ſtuprum, ſodomia, aut concubitus cum beſtia; tum quia præſumptio eſt iuris, & de iure vſque ad pubertatis annos, potentem non eſſe ad delictum committendum, illúdque proinde non commiſiſſe ad hunc effectum, vt propter illud puniatur, tum quia ea de cauſa, & propter imprudentiam in ea ætate, qua expendere nequit malitiam delicti; ad quod fortè aliquis ex complexione valdè propenſus eſt, noluit ciuile ius, vt impuberes pro eo delicto punirentur, *l. ſi minor, ff. ad legem Iuliam de adulter. cap.* 1. *de delictis pueror.* & propter vtramque rationem, quam reddidimus, ita expreſsè diſponitur *in l.* 2. *Regni Caſtellæ, tit.* 21. *part.* 7. *& l.* 21. *tit.* 1. *part.* 1. & ita docet Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tract.* 3. *diſp.* 36. *num.* 5. *verſ. ſecundò excipitur*; & Anton. Gomez *tomo* 3. *var. cap.* 1. *n.* 60. 19. *Secundò.* Molina. Ant.Gom.

Si tamen ante pubertatem quis eſſet potens ad delictum carnis committendum, & malitia ſuppleret ætatem, exiſtimant aliqui huiuſmodi impuberem, pubertati proximum, generare potentem, dolíque capacem, ſi delictum carnis committat, illúdque compleat, vt adulterium, ſtuprum ſodomiam, vel concubitum cum beſtia, puniendum quidem eſſe pœna aliqua non ordinaria, ſed arbitraria ad iudicis arbitrium; inter quos eſt etiam Gregorius Lopez *in iuribus citatis*, & gloſſa *in cap.* 1. 20. *quæſt.* 1. quam citat, ſed non ſequitur Anton. Gomez *tomo* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 59. *in fine.* Fundamentum illorum eſt, quia ſi malitia ſupplet ætatem, & in ea ætate potens eſt puer ad generandum, valet, & tenet matrimonium, licèt enim ante pubertatem non conſiſtat matrimonium, vt habetur *in cap. à nobis, & in cap. de illis* 2. *& in cap. finali, de ſponſalibus impub.* tamen ſi malitia ſupplet ætatem, benè valet matrimonium; & ita refert D. Gregor. *in lib. Dialog.* puerum quendam nouem annorum nutricem ſuam grauidaſſe; & verò quòd in matrimonio malitia ſuppleat ætatem, egregiè probat Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſputat.* 104. *num* 5. vbi ita ait: *Conſtat in matrimonio malitiam ſupplere ætatem, atque adeò validum eſſe matrimonium ante ætatem iure præſcriptam initum, ſi tunc adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum*; *quod expreſsè definitur*, in cap. de illis 2. & in cap. puberes; & in cap. finali, de ſponſalib. impuber. *Nam ius Canonicum ideo pubertatem præſcribit ad valorem matrimonij, quòd* 20. *Quid ſi in ea ætate potens ſit ad generandum.*

Notandum primum. Notandum in primis eſt, minorem quatuordecim annorum in maſculis, & duodecim annorum in fœminis, non poſſe contrahere matrimonium; patet ex *cap.1.*& ex *cap.continebat*, & ex *cap.de illis, de ſponſalib.impub.*

Notandum ſecundum. Notandum ſecundum, minorem ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum non poſſe vocari ad iudicium, ſine authoritate ſui curatoris; ita docet Anton. Gomez *variar.cap.1.num 54 verſ. item minor*, & conſtat ex *l. clarum, C. de authorit. præſt.*

Notandum tertium. Notandum tertiò, minorem vigeſimo quinto anno, maiorem tamen 18. poſſe eſſe iudicem, ſi fiat per electionem partium, ſecus per ſucceſſionem, vt filius Regis, qui ſuccedit in Regno, vel alterius domini; quia tunc iuriſdictio debet exerceri per curatorem, patet ex *cap. grandi, de ſuppl. neglig. Prælat.* & ex *l. quidam conſulebat, ff. de re iudic.* docet Anton. Gomez *allegatus.*

Notandum quartum. Notandum quartò, minorem vigeſimo quinto anno, maiorem tamen 17. poſſe eſſe Doctorem; argumento text. *in l. 1. §. pueritiam, ff. de poſtul.* & *ibi* Bartol. & Anton. Gomez *citatus*, & alij. item minor 25. anno, maior tamen 14. poteſt eſſe Tabellio, vel Notarius, ſpectato iure communi; ita probat text. *in l. impuberem, ff. ad legem Corneliam, de falſ.* & *ibi* tenet expreſsè Bartol. Decurio tamen populi, non poteſt eſſe minor 25. anno, iuxta textum *in l. ſpurij, §. 1. ff. de decurion.* & *ibi* Bartol. neque obſtat, quòd talis minor poſſit eſſe iudex per electionem, vt diximus, quia decuriones populi Luſitanè *Vreadores*, vltra vocem quam præbent in conſilio, habent curam, & adminiſtrationem bonorum ciuitatis, quæ non competit minoribus 25. annorum, etiam in ſuis propriis bonis. His notatis

13. Ad quæſitum reſpondeo. Minor, ſi tempore infantiæ, hoc eſt, vſque ad ſeptennium ſuæ ætatis, ſi homicidium, vel delictum aliud committat, non poteſt ob illud puniri ob defectum vſus rationis. Idem de furioſo, & de quocumque alio carente vſu rationis. Ita Antonius Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 57.* Molina *tomo 4. de iuſtit. tractat. 3. diſputat. 36. num. 1.* Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. vltimo, quæſt. 60. num. 1.* & Carrer. *in practic. §. 6. de homicid. num. 1.* patet ex text. *in l. infans, ff. ad legem Corneliam de ſicar.* & ex *Clement. ſi furioſus, de hom.* neque incurrit irregularitatem ob tale homicidium. Et ratio euidens eſt, quia dum actus obiectiuè malos exercent, vſum rationis non habent, eáque de cauſa, nullam in eis exercendis culpam habent; vbi autem non eſt culpa, non habet locum pœna. *Ant.Gom. Molina. Iul.Clar.*

14. Idem eſt, ſi talis minor ſit proximus infantiæ, etiamſi doli capax ſit, ita docent authores modò citati; & probat textus *in §. pupillus, Inſtit. de inutilib. ſtipulat.* ibi, *Nam infans, & infantiæ proximus, non multum à furioſo diſtat, quia huiuſmodi ætatis pupilli, nullum habent intellectum.* & multo clariùs probat textus *in §. penult. Inſtit. de obligat. quæ ex delictis; & in l. pupillum, ff. de regul. iuris*; & conſtat ex *l. etiam 21. titulo 1. partit. 1. & lib. 6. in fine, tit. 5.* Dicitur autem minor proximus infantiæ in maſculis à ſeptennio, vſque ad decem & dimidium; nam ſi infantia duret vſque ad ſeptem annos, & pubertas vſque ad decimum quartum in maſculis, illud medium tempus dicetur proximum infantiæ, & ſic vſque ad decennium, & dimidium dicetur minor, proximus infantiæ, & poſt decem annos, & dimidium, vſque ad quatuordecim completos, dicetur proximus pubertati in maſculis; vt optimè docent Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 57.* Molina *tomo 4. de iuſtitia, tractat. 3. diſputat. 36. num. 2.* Exiſtimat tamen Molina *ibi* (& optimè) ſi huiuſmodi minor proximus infantiæ, hoc eſt, habens decem annos ſupra dimidium, culpa ſua Theologica damnum det, teneri ad reſtitutionem illius, licèt pœnam non incurrat, & id latè probat *diſputat. 697.* Et ratio eſt, quia ex fictione iuris ſupponitur huiuſmodi minores in ea ætate non habere perfectum vſum rationis, & ideo ius illos à pœnis excuſat, ac cùm re vera illum in ea ætate habeant, à damno in conſcientia non excuſantur. *Gomez. Molina.*

In fœminis verò illa dicitur proxima infantiæ, quæ habet nouem annos ſupra dimidium, 15.
poſtea verò vſque ad duodecimum, in quo puber facta eſt, dicitur proxima pubertati; ita docent Molina, & Antonius Gomez *allegati*, & expreſsè tenet Gloſſa ordinaria *in l. pupillum, ff. de regul. iuris, & in l. 1. ff. de nouat.* gloſſa *in §. in ſumma, Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſc.* & expreſsè etiam tenet Bartol. *in l. 1. de nouat. colum. 2. num. 6.* Paulus Caſtrenſis, & Ioannes Imola; licèt enim alij contrarium exiſtiment, & dicant illum, vel illam proximum, vel proximam eſſe pubertati, qui parum à pubertate diſtat, diſtare autem parum, qui diſtat per dimidium annum, inter quos eſt Baldus *in l. excipiuntur, ff. ad Syllan.* tradita tamen doctrina eſt verior, & tenenda. *Molina. Ant.Gom. Gloſſa. Bartol. Paul.Caſtr. Imola.*

Si verò minor non infantiæ, ſed pubertati ſit proximus, hoc eſt, ſi maſculus decimum annum cum dimidio excedat, & fœmina nonum, & dimidium, tenentur ex delictis, ſed puniendi ſunt pœna arbitraria, non ordinaria, vt dicemus *infrà*. Ita communiter DD. ſententia habet, quam referunt, ac ſequuntur Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 58.* Iulius Clarus *lib 5. ſentent. §. vltimo, quæſt. 60. num. 2.* Molina *tomo 4. de iuſtit. tractat. 3. diſputat. 36. num. 3.* & Gregor. Lopez *l. 4. titul. 19. part. 6. & l. 9. tit. 1. part. 7.* & habetur *in l. pupillum, ff. de regul. iuris*, ibi, *Pupillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe furandi, & iniuriæ faciendæ, &c. l. impuberem, ff. de furtis, §. penultim. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto naſcunt.* Et ratio eſt, quia delicta, velut furta, homicidia, &c. ſunt prohibita iure naturali, in quo non eſt tolerabilis ignorantia, quia ex ipſo inſtinctu, ductúque naturæ, conſtat malum eſſe alterum lædere, & quod ſibi nemo vult fieri, alteri non eſſe faciendum, vnde cùm talis minor in ea ætate reputetur capax iuris naturalis, meritò tenetur, & punitur ex delicto, & non poteſt ab aliqua pœna illius excuſari. Ex qua ratione optimè infertur talem minorem non poſſe reſtitui in integrum aduersùs delictum commiſſum, vt pœnam, quam meretur, euadat, conſtat ex *l. ſi ex cauſa, §. nunc videndum, ff. de minorib.* & ex *l. 1. C. ſi aduerſus delictum*, ibi, *In criminibus quidem ætatis ſuffragio minores non iuuantur, etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat.* & ita affirmat communis DD. ſententia, Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 58. in fine.* Molina 16. *Ant.Gom. Iul.Clar. Molina. Greg.Lop. Gomez. Molina.*

Iul.Clar.

lina *tomo* 4. *de iuſtit. tract.* 111. *diſp.* 36. *num.* 3. Iul. Clar. *lib.* 5. *ſent.* §. *vlt. q.* 60.

17. Multi tamen, quos refert Anton. Gomez *citatus num.* 66. in quorum ſententia propendet Gregor. Lopez *l.* 4. *tit.* 19. *part.* 6. Inter quos eſt Alexand. *conſil.* 80. *colum.* 1. *num.* 20. *volum.* 7. Alciatus *in tract. præſumpt. præſ.* 42. *in fine*; aſſerunt ſi minor de quo loquimur, confeſſus fuit ſuum delictum non ſufficienter aliunde probatum, poſſe reſtitui in integrum aduersùs eam confeſſionem, iuramento etiam confirmatam, vt ſibi non noceat, ſed reducatur ad ſtatum, in quo ante talem confeſſionem lis erat, refértque Anton. Gomez in quodam euentu, minorem quendam præuia conſultatione reſtitutum fuiſſe; ipſe verò multis, ac validis rationibus probat non habere locum talem reſtitutionem, niſi probetur prædictum minorem tale delictum non commiſiſſe, & in eo læſum fuiſſe per ſuam confeſſionem, in quo euentu maior etiam reſtitueretur, & huic Antonij Gomezij ſententiæ conſentit Iulius Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *vltimo, quæſt.* 60. *num.* 4. & eam ſequitur Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tractat.* 111. *diſput.* 36. *num.* 4. modò minor iuridicè interrogatus fuerit, ita vt confiteri ſuum crimen teneretur, quia videlicet iam dabatur aduersùs illum ſemiplena probatio, hoc eſt, vnus teſtis, omni exceptione maior, aut talia indicia, quæ ſemiplenæ probationi æquipollerent, ſi enim ſemiplena probatio aduersùs illum non eſſet data, ſanè confiteri non tenebatur ſuum delictum, quamuis illud commiſiſſet, ac proinde eo ipſo conſtaret, eum ſibi læſiſſe ſua confeſſione, concedendaque proinde ei foret reſtitutio in integrum aduersùs eam læſionem ſibi indebitè factam, & maximè concurrente culpa iudicis non iuridicè interrogantis eum minorem.

Ant Gom.
Iul.Clar.
Molina.

SVMMARIVM.

Minor pubertati proximus, nulla omninò pœna, nec ordinaria, nec arbitraria puniri poteſt pro delictis ſequentibus; primò quando eo ſciente in domo illius falſa moneta excuditur. num. 18.

Secundò, ſi crimen ſit carnis, vt adulterium, ſtuprum, ſodomia, & concubitus cum beſtia. num. 19.

Quid ſi in ea ætate potens ſit ad generandum, & an matrimonium valeat, ſi ab illo contrahatur. num. 20. & 21.

Quid ſi quis minor viginti quinque annorum Virginem deflorauerit. num. 22.

Tertiò ſi delictum in non faciendo, ſeu in omittendo merè conſiſtat; modò non ſit valdè ſuſpectus, participem illius fuiſſe. num. 23.

Si minor damnatus ſit ad exilium, & illud non impleuerit, & ob id in carcerem trudatur, an poſſit reſtitui in integrum. num. 24.

Minor pubertati proximus propter homicidium, & alia delicta, exceptis tribus præcedentibus, pœna arbitraria damnari poteſt arbitrio iudicis, non ordinaria. num. 25.

An minor viginti quinque annis, ſpectato iure communi damnandus ſit pœna ordinaria mortis, ſi deliquerit, an pœna arbitraria. Refertur prima ſententia aſſerens non teneri iudicem minori pœna, quàm ordinaria illum punire, poſſe tamen id efficere ſi voluerit. num. 26.

Præfertur ſecunda aſſerens teneri pœnam ordinariam minuere, & ob id in reſidentia teneri de ſyndicatu. num. 26.

Quid de iure Regni Caſtellæ. num. 27.

Quid de iure Luſitano. num. 28.

Quando minor deliquit in ætate, in qua pœna ordinaria puniri non poteſt, an poſtea in maiori ætate puniri illa poſſit. num. 29.

A Doctrina hactenus tradita, quòd ſcilicet minor, ſeu impubes pubertati proximus, puniri poſſit, ac debeat pro delictis arbitrariè in ea ætate commiſſis, excipiuntur nonnulla delicta, quæ memoria tenenda ſunt. 18.

Minor pubertati proximus nulla pœna puniri poteſt in delictis quæ ſequuntur. Primò.

Excipitur imprimis delictum, quo in domo talis minoris, & impuberis falſa moneta excuditur, ipſo bene ſciente, neque impediente, nec manifeſtante; ſi enim ad falſam monetam non cooperetur, propter debitum excuſſionis, quod ab aliis patiatur, non amittit ſuam domum, vt illam amitteret, ſi pubes eſſet, & quatuordecim annos completos haberet; ita habetur *l.* 1. *C. de falſa moneta, & l.* 9. *tit.* 7. *part.* 7. & docet Molina *tract.* 2. *diſp.* 702. *& tomo* 4. *tract.* 3. *diſp.* 36. *n.* 5.

Excipitur ſecundum delictum carnis, vt adulterium, ſtuprum, ſodomia, aut concubitus cum beſtia; tum quia præſumptio eſt iuris, & de iure vſque ad pubertatis annos, potentem non eſſe ad delictum committendum, illúdque proinde non commiſiſſe ad hunc effectum, vt propter illud puniatur, tum quia ea de cauſa, & propter imprudentiam in ea ætate, qua expendere nequit malitiam delicti; ad quod fortè aliquis ex complexione valdè propenſus eſt, noluit ciuile ius, vt impuberes pro eo delicto punirentur, *l. ſi minor, ff. ad legem Iuliam de adulter. cap.* 1. *de delictis pueror.* & propter vtramque rationem, quam reddidimus, ita expreſsè diſponitur *in l.* 2. *Regni Caſtellæ, tit.* 21. *part.* 7. *& l.* 21. *tit.* 1. *part.* 1. & ita docet Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tract.* 3. *diſp.* 36. *num.* 5. *verſ. ſecundò excipitur*; & Anton. Gomez *tomo* 3. *var. cap.* 1. *n.* 60. 19.

Secundò.

Molina.
Ant.Gom.

Si tamen ante pubertatem quis eſſet potens ad delictum carnis committendum, & malitia ſuppleret ætatem, exiſtimant aliqui huiuſmodi impuberem, pubertati proximum, generare potentem, dolíque capacem, ſi delictum carnis committat, illúdque compleat, vt adulterium, ſtuprum ſodomiam, vel concubitum cum beſtia, puniendum quidem eſſe pœna aliqua non ordinaria, ſed arbitraria ad iudicis arbitrium; inter quos eſt etiam Gregorius Lopez *in iuribus citatis*, & gloſſa *in cap.* 1. 20. *quæſt.* 1. quam citat, ſed non ſequitur Anton. Gomez *tomo* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 59. *in fine.* Fundamentum illorum eſt, quia ſi malitia ſupplet ætatem, & in ea ætate potens eſt puer ad generandum, valet, & tenet matrimonium, licèt enim ante pubertatem non conſiſtat matrimonium, vt habetur *in cap. à nobis, & in cap. de illis* 2. *& in cap. finali, de ſponſalibus impub.* tamen ſi malitia ſupplet ætatem, benè valet matrimonium; & ita refert D. Gregor. *in lib. Dialog.* puerum quendam nouem annorum nutricem ſuam grauidaſſe; & verò quòd in matrimonio malitia ſuppleat ætatem, egregiè probat Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio, diſputat.* 104. *num* 5. vbi ita ait: *Conſtat in matrimonio malitiam ſupplere ætatem, atque adeò validum eſſe matrimonium ante ætatem iure præſcriptam initum, ſi tunc adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum; quod expreſsè definitur*, in cap. de illis 2. & in cap. puberes; & in cap. finali, de ſponſalib. impuber. *Nam ius Canonicum ideo pubertatem præſcribit ad valorem matrimonij, quod* 20.

Quid ſi in ea ætate potens ſit ad generandum.

præſumat ante eam ætatem completam non dari potentiam ad generandum ; quare ſi detur , id ſufficit. Hæc ille.

21\. Nihilominus contrarium dicendum eſt , in noſtro caſu ; nam ex delicto carnis, nullo modo, nec etiam arbitrariè punitur puer ante pubertatem , licèt enim in matrimonio malitia ſuppleat ætatem, tamen non tenetur quiſquam in ea ætate ex delicto ; & ratio eſt , quia ius Canonicum conſiderat ſolam viri potentiam ad generandum ad valorem matrimonij, vt teneatur quis virginem ducere , vel dotare , ſi eam ſtuprauit ; vt diſponitur *in cap. 1. de adulteriis*, in iure allegato, tamen quoad puniendum carnis delictum non ius Canonicum, ſed ciuile attendendum eſt; ius autem ciuile ſolùm attendit ætatem , non malitiam ; & ita docet expreſsè Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 60.* & Molina *tomo 4. de iuſtit. diſputat. 36. tractat. 3. num. 5. verſ. ſecundò excipitur*, & *ibi* aſſerit Anton. Gomez ſe in Regno Caſtellæ liberaſſe quendam puerum impuberem, qui deprehenſus fuerat in acceſſu , contra naturam ad carnem, & ſemen emiſerat , & probatum fuerat delictum oſtendendo iudici iura illa quæ citauimus *num. 19.* addit tamen Molina *allegatus* hoc verum eſſe ſtando in ſolo iure Regni Caſtellæ; ſtando verò in ſolo iure communi, non eſt, inquit, improbabile talem impuberem puniri poſſe pœna aliqua arbitraria, non ordinaria, pro carnis delicto, opere conſummato, virgineque grauidata, defloratave, aut adulterio perpetrato.

Ant.Gom. Molina.

22\. *Quid ſi quis minor 25. annorum defloraverit virginem.*

Eodem etiam modo, ſi aliquis pubes, aut maior viginti quinque annorum virginem immaturam vi ſtuprauit, tenetur pœna ordinaria delicti, ſiue ipſa poſſit corrumpi & generare, ſiue non poſſit. neque eam virginem eſſe immaturam , & quatuordecim annos non attingentem, ab ea pœna ordinaria ſtuprantem excuſabit, imò ſicut ea circunſtantia culpam ſtuprantis augeret, ſic etiam pœnam debet augere; ita docet Salicetus *in l. impunitus, C. de pœnis.* Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 60. fine.* Molina *tomo 4. de iuſtit. tractat. 3. diſputat. 36. num. 5. verſ. ſecundò excipitur, in fine.*

Salicetus. Gomez. Molina.

23\. *Tertiò.*

Excipitur tertiò, ſi delictum conſiſtat in omittendo, ſeu non faciendo, tunc enim non punitur prædictus minor pubertati proximus pœna aliqua ordinaria, vel extraordinaria, ita tamen, vt ſuſpectus valdè non ſit participem fuiſſe delicti; ita Iulius Clar. *lib. 5. ſent. §. vltimo, quæſt. 60. num. 3.* Anton. Gomez *modò citatus, num. 59.* Molina *tomo 4. de iuſtit. tractat. 3. diſputat. 36. num. 5. verſ. item à doctrina.* Gregor. Lopez *l. 4. tit. 19. part. 6. & l. 9. tit. 1. part. 7.* iuxta *leg. 1. §. impuberes , & l. excipiuntur , ff. ad Senatuſconſult. Syllan.* quæ iura manifeſtè de ſolis impuberibus loquuntur, & de ſolis huiuſmodi impuberibus, illa intelligunt Molina, Gregorius Lopez, & Iulius Clarus. Anton. verò Gomez vult illa extendere ad quoſcumque minores viginti quinque annorum, ductus *l. 2. C. ſi aduerſus delict.* vbi quamuis mater , quæ tutorem filiis non petiit, priuetur illorum ſucceſſione, tamen ſi eſt minor viginti quinque annis, non priuatur; itemque id probat ex *l. minoribus, C. de his, quibus vt indign.* vbi habetur hæredem, minorem vigintiquinque annorum, qui non vindicauit rem defuncti, non poſſe priuari hæreditate, cùm hæc conſiſtant in omittendo, ſeu in non faciendo; verùm exiſtimo cum Molina *allegato, dicto verſ. item à doctrina*, id ſolum habere locum in huiuſmodi euentibus à iure expreſſis, ſeu expreſsè exceptis; ſecus autem in euentibus, à iure non exceptis.

Meliùs animaduertit Anton. Gomez *dicto n. 59.* ſi minor pubertati proximus ſit damnatus ad exilium, & non impleuit, & ob id in carcerem trudatur, aut vexetur , poſſe in integrum reſtitui aduersùs eam ſententiam , vt ſibi non noceat, cùm illud delictum conſiſtat in omittendo , & addit Anton. Gomez. *Ego ita dixi, & allegaui de facto pro quodam paupere minore, licèt in terminis nunquam inueni authorem de hoc.* imò ibi videtur Antonius Gomez, quantum ex antecedentibus colligi poteſt, loqui de minore viginti quinque annis, ſequens ſuam opinionem; verùm ſi de his minoribus viginti quinque annorum loquatur; eſt opinio illius valdè ſingularis, & ideo iuxta alios DD. ſolùm de minori pubertati proximo intelligi debet , nam in huiuſmodi minoribus hoc procedere tantùm poteſt , iuxta traditam doctrinam. 24.

25\. *Minor 25. annorum in quibus delictis puniri poſſit, præter tria præcedentia.*

Exceptis his tribus delictis, de quibus hactenus egimus, *à num. 18.* in quibus minores pubertati proximi, nulla pœna ordinaria , vel arbitraria puniuntur. In aliis delictis, vt in homicidio, in furto, in periurio, &c. non poſſunt puniri ordinaria pœna , illis in iure decreta , ſed alia arbitraria, & multo mitiori , arbitrio iudicis, & in hoc conſentiunt DD. ita Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. num. 61. & 63.* Iulius Clarus *lib. 5. ſent. §. vltimo, quæſt. 60. num. 3.* vbi multos citat Molina *tomo 4. de iuſtit. tractat. 3. diſputat. 36. num. 6. initio*, & addit Iulius Clarus, *pro nullo delicto eſt eis imponenda mortis pœna*; & id probat lex *auxilium, §. in delictis, ff. de minor.* ibi, *Niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit.* Et loquitur huiuſmodi lex de pubertibus , & ideo maiori cum ratione locum habet in impuberibus pubertati proximis; & apertiùs de huiuſmodi impuberibus id probant *c. 1. & 2. de delictis puer. & l. 4. titulo 19. part. 6. & l. 9. titulo 1. & l. 8. titulo 31. part. 7.*

Ant.Gom. Iul.Clar. Molina.

26\. *In quibus pœna minui.*

Quod verò attinet ad puberes minores 25. annis, eſt dubium, num minui eis pœna ordinaria debeat, & alia mitiori, & arbitraria arbitrio iudicis puniendi ſint, & num ſi iudex eis illis non minuat, teneatur in ſyndicatu. Et hac de re eſt duplex opinio.

Opinio prima.

Prima aſſerit non teneri iudicem illis minuere pœnam ordinariam, poſſe tamen id efficere ſi vellet, & eſſe in illius arbitrio, ac proinde non teneri de ſyndicatu , ſi pœnam ordinariam illis non minuat, & alia mitiori arbitrio ſuo puniat, ita docet Alber. *in l. auxilium, § in delictis, ff. de minoribus.* Nam verba huius legis modò allata id ſignificare videntur; docet etiam Baldus *C. de ſeruis fugitiuis, col. 5.* Salicetus *ibi col. 2. num. 7.* Anan. *in cap. ſicut, de Iudæis, col. penult.*

Albericus. Salicetus. Baldus. Ananias.

Opinio ſecunda.

Secunda verò opinio docet, ſtando in iure communi, de quo procedit quæſtio, teneri iudicem illis minuere pœnam ordinariam, & aliàs grauare reum; & poſſe ab illo appellari, & de ſyndicatu teneri; ita docet Anton. Gomez *tomo 3. variar. cap. 1. & 63. poſt initium.* Ratio illius eſt, quia minor ætas eſt iuſta cauſa, ob quam iure poſſit minui pœna delicti; deinde quia in his, quæ iudicis arbitrio committuntur, ſi iudex iniquè arbitretur; & inferat grauamen, poteſt ab

eo

eo appellari, niſi id commiſſum ſit libero, & abſoluto illius arbitrio, vt docet gloſſa iuncto text. *in l. ſi qua pœna, ff. de verb. ſignific.* & *ibi* tenet Bartol. & communis DD. & Innocent. *in cap. fin. de feriis*; & expreſsè Paulus Caſtrenſis *in l. quid ergo, §. pœna grauior, ff. de his, qui notantur infamia, colum.* 1. & Bartol. *ibi colum. penult.* & Alexand. *in l. ſi ſeuerior, C. ex quib. cauſ. infam. irrogat. colum. finali*; & hanc opinionem tenet etiam Couarr. *in Clement. ſi furioſus, part.* 3. *initio, num.* 5. *in fine.* Ego huic ſententiæ poſteriori, loquendo præcisè de iure communi, adhæreo.

Gloſſa. Bartol. Innocent. Paul. Caſtr. Alexand. Couarr.

27. *De iure regni Caſtellæ quid.*

De iure Regni Caſtellæ, ſi minor eſt decem & ſeptem annorum, tenetur iudex minuere pœnam ordinariam delicti: ſi eſt maior decem & ſeptem annorum, in iudicis arbitrio eſt, attenta, & conſiderata qualitate delicti perſonæ, & attentis aliis circunſtantiis, minuere, vel non minuere, prout voluerit, & ſi non minuat, non dicitur reum grauare, nec teneri de ſyndicatu; ita docet Anton. Gomez *tomo* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 63. *verſ. ſed hodie*; & ita habetur *in l.* 8. *tit.* 31. *part.* 7. & ratio eſt, primò, quia *in l.* 1. *§. pueritiam, ff. de poſtulando*, dicitur, pueritiam propriè loquendo eſſe ante decimum ſeptimum annum, poſtea verò propriè dici pubertatem magis capacem, & plenam, & ideo in pueritia non poteſt quis eſſe Aduocatus; ergo nec perfectè, & plenè poterit pœna ordinaria pro delicto commiſſo, in ea ætate puniri, ſed alia mitiori, & arbitraria. Confirmatur, quia *in Authent. ſi captiui. C. de Epiſcopis, & Cleric.* minor decem & octo annorum excuſatur à pœna pro delicto commiſſo. Denique poſtquam Antonius Gomez *allegatus*, aliis argumentis hanc opinionem, & ius Regni Caſtellæ confirmat; ita tandem concludit. *Sed certè licèt ita ſit vera, & tenenda concordia; ego tamen potiùs inclinarem in mitiorem partem, pœnam minorando, etiam poſt decimum ſeptimum annum, ante vigeſimum quintum, & ita conſulo, vt facias.* Hæc ille, & huic opinioni Gomezij videtur adſtipulari Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tractat.* 3. *diſputat.* 36. *num* 6. vbi tamen aſſerit in ciuitate Conchenſi anno Domini 1597. punitum fuiſſe vnum minorem viginti quinque annorum, pœna ordinaria mortis, ob delictum qualificatum, vt prædictum delictum poſtulabat; datum tamen eò fuiſſe curatorem in eo iudicio, ſed nihil hoc ei profuit ad euadendam pœnam mortis ordinariam, nec mirum; nam cùm in eo Regno Caſtellæ, penes arbitrium iudicis ſit pœnam ordinariam minuere, vel non minuere, & id in electione illius manet, tale, & tam qualificatum, horrendúmque potuit eſſe delictum, vt iudicem coëgerit, vt illi pœnam ordinariam imponeret.

Molina.

28. *De iure Luſitaniæ quid.*

In Regno Luſitaniæ mos eſt, vt minores viginti quinque annis non puniantur pœna ordinaria, & id probat Molina *modò allegatus*, in hunc modum. nam cùm in vrbe Pace Iulia Regni Luſitaniæ, damnatus fuiſſet quidam iuuenis ad mortem ob furta; illúmque ipſe diſpoſuiſſet in eo caſu ad mortem patienter, & Chriſtianè ſubeundam, protulit ipſe exceptiones aduersùs executionem ſententiæ, quarum vna continebat tempore, quo probabatur commiſiſſe delictum, reum damnatum minorem viginti quinque annis fuiſſe, & cùm primo aſpectu id veroſimile videretur, accedente Senatore Regio, qui cum aliis ſententiam mortis tulerat, admiſſa fuit exceptio, & ſuſpenſa pro tunc mortis ſententia, quoaduſque veritas ſciretur, vt comperta veritate exceptionis pœna illa mortis in aliam mitiorem triremium commutaretur; cùm verò ex libro Baptiſmi deprehenſum poſtea fuiſſet, illum tempore commiſſi delicti vigeſimum quintum annum iam habuiſſe, poſt dies aliquot, prædicta mortis ſententia fuit executioni mandata, ex quo facilè conſtare poteſt in Luſitania ſeruari, vt minores viginti quinque annis non puniantur pœna delicti ordinaria, aut ſaltem arbitrio iudicum id committi, ſed extat hac de re expreſſum ius Luſitanum *in nouis ordin. lib.* 5. *tit.* 136. quod ita habet, *quando minor delictum commiſerit dignum mortis pœna à decimo ſeptimo anno ætatis ſuæ vſque ad vigeſimum penes arbitrium iudicis ſit eum pœna ordinari mortis punire, vel alia arbitraria, attentis delicti circunſtantiis; quando verò viginti annos exceſſerit, pœna ordinaria mortis imponatur, & id non maneat penes arbitrium iudicis, tanta enim malitia illi eſſe poteſt, & tam graue poteſt eſſe delictum, vt pœna ordinaria illi poſſit imponi, quamuis mortis naturalis ſit. Si verò delinquens nondum decimum ſeptimum annum completum habuerit, nullo modo pœna ordinaria puniatur, etiamſi delictum tale ſit, vt illam mereatur, in arbitrio tamen iudicis maneat ei aliam minorem imponere: ſi verò delictum mortem non mereatur, diſpoſitio iuris communis ſeruabitur*, ita ius Luſitanum habet. Et *dicto lib.* 5. *tit.* 36. *§.* 1. diſponitur, vt minor quindecim annorum nulla pœna pecuniaria puniatur, quamuis quibuſcumque annis aliquem occiderit, vel mutilauerit in Regis Curia.

Quando minor deliquit in ætate, in qua puniri non poteſt pœna ordinaria, poſtea, ſi ad maiorem ætatem perueniat, illa puniri non poteſt, vt eſt notiſſimum, ſemper enim attenditur tempus, in quo commiſſum eſt delictum; ita communiter DD. Couarr. *in Clement. ſi furioſus, part.* 3. *in fine, num.* 5. Molina *tomo* 4. *de iuſtit. tractat.* 3. *diſputat.* 36. *fine.* Carrer. *in pract. §.* 6. *de homicid. num.* 8. Iulius Clarus *lib.* 5. *ſent. §. vlt. q.* 60. *num.* 5. Et idem eſt dicendum ſi delinquat, in qua nulla pœna puniri poteſt.

29. *Minor delinquens in ætate, qua puniri nequit pœna ordinaria, an maior factus illa puniri poſſit.*

CAPVT LI.

Quomodo, & quando obliget Monaſteria, & edicta ſuperiorum ad denunciandum, vel accuſandum.

SVMMARIVM.

Quando peccatum eſt publicum, & vergit in damnum tertij, cùm illud teneamur denunciare abſque præcepto ſuperioris, à fortiori præcipiente illo. num. 1. *&* 2.

An præmittenda ſit correctio fraterna, quando ſuperior præcipit denunciare, vel accuſare. num. 3.

An quando ſuperior præcipit denunciari, & accuſari delictum ad emendationem peccatoris, teneamur denunciare, ſi peccator iam ſit emendatus. num. 4.

Quid ſi nondum ſit emendatus, ſed eius emendatio de proximo ſperatur. ibid.

Quid ſi agatur non de emendatione peccatoris, ſed de punitione delicti commiſſi. ibid.

An teneatur ille furtum nunciare, vel reuelare, qui illud à latrone occultè accepit, aut ab illomet fure didicit, vbi ſit. *num.5.*
Quid ſi aliquis ſolus ſcit crimen aliquod, & probè agnoſcit delinquentem, ſolummodo ſcire crimen illud, nulli alteri eſſe cognitum, an tunc præcipiente iudice teneatur illud denunciare ſi vergat, vel non vergat in damnum aliorum. *num.6.*
Quid ſi ſub ſigillo ſecreti naturalis illud ſciat, & tendit, vel non tendit in damnum tertij. *num.7.*
Iuſtè præcipiente iudice tenemur obedire; quando iuſtè, vel iniuſtè præcipiat. *num.8.9.*
An quando res, & crimen eſt tribus, vel quatuor notum, & iudex ad pœnam delinquentis procedit, non ad emendationem delicti, teneatur quis rem manifeſtare, & accuſare præcipiente iudice per edictum generale. *num.10.& 11.*
An quando quis rem alienam accepit in recompenſationem ſui debiti, teneatur quis rem denunciare, quando in edictis generalibus dicitur, vt quis illam reuelet, etiamſi in recompenſationem debiti ſit accepta. *num.12.& 13.*
Quid ſi plus acceptum ſit, quam erat debitum illud, in cuius recompenſationem fuit acceptum, an tunc ſolum illud plus manifeſtandum ſit, an id totum, quod fuit acceptum. *num.14.*
Soluuntur aliæ dubitationes ad hanc materiam vtiliſſimæ, an ille, qui aliò abiens dicit amico, Hi decem aurei, quos apud te depono, ſint tui ſi moriar, teneatur, illos poſtea reſtituere hæredibus illius, etiamſi excommunicationem vt ſibi debita defuncti reſtituantur, obtineat, & an ille, qui id ſcit, teneatur ſub excommunicatione reuelare. *num. 15. & 16.*
An teneamur præcipiente ſuperiore per edicta generalia, vel præceptum ſpeciale, vt aliquid reuelemus, illud reuelare, ſi ex leuibus indiciis illud ſciamus, aut à leuibus perſonis audiamus. *num.17.*

1. *Præcepta ſuperiorum an, & quando obligent ad denuntiandum.*

DVBIVM in hac materia præcipuum eſt, quomodo, & quando obligent præcepta ſuperiorum, qualia ſunt edicta Inquiſitorum, Epiſcoporúmque, & præcepta iudicis ciuilis, quibus ſub excommunicatione, vel pœna, alia præcipiunt in viſitationibus, aut quauis alia occaſione ſibi aliquid reuelari? Et in primis loquendo de iudicibus Eccleſiaſticis, ſolent illi edicta ſæpe promulgare, vt vnuſquiſque eis reuelet, ac manifeſtet delicta, quæ nouit ſub excommunicatione latæ ſententiæ, v. c. furtum, homicidium, aut quoduis aliud peccatum, vel aliorum damnum; & hoc vel ad inſtantiam partis læſæ, vel quando crimen eſt manifeſtum; ignoratur tamen author illius, vel quando eſt fama publicà tale crimen eſſe commiſſum in aliqua communitate, & ignoratur etiam delinquens; & dubia nonnulla in hac materia, quæ ad communem vſum attinent, breuiter explicabimus.

2. *Notandum primum.*

Notandum inprimis, certum omnino eſſe, ſi peccatum vergat in damnum publicum, aut præiudicium tertij, quòd accuſare, aut denunciare tenemur, ſine mandato ſuperioris, & à fortiori illo iubente, & præcipi; ita communiter DD. Michaël Salon 2. 2. *quæſt.68. artic.1. controuerſ.2.* Petrus Nauarr. *lib. 2. de reſtit. cap. 4. part. 2. dub. 9.* Gregorius Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num 22. verſ. ſecundò certum.* Ratio eſt, quia non præcipiente, nec iubente ſuperiore ex charitate, illa tenemur denunciare iudicibus ſi probare ea poſſumus; ergo à fortiori exiſtente edicto, & mandato ſuperiorum, illa tenebimur manifeſtare, & incurremus excommunicationem, & mortaliter peccabimus, niſi ea manifeſtemus, tum ob inobedientiam, tum etiam ob iuramentum præſtitum, ſi iudex illud præmittat.

Salon. P.Nauarr. Sayrus.

3. *Notandum ſecundum.*

Notandum ſecundò, quando peccatum tendit in damnum publicum, & tale eſt, quod accuſare non tenemur, niſi præuia admonitione ſecreta, & euangelica, ſemper illam eſſe præmittendam, ſi profutura ſperatur, & nondum præmiſſa fuit, non obſtante præcepto ſuperioris, quo præcipit denunciare. non enim poſſumus abſque graui peccato, ſtante etiam tali præcepto, & mandato ante talem admonitionem, illud iudici accuſare, vel denunciare, ita Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 66. & in ſumma Latina, cap. 17. num. 134.* Salon *allegatus*, & Sayro item *citatus num. 23.* Ratio eſt in promptu, quia præcepta Superiorum ſemper intelligenda ſunt ſecundùm legem naturalem, & diuinam, quam cum fratribus ſeruare tenemur, aliter enim talia præcepta, & edicta errorem intolerabilem continerent, nec vim obligandi haberent; vnde ſi poſt admonitionem Euangelicam frater emendatus fuerit, non eſt denunciandus, nec manifeſtandus iudici præcipienti; ſecus ſi poſt admonitionem non reſipuerit, nec ſe emendauerit, tunc enim tenemur eum denunciare. Tum, quia ſuperior idem ſuo præcipit edicto, tum quia etiamſi tale edictum non daretur, ex præcepto Chriſti, & charitate tenetur quiſque proximum ſic admonitum, & non emendatum denunciare; quando igitur præceſſerit admonitio, & non fuerit ſecuta emendatio, denunciandus erit: ſi autem fuerit ſecuta, denunciari non debet, & ſolùm in eo caſu, quo trina admonitio præceſſit, tenetur illi, qui de peccato occulto admonuit peccatorem adductus in iudicium, & iuridicè interrogatus à iudice, vt teſtis veritatem fateri, & peccatum manifeſtare, ſi præcedat trina admonitio, & adhibitis teſtibus, ſeruatóque ordine Euangelico emendari noluit; ita Panormitanus *in cap. dilectus, de exceſſib. Prœl.* Felinus *in cap. intimauit, de teſtibus.* Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 64. & 66.* & Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num. 23.* Sunt tamen aliqui caſus, in quibus non eſt opus admonitionem fraternam præmittere.

Caſus in quibus non eſt vſus admonitionem fraternam præmittere.

Primò, quando peccator præſumitur incorrigibilis, vt in hæreſi.

Secundò, quando vrget periculum nocendi, & non datur tempus monendi.

Tertiò, cùm timetur magnum damnum.

Quartò, cùm non ſperatur profutura; omnes hi caſus, communiter DD. excipiunt.

4. *Notandum tertium.*

Notandum eſt tertiò, ſi ſuperior iubet denunciari, & manifeſtari delictum ad emendandum delinquentem, authorem illius, vel ad ſatisfactionem partis læſæ, aut ne malum impendens proximo inferatur, ſed vt potiùs auertatur; & proximus delinquens iam eſt emendatus, & de ea emendatione certò moraliter conſtat; & non eſt morale periculum recidiui, aut ſi eſt iam ſatisfactum parti, aut à propoſito mali inferendi deſiſtit omnino, & id prudencialiter conſtat, nemo tenetur etiam ſtante edicto, & iubente ſuperiore denunciare, & manifeſtare: ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 33. artic. 7. ad 3.* Corduba *in ſumma quæſt. 64.* S. Anton. *2. part. tit. 9. cap. 6. §. 5.* Petrus

D Thom. Corduba. Anton.

Petr. Nauar. Salon. Sayrus. Filliucius. Toletus. Nauarr.

Petrus Nauarra *lib.2. de reſtit. cap.4. part.2. dub.9. num.* 217. Salon. 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 1. *controuerſ.* 2. Sayro *in Claui Regia*, *lib.*12.*cap.*14.*num.*24.*&* 27. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.*7. *num.* 123. *verſ. primus eſt.* Toletus *lib.* 5. *ſumma*, *cap.* 57. *num.* 3. *verſ. prima.* Nauarrus *in ſumma latina*, *cap.* 25. *num.* 33. *&* 46. & idem eſt dicendum, iuxta Filliucium, Cordubam, & Sayrum *ſuo num.*7. allegatum, ſi emendatio certò, & moraliter de proximo ſperatur, quæ enim parum diſtant, nihil diſtare videntur, & quæ de proximo cum fundamento ſperantur, & poſſidenda ſunt, iam poſſideri dicuntur. Ratio, ac fundamentum huius rei eſt, quia præceptum, & edictum ſuperioris ad hunc finem emendationis peccatoris, ſatisfactionis partis, & auerſionis impendentis mali tendebat, ceſſante autem fine præcepti, ceſſat præceptum. Excipe crimen hæreſis, de quo alibi diximus. nam cùm hæretici ſubdoli ſint, fingunt ſe emendatos, vt pernicioſiùs poſtea noceant, & ideò ſtatim ſunt denunciandi; quando tamen agitur de denunciatione iudiciali peccati iam facti ad illius punitionem, ſolùm ad officiales iuſtitiæ ſpectat tunc denuntiare, non ad alios, quia ad illos ſolùm ſpectat publica punitio, & ſatisfactio Reipublicæ, ad omnes tamen etiam particulares ſpectat teſtificari veritatem præcipiente iudice. Ita Innocentius *in cap.nouit,de iudic.* Rodriquez *de ordine iudiciario*, *cap.* 4. *num.* 3. *concluſ.*1. & patet ex *cap. præcipit* 11. *quæſt.* 2. Sayro *in Claui Regia*, *lib.* 12. *cap.*16. *num.*7. Filliucius *tom.*2. *tract.*40.*cap.*7.*num.*216.

5. *Notandum quartum.*

Notandum quartò, ſi quis habeat rem furto ablatam, quam à fure bona, vel mala fide occultè accepit, vel ab ipſomet fure didicit, vbi nam res illa ſit, non teneri ex vi talis edicti manifeſtare, vel denuntiare; ita Iulius Clarus *lib.*5. *receptar. in pract.criminali,quæſt.*16. Sayrus *in Claui Regia,lib.*12. *cap.* 14. *num.* 25. quia nemo tenetur denuntiare, vel manifeſtare delictum, cum maximo ſuo damno, & incommodo: in hoc autem caſu, maximum pateretur incommodum, nam vel bona fide rem illam accepit, vel mala; ſi mala, tunc particeps fuit criminis, & furti, & ita denuntiando prodit delictum ſuum occultum, quod nemo tenetur efficere. Si bona, cùm bonam illam fidem in iudicio probare nequeat, ingens patietur incommodum. nam contra illum, tanquam contra reum, & furem ex confeſſione ſua agetur, nemo autem cum tanto ſuo detrimento ſe manifeſtare tenetur, & hanc opinionem tenet etiam Couarruuias *in quæſt. pract. cap.*18. & Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *num.*51. & Nauarrus *cap.*25. *in ſumma latina*, *n.*50. *& cap.* 18. *num.* 61. quatenus aſſerunt, neminem teneri ad denuntiandum, aut manifeſtandum crimen alienum cum graui ſuo incommodo vitæ, famæ, honoris, aut iactura bonorum externorum, & idipſum docent D.Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.*40 *cap.*7. *num.*122. Beja *p.*2. *caſu* 2. §. *finali*, Tabiena *verb. inquiſitio*, §. *vltimo.* Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolitana*, *cap.* 2. *num.* 2. Omnes enim hi in caſu propoſito id expreſsè tenent; & idem eſt dicendum, cùm quiſquam à latrone rem furto ablatam furto abſtulit, cum nemo teneatur ſe ipſum manifeſtare, & infamare.

Couarr. Leſſius. Nauarr.

6. *Notandum quintum.*

Notandum quintò, ſi aliquis ſcit priuatim, & ſolus, crimen aliquod, & ſimul etiam agnouit delinquentem probe ſcire crimen illud nulli alteri eſſe notum, non teneri ex vi excommunicationis, edicti, aut præcepti ſuperioris illud manifeſtare, cùm non vergit in perniciem proximorum Reipublicæ, aut boni communis; & ratio eſt, quia oriri poteſt inter ipſum, & delinquentem inimicitia magna, & periculum iacturæ vel in vita, vel in fama, vel in bonis; cùm enim delinquens optimè agnoſcat, crimen illud non eſſe aliis notum, ſed illi ſoli, eo ipſo quòd crimen defertur ad iudicem, colliget delinquens ab illo fuiſſe delatum. Vnde ſibi prædicta incommoda, & damna euenient, nemo autem cum tanto ſuo damno, & incommodo crimen tenetur manifeſtare, quod alioqui in damnum Reipublicæ non redundat; ita Sayrus *in Claui Regia*, *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 26. Corduba *quæſt.*64. Filliucius *tom.*2. *tract.*40. *cap.*7. *num.*122. §. *quintum quando.* Si tamen huiuſmodi crimen in perniciem vergat Reipublicæ, aut boni communis, v. c. in coniurationem contra Principem, in proditionem patriæ, conflagrationem vrbis, aut alicuius Monaſterij, tenetur denuntiare, vt diximus *num.*2.

7. *Notandum ſextum.*

Notandum ſextò. Similiter non teneri quemquam rem manifeſtare, aut denuntiare, quando ſub ſigillo ſecreti naturalis ſcit in remedium animæ, vel corporis, vel famæ, vel ſalutis ſpiritualis, vel temporalis delinquentis; ſic non tenetur Conſiliarius, Medicus, Chirurgus, Aduocatus, obſtetrix crimen reuelare, præcipiente etiam, & iubente ſuperiore ſub grauiſſimis pœnis, vel excommunicatione, quando ei reuelatum fuit crimen ad conſilium, vel auxilium petendum, vel ad medendum, in bonum ipſius delinquentis, etiamſi tanquam teſtis interrogetur, & præcedat ſemiplena probatio, & etiamſi ei ſpecialiter præcipiatur, vt dicat quicquid ſcit de tali, vel de tali delicto, & ſi Chirurgus ſit, etiamſi interrogetur, an talem, vel talem hominem vulneratum curauerit, qui de tali, vel tali rixa vulneratus exiuit, & peccat mortaliter reuelando, & ad damni reſtitutionem tenetur, atque adeò in tali caſu ſolùm dicere poteſt, id quod alia via ſcit, ſicut Confeſſarius poteſt dicere id, quod extra confeſſionem nouit; & ratio eſt

Primò, quia ſeruare ſecretum in hoc caſu eſt de iure naturali; nihil autem præcipi poteſt homini, contra id, quod de iure naturali eſt.

Secundò, quia ſi remedia tollerentur malorum, perirent miſeri corpore, & anima, & plus ad bonum Reipublicæ conducit, quòd remedia, & medicina malis applicentur, quàm quòd ſatisfactio Reipublicæ per malorum punitionem quæratur; tandem quia harum perſonarum plures iuramentum habent ſeruandi ſecretum in ſuis officiis, aut ſaltem exercendi illa cum maxima fidelitate; hanc autem eis ſeruare non poterunt, qui ſe illis in remedium corporis, & animæ manifeſtarunt, ſi tenerentur in hoc caſu illas manifeſtare iubente iudice, & præcipiente ſuperiore ſub excommunicatione, aut grauibus pœnis, ſemiplenam etiam probationem, & grauia indicia habente, quis enim dubitet, grauiora ſcandala in Republica oriri, ſi obſtetrix miſeram puellam nobilem, quæ ſe illi in partu manifeſtauit, reuelet, quàm ſi hoc crimen impunitum maneat; puellæ enim pueros ſuffocarent, & vulnerati qui in rixa alios occiderunt, ſine curatione perirent, ſi chirurgi tenerentur illos reuelare præcipiente iudice. ita communiter Doctores, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *num.*45. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 43. *dub.* 2.

Leſſius. Corduba.

Nauarr. Sayr. Sylueſter. Gabr. P.Nauarr. D.Thom. Filliucius.

& quæſt. 64. *caſu* 3. Nauarrus *in ſumma latina, cap.*25. *num.*46. *& cap.*28. *num.*52. *verſ. dico tertiò,* Sayro *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 14. *num.*29. Sylueſter *verb. confeſſio* 3. *quæſt.* 20. *in fine, & verb. teſtis, quæſt.* 8. *verſ. ſecundum,* Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.*6. *art.*2. *concluſ.*7. *litera L. circa medium.* Petrus Nauarra *lib.* 2. *de reſtitutione, cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 9. *num.* 222. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *ad* 2. & Filliucius *tom.* 2. *tract.* 40. *cap.* 8. *num.*230. & alij, ſcio contrarium tenuiſſe Sotum *de tegendo ſecreto, membr.* 2. *quæſt.* 7. eo ductum fundamento, quia iudex habet poteſtatem interrogandi poſt ſemiplenam probationem, & eſt legitimus ſuperior; ſed reſpondendum eſt, licèt abſolutè ſit ſuperior, in hoc tamen caſu ſuperiorem non eſſe. nam licèt cedat in bonum publicum, quòd delicta puniantur, in multo maius bonum publicum cedit, quod in his caſibus, ab his perſonis non detegantur, vt ex dictis patet.

8. Econtrario verò, quoties iudex, (exceptis his caſibus) iuſtè, & iuridicè interrogat, vel præcipit delictum denunciari, vel reuelari per ſe, vel per ſua edicta, & monitoria ſub excommunicatione ipſo facto, tenetur illud reuelare, quicumque illud agnouerit, ſecus ſi iuſtè, & iuridicè iudex non procedat, nec interroget: procedit autem, & interrogat iuſtè, & iuridicè,

Primò, quando ſemiplenam habet probationem: dicitur autem crimen ſemiplenè probatum, quando datur vnus teſtis, omni exceptione maior, cui ſcilicet, nihil imponi poteſt, ad illius dictum infirmandum.

Secundò, quando delinquens per correctionem fraternam, & ſeruato Chriſti Domini ordine non vult reſipiſci, tunc enim teſtes adhibiti in vltima admonitione faciunt, vt illud crimen ſit pluſquam ſemiplenè probatum, vt diximus *num.* 3. ex Panormitano, & aliis.

Nauarrus. Filliucius. Toletus.

Tertiò, quando talia, & tam grauia indicia aduersùs reum delinquentem dantur, vt ſemiplenæ probationi æquiparentur; ita Nauarrus *cap.* 25. *num.*33. Filliucius *tom.* 2. *tractat.* 40. *cap.* 7. *num.* 122. §. *ſecundum poſſe.* Toletus *lib.* 5. *ſumma, cap.*57.

9. Non procedit autem iudex iuſtè, & iuridicè, quando nulla habet indicia contra delinquentem, & nulla præcedit infamia delinquentis, nulla præſumptio violenta, quæ probabile faciat indicium, non procedit etiam iuſtè ac iuridicè, quando ita indicia ſunt leuia, vt ſemiplenam, aut quaſi ſemiplenam probationem non efficiant, ita communiter Doctores, Antonius Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 1. *num.* 49. *notabili* 9. *verſic. nonò, & finaliter.* In dubio autem an iudex procedat, vel non procedat iuſtè, ac iuridicè, credendum eſt, ac præſumendum, vt alibi diximus, iuſtè, & iuridicè procedere, nam in dubio, an quis malus iudex ſit, præſumendus eſt bonus.

Ant.Gom.

10. Ex hac doctrina hactenus præiacta quæ eſt certa, & extra dubitationem, inſurgunt aliqua dubia neceſſariò explicanda, in re quotidiana.

Dubium primum.

Primum eſt, an quando res eſt tribus, aut quatuor nota, & reus non laborat infamia; & iudex via inquiſitionis ad pœnam delicti, & punitionem illius procedit, teneatur quiſquam rem manifeſtare, quando ſuperior per edictum generale, vel ſpeciale ſub excommunicatione præcipit, vt qui rem nouit, teneatur illam manifeſtare. In hac re partita eſt opinio.

Opinio prima.

Prima aſſerit, non teneri illum, qui rem ſcit, eam manifeſtare, quando moraliter certus eſt, quod criminoſus ipſe, de ſe ipſo, aut de ſuis conſociis crimen ſit dicturus, teneri verò quando moraliter ea de re certus non eſt: hanc opinionem tenet Antonius Corduba *quæſt.* 64. loquitur autem de crimine, ex quo nullum damnum tertio ſequitur, & de hoc crimine procedit quæſtio. nam ſi damnum tertio, aut Reipublicæ temporale, vel ſpirituale ſequatur, & peccatum eſt imminens, etiamſi author illius nulla laboret infamia, ſi præmiſſa admonitione non vult reſipiſcere, aut periculum eſt nocendi, niſi ſtatim denuntietur, tunc non ſolùm præcipiente ſuperiore per publicum, aut particulare edictum, ſed etiam non præcipiente, tenetur quis, vt malo obuiet denuntiare, etiamſi iuraſſet non denuntiare, vt docent communiter authores, inter quos eſt Filliucius *tom.*2. *tract.* 40. *cap.*7. *num.* 122. Toletus *lib.* 5. *ſumma, cap.*5. *& cap.*57. *num.*2. *&* 4. Nauarrus *cap.*25. *n.*33. Innocentius *in cap. qualiter* 1. *de accuſat.* Panormitanus *in cap. dilectus, de exceſſib. Prælat.* Leſſius *lib.*2. *cap.*30. *dub.*6. *num.*43. Et fundamentum Cordubæ eſt, quia iudex per confeſſionem delinquentis in iudicio factam poteſt illum punire, quare non tenentur alij iam ampliùs tale crimen ad punitionem manifeſtare.

11. *Opinio ſecunda.*

Secunda opinio probabilior docet, nunquam teneri illum, qui rem ſcit in eo caſu, præcipiente etiam ſuperiore manifeſtare, quia ſicut in eo caſu, non tenetur contra ſe ipſum manifeſtare, ita nec contra alium tenetur illud teſtificari, dummodo nulla infamia ſpecialis ſit de illa perſona ſparſa, & crimen non ſit pluribus aliis notum, nec indicia ſufficientia, aut ſemiplena probatio aduersùs delinquentem detur, nec vlla laboret infamia; D.Thom.2.2.*quæſt.*33. *art.*7. Nauarrus *in ſumma latina, cap.*25. *num.* 46. Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolitana, cap.*2. *num* 5. Sylueſter *verb. Inquiſitio, num.* 10. Leſſius *lib.*2. *cap.*30. *dub.*6. *num.*47. ita docet P.Nauarra *lib.*2. *de reſt. cap.*4. *part.*2. *dub.*9. *num.*218. *& ſeqq.* Saytus *in Claui Regia, lib.*12. *cap.*14. *num.*28. Ratio, ac fundamentum illorum eſt

D.Thom. Nauarr. M.Anton. Sylueſter. Leſsius. Petr Nauar. Saytus.

Primò, quia ſi non ſequitur damnum tertio, & delinquens non ſit infamatus, iudex iniuſtè procedit, & teſtis iuſtè tacet, cùm res ſecreta ſit, & non ſit ſubiecta illius foro.

Secundò, quia ſi de ſe ipſo nemo teſtificari debet, teſte Corduba, quando crimen eſt occultum, & duobus, aut tribus notum, niſi aliquo modo venerit in publicum, vel ratione infamiæ, vel indiciorum, à fortiori non tenebitur aduersùs alium teſtificari, cùm non ſit dominus famæ alienæ, ſit autem propriæ.

Tertiò, quia pœna, excommunicatio, & præceptum ſuperioris, ſemper debet intelligi ſeruato iuris ordine, ita ſcilicet, vt exceptis occultis criminibus cætera manifeſtentur, niſi damnum adhuc impendeat, ac immineat. Ego huic opinioni adſcribo.

12. *Dubium ſecundum.*

Secundum dubium eſt, an quando quis rem alienam accepit in recompenſationem ſui debiti, dummodo debitum ſit ex iuſtitia, & ſit liquidum, & aliæ adſint circumſtantiæ neceſſariæ ad hanc occultam compenſationem faciendam, teneatur quis rem reuelare præcipiente ſuperiore ſub excommunicatione latæ ſententiæ, aut alia grauiſſima pœna temporali ſi iudex ſit ciuilis, etiamſi litteræ, & edicta ſuperioris expreſsè præcipiant,

vt res reſtituantur, ac reuelentur, quamuis retineantur acceptæ in compenſationem debitorum, vel ſciat retineri ita acceptas. Et hac de re duplex etiam eſt opinio.

Opinio prima. Prima aſſerit teneri, quando literæ monitoriæ id exprimunt, ac declarant, aliàs non teneri, ita Roſella *verb. familia*, §. 11. Fundamentum illius eſt, quia ſtylus Curiæ Romanæ ita habet, ſæpe enim dantur inibi litteræ contra retinentes alienum acceptum in recompenſationem, & contra ſcientes ita fuiſſe acceptum, & retentum, nec dicendum eſt Curiam Romanam in hoc errare, quia Prælati hoc rationabiliter facere poſſunt, cùm multi ſe creditores eſſe putent, cùm tamen re vera non ſint, deinde, quia hoc modo multis latrociniis, & incommodis occurri poteſt, quæ ſine dubio in Republica darentur, niſi hac via cohiberentur.

13. *Opinio ſecunda.* Secunda opinio verior, & tenenda id negat omnino. Ratio illius eſt,

Primò, quia nulla excommunicatio, nec pœna grauis etiam ciuilis imponi poteſt, niſi ob peccatum mortale: in eo autem caſu concurrentibus debitis circunſtantiis, de quibus alibi agimus, nemo peccat mortaliter, accipiendo quod ſibi de iuſtitia eſt debitum, nec illud aliquo alio modo recuperare poteſt; ergo nec pœna, nec præceptum ſuperioris obligat.

Secundò, quia prædictæ litteræ monitoriales, quæ eam clauſulam habent, intelligendæ ſunt, quando compenſatio fuit iniuſta, vel accipiendo plus pro minori debito; vel certum, & liquidum pro debito incerto, & non liquido, vel quando dubitatur iuſtáne, an iniuſta fuerit talis compenſatio, ac retentio; tunc enim manifeſtare tenetur, qui ſciuerit in prædictam recompenſationem iniuſtam, rem fuiſſe acceptam, & eſſe retentam.

Tertiò, quia diſpoſitiones, edicta, & mandata generalia, quæ eo modo poſſunt intelligi, vt ſint iuſta, & eo etiam modo, vt ſint iniuſta, ſemper intelligenda ſunt, eo modo, vt maneant iuſta, iuxta communem Doctorum, argumento *l. ſi procurator, ff. de cond. indeb.* & argumento *cap. Quintauallis, de iureiurand.* & tenet gloſſa *in cap. dilecto, verb. generalis, de prabend. & cap. 1. de iureiurand. in 6.* & Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. num. 791.* Cùm igitur mandata iſta ſi intelligantur eo modo, vt comprehendant eos ſolùm, qui illam rem retinent, vel accipiunt in iniuſtam compenſationem, iuſta ſint, ita accipienda ſunt, non verò ſi comprehendant eos, qui illam accipiunt, vel retinent iniuſtam, cùm tunc iniuſtitiam contineant, aut ſaltem errorem intolerabilem, & nullo modo obligare poſſint; ita docent

Angelus. Syluester. Tabiena. Nauarr. Sayrus. expreſsè Angelus *in ſumma, verb. furtum*, §. 41. Syluester *ibi, quæſt. 15.* Tabiena *verb. inquiſitio, quæſt. 7.* Nauarrus *in manuali, cap. 17. num. 115.* Saytus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num. 29. verſ. qui item retinet*, & idem Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollar. 66. num. 792.*

Petr. Nauar. Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtit. cap. 4. part. 2. dub. 9. num. 217.* hi omnes loquuntur expreſsè de caſu, in quo litteræ monitoriæ eam clauſulam habeant, vt quis reuelet, vel reſtituat rem, etiamſi in compenſationem ſui debiti acceperit. Faciunt etiam pro hac opinione omnes, qui abſolutè dicunt eum, qui in recompenſationem rei ſibi de iuſtitia debitæ accipit, non teneri rem reſtituere, etiamſi ſub excommunicatione res accepta iubeatur reſtitui, & ſimiliter non teneri rem reuelare illum, qui ſi ſciuerit in talem recompenſationem fuiſſe acceptam: & hi ſunt præter omnes citatos, Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. caſu 3. & lib. 5. de iuſtitia, quæſt. 3. art. 3. ad 1.* Medina *C. de reſtitut. quæſt. 3. cauſa 12.* & latiùs *quæſt. 11. dub. 2.* Aragon. *2. 2. quæſt. 62. art. 2. ad 2. dub. 9. in fine, & quæſt. 66. art. 5. dub. vltimo, ante finem*, Salonius *2. 2. quæſt. 66. art. 5. controuerſ. 2. concluſ. 2.* Corduba *in ſumma, quæſt. 63. & 64. & 65. & in quæſtionario, lib. 1. quæſt. 43. dub. 2.* Lud. *lib. 2. p. inſtruct. cap. 9.* Angles *in florib. 2. part. tract. de reſtit. art. 2. dub. vltimo, in quæſt. quis ſit liber à reſtitutione.* Sotus. Medina. Aragon. Salon. Corduba. Angles.

Ex dictis infert Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 66. num. 794.* ſi compenſatio, & ſolutio accepta, partim eſſet certa, & partim dubia, non eſſe neceſſarium, nec teneri quenquam reuelare, niſi partem dubiam, argumento *l. qua de tota, ff. de rei vindicatione, & cap. paſtoralis, §. item cùm totum, de officio delegati*; quod enim dicitur de toto, dicendum eſt de parte, cùm eadem ratio ſit de toto ad totum, & de parte ad partem, & optimè infert. 14.

Et eadem ratione non teuetur reſtituere centum aureos ille, in cuius poteſtate alius ad alium locum proficiſcens, aut ad bellum eundo eos depoſuit, aſſerens, tui ſint, ſi ibi emoriar; quamobrem ſi poſt eius mortem hæredes illius literas monitorias generales obtineant contra illos, qui bona aliqua defuncti occultas tenent, non tenetur ille eos reſtituere, nec alij id ſcientes reuelare, ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num. 31.* Franciſcus Ripa *in lib. de peſte, fol. 158. §. inſuper adnotauit.* Neque etiamſi Petrus furatus eſt aliquid, aut damnum intulit proximo, & Ioannes id nouit, vel quia Petrus id ei dixit, vel quia ipſe Ioannes vidit, aut alia via certò id cognoſcit, & damnificatus proximus litteras monitorias præcipientes ſub excommunicatione, vt quicumque modo, vel via aliqua de illo furto, & damno ſciuerit, illud reuelet, non tenetur Ioannes id reuelare, ſi Petrus ſit tam pauper, & damnificatus tam diues, vt arbitrio & iudicio boni viri non teneatur pro tunc ad eam reſtitutionem; nam impotentia ad reſtituendum, illum excuſat pro tunc à reſtitutione, & iſtum à reuelatione; ſecus autem ſi potens ſit ad reſtituendum, aut de tali impotentia dubitet, qui caſus, cùm in praxi quotidie ferè occurrat, notandus erit, multi enim in hac materia errare ſolent. Ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 12. cap. 14. num. 31.* & Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. num. 766.* debet tamen in eo caſu ille, qui nouit furem non eſſe pro tunc potentem ad reſtituendum, eum admonere, vt procuret intra terminum per litteras declaratum, cùm primùm poterit, reſtituere. Quando autem fur, & qui damnum intulit, eſt potens ad reſtituendum, tenetur qui conſcius eſt furti, eum admonere, vt reſtituat, antequam denuntiet, & ſi non vult reſtituere, tenetur illum manifeſtare, antequam tempus elabatur, vel, vt teſtis, vel, vt denuntiator, prout litteræ monitoriæ continuerint. Si autem ſibi conſtiterit, quòd poſt talem admonitionem non reſtituet, eum tenetur ſtatim denuntiare, & idem erit in dubio, quando eſt certus de illius potentia, & eſt incertus, aut dubius, an ſtatim reſtituet. 15. Sayr. Ripa.

Similiter ſi ſecretò tibi commiſi enſem, ſclopetum, vel ſummam aliquam pecuniæ cuſtodiendam, & ea à te petò ad occidendum, vel nocendum 16.

dum alteri, vel ad committendum aliquod peccatum graue, & tu id ſciens ea mihi ea de cauſa non reſtituis; ſi poſtea ego litteras monitoriales excommunicationem continentes obtineam, vt quicumque mihi eas res retinet, reſtituat, non teneris eas mihi reſtituere durante ea occaſione mali proximo inferendi. Ratio eſt, quia irrationabiliter ſum inuitus eius retentionis; ita communiter Doctores, Sayro *in Claui Regia, lib.12.cap.14.num.31. verſ.alterum etiam.* D.Anton. *3.part.tit.2.cap.*8.Nauarrus *in cap.inter verba* 11.*q.*3. *concl.6.coroll.66.num.*797.

Sayrus, D.Anton. Nauarr.

17. *Dubium tertium.*

Tertium dubium eſt, an teneamur præcipiente ſuperiore per edicta publica, & generalia, vel per aliquod præceptum ſpeciale reuelare id, quod ex leuibus perſonis audiuimus, quæ non ſunt dignæ fide. Reſpondeo, in eo caſu, neminem teneri reuelare id, quod ſcit, quia & ipſe notam leuitatis incurreret, & reo iniuriam faceret, & damnum iniuſtè inferret, vnde tacere omnino debet, quia in hoc caſu non cenſetur delictum ſcire, ita docet Nauarrus *in ſumma latina, cap.25.num.46. verſic.7. §.tertium, & cap.inter verba* 11.*quaſt.3.concluſ.6. corollario 66. num.*786. & Corduba *in ſumma, quaſt.64.caſu* 6. & Sayro modò allegatus, *num.*33.

Nauarrus. Corduba, Sayr.

18. In omnibus autem caſibus, in quibus reuelare quis non tenetur, præcipiente id ſuperiore per edicta, iurare etiam poteſt ſe id neſcire, eodem ſuperiore præcipiente, intelligendo ad reuelandum, vt colligitur ex communi Doctorum ſententia, quam tradunt Paludanus *in 4. diſt.* 21. *quaſt.* 3. *art.* 3. *concluſ.* 1. *ante finem, & diſt.* 35. *quaſt.*1. *art.*3. *concluſ.6.* Adrianus *in 4.ſententiarum, de correctione fraterna, quaſt.*4. incipit, *oſtenſo quod quilibet teneatur, & quodlibeto* 11. *art.* 1. *in reſponſione ad* 2. Maior *diſt.* 15. *quaſt.* 18. Gabriel *in* 4. *diſt.*21.*art.*3.*dub.*1.*ad* 3, *litera L.* Nauarrus *in ſumma latina, cap.* 12. *num.* 8. *verſic. nonò, & cap.* 18. *num.*61. *verſic. trigeſimoquarto, & cap.* 25. *num.* 43. *& in commentario cap. humanæ aures* 22. *quaſt.* 5. *in quaſt.* 11. *num.* 12. Corduba *in ſumma, quaſt.* 64. *in fine, & quaſt.*63. Petrus Nauarra *lib.2. de reſtit. cap.4.part.2.dub.9. num.*229. Valentia *tom.*3. *diſp.*5. *quaſt.*13.*punct.*2.Salon.2.2.*quaſt.69.art.*2.*controu.*11. Aragon.*ibi art.*2.*in fine*, Banhez 2.2.*quaſt.*69. *art.*2. *poſt medium*, & alij.

Palud. Adrian. Maior. Gabriel. Nauarrus, Cordub. P.Nauarrus. Valent. Salon. Aragon. Banhez.

CAPVT LII.

Quanto tempore durent præcepta viſitationum, & an monitoria incipiant obligare à die publicationis, an à die notitiæ illorum.

SVMMARIVM.

Edicta monitoria obligant intra tempus præfixum, edicta Inquiſitorum, cùm non habeant tempus præfixum, & illi ſemper viſitent, obligant perpetuò, & pro ſemper. n.1.& 2.

Quid de edictis monitorijs, quæ promulgantur in viſitationibus diœceſum, & obligatione denuntiandi, & quid de edictis viſitationum in Religionibus. n.3 & 4.

An terminus in monitorijs ad denuntiandum de furto, aut de crimine, intelligendus ſit, à die publicationis, ita vt obligatio denuntiandi, & reſtituendi ex vi edicti extinguatur finito termino præfixo. n.5.

Refertur prima opinio aſſerens non extingui. ibid.

Ex hac opinione ſequitur, ſi abſentes, qui notitiam edicti non habuerunt, poſt 30.aut 40.annos præſentes fiant, teneri ex vi edicti denuntiare intra terminum præfixum. n.6.

Numerantur alia ſequelæ inconuenientes, quæ ex hac opinione reſultant. n.7.8.

Præfertur ſecunda opinio aſſerens numerandum eſſe, terminum dierum in edictis aſſignatum, ad reuelandum à die publicationis edicti, & extincto termino extingui obligationem reuelandi ex vi edicti. n.9.& 10.

Soluuntur fundamenta prioris opinionis. n.11.

In communibus viſitationibus extinguitur obligatio denuntiandi ex vi edicti, in eis publicati, extincto termino in edicto illarum ad reuelandum aſſignato. n.12.

Quando huiuſmodi edicta ad denuntiandum, & quando ad teſtificandum obligent, & quomodo id colligere poſſimus, & quæ differentia ſit inter obligationem ad denuntiandum, & reuelandum aliquid, & inter obligationem ad teſtificandum de re aliqua. à num. 13. vſque ad 18.

Verbum teneatur *in monitorijs ad denuntiandum, vel reuelandum furtum, vel crimen quomodo accipiatur.* n.19.

QVANDO edicta monitoria publicantur, ſolent aſſignare certum terminum dierum, intra quem obligant ad reuelandum, vt paſſim videmus in monitoriis Epiſcoporum editis ad furta reuelanda, & in viſitationibus ordinariis ad reuelanda peccata. Aliquando præcipiunt huiuſmodi monitoria abſolutè, vt quicumque hoc, vel illud agnouit, vel ſcit, denuntiet, nullo præfixo termino ad eam reuelationem faciendam, vt fit in edictis ſingulis annis à dominis Inquiſitoribus publicatis; domini enim Inquiſitores cùm perpetuò viſitent, illorum edicta perpetuò obligant, & ideò meritò nullum terminum præfixum habent; Epiſcopi verò cùm non viſitent perpetuò, ſed ſingulis annis, ideò præfigunt tempus ad huiuſmodi reuelationes pro locis, in quibus viſitant, & ſimiliter in litteris monitoriis ad reuelanda furta, tempus ad hanc reuelationem præſcribunt; & verò huiuſmodi edicta ad vngem ſeruanda ſunt, niſi contineant euidenter aliquid contra ius diuinum, & naturale, tunc enim non obligant, vt conſtat; quòd ſi res ſit dubia, obediendum eſt, quia id examinare, atque expendere ad ſubditos non ſpectat, & in dubio ſemper iudicandum eſt, rem à ſuperiore maturè, & ſeriò fuiſſe expenſam. 1.

Edicta monitoria quanto tempore durent. *Quanto edicta Inquiſitorum.*

Quando in edictis præfigitur tempus, quicumque notitiam edictorum, & delictorum habet, ea intra tempus præfixum non denuntians incurrit excommunicationem in illis appoſitam, quòd ſi nullum tempus præfixum ſit, & ſingulis annis innouentur, vt edicta Epiſcoporum, & Inquiſitorum in multis locis, eorum obligatio toto anno durat; ita Sayrus, & optimè *lib.* 12. *cap.*14. *num.* 34. *verſ.tertiò quando.* Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd innouantur ſingulis annis, oſtendunt animum, & intentionem ſuperioris eſſe, 2.

vt

vt eorum obligatio toto illo anno duret. Renouatio enim illorum ſatis ſuperque ſignificat, vt qui vno anno id neſcit, & non denuntiat, ſi alio anno ſciat, id denuntiet; imò cùm Domini Inquiſitores perpetuò viſitent, eorum edicta perpetuò durant, vt *præcedenti num.* diximus.

3. *Quid de edictis quæ promulgantur in viſitationibus diœceſum, &c.* Notandum verò eſt, præcepta illa, quæ ab Epiſcopis in ſuis oppidis, & à Prælatis Religionum in ſuis Religionibus in particularibus viſitationibus proponuntur, cùm prædictæ viſitationes certo tempore finiri ſoleant, & præcepta illa excommunicationem continentia pro certo tempore imponantur, non obligare illos, qui poſt expletum tempus viſitationum, notitiam talium præceptorum habuerunt. Ratio eſt, quia intentio Prælatorum, eſt ea præcepta pro eo ſolo, & præciſo tempore imponere, niſi aliud expreſsè ipſi declarent, vnde Religioſus, vel ſæcularis, qui intra tempus viſitationum non obediunt edicto ex vi talis præcepti, non tenetur poſt tranſactum tempus viſitationum ad denuntiandum, peccauit tamen, & excommunicationem incurrit, ſi fortè tali præcepto continebatur, qui nullam cauſam excuſantem habuit, quæ eum à tali denuntiatione excuſaret: ita communiter Doctores, expreſsè ita docet Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 34. *verſ. quarto.* colligitur *in cap. inter verba* 11. *quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *corollario* 66. *num.* 797. & ex Salon. 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 1. *controuerſ.* 2. Dixi, *ex vi talis præcepti*, quia aliunde ex iure naturali, ſi ea delicta pernicioſa fuerint, & nociua aliis, tenebitur illa nuntiare, imò etiam, & quando ſolùm fuerint nociua proximo peccatori, ſeruato ordine Euangelico, vt *cap. præcedenti* diximus. (Sayrus. Salon.)

4. *Obiectio.* Dices, monitoria, quæ ad furtum denuntiandum obtinentur, licèt terminum certum, nouem, aut decem dierum, præfixum habeant, obligant tamen tranſacto eo termino, nam ſi abſens aliquis fuerit, & eo termino tranſacto aduenerit, habita notitia talis monitorij, tenetur furtum denuntiare intra tantum tempus à die notitiæ, quantum in monitorio præfigebatur; ergo etiam qui abſens fuerit tempore viſitationum, tenebitur poſtea ſuperueniens ad denuntiandum, etiamſi tempus viſitationum peractum iam, & tranſactum fuerit. *Soluitur.* Reſpondeo non teneri, & eſſe diuerſam rationem, quia monitoria obtenta ad denuntiandum furtum obtinentur ad inſtantiam partis, cuius intentioni iudex ſuam intentionem accommodat, intentio autem partis eſt, vt non ſolùm ſuum furtum denuntietur intra terminum præfixum in monitorio numeratum, à die publicationis monitorij, ſed etiam à die notitiæ ipſius monitorij; & ideò ſi aliquis abſens, notitiam monitorij non habuit, & tranſacto tempore, quod in illo ad reuelandum furtum præfigebatur, adueniat, tenetur furtum reuelare ſub excommunicatione in monitorio contenta: at verò monitoria expedita à ſuperioribus pro tempore viſitationum ex officio, & non ad inſtantiam partium expediuntur; quare ex vſu, & praxi conſtat, huiuſmodi præcepta pro ſolo tempore viſitationum durare, & cum illis expirare, & ampliùs non obligare, & hanc eſſe intentionem ſuperiorum, vt optimè animaduertit Sayrus *in Claui Regia, lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 34. *verſ. quarto*, quare eſt diuerſa ratio in vtroque caſu; & idem ex ſtatim dicendis patebit clariùs.

Dubium ergo non leue eſt, an tempus in edicto monitorio affixum ad reuelandum furtum, v. c. nouem, aut ſex dierum numerandum ſit à die publicationis edicti, vſque ad ſex dies primos ſequentes, ita vt finito, & tranſacto prædicto termino præfixo, expiret obligatio reuelandi, & denuntiandi furtum ſub excommunicatione an ſit numerandum à die notitiæ ipſius edicti, poterit enim prædictum edictum poſt prædictum terminum nouem, aut ſex dierum, venire in notitiam aliquorum, qui fuerunt abſentes, aut etiam in eodem loco, ſed notitia publicati edicti ad illos non peruenit, niſi tranſacto eo termino, nouem, aut ſex dierum. Et hac de re partita eſt opinio, 5. *An terminus in monitorijs intelligendus ſit à die publicationis.*

Prima docet, intelligendum eſſe, terminum nouem, aut ſex dierum, à die, quo peruenerit tale edictum in notitiam alicuius, ſiue abſens fuerit, ſiue præſens in eodem loco, atque adeò obligare prædictum edictum, tranſacto etiam termino in eo præfixo, quia ille terminus non apponitur ad extinguendam obligationem reuelandi, & denuntiandi furtum, aut peccatum publicum ſub excommunicatione, cuius author ignoratur; ſed ad illam tantùm non differendam vltra terminum præfixum, ita expreſsè docet Soares *tom.* 5. *de cenſuris, diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 14. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 46. Lazarius Papienſis *in ſuis quæſtionibus Canonicis, ſect.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 5. vbi citat Rodriquez 1. *part. ſummæ, cap.* 74. *num.* 18. & Sotum *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 1. docet etiam Ludouicus Lopez 2 *part. inſtruct. cap.* 12. *verſ. præterea*, & Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, cap.* 13. *num.* 3. Adde pro hac opinione id quod diximus *num. præcedenti*, iudices ſcilicet regulariter expedire huiuſmodi monitoria, edictaque ad petitionem, & inſtantiam partis, & in ea expeditione ſuam intentionem accommodare ad partis intentionem; partis autem intentionem eſſe, vt hæc edicta non expirent, nec extinguantur elapſo termino præſcripto, ſed potius durent poſt illum. Ex hac opinione *Opinio prima.* (Soares. Nauarrus. Papienſ. Rodriq. Sotus. L. Lopez. Sanchez.)

6. *Sequela prima.* Sequitur primò abſentes, & præſentes, etiam ad quorum notitiam publicatio edicti non peruenit, ſi poſtea præſentes fiant elapſo termino, aut id ad illorum notitiam deuenerit, perſeuerante iudice in eadem iuriſdictione teneri cùm primùm notitiam talis publicationis habuerint intra illum ipſum terminum aſſignatum in huiuſmodi edictis numeratum à die notitiæ illorum, rem reſtituere, reuelare, vel denuntiare ſub eadem excommunicationis pœna; & hanc ſequelam approbat expreſsè Soares, & Lazarius Papienſis *allegati*, ſed hoc eſt mirum, nam etiam concedent, ſi poſt viginti, aut quinquaginta annos abſentiæ venerint, imò & ſi poſt centum ad notitiam præſentium tale edictum deuenerit, perſeuerante eodem iudice teneri illos ex vi edicti, & præcepti in eo contenti ſub excommunicatione latæ ſententiæ, rem reuelare, reſtituere, aut denuntiare. Hoc autem eſt valdè mirabile, cùm prædictum edictum ſit quoddam præceptum poſitum pro illo tempore præſenti.

7. & 8. *Sequela ſecunda.* Sequitur ſecundò, non extingui obligationem denuntiandi ex vi pœnæ, & cenſuræ contentæ in tali edicto, extincto termino, in illo præfixo ad furtum reuelandum, ac proinde ſi quis eo tempore ob paupertatem impotens ſit ad reſtituendum, aut aliunde ex alia cauſa ſit impeditus ad reuelandum id quod ſcit, excuſari

pro

pro tunc dum durat impotentia, & impedimentum, teneri tamen poſtea ſublata impotentia, & impedimento, intra alium æqualem dierum terminum numeratum à die, quo impotentia, & impedimentum ceſſauit, rem reuelare, aut denuntiare; & hoc admittunt etiam authores citati, quod etiam mirum eſt, nam ſi impotentia, & impedimentum poſt decem, aut viginti annos ceſſauerit, tenebitur huiuſmodi homo, cui talia impedimenta ceſſarunt, poſt illos annos ex vi edicti ſub cenſura reſtituere, aut reuelare, quod videtur durum, cùm ſufficiat ſolùm rem reſtituere ex vi iuris naturalis obligantis, vt omnes alienum reſtituant, cùm poſſunt.

9. *Opinio ſecunda.* Secunda opinio, meo iudicio, probabilior aſſerit, numerandum eſſe prædictum terminum à die publicationis vſque ad ſex, aut nouem dies primos ſequentes, plures, vel pauciores, prout in edicto continetur, & extincto eo dierum termino, extingui etiam obligationem reuelandi, aut reſtituendi ſub excommunicatione, & pœnis in monitorio edicto contentis, & manere tantùm obligationem illam, quæ de iure naturali obligat ad reuelandum, aut reſtituendum. Vnde edictum ignorantes, & qui abſentes erant, ſi peracto eo termino id ſciant, non tenentur ampliùs ad reſtituendum, vel reuelandum ex vi edicti, & excommunicationis in eo contentæ, quamuis aliunde ſemper teneantur de iure naturali, & ex iuſtitia reſtituere, & ex charitate reuelare, ſeruato debito ordine ipſius charitatis: ita Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolitana, cap. 1. num. 7.* Fumus *verb. excommunicatio* 4. §. 4. Beja *1. part. caſu 47. fol. mihi* 80. vbi doctè id probat Filliucius *tom. 2. tract.* 40. *cap. 7. num. 225.* Veiga *lib. 1. ſumma, caſu* 123. Coſinus Philiarchus *de officio Sacerdotis, part. 1. lib. 3. cap. 14. de excommunicatione*, Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap. 12. num. 218.* & videtur omnino tenere Sà *verb. excommunicatio, num. 22.* & dicit eſſe probabilem Lazarius Papienſis *ſect. 2. quæſt. 1. num. 9.* Et ratio eſt

M Anton. Fumus. Beja. Filliucius. Veiga. Philiarch. Reginald. Sà. Papienſ.

Primò, quia edicta illum terminum præſcribunt, & aſſerunt, vt quicumque rem tenent, aut de illa ſciunt, illam reſtituant, vel reuelent intra nouem, ſexve dies primos ſequentes; ergo his diebus elapſis, & extinctis, extinguitur etiam obligatio reſtituendi, aut reuelandi ex vi edicti, & ſub pœna in eo contenti, licèt ſemper maneat obligatio de iure naturali.

Secundò, quia huiuſmodi edicta continent præceptum, non legem, aut ſtatutum: præceptum autem, & mandatum expirat non ſolùm morte, aut remotione ab officio præcipientis, ſed etiam tranſacto tempore, pro quo ponitur, hoc enim eſſentiale diſcrimen eſt inter legem, & præceptum, quòd lex non moritur, ſed ſemper obligat, ac durat, poſt mortem etiam illam ferentis, vt patet ex *l. Arrianus, C. de hæreticis*; præceptum autem non durat pro ſemper, ſed pro tempore, pro quo ponitur, & morte, aut remotione ponentis, ac mandantis deficit. Nec refert, quòd ad inſtantiam partium, huiuſmodi edicta ferantur, ac publicentur, vt dicamus non extingui illorum obligationem, extincto termino dierum, debuit enim intentio partium eſſe, vt ſemper duret terminus illi, & vt à die notitiæ, non à die publicationis computetur, quod omnino inconuenit, non refert, inquam, quia iudex paratus eſt, alia edicta expedire, aliamque excommunicationem ad nouam partium inſtantiam, quoties iudicauerit id eſſe neceſſarium.

Conſului hac de re virum doctiſſimum Emanuelem Alures Carnerium, qui viginti, & eò amplius annos munus Vicarij Generalis, & Prouiſoris in Curia Bracharenſi huius regni Luſitaniæ exercuit, & mihi affirmauit ſuam intentionem in ferendis huiuſmodi monitoriis edictis ſemper fuiſſe vt non niſi intra præfixum, & aſſignatum in eis tempus obligarent, quia hæc edicta feruntur tanquam quædam mandata, & præcepta, de quorum ratione intrinſeca eſt, vt non durent, niſi pro illo tempore, pro quo feruntur. 10.

Nec fundamenta prioris opinionis vim habent. Ad primum enim reſpondeo, illum terminum in edictis præfixum ad reuelandum, aut reſtituendum, non fuiſſe appoſitum ad extinguendam obligationem reſtitutionis, abſolutè loquendo; hæc enim obligatio eſt de iure naturali, & ſemper durat, dum furtum ablatum non reſtituitur, & ſolùm ſuſpendi poteſt propter paupertatem, aut impoſſibilitatem, aut aliud impedimentum; fuiſſe tamen appoſitum ad extinguendam obligationem reſtitutionis, & reuelationis ſub excommunicatione, & pœnis in edicto contentis, vnde ille, qui propter aliquod impedimentum paupertatis, impotentiæve non reſtituit intra terminum aſſignatum, non tenetur eo termino elapſo ſub excommunicatione reſtituere, fuit enim extincta vis excommunicationis, extincto temporis termino, pro quo obligabat. 11. *Soluuntur fundamenta prioris opinionis.*

Similiter dico, illum, qui in communibus viſitationibus, & inquiſitionibus non denuntiauit delinquentem intra terminum ad denuntiandum à iudice præſcriptum, ob aliquod iuſtum impedimentum, abſentiæ, ignorantiæve, talis edicti, aut ob metum cadentem in conſtantem virum, non teneri elapſo termino denuntiare ſub eiſdem pœnis, vt ſæpe diximus, fuit enim hoc edictum promulgatum per modum præcepti, non per modum legis, & ſtatuti: præcepta autem non obligant niſi intra tempus præfixum; quare niſi iudices aliud declarent, dum huiuſmodi edicta expediunt, ita ſine dubio dicendum eſt. 12. *In communibus viſitationibus extinguitur obligatio denuntiandi ex vi edicti.*

Sæpe tamen huiuſmodi monitoria edicta, non ad reuelandum, ſed ad teſtificandum obligant; dubitabis ergo, vnde colligere poſſimus quando ad reuelandum, quando ad teſtificandum obligant, eſt enim magna differentia inter vtramque obligationem. Nam ſi obligant ad denuntiandum, & reuelandum, non tenemur reuelare, & manifeſtare, niſi id, quod aut in iudicio probare poſſumus, aut ſcimus poſſe in iudicio probari, vt ſæpe in capitibus diximus præcedentibus, & docet gloſſa *in cap. plerumque 2. quæſt. 7. & in cap. Sacerdos, de pœnitentia, diſt. 6.* Baldus *in cap. nuntius, de teſtamentis*, Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. concluſ. 6. corollario 66. num. 778. & 786. & in ſumma latina, cap. 17. num. 134. verſ. ſeptimo, § ſecundum.* Antonius Corduba *in ſumma, quæſt. 64. caſu 5.* Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitut. cap. 4. part. 2. dub. 9. num. 228.* & colligitur ſatis apertè ex *dicto cap. plerumque 2. quæſt. 7.* ibi, *Plerumque boni viri propterea ſufferunt aliorum peccata, & tacent, quia ſæpè deſeruntur à publicis documentis, quibus ea, quæ ipſi ſciunt, iudicibus probare non poſſunt.* Quod enim ſcitur, & probari nequit, non videtur ſciri ad effectũ denuntiandi, aut reuelandi illud, id quod Nauar. *in c. inter verba 11. q. 3. coroll. 66. & 786.* 13.

Gloſſ. Bald. Nauarr. Cordub. P. Nauarr.

verum

verum eſſe putat, etiamſi eſſet crimen læſæ maieſtatis, ac parricidij: quia in eo, inquit, caſu, ſolùm obligatur ſciens ad impediendum omni modo poſſibili, non ad reuelandum, aut denunciandum, putà dicendo Iudici extraiudicialiter, & ei, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe; ſiue monendo eum, cui damnum impendit, vt curam ſui gerat. Si obligant ad teſtificandum; tunc tenemur dicere id, quod ſcimus, aut audiuimus, ſiue probari poſſit in iudicio, ſiue non poſſit. Magna ergo opus eſt prudentia ad diſcernendum, quando Iudex in talibus monitoriis edictis, nobis præcipiat rem denunciare vt teſtibus, & quando vt denunciatoribus: quare nonnullas regulas apponunt Authores.

14. *Regula ad diſcernẽdum, quando Iudex præcipiat denunciare vt teſtibus, an vt denunciatoribus.* Lazarius. Sayro.

Prima eſt, quando Iudex in monitoriis præcepit, vt denunciemus, vel teſtificemur, clara res eſt, & ſatis exprimit ſuam intentionem: & in claris, non opus eſt coniecturis, *l. Ille autem. ff. de legat.* 3. Accipienda ſunt enim verba in ſua propria ſignificatione; *argumento legis, Non aliter. ff. de legatis*, 3. & *argumento capitis, Praretereà. de verborum ſignificat.* Ita docet Lazarius Papienſis *in quæſt. canonic. ſect.* 1. *quæſt.* 20. *n.* 10. Mens enim Iudicis ſatis conſtat ex verbis illius. Docet etiam Sayro *in Claui regia, lib.* 12. *cap.* 13. *n.* 32.

15. Secunda eſt, idem eſſe dicendum, quando mens Iudicis, ex modo proponendi, aut ex aliis coniecturis colligi poteſt: quia mens coniecturata pro expreſſa habetur: & taciti, & expreſſi eadem vis eſt, atque poteſtas.

16. Tertia eſt, quando nobis non conſtat de mente Iudicis, neque clarè præcipitur, vt denunciemus, vel teſtificemur; ſed præcipimur dicere, declarare, & reuelare, ſiue ex viſu, ſiue ex auditu, ſiue ex quauis alia notitia ſciamus; tunc quidem ſi monitoria feruntur pro furtis, ad denunciandum vocamur, non ad teſtificandum; & ideò non tenemur dicere, nec reuelare, niſi id, quod poſſumus probare, aut quod ſcimus poſſe in iudicio probari. Ita docet Lazarius Papienſis *de quæſt. canon. ſect.* 2. *quæſt.* 20. *num.* 12. Sayrus *in Claui regia, lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 26. Corduba *quæſt.* 64. Filliucius *tomo* 2. *tract.* 40. *cap.* 7. *n.* 122. §. *Quintum quando.* Sed in hoc caſu ante denunciationem ſemper requiritur fraterna monitio: & priuſquàm denunciemus, facienda eſt, ſi profutura ſperatur, & non eſt periculum in mora; nec malum aliquod, aut damnum in vita, fama, aut bonis metuitur, vt ſæpè diximus, & docet Lazarius citatus. Nauarrus *in Summa Lat. c.* 25. *n.* 46. & Graphis 2. *p. deciſ. aur. lib.* 1. *cap.* 69. *n.* 28. & omnes communiter.

Lazarius. Sayro. Corduba. Filliucius. Lazarius. Nauarrus. Graphis.

17. Quarta eſt, ſi materia monitoriorum ſit criminalis, & in prædictis monitoriis de criminalibus negotiis agatur: tunc quidem, aut ſunt iam cœpta litigari, aut non ſunt cœpta. Si iam ſunt cœpta litigari, & in monitoriis dicatur, vt rem dicamus, manifeſtemus, aut reuelemus; præcipimur, vt teſtes, non vt denunciatores: quia tunc non ſunt neceſſariæ denunciationes, cùm iam res in iudicio verſetur, ac propoſita ſit. Ita docet (& optimè) Lazarius Papienſis *tract. de quæſtionib. canonic. ſect.* 2. *quæſt.* 20. *n.* 11. Si cauſa criminalis nondum ſit in iudicio propoſita, nec cœpta litigari, præcipimur, vt denunciatores: quia tunc neceſſariò requiruntur denunciationes, vt res in iudicio proponatur, vt videre eſt *in cap. Super his. de accuſat.* Sic in inquiſitionibus generalibus, in quibus inquiritur de criminibus generalibus, quorum authores ignorantur, nemo tenetur dicere, niſi id, quod poteſt in iudicio probari, & publicum eſt in maiori parte viciniæ, oppidi, aut parochiæ, dummodo ſaltem decem habeat perſonas: quia vocatur ad dicendam veritatem, non tanquàm teſtis, ſed tanquàm denunciator. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. & Sotus *de teg. ſecret. memb.* 2. *quæſt.* 7. Veiga *lib.* 2. *caſu* 38. Nauarrus *in cap. Inter verba.* 11. *q.* 3. *corollario* 6. *pag.* 392. *n.* 292. contra Cabedo 1. *p. deciſ.* 79. *n.* 2.

D.Thom. Sotus. Veiga. Nauarr. Cabedo.

18. Si verò in monitoriis agatur de rebus ciuilibus, ſiue iam in iudicio ſint propoſitæ, ſiue non ſint; & ſiue cœptæ ſint litigari, ſiue non; intelligendum eſt monitorium de teſtificando, non de denunciando: quia in ciuilibus communiter non agitur de punitione, ſed ſatisfactione partis, & pœnitentia peccati. Ita idem Lazarius Papienſis *in ſuo libello, & tractatu de quæſt. canonicis, ſect.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 11.

19. *Verbum, teneatur, in monitoriis tribus modis ponitur.*

Notandum verò, verbum, *teneatur*, in monitoriis, regulariter loquendo, poni vno è tribus modis. Primò, an quis ſciat de delicto, & delinquente. Secundò, an ſciat de fama, ſeu infamia, & notoreitate delicti. Tertiò, vt quiſquis dicat, vel reuelet, quidquid ſcit, vel audiuit: ille autem ſcire dicitur, qui rem ſenſu externo expertus eſt, aut ſcit ex narratione, & confeſſione partis extra Sacramentum Pœnitentiæ, vt optimè notat Henriquez *cap.* 18. *de excomm. n.* 5. *lib.* 13. *in Summa.* Lazar. Pap. *ſect.* 1. *quæſt.* 20. *num.* 13. Quando præcipimur, vt dicamus de fama, aut infamia, vt fit in viſitationibus generalibus annuariis, non tenemur dicere, niſi id, quod publicum eſt, aut notorium maiori parti viciniæ, oppidi, aut Collegij, dummodo decem habeat perſonas: quia tunc præcipimur reuelare, vt denunciatores. Quando præcipimur, vt dicamus id, quod ſcimus de delicto, & delinquente, tunc vel delictum iam verſatur in iudicio, (vt diximus de cauſis criminalibus,) vel non verſatur. Si iam verſatur in iudicio, tenemur dicere, tanquàm teſtes, id, quod ſcimus, etiamſi id in iudicio probari non poſſit. Si non verſatur, tenemur vt denunciatores, & ſolùm id, quod in iudicio probari poteſt. Et ex hac breuiſſima, & clariſſima explicatione inferes notitiam generalem ad multorum caſuum reſolutionem pertinentem, qui in materia correctionis iudiciariæ vſu triti, & quotidiani ſunt.

Henriquez. Lazarius.

Capvt LII.

Soluuntur aliqua dubia ad hanc materiam edictorum ſpectantia.

Svmmarivm.

An pars, ad cuius inſtantiam excommunicatio fertur, poſſit prorogare terminum ſolutionis alteri parti, ſine Iudicis conſenſu. n. 20.
Refertur prima ſententia negans. ibid.
Refertur ſecunda affirmans, & vtraque eſt valdè probabilis. n. 21.
Quid ſit prorogare tempus, quid innouare, ſeu mutare, & alterare illud. ibid.
An ille, qui ſolus furtum vidit cum altero, qui tamen abſens eſt; teneatur furtum reuelare, quando ſuper furtum fertur excommunicatio. n. 22.
An, qui ſolus impedimentum matrimonij agnoſcit, teneatur illud reuelare in bannis. n. 23.
Quid ſi tale impedimentum ſub ſecreto ei commiſſum fuit, & ſub iuramento. n. 24.

Quid ſi is, qui nouit impedimentum occultum, ſciat contrahentes eſſe diſpenſatos pro foro interiori conſcientiæ: & quid, ſi impedimentum ſit publicum, & contrahentes pro foro conſcientiæ, diſpenſationem obtinuerunt. n.25.

Quando quis præcipitur tanquàm teſtis rem dicere, ac reuelare, tenetur veritatem fateri, etiamſi in iudicio id probare non poſſit. n.26.

An is, qui per monitorium de crimine interrogatur, teneatur veritatem fateri, quando ſolùm datur ſuſpicio contra criminoſum. n.27.

20. GRAVE dubium eſt, an, quando fertur excommunicatio ad inſtantiam partis, vt quis intra præſcriptum terminum ſoluat, v. c. intra ſex, aut nouem dies, aliàs excommunicationem incurrat ipſo facto; poſſit ipſa pars, ad cuius inſtantiam excommunicatio expenditur, prorogare illum terminum, & concedere aliam temporis intercapedinem longiorem arbitrio ſuo, abſque mandato, aut conſenſu Iudicis, imò illo inſciente, & ignorante: & hac de re partita eſt opinio. Prima negat. Eam docent Syluester *verbo*, *Excommunicatio*, 2. *notabili* 1. *caſu* 13. Nauarrus *in Summa Lat. cap.* 27. *num.* 15. Beja 1. *p. Summæ*, *caſu* 47. *fol.* 80. Angelus *verbo*, *Excommunicatio*, 1. *num.* 21. Henriquez *lib.* 12. *Summæ*, *cap.* 20. *litter. H.* vbi citat plurimos Lazarius Papienſis *in tract. & libello de quæſtionibus canonicis*, *quæſt.* 2. *ſect.* 1. *num.* 7. Praxis Neapolitana *cap.* 2. *num.* 8. Zechius *de caſibus reſeruatis*, *caſu* 1. *num.* 9. §. *Notandum.* Et hanc ſententiam appellat Beja communiorem. Ratio illorum eſt: quia excommunicatio, & obligatio illius non naſcitur, nec ponitur formaliter, ex voluntate, & contractu partium inter ſe contrahentium; ſed ex iuriſdictione Iudicum eccleſiaſticorum: ergo non poteſt nouum effectum producere; nec poteſt ſuſpendi, aut prorogari, niſi de conſenſu, & authoritate Iudicum: nam obligatio, per quas cauſas oritur, per eaſdem tollitur: at obligatio excommunicationis oritur ex voluntate, & iuriſdictione Iudicis: ergo per eandem debet tolli, aut ſuſpendi. Secundò, quia Iudex de conſenſu partis aſſignauit illum terminum ad ſoluendum: ergo, vt poſteà ſuſpendatur, id debet fieri de conſenſu Iudicis. Tandem, quia illa ſuſpenſio, & prorogatio eſt actus iuriſdictionis: ergo à Iudice debet emanare, non à parte, cùm pars nullam habeat iuriſdictionem.

Prima opinio negans. Syluester. Nauarr. Beja. Angelus. Henriquez. Lazarius. Praxis Neap. Zechius. *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.*

21. Secunda opinio affirmat, & ait, poſſe partem, ſeu creditorem, ad cuius inſtantiam lata eſt excommunicatio, prorogare tempus illius; non mutare, non alienare; inconſulto, & inſciente Iudice excommunicationis ſententiam ponente: & tunc ſi debitor non ſoluat, neque ſatisfaciat in tempore prorogato, incurri prædictam ſententiam. Eſt autem alterare, innouare, & mutare tempus obligationis cenſuræ, v. c. ſi Iudex præfixit terminum nouem dierum ad ſoluendum, pars concedit alteri parti, vt ſoluat intra 12. dies, aut intra 30. aut intra tredecim, &c. Eſt verò prorogare, cùm pars extendit illum terminum æqualem, v. c. vſque ad alios nouem dies, & his finitis eum extendit, & prorogat vſque ad alios nouem, vt ſtatim probabimus. Hanc opinionem tenet expreſsè Soares *tomo* 5. *de cenſuris*, *diſp.* 3. *ſect.* 6. *num.* 11. Toletus *in Summa*, *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. Vgolinus *de cenſuris*, *tabula* 1. *cap.* 2. §. 6. *num.* 5. Saytus *de cenſuris*, *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 20. Speculum comm. opinionum *quæſt.* 493. Abbas, & Decius *in cap. Prætereà. de appellat.* 2. Angelus, immemor ſui, *verbo*, *Excommunicatio*, 2. *num.* 20. Ioannes Andreas *in cap. Quicunque. de ſentent. excommunicat. in* 6. & Barthol. *in l.* 1. §. 2. *ff. de noui operis nunciat.* & alij. Fundamentum huius opinionis eſt, primò: quia ille terminus conceſſus fuit à Iudice in gratiam partis, ad cuius inſtantiam expedita fuit cenſura: pars autem poteſt cedere ſuo iure, prorogando terminum: ergo pars poterit ad libitum ſuum prorogare per alium terminum æqualem, non mutare, non alterare. Secundò, quia, ſicut pars, ſeu creditor poterat remittere totum debitum, abſque conſenſu Iudicis, quin cenſura incurreretur; ita & prorogare terminum illius, abſque eodem Iudicis conſenſu: nam prorogatio illa, nihil aliud eſt, quàm quædam remiſſio, ſi non totalis, ſaltem temporalis, ſeu ad tempus facta: & denique, quia ille terminus non eſt intelligendus de illis ſex diebus continuis, quos Iudex in excommunicatione aſſignauit; ſed de ſex aliis diebus, quos voluerit pars, vel creditor, qui excommunicationem petiuit. Vnde totum tempus termini affixi ad obligandum creditorem, pendet ex voluntate ipſius creditoris, non Iudicis: quare ſtatim, ac creditoris voluntas ceſſat, incipit obligatio ſub priori termino à Iudice aſſignato, cùm tota excommunicatio in beneficium feratur creditoris prorogantis; alioqui non eſſet fauor ſpecialis, nec beneficium, ſi non poſſet prorogare tempus; ſed eſſet partim onus, partim beneficium, & fauor. Et ideò aſſerunt iuris ciuilis periti, & canonici, prorogationem termini factam à parte eundem terminum cenſeri: quia ſub conditione prorogatio fieri exiſtimatur. Patet *ex l. Etſi. ff. de precario.* & *ex l. Si cum die. ff. de arbitr.* quæ etiam rectè diſtinguunt, inter prorogationem, & innouationem, mutationem, ſeu alterationem termini, *ex l.* 4. *ff. de damno infecto.* nam innouare eſt, nouum terminum concedere: prorogare verò eſt eundem terminum, qui anteà erat, extendere: atque ideò, licèt creditor, & pars, ad cuius inſtantiam expedita fuit excommunicatio, non poſſit innouare terminum à Iudice aſſignatum; poteſt tamen eundem terminum extendere, & prorogare. Tandem, quia, licèt creditor videatur facere contra verba Superioris; non facit tamen contra mentem illius: non enim intendit Iudex plus debitorem obligare, quàm velit creditor; & ideò iam debitor non eſt contumax, cùm conſtet materiam præcepti pro eo prorogationis tempore eſſe ablatam. Vtraque ſententia eſt valdè probabilis.

Secunda opinio affirmãs. *Quid ſit alterare, innouare, & mutare tempus.* *Quid prorogare.* Soares. Toletus. Vgolinus. Saytus. Speculum. Abbas. Decius. Angelus. Ioan. Andr. Barthol. *Fundamentũ affirmantis.*

Alterum dubium eſt, vtrùm, ſi excommunicatio feratur ob furtum, & in ea dicatur, vt qui de furto agnouerit, intra ſex dies illud reuelet, & tu ſolum furem vidiſti, aut cum altero, qui modò abſens eſt, & id non poteſt reuelare, renearis reuelare denunciando. Reſpondeo, non teneri, vt *ſuprà* iam diximus: imò ſi volueris id reuelare, tenetur Iudex ex officio te interrogare, an ſolus ipſe id agnoueris, & ſi ita inuenerit, tenetur non acceptare talem reuelationem, ſeu denunciationem. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. Caietan. *ibid. quæſt.* 69. *art.* 1. Nauarrus *in Summa Lat. cap.* 18. *num.* 40. & 61. & *cap.* 14. *num.* 134. Tabiena, *verbo*, *Inquiſitio.* §. *vltimo.* Marcus Antonius Genuenſis *in praxi Neapolitana*, 22.

Dubium. *Solutio.* D. Thom. Caietan. Nauarr. Tabiena. M. Anton.

cap. 2.

Papienſis. *cap. 2. num. 2.* Lazarius Papienſis *in libello de quæſtionibus Canonicis, ſect. 2. quæſt. 11. num. 1.* Fundamentum eſt: quia, quando ſub excommunicatione præcipitur, vt qui talem rem ſcit, eam reuelet; intelligitur de eo, qui ſcit, & probare poteſt in iudicio: quia præcipitur, vt rem dicat, non tanquàm teſtis; ſed tanquàm accuſator, & denunciator, vt *ſuprà* diximus, *num. 16.* Denunciator autem non poteſt, nec tenetur denunciare, niſi id, quod poteſt probare in iudicio; aliàs peccat mortaliter, & tenetur reſtituere famam alterius, & damnum, ſi fortè illud dedit, per eam iniuſtam reuelationem, vt docet Nauarrus *locis allegatis*, & Toletus *lib. 5. Summæ, cap. 27. num. 6.* Præcipitur enim reuelatio, vt poſtea conſtet in iudicio externo de tali furto ad obligandum furem. Vnde, ſi aliquis ſolus rem nouit, inſeruiet quidem ad infamandum, non probandum, vt de ſe patet; & infamatus iuſtè contra hoc modo infamantem, querelam afferet in iudicium.

23. *Vnus teſtis ſufficit ad impediendum matrimonium.* Limitatur hæc doctrina primò in impedimento ad matrimonium: quia vnus tantùm teſtis ſufficit ad illud impediendum, cùm de obuiando peccato in futurum agatur. Nec hîc eſt periculum querelæ in iudicio dandæ pro infamatione, cùm omnia fiant occultè; & Parochus non poſſit manifeſtare reuelantem. Ita Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſput. 13. num. 2.* Nauarrus *in cap. Sacerdos. de pœnitent. diſt. 6. num. 27.* & *in Summa, cap. 22. num. 83.* Rodriques *tom. 1. Summæ, in 2. edit. cap. 217. num. 7.* Gutierres *lib. 1. quæſt. Canonicar. cap. 11. n. 27. & 28.* (Sanchez. Nauarr. Rodriq.)

24. *Conſcius impedimenti, quod accepit ſub ſecreto naturali, tenetur illud denunciare.* Imò, ſi conſcius impedimenti, illud accepit ſub ſecreto naturali, tenetur adhuc illud denunciare, etiamſi iurauerit non denunciare: tum, quia in ea reuelatione non agitur de punitione criminis; ſed de peccato vitando, & de liberando denunciatum à morte ſpirituali animæ ſibi ex eo matrimonio imminenti. Vnde, cùm vita animæ omnibus rebus præferenda ſit, vincit hæc lex charitatis, tanquàm fortior, legem de ſeruando ſecreto naturali, famáque proximi. Tum, quia ſecreto commiſſa manifeſtanda ſunt, quando vergunt in damnum tertij: nam, ſi ſit impedimentum dirimens, tendit in præiudicium alterius coniugis bona fide contrahentis: quòd ſi mala fide vterque contrahat, tendit in præiudicium Sacramenti matrimonij, quod irritum eſt, & in præiudicium prolis naſcituræ, quæ illegitima naſcetur, & in damnationem æternam vtriuſque contrahentis; permanebit enim vterque in concubinatu: ſi verò ſit impediens, tendit in irreuerentiam Sacramenti, & damnationem contrahentis cum ipſo impedimento, & ſæpè in damnum tertij, cui frangitur fides. Ita Sanchez *lib. 3. de matrimon. diſp. 13. num. 6.* Paludanus *in 4. diſt. 28. quæſt. 2. art. 5. in tertia pœna, num. 31. initio.* (Sanchez. Paludanus.)

25. *Quibus caſibus teneatur. Primus.* Si tamen conſcius impedimenti occulti, nouit contrahentes impetraſſe diſpenſationem occultam pro conſcientiæ foro, non tenetur denunciare: quia huiuſmodi denunciationes eò tendunt, vt tam peccatum, quàm matrimonij nullitas, & irreuerentia Sacramenti deuitetur: ſed hi validè, ſuppoſita ea diſpenſatione, & abſque peccato poſſunt contrahere, & in foro conſcientiæ perinde eſt, ac ſi nullum impedimentum haberent, quanuis ea diſpenſatio in foro externo allegata non proſit: ergo non tenetur denunciare. Dixi (impedimenti occulti:) quia ſi publicum eſſet, teneretur. Ita docet Sanchez modò citatus *num. 8. & diſp. 14. n. 4.*

Limitatur ſecundò, quando alicui ſub excommunicatione præcipitur teſtificari rem aliquam: 26. *Secundus.* quia tunc non præcipitur, vt denunciet; ſed vt, tanquàm teſtis, dicat ſub excommunicatione id, quod ſcit; & Iudex, quando præcipit teſtificari, iam habet ſemiplenam probationem, aut indicia illi æquipollentia. Ita Nauarrus *in Summa Lat. cap. 17. num. 135.* Angelus *verbo, Denunciatio, num. 3.* Lazarius Papienſis *in libello de quæſtionib. canon. ſect. 2. quæſt. 11. num. 12.* Cùm enim præcipimur, vt aliquid reuelemus tanquàm teſtes, tenemur deponere vt tales, etiamſi id probare nequeamus; imò etiamſi interpoſitum fuiſſet iuramentum de non reuelando. Patet *ex cap. Intimauit. de teſtibus.* Docet Nauarrus *in cap. Inter verba. concluſ. 6. num. 780.* Ludouic. Lopez *2. part. Inſtruct. cap. 10. quæſt. 4.* Sayrus *in Claui regia, lib. 12. cap. 19. num. 9.* Cùm veroſimile non ſit, Iudicem id præcipere, niſi habeat aliqua indicia ſemiplenæ probationi æquipollentia: de quo ſi quis dubitat, Iudicem poterit interrogare, an ſemiplenam probationem habeat, & iuſtè, & iuridicè procedat; & ab eo requirere, vt ſibi ſtatum cauſæ, & indicia oſtendat, vt ſciat, quid, aut quomodo debeat teſtificari.

Si tamen is, qui de crimine, vel furto, ob 27. quod fertur monitorium, & excommunicatio, *Quid ſi teſtis ſit omni exceptione maior.* interrogatur, ſit teſtis omni exceptione maior, & contra culpatum adſit iam aliqua ſuſpicio, vel diffamatio, etiamſi ad ſemiplenam probationem non attingat; ſi præmiſſa correctione fraterna, non ſit facta reſtitutio, credunt aliqui teneri illum, generaliter loquendo, ex vi monitorij, ceſſante metu, & periculo notabilis damni, ſub excommunicatione teſtari, & verum dicere: quia eius depoſitio facit plenam probationem cum præhabitis indiciis non ita ſufficientibus; maximè ſi reddat cauſam ſui dicti, quando teſtimonium fert, vt quia ſuis propriis oculis vidit. Ita Lazarius Papienſis *ſuprà* citatus *dicta ſect. 2. quæſt. 11. num. 14.* Maſcardus *de probat. quæſt. 11. per totam, vol. 1.* Verùm hæc doctrina eſt periculoſa.

Teſtis valdè dignus ſupplet defectū minùs idonei. Non eſt tamen negandum, vnum teſtem valdè dignum, vt Prælatum, Epiſcopum, aut Archiepiſcopum, aut Principem, aut Comitem, aut virum nobiliſſimum bonæ famæ, & probatæ veritatis, poſſe ſupplere defectum teſtis minùs idonei, vt ſimul efficiant plenam probationem, vt docet Leſſius *tomo 1. de iuſt. lib. 2. cap. 30. dub. 5. num. 12. aliàs 22.* & Baldus *in l. Si quis ex argentar. 6. §. 1. ff. de edendo.* Nunquam tamen eſt concedendum, vnum teſtem valdè dignum poſſe ſolum plenam probationem efficere.

Caput LIII.

Datur notitia omnium Conſtitutionum circa Sacerdotes Confeſſarios in Confeſſione ſollicitantes, & inquiruntur difficultates circa illos.

Summarium.

Quatenus Inquiſitores, & Ordinarij poſſint cognoſcere de crimine ſollicitationis in confeſſione, an ſimul, an ſeparatim: & quatenus fœminæ ſollicitatæ teneantur denunciare. Datur notitia omnium Conſtitutionum, quæ circa hoc crimen à Sede apoſtolica emanarunt: & quid, quando fœminæ incipiunt, vel non incipiunt ſollicitationem, à n. 33. *vſque ad* 57.

An Confeſſarius ille denunciandus ſit, & puniendus, tanquam ſollicitator, qui arte magica ſomnium immittit in fœminam in confeſſione, vt ibidem cum illa rem turpem habeat. n. 58.

Explicantur omnes caſus, qui circa hanc materiam ſollicitationis occurrere poſſunt in toto hoc Summario, à numero 32. *vſque* 99.

An ſoli Confeſſarij, de hoc crimine quomodolibet infamati, denunciandi ſint; an etiam non infamati poſt nouam Conſtitutionem Gregorij XV. à numero 79. *vſque ad* 81.

An ante hanc denunciationem præmittenda ſit fraterna correctio. à num. 82. *vſque ad* 87.

An Inquiſitores ſoli poſſint abſoluere, & condemnare reos de hoc crimine, an ſimul cum Ordinariis. à numero 89. *vſque ad fin.*

33\. A Summis Pontificibus Paulo IV. & Pio IV. literæ emanarunt ad Inquiſitores Hiſpaniæ contra Preſbyteros, tam ſæculares, quàm Regulares, ſollicitantes, in Sacramento Pœnitentiæ, ſeu in actu confeſſionis ſacramentalis, mulieres pœnitentes ad actus impudicos, & inhoneſtos: quibus literis Inquiſitoribus facultas dabatur procedendi contra huiuſmodi fœminarum ſollicitatores, ſicut in aliis cauſis ad officium ſanctæ Inquiſitionis pertinentibus, vt videre eſt ex Breui Pij IV. dato Romæ die 16. Aprilis, 1561. Pontificatus ſui anno ſecundo, quod ſic habet:

34\. *Breue Pij IV. contra ſollicitantes fœminas in cõfeſſione ſacramentali.*

Pius Papa IV. Venerabili Fratri Epiſcopo Hiſpalenſi in Regnis Hiſpaniarum, hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum, ſicut nuper, non ſine animi moleſtia accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam eorum ciuitatibus, & diœceſibus, curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus deputati, in tantam prorupèrint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur; nec illi, & ei, qui illud inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur; mulieres, videlicet, pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & procurando; ac loco earum per Sacramentum eiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo in diuinæ maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum: Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant; Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina pluri-mùm in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictarum regionum, ac illarum ciuitatum, & diœceſum, de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſæculares, quam quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, ſæculares cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatum tibi contra hæreticos conceſſarum continentiam, & tenorem procedas; ac culpabiles repertos, iuxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout iuris fuerit, punias; eos, etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedenti degradatione, ſæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel qualibet firmitate alia roboratis; ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Literis apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac quibuſcunque clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis: quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 16. *Aprilis,* 1561. *Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

35\. *Facultas procedẽdi cõtra ſollicitatores fœminarum in cõfeſſione, quibus fuerit conceſſa.*

Dubitatum fuit ſuper hoc Breui, & alio eiuſdem tenoris Pauli IV. tempore Clementis VIII. an facultas hæc conceſſa Inquiſitoribus contra hos fœminarum ſollicitatores in actu confeſſionis, illis fuerit conceſſa priuatiuè tantùm, an cumulatiuè, tam reſpectu Epiſcoporum quoad Sacerdotes Confeſſarios ſæculares, quàm reſpectu Prælatorum regularium quoad Sacerdotes Confeſſarios regulares. Et declarauit decreto ſuo, quod ſtatim apponemus, eam facultatem reſpectu Prælatorum, & Superiorum regularium tantummodo, cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi Mendicantium ſint, fuiſſe conceſſam Inquiſitoribus priuatiuè tantùm, ita quòd prædicti Regulares non eximantur ab onere deferendi huiuſmodi ſollicitatores Inquiſitoribus, etiamſi ſuis Superioribus illos deferant, ac denuncient; nec Superiores eos poſſint punire, cùm punitio huius criminis ad Inquiſitores tantùm ſpectet. Et nihil declarauit de Epiſcopis reſpectu Clericorum Confeſſariorum ſæcularium: in quo viſus fuit Summus Pontifex aſſerere, reſpectu Epiſcoporum, eſſe eam facultatem conceſſam Inquiſitoribus cumulatiuè, & non priuatiuè: & ſic ex vi huius Breuis eos omnes eximi, & excuſari ab obligatione deferendi huiuſmodi ſollicitatores Inquiſitoribus, qui illos priùs detulerunt, ac denunciarunt ſuis Epiſcopis: quia, cùm poteſtas ſit cumulatiua, & non priuatiua, ſatis illi ſuam explent obligationem, qui prædictos fœminarum ſollicitatores ipſis Ordinariis, vel Epiſcopis detulerint. Et id etiam poſteà declarauit Gregorius XV. vt *infrà* videbimus. Quamobrem Prælati Religionum non poſſunt contra ſollicitantes ſibi ſubditos procedere: ſed tenentur eos ad Inquiſitores, tanquàm de fide ſuſpectos, deferre. Ita docet Souſa *de ſollicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. Rodriques *tom.* 2. *q.* 9. *Regul. q.* 81. *art.* 1. & Peña 3. *p. Directorij, commento* 77. Decretum Clementis VIII. ita habet: Souſa. Rodriques. Peña.

36\. *In nomine Domini. Amen. Per præſens publici decreti*

Decretum Clem. VIII. contra ſollicitantes.

decreti inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd in generali Congregatione Officij ſanctæ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis, habita coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. ac Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Cardinalibus, (illos nominat, & poſt nominationem continuat, ac dicit,) *in vniuerſa Republica Chriſtiana, aduersùs hæreticam prauitatem, generalibus Inquiſitoribus, in negotio ſanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum ſuper Literis felicis recordationis Pauli PP. IV. & Pij PP. IV. facultatis procedendi contra Presbyteros ſæculares, & regulares in Sacramento Pœnitentiæ, ſeu in actu confeſſionis ſacramentalis, ſollicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, ſeu peccata carnis, Inquiſitori generali aliàs conceſſæ, an priuatiuè, vel cumulatiuè, quoad Superiores Regularium dicta Inquiſitio contra huiuſmodi delinquentes procedere poſſit, Sanctiſſimus Dominus noſter, re diligenter, ac maturè diſcuſſa, authoritate ſua apoſtolica declarauit, & decreuit, declarat, & decernit circa huiuſmodi facultatem procedendi nihil eſſe attentandum, aut innouandũ; ſed Inquiſitionem prædictam in omnibus Regnis, & prouinciis ſibi ſubiectis ea iudicialiter vti poſſe, & debere, ſicut in aliis cauſis ad ſanctiſſimum Inquiſitionis Officium pertinentibus, vti hactenus fecit, etiam priuatiuè, quoad Superiores Regularium cuiuſuis Ordinis, & Congregationis, etiamſi Mendicantium exiſtant, ipſóſque Regulares: non enim ab onere deferendi, ſeu denunciandi huiuſmodi delinquentes eidem ſancto Officio, quemadmodum in aliis caſibus, & cauſis ſanctæ Inquiſitionis, in quibus alij Chriſti fideles de iure tenentur; ſed ad ipſum, ſicut alios, teneri, & obligatos eſſe. Et ita Sanctitas ſua declarauit, & decreuit, atque perpetuò ſeruandum eſſe, omni meliori modo, & forma, quibus potuit, potéſtque, & debet, datum, latum, & pronunciatum fuit, ſupradicto Sanctiſſimo D. N. D. Clemente VIII. pro tribunali ſedente, &c. anno à natiuitate Dominĩ 1592. die 3. menſis Decembris, feria quinta, Pontificatus ſui anno 1. Præſentibus,* &c. Poſteà nominat illos, qui fuerunt præſentes.

37. *Contra quos ſupradictum Decretũ procedat.*

Doctrina igitur, quam tradidimus in prima impreſſione huius noſtri Tomi in quinque Eccleſiæ præcepta, *lib. 4. cap. 3. num. 31. fol. 381. ſecundi præcepti*, vbi diximus, hanc declarationem procedere de ſollicitatoribus tantùm fœminarum non virorum, ad actus inhoneſtos in ipſo actu confeſſionis ſacramentalis, non ante, nec poſt; & non de quibuſlibet Sacerdotibus ſollicitantibus; ſed de iis tantummodo, qui de hoc crimine fuerint iam quomodolibet infamati, intelligenda eſt intra terminos Conſtitutionis Pij IV. Pauli IV. & intra terminos declarationis Clementis VIII. non autem intra terminos, & ius nouiſſimæ Conſtitutionis Gregorij XV. expeditæ die 30. Augusti, 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo, cuius notitiam non habuimus: vel, quia poſt noſtrum primum illum Tomum à Sede apoſtolica emanauit; vel, quia, ſi ante illum emanauit, illius noritia, nondum ad nos perlata fuerat, in qua Summus Pontifex ius nouum condidit, in quo ſtatuit, deferendos eſſe, ac denunciandos, non ſolùm ſollicitatores fœminarum; ſed etiam hominum, & puerorũ, & aliarum perſonarum, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, & actus venereos, & impudicos, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetrandos ſollicitauerint, ſiue in actu confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt immediatè; ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis, ipſa etiam confeſſione non ſecuta; ſiue extra occaſionẽ confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunque, in quo confeſſiones ſacramentales audiantur; ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, prout magis patebit *infrà*.

Paulus V. illam ipſam Conſtitutionem Pauli IV. quam ad Illuſtriſſimum Inquiſitorem Generalem Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ deſtinauerat; ad Illuſtriſſimũ Inquiſitorem Generalem Portugalliæ, & Algarbiorum, de verbo ad verbum tranſlatam deſtinauit, cõtinentem eandem omninò materiam, anno Domini 1608. die 16. Septembris, anno ſecundo ſui Pontificatus: nondum enim ea conſtitutio recepta fuerat in Luſitania: quam ideò hîc non appono; quia eandem omninò materiam, & iiſdem expreſſis verbis continet, ac illa Pauli IV. & Pij IV. ſolùm enim deſtinata fuit ad Dominum Inquiſitorem Generalem Regnorum Luſitaniæ, & Algarbiorum; cùm tamen anteà à Pio IV. ad Dominum Inquiſitorem Generalem Caſtellæ fuerit directa, ac deſtinata. Quamobrem doctrina, quam in prima editione noſtri huius Tomi, *in prædicto lib. 4. cap. 3. n. 31. ſecundi præcepti, fol. 381.* tradidimus, procedit etiam conſequenter intra terminos huius Conſtitutionis. 38. *Paulus V. vſus eſt eadẽ Cõſtitutione Pauli IV. cõtra ſollicitantes.*

Nouiſſimè verò poſt editionem noſtri illius Tomi, (vel, ſi fortè ante illam, illius notitiam non habuimus,) emanauit à Sede apoſtolica quædam Conſtitutio à Sanctiſſimo Domino noſtro Gregorio XV. quæ comprehendit etiam Confeſſarios, tam viros, quàm fœminas in confeſſione ſollicitantes. Emanauit autem, tam pro regnis Caſtellæ, quàm Luſitaniæ, & Algarbiorum, in qua Summus Pontifex Gregorius XV. inſerit de verbo ad verbum prædictam Conſtitutionem Pauli IV. Pij IV. & Pauli V. & illam approbat, roborat, & confirmat; ac denique ius de nouo condidit, & multa ſtatuit, quæ non erant ſtatuta in Conſtitutionibus præcedentibus. Nempe, vt denuncientur etiam ſollicitantes maſculos, & alias perſonas, quæcunque illæ ſint, ſiue in actu confeſſionis, ſiue poſt, vt latiùs videri poteſt in prædicto Diplomate, ac Conſtitutione, quam ſtatim §. ſequenti ponemus. Quare hodie iam non licet dubitare, an denunciandi ſint Sacerdotes Confeſſarij ſollicitatores maſculorum, cùm eos Gregorius XV. in ſua Conſtitutione expreſsè comprehendat, ibi: *Qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis, in actu confeſſionis ſacramentalis, ſiue ante, vel poſt immediatè, occaſione confeſſionis, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſollicitauerint.* Vbi illa verba: *Perſonas, quæcunque illæ ſint,* maſculos etiam comprehendunt. Et id ipſum, ex paritate rationis, ante hanc Cõſtitutionem Gregorianam, ſtando in ſolis terminis Conſtitutionum anteceſſorum Pontificum, docuit Illuſtriſſimus Dominus, D. Rodericus à Cunha, nunc Archiepiſcopus Bracharenſium, & Hiſpaniarum Primas meritiſſimus, *de Confeſſ. ſollicitant. q. 6. à n. 6.* qui communiter ante hanc Conſtitutionem reiiciebatur: at poſt illam iam non licet illum reiicere, vt docet egregiè Ioannes Sanchez *diſp. 11. n. 12. fol. 16. col. 1.* Conſtitutio autem Gregorij XV. ſic habet: 39. *Gregory XV. Conſtitutio contra ſollicitantes quid ſtatuat.*

Tenore præſentium approbamus, & confirmamus Conſtitutionem felicis recordationis Pauli IV. &c. Et poſteà addit: *Statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectorum, Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant; qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda, in* 40. *Conſtitutio Gregorij XV. contra ſollicitantes.*

actu confeſſionis ſacramentalis, ſiue ante, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſiue extra occaſionem in Confeſſionario, aut in loco quocunque, vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in Officio ſanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infrà, puniantur: & præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios, omnium Regnorum, prouinciarum, ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis quenque diœceſibus, & territoriis, per has noſtras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim, in omnibus, prout in cauſis fidei iuxta ſacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquiſitionis huiuſmodi Conſtitutiones, priuilegia, & conſuetudines, delicta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex huiuſmodi exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinum, priuationis beneficiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ, aliáſve pœnas decernant, debita præcedenti degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant. Et poſteà additur: *Et ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cùm difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur, tradendi; non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor noſter in Litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis, vt ſuprà, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis. Quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandos Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, iidem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos prò modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ eccleſiaſticæ poteſtatis munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà, vbique habeatur, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti, 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

41. *Ad quos obligatio denunciãdi pertineat.*

Hæc obligatio denunciandi ſollicitatores pertinet ad perſonas ſollicitatas vtriuſque ſexus: non enim ipſi ſollicitatores tenentur ſe ipſos prodere, & denunciare. Vnde poſſunt Confeſſarij ordinarij abſoluere ipſos ſollicitantes; non tamen perſonas ſollicitatas, quin priùs ipſæ ſollicitatores ſuos denuncient. Ita diximus *in prima editione huius noſtri Tomi primi in quinque præcepta Eccleſiæ, præcepto 2. lib. 4. cap. 3. n. 31. initio*, & docet Rodriques *in Summa, cap. 207. concluſione 1.* Et ratio eſt primò: quia obligatio denunciandi in hac Conſtitutione poſita, ſolùm imponitur perſonis ſollicitatis, ſiue maſculis, ſiue fœminis, vt ſuos ſollicitatores denunciẽt. Patet ex his verbis: *Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes.* Secundò, quia excommunicatio impoſita ab Inquiſitoribus, in initio actus fidei publici, quando celebratur, ſolùm dirigitur ad perſonas ſollicitatas, eáſque obligat ad denunciandos ſuos ſollicitatores: non dirigitur autem, nec obligat ipſos ſollicitatores ad ſe ipſos prodendos, ac denunciandos: durum enim eſſet, ac ſupra vires humanas, obligare ſollicitatores, ſe ipſos prodere, & denunciare: Inquiſitores enim in prædictis excommunicationẽ ipſo facto omnibus perſonis ſollicitatis imponunt, vt ſuos denuncient ſollicitatores: vnde fit, vt Confeſſarij illas non poſſint abſoluere, niſi priùs denuncient.

Rodriques.

42. *Quibuſnam ſint denunciandi ſollicitatores.*

Sufficit autem, ſi ipſæ perſonæ ſollicitatæ iam denunciauerint ſuos ſollicitatores, ſi fuerint Sacerdotes ſæculares, corã Epiſcopis, & Ordinariis: & ſi hoc fecerunt, non tenentur illos denunciare Inquiſitoribus: & ſimiliter, etiamſi eos denunciarunt Inquiſitoribus, non tenentur illos iterum denunciare Ordinariis locorum: quia, tam Inquiſitores, quàm Epiſcopi, & Ordinarij, æquè Iudices cõſtituuntur huius criminis; & poſſunt vel ſimul, vel ſeparatim procedere contra prædictos ſollicitatores. Patet ex verbis Gregorianæ Conſtitutionis, ibi: *Inquiſitores, & locorũ Ordinarios omnium Regnorum Chriſtiani Orbis in ſuis quenque diœceſibus, per has Literas priuatiuè quoad alios ſpecialiter, ac perpetuò Iudices deputamus.* Et illa verba: *Priuatiuè quoad alios.* intelligenda ſunt, quoad alios Iudices; ita vt excludãt Superiores Religionũ, etiam Prouinciales, qui quaſi ordinariam, & epiſcopalem iuriſdictionem habent in ſuos Regulares: hi enim de hoc crimine ſuorum Regulariũ cognoſcere non poſſunt iuxta hanc Conſtitutionem Clementis VIII. ita quòd Inquiſitores habeant hanc poteſtatẽ cumulatiuam cum Epiſcopis; & Epiſcopi, & Inquiſitores illam habeant priuatiuam reſpectu Prælatorum regularium. Patet etiam ex aliis verbis eiuſdem Cõſtitutionis Gregorianæ infrà præfata poſitis, ibi: *contra prædictos,* id eſt, ſollicitatores, *ſimul, vel ſeparatim procedãt.* Et denique patet ex aliis verbis eiuſdem Conſtitutionis, in quibus præcipitur perſonis ſollicitatis, vt ſuos ſollicitatores denuncient, vel coram Epiſcopis, vel coram Inquiſitoribus, & Confeſſariis, vt eos de hac obligatione moneant, ibi: *Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitatores Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis prædictis.*

43. *Coram quibus Regulares, & exẽpti ſollicitantes denunciari poſſint.*

Sed dubium hîc eſſe poterit, an, ſi ſollicitantes fuerint Regulares, & exempti, denunciari poſſint etiam coram Epiſcopis, & locorum Ordinariis; an ſolummodo coram Inquiſitoribus. Et ratio dubitãdi eſt: quia Regulares reſpectu Epiſcopi ſunt exempti de iure communi, licèt in crimine hæreſis ſpecialitèr tanquàm à Sede apoſtolica delegatis illis ſubiiciantur, vt patet *ex cap. Ad abolendam. §. vlt. de Hæreticis:* & *ex cap. Per hos. eodem tit. lib. 6.* docet Molina *tom. 6. de iuſt. tract. 5. diſp. 28. n. 3.* & Eymeric. *directorij Inquiſ. p. 3. q. 4.* Crimen autem ſollicitationis non eſt directè crimen hæreſis. Deinde, quia Clemens VIII. in ſua Conſtitutione *ſuprà* poſita, quæ incipit: *In nomine Domini.* ſolùm dicit poſſe Inquiſitores procedere in hoc crimine circa Regulares in illo cõprehenſos, ſicut poſſunt cõtra illos procedere in aliis criminibus, & cauſis fidei, ibi: *Sed Inquiſitionem prædictam in omnibus regnis, & prouinciis ſibi ſubiectis ea iudicialiter vti poſſe,* id eſt, poteſtate; *& debere, ſicut in aliis cauſis ad ſanctiſſimum Inquiſitionis Officium pertinẽtibus, vti hactenus fecit, etiam priuatiuè, quoad Superiores Regularium.* Et nihil loquitur de Epiſcopis,

Molina. Eymericus.

ſeu

ſeu locorum Ordinariis. Quare videtur ſpectata hac Conſtitutione, & Declaratione Clement. VIII. non eſſe denunciãdos huiuſmodi Regulares de hoc crimine delinquentes, coram Epiſcopis, & locorum Ordinariis; ſed ſolùm coram Dominis Inquiſitoribus. Accedit: quia videtur, quòd ante hanc declarationem Clementis VIII. ſola Inquiſitio cognoſcebat de hoc crimine, quoad Regulares, in qua poſſeſſione conſeruatur à Clemente VIII. in ſua Conſtitutione, ibi: *Vti hactenus fecit.* Et Gregorius XV. confirmat hanc Conſtitutionem Clementis VIII. & confirmat etiam Conſtitutionem Pauli IV. & Pij IV.

44. *Probabilius eſt, tam apud Ordinarios, quàm apud Inquiſitores, denunciandos eſſe.*

Nihilominùs, re benè conſiderata, mihi videtur, Regulares huiuſmodi de hoc crimine ſollicitationis, tam apud Ordinarios, quàm apud Inquiſitores denunciandos eſſe, & denunciari poſſe. Ratio eſt: quia quidquid ſit de iure antiquo Conſtitutionis Clementis VIII. & aliorum Pontificum, quidquid etiam ſit de iure communi, de quo modò non diſputamus, Gregorius XV. confirmat omnes antiquas Conſtitutiones, & Declarationes prædeceſſorum Pontificum de hoc crimine ſollicitationis agentes: & poſteà ius nouum ſtatuit, ac condit, addendo aliqua, quæ in illis non erant; & explicando etiam aliqua, quæ non ita clara erant. Quod conſtat ex illis verbis, quæ poſt illarum confirmationem addit: *Statuimus, decernimus, & declaramus.* Vnum autem ex iis, quæ de nouo ſtatuit, eſt, quòd etiam Ordinarij poſſint cognoſcere de hoc crimine reſpectu Regularium, vt conſtat ex iis, quæ diximus *ſuprà, verſu, Sufficit autem.* & ex verbis Conſtitutionis Gregorij XV. *Contra prædictos ſollicitatores, tam locorum Ordinarij, quàm Inquiſitores, ſimul, vel ſeparatim procedant in omnibus, prout in cauſis fidei.* Et poſt pauca: *Necnon voce actiua, & paſſiua, ſi Regulares fuerint, eos priuent.* Conſtat etiam ex aliis verbis, in quibus, tam locorum Ordinarios, quàm Inquiſitores, ſuper quoſlibet exemptos ſpecialiter, ac perpetuò Iudices in hoc crimine conſtituit, ibi: *Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium regnorum Chriſtiani Orbis, in ſuis quenque diœceſibus, & territoriis ſpecialiter, & perpetuò Iudices delegamus.* Vbi in illis verbis, *ſpecialiter,* ſatis oſtendit Summus Pontifex, ſe ſpeciale ius hac de re condere, & ſtatuere. Quare, ſicut diximus de ſollicitatoribus ſæcularibus, ſufficit, ſi vel Ordinariis locorum, vel Inquiſitoribus huiuſmodi ſollicitatores Regulares denuncientur: ſatis enim explent præceptum denunciandi perſonæ ſollicitatæ, ſi vel his, vel illis denuncient. Vnde, qui Inquiſitoribus denunciarunt, non tenentur denunciare Ordinariis locorum: & qui his denunciarunt, non tenentur illis denunciare. Qui tamen eos denunciarunt Superioribus ſuarum Religionum, etiam quaſi ordinariam, & epiſcopalem iuriſdictionem in illos habentibus, tenentur illos denunciare coram Epiſcopis, vel Inquiſitoribus, cùm hi priuatiuè reſpectu Superiorum Regularium de hoc crimine cognoſcere poſſint, & ſpecialiter ſint Iudices illius delegati: Religioſorum tamen hæreſes, etiam non admonitis ſuis Superioribus, ad Inquiſitores deferendæ ſunt, vt docet Soares *de fide, ſect. 4. num. 27.* Et hæc eſt praxis Sancti Officij: quia nullus Religioſorum Superior poteſt de iure caſus hæreſis ſuorum ſubditorum iudicare. Et id docet Azor *tom. 1. inſt. moral. lib. 8. cap. 18. quæſt. 12. §. Sciſcitaberis.* & Farinacius *de hæreſi, quæſt. 186. num. 28.* Auguſt. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, allegat. 105. n. 57.*

Ordinarij poſſunt cognoſcere de crimine ſollicitationis reſpectu Regularium.

45. In illis verbis: *In actu confeſſionis, vel antè, vel pòſt immediatè.* deciditur illa quæſtio antiqua, an perſonæ ſollicitatæ teneantur ſolùm Confeſſarios ſuos ſollicitatores denunciare, quando eas ſollicitant in actu confeſſionis; an etiam antè, vel pòſt immediatè: nam, licèt multi olim Authores ante hanc Conſtitutionem docuerint, ex vi aliarum Conſtitutionum prædeceſſorum Pontificum, ſolùm illos Confeſſarios ſollicitantes teneri perſonas ſollicitatas denunciare, qui in ipſo actu confeſſionis ſollicitabant, non ante, nec poſt confeſſionem immediatè, propter illa verba Conſtitutionum antiquarum: *In ipſo actu confeſſionis.* quæ, cùm pœnalia eſſent, non erant extendenda ad caſum, de quo non loquebatur, quos *in prima noſtra editione huius Tomi, lib. 4. ſecundi præcepti, cap. 3. num. 31.* ſecuti fuimus: tamen hodie poſt Conſtitutionem Gregorij XV. non licet hac de re dubitare, aut illam vertere in quæſtionem; cùm in hoc prædictus Summus Pontifex, aut condat nouum ius, aut declaret antiquum, & velit comprehendere Confeſſarios ſollicitantes, tam in actu confeſſionis, quàm immediatè ante, vel poſt. Et in hanc etiam opinionem inclinauimus in fauorem Sacramenti *loco allegato, in prima editione noſtri Tomi*, cum aliquibus, qui ante hanc Conſtitutionem Gregorianam, in fauorem, & honorem Sacramenti id tenuerunt: & hi ſunt Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 17. num. 4. litera L.* Rodriques *tom. 1. Regul. quæſt. 59. art. 4 & tomo 2. q. 27. art. 1.* ex eo fundamento: quia, quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur: & quia, quæ immediatè antè, vel pòſt fiunt, in ipſo actu fieri cenſentur. Vnde Bald. *cap. 1. de pace tenenda,* ait, id factum eſſe tempore belli, quod ante, vel poſt illud eſt factum.

An ſollicitatores in actu Confeſſionis, an etiã antè, vel poſt immediatè, ſint denunciandi.

Henriques. Rodriques.

Baldus.

46. *Actus proximus, & immediatus, quis dicatur.*

Actus autem proximus, & immediatus ille dicitur, inter quem, & ipſam confeſſionem non poteſt eſſe alius magis proximus, aut immediatus; ita vt nec Confeſſarius, nec fœmina, vel perſona ſollicitata ad alios actus confeſſione alienos diuerterint. Ita docet Freitas *in additionibus ad Cunham, quæſt. 5. num. 20.* Paramus *de origine Inquiſitionis, lib. 3. q. 10. num. 47.* Ioannes Sanches *quæſt. 11. num. 49.* Hinc fit, vt ibi ait Sanches, quòd ſi poſt datam abſolutionem ad alium extraneum actum Confeſſarius diuertat, & poſteà pœnitentem ſollicitet; non dicetur in continenti ſollicitare, quod idem docet Ægidius *de priuilegiis honeſtat. art. 11. n. 19.* Non tamen hic euadet pœnas ſollicitantibus in Conſtitutione Gregoriana impoſitas, cùm in Confeſſionario, & loco ad confeſſiones audiendas electo ſollicitat. Quare in praxi tunc immediatè ante, vel immediatè poſt confeſſionem ſollicitabit Confeſſarius, ſi aſſerenti fœminæ, ſe velle peccata ſua confiteri, Confeſſarius ei confeſſionem diſſuadeat, & de Venere tractet: & quamuis non tractet, ſufficiet, ſi fœmina cognoſcat eam diſſuaſionem ſibi conſultam fuiſſe, in ordine ad impudicum actum; ita quòd impudicum intentum Confeſſarij intelligat. Si tamen fœmina Confeſſario dicat, ſe velle in craſtinum confiteri, & tunc ille eam confeſſionem ei diſſuaderet, vt de venereis ageret, ea ſollicitatio non dicitur propriè, proximè, & immediatè facta ante confeſſionem, cùm tunc quando fit ſollicitatio, fœmina non vult confiteri: dicitur tamen tunc ſollicitatio proxima conuentioni de confeſſione facienda. Ex alio tamen principio erit denunciandus, & ſubiectus pœnis Conſtitutionis: quia, ſcilicet, in Confeſſionario, ſeu loco electo ad confeſſionem ſollicitat: quod patebit *infrà.* Non dicitur etiam ſollicitatio, proxima, & immediata confeſſioni, ſi Confeſſarius laſciuè loquatur cum fœmina,

Freitas.

Paramus.

Ioan. Sanch.

Ægidius.

Quando poſſit dici Confeſſarius immediatè ante, vel immediatè poſt Confeſſionem ſollicitare.

quando illa animum non habet confitendi, nec ille animum Sacramenti confeſſionis miniſtrandi: poſteà tamen mutato ad pœnitentiam animo confeſſio ſequitur: tunc enim ſatius erit confiteri, quàm confeſſionem differre, vt citiùs à peccato liberentur. Ita Ioannes Sanchez *diſp.*11. *num.*49. Et idem, quod dictum eſt de ſollicitatione fœminarum, dicendum eſt etiam de ſollicitatione maſculorum, cùm de ea etiam procedat, & loquatur Conſtitutio Gregorij XV. vt vidimus.

Sollicitãs pœnitentem, vt cum altero impudicè ſe gerat, an puniendus, & denunciãdus.

47. *Ad acta inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis, quomodolibet perpetranda.* In his verbis decidit Gregorius XV. illam quæſtionem antiquam, an ſollicitans pœnitentem, vt cum altero carnaliter miſceàtur, vel actus habeat inhoneſtos, puniendus ſit, ac denunciandus tanquàm verus ſollicitator, & ac ſi ſollicitaret, vt ſecum impudicè ageret, & commiſceretur: & eam pro parte affirmatiua reſoluit. Et ante hanc Conſtitutionem pro parte etiam affirmatiua illam reſoluerat Illuſtriſſimus Dominus D. Rodericus à Cunha *de Confeſſ. ſollicit. q.*17. *num.*15. Freitas *ibi, in ſuis additionibus*, *n.*13. Graphis *conſilio* 1. *num.*41. *de cognat. ſpirituali*, & poſt illum Souſa *contrà ſollicitantes*, *tract.*1. *c.*14. *num.*5. *concluſione* 2.

Cunha. Freitas. Graphis. Souſa.

Verba, ad illicitos actus, ſeu inhoneſta, declarantur.

48. *Ad illicitos actus, ſeu inhoneſta.* Circa hæc verba dubitari poteſt, quid per illa intelligat Gregorius XV. Et mihi videtur, non accipi hîc verba iſta in ea generalitate, in qua Grammatici illa accipiunt, pro omni, ſcilicet, actu, qui licitus non eſt, ſeu pro omni illo actu, qui culpabiliter, aut indecenter fit: ſed ſolùm accipi pro eo, quod eſt contra ipſam prohibitionem. Lex autem hæc prohibet de venereis agere in ipſa confeſſione, vel immediatè antè, vel poſt. Vnde verba illa intelligi debent accommodatè ad ipſam materiam ſubiectam inhoneſtatis; ita vt ille dicatur actus illicitus, & ſermo illicitus hîc, qui ad inhoneſtatem tendit, ſiue conſummatus ſit, ſiue inchoatus; ſiuè quicunque alius actus impudicus: id enim expreſſit Paulus V. cùm dixit: *Ad actus inhoneſtos alliciendo, vel prouocando.* & Gregorius XV. cùm dixit: *Ad inhoneſta.* & Clemens VIII. cùm dixit: *Ad peccata carnis.* Neque opus eſt ad hoc, vt Confeſſarius ſollicitans denunciabilis ſit, & pœnas ſollicitantium incurrat, quòd expreſsè, & per verba formalia pœnitentes prouocet & ſollicitet: ſed ſatis erit, nutibus, & geſtibus tacitè illos ad inhoneſtos actus prouocare, dummodo de tali prouocatione certò moraliter pœnitenti conſtet. Ita Souſa *in annotationibus ad Conſtitutionem Gregorij XV. in fine ſui tractatus, fol.* 230. *num.*8.

Actus illicitus, & ſermo inhoneſtus quis.

Nutibus, & geſtibus ad impudicitiã prouocans Confeſſarius eſt denunciãdus. Souſa.

49. Hinc ſequitur, quòd, quanuis, iuxta opinionem Nauarri *in Summa*, *cap.*14. *n.*31. & Sancij *lib.*9. *de Matrim. diſp.*46. *num.*16. & Salas 1.2. *quæſt.*74. *tract.*13. *diſp.*6. *ſect.*20. *n.*146. & *ſect.*21. *n.*149. & Freitas *in additionibus ad Cunham*, *quæſt.*7. *n.*28. peccatum veniale ſit mamillas fœminæ tangere; brachium, vel pedem premere; aut digitos intorquere, ob paruitatem materiæ, dummodo abſit finis mortalis, & periculum pollutionis, (quanuis hæc doctrina horum Doctorum omninò improbabilis ſit, & reiicienda, vt ſæpè diximus in hoc Opere, & probauimus:) tamen, ſi hæc fiant tempore confeſſionis, vel immediatè ante, vel poſt, mortalia erunt ob grauem iniuriam illatam Sacramento, vt optimè animaduertunt Freitas *dicta quæſt.*7. *n.*33. & Ioann. Sanchez *diſp.*11. *num.*22. quia, quanuis intra genus caſtitatis, iuxta illorum opinionem, leuia illa ſint; tamen intra Religionis genus grauia reputantur ob ſacrilegium, & irreuerentiam illatam Sacramento. Sic intra temperantiæ genus in die ieiunij parum cibi ſumere, leue peccatum, ac veniale tantùm eſt: nihilominùs intra Religionis genus, cum illo ſumpto ad Sacramentum Euchariſtiæ accedere, graue peccatum eſt.

Nauarr. Sanchez. Salas. Freitas.

Mamillas fœminæ tangere; brachiũ, vel pedẽ premere; aut digitos intorquere, in confeſſione, vel immediatè, ante, vel poſt, quod peccatum.

Freitas. Ioan. Sanch.

At non eſt denunciabilis, nec comprehenditur, ex vi huius Breuis, ſub pœnis ſollicitantium ad inhoneſta, & actus impudicos, ille Confeſſarius, qui in confeſſione ad illicitos actus furti, homicidij, veneficij, aut ad alia flagitia aliena à Venere ſollicitat, ac prouocat pœnitentem; quanuis aliunde ſuſpectus in fide ſit. Ita & optimè animaduertit Ioannes Sanch. *diſp.*11. *num.*23. docet Souſa *in annotat. ad Conſtitutionem Gregorij XV. in fine ſui tract. de ſollicit. fol.*230. *num.*8. contra Peñam, quem citat Sanchez 2. *p. commento* 81. *verſiculo*, *Ille quoque.* Ratio eſt: quia Diplomata pontificia ſolùm loquuntur de illis Confeſſariis, qui ad carnalia, & actus impudicos, ac inhoneſtos inducunt: & cùm ſint pœnalia, non ſunt extendenda ad materiam, de qua non loquuntur. Patet ex verbis Conſtitutionis Pauli IV. *Ad actus inhoneſtos.* & Clementis VIII. *Ad impudicitiam, & peccata carnis mulieres pœnitentes ſollicitantes.* Et Gregorij XV. *Ad inhoneſta perpetranda.* 50.

Confeſſarius ad alia peccata, quàm venerea ſollicitans, an denunciãdus.

Sanchez. Souſa. Peña.

Omnes etiam Conſtitutiones loquuntur de Cõfeſſariis ſollicitantibus: & hos iubent denunciari, & grauiſſimè puniri; & non loquuntur de fœminis, aut maſculis pœnitentibus, qui in ipſa confeſſione, vel ante, vel poſt immediatè, Confeſſarios ad Venerem ſollicitant, ac prouocant. Quare, ſi fœmina in confeſſione ad turpes actus, aut carnis flagitium Confeſſarium ſollicitet, non tenebitur ille prædictam fœminam denunciare: quia prædictæ Conſtitutiones contra Confeſſarios ſunt latæ, non contra pœnitentes. Ita, & optimè, docet Illuſtriſſimus à Cunha *de Confeſſariis ſollicit. quæſt.*9. *n.*3. 5. & 6. & *q.*11. *n.*11. & Seraphinus de Freitas *ibi in ſuis additionibus*, *num.*24. & Ioannes Sanchez *dicta diſp.*11. *n.*24. Patet ex verbis Conſtitutionis Gregorianæ, & Pauli IV. & Clementis VIII. in quibus præceptum denunciandi ſolùm dirigitur ad pœnitentes ſollicitatos à Confeſſariis, non ad Confeſſarios ſollicitatos à pœnitentibus, ibi, in Conſtitutione Gregoriana: *Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab aliis* (ſcilicet, à Confeſſariis) *ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes.* Et in Conſtitutione Clementis VIII. *In actu confeſſionis ſollicitantes mulieres.* & Pauli IV. *Mulieres*, videlicet, pœnitentes, *ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo.* 51.

Fœmina Cõfeſſarium ad Venerem ſollicitans an denunciãda.

Cunha. Freitas.

Nec etiam ipſa fœmina, vel quælibet alia perſona, quæ Confeſſarium in confeſſione ſollicitat, tenetur ſe ipſam prodere, aut denunciare: durum enim id eſſet, & ſupra vires humanas. Si tamen ipſa fœmina Confeſſarium in actu confeſſionis antè, vel immediatè ſollicitans, mutato animo, verè reſipiſcat, & ad Deum conuertatur; & antequàm inde recedat, velit peccata ſua confiteri, & Confeſſarius illam tunc ſollicitet; iam eſt verus ſollicitator, & omninò denunciandus. Ita docet Ioannes Sanchez *diſp.*11. *n.*8. & 29. vbi *dicto num.*8. citat Cunham *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.*11. *n.*11. & eius Additionatorem Seraphinum de Freitas *num.*24. quia perinde id tunc eſt, ac ſi ad confeſſionis Sacramentum animo confitendi veniret, & à Confeſſario in ipſa confeſſione, ante, vel poſt immediatè ſollicitaretur. 52.

An teneatur ſe denunciare ſollicitans Cõfeſſarium in cõfeſſione.

Quid, ſi Confeſſarius ſollicitet pœnitẽtem ſtatim reſipiſcẽtem.

Sanchez. Cunha.

Si fœmina incipiat ſollicitationem, & Confeſſarius 53.

Si fœmina incipiat, & Confeſſarius conſentiat, an denunciandus ſit.

ſatius conſentiat, & inhoneſtos ſermones miſceat, dubitant aliqui, an ob id denunciandus ſit. Ratio dubitandi eſt: quia id non eſt prouocare, nec ſollicitare; ſed conſentire: pœnæ autem decernuntur Confeſſariis ſollicitantibus, non conſentientibus: ſunt enim huiuſmodi Conſtitutiones pœnales expeditæ, editæque contra Confeſſarios, ſollicitantes tantùm,& prouocantes, non contra conſentientes. Ita docet Ioannes Sanchez *diſp.*11.*num.*25. vbi citat Illuſtriſſimum Cunham *q.*11.*n.*7.*&* 9.& illius Additionatorem Freitas *ad dictam q.*11. *n.*24. vbi tandem hanc ſententiam amplectitur, licèt contrarium videatur aſſerere *num.*13.

Verùm hæc illorum opinio videtur ſolùm locum habere intra terminos iuris, & diſpoſitionis aliarum Conſtitutionum, non intra terminos iuris, ac diſpoſitionis huius vltimæ Conſtitutionis Gregorij X V. in qua Summus Pontifex omnes alias Conſtitutiones ſuorum anteceſſorum confirmat,& illarum ius,& diſpoſitionem: & deinde alia iura de nouo ſtatuit. In ea enim omnes illiciti,& inhoneſti ſermones, & carnales tractatus, quos Confeſſarij in confeſſione, vel ante,vel poſt immediatè, cum pœnitentibus habuerint, denunciandi dicuntur, ibi: *Ad inhoneſta quomodolibet perpetranda.* & poſt pauca: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint.* Hoc autem eſt habere, & commiſcere cum pœnitentibus in confeſſione illicitos, & inhoneſtos ſermones, & tractatus: & illa particula, *aut*, eſt diſiunctiua; & conſtituere videtur alium caſum, diuerſum ab ipſa prima ſollicitatione incepta à perſona pœnitente.

Inſtantia.

Dices,illa verba: *Ad inhoneſta quomodolibet perpetranda.* intelligi de actibus inhoneſtis,non de ſermonibus: quia perpetrare eſt facere, non eſt loqui: illa verò: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint*,intelligi de ſermonibus. Et ſicut illa priora verba intelliguntur ſolùm de ipſis ſollicitatoribus formaliter ſumptis, id eſt,quatenus ſunt ſollicitatores, & aggreſſores, non quatenus ſunt conſentientes: ita hæc verba: *Aut cum eis illicitos ſermones, & inhoneſtos, ſiue tractatus habuerint.* de iiſdem etiam ſollicitatoribus formaliter ſumptis ſunt accipienda; maximè quia titulus Conſtitutionis Gregorij X V. explicat, de quibus perſonis intelligenda ſit: titulus autem eſt: *Aduerſus ſollicitantes.*non aduersùs conſentientes.

Diluitur.

Reſpondeo, hanc rationem reddere etiam hodie,ſtante hac Conſtitutione Gregoriana, valdè probabilem opinionem Illuſtriſſimi Cunhæ. Dixi tamen, quod mihi probabilius viſum fuit:& ſubmitto meum iudicium meliùs dicenti: ſed ſtatim *numero ſequenti*, magis confirmabo meam ſententiam.

54\. *De inuicem ſe ſollicitantibus quis denunciandus.*

Quòd ſi ad inuicem fiat ſollicitatio, exiſtimat Ioannes Sanchez *dicta diſp.*11.*num.*26. & Illuſtriſſimus Cunha *de Confeſſar. ſollicitant.q.*11. *num.*11. videndum eſſe, quis priùs inceperit: nam, ſi ſollicitatio primò à fœmina, vel pœnitente fuerit incepta,& à Confeſſario continuata, ita vt poſteà ſeſe mutuò ad actus inhoneſtos prouocent, & ad complementum illorum; aſſerunt,non eſſe denunciandum, nec in pœnas Breuium talem Confeſſarium incidere: quia tunc, verè, & propriè loquendo, non dicitur ſollicitare, & prouocare; ſed in ſollicitationem à fœmina, vel pœnitente inceptam conſentire. Verùm huiuſmodi Authores cõſequenter ad ſuam opinionem loquuntur: illorum tamen opinio, vt *numero præcedenti* diximus, videtur procedere ſtando in iure, & diſpoſitione antiquarum Conſtitutionum aliorum Pontificum; non verò in iure, & diſpoſitione huius nouæ,& vltimæ Conſtitutionis Gregorij X V. vt ex dictis conſtat, in qua omnia acta carnis, omnes tractatus illiciti, & omnes ſermones inhoneſti ex parte Confeſſorum prohibentur, & denunciari iubentur, ibi: *Ad inhoneſta quomodolibet perpetranda.* & poſteà: *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint.* Mens enim Pontificis in his verbis,& in tota contextura, & lectura huius Conſtitutionis eſt, omnes illicitos ſermones ex parte Confeſſariorum in materia Veneris exterminare, vt Confeſſarij, qui loco Dei, & Iudicum conſtituuntur, huius ſceleris puri, & incorrupti Iudices ſint, ſicut oportet,& decet.Et quanuis legis rubrica patiatur aliam interpretationem; tamen cùm de mente legis, & legiſlatoris conſtet,profectò quæcunque alia interpretatio in fraudem legis eſſet excogitata: nam, vt docet Vlpianus *in l. Fraus.* 30. *ff. eodem*, & Ferdinandus de Mendoça *de pactis*, *lib.* 1. *q.*1. *pag.*119. *num.*38.*col.*2. in fraudem legis facit,qui, ſaluis verbis legis, legem circumuenit, & contra eius mentem,legem interpretatur. Et idem docet etiam Molina Theologus *tom.*2. *de iuſt. diſp.*466. *verſ. An verò locatio. col.*1. Dico, quod ſentio: libenter aliorum opinionem,qui meliùs tenuerint,ſecuturus.

55\. *Fœmina ſi priùs in confeſſione ad naturalem coitum Confeſſarium prouocauerit, an ipſe denunciandus.*

Si autem fœmina priùs in confeſſione (& idem de quocunque pœnitente) ad naturalem coïtum Confeſſarium prouocauerit, arbitratur Ioannes Sanchez *dicta diſp.*11. *num.*21. prædictum Confeſſarium denunciandum eſſe, & pœnas Breuium incurrere. Et benè arbitratur: tum, quia actus eſt ſpecie diuerſus, & reſpectu illius Confeſſarius ſollicitator, & prouocator verè, & propriè dicitur: tum,quia voluntas fœminæ prouocatur, & ſollicitatur ad malum,& ad actum inhoneſtum,quod ipſa non committeret, niſi à Confeſſario ſollicitaretur ad illum: tum denique,quia in Conſtitutione Gregorij X V. omnes tractatus illiciti, & inhoneſti prohibentur, vt diximus.

56\. 57. *Quid ſi fœmina priùs ad ſodomiã, vel ad mollitiẽ: & ſtatim Confeſſarius ad actum naturalem illam prouocet. Sanchez.*

Si fœmina priùs ad actum ſodomiticum, vel ad mollitiem Confeſſarium ſollicitet,& ille ſtatim illam ſollicitet ad actum naturalem, benè infert ex præiactis fundamentis Ioannes Sanchez *dicta diſp.* 11. *num.* 28. *&* 29. denunciandum eſſe prædictum Confeſſarium,& pœnas Breuium non euadere: omnes enim rationes, & fundamenta facta pro caſu numeri præcedentis, hîc etiam in præſenti caſu militant.

58\. *Confeſſarius arte magica fœminam ad ſomnum inducens, & eã agnoſcens, an denunciandus. Cunha. Sanchez.*

Confeſſarium,qui in confeſſione arte magica inducit fœminam ad ſomnum,& illam eodem ſomno conſopitam agnoſcit, denunciandum eſſe, & pœnis ſollicitatoribus impoſitis ſubiectum manere, docent Freitas *in additionibus ad Cunham*,*q* 9.*n.* 10.quia re ipſa facto ſollicitat ad actum inhoneſtum; & Ioannes Sanchez *dict. q.* 11. *n.* 31. nam ipſe, mediante hoc philtro, & veneficio ordinauit Sacramentum, ſeu potiùs vſus eſt Sacramento, ad actum illum venereum in confeſſione, vel ante, vel poſt illam habendum, ac proinde ſollicitator, & inductor eſt.

Obiectio.

Dices:Illa fœmina in eo caſu à ſomno conſopita non conſenſit, nec peccauit: ergo illa non tenetur ipſum Confeſſarium denunciare.

Solutio.

Reſpondeo, mihi videri teneri illum denunciare, tanquàm re, & facto ſollicitatorem: nam obligatio denunciandi ſollicitatores imponitur perſonis in confeſſione ſollicitatis,ad puniendam iniuriam Sacramento confeſſionis illatam: quare,cùm in eo caſu ille Confeſſarius iniuriam Sacramento inferat,& re ipſa & facto ſollicitator ſit; non video, cur non ſit denunciandus,non ſolùm tanquàm ſagus; ſed etiam tanquàm

verus

Inſtantia.

verus ſollicitator. Replicabis, illum in eo caſu ſagum eſſe, & non ſollicitatorem: ergo, licèt pœnas ſagis impoſitas incurrat; non incurret tamen pœnas impoſitas ſollicitantibus. Reſpondeo, vtrunque re vera eſſe, & ſagum, & ſollicitatorem, quare non eſſe excuſandum.

Diluitur.

59. *Naturali ſomno, vel morbo aliquo fœminam conſopitam agnoſcēs Confeſſarius an denunciãdus.* Freitas. Sanchez.

E contrario verò, ſi non arte magica Confeſſarij, ſed naturali ſomno, vel morbo aliquo, aut paroxiſmo fuiſſet conſopita; & Confeſſarius tunc illam carnaliter agnoſceret, exiſtimat Freitas *q.* 9. *num.* 11. quem refert, & non improbat Ioannes Sanchez *diſp.* 11. *num.* 32. prædictum Confeſſarium non eſſe denunciandum, nec pœnis Breuium ſubiectum. Ratio illius eſt: quia huiuſmodi Confeſſarius à parte anteà non procurauit, nec captauit tempus ad eam rem veneream; ac proinde non eſt, propriè loquendo, ſollicitator; ſed eſt fornicator: occaſione enim nacta actum fornicationis exercuit: pœnæ autem Conſtitutionum non imponuntur fornicatoribus; ſed ſollicitatoribus, vel inductoribus, vel per ſe immediatè, vel mediante aliquo veneficio, ac philtro: nam ſollicitare propriè eſt inducere: inducere verò propriè eſt voluntatem alterius mouere, vt conſentiat, vel, vt non reſiſtat: illa autem fœmina, quæ maleficio non fuit inducta ad ſomnum, ſed naturaliter, vel morbo aliquo ſomnum cepit, minimè fuit mota, & inducta, neque ad talem ſomnum, neque mediante illo, ad actum aliquem venereum. Ita docet Freitas *q.* 9. *num.* 11. Licèt tamen ex hoc capite non ſit denunciandus: ex alio tamen denunciandus eſt; ex eo, ſcilicet, quòd in Confeſſionario, aut loco ad confeſſionem electo, cum fœmina, quæ ad confeſſionem veniebat, rem veneream committit, iuxta ea, quæ diximus *n.* 53. *verſu, Verùm hæc.* quia hoc ſine dubio eſt quomodolibet inhoneſta in eo loco perpetrare.

Freitas.

60. *Confeſſarius tradens fœminæ pœnitenti chartã continentem venerea, poſteà legendam, eſt denunciandus.*

Denunciandus autem erit, & pœnas Conſtitutionum papalium non effugiet ille Confeſſarius, qui chartam continentem ſollicitationem tradit fœminæ pœnitenti, poſteà legendam: nam, cùm tradidit chartam, verè incepit ſollicitationem, & ipſa traditio eſt quædam ſollicitatio, & inductio voluntatis ad actum inhoneſtum: & iniuria fit Sacramento, eò quòd tempore confeſſionis, quo deberet monere fœminam pœnitentem, illam re ipſa ſollicitat, & inſtrumentum illi confert, quo saucietur. Ita Freitas *q.* 9. *num.* 11. & Ioannes Sanchez *diſp.* 11. *num.* 32.

Freitas. Sanchez.

61. *Denunciandus eſt Confeſſarius concubinam ſuã in cõfeſſione, vel immediatè ante, vel poſt ſollicitans, vel de zelotypia arguens.*

Similiter denunciandus eſt Confeſſarius, & pœnis Conſtitutionum puniendus, qui concubinam ſuam in confeſſione, vel immediatè ante, vel poſt ſollicitat, vel de zelotypia arguit. Hiſpanè, *Si le pide Zelos laſciuos.* Quia talis actio eſt quædam ſollicitatio, moraliter loquendo; & idem eſt, ac ſi Confeſſarius ei dicat: Pœnitet me, quòd cauſam præbeas diſcontinuandi laſciuiam noſtram: volo, quòd in poſterum eam cauſam mihi non præbeas. Idque videntur aſſerere verba illa Conſtitutionis Gregorij XV. quæ ſic habent: *Aut cum eis illicitos ſermones, ſiue tractatus in confeſſione, ante, vel poſt habuerint.* Ita Sanchez allegatus. Verùm in hoc magna cautela vtendum eſt: quia ipſa non tenetur prodere peccatum ſuum: quare ſi non poteſt denunciare Sacerdotem, niſi ſe prodat, non poterit obligari ad talem denunciationem.

62. *Epiſcopi ſollicitantes nõ ſunt ſubiecti Inquiſitoribus.*

Epiſcopi ſollicitantes non ſunt ſubiecti Inquiſitoribus, ita vt poſſint puniri ob huiuſmodi crimen ab ipſis Inquiſitoribus. Ita Cunha *de Confeſſar. ſollicitantibus, q.* 12. *num.* 5. plures alios referens: & Ioannes Sanchez *dicta diſp.* 11. *num.* 33. Patet *ex cap. Inquiſitores, de Hæreticis, lib.* 6. vbi decernitur, Inquiſitores non poſſe contra Epiſcopos procedere, aut inquirere de crimine hæreſis: & idem ſtatuitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reformat.* qua de re diſcipulus noſter ingenioſiſſimus, Barboſa, *in Remiſſionibus ad Concilium*; & à fortiori non poterunt contra illos procedere, ſi Epiſcopi crimen aliquod committant, in quo de hæreſi tantummodo ſuſpecti ſint, quale eſt ſollicitationis crimen. Et nomine Epiſcoporum intelliguntur etiam Epiſcopi titulares, vt docet Cunha citatus *num.* 7. & Sanchez allegatus *dict. num.* 33. & Molina *tom.* 6. *de iuſtitia, tract.* 5. *diſp.* 28. *num.* 19. Simancas *tit.* 25. *num.* 11. & 12. Nec contra Nuncios apoſtolicos, aut Sedis apoſtolicæ Officiales. Ita etiam Molina *num.* 20. & Farinacius *de hæreſi, q.* 186. Decianus *tom.* 1. *crim. lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 10. Poterunt tamen Inquiſitores teſtium dicta excipere, vt ad Sedem apoſtolicam rem mittant: & ſi timeatur fuga, aut graue damnum præcurſionis aliorum, poterunt Epiſcopos detinere, dum ad Sedem apoſtolicam teſtium dicta remittunt. Ita Cunha *q.* 12. *num.* 9. Ioan. Sanchez *dict. diſp.* 11. *num.* 34. Simancas *de cathol. inſt. tit.* 25. *num.* 8. & Peña *ſchol.* 94. & Molina *tom.* 6. *de iuſtitia, tract.* 5. *diſp.* 28. *num.* 19. Et ratio, quam ibi tradit Molina, eſt: quia hic caſus per epiichiam, & tacitam voluntatem Summi Pontificis cenſetur à communi prohibitione exceptus: de quo cenſendum eſt, eam capturam, in eo euentu, Summo Pontifici gratam fore. Quando autem, arbitrio prudentis, graue nocumentum aliorum, aut fuga talis Epiſcopi non timetur; aut eſt dubium, an timeatur, & an id ſit placiturum Summo Pontifici, non eſt procedendum ad capturam: quia legum prohibitioni ſtandum eſt, quando per epiichiã, non eſt certum, id in tali euentu, & circunſtantiis gratum futurum legiſlatori: quoniam ea captura infamiam affert tali Epiſcopo; ſcandalum ſubditis; & nocumentum graue, & Epiſcopo, & ſubditis.

Cunha. Sanchez. Barboſa. Cunha. Sanchez. Molina. Simancas. Farinacius. Decianus. *Quid poſſint Inquiſitores contra Epiſcopos ſollicitantes.*

Epiſcopi tamen electi ab aliis, quàm à Summo Pontifice, & nondum conſecrati, aut approbati à Summo Pontifice, ſubditi ſunt Inquiſitoribus, ſicut quilibet alius Sacerdos; & ſic pariter denunciandi ſunt, ſi ſollicitatores ſint. Ita Illuſtriſſimus Cunha *q.* 12. *num.* 11. & Ioannes Sanchez *diſp.* 11. *num.* 35. & Freitas *in additionibus ad Cunham, num.* 31. & Simancas *de cathol. inſt. tit.* 25. *num.* 11. & 12. Nam Epiſcopi electi à Regibus, vel à Capitulis, antequàm approbati ſint à Summo Pontifice, nondum ſunt iure Epiſcopi: illi autem, qui electi ſunt à Summo Pontifice, puniri non debent eo inſciente. *Extrauag. Ex eo. de Hæreticis.* Gloſſ. *in cap. de relig. Domib.* Simancas citatus. Felinus *in cap. Eam te. de reſcriptis.* & alij.

63. *Epiſcopi non electi à Sũmo Pontifice, nondum conſecrati, aut ab eo approbati, Inquiſitoribus ſubditi ſunt.* Cunha. Freitas. Simancas. Felin.

Si Confeſſarius deprehendens in confeſſione fœminam verum propoſitum emendationis non habere, & ob id iudicat non eſſe dignam abſolutionis, & tunc eam ſolliciter; denunciandus eſt, & pœnis Breuium ſubiectus manet: quia iam tunc cauſa, & occaſione confeſſionis ſollicitat. Ita Cunha *de Confeſſ. ſollicit. q.* 14. *num.* 10. citans Soarium *de pœnit. diſp.* 33. *ſect.* 2. *num.* 9. Ita etiam Ioannes Sanchez *diſp.* 11. *num.* 41. Et conſtat ex verbis Conſtitutionis Gregorij XV. ibi: *Qui occaſione confeſſionis, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſollicitare,* &c. Vbi notandum ſemper eſt, ſollicitationem in vſu aliorum Sacramentorum non comprehendi in pœnis harum Conſtitutionum, nec ex vi illarum denunciandos eſſe tales ſollicitatores, cùm huiuſmodi Conſtitutiones omnes ſolùm loquantur de ſollicitatione

64. *Confeſſarius ſollicitãs fœminam non habentem verum propoſitum emendationis, an denunciandus.* Cunha. Sanchez.

Cunha.

citatione facta in Sacramento confeſſionis.Ita Illuſtriſſimus Cunha *quæſt.*16.*num.*6.Freitas *ibid.n.*10. Sanchez *dicta q.*11.*n.*42.& communiter omnes.

Freitas.

Quid, ſi ſollicitet, vt pro ſe intercedat erga aliã fœminam, vel perſonam.

65. Aſſerit etiam Illuſtriſſimus Cunha *q.*17.*num.*8. (quem ſequitur Freitas *num.*14.) non eſſe denunciandum, nec ſubiectum manere pœnis harum Conſtitutionum illum Confeſſarium, qui in confeſſione ſollicitat aliquam fœminam,vel aliam perſonam, vt mediet, & intercedat, vt alia fœmina ſecum,vel cum alio in actus turpes,& inhoneſtos extra confeſſionem conſentiat, ex eo fundamento, quòd non eſt directa ſollicitatio ad exercendos actus inhoneſtos cum fœmina pœnitente. At quamuis hi duo Authores id probabile iudicent *locis citatis*;dicendum tamen eſt,poſt hanc vltimam Conſtitutionem Gregorij XV. huiuſmodi Confeſſarium omninò denunciandum eſſe, & ſubiectum manere illius pœnis,vt optimè docet Ioan.Sanchez *dicta diſp.*11.*n.*44.quod videtur patere ex illis verbis prædictæ Conſtitutionis: *Aut cum pœnitentibus illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint.* Illa autem ſollicitatio, eſt tractatus illicitus, &, in rigore loquendo, ille tractatus eſt illicitus,& in confeſſione habitus in ordine ad carnales,& venereos actus; licèt prædicti actus non ſint habendi cum pœnitente, in confeſſione; ſed cum alia perſona extra ipſam confeſſionem.

Audiens malitiosè Confeſſarium ſollicitare pœnitẽtem, an teneatur illum denunciare.

66. Sed hîc dubitabitur, an ille, qui malitiosè audit confeſſionem alicuius pœnitentis, dum apud Confeſſarium peccata ſua confitetur, ex qua confeſſione cognoſcit, prædictum pœnitentem ab ipſo Confeſſario ſollicitari ad actus inhoneſtos, teneatur prædictum Confeſſarium denunciare. Et ratio dubitandi eſt: quia ſecretum naturale non tenemur obſeruare, quando cedit in damnum, & iniuriam tertij: id autem in damnum, & iniuriam Sacramenti Pœnitentiæ cedit: aſſumitur enim Sacramentum horrendo ſacrilegio, vt medium ad peccatum; cùm tamen inſtitutum ſit à Chriſto Domino, vt medium gratiæ, & ſalutis. Dicendum tamen eſt, huiuſmodi auditorem non teneri, nec poſſe Confeſſarium denunciare. Primò, quia iniuriam facit ipſi Confeſſario, manifeſtando illius occultiſſimum delictum quod per iniuriam illius accepit. Secundò, quia hoc non videtur cadere ſub ſecretum tantùm naturale; ſed ſub ſigillum confeſſionis, & ſecretum ſacramentale: ſigillum autem confeſſionis in nullo vitæ caſu eſt manifeſtandum, & obligat perſonas etiam, quæ illud audierunt, vt docent Soares *de pœnit.diſp.*33.*ſect* 4.*num.*7.Toletus *lib.*3.*Summæ,cap.*16.*num.*5. Salzedo *in practica, cap.*109.Henriq.*lib.*3. *de pœnit.cap.*20.§.1. Graphis *lib.*1.*deciſ. aur.cap.*23. *n.*45. Viualdus *in candelabro,* 1.*p. de ſigillo,num.*10. Nauarrus *in Summa Lat. cap.*8.*num.*4.& 7. Syluester *verbo, Confeſſio, num.*3. D.Thomas *in* 4.*diſt.*21. & *quodlib.*11.*art.*17.Nam, cùm huiuſmodi notitia habita ſit ex confeſſione, & per confeſſionem, iniuria ſine dubio fit pœnitenti, & Sacramento, ſi res eo ſigillo audita reueletur:res enim, ſeu peccatum,quod confitetur,tranſit cum ſuo onere ſigilli ſacramentalis; & peccatum illud, ex notitia confeſſionis acceptum, habet onus adnexum, vt à quacunque perſona audiatur, ſub ſigillo ſacramentali tegatur. Vide, quæ hac de re diximus *lib.*4.2.*præcepti,cap.*7.*de ſigillo,n.*25.

Soares. Toletus. Salzedo. Henriq. Graphis. Viualdus. Nauarr. Syluester. D.Thom.

Inſtantia.

67. Dices, id verum eſſe, quando datur vera confeſſio: at hanc non eſſe veram confeſſionem, nec ibi dari verum Sacramentum,ſed abuſus Sacramenti,& ſimulationem illius: & ideò non dari ibi obligationem ſigilli ſacramentalis.

Solutio.

Reſpondeo in primis, licèt non detur hîc ratio ſigilli ſacramentalis; dari tamen iniuriam maximam, & iniuſtitiam, quæ fit proximo, manifeſtando occultiſſimum illius delictum, quod per ſummam iniuriam illius audiens accepit. Reſpondeo ſecundò,poſſe nos hîc conſiderare duos caſus. Primus eſt, quando Confeſſarius ſollicitat pœnitentem, & pœnitens reſiſtit, & non conſentit. Secundus, quando conſentit,& cooperatur tali ſollicitationi. In primo certum eſt, teneri auditorem ad ſigillum ſacramentale: quia confeſſio eſt vera, & non ficta ex parte pœnitentis,licèt ex parte Confeſſarij detur peccatum:quare,ſi abſoluit, verè abſoluit:neque enim poteſt cõſtare,an fictè abſoluerit. Et cùm ſit vera confeſſio, datur vera ratio ſigilli ſacramentalis in illa. Dices: Ille audiuit eam ſollicitationẽ ante datam ipſam abſolutionem. Reſpondeo,id parum referre: quia data poſteà abſolutione ritè, & debitè manſit verum Sacramentum:& ex vero Sacramẽto reſultat vera obligatio ſigilli. In ſecundo maior eſt dubitatio. Mihi tamen,ſaluo meliori iudicio, videtur adhuc teneri auditorem ad ſigillum ſacramentale ſuô modo:quia,moraliter loquendo, difficilè poteſt conſtare, quòd tota ea confeſſio ex vtraque parte fuerit ficta,& inualida:poterunt enim vterque, pœnitens, & Confeſſarius, in diſcurſu confeſſionis pœnitere, & ſic fieri vera confeſſio. Iam verò, ſi auditor ante, vel poſt ſollicitationem, accuſationem alicuius peccati audiuit, non poteſt tunc prudenter iudicare, quòd tota confeſſio ex vtraque parte fuerit ficta: quare in eo caſu rem Deo commendet, & ſigillum ſacramentale obſeruet.

An denunciandus ille, qui audiens furtim fœminã confitẽtem fragilitatem ſuam, illam poſteà ſollicitat.

68. Sed, quid ſi aliquis furtim audit fœminam confitentem peccata ſua apud Sacerdotem, & ex ea agnoſcit fragilitatem illius, & inde talis auditor anſam aſſumit ſollicitandi eam extra confeſſionem, denunciandúſne erit iſte? Reſpondebunt Illuſtriſſimus Cunha *de ſollicit. Confeſſar. quæſt.* 13. *num.*51. & Ioannes Sanchez *diſput.* 11. *num.* 10. & benè, non eſſe denunciandum; nec in pœnis Conſtitutionum comprehendi in prædictis Conſtitutionibus, laïcum fingentem ſe Sacerdotem, vt in confeſſione ſolliciter. Et id videtur patere ex verbis ipſarum Conſtitutionum, quarum pœnæ diriguntur ad Sacerdotes Confeſſarios ſollicitantes in actu confeſſionis, ante, vel poſt immediatè: hic autem nec eſt Sacerdos, nec Confeſſarius, nec in confeſſione ſollicitat: & eſt eadem ratio in vtroque caſu. Sed de laïco fingente ſe Confeſſarium,vt ſollicitet,*infrà* dicemus.

Cunha. Sanchez.

69. *Occaſione, vel prætextu confeſſionis.* Aſſerit Summus Pontifex Gregorius XV. denunciandum eſſe Confeſſarium ſollicitantem occaſione,vel prætextu confeſſionis. Videndum igitur eſt,quid ſit occaſio, quid prætextus, vt inde intelligamus, quid ſit ſollicitare occaſione,vel prætextu confeſſionis. *Occaſio eſt opportunitas temporis caſu proueniens:* ſeu, authore Cicerone, *eſt pars temporis habens in ſe idoneam opportunitatem alicuius rei faciendæ, aut non faciendæ.* Vnde in præſenti negotio idem eſt occaſio,atque opportunitas ſumpta ex confeſſionis tempore ad ſollicitandum;ſiue præuiſum fuerit à Confeſſario,potuiſſe eam occaſionem contingere, & ob id fœminam ad confeſſionem induxerit tali tempore, loco, & hora; ſiue præuiſum non fuerit: ſed caſu oblata illa opportunitate confeſſionis ea vſus eſt ad ſollicitandum.

Quid ſit occaſio.

70. Prætextus autem nihil aliud eſt,quàm falſæ cauſæ ſimulatio,palliatio, ſeu velatio alicuius rei. Hinc prætendere idem eſt,atque velare,ſeu cauſam aliquã fictam,

Quid prætextum.

Sueton.

ſictam, & non veram pro vera fingere, qua aliquid veletur, & obtegatur. Vnde Suetonius de Cæſare: *Et prætextu quidem ille ciuilium armorum hoc fecit: cauſas autem alias fuiſſe opinantur.* Et in hoc negotio prætextus eſt aſſumere confeſſionem ad ſollicitationem occultandam: quod contingit, quando Confeſſarius ſimul, & pœnitens decernunt ſermones inſerere de rebus inhoneſtis occaſione confeſſionis. Et tunc quidem, ſi ad actum ſollicitationis, dictis, factis, vel nutibus Confeſſarius deueniat, ſiue confeſſio ſequatur, ſiue non ſequatur, denunciandus eſt, & puniri poteſt: quia tunc talis Confeſſarius prætextu confeſſionis ſollicitat, vt conſtat ex illis verbis Conſtitutionis Gregorij XV. *Occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta.*

71. *Per Confeſſionariũ, aut locum, in quo confeſſiones audiuntur, quid intelligendum.*

In Confeſſionario, aut in loco quocunque, vbi confeſſiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare temauerint. Per verbum illud, *in loco quocunque ad confeſſionem audiendam electo*; non ſolùm locus in Eccleſia, ſed etiam in domo, in agro, in monte, intelligitur. *Simulantes ibidem confeſſiones audire.* Tunc dabitur talis ſimulatio, ſi pœnitens, flexis genibus, more eorum, qui ſolent peccata ſua expiare coram Confeſſario ad audiendum applicato, conſtituatur: & ille more eorum, qui confeſſiones audiunt, compoſitus ſit, ſiue pœnitens ſe ſigno Crucis muniat: ita vt actus ille ab aſſiſtentibus, & circunſtantibus, ſi adeſſent, confeſſio credatur. Ita docet Souſa *in ſuis annotationibus ad hanc Conſtitutionem Gregorianam, fol. 265. num. 13.*

Souſa.

72. *Sollicitantes ante promulgationẽ Conſtitutionum pontificiarũ, non ſunt denunciandi.*

In hac tamen Conſtitutione Gregorij XV. ſiue in his, quæ ipſe in aliis Conſtitutionibus, ex certa ſcientia confirmat, ſiue in aliis, quæ de nouo ſtatuit, non comprehenduntur præteriti lapſus, qui promulgationem harum Conſtitutionum anteceſſerunt. Quare ſollicitantes ante ſufficientem promulgationem huius decreti, non ſunt iuxta illud puniendi, quoad ea, quæ de nouo ſtatuit; nec etiam ſollicitantes ante promulgationem aliarum Conſtitutionum. Primò, quia leges, & Conſtitutiones ex natura ſua non extenduntur ad præterita, niſi id exprimant; ſed, aut prohibent futura, aut actus futuros dirigunt, vt habetur *ex cap. Cognoſcentes.* & *ex cap. Quoniam. de Conſtitut.* & docet Panormitanus ibi. Quare decretum hoc, & Conſtitutio non comprehendit præteritas ſollicitationes; ſed futuras à promulgatione perpetratas. Secundò, quia lex non obligat ante promulgationem, vt communiter aſſerunt DD. partim *in titulo de Conſtit.* partim *in Regula, Nemo poteſt. de Regulis iuris, in 6.* Et patet *ex Authentica, Vt noua Conſtit. collat. 5.* vbi dicitur, nouas leges in ſingulis prouinciis promulgandas eſſe. Et loquitur de legibus, quæ traduntur pro vna prouincia, anguſto Regno, vel pro vno Epiſcopatu; non verò de legibus vniuerſalibus, quæ traduntur pro multis prouinciis, aut pro toto Orbe: nam hæ, aut ſunt ciuiles, aut eccleſiaſticæ. De ciuilibus omnes docent, non ſatis eſſe, in Curia tantùm promulgari; ſed oportere, vt in ſingulis prouinciis, vno ſaltem loco promulgentur. De eccleſiaſticis communior opinio docet, leges pontificias latas pro toto Orbe non egere alia promulgatione, vt omnes obligent, quàm ea, quæ fit in Curia Romana. Vide Azor. *lib. 5. inſtitutionum moralium, tom. 1. cap. 3. q. 3.* Circa verò leges eccleſiaſticas, quæ latæ ſunt pro vnaquaque prouincia, aut diœceſi, conueniunt omnes DD. ſatis eſſe vnam

Panorm.

Quæ promulgatio neceſſaria ſit ad hoc, vt leges pontificiæ obligent.

Azor.

promulgationem publicam, & ſolennem, in aliquo loco prouinciæ, aut diœceſis: moraliter enim loquendo id ſufficit, vt lex ad omnium notitiam deferatur: & in iure nihil ampliùs requiritur, & conſuetudo hoc ſeruat. Vnde, cùm huiuſmodi Conſtitutiones de non ſollicitandis fœminis in confeſſione, latæ ſint pro vnaquaque diœceſi, neceſſe eſt, vt publicè, & ſolenniter, ſaltem in vno loco prædictæ diœceſis, ad hoc, vt obligent, promulgentur, ac publicentur. Attamen, cùm Conſtitutio Gregorij XV. ſpecialiter dicat pro promulgatione ſufficere, quòd ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut in campo Floræ affixa ſit, vbi leges pro toto Orbe expeditæ affiguntur; aut, quòd ad notitiam alicuius deueniat per inſtrumentum alicuius Notarij, aut per tranſſumptum ipſius Conſtitutionis ſubſcriptum manu alicuius perſonæ eccleſiaſticæ in aliqua dignitate conſtitutæ, id ſufficiet loco promulgationis reſpectu huius Conſtitutionis; non aliarum, quia id ſpecialiter non diſponunt.

Notabis verò, nouam hanc Conſtitutionem Gregorij XV. latam eſſe contra Confeſſarios tantùm; non contra eos Sacerdotes, qui Confeſſarij non ſunt, & ſe tales fingunt: nam, cùm Summus Pontifex intendat Confeſſariorum abuſus, & inhoneſtas ſollicitationes à confeſſionibus auertere; contra Confeſſarios tantùm loqui videtur, qui Confeſſariorum munere funguntur, ſicut loquuti ſunt omnes alij Summi Pontifices, qui circa hoc ſollicitationis crimen Conſtitutiones ediderunt. Nec refert, quòd Gregorius XV. in ſua Conſtitutione dicat: *Omnes, ac ſinguli Sacerdotes.* quia hæc verba explicanda ſunt per antecedentia verba, quæ ſunt in Conſtitutione Pauli IV. quam priùs de verbo ad verbum inſeruit, & confirmauit: *Cùm, ſicut nuper, non ſine animi moleſtia accepimus, diuerſi Sacerdotes curam animarum habentes, ſiue eam pro aliis exercentes, aut aliàs audiendis confeſſionibus deputati.* Et etiam explicanda ſunt per illa verba ſequentia: *Ad denunciandum Confeſſarios.* & per illa: *Mandantes omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint, fuiſſe ab aliis, vt ſuprà, ſollicitatos,* id eſt, ab aliis Confeſſariis expoſitis, & ad audiendas confeſſiones deputatis. Et ita docet Souſa *in annotationibus ad Conſtitutionem Gregorij XV. n. 4.* 73.

Conſtitutio Gregorij XV. lata eſt contra Confeſſarios veros, nõ fictos.

Souſa.

Vnde ſequitur primò, non comprehendi in hac Conſtitutione Gregoriana, ſicut etiam non comprehendebatur in aliis Conſtitutionibus prioribus Pauli IV. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. laicum illum, qui aſſumpto habitu ſacerdotali Confeſſarium ſe ſimulat, vt pœnitentem ſollicitet: quia nec eſt Sacerdos, nec eſt ad confeſſiones audiendas deputatus. Ita de aliis Conſtitutionibus loquens docet Illuſtriſſimus Cunha *de Confeſſar. ſollicit. q. 3. n. 5.* & de hac Conſtitutione vltima Gregorij XV. Ioannes Sanchez *diſp. 11. num. 36.* & Frater Antonius de Souſa *tract. 1. de ſollicitat. cap. 8. num. 4.* Poſſunt tamen Inquiſitores, huiuſmodi homines aliunde arbitrio ſuo punire, vt conſtat ex quadam Conſtitutione Gregorij XIII. die 6. Auguſti, anno 1574. expedita, quam affert Laërtius *tomo 2. nouæ collectionis apoſtol. Conſt. pagina 387.* & ex alia Conſt. Clementis VIII. die 1. Decemb. anno 1601. quam refert etiam idem Laërtius *tom. 3. pag. 128.* in his enim Conſtitutionibus committitur Inquiſitoribus, vt animaduertant in eos, qui in Presbyteratus Ordine non conſtituti, Miſſas celebrant, confeſſiones audiunt, & abſolutionem impendunt. 74.

Sacerdotẽ ſe ſimulans non comprehenditur in Cõſtitutione Gregoriana.

Cunha.
Sanchez.
Souſa.

Aliunde tamen ab Inquiſitoribus punitur.

Laërt.

Et

75. *Rodriquez.* *Quid, ſi abſolutionem non impertiatur.* Et quanuis Emmanuel Rodriguez *tom.2.quaſtionum regular. q.28.art.2.verſiculo, Hac conſtitutio.*aſſerat, Inquiſitores ſolùm poſſe procedere contra hos laïcos, quando confeſſiones audiunt,& ſimul abſolutionem impendunt: non autem, quando ſolùm confeſſiones audiunt;ex eo fundamento, quòd Conſtitutio Gregorij XIII. aſſerit,confeſſiones audire, & abſolutionem impertiri: vbi particula,*&*, quæ copulatiua eſt, coniunctionem requirit;& Conſtitutio eſt pœnalis:& quia non impertiens abſolutionem, non impugnat facto catholicam veritatem: non dando enim abſolutionem, manifeſtè viſus eſt, ſe nolle huic Sacramento contradicere, aut illi plenam iniuriam facere. Attamen Antonius de Souſa *de ſollicitat.tract.1.cap.9.n.3.* & Illuſtriſſimus Cunha *q.13.n.31.*contrarium tenent, & aſſerunt, ſufficere, ſi huiuſmodi laïcus confeſſiones audiat, licèt non præbeat abſolutionem, vt poſſit puniri ab Inquiſitoribus: quia hæc Conſtitutio apoſtolica lata eſt contra ſe ingerentes in adminiſtrationem huius Sacramenti, & illi iniuriam facientes: huiuſmodi autem laïci, tali adminiſtrationi ſe ingerunt, & Sacramento iniuriam faciunt, ſi non verbis, facto ſaltem. Deinde, quia in hoc caſu,qui ſe fingit Sacerdotem, & confeſſiones audit, quanuis abſolutionem non impendat, fit irregularis propter iniuriam, quam infert Sacramento, iuxta probabiliorem opinionem, quam ſequitur Soarez *de cenſur.diſp.42.ſect.4.n.19.* Sotus *in 4.diſt.8.q.4.art.1. circa finem.* Nauarr. *in Manuali Lat.cap.27.n.242.in fine.* Auila *de cenſuris,p.7.diſt.9.dub.15.*Cùm ergo hic iniurioſus Sacramento ſit, licèt abſolutionem non præbeat, iudicio Inquiſitorum ſubiicietur.Ex his duabus opinionibus hanc vltimam probabiliorem exiſtimo: quia talis laïcus, qui ſe fingit Sacerdotem, & Miſſas celebrat, & confeſſiones audit, eſt de fide ſuſpectus,vt tenet Salzedo *in practica,cap.12.§.Comperimus.* Suſpecti autem de fide,iudicio Dominorum Inquiſitorum ſubiiciuntur, vt in hac etiam Conſtitutione dicitur: in ea enim Gregorius XV. præcipit Inquiſitoribus, & Ordinariis, vt contra ſollicitantes procedant, tanquàm contra ſuſpectos de fide: ſupponit ergo,illos eſſe de fide ſuſpectos.

Souſa. Soarez. Sotus. Nauarr. Auila. Salzedo.

76. *Laïcus interpres confeſſionis ſacramẽtalis, ſi ſollicitet, an denunciandus.* Sequitur ſecundò ex eodem fundamento, non comprehendi in prædicta Conſtitutione Gregorij XV. laïcum ſacramentalis confeſſionis interpretem,ſi in actu confeſſionis,ante,vel poſt immediatè ſollicitet:ſicut non comprehendebatur etiam in Conſtitutionibus antiquis. Ita Antonius de Souſa *de ſollicit.tract.1.c.10.n.3.* Freitas *in addit. ad Illuſtriſſimum Cunham, q.13.n.27.* Ioan.Sanchez *diſp.11.n.10.in fine, & n.37.* Subiicitur tamen aliunde iudicio Inquiſitorum: quia ſuſpectus in fide videtur,& iniuriam facit Sacramento.

Souſa. Freitas. Sanchez.

77. *Sacerdos iuriſdictione carens non comprehenditur in Conſtitutione Gregoriana.* Neque etiam in tali Conſtitutione comprehenditur Sacerdos iuriſdictione carens, & qui non eſt approbatus, ſi ſe fingat approbatum, & in confeſſione ſollicitet; neque quoad ius nouum, quod in ipſa Conſtitutione Gregorius XV. condit; neque quoad Conſtitutiones antiquas, quas confirmat: aliunde tamen puniri poteſt ab Inquiſitoribus arbitrariè.Ita Souſa *cap.11.n.9.* Et ratio eſt:quia hæc Conſtitutio fuit lata contra Sacerdotes Confeſſarios tantùm,qui ex officio confeſſiones audiunt,& ſunt expoſiti,& approbati ad illas audiendas: quia Gregorius XV. (& idem de aliis Pontificibus in ſuis)voluit in ſua Conſtitutione punire exceſſus Confeſſariorum illorum in confeſſione commiſſos,qui ad illius notitiam peruenerunt;qui fuerunt exceſſus ſolummodo Sacerdotum expoſitorum, vt patet ex Breuibus præcedentibus aliorum Pontificum: loquuntur enim ſemper de Confeſſariis animarum curam gerentibus, aut aliàs ad audiendas confeſſiones deputatis,id eſt,approbatis.Secundò, quia,licèt Sacerdos non expoſitus confeſſiones audiens ſuſpectus ſit de hæreſi,& iniuriam faciat Sacramento; tamen non eam iniuriam facit, nec eſt ſuſpectus de ea hæreſi, quam requirunt prædictæ Conſtitutiones latæ contra ſollicitantes ad incurrendas illarum pœnas:hæc enim iniuria,& hæreſis debet fundari in Sacerdote expoſito ad audiendas confeſſiones, ſeu habente iuriſdictionem, vt illas audiat. Vnde non placet opinio Freitas *q.14.n.13.* & Illuſtriſſimi Cunhæ *de ſollicitant.q.14.n.15.*exiſtimantium, Sacerdotes non approbatos in his Conſtitutionibus comprehendi. Aliunde tamen(vt diximus de laïcis fingentibus ſe Sacerdotes) poterunt Domini Inquiſitores arbitrariis pœnis in eos animaduertere:videntur enim computandi in hoc negotio huiuſmodi Sacerdotes,qui iuriſdictionem non habent, iuxta formam Concilij Tridentini,ad audiendas confeſſiones,cum laïcis quoad has pœnas tantùm in his Breuibus contentas, non abſolutè loquendo.Nec ideò illi manent exempti à pœnis Inquiſitorum, vt dixi:quia aliunde, in eos poſſunt Inquiſitores animaduertere, eóſque grauiter punire,cùm ſuſpecti ſint de fide.

Souſa. Freitas. *Aliunde tamẽ ab Inquiſitoribus puniri poteſt.*

78. *Sollicitantes pueros,& ſollicitantes in quocunque loco ad Confeſſionem electo,an de hæreſi ſuſpecti.* Illud autem præcipuè hîc eſt animaduertendũ, Summ.Pontific. Gregor.XV. non declarare ſuſpectos de fide ſollicitantes illos,qui ea crimina committunt,circa quæ ille nouum ius condit,& declarat ad Inquiſitores pertinere, qualia ſunt crimina ſollicitationis puerorum,& crimen ſollicitationis, in quocunque loco ad confeſſionẽ electo,etiã confeſſione non ſecuta, & crimina ſollicitationis cõmiſſæ,prætextu, & occaſione cõfeſſionis;nec inter pœnas, quas his criminibus ſtatuit, vllam abiurationis mẽtionem facit. Vnde dubium oriri poteſt, an,qui illa committunt,reddantur de fide ſuſpecti, & abiurare debeant de leui ſuſpicione, ſicut abiurant ſollicitantes, de quibus loquebantur antiquæ Conſtitutiones; an verò abſque abiuratione,& ſuſpicione de fide puniendi ſint. Reſpondeo,ſuſpectos eſſe de fide.& abiurare debere.Ratio eſt:quia, licèt Summus Pontifex Gregor.XV.in criminibus nouiter in hac ſua Conſtitutione additis,aut declaratis non dicat, ſic ſollicitantes de hæreſi eſſe ſuſpectos; id ſuppoſuit ex verbis Conſtitutionis Pij IV. ibi inſertæ, & à ſe approbatæ, & confirmatæ: nam in verbis de nouo additis innouantur antiquæ Conſtitutiones, & de nouo confirmantur:in illis autem in ſollicitantes cum iniuria Sacramenti,tanquàm in ſuſpectos de fide,iubent Summi Põtifices animaduerti. Cùm igitur eadem hæreſis ſuſpicio in huiuſmodi etiam ſollicitantibus inueniatur;eadem etiam abiuratio ab illis petenda eſt. Ita Souſa *de ſollicitant.in addit.ad hanc vltimam Conſtitutionem Gregorij XV.n.15.* & *in Aphoriſmis Inquiſitorum,lib.1.cap.24.n.8.*vbi citat Peñam *in 2.p. Directorij,commento 81.*& Fatinacium *in praxi criminali,p.4.q.137.n.28.*

Souſa. Peña. Fatinac.

79. *An infamati, an verò nullo modo infamati de crimine ſollicitationis ſint denunciandi.* Similiter Greg.XV.in verbis,& criminibus nouiter additis in hac ſua Conſtitutione,nihil declarat,an denunciandi ſint tantummodo ſollicitantes, quomodolibet de hoc crimine ſollicitationis infamati; an etiam illi,qui nullo modo de illo ſunt infamati. Vnde dubium etiam oriri poteſt, an denunciandi ſint tantùm illi ſollicitantes, qui de huiuſmodi criminibus modo aliquo ſunt infamati;

mati: an etiam illi, qui nullo modo infamati ſunt; & quorum crimen ita eſt occultum, vt de illo nullum omninò indicium habeatur. Conſtitutiones enim antiquæ Pauli IV. & Pij IV. quas confirmat, loquuntur de quomodolibet infamatis, & hos iubent denunciari ibi, in Conſtitutione Pauli IV. *De premiſſis quomodolibet diffamatos.* Quæ etiam verba repetuntur in Conſtitutione Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. Et hac de re duplex eſſe poteſt opinio.

Prima opinio.

Prima aſſerens, ſolos illos, qui quomodolibet fuerint de hoc crimine diffamati, denunciari poſſe, & puniri. Et hæc opinio colligi videtur ex prædictis verbis prædictarum Conſtitutionum: *De premiſſis, ſcilicet, criminibus, & exceſſibus, quomodolibet diffamatos.* Nam in illis verbis ſolùm videtur facultas Inquiſitoribus concedi, & locorum Ordinariis, ad inquirendum de illis, qui de hoc crimine modo aliquo ſunt infamati: & hi iubentur tantùm denunciari, non alij. Non cenſetur verò quis de illo, modo aliquo infamatus, cuius crimen vni tantùm eſt notum: propriè enim loquendo, infamia, quamuis minima, inueniri nequit in vno tantùm; ſed aliquorum notitiam requirit: ergo, vt detur in hoc caſu obligatio denunciandi, requiritur aliqua infamia in ipſo ſollicitatore; minor tamen, quàm in aliis delictis, propter qualitatem illius: & ſic videtur duorum ad minimum notitia requiri. Secundò, quia Domini Inquiſitores in Edictis publicis iubent, vt omnes denuncient, ſub pœna excommunicationis ipſo facto de hoc crimine: quando autem præcipitur ſub excommunicatione, vt denuncientur crimina, non tenetur quis, regulariter loquendo, parere, ſi crimen ita occultum eſt, quando formaliter hæreſis non eſt, vt vni tantùm ſit notum, & probari non poſſit in iudicio. Ita Cenedo *collectione* 101. *num.* 3. *fol.* 254. Nauarrus *in Summa Lat. cap.* 25. *num.* 46. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 18. *num.* 3.

Cenedus. Nauarr. Henriq.

Dixi, *quando formaliter hæreſis non eſt*: quia fallit hoc in crimine hæreſis: tunc enim non iubetur quis denunciare, vt accuſator; ſed vt teſtis, & vt quilibet Chriſtianus de populo, cuius tanquàm teſtis intereſt, per ſuum teſtimonium hæreſes indicare, & non intereſt probare: crimen autem ſollicitationis non eſt formaliter crimen hæreſis, vt patet: nam, quamuis ſollicitatores ſint de hæreſi ſuſpecti, & iubeantur abiurare de leui ſuſpicione, non ſunt formaliter Hæretici: quia nullum habent errorem in intellectu, nec vnquam à fide diſceſſerunt. Tertiò, quia vna ſollicitatio non videtur ſufficere, vt quis pœnas ſollicitantium incurrat, & ſit denunciabilis: nam in hac Conſtitutione Gregorij XV. & in aliis antiquis, prohibentur abuſus, qui committuntur circa hoc crimen in confeſſionis Sacramento, Sacerdoteſque Confeſſarij illo abutentes ad ſuos actus inhoneſtos puniuntur, & iubentur denunciari, vt patet ex verbis Conſtitutionis Gregorianæ: *In tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ, in ſacramentali confeſſione abutantur.* Abuſus autem dicit frequentiam actuum, ſicut & vſus, vt docet D. Thomas *in 1. ſentent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2.* vbi ex ſententia Victorini ſtatuit, vſum eſſe actum frequentem de potentia illicitum: ergo requirit actuum frequentiam: ergo vna ſollicitatio non ſufficit, vt quis peccet contra hoc decretum.

D.Thom.

Quartò, quia, quamuis abuſus aliquando pro vno actu ſuſcipi poſſit; tamen in hac Conſtitutione, pro conſuetudine, & frequentia actuum accipiendus eſt: quia verſamur in materia omninò pœnali: & in materia pœnali benignior interpretatio eſt facienda, vt habetur *regula* 49. *de regulis iuris, in* 6. ibi: *Semper in dubiis benigniora preferenda ſunt.* Quintò, quia in huiuſmodi Conſtitutionibus ſolùm conceditur facultas, tam Ordinariis, quàm Inquiſitoribus, procedēdi contra quomodolibet diffamatos: infamia autem, ſicut & fama, non eſt niſi reſpectu multorum: eſt enim fama, *bona exiſtimatio multorum circa vitam, & mores alicuius,* vt docet Toletus *lib.* 5. *Sūmæ, cap.* 63. *verſu, Altera pars.* Sotus *lib.* 5. *de iuſtitia, quæſt.* 9. *art.* 1. *initio, verſu, Quinque ſunt.* Toletanus *lib.* 2. *de reſt. cap.* 4. *num.* 1.

Toletus. Sotus. Toletanus.

Infamia autem *eſt mala exiſtimatio multorum circa vitam, & mores alicuius.* Vt igitur quis quomodolibet cenſeatur diffamatus, ad minimum ſaltem opus eſt, vt ſit infamis apud duos. Vnde, cùm Iudices in hoc negotio poſſint procedere, vel via denunciationis, vel via accuſationis, vel via Inquiſitionis, non poterunt procedere per denunciationem, niſi crimen ſit duobus teſtibus notum. Probatur: quia, ſicut ex bona opinione vnius hominis circa alium, non poteſt oriri bona fama illius; ita ex mala opinione illius circa alium non poteſt oriri infamia illius. Vt igitur crimen hoc ſit denunciabile, tam quoad noua crimina, quæ adduntur in Conſtitutione Gregorij XV. quàm quoad alia, quæ continentur in Conſtitutionibus aliorum Pontificum prædeceſſorum, opus eſt, vt ſaltem duobus ſit notum. Crimen enim occultum, niſi ſit formaliter crimen hæreſis, dum eſt occultum, non poteſt denunciari: quia denunciatio eſt infamatio: dum enim crimen eſt occultum, non eſt ſubiectum iudicio externo: de iure enim diuino, & naturali tenemur proximum non infamare; de iure autem humano tantùm tenemur hoc ſollicitationis crimen denunciare: quando autem duo præcepta contraria concurrunt, ſi ambo obſeruari non poſſunt, antiquius, & prius, tanquàm fortius, eſt obſeruandum: quia, qui prius eſt tempore, potius eſt iure: prius autem antiquius, & fortius eſt præceptum diuinum de non infamando proximo, quàm humanum de denunciando illius crimine: maximè, quia præceptum humanum de tali denunciatione, ſtatim illam limitauit ad ſollicitantes de hoc crimine quomodolibet infamatos.

Secunda opinio.

Secunda opinio docet, denunciandos eſſe, & 80.
ſubiectos manere pœnis huius Conſtitutionis, non ſolùm quoad caſus de nouo expreſſos, omnes, & ſingulos Confeſſarios ſollicitantes, etiamſi quomodolibet non fuerint diffamati: ſed etiam quoad caſus antiquarum Conſtitutionum aliorum Pontificum. Eam docet Frater Antonius de Souſa *de ſollicit. tract.* 1. *c.* 16. *n.* 5.

Souſa.

Et in hunc modum probatur. Primò, quia crimen hoc eſt difficilis probationis, & reddit ſollicitatores de hæreſi ſuſpectos: & ideò abiurare de leui coguntur, vt patet ex illis verbis Pauli IV. & Pij IV. *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd, qui de fide catholica rectè ſentiunt, Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, tibi per præſentes committimus, & mandamus, quatenus provt in aliis cauſis S. Officij.* Ergo, quemadmodum alij Hæretici denunciandi ſunt, quamuis non ſint quomodolibet infamati, vt fatentur Authores primæ opinionis: ita etiam & huiuſmodi ſollicitatores denunciandi erunt. Neque obſtat, quòd huiuſmodi conſtitutio addat: *Tibi committimus, & mandamus, vt contra quomodolibet diffamatos procedas.* Quia intentio Pontificis aliunde nota eſt: Summus enim

enim Pontifex in hac Conſtitutione formaliter, & directè intendit ſollicitatores pœnitentium exterminare, & iniuriam Sacramento factam punire, & ei in poſterum obuiare: ſed, ſi de ſolis infamatis Conſtitutio hæc intelligeretur, nó occurreretur ſufficiēter à Summo Pontifice huic malo: ergo non eſt hoc intelligendum de ſolis quomodolibet diffamatis. Maior patet: quia nulla lex eſt interpretanda contra legiſlatoris intentionem: intentio autem legiſlatoris eſt, vt in ea exprimitur, vt iniuria, quæ fit Sacramento confeſſionis auertatur. Minor eſt certa: quia, cùm ſollicitationes in occulto contingant, & hoc crimen ſit difficillimæ probationis, & mulieres ob innatum pudorem taceant; nunquam vel rariſſimè de hoc crimine dabitur infamia, ac proinde nunquam punietur, ac exterminabitur, & per conſequens non ſufficienter tanto malo occurretur, ſi de ſolis quomodolibet infamatis hæc denunciatio intelligatur: ergo, ne in hoc abſurdum incidamus, dicendum eſt, ſufficere vnam tantùm ſollicitationē, vt fœmina ſemel ſollicitata teneatur denunciare; & non requiri infamiam reſpectu ſaltem duorum, vt hoc crimen ſit denunciabile. Secundò, quia per vnicam ſollicitationem verè incurrit Confeſſarius ſuſpicionem fidei: ergo per vnicam pœnis huius decreti ſubiicitur. Conſequentia patet: quia Confeſſarius ſollicitans eſt ſuſpectus de hæreſi, vt colligitur ex hac Conſtitutione. Conſequentia patet: quia, qui ſemel hereſim profert, eſt Hæreticus: ergo, qui ſemel ſollicitat, eſt de fide ſuſpectus; ſicut, qui ſemel contrahit binas nuptias, viuente prima vxore, de fide ſuſpectus eſt, vt eſt in praxi Inquiſitorum, & docet Albertinus *de agnoſcend. aſſert. catholicis*, & Repertorium Inquiſitorum, *verbo*, *Contrahens*. Nec dicas, aliud eſſe incurri, abſolutè loquendo, ſuſpicionem fidei per vnicam ſollicitationem, aliud poſſe denunciari propter vnicam ſollicitationem, imò & propter multas, cum vna perſona habitas, quandiu occultæ ſunt, & vni tantùm perſonæ notæ; conſtitutionéſque præcipere, vt tale delictum denuncietur, quando ſollicitator quomodolibet diffamatus eſt, id eſt, quando de hoc crimine aliquod indicium habetur, & ſit quomodolibet publicum. Nec addas etiam, crimen ſollicitationis non eſſe formaliter crimen hæreſis, nec ſollicitatores eſſe Hæreticos; quamuis propter iniutiā, quam faciunt Sacramentó, de hæreſi ſint ſuſpecti; atque adeò non eſſe eodem rigore erga illos vtendum, quo vtimur erga Hæreticos; ſolúmque crimen hæreſis formalis, de quo Hæreticus quomodolibet non eſt infamatus, denunciandum eſſe, quia eſt aliorum infectiuum, quale non eſt ſollicitationis crimen: & quia non iubetur quis illud denunciare, tanquàm accuſator; ſed tanquàm vnus de populo, cuius intereſt hæreſes multis nociuas per ſuum teſtimonium, ne alij inficiantur, indicare. Quia, etſi hoc crimen formaliter non ſit hæreſis, nec ſit ex natura ſua aliorum infectiuum; eſt tamen difficilis probationis, & alioqui nunquam, aut rarò punietur tale crimen, ſi non eſſet denunciandum, niſi priùs de illo ſollicitatores modo aliquo fuerint infamati.

Albertin. *Repert. Inq.* *Obiectionibus contra hanc opinionē occurritur.*

81. *Harum duarum opinionū quæ probabilior.*

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, ambæ probabiles, & in fauorem Sacramenti in iſtam ſecundam inclinandum videtur. Prima tamen tam ſolidis fundamentis nititur, & tam expreſsè mentem legiſlatoris videtur continere, vt illi contradicere, videatur audacia. Mihi non conſtat de praxi Dominorum Inquiſitorum, & ideò interim rem non diffinio, meúmque iudicium praxi huius ſanctiſſimi Tribunalis ſubiicio.

82. *An fraterna admonitio debeat præcedere denunciationem.*

An verò in vtraque opinione ante denunciationem, ex vi iuris Conſtitutionum, quæ contra ſollicitantes à Sede apoſtolica emanarunt, præmittenda ſit fraterna admonitio, ſi ſollicitator firmiter emendandus credatur, & de hac emendatione moralis certitudo habeatur, partita eſt opinio. Prima docet, non eſſe præmittendam, ſed illa prætermiſſa ſtatim denunciandos eſſe huiuſmodi ſollicitatores. Ita Antonius de Souſa *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib. 1. cap. 34. n. 56.* vbi citat Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 17. n. 4.* Sed Henriquez *ibi* hoc non dicit; ſed tantùm dicit, crimen ſollicitationis reſeruari Cenſoribus fidei: quia ſerpit contra bonum commune, & honorem Chriſti: & quia vafer Confeſſarius vix emendari ſolet correctione. Verba illius ſunt hæc: *Caſus ſollicitantis intra, aut prope confeſſionem, filias ſpirituales, reſeruatur Cenſoribus fidei ab anno 1574. quia ſerpit contra bonum commune, & honorem Chriſti; & vix vafer. Confeſſarius emendari ſolet correctione.* Quibus verbis rationem reddit, cur reſeruetur Inquiſitoribus: & nihil loquitur de præmittenda, aut non præmittenda correctione fraterna ante denunciationem. At ex eo, quòd Henriquez *ibi* huic crimini ſollicitationis tribuat qualitates criminis hæreſis, quales ſunt eſſe nociuum aliis, ſerpere contra bonum commune, & vix de illo emendari poſſe vafros Confeſſarios; ideò non ſine fundamento aliquo intulit Souſa, hanc fuiſſe opinionem Henrici. Citatur etiam pro hac opinione Paramus *quæſt. 10. n. 4.* Ratio, & fundamentum huius opinionis eſt id, quod tradit Henriquez verbis relatis.

Souſa. *Henriq.* *1. opinio negans.* *Paramus.*

83. *2. opinio affirmans.*

Secunda opinio affirmat, priùs præmittendam eſſe prædictam fraternam admonitionem. Ita candem videtur reſoluere Souſa *in prædictis ſuis Aphoriſmis, lib. 1. cap. 24. n. 57.* & Petrus de Ledeſma *in Summa, tract. 4. tom. 2. cap. 4. concluſione 24. dubio 2.* loquentes expreſsè de criminibus, de quibus habentur perſonæ illa committentes pro ſuſpectis in fide, & non pro Hæreticis. Et hanc opinionem ſecuti ſumus *in ſupracitato noſtro tomo in quinque præcepta ſanctæ Matris Eccleſiæ, p. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. in prima editione.* Fundamentum huius opinionis eſt primò: quia nullibi in Conſtitutionibus, quæ loquuntur de hoc ſollicitationis crimine, habetur, quòd prætermittatur talis fraterna correctio, ſi emendatio certò moraliter ſperatur. Secundò, quia non videtur æquum, quòd illum rigorem, quo cum Hæreticis in hac parte vtimur, ad huiuſmodi ſollicitantes extendamus, cùm hoc crimen longè ſit inferioris ordinis: etſi enim illud committentes leuiter ſuſpecti ſint de fide, & de leui iubeantur abiurare; at non ſunt Hæretici formaliter: quare non ſunt toto eo rigore tractandi, ac Hæretici tractantur in iure. Et citari etiam pro hac parte poſſunt omnes illi, qui dicunt, nec etiam Hæreticos denunciandos eſſe ſtatim ante fraternam correctionem, quando formiter creditur ex ea admonitione emendādos fore: & hi ſunt, D. Thom. *2. 2. quæſt. 33. art. 7.* Caſtro *lib. 2. de iuſta Hæret. punit. cap. 25. concl. 1.* Caietan. *2. 2. quæſt. 33. art. 7.* Sotus *lib. 5. de iuſt. quæſt. 3. art. 1. verſu, His tamen.* Cano *12. de locis, cap. 9.* Nauarrus *in Summa, cap. 18. n. 56.* Abulenſis *Matth. 18. quæſt. 97.* Sayrus *in Claui regia, lib. 11. cap. 4. num. 8.* & alij: nam, ſi hæc fraterna admonitio non eſt prætermittenda in crimine hæreſis, nec etiam à fortiori prætermittenda erit in crimine ſollicitationis, in

Souſa. *Eius fundamentum.* *D. Thom.* *Caſtro.* *Caietanus.* *Sotus.* *Cano.* *Nauarr.* *Abulenſis.* *Sayrus.*

in quo quis non Hæreticus, ſed ſuſpectus de hæreſi habetur.

Poſſunt Inquiſitores præcipere, ne fiat fraterna correctio.

Hoc tamen non tollit, quominùs poſſint Inquiſitores per edictum aliquod præcipere, vt prædicti ſollicitatores, abſque vlla fraterna admonitione præmiſſa, ſtatim denuncientur. Primò, quia tanta eſſe poterit diſſolutio ex parte Confeſſorum, & tanta negligentia, ex parte perſonarum, quæ ſollicitantur, in denunciando, vt niſi ita præcipiant, medicina in venenum, & confeſſionis Sacramentum in animarum carnificinam per horrendum ſacrilegium conuertatur. Secundò, quia poſſunt Inquiſitores, experientia, quam habent, iudicium de ſpe emendationis prædictorum ſollicitantium ad ſe reſeruare, & nulli alteri committere, quàm ſibi ipſis, qui tanquàm docti, & in ea re experti ſeriosiùs rem expendent, & conuenientius remedium applicabunt. Et quòd Domini Inquiſitores poſſint huiuſmodi præceptum per edicta imponere, non eſt dubium, cùm in ea re apoſtolica authoritate vtantur. Ita docet Soarez *de fide, diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 11. Arcualus *de correctione fraterna, fol.* 188. *concluſ.* 6. *propoſito* 6. & Ioan. Sanchez *diſp.* 11. *n.* 36. Et tale præceptum non minorem vim habebit, quàm lex canonica: quanuis enim præceptum ſit, & per modum præcepti feratur; tamen quia tribunal, à quo procedit, perpetuum eſt; ideò per modum legis perpetuò durabit.

Soarez. Arcualus. Ioan. Sanch.

84. *An tale præceptum iam detur.*

An verò iam detur tale præceptum, quæſtio eſt de facto. Ioannes Sanchez *dicta diſp.* 11. *n.* 57. affirmat, in regno Caſtellæ iam dari. Probat primò ex illis verbis, quæ inueniuntur in edictis Dominorum Inquiſitorum, vbi poſtquàm referuntur crimina denuncianda, additur: *Si ſapieredes, que alguna perſona aja dicho, ò tenido, ò echo alguna coſa de las arriba dichas, aſſi de viuos preſentes, ò auſentes, como de defunctos, ſin communicarlo con perſona alguna (porque aſſim conuiene) vengais à manifeſtarlo dentro de ſeys dias.* Latinè ita redduntur hæc verba: *Si ſciueretis, perſonam aliquam rem aliquam ex ſupradictis tenuiſſe, dixiſſe, aut feciſſe, ſiue viua ſit præſens, vel abſens, ſiue mortua, abſque vlla communicatione cum aliquo (quia ita conuenit) illam denunciare, ac manifeſtare intra ſex dies veniatis, ſub pœna.* Nam, cùm ibi præcipiatur, vt hæc denunciatio fiat abſque vlla conſultatione, inde infert Ioannes Sanchez à fortiori, præcipi nullam præmittendam eſſe monitionem. Probat ſecundò: quia ibi æquè lex edicti loquitur de viuis, atque de defunctis, & præſentibus, atque abſentibus: & æqua obligatio denunciandi imponitur illis, qui de viuis aliquid ſciunt, atque illis, qui de mortuis ſciunt, de præſentibus, atque abſentibus: & ſicut mortui, & abſentes non ſunt monendi; ita nec viui, nec præſentes. Et hanc opinionem, quam habet Sanchez, defendit acriter Freitas ad Cunham *quæſt.* 18. *à n.* 30.

Freitas.

85. *Videtur, quòd non datũ ſit.*

Verùm ego non video in his verbis præceptum expreſſum de denunciãdo hoc delicto ſine fraterna monitione. Primò, quia aliud eſt communicare; aliud ex præcepto Chriſti fraternè monere; & aliud communicatio; aliud Chriſtiana monitio: nam communicatio dicit ordinem ad quancunque perſonam; admonitio autem dicit ordinem ad ſolam illam perſonam admonendam de delicto, quod commiſit: & ſic communicatio, & conſultatio ſupponitur ad admonitionem. Quare benè poterant Inquiſitores prohibere talem conſultationem, & communicationem; & non prohibere fraternam, & Chriſtianam admonitionem: & maior ratio dabatur, vt prohiberetur conſultatio, & communicatio talis delicti, aut talium delictorum ante admonitionem cum aliis, quàm talis admonitio; cùm ex illa communicatione aliis, non ſequatur correctio delinquentis, imò potiùs ſequatur infamatio: ex monitione verò fraterna ſola hæc correctio ſequatur. Secundò, quia verba illa: *Siue perſona ſit viua præſens, vel abſens, ſiue mortua.* diſtributiuè accipi poſſunt, ita vt viui præſentes monendi ſint; non verò viui abſentes; nec mortui; cùm nec illi, nec mortui Chriſtianè moneri poſſint. Tertiò, quia illa verba non viderentur excludere omnem communicationem, & conſultationem omninò: quia, vt notat Bañes 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. *ad ſeptimum argumentum*, quem citat Ioann. Sanchez allegatus, non excludunt illam conſultationem, & communicationem, quæ fit in confeſſione cum Confeſſario pio, ac docto, vt pœnitens denunciaturus ſciat, quid agere debeat; & an in tali, vel tali circunſtantia teneatur, vel non teneatur denunciare: aſſerit enim Bañes *ibi*, fas eſſe cuique, inſtante eo præcepto, ſtatum ſuæ conſcientiæ pio, ac docto Confeſſario aperire, vt ſciat, an teneatur, vel non teneatur denunciare. Et extra confeſſionem licitum eſſe, virum doctum conſulere, ad ſciẽdum, an delictum ſollicitationis contineatur in edicto, docet Ioan. Sanchez *dicta diſp.* 11. *n.* 51. *ad finem*, & pro ſe citat Arcualum *de correctione fraterna, fol.* 188. quia hanc conſultationem ad hunc finem non intendunt excludere Inquiſitores; ſeruare tamen ſecretum tenebitur doctor, cui facta eſt conſultatio iuxta illos: ſi tamen caſus planè, ac plenè dici poſſit abſque manifeſtatione perſonæ denunciandæ, nullo modo erit talis perſona manifeſtanda.

Bañes. Sanchez.

86. *Sententia Authoris.*

Sed certè, vt aperiam, quod ſentio, ex verbis relatis plenè non conſtat, an Inquiſitores velint excludere monitionem fraternam, in eo caſu, in quo certò, & moraliter conſtet de emendatione ſollicitantis; nec mihi conſtat, qualis ſit praxis Inquiſitionis Caſtellæ. Quare, prædicta praxis, ſi de illa conſtiterit, ſeruanda erit: ſi verò non conſtiterit, interrogandi ſunt Inquiſitores, an per illa verba eam monitionem intenderint excludere.

In Luſitania verò, ſi non habeantur ea, vel ſimilia verba in edictis; ſequenda erit opinio communior Antonij de Souſa, & Ledeſmæ pro ſecunda opinione allegati, affirmantium, eam eſſe præmittendam in eo caſu, quòd talis emendatio firmiter ſperetur, qui rarus erit: neque enim eodem rigore erga iſtos vtendum eſt, quo vtimur in Hæreticos: & Antonius de Souſa, cùm Miniſter ſit Inquiſitionis in Luſitania, debuit ſcire illius praxim, & conſuetudinem. 87.

88. *Denunciãdus non eſt iam emendatus.*

Nemo verò denunciare tenetur, ſi credat, ſollicitantem iam eſſe emendatum: generaliter enim loquendo, nulla datur obligatio denunciandi delinquentem iam emendatum, vt docet D. Thomas *quodlib.* 11. *art.* 13. *ad* 3. Syluester *verbo, Denunciatio, q.* 1. Nauarrus *in Summa Lat. c.* 24. *n. vlt. in fine*, & *cap. Inter verba.* 11. *q.* 3. *in* 2. *edit. concluſ.* 6. *corollario* 44. *n.* 113. Sanchez *de ſtatu religioſo, lib.* 6. *c.* 18. *n.* 49. Sotus *de tegendo ſecreto, membr.* 2. *q.* 4. *poſt dubium* 3. *concluſ.* 4. Aragonius 2. 2. *q.* 3. *art.* 7. *in fine*: & ſpecialiter id docet Cunha, loquendo de crimine ſollicitationis, *de Confeſſ. ſollicit. q.* 3. *n.* 15. & Ioann. Sanchez *diſp.* 11. *n.* 51. Communis opinio Doctorum tres annos exigit ad præſumendam emendationem in crimino ſo, ex Maſcardo *concluſ.* 600. *n.* 14. Alciato *regula* 2. *præſumptione* 17. Farinacio *in praxi, q.* 23. *à n.* 26. & *deciſione* 51. *n.* 10. *lib.* 1. vbi agit de

D.Thom. Syluester. Nauarr. Sanchez. Sotus. Aragon. Cunha. Ioan.Sanch. Maſcard. Alciat. Farin.

Freitas.

de ſuſpecto de hæreſi, qui abiurauit:& Seraphinus de Freitas *in additionib. ad Cunhã,q.3.n.32. & 33.*

Hæreticus occultus iam emendatus an denunciandus. Sotus. Rojas. Soarez. Sanchez.

Speciatim verò loquendo de hæretico occulto iam emendato, non eſſe illum denunciandũ,docet Sotus *lib.3.de iuſt.q.5.art.5.*& Rojás *ſingul.3.n.22.* vbi alios refert, & à fortiori idẽ docebũt de ſollicitatoribus.Verùm, ſi de Hæretico formali loquamur,meliùs docent Soarez *de fide,diſp.20.ſect.4.n.13.*& Ioan.Sanch.*diſp.11.n.51.*denunciandum non eſſe,ſtando in ſolo iure naturæ : at nunc, ſuppoſito eccleſiaſtico præcepto contento in edicto Inquiſitorum, denunciandum eſſe, quanuis emendatus ſit : vt intelligant Hæretici[1], non eſſe illos occultandos; & quia, ſi fortè hæreſi ſua alios infecerunt, non ſatis illi prouidetur hac illorum emendatione; & quia fortè fictè ſe emendatos oſtendunt,cùm tamen non ſint emendati : ſubdoli enim ſunt; & ſub pelle ouina lupum gerunt, vt docet Simancas *tit.19. num.12.* Similiter, non tenebitur fœmina ſollicitata Confeſſarium ſollicitantem denunciare[1], ſi ſciat, iam ab aliis fœminis fuiſſe denunciatum, & ob id iam ab Inquiſitoribus fuiſſe punitum.Ita docet Freitas *in addit.ad Cunham,q.3. num.34.* quia iam tunc præſumitur emendatus.

Simancas. *Sollicitatoriã denunciatus non eſt denũciandus.* Freitas.

89\. *Quæ iuriſdictio contra ſollicitatores commiſſa ſit Inquiſitoribus.*

Poſt deciſionem caſuum, qui de nouo deciduntur in Conſtitutione Gregorij XV. delegat ibi Summus Pontifex, ac committit iuriſdictionem, & facultatem Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis, ad procedendum contra culpatos: *Vt vnuſquiſque in ſua diœceſi, & territorio procedat, etiam priuatiuè, quoad omnes alios.* ita vt ſi comparatio fiat Inquiſitorum cum Ordinariis, hæc poteſtas ſit Inquiſitoribus cumulatiuè conceſſa,reſpectu ipſorum Ordinariorum, & Inquiſitorum : ſi verò fiat cum Prouincialibus Religionum, qui habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem in ſuos ſubditos, ſit tam Inquiſitoribus, quàm Ordinariis priuatiuè conceſſa, quoad iſtos Prælatos regulares, vt optimè notauit Frater Antonius de Souſa *de ſollicit. in annot. ad Conſtitutionem Gregorij XV. n. 19. & 20.*

Souſa.

90\. *Tam Inquiſitores, quàm Ordinarij, licèt poſſint ſeparatim procedere, non poſſunt ſeparatim condemnare.*

Et quanuis iuxta hanc clauſulam, tam Inquiſitores, quàm Ordinarij, ſeparatim poſſint procedere; non tamen poſſunt ſeparatim ſententiam condemnatoriam proferre : quia in hac condemnatione debet ſeruari forma ſacrorum Canonum, vt præſcribit Summus Pontifex in hac ſua Conſtitutione, *vt vnuſquiſque procedat*, &c. iuxta ſacrorum Canonum formam : forma autem iuris communis, & ſacrorum Canonum eſt, vt ſententia condemnatoria ab vtroque ſimul procedat, & vnus non poſſit condemnare ſine altero : nam, quanuis poſſint ſimul, vel ſeparatim procedere; non tamen poſſunt ſeparatim damnare. Patet *ex Clementina 1. Multorum. de Hæreticis.*& *ex cap. Super hoc. de Hæret. in 6.* vbi dicitur, poteſtatem commiſſam Inquiſitoribus contra Hæreticos, vel de fide ſuſpectos, non eſſe, priuatiuam reſpectu Ordinariorum; ſed cumulatiuam : & ita poſſunt ſeparatim procedere; non tamen ſeparatim damnare; vt docet Gloſſa ibi, & Panormitanus *in cap. Ad abolendam. de Hæret.* Repertorium Inquiſitorum *verb.Inquiſitores,§.In quibus poſſit procedere Inquiſitor.* Eymericus 3. q. 43. Albertinus *de agnoſcend.aſſert.catholicis, q.23.n.62.* Comenſis *in Lucerna Inquiſitorum, verbo, Inquiſitor, num.13.* & plures alios refert Farinacius *de Hæret. q.186. §.1.n.6.*& idem tenere videtur Simancas *tit.6.n.3.*

Gloſſ. Panorm. Repert. Inq. Eymericus. Albertinus. Comenſ. Farinacius. Simancas.

91\. *Poſſunt tamẽ ſeparatim abſoluere.*

Si tamen Confeſſarius ſollicitans ſit abſoluendus in iudicio de crimine, de quo fuit denunciatus, & accuſatus; poſſunt Epiſcopi, & Inquiſitores procedere ſeparatim, vſque ad ſententiam abſolutoriam : quia ita in ſacris Canonibus deciditur. Sic docet Eymericus *3.p.Directorij,q.48.*Ioannes Andreas *in Clem.Multor. de Hæret. verbo,Contra eos.* vbi Zabarella, Panormitanus, Paulus de Leazaris, & alij, & Tabiena *in Summa, verbo, Inquiſitor, §.11. in fine.* Iaſon *in l.3. ff. de re iudicata.* Decius *in l. Nemo. ff. de Regulis iuris.*Carrer.*tract. de Hæret. num. 27. verſu, In præmiſſis autem quærendum eſt.* Gloſſa *in Clem.1. verbo, Contra eos. de Hæret.* Bonifac.de Vital. *num.173.* Campegius *in addit. ad Zanchinum, de Hæret. cap. 8. litera E, in verbo, Diffinitiuum*, & alij, quos referunt, & ſequuntur Peña *in Director. q.48.* Eymericus *comm. 97.* & Farinacius *de hæreſi, q. 186. §.3. num. 60.* & Souſa *de ſollicit. tract.2. cap.1. num.12.* Probatur: quia hoc non eſt ſpeciatim prohibitum in hac Conſtitutione, & alioquin eſt in iure communi expreſſum : & vbi non datur ius nouum, ſtatuendum eſt iure antiquo. Secundò, quia Conſtitutio hæc Gregorij XV. iubet,vt contra huiuſmodi ſollicitantes procedatur iuxta formam ſacrorum Canonum: ſacri autem Canones iubent, vt ad abſoluendum poſſint Inquiſitores, & Ordinarij procedere ſeparatim, *cap. Præſidentes. cap. Statuimus. cap. Vt Inquiſitionis. cap. Ad abolendam. cap. Excommunicamus. de Hæret. in 6.* Ordinariis enim dati ſunt Inquiſitores, vt adiutores,ad tantam molem ſuſtinendam : & ſi in aliquo caſu id non faciunt, id prouenit, vel ex conſuetudine, vel ex prohibitione, aut limitatione, quæ in hoc caſu datur, & probatur, etiam euidentiùs ex quodam reſcripto Clementis VII. relato à Peña *in fine Directorij, folio mihi 139.* vbi hæc verba habentur: *Contra huiuſmodi exemptos vſque ad ſententiam diffinitiuam, ad quam ferendam, ſi fuerit condemnatoria, cum conſenſu Ordinarij procedatis.* Quæ verba in ſolis condemnatoriis ſententiis ſeparatum iudicium prohibent.

Eymericus. Ioan. And. Zabarella. Panormit. Paulus. Tabiena. Iaſon. Decius. Carrer. Bonifacius. Campegius. Peña. Eymeric. Souſa.

Contra hanc doctrinam inſurgunt Ancharanus *in Clementina 1. de Hæreticis.* Simancas *de cathol. inſtit. tit.3. num. 8.* & Rojas *ſingul. 27. num.7.* & Peña *citato loco* aſſerentes, non poſſe hodie Epiſcopos ſeparatim procedere contra ſuſpectos de fide, vſque ad diffinitiuam ſententiam abſolutoriam. Probant primò: quia Conſtitutione noua *Clementina 1. de Hæretic.* abrogata ſunt iura antiqua, quibus olim conceſſum erat, vt Epiſcopi, & Inquiſitores ſeorſim de huiuſmodi cauſis agnoſcerent, & reſtrictum eſt ius antiquum, quoad condemnationem; ita vt neuter ſeparatim ſententiam condemnatoriam proferre poſſit : ſed eiuſdem poteſtas eſt abſoluere,& condemnare. *l. Qui condemnare, ff. de re iudicata.* Ergo, ſi poſt hanc Conſtitutionem neuter poteſt ſeparatim damnare;neuter etiam poteſt ſeparatim abſoluere. Confirmatur: quia ita conſuetudine in Tribunali ſanctæ Inquiſitionis in Caſtella receptum eſt: conſuetudo autem eſt optima legis interpres. 92.

Ancharan. Simanc. Rojas. Peña. *Epiſcopi an poſſint ſeparatim procedere, vſque ad diffinitiuam, contra ſuſpectos de fide.*

Sed ad hoc argumentum reſpondeo, condemnare, & abſoluere eiuſdem eſſe poteſtatis, quando ius aliter non præſcribit : præſcribit autem ius in hoc caſu, vt ſolùm ad ſententiam condemnatoriam coniunctim procedant,vt patet ex reſcripto Clementinæ Clementis VII. *ſuprà* relato : *Si fuerit condemnatoria.* Neque erat eadem ratio prohibendi, & reſtringendi vtrunque: nam, cùm cõdemnare aliquem, vt Hæreticum,vel ſuſpectum de hæreſi, ſit res grauiſſima, plura indicia ad hoc requiruntur, quàm ad abſoluendum. Maximè, 93.

Argumẽtum ſententiæ negantis refellitur.

Paul. Bonifac. Iaſon. Carrer.

quia ſemper fauendum reis, & fauorabilior eſt abſolutionis cauſa, quàm condemnationis, vt ait Gloſſa Pauli, & Bonifacij *in dicta Clementina* 1. *de Hæretic. in* 6. Iaſon cum aliis *in dicta l. Qui condemnare*. Carret. *de Hæretic. num.* 72. Et quanuis conſuetudine ita receptum ſit in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Caſtellæ, id in ea obſeruetur: non negamus enim opinionem Simancæ eſſe probabilem; noſtram tamen probabiliorem iudicamus, pro qua ſtant etiam Zanchinus *cap.* 15. Burſalus *conſilio* 24. Alciatus *lib.* 2. *de verborum ſignificatione*, & alij, quos citat Simancas, & non ſequitur *dict. tit.* 3. *n.* 8.

Zanchin. Burſal. Carrer. Simanc.

94. *Quid in caſu ſollicitationis.*

Condemnatoriam igitur ſententiam ſeparatim ferre non poſſunt: ſi tamen illam Epiſcopi, vel Inquiſitores, ſeparatim ferant in hoc prædicto caſu de ſollicitatione confeſſionis, & abiurationis de leui, probabile eſt factum tenere. Ita Frater Antonius de Souſa *de ſollicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 15. Probatur: quia, licèt condemnatoria ſententia diffinitiua, etiam ad carcerem, vel ad torturam, ſit nulla ipſo iure, ſi ſeparatim feratur, vt docet Repertorium Inquiſitorum *verbo, Inquiſitores*, §. *In quibus poſſit procedere Inquiſitor ſine Epiſcopo.* & probatur ex *Clementina* 1. *Multorum. de Hæreticis, in* 6. tamen probabile eſt, poſſe Epiſcopos, & Inquiſitores in rebus minimis, quales ſunt leues ſuſpiciones de fide, ſeparatim procedere: & hoc in hoc regno Luſitaniæ hactenus obſeruatum fuit: ſolebant enim Epiſcopi ſeparatim damnare eos, qui binas nuptias contrahebant, illorúmque abiurationes recipere: quæ poteſtas in hoc crimine reſtricta illis modò eſt, vt patet ex quadam declaratione facta Inquiſitori Generali Luſitaniæ: ita tamen reſtricta eſt, vt ſi ab Epiſcopis id fiat, factum teneat, vt docet Souſa allegatus *num.* 16. & Peña *in* 3. *parte Directorij, commento* 97. *verſu, Rurſus dico.* vbi aſſerit, hæc eſſe de genere eorum, quæ, licèt fieri prohibeantur; facta tamen tenent: qui omninò videndus eſt: & Farinacius *de hæreſi, q.* 186. §. 3. *num.* 79. & in noſtro ſollicitationis caſu clariùs hoc videtur: quia cumulatiua eſt hæc poteſtas, quæ conceditur Inquiſitoribus, cum Epiſcopis, & non priuatiua, licèt ſit priuatiua reſpectu Superiorum Religioſorum habentium iuriſdictionem quaſi-epiſcopalem; & vtriſque, Inquiſitoribus, ſcilicet, & Epiſcopis Ordinariis, in Conſtitutione Gregorij conceditur, vt in hoc crimine procedant ſimul, vel ſeparatim, prout maluerint, ibi: *Contra prædictos ſimul, vel ſeparatim, diligenter inquirant, & procedant.* Et poſt pauca: *Et quos culpabiles repererint, puniant.* Et quanuis addat, *iuxta ſacrorum Canonum formam*; id parum refert: quia ſtatim expreſſit, *ſimul, vel ſeparatim*: quaſi in hoc tantùm non ſit neceſſe formam ſacrorum Canonum ſeruare; in cæteris autem ſit.

Souſa. Repert. Inq. Souſa. Peña. Farin.

95. *Praxis regni Luſitaniæ in crimine ſollicitationis.*

Quanuis tamen in hoc regno Luſitaniæ poſſint Ordinarij contra ſollicitantes ſeparatim procedere, iuxta formam ſacrorum Canonum, vſque ad diffinitiuam ſententiam; poſſunt tamen nihilominùs Inquiſitores generales ex quodam priuilegio huius regni, ex cauſa omnes illorum proceſſus, & integras cauſas, etiam ſub cenſuris, & aliis pœnis ad ſe aduocare. Ita Souſa *de ſollicit. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. Probatur: quia hoc crimen reddit ſollicitatores ſaltem leuiter ſuſpectos de fide: omnes autem cauſas, & proceſſus circa res fidei, quæ coram Ordinariis tractantur, poſſunt Inquiſitores generales huius regni ad ſe aduocare ex priuilegio quodam Pij IV. dato Romæ, anno 1562. die 2. Aprilis, conceſſo Henrico Cardinali, Infanti Portugalliæ, Inquiſitori generali huius regni, poſteà Regi, quod ad integrum refert Souſa *in fine ſui opuſculi de ſollicitat.* vbi ſic dicitur, & loquitur cum prædicto Inquiſitore generali: *Quaſcunque cauſas hæreſis, & illius prauitatem ſapientes coram Ordinariis regnorum, prouinciarum, & locorum præfatorum nunc, & in futurum, in quibuſcunque, ſtatu, & terminis pendentes, quandocunque tibi expediens viſum fuerit, ab ipſis Ordinariis ad te aduocandi, ac illis, eorúmque Iudicibus, & perſonis, ne in eis vlteriùs procedant, ſub cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis inhibendi.*

Souſa.

96. *Priuilegium Caſtellæ datum Inquiſitoribus contra ſollicitantes ſuſtinetur.*

Nec dici poteſt, hoc priuilegium fuiſſe perſonale, & expiraſſe cum perſona Infantis Cardinalis: fuit enim priuilegium reale, conceſſum officio, & dignitati Inquiſitoris Generalis, vt patet ex his verbis illius: *Volentes tibi, cuius prudentiæ officium Inquiſitionis huius prauitatis primò, deinde legationis*, &c. Priuilegia autem alicui officio, aut dignitati conceſſa realia ſunt, & non perſonalia; nec expirant cum morte perſonæ, cui officium, aut dignitas eſt adnexa: ſed tranſeunt ad ſucceſſores in officio, & dignitate: dignitas enim, & officium non moritur iuxta textum *in cap. Quoniam Abbas. de officio delegati*, & Abbatem *ibi, num.* 8. ab omnibus receptum, Gloſſam *ibi, verbo, Subſtitutum*, Innocentius *ibi, num. vnico.* Hoſtienſis *num.* 5. & 9. Ioannes Andr. *num.* 27. Antonius *num.* 20. Imola *num.* 2. Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *quæſt.* 68. *num.* 22. & *alij*.

Gloſſa. Innoc. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Anton. Imola. Menoch.

97. *Pœnæ quales, & quæ decernantur contra ſollicitantes.*

Decernit etiam Summus Pontifex Gregorius XV. in hac vltima Conſtitutione pœnas, quibus ſollicitantes plecti debent ſecundùm criminis qualitatem, & circunſtantias; nimirum, priuationem beneficiorum, ſuſpenſionem ab executione Ordinum, perpetuam inhabilitatem ad officia, & beneficia eccleſiaſtica, priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ, exilium, carcerem, damnationem ad triremes, abſque vlla ſpe veniæ: & concludit, quòd aliæ addantur, iuxta delicti qualitatem, etiam Curiæ ſæculari tradendo reos. Et quanuis circa pœnam traditionis non apponantur in hac Gregoriana Conſtitutione illa verba, quæ apponuntur in alia Conſtitutione Pauli V. videlicet, *prout iuris fuerit*; & *prout de iure fuerit faciendum.* ſed loco illorum apponantur hæc: *Tradantur Curiæ ſæculari pro enormitate delicti.* tamen vtraque clauſula eundem ſenſum reddit: arbitrium enim Iudicis iuri conformari debet.

98. *Probatio delicti quomodo ab Inquiſitoribus facienda.*

Circa probationem delicti ſtatuit Summus Pontifex Inquiſitoribus Generalibus, vt ipſi arbitrio ſuo decernant, an crimen hoc, attenta illius qualitate, maneat probatum teſtibus ſingularibus, concurrentibus aliis præſumptionibus, indiciis, & adminiculis: quia eſt difficilis probationis. Ex qua conceſſione duo colliguntur. Primò, probabilius eſſe ſecundùm ius teſtes ſingulares non plenè probare delicta, nec etiam hoc occultiſſimum, & difficilis probationis: quia, cùm Summus Pontifex hoc de nouo concedat, videtur ſupponere, vel hoc in iure non contineri; vel dubium eſſe, an contineatur, vt bene animaduertit Souſa *in annotat. ad hanc Conſtitut. Gregorij XV. fol.* 269. *n.* 25. Secundò, non eſſe reprobandam ſententiam, & praxim illorum Iudicum, qui crimina difficilis probationis, teſtibus ſingularibus, præſumptionibus, indiciis, & aliis iuris adminiculis concurrentibus plenè probatam ſentiunt: nam, quod Summus Pontifex concedit, damnari à viro catholico non poteſt.

Souſa.

Itaque

99. Itaque ad puniendos ſollicitantes in arbitrio Iudicis erit, quanta, & qualis fides habenda ſit fœminarum teſtimoniis, cùm ex natura rei crimen hoc difficillimæ probationis ſit. Ita Freitas *q.23. num.25.* adducens Iodocum *in practica criminali, cap.50. rubrica de probat. teſtium. num.25.* & Riccium *p.3. collectaneo 549.* & *in praxi fori eccleſiaſtici, collect.369.* refert, plurimarum fœminarum teſtimoniis, quæ ſollicitatæ fuerunt, Confeſſarium conuictum non fuiſſe pœna ordinaria punitum; ſed fuiſſe in tortura negatum; & in ea negantem fuiſſe per annum ſuſpenſum ab animarum cura. Paramus *lib.3. quæſt.10. num.158. & 159. & 163.* duas fœminas carentes omni exceptione ad probationem huius delicti requirit. Tres requirit Lucius *in Summa, cap.24. num.11.* Quatuor Illuſtriſſimus Cunha *de Confeſſar. ſollicitantibus, quæſt. 23. n.19.* & Freitas *num.19.* aſſerit, duarum fœminarum teſtimonium non eſſe ſufficiens ad capturam Confeſſarij: quod idem etiam docet Cunha *dicta quæſt.23. num.9.* Sed totum hoc negotium prudentis arbitrio eſt committendum, qui inſpectis circunſtantiis, qualitate, videlicet, & moribus fœminarum deferentium, iudicabit, an zelo ſpiritus, an odio, aut ex quauis alia leui cauſa ad deferendum moueantur. Debet etiam Iudex animaduertere ad famam, ad qualitatem, & ad mores Confeſſarij denunciati, vt iudicium capturæ ferat in tam graui, ac difficili negotio, in quo non præcipites Iudices eſſe debent; ſed lenti, graues, ac maturi, niſi circunſtantiæ aliud ſuaſerint.

Arbitrio Iudicis remittitur teſtimonium fœminarum ſollicitatarum.
Freitas.
Iodoc.
Riccius.
Paramus.
Lucius.
Cunha.
Freitas.

LIBER NONVS.

In nonum Præceptum Decalogi.

QVONIAM *hoc præceptum iam in ſexto magna ex parte explicatum eſt, ideò breuiores erimus in illo, quàm aliis. Solùm igitur nobis reſtat in eo inquirendum aliquid de materia, & malitia delectationis moroſæ: quoniam eiuſdem eſt malitia obiectum, peccatúmve, ac delectatio illius: vnde eodem præcepto naturali diuino, vel humano, quo nobis aliquid, vt peccatum prohibetur, vetatur etiam illius conſenſus, & delectatio, vt eſt receptiſſimum in omnium Thomiſtarum, & Scholaſticorum doctrina. Conſultò igitur hanc materiam in hunc locum reſeruauimus: quia illius eſt propria: & in ea non ſolùm tractabimus in particulari dubitationes morales de delectatione in actibus turpibus, in verbis, in tactibus, in aſpectibus, in copula coniugali, vel non coniugali, præterita, præſenti, futura: ſed aliquid inſuper agemus de ipſa delectatione moroſa in ſe, quid ſit, quomodo fiat, quatenus peccatum ſit: & ab his omnibus breuiſſimè nos expediemus. Habetur hoc nonum præceptum Exod. 20. illis verbis.* Non mœchaberis. *illis enim non ſolùm actus venereus illicitus nobis iure diuino, & naturali prohibetur; ſed etiam conſenſus, & delectatio moroſa, ac deliberata illius. Habetur inſuper Deuter. 5. verſu* 21. Non concupiſces vxorem alienam. *Et Matth.* 5. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Vnde D. Paulus ad Roman.* 7. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit: ſed peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. *Quaſi diceret: Primarium legis officium eſt, non ducere homines ad peccatum, neque docere, quomodo ſit peccandum; imò dedocere homines peccata, & illos in officio continere.* Sed peccatum non cognoui niſi per legem; *id eſt, vt explicat D. Hieronym. epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 8. tom. 3. circa medium, & Origenes tom. 2.* Niſi prohiberetur per legem naturalem, quia omnes etiam gentes illuſtratæ cognoſcunt concupiſcere vxorem alienam, peccatum eſſe mortiferum; & niſi poſteà id magis innoteſceret per legem Dei, digito in tabulis Moyſis ſcriptam. *Quod ideò dicit: quia ante legem Moyſis cognoſcebant homines peccatum eſſe mortale, alienis vxoribus commiſceri, vt tempore Iobi, Gomorrhæorum, & Sodomorum: poſteà verò id pleniùs agnouerunt, accepta à Deo lege ſcripta per Moyſis manum digito Dei: & ideò dicit Paulus, pleniſſimè, & perfectiſſimè non cognouerunt gentes, (loquitur enim inſtar gentilis, & induens illius perſonam,) peccatum eſſe concupiſcere vxorem alienam, niſi poſt legem ſcriptam, & Moyſi datam in monte Sina. In illis autem verbis:* Non concupiſces. *non ſolùm concupiſcentia, & delectatio moroſa, ſeu conſenſus nobis prohibetur; ſed etiam omnis actus turpis. Vnde D. Auguſt. allegatus in Gloſſa ordinaria:* Bona lex, quæ dum concupiſcentiam prohibet; omnia prohibet. *Et D. Hieronym. citatus epiſtola*

Authoris intentum hoc in libro.

Exod. 20.

Deuter. 21.
Matth. 5.

Rom. 7.

D. Hieron.
Origenes.

D. Auguſt.
D. Hieron.

epiſtola ad Algaſ. 151. *tom.* 3. Nos autem per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus, & gaudemus, timemus, & concupiſcimus. *Reliqua vide apud Interpretes huius loci.*

CAPVT I.

Quid ſit delectatio moroſa : quomodo fiat: in quo conſiſtat : quanta eius mora requiratur.

SVMMARIVM.

Delectationis moroſæ definitio. In infantibus, & hominibus ratione carentibus non eſt peccatum. num. 1.

Quare moroſa dicatur. num. 2.

Quomodo, & qua ratione fiat. num. 3. & 4.

Si intellectus animaduertat ad obiectum, quatenus ſibi vtile eſt, ac delectabile, non animaduertens ad malitiam illius, neque etiam an ſit licitum, vel illicitum; ſi tunc illud amplectatur, nullum datur peccatum mortale in amplexu, & delectatione moroſa illius. num. 5.

Ad rationem peccati deſideratur conſideratio malitiæ moralis obiecti voliti. num. 6.

Vt detur peccatum in malitia vnius generis, non ſufficit attendere ad malitiam alterius generis. n. 7.

In aduertentia ad moralem malitiam obiecti datur tam magna latitudo, vt quædam ſufficiat ad mortale, quædam ad veniale; & quando ad vtrunque ſufficiat. num. 8. 9. & 10.

Vtrùm ad peccatum mortale neceſſe ſit, non ſolùm animaduertere, obiectum volitum eſſe non ſolùm abſolutè moraliter malum, & illicitum; ſed etiam mortaliter. Refertur prima opinio affirmans requiri, vt animaduertatur eſſe ſolùm abſolutè illicitum, & prohibitum. num. 11.

Refertur ſecunda opinio aſſerens, vtrunque requiri, & quòd ſit illicitum, & quòd ſit mortaliter illicitum; & alioqui eſſe tantùm peccatum veniale. n. 12.

Iudicium Authoris, & ſoluuntur fundamenta ſecundæ opinionis. num. 13

Delectatio moroſa, vel poteſt eſſe de opere malo, vel de modo ingenioſo operandi ipſum malum, & an vtraque ſit mortalis. num. 14.

Item, poteſt eſſe de opere cogitato, vel de ipſa cogitatione, & ſpeculatiua cognitione: ſi habeatur de opere cogitato, eſt mortalis, vel venialis pro ratione cogitati. num. 15. & 16.

Idem ſi de vtroque, hoc eſt, de opere ſimul, & ipſa cogitatione habeatur. ibid.

Quid, ſi non de opere, ſed de ſola ſpeculatiua cogitatione, & cognitione operis delectatio habeatur. num. 17.

Refertur prima opinio aſſerens, eſſe peccatum mortale. num. 17.

Refertur ſecunda affirmans eſſe tantùm veniale. num. 18.

Sententia Authoris. num. 19.

1. *Definitio delectationis moroſæ.*

DELECTATIO moroſa ſic deſcribi poteſt: *Eſt plenus, & deliberatus conſenſus, quo homo animaduertens aliquid eſſe peccatum, et liberè conſenſit, & in eo conquieſcit, ac delectatur.* Aliter: *Eſt quies delectabilis, ac pax quædam appetitus ſenſitiui de ſuo obiecto delectabili præſenti, per rationem, vt conueniens, apprehenſa.* Sic hoc vltimo modo delectationem moroſam deſcribit Corduba *lib. 1. quæſtionum, q. 23. §. Sed de delectatione, folio mihi* 197. *col.* 1. vbi dicit, eſſe ex mente D. Thom. 1. *p. q.* 81. & 1. 2. *q.* 74. *art.* 4. Dicitur, *per rationem apprehenſa:* quia, ſi ratio illud obiectum, in quo voluntas conquieſcit, vt appetibile corpori, ac guſtui conueniens conſideratè non apprehendat, non erit propriè delectatio, ac proinde nec peccatum, vt patet in infantibus, & animalibus ratione non vtentibus, quorum ſenſus, licèt ſuum obiectum, tanquàm ſibi appetibile, & conueniens apprehendant, & appetitu appetant, & in eo delectentur, ac conquieſcant; quia tamen in eis ratio nihil apprehendit, aut diiudicat, neque ſe delectari propriè cognoſcunt, ideò non verè, nec propriè, ſed impropriè tantùm delectantur. Vnde, licèt in eis delectationes hæ, ſenſitiuæ à corpore, & ſenſu, tanquàm à proprio ſubiecto nominentur; nō tamen ſunt peccata: quia nihil rationis eis ineſt. In homine autem rationis compote, licèt ab eodem corpore, & ſenſu, appetituque ſenſitiuo, in quo ſubiectantur, ſenſitiuæ ſimiliter denominentur: quia tamen ſunt totius hominis ex corpore, & anima rationabili compoſiti; ideò peccata ſunt, & actiones peccaminoſæ: nam anima in corpore exiſtens, cum corpore etiam delectatur propter apprehenſionem, qua obiectum illud, vt corpori ſuo conueniens, ac appetibile amplectitur, apprehendit, ac in eo ſiſtit, delectatur, ac conquieſcit.

Corduba. D. Thom.

Delectatio moroſa nō eſt peccatum, in animalibus, neque in hominibus ratione carentibus.

Dicitur ille conſenſus, ſiue illa quies, *moroſa;* non, quia vt peccatum mortale ſit, opus ſit mora aliqua ſpatioſa temporis: vbi enim primùm voluntas obiectum illud ab intellectu, vt corpori appetibile, ac conueniens, ſeu delectabile repræſentatum complectitur; ſtatim peccatum conſummatur: ſed, quia aliquantulùm in eo propter delectationem corporis ipſa voluntas conquieſcit, & in ea quiete mora temporis plerunque teritur; inde delectatio moroſa dicitur: & ideò maius, vel minus peccatum erit, quò maior, vel minor fuerit mora illius temporis, quo in ea re, aut obiecto homo delectatur.

2. *Delectatio moroſa vt ſit peccatum, nō requirit morā temporis.*

Fit huiuſmodi conſenſus, & delectatio duobus modis. Primò, ſenſu aliquo externo, oculis, auditu, tactu, guſtu, odoratu, res vſurpatur: deinde ab his ſenſibus externis in ſenſus internos, hoc eſt, in ſenſum communem tranſmittitur: & in opinione eorum, qui phantaſiam non admittunt, per ſenſum communem intellectui; in opinione verò eorum, qui illam admittunt, per ipſum communem ſenſum phantaſiæ, & à phantaſia eleuata, intellectui, tanquàm quid bonum, & corpori appetibile, conueniens, ac delectabile offertur, ac obiicitur: intellectus verò eam voluntati offert: voluntas autem, ſicut poteſt fugere, & diſſentire; ita amplecti, & conſentire: & quando conſentit, & eam rem ſic obiectam, ac oblatam, tanquàm quid appetibile, & conueniens amplectitur; & in ea conquieſcit, tunc datur conſenſus, ſeu delectatio moroſa, quæ eò magis, & minùs eſt moroſa, quò, vt dixi, magis, aut minùs in eam rem aduertit, ac in ea delectatur, vt patet.

3. *Quomodò fiat cōſenſus.*

Secundò in hunc modum fit. Res aliquando 4.

viſa, aut ſenſibus externis percepta in memoriam, ac recordationem venit, quæ appetitũ ſenſitiuum ſui deſiderio excitat, ac quadam voluptate demulcet: mox per ſpecies ad cogitandi, imaginandiſque potentias tranſit, commouens in appetitu ſenſitiuo, ſui imaginatione, cogitationéque, maximam appetibilitatem: ac tandem in mentem, ac intellectum tranſmittitur: & poſtquàm eſt in intellectu, & intellectus ei, tanquàm ſibi conuenienti aſſentitur, appetitum rationabilem, qui eſt voluntas, ad deſiderium, amplexum, & delectationem ſui attrahit, mouet, & excitat; & ſic fit plenus conſenſus. Ita docet Azor. *lib.*4. *inſtit.moral.cap.*5. *q.*1. *in* 1 *tom.* Sanchez *tom.*1. *Decalogi*, *cap.*1. *n.*7. & alij paſſim.

Azor. Sanchez.

5. Aduerte tamen, in vtroque modo concipiendi delectationem moroſam, & conſenſum, poſſe intellectum aduertere ad obiectum ſibi repræſentatum, quatenus vtile, conueniens ac delectabile ſibi eſt; non aduertens circa illud, quatenus illicitum, aut peccatum eſt: vt, ſi quis in die ieiunij, nihil de præcepto cogitans, cœnet, aduertens ad cœnam, quatenus ſibi vtilem, ac delectabilem, & de hoc cogitans; nihil de morali eius malitia contra præceptum ieiunij deliberans, aut animaduertens; imò poteſt ſecundùm naturalis temperantiæ regulas deliberare de cœna id, quod ad quantitatem, ad tempus, & modum expediat, non deliberando de malitia, contra ieiunij præceptum; qua in re nullum dabitur peccatum: dum enim cogitatio, dubiúmve, aut ſaltem ſcrupulus circa malitiam obiecti, intellectui ſe non offert, quantumuis cogitatio, & deliberatio circa illius vtilitatem detur, non datur ſufficiens principium in illo, vt de morali eius malitia ratio deliberare queat, cùm huiuſmodi res diuerſi generis ſint, ſicut conſultatio aliqua, aut deliberatio de vtilitate in negotio alicuius rei literariæ, non eſt principium ſufficiens ad deliberandum de vtilitate in negotio rei bellicæ, cùm diuerſi generis, & rationis ſint, vt docet optimè Vazq. 1.2. *q.*74. *art.*7. *diſp.*107. *cap.*3. *num.*8. *&* 9. & Sanchez *lib.*1. *Decalogi, cap.*1. *num.*7. *& cap.*16. *num.* 21. Syluester *verbo*, *Delectatio*, *q.* 1. *dicto* 4. Corduba *in quæſtionib. lib.*1. *q.*23. *dub.*10. vbi docet, vt quis peccet mortaliter, debere priùs conſiderare, vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe aliquod malitiæ periculum, vel dubium, vel ſaltem ſcrupulum aliquem habere: quòd ſi nihil horum præceſſit; tunc quidem cenſeri dari naturalem obliuionem, & inaduertentiam inuincibilem, & totius peccati expertem: & ideò antequàm ratio delectationem, aut eius cauſam perpendat, non dari interpretatiuum conſenſum, aut peccatum.

Vazques. Sanchez. Syluester. Corduba.

6. *Conſideratio malitiæ moralis requiritur ad peccatum.*

Vnde euidenter deducitur, ad rationem peccati deſiderari aliquam conſiderationem malitiæ moralis, id eſt, deſiderare, vt homo aduertat ad malitiam obiecti, cui aſſentitur; & quod amplectitur. Quare, etſi intellectus animaduertat obiectum, aut rem eſſe delectabilem; non aduertat tamen, nec dubitet, aut ſaltem ſcrupulum habeat, eſſe peccatum; nulla erit culpa, nec venialis quidem, quantumuis longo tempore in eo obiecto, & ſiſtat, & conquieſcat: cenſebitur enim inconſideratio, & obliuio quædam naturalis, & inuoluntarius conſenſus reſpectu moralitatis peccati. Ratio eſt: quia ad culpam deſideratur libertas, quæ ſine aduertentia, & rationis deliberatione non datur: nec debet eſſe qualiſcunque libertas; ſed circa moralem obiecti malitiam: in ea enim amplectenda peccatum ſitum eſt. At, quandiu conſideratio, vel dubium, aut ſaltem ſcrupulus, circa moralem malitiam obiecti non ſe offert; nullum eſt ſufficiens principium ad deliberandum de illa, eámque liberè amplectendam: igitur tunc non dabitur peccatum; ſed cenſebitur motus primò primus, ac naturalis inuoluntarius reſpectu ipſius peccati, ac omni prorſus culpa veniali etiam vacans. Confirmatur: quia tunc datur peccatum, quando datur perfecta ratio, & aduertentia: ergo tunc datur delectatio moroſa in peccato, quando vel ratio illud impetat, vel in eo ſibi complacet, vel conſentit. Vnde non dicitur delectatio moroſa à mora temporis, abſoluté loquendo; ſed à mora temporis præeunte aduertentiam rationis, ita vt homo animaduertat ad malitiam obiecti, & illi conſentiat, ac condelectetur in ea. Et ita docet D. Thomas 1.2. *q.*74. *art.*4. *& art.*7. *ad* 2. *& q.*88. *art.*5. *ad* 2. Vazq. 1.2. *q.*74. *art.* 7. *diſp.* 105. *cap.* 4. *n.* 13. *&* 14. & latiùs *diſp.* 107. *cap.* 3. *num.* 6. *&* 7. Azor. *tom.*1. *lib.*4. *inſt. moral. cap.*5. *q.*4. & Soto *de inſtitut. Sacerd.* vbi de diſcrimine peccatorum *lect.*9. Cordub. *lib.*1. *q.*23. *dub.*9.

Delectatio moroſa vnde dicatur moroſa.

D. Thomas. Vazques. Azor. Soto. Corduba.

7. *Peccatum vt ſit malitia vnius generis, non ſufficit attendere ad malitiam alterius generis.*

Imò, vt ſit peccatum in malitia vnius generis, non ſufficit attendere, aut animaduertere ad malitiam alterius generis; ſed oportet ad hanc quoque animaduertere: ille enim, qui in cœna peccat contra temperantiam in die ieiunij, aduertens ſe excedere modum, & legem temperantiæ; non animaduertens tamen ad diem ieiunij, peccat quidem contra ipſam temperantiam; non tamen contra ieiunium: quare non ſufficit attendere ad malitiam peccati vnius generis, vt ſit peccatum in alio genere.

8. *Latitudo ad peccatũ mortale, & veniale ſufficiens explicatur.*

In huiuſmodi autem ad moralem obiecti malitiam aduertentia datur magna latitudo; tam magna, vt ſufficiat ad peccatum mortale, & veniale. Quidam ita illam explicant. Aut eſt, inquiunt, plena, & perfecta aduertentia, & deliberatio; & tunc datur peccatum mortiferum: aut imperfecta, & ſemiplena; & eſt peccatum veniale. Plena, & perfecta datur, quando homo plenè, & perfectè aduertit, & eſt inſtar illius, qui in plena vigilia à ſomno perfectè excitatus eſt. Dixi, *perfectè:* quia poteſt in plena vigilia adeò tenuis, & perexigua conſideratio, & aduertentia circa malitiam obiecti moralem dari, eò quòd intellectus aliò ſit diſtractus, vt non ſufficiat ad mortale. Semiplena, & imperfecta datur, quando homo ſemiplenè, & imperfectè aduertit: vt, cùm quis nondum plenè à ſomno excitatus pollutionis ſibi contingentis malitiam animaduertit, in quo negotio ex defectu plenæ aduertentiæ peccatum veniale tantùm communiter datur. Ita explicant Sanchez *tom.*1. *Decalogi, lib.*1. *cap.*1. *num.*10. Caiet. *in Summa, verb. Delectatio, paulò poſt initium.* Vaſq. 1.2. *dicta diſp.* 107. *toto cap.*4. & alij.

Plena, & perfecta aduertentia, quæ.

Semiplena, & imperfecta, quæ.

Sanchez. Caietan. Vazques.

9. *Alia explicatio plenæ, & ſemiplenæ aduertentiæ.*

Alij in hunc modum, & in idem ferè recidit, explicant, vt tunc plena deliberatio, & aduertentia, ac proinde peccatum mortale detur, quando ratio perfectè animaduertit obiectum moraliter malum, quoad circumſtantias, quibus ad illud expendendum moueri poteſt: ſemiplena autem, & imperfecta, & peccatum veniale, cùm quis ita animaduertit, aut animaduertere poteſt, vt poſſit expendere malitiam obiecti: ſed non tam facilè, vt poſſit plenè cernere, quonam, & quali motu moueatur, & cui adhæreat. Ita Valentia 1. 2. *diſp.*6. *q.*4. *punct.*3. *col.*2. *verſu, Secundò, ſi plenè.* Ex quo fit, ſi motus moraliter praui, qui imaginationem ſequuntur, omnem deliberationem omninò anteuertant,

Valentia.

[C]uertant, nullam eſſe culpam: ſi ſolam perfectam, & plenam deliberationem antecedant, vacare culpa lethali; non tamen veniali. Si adſit plena deliberatio, non vacare culpa lethali, vt probat Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 4. *cap.* 5. *q.* 2. Nider. *in* 9. *precepto Decalogi, cap.* 4. Richard. *in* 2. *ſentent. q.* 23. *dub.* 9. *verſu, Secunda pars.* Et ratio præiactæ doctrinæ, *à num.* 6. *vſque ad* 10. eſt primò: quia peccatum mortiferum priuat hominem peccatorem amicitia Dei, & reum illum reddit æternæ pœnæ. Vnde non eſt par credere, tanto ſupplicio hominem abſque perfecta, & plena conſideratione, & aduertentia obnoxium manere. Secundò, quia nemo poteſt recuperare gratiam perditam, niſi per voluptatem, & delectationem plenè deliberatam: ergo, neque illam perdere, niſi per eandem plenam deliberationem.

Azor. Nider. Richard.

Rationes præſuppoſita doctrina.

10. D. Hieron. Tertiò, quia, vt inquit D. Hieronym. ad illud Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* inter paſſionem, & propaſſionem, hoc eſt, inter deliberationem, & motum appetitus ſenſitiui, *hoc intereſt, quòd paſſio reputatur in vitium: propaſſio, cùm initij culpam non habeat, non tenetur in crimine: ergo, qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propaſſione percuſſus eſt: ſi verò conſentiat, & de cogitatione affectum fecerit, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo 72. Tranſierunt in affectum cordis. de propaſſione tranſiuit ad paſſionem: & huic, non voluntas peccandi deeſt, ſed occaſio.* Vbi non dicit, propaſſionem, id eſt, motum primò primum, aut imperfectum, crimen mortale inducere; ſed paſſionem, & plenum conſenſum cum plena aduertentia ad obiectum malum, tam diuino, quàm humano præcepto prohibitum; & inibi inueniri poſſe peccatum, vt *capite ſequenti* dicemus. Ex dictis deducitur, in conſenſu, quiete, ac complacentia rei venereæ, vel cuiuſcunque alterius, diuino, aut humano iure prohibitæ conſiſtere moralem, ac moroſam delectationem illius, præeunte plena, & perfecta ratione, & aduertentia: quia tamen res venerea, & illecebra carnalis magis eſt humanæ naturæ conformis, & in ea carnales homines pluſquàm in cæteris peccatis ordinariè delectantur; ideò propriè delectatio moroſa in ea inuenitur; quanuis etiam in omnibus actibus, ac operibus, tam diuino, quàm humano præcepto prohibitis, inueniri poſſit, vt *cap. ſequenti* dicemus.

Inter paſſionem, & propaſſionē diſcrimen.

11. Dubium tamen eſt, vtrùm ad peccatum mortale neceſſe ſit non ſolùm animaduertere obiectum illud eſſe malum moraliter, & abſolutè illicitum, & conſequenter delectationem illius eſſe moraliter illicitam; ſed etiam eſſe mortaliter illicitam: poteſt enim contingere, vt quis animaduertat, obiectum eſſe illicitum; non tamen eſſe mortaliter, aut venialiter illicitum: qua de re partita eſt opinio. Prima affirmat, vt ſit peccatum mortale, ſufficere, quòd quis animaduertat, rem eſſe prohibitam, & moraliter illicitam, licèt non animaduertat in ſpeciali, mortaliter eſſe illicitam. Ita docet Vazq. 1. 2. *diſp.* 107. *cap.* 3. *in fine.* Sumelus 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *diſp.* 1. *verſu, Dubium tamen ex ſuperius dictis relinquitur.* Sanchez *tom.* 1. *Decalogi, cap.* 1. *num.* 9. & alij, qui omnes docent, ad peccatum mortale ſatis eſſe ex parte deliberationis, quòd quis animaduertat, delectationem illam eſſe malam, vel prohibitam; quanuis in particulari minimè aduertat eſſe mortaliter malam: vbi enim quis ſpecialiter non iudicat eſſe venialiter tantùm malam, mortaliter peccabit, ſi in ea re illicita delectetur. Primò, quia eſt periculum, an ſit mortaliter illicita: & qui ſciens, ac volens ſe mortali peccato exponit, mortaliter peccat. Secundò, quia, ſi nullum præcedat ſufficiens examen, quo quis probabiliter ſibi perſuadeat, tale obiectum non eſſe mortale; & nihilominùs illud amplectatur, & in eo delectetur; ita eſt affectus, vt etiamſi mortalem malitiam contineat, in eo conquieſcat, conſentiat, ac delectetur: ergo mortaliter ſine dubio peccabit. Tertiò, quia ſuppoſita aduertentia malitiæ obiecti nemo poteſt operari, & delectari circa illud ſine periculo peccandi mortaliter, niſi priùs inquirat in particulari, vtrùm tale opus veniale tantùm ſit: nam, vt deliberatio ſit ſufficiens ad peccatum mortale, ſolùm requiritur, vt detur aduertentia formalis, & iudicium de malitia, & prohibitione delectationis. Quare, ſi præcedente ea notitia in ea re delectetur, peccatum mortale committit.

Aduertentia quæ neceſſaria ad peccatū mortale.

1. opinio affirmans.

Vazques. Sumel. Sanchez.

Secunda opinio contraria negat, & aſſerit, id ſolùm eſſe peccatum veniale. Pro ea citat Sumel Victoriam *in relectione de eo, ad quod tenetur veniens ad vſum rationis,* 2. *p. num.* 11. *circa finem.* Cordub. *lib* 1. *q.* 23. *dub.* 9. Angeſtum *cap.* 6. *moral.* §. *Vſque adeò, dub.* 1. *poſt* 3. *concluſionem.* Probatur hæc opinio primò: quia tunc datur peccatum mortale, cùm ratio aduertit, delectationem eſſe mortalem; & antequàm ratio aduertat, prædictum motum delectationis eſſe mortalem, licèt aduertat eſſe illicitum, non cenſetur illa aduertentia perfectè libera, nec cenſetur eſſe plenè in noſtra poteſtate, cùm voluntas non feratur in incognitum: ergo nō cenſetur conſenſus eſſe plenè, & perfectè liber, & mortalis. Confirmatur: quia peccatum in communi conſideratum poteſt eſſe mortale, & veniale: ergo, dum non conſtat eſſe actu mortale, licèt obiectum, circa quod voluntas immoratur, & delectatur, ex ſuo genere mortale ſit, in eo conſentire, & delectari, non erit pluſquàm veniale: requiritur enim plena aduertentia ad malitiam mortalem, vt delectatio moroſa ſit mortalis. 12.

2. opinio negans. Victoria. Corduba. Angeſt.

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones. Prima eſt communior, & probabilior; & ideò tenenda. Ad fundamentum ſecundæ reſpondeo, non ſolùm tunc dari peccatum mortale in delectatione moroſa, cùm ratio perfectè animaduertit, talem delectationem eſſe mortaliter illicitam; quia eſt diuina, vel humana lege prohibita: ſed etiam, quando plenè animaduertit eſſe illicitam, licèt expreſsè, & in particulari non animaduertat eſſe mortaliter illicitam: quia, cùm nullum præcedit ſufficiens examen, quo quis animaduertenter iudicet, eam eſſe venialem; & nihilominùs illi vult conſentire, & in ea immorari; ita eſt affectus, vt in ea delectetur, etiamſi mortalem malitiam contineat, vt diximus *in* 2. & 3. *ratione* 1. *opinionis.* Nec inde ſequitur, voluntatem ferri in incognitum: ſufficit enim, quòd per intellectum cognoſcat motum illum eſſe illicitum, cùm ſuppoſita malitia obiecti, quam optimè præcognoſcit, nemo poſſit circa illud operari, immorari, & delectari ſine periculo graui peccandi mortaliter, niſi priùs inquiſierit, & præcognouerit, illud eſſe tantùm veniale, vt diximus, niſi fortè ſit homo fortis, ac viribus valens, & cui ex longiſſima experientia compertum ſit, ſe nullo modo in illo cōſenſurum, quatenus eſt mortale: & ideò omne hoc periculum hîc, & nunc omninò abeſſe. Rara tamē auis erit in terris huiuſmodi homo, ſi tā fortis detur: qua de re *infrà* agemus. 13.

Opinio prima approbatur.

Ad fundamentum ſecundæ reſpōdetur.

Notari

14. *Duo notãda. Primum.* Notari tamen velim primò, delectationem, vel poſſe eſſe de opere malo, vel de modo operandi cognito, ac cogitato: v. c. occurrit cogitatio de furto, de homicidio, de adulterio, de fornicatiõne committenda, & in ſingulis his peccatis faciendis occurrunt multi merè induſtrij, ac ſubtiles modi, & inuentiones, quibus poſſunt committi: delectari igitur in huiuſmodi tantùm modis, & inuentionibus, nullum eſt peccatum, nec veniale quidem: quia, cùm huiuſmodi modi ſint naturaliter boni, admirabiles, ingenioſi; naturaliter ſunt etiã delectabiles: quia hæc non eſt delectatio de peccato, & malo; ſed de bono, nempe, de induſtriis, de arte, de viribus hominis, atque adeò de quodam bono. Ita docet Sanchez *tom.* 1. *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 2. *num.* 4. & *cap.* 3. *num.* 12. Valentia 1.2. *diſp.* 6. *q.* 4. *punct.* 3. *verſ. Quartò, certum eſt.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 1. Caiet. *in Summa, verbo, Delectatio moroſa. verſ. Secundò, an delectatio.* Cordub. *lib.* 1. *q.* 23. *dub.* 11. *verſ. Reſpondeo, in hoc tria certa ſunt.* vbi aſſerit, gaudium de ſpeculatiua tantùm cognitione turpium, ſub ratione honeſta, non eſſe peccatum; ſed licitum, & bonum: vt, cùm Medicus intelligit modum, quo generatur fœtus ex adulterio; & Confeſſor modum, quo adulterium patratum fuit, & in eo modo delectatur. Non tamen hîc agimus de delectatione ſpeculationis operis mortaliter mali, & illiciti; ſed de delectatione modi ingenioſi illius: de ipſa enim ſpeculatione, & cogitatione operis mali *infrà* agemus *num.* 18. *&* 19. Vbi ſimiliter reſoluemus, non eſſe peccatum, aut ad ſummum tantùm eſſe veniale. Et patet hoc, exemplo illo Chriſti Domini, Lucæ 16. in quo laudauit villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: non, quòd hîc Chriſtus furtum laudauerit; ſed, quòd ingenioſam, & exquiſitam furandi artem, ac inuentionem deprædandi in villico iniquo laudauerit. Vnde optauit tam ſubtiles eſſe ſpirituales homines ad prædandum cælum, quàm ſubtiles ſunt mundani ad furandum. Vnde inquit Euangeliſta: *Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis ſunt in generatione ſua.* ſeu, vt eſt in Hebræo, & vertit doctiſſimus Saà ad hunc locum: *Delectatus eſt Dominus ingenio iniqui in furando. Planè mundani homines prudentiores ſunt in temporalibus, quàm ſpirituales in ſpiritualibus.*

Delectatio de modo operãdi cognito, & cogitato peccatum nõ eſt. Sanchez. Valentia. Azor. Caietan. Corduba. Lucæ 16. Saà.

15. *2. notãdum.* Notari velim ſecundò, delectationem, vel poſſe eſſe de opere cogitato, vel de ipſa cogitatione: v.c. ſi cogitatur bellum aliquod cum delectatione; furtum, homicidium, adulterium, vel peccatum fornicationis ſimplicis; tribus modis poteſt quis delectari: primò, de opere, & peccato ſolùm, hoc eſt, de ipſo furto, homicidio, bello, adulterio, & ſimplici fornicatione: ſecundò, de ipſa cogitatione, & ſpeculatiua cognitione duntaxat; dum occurrit aliquis ſubtilis modus operandi; qui inhærens animo, delectationem naturaliter parit: quod præcipuè poteſt accidere curioſis & affectis ad ſubtiles inuentiones, vt optimè notat Caietanus *in Summa, verbo, Delectatio moroſa, verſu, Rurſus ex parte.* Tertiò, de vtroque ſimul, hoc eſt, de opere, & peccato cogitato; & de cogitatione ipſa, ſeu ſpeculatiua cognitione.

Tribus modis fit delectatio de cogitatione. Caietan.

16. *De opere ſimul, & cogitatione delectatio eſt peccatum.* His notatis, certum, & indubitatum eſt apud omnes Authores, eum, qui delectatur de opere ipſo, & peccato cogitato; & eum, qui de vtroque ſimul delectatur, hoc eſt, de opere ſimul, & cogitatione, peccare mortaliter, ſi præcedat plena, & perfecta aduertentia, & deliberatio rationis. Ratio eſt: quia conſentit, & conquieſcit in opere, & peccato mortali volito, & præcognito: quare neceſſe eſt, vt mortaliter peccet; conſummatur enim peccatum in conſenſu, iuxta illud Chriſti Domini: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Nam non ei voluntas peccandi deeſt, ſed occaſio, vt *ibidem* notat D.Hieron. Et licèt difficile videatur diiudicare, vnde delectatio inſurgat, quando de vtroque ſimul quis delectatur; non erit tamen difficile diſcernere, quid hominem ad eam delectationem moueat, vt in ea ſiſtat, & ſibi complaceat: nam, ſi ſentit ſe moueri ab opere, vel peccato cogitato, iam habet delectationis naturam, & peccatum erit mortale, vel veniale, iuxta peccati cogitati mortalis, vel venialis materiam: ſi verò à cogitatione, ſeu ſpeculatione noua, mira, & ſubtili; dubium eſt, an mortale ſit, quod *in ſequenti numero* explicabimus.

Tota ergo dubitatio eſt, an delectatio moroſa, & conſenſus deliberatus voluntatis habitus de cogitatione, ſeu de ſpeculatione ipſius operis mali, ſit peccatum mortale. Qua de re partitur opinio. Prima affirmat eſſe peccatum mortale, ſecluſo etiam omni conſenſu formali ipſius actus, & operis mali, peccatíque. Probatur hæc opinio primò: quia delectatio cogitationis ſpeculatiuæ alicuius operis, & peccati mortalis neceſſariò inuoluit delectationem, & conſenſum ipſius operis mali: ergo neceſſariò, & interpretatiuè erit peccatum mortale: nam moraliter videtur impoſſibile, quòd aliquis delectetur in cogitatione ſpeculatiua operis mali, & peccati alicuius mortalis, quin ſimul delectetur in opere malo, aut ſaltem ſit affectus ad illud: quare neceſſariò in hac delectatione peccatum dabitur mortale: illa enim delectatio nihil aliud eſt, quàm tacita quædam approbatio, & complacentia ipſius operis mali. Secũdò, quia illa deliberatio, & delectatio de cogitatione ſpeculatiua, eſt mortaliter mala, non venialiter: quia non prouenit ex indeliberatione, ſed ex plena deliberatione: ergo eſt mortaliter mala: nam, vt docet D. Thom. ſtatim citandus, non delectamur de aliqua re, niſi illa ſit conformis noſtro appetitui rationabili, & deliberato: igitur non ſtat, quòd homo poſſit delectari de cogitationibus ſpeculatiuis rei turpis, quin ſimul in ea re turpi delectetur. Tertiò probatur ex D.Gregorio lib. 27. Moral. cap. 19. ad illud Ieremiæ 4. *Vſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Et ad illud Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Vbi D. Gregor. *Non ſolùm cogitationes, ſeu delectationes de operibus malis; ſed etiam cogitationes, & delectationes de ſpeculatione, & cogitatione ipſorum operum tanquàm lethiferè, & mortaliter peccaminoſas damnat,* Et ex D. Auguſt. 12. de Trinit. cap. 1. vbi ita aſſerit: *Totus homo damnabitur, niſi hæc, quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Et idem repetit lib. 12. de ciuitate Dei, cap. 12. Hæc ſunt fundamenta huius opinionis, quæ videtur eſſe D.Thom. 1.2. *q.* 74. *art.* 9. & 2.2. *q.* 154. *art.* 4. & *ibidem.* Caiet. & D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 24. Et idem tenet etiam Scotus *in* 2. *diſt.* 42. & Adrianus *in* 4. *q.* 6. *de Euchariſtia,* vbi ait, pollutionem, quæ ſequitur delectationem moroſam, impedire ſumptionem Euchariſtiæ: quia eſt interpretatiuè volita: quos omnes citat, ſed non ſequitur Corduba *lib.* 1. *q.* 23. *dub.* 11. *§. Hanc opinionẽ. fol. mihi* 210. *col.* 1.

17. *Cogitatio, ſeu ſpeculatio ipſius operis mali, an ſit peccatum mort.* *1. opinio affirmans.* Ierem. 4. Iob 31. D.Gregor. D.Auguſt. D.Thom. Caietan. D.Bonau. Scotus. Adrianus. Corduba.

Secunda

18. *2. opinio negans.* Sylueſter.

Secunda negat. Eam tenet expreſsè Sylueſter *verbo, Delectatio, num.2. §. Tertium.* qui falsò citatur à Corduba pro alia opinione: ibi enim ita aſſerit: *Delectatio peccati mortalis; putà, de fornicatione, ſemper eſt peccatum mortale: ſed delectatio de cogitatione peccati non eſt de ſe peccatum mortale; quia eius obiectum, putà cogitatio, de ſe non eſt peccatum mortale: quia poteſt eſſe cogitatio de peccato ſine peccato mortali, ſed cum veniali ſolùm; vt ſi inutiliter cogitetur; ſine tamen complacentia peccati, imò & ſine peccato omninò, vt cùm vtiliter cogitatur.* Hæc ille, id eſt, vt cùm de ingenioſa ſpeculatione illius cogitatur, & in ea ſpeculatione ingenioſa quis delectatur. Tenet etiam Caiet. *in Summa, verbo, Delectatio moroſa, verſu, Rurſus ex parte rei. ad fin.* Sanch. *tom.1. Decalogi, lib.1.c.2.n.4.& 5.* Valent. 1.2.q.74.*art* 8. *punct.3.verſu, Quartò, certum eſt.* Azor. *tom.1.inſtit. moral. c.6.q.1.* Vaſq.1.2.q.4. *art.1.diſp.15.c.5.n.26. & 27.art.8.diſp.109.c.1.n.1.* & Cordub. *lib.1.q.23. dub.11.§. Opinio ſecunda eſt. folio mihi 210.col.1.* & ſtatim *in initio dubij.* Et hanc tenent multi recẽtiores. Probatur facilè, primò: quia delectatio ſumit totam ſuam malitiam, deformitatem, & peccatum ab obiecto, cuius eſt delectatio: ſed obiectum delectationis huius cogitationis eſt ſpeculatio, ſeu potiùs cogitatio quædam noua, mira, ſubtilis, & ingenioſa, in qua ſubtilitate nullũ eſt peccatum: igitur nullum poteſt eſſe peccatum, nec veniale quidem. Confirmatur: quia talis delectatio, & conſenſus non eſt contra aliquod præceptum: non enim eſt contra illud: *Non mœchaberis.* neque contra illud: *Non cõcupiſces.* quia talis non vult mœchari, nec concupiſcere alienam, imò id ei omninò diſplicet: igitur nullum eſt peccatum talis delectatio. Secundò, quia illæ ſpeculationes, & cogitationes nouæ, & ſubtiles de rebus mortalibus non ſunt de ſe, nec ex genere ſuo malæ mortaliter, & moraliter, ſecluſo omni periculo conſentiendi in ipſis rebus: ſi enim eſſent mortaliter, & moraliter malæ, nulla honeſta cauſa poſſent cohoneſtari: igitur delectatio illarum non eſt mortaliter mala. Confirmatur: quia ipſa delectatio talis cogitationis, cum diſplicentia operis, non eſt delectatio de opere in ſe; ſed eſt delectatio de ſpeculatione operis; quæ quidem ſpeculatio de ſe bona eſt, & poteſt ſtare ſine delectatione ipſius operis: ergo & bona etiam erit delectatio illius: ergo falsò aſſerebat prima opinio, hanc delectationem cogitationis, & ſpeculationis ita eſſe coniunctam cum delectatione ipſius operis, vt neceſſariò virtualiter, & interpretatiuè de opere delectetur, qui de ſimplici cogitatione illius delectatur, cùm poſſit delectatio, complacentia, & volitio huius cogitationis ſtare cum expreſſa nolitione, & diſplicentia ipſius operis.

19. *2. opinio probabilior. Fundamenta primæ diſſoluuntur.*

Vtraque opinio ſatis probabilis eſt. Prima communior, ſed iſta ſecunda probabilior. Fundamenta primæ obiter ſoluta manent ex fundamentis huius ſecundæ. Solùm ad vltimum D. Gregor. & Auguſt. reſpondeo, eos locutos fuiſſe de conſenſu, & delectatione cogitationis ſimul cum conſenſu delectationis ipſius operis mortalis. Nec refert, quòd Auguſt. aſſerat, ob ſolam oblectationem cogitationis totum hominem eſſe damnandum: quia, vt benè explicat Corduba *lib.1.q.23. dub.11.verſ. Ad vltimum. in medio, folio* 210. *col.2.* voluit D. Auguſt. id tantùm ad ſummum eſſe veniale peccatũ, ob quod totus homo erit ad tempus in Purgatorio beatitudine priuandus, niſi in hac vita ſatisfaciat; vel, quòd is, qui contemnit iſta peccata venialia, facilè labi poteſt in mortale, ob quod perpetuò

Corduba.

damnabitur, ſicut etiam alibi dicit *in lib. de mendacio, cap.6.* & habetur *cap. Si quis.2.2.q.2.* quòd mentiendo pro vita etiam hominis ſaluanda, amittitur vita æterna: vbi non intelligitur, omne mendacium, etiam officioſum, eſſe mortale; ſed veniale tantùm: & quòd ad tempus priuat vita æterna, beatitudinéque, dũ pro eo in igne purgatorio ſatisfit.

CAPVT II.

An omnis cõſenſus, & delectatio moroſa de opere mortaliter malo, ſit peccatum mortale: & quid de delectatione, & conſenſu interpretatiuo, & negatiuo dicendum ſit.

SVMMARIVM.

Non ſolùm nobis lege naturali, & diuina prohibitus eſt actus externus peccati, ſed etiam conſenſus internus illius. num.1.

Delectatio moroſa, vel poteſt eſſe de actu, & peccato externo, vel de cogitatione ſpeculatiua illius. n.2.

Quid ſit conſenſus, & delectatio, formalis, & expreſſus. num.3.

Quid tacitus, & virtualis. num.4.5.& 6.

Expreſſus conſenſus, & delectatio de opere mortaliter illicito, eſt peccatum mortale, quando non eſt de ſpeculatiua cogitatione operis; ſed de opere ipſo externo. num.7.

Qui diſſentiant ab hac doctrina. num.8.

Procedit hæc doctrina non ſolùm quando opus eſt de ſe, & ex natura ſua malum; ſed etiam, quando malum, quia prohibitum. num.9 & 10.

In rebus iure naturali, & ex natura ſua malis verſatur conſenſus, & delectatio circa ſubſtantiam illarum: in rebus verò malis, quia prohibitis, circa circunſtantiam ipſius prohibitionis tantùm. n.11.

Quæ ſit differentia inter delectationem, & conſenſum voluntatis, citra commotionem corporis, & appetitus ſenſitiui; ſi hæc, aut illa eſſet vxor: & inter delectationem appetitus ſenſitiui cum prædicta commotione. num.12.

Non in ſola re venerea, ſed etiam in aliis rebus iure naturali, & humano prohibitis, delectatio appetitus ſenſitiui, ſi fortè detur, eſt peccatum mortale. n.13.

Interpretatiuus conſenſus, & delectatio, cum commotione appetitus ſenſitiui, ſufficit ad peccatum mortale, ſiue res ſit ex natura ſua mortaliter illicita, ſiue quia tantùm prohibita. num.14.

An, quando præcedenti plena aduertentia homo nec reprimit, nec acceptat delectationem rei mortalis; ſed merè negatiuè ſe habet; peccet mortaliter, modò abſit periculum conſenſus. Refertur prima opinio affirmans. num.15.

Quid, ſi detur cauſa iuſta non reprimendi, ſed negatiuè ſe habendi, & quæ illa ſit. num.16.

Refertur ſecunda communior negans. num.17.

Iudicium Authoris. num 18.

Quid, ſi detur periculum conſenſus. num.19.

NOTARI velim primò, non ſolùm in ſexto præcepto, ſed etiam in aliis, nobis eſſe prohibitum lege diuina, non tantùm externum actum illicitum, ſed etiam internum conſenſum, complacentiam, deſiderium, & gaudium rei venereæ, vel cuiuſcunque alterius prohibitæ; & in conſenſu, & gaudio illius conſiſtere moralem, & moroſam delectationem illius, vt *cap. præcedenti* diximus: non 1. *Internus cõſẽſus ad peccatũ in omnibus præceptis eſt prohibitus.*

ſolùm enim nobis prohibetur conſenſus in rem turpem, ſed etiam delectatio, quæ ſequitur ex re turpi cogitata: quia delectatio eiuſdem eſt malitię cum obiecto prohibito, vt docet D.Thom. 2.2. *q.62. art.7. ad 3.* Sotus *lib.4. de iuſt. q.7. art.3.* Nauarrus *cap.11.n.13. & cap.17.n.11.16.& 21.*

D.Thom. Sotus. Nauarr.

2. *Delectatio moroſa ad duo reducitur.*

Notari velim ſecundò, ea, quæ ad actum, & peccatum in delectatione moroſa tractanda ſunt, ad duo capita reduci poſſe; nempe ad actum externum ſeu rem ipſam, de qua habetur delectatio; & ad cogitationem, ſeu ſpeculationem ipſius actus, vt ſatis *cap. præcedenti, à num.* 18. explicauimus, & docent Caietan. *in Summa, verbo, Delectatio moroſa,* & Saytus *in Claui regia, lib.8. cap.7. de delectatione moroſa.*

Caietan. Saytus.

3. *Duplex eſt conſenſus. Expreſſus quis.*

Notari velim tertiò, conſenſum peccaminoſum, & deliberatum poſſe eſſe duplicem, expreſſum, & interpretatiuum; ſeu formalem, & virtualem. Expreſſus datur, quando homo poſt plenam aduertentiam rationis, comperit, aliquam cogitationem illicitam rei venereæ, vel cuiuſcunque alterius obiecti moraliter mali, mentem, ac voluntatem occupare; & in ea conquieſcit, ac delectatur, illámque vult, approbat, fouet, retinet, & nō reiicit, cùm poſſit illam optimè reiicere, vel immediatè per imperium voluntatis, vel mediatè remouendo occaſiones, & ſēſus externos ab obiectis, aut externa obiecta à ſenſibus externis, ac conſequenter ab internis.

4. *Interpretatiuus quis, & quotuplex.*

Interpretatiuus, ſeu tacitus, aut virtualis conſenſus triplex eſſe poteſt. Primus eſt, quando aliquis licèt explicitè nolit ipſam delectationem formaliter in ſe; liberè tamen facit aliquid, quod eſt cauſa illius, aduertens optimè, eam inde ordinariè pullulare. V. c. aduertis optimè, plenè, & perfectè, te ſolitum eſſe peccare ex eo, quòd illam, vel illam fœminam aſpicias; & nihilominùs vis illam aſpicere: quanuis in ſe, & formaliter nolis peccatum; tamen interpretatiuè, & in cauſa illud vis, cùm poſſis illam cauſam reiicere, & non vis: nam, qui vult cauſam, neceſſariò conſequenter, & interpretatiuè vult effectum ex tali cauſa reſultantem. Ita explicant interpretatiuum conſenſum Corduba *lib.1. q.23. dub.10. verſu, Igitur reſolutoriè. folio mihi 207. col. 2.* & Sayrus *in Claui regia, lib.8. cap.7. à num.1.* & communiter Doctores.

Corduba. Sayrus.

5. Secundus eſt, quando huiuſmodi cauſam non deſideras, neque illam procuras liberè; ſed optimè, ac perfectè aduertis aliunde ex ſpeciebus rememoratiuis abſque tua culpa cauſatam, verbi cauſa, in ſomnis; & non reſiſtis, nec tibi diſplicet; ſed merè negatiuè te habes erga affectum venereum, quem talis commotio cauſat; retinendo tamen cauſam illius, quæ à principio in te ſine culpa data fuit.

6. Tertius eſt, quando in te eſt cauſata delectatio illicita, quam non aduertis eſſe illicitam; tenebaris tamen aduertere, ſi res, de qua talis delectatio habetur, erat iure diuino, ac naturali prohibita, vt *infrà* videbitur. His notatis,

7. *1. concluſio.*

Sic ſtatuo primò. Certiſſimum eſt apud Theologos, expreſſum conſenſum, & delectationem de opere mortaliter illicito, eſſe peccatum mortale, quando ipſe conſenſus non terminatur ad cognitionem, aut ſpeculationem operis; ſed ad externum actū ipſius operis. Ita docet D.Thom. 1.2. *q.74. art.8.* Thomiſtæ omnes cū Caietano ad eum locū, quem poſteà vniuerſi penè Theologi vno, aut altero excepto, ſequuntur, probántque latiſſimè, & doctiſſimè multis Doctorum, ac Sanctorū rationibus, & teſtimoniis adductis, Vaſq. 1.2. *dicta q.74. art.8. diſp.109. toto cap. 3.* & Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib.4. cap.6. q. 1.* & alij, quos citabimus *num.13.* quos ſequitur Sanchez *tom.1. Decalogi, lib.1. cap.2. num.* 8. Ratio eſt, primò: quia illa delectatio, & conſenſus eſt actus humanus plenè liber cum plena aduertentia rationis; & eſt conſenſus, & delectatio obiecti mortaliter mali, & moraliter prohibiti iure naturali, diuino, vel humano: ergo eſt mortaliter illicitus, & peccatum mortale: nam, teſte Ariſtotele *lib.1. Ethicorum, cap.3. ad finem, & c.5.* eiuſdem bonitatis, & malitiæ ſunt operatio, & eius conſenſus, & delectatio. Secundò, quia malum morale eſt rectæ rationi diſſentaneum: ergo rectæ voluntati diſplicere debet: ergo, ſi non diſplicet, ſed ei conſentit, & in eo delectatur, peccat mortaliter, quando moralitas eſt grauis, & ad peccatum mortale attingens: venialiter, quando eſt venialis. Tertiò, quia ille conſenſus, & delectationis internæ actus, eſt quidam motus in rem illicitam: ergo eſt eiuſdem malitiæ cum illa.

D.Thom. Caietan. Vaſquez. Azor. Sanchez. Ariſtoteles.

Ab hac veriſſima doctrina Martinus à Magiſtris, quem pauciſſimi ſecuti ſunt, deuiauit, quem citat Corduba *in ſuo quæſtionario, lib. 1. q.23. dub.1.* & quos tacito nomine reprobat D.Thom. 1. 2. *q.74. art.8.* & communiter Doctores improbant: auſus eſt enim dicere Martinus à Magiſtris, moralem, & moroſam delectationem de re mortali non eſſe peccatum mortale: quia in præceptis diuinis, & humanis ſola opera, & deſideria ipſis contraria nobis prohibentur; & non conſenſus, ac delectatio circa illa: quam illius, ac illorum ſententiam meritò vocat Azor. citatus, temeratiam: quod iam ex rationibus modò factis patet. 8.

Moroſam delectationem de re mortali non eſſe peccatum mort. ſentientes reprobantur. Mart. à Magiſt. Cordub. D.Thom.

Doctrinam tamen noſtræ primæ concluſionis volunt nonnulli Authores limitare, temperaréque, vt intelligatur, quando delectatio capitur de rebus per ſe malis; hoc eſt, iure naturali, aut diuino vetitis: ſecùs, ſi ſit de rebus ſolo iure poſitiuo, & humano, præceptis humanis prohibitis: vt, ſi quis in die ieiunij delectetur de cœna etiam temperata, aut eſu carnium cogitatis, non peccabit; ſed tunc tantùm, cùm delectatur in eis, quatenus lege humana, & eccleſiaſtica, cœna eſt interdicta. Sic temperant Gabriel *in 4. diſt. 15. q.13. art.3. dub.3.* Roſella *verbo, Ludus, n.2.* Cordub. *lib.2. q.23.* Vaſq. *1.2. q.74. art.8. diſp.110. aliàs 111. toto cap.2.* Leſſius *lib.4. de iuſt. c.3. dub.15 n.113. & duplici ſequenti.* 9.

Limitatur prima concluſio ab aliquibus. Gabriel. Roſella. Corduba. Vaſquez. Leſſius.

Sed non benè limitant, vt optimè docent Sanchez *tom.1. Decalogi, lib.1. cap.2. n.10. verſu, Sed hos.* & Azor. *tom.1. inſt. moral. lib. 4. q.1.* & Medina *c. de Reſtitutione, q.21. verſu, Mihi tamen.* & omnes, quos citabimus *infrà, num.* 12. quia, quòd cogitans de cœna, aut eſu carnium in die ieiunij, & de illis delectationem capiens non peccet, ideò eſt, quia non illam capit ex re mala, quatenus eſt mala; ſed ex illorum actuum ſubſtantia, quæ quid bonum eſt, non ex circunſtantia, & deformitate diei ieiunij, in quo prohibetur: nam, ſi de cœna ſub hac circunſtātia, & deformitate, ſeu moralitate delectaretur; idem iuris eſſet de illa, atque de aliis per ſe malis, & diuino, aut naturali præcepto, ac iure prohibitis: in omnibus enim, quoad malitiam, & bonitatem, procedit eadem ratio: nam etiam in iis, quæ ſunt mala; quia iure diuino, & naturali ſunt prohibita; delectari quis poteſt, quatenus in eis aliqua bonitatis ratio reperiri poteſt, vt in cogitatione, & ſpeculatione illarum, quatenus eſt quid nouum, & ingenioſum inuentum, vt probauimus *cap. 1. num. 19.* tunc enim ea delectatio 10.

Supradicta limitatio reprobatur. Sanchez. Azor. Medina.

non

non eſt de re illa, quatenus eſt mala moraliter, & per ſe iure naturæ prohibita: ſed, quatenus miro modo,& ingenioſo fieri poteſt;& quatenus eſt mira, rara, & ingenioſa; & ſic quatenus eſt bona, vt docent omnes,quos citauimus *in cap.præced. n.*19.

11. *Differentia inter rem iure diuino, & naturali; & iure humano, ac poſitiuo prohibitā.*

Ea tamen differentia inter vtranque rem iure diuino, & naturali, & iure humano, ac poſitiuo prohibitam aliquando reperitur,quòd in rebus intrinſecè,& de ſe malis,ac adeò iure naturali prohibitis,verſatur delectatio capta circa ipſorū actuum ſubſtantiam;in rebus verò extrinſecè malis,& quæ tantùm ſunt malæ, quia ſunt humano iure prohibitæ, verſatur circa circunſtantiam, & deformitatem prohibitionis: quia res illa eo præcepto humano prohibita eſt: vt cœna in die ieiunij, & auditio Sacri in maiori Sacello ſub excommunicatione prohibita, non eſt de ſe mala; ſed ſolùm eſt mala ab extrinſeco poſt legem,ac præceptum prohibens:vnde, quia ea ſubſtātia eſt bona,poteſt malitia ab extrinſeco ab ea re per appetitum rationabilem,& voluntatem ſeparari, licèt appetitus ſenſitiuus in ſola comeſtione, quæ ex ſe bona eſt, occupetur.

12. *Argumentū Vaſquez refellitur.*

Neque obſtat Achillæum argumentum, quo Vaſq. *num.* 9. allegatus hanc rationem, & diſtinctionem impugnat;nempe,hinc ſequi, poſſe quenquam delectari de copula apprehenſa in eo ſtatu, in quo hæc,vel illa mulier eſſet vxor ſua:quia tunc pro eo ſtatu ea ſubſtantia eſt licita, & bona. Reſpondetur enim, id veriſſimum eſſe, loquendo de appetitus rationabilis delectatione; ſecùs de delectatione appetitus ſenſitiui: nam delectatio appetitus rationabilis de obiecto conditionali,& tali, quòd poſita ea conditione eſſet licitum, & ſublata illicitum, ſecluſo periculo conſenſus commotionis,ac delectationis in parte ſenſitiua: vt gaudium voluntatis de copula huius, aut illius fœminæ, ſi eſſet vxor;non eſt illicita,ſed licita:at delectatio appetitus ſenſitiui de eodem obiecto eſt mortaliter illicita,vt docet Sanchez *tom.*1. *Decalogi,lib.*1.*c.*2. *num.*34.nam ea delectatio appetitus ſenſitiui oritur ex corporis commotione, & libidinoſa prurigine, quæ ex tali imaginatione naturaliter ſequi ſolet;& ideò illa delectatio fertur in obiectum,vt in ſe eſt, ac omni conditione deſtitutum: quare, cùm tale obiectum prædicta conditione nudum,ſit mortale; delectatio quoque mortalis erit. Cùm verò delectatio voluntatis, ſecluſa commotione corporis,& prurigine appetitus ſenſitiui,& ſpirituum vitalium inſeruiētium generationi, feratur in obiectum ſub conditione apprehenſum,ſub qua caret malitia;nō eſt, cur damnetur, niſi aliqua extrinſeca periculi circunſtantia ei addatur: illa enim voluntatis delectatio nihil aliud eſt, quàm ſimplex voluntatis motus,ac complacentia quædam, & quies in bono apprehenſo,vt expreſsè tradit D.Th. 1.2.*q.*3.*art.*4.

Sanchez. D.Thom.

13. *Delectatio appetitus ſēſitiui de re quacūque,& actu mortali,eſt mortalis.*

Reiectis igitur huiuſmodi limitationibus, non eſt recedendum à communi ſententia,quam tradidimus *n.*7. Vnde non in ſola luxuria; ſed in aliis etiam rebus vniuerſis iure naturali, & humano prohibitis exiſtimo, delectationem appetitus ſenſitiui de re, & actu mortali, eſſe mortalem: quia rationes adductæ *dicto num.*7. id probant egregiè. Et ita docere videtur D.Thom. 1.2.*q.*74.*art.*8. Licèt enim in corpore de ſola delectatione rei venereæ loquatur; eius tamen ratio probat de omni delectatione, cuius obiectum mortale eſt peccatum. Quare in ſolutione ad tertium dicit, delectationem de homicidio cogitato eſſe mortalem. Et hoc tenent etiam D. Bonauent. *in* 2.*diſt.* 24. *in* 2.*part.in expoſitione literæ,n.*53.Durand.*ibi, q.*6.*n.*5. Conrad.& Caietan.*dicto art.*8.*& in Summa,verbo, Delectatio,verſu, Rurſus ex parte.* Sylueſter *verbo, Delectatio,q.*1. Armilla *ibidem, n.*2.Angelus *verbo, Cogitatio, num.*2. Petrus de Soto *de inſt. Sacerdot. tract.de diſcrimine peccatorū,ſect.*9.*verſu, At verò.* Nauarrus *in Summa,c.*11.*n.*13.Leſſius *lib.*4.*de iuſtitia,cap.*3.*dub.*15.*n.*112. Et idem tradunt ferè omnes alij Doctores: ſed potiùs in re venerea, quàm in aliis vitiis exempla huius delectationis exponunt, quòd frequentiùs in illa contingat, & in ea particularem quandam turpitudinem habeat, propter commotionem ſpirituum vitalium generationi inſeruientium, & appetitus ſenſitiui pruriginem,quæ in aliis vitiis,vel non datur; vel,ſi datur, non ita percipitur.

D.Thom. D.Bonau. Durand. Conrad. Caietan. Sylueſter. Armilla. Angelus. Soto. Nauarrus. Leſſius.

An autem tacitus, & interpretatiuus conſenſus in re ſub mortali peccato prohibita, ſiue intrinſecè, & iure naturæ ſit de ſe mala,& prohibita, ſiue extrinſecè,& ſola lege,& iure poſitiuo, eſt dubium, pro quo ſic ſtatuo hanc ſecundam concluſionem.Vt detur mortiferum peccatum,ſufficit interpretatiuus, ſeu tacitus conſenſus, ac delectatio de obiecto quocunque modo mortaliter illicito; hoc eſt,ſiue illud ſit ex natura ſua intrinſecè, & iure naturali malum; & ideò prohibitum: ſiue extrinſecè,& ex ſola lege, & iure poſitiuo: (qui autem interpretatiuus conſenſus ſit, rectè concluditur ex num.4.5.& 6.) Eſt communior hæc opinio: & patebit ſtatim *ex numero ſequenti.* Eam docet D.Thomas 1. 2. *q.*74. *art.* 8. Sayrus *in Claui regia, lib.*8.*cap.*7.*num.*3.Azor.*tom.*1.*inſtit.moral.lib.*4.*c.*6. *q.*5. Valentia *tom.*2.*diſp.*6. *q.*4. *punct.* 3. & omnes, qui dicunt,peccare illum mortaliter, qui merè negatiuè ſe habet circa conſenſum, & delectationem moroſā rei mortalis,& nec reprimit, nec acceptat, cùm poſſit reprimere, aut acceptare; ſed ſolùm permittit, ſecluſo omni periculo expreſsè conſentiendi in ea,quos citabimus *num.ſequenti:* quia eſt tacitus, interpretatiuus, indirectúſque conſenſus. Ratio eſt primò: quia poſita plena,& perfecta rationis aduertentia, omnis actus moralis, & humanus ſub mortali prohibitus eſt peccatum mortale: ergo, qui non repellit cauſam illius, cùm poſſit, neceſſariò, & interpretatiuè actum vult: qui enim vult cauſam, neceſſariò vult effectum, qui ex tali cauſa ſequitur. Secundò, hoc euidentiùs patet in re venerea: quia cogitatio venerea, & delectatio, quæ fit cum prurigine appetitus ſenſitiui, & in corde reſidentis, naturalique commotione, ac excitatione ſpirituum vitalium generationi inſeruientium,de ſe allicit,& attrahit mentem, & voluntatem ad conſenſum: ergo,qui vult illam cogitationem, & pruriginem; neceſſariò interpretatiuè vult talem conſenſum; quantumuis putet ſe habere merè negatiuè erga illum. Sed hoc ampliùs, & perfectiùs patebit ex reſolutione dubij ſequentis. 14.

2.concluſio. D.Thom. Sayrus. Azor. Valentia.

15. *An ſit peccatum mortale negatiuè ſe habere circa delectationē moroſam, & non poſitiuè reſiſtere.*

Dubium ergo eſt hoc tempore ſatis diſcuſſum, & nunquam ſatis euiſceratum, an, quando præcedenti plena rationis aduertentia homo per voluntatem nec reprimit, nec acceptat expreſsè delectationem, & pruriginem ſine præuiſione periculi pollutionis cum firmo, & expreſſo propoſito, & bona experientia, non conſentiendi formaliter in illa, imò ceſſante omni periculo conſentiendi, & pollutionis futuræ,peccet mortaliter.Qua de re eſt duplex ſententia. Prima affirmat eſſe peccatum mortale, negatiuè ſe habere, & poſitiuè non reſiſtere. Eam docent omnes citati *numero*

1. opinio affirmans.

Valentia. Sayrus. Leſſius. Sumel. Vaſques.

præcedenti. Docet etiam Valentia 1. 2. *diſp.* 6. *q.*4. *punct.* 3. *verſu*, *Nihilominus contraria.* Sayrus *in Claui, lib.*8. *cap.*7. *num.*3. Leſſius *lib.*4. *de iuſt. c.*3. *n.*117. Sumel. 1. 2. *q.*74. *art.*8. *diſp.*2. & Vaſq. 1. 2. *tom.* 1. *diſp.* 108. *cap.* 2. & alij recentiores, quibus contraria opinio videtur improbabilis. Probant primò: quia tam liberum, & voluntarium videtur reſpectu peccati non reprimere illos motus appetitus iraſcentis, vel ſenſitiui, quos ratio plenè, & perfectè aduertit, ac expreſsè cõſentire in illis: ergo idem eſt tunc illos non reprimere, aut cauſam illorum antecedenter non reiicere, ac in illis conſentire. Secundò, quia, qui non repellit, & reiicit cauſam libidinis, in qua periculum conſentiendi ineſt, cùm poſſit; tacitè, & implicitè videtur conſentire: atqui ſemper hoc periculum ineſt in tali cauſa, & motu corporis, quamuis homo habeat propoſitum formale non conſentiendi: ſemper enim ea turpis, & obſcœna commotio, & cogitatio, vel quacunque alia ratione mala, de ſe allicit, & attrahit appetitũ, & animum ad conſenſum: ergo, qui hanc cauſam, & periculum expreſsè nõ reiicit, implicitè illud vult, ac proinde peccat mortaliter: quia, qui amat periculum, peribit in illo. Tertiò, quia voluntas tenetur appetitum ſenſitiuum ſemper gubernare; & maximè, quando abſque magna difficultate poteſt: ergo, ſi illud non gubernet, reiiciendo, & repellẽdo in eo cauſam peccati, peccat mortaliter: nam, cùm ſit in materia lubrica, & mortali, eius omiſſio mortalis erit. Quartò, quia nunquam accidit, quod contrarij ſupponunt, nempe, voluntatem negatiuè ſe habere, dum appetitus ſenſitiuus ardet, & delectatur: ſed hæc delectatio appetitus ſenſitiui, & corporalis, in ipſam voluntatem naturaliter tranſmittitur, ſicut cognitio ſenſus in intellectum: ergo, ſi voluntas eam expreſsè non reiicit; ſed negatiuè ſe habeat, neceſſariò illam recipit, fouet, & amplectitur.

Cauſa an aliqua ſit iuſta, delectationẽ moroſam nõ repellendi.

16. Aſſerit tamen hæc opinio, poſſe dari iuſtam cauſam non repellendi illam expreſsè; & conſequenter, negatiuè ſe habendi: & tunc data ea cauſa non eſſe peccatum mortale negatiuè ſe circa illam habere. Cauſam autem iuſtam non repellendi eſſe primò, ſi meritò timet, quòd ex illo conatu reprimendi, ac reſiſtendi, in turpiores, & grauiores delectationes, & conſenſus prolabatur. Secundò, ſi quis in ſe experitur delectationem ſenſitiuam in eo magis roborari, quò ei magis reſiſtit: quia, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.*35. *art.* 1. *ad* 4. hæc aliquando faciliùs fuga, quàm pugna ſuperantur. Tertiò, ſi quis laboret in ea expellenda, & experiatur ſe nihil efficere; ſed in eadem eodem modo permanere: tunc enim non peccabit, ſi eam reſiſtentiam omittat, & nihil ampliùs in ea expellenda immoretur; id enim eſt potiùs pati, & ea paſſione moleſtari, quàm in ea conſentire: ſatis enim eſt in eo caſu, ſi non conſentiat, & voluntatem auerſam habeat. Et has cauſas affert Azor. *tomo* 1. *inſtitut. moral. lib.* 4. *cap.*6. *q.*5. §. *Vt propoſitam.* & eas approbat Sanchez *tom.*1. *Decalogi, lib.*1. *cap.*2. *num.*12. & Graphis *lib.*2. *deciſion. aur. cap.* 68. *num.*4. Cuius rei ratio reddi poteſt: quia, ſi voluntas abſque iuſta cauſa non tenetur hunc motum, ac delectationem ſenſitiuam reprimere; ſed poteſt citra periculum conſentiendi, negatiuè ſe habere; id non eſt peccatum mortale; ſed veniale tantùm ad ſummum, vt docent Authores ſecundæ, & contrariæ opinionis; ſequitur, vt cum iuſta cauſa nullum ſit peccatum, nec veniale quidem: cauſa enim iuſta rem cohoneſtat.

D.Thom.

Azor. Sanchez. Graphis.

2. Opinio cõmunior negat.

17. Secunda opinio communiter recepta negat, & docet, non teneri hominem ſub culpa lethali poſitiuè reſiſtere; & cauſam, ac commotionem, ſeu delectationem ſenſitiuam reprimere; ſed poſſe negatiuè ſe habere; & commotionem, ac pruriginem pati; ſecluſo omni periculo conſentiendi, tam in ipſo actu commiſſionis, quàm in præuiſa futura pollutione; maximè ſi habeat voluntatem, & fixum propoſitum non conſentiendi, & bonam experientiam ſuæ fortitudinis. Hanc tenet D. Thomas *de veritate*, *q.* 15. *artic.*4. *ad* 10. D. Bonauent. *in* 2. *diſt.*24. *in* 2. *præcepto*, *in expoſitione literæ*, *num.*50. *&* *art.* 2. *q.* 2. *num.* 75. vbi addit, non eſſe certum, eſſe mortiferum, etiam cum conſenſus periculo. Gerſon 2. *p. tr. de delect. moroſa, alphabeto* 30. *litera C.* Nauarrus *in Summa, cap.*11. *num.*12. *&* 13. *verſu, Quartum.* Adrian. *in* 4. *q.*3. *de Euchariſtia*, *quæ incipit*, *Quia dictum eſt, quòd ſomnus. verſu, Et circa hanc aduerte.* Caiet. *in Summa, verbo, Delectatio, verſu, Magnæ tamen.* Roſella *verbo, Delectatio, n.* 1. Armilla *ibi, num.*2. & *verbo, Cogitatio, n.*3. Angelus *verbo etiam, Cogitatio, n.*2. Tabiena *ibi, q.*6. Sylueſt. *verbo, Delectatio moroſa, q.*1. *verſu, Quartum.* Corduba *lib.*1. *q.*23. *dub.*10. *ad ſeptimam. verſu, Igitur reſolutiuè.* Sotus *in* 4. *diſt.*12. *q.*1. *art.*7. *concluſ.*1. Toledo *lib.*5. *Summæ, cap.*14. *num. penult.* Alcocer *in Summa, cap.*5. *concluſ.*11. & *cap.* 20. *folio* 72. *verſ. El deleite.* Metina 1. 2. *q.*74. *art.*6. *documento* 5. *folio* 675. Rodriq. *tom.*1. *Summæ, in* 2. *editione*, *cap.*212. *n.*1. *&* 3. & multi alij. Ratio, & fundamentum eſt: quia, quando homo fortis, & qui experientiam ſui habet, firmum propoſitum concipit nõ conſentiendi, ſi merè negatiuè ſe habet, ceſſat omne periculum conſenſus voluntatis: ceſſante autem hoc periculo, patitur potiùs, & meretur, quàm condelectatur, & demeretur. Secundò, quia tota culpæ mortalis ratio in hoc caſu in periculo conſenſus conſiſtit, ac ſita eſt: ergo, ceſſante hoc periculo, nulla culpa mortalis ibi dabitur. Tertiò, quia, qui patitur pruriginem partis ſenſitiuæ firmus, ne voluntas aſſenſum ei præſtet; nec formaliter, nec interpretatiuè tali prurigini conſentit; nec conſenſus formalis, vel interpretatiuus colligitur ex animo: atqui per firmum propoſitum non conſentiendi excludit interpretatiuum animum conſentiẽdi: ergo nullo modo peccat; aut ſaltem, ſi peccat, venialiter tantũ peccat.

D.Thom. D.Bonau. Gerſon. Nauarrus. Adrian. Caietanus. Roſella. Armilla. Angelus. Tabiena. Syluester. Corduba. Sotus. Toledo. Alcocer. Metina. Rodriquez.

Quid de his opinionibus ſentiat Author.

18. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones: vtraque probabilis. Prima, practicè loquendo, ſemper eſt certa, & vera: iſta ſecunda, & poſterior, ſpeculatiuè loquendo, & in rigore metaphyſico, eſt probabilior. Et ita ſentit etiam expreſsè Sanchez *tomo* 1. *Decalogi, cap.*2. *num.*13. *verſu, Sed vtranque ſententiam.* Et ratio eſt: quia, etſi voluntas appetitum ſenſitiuum gubernare teneatur, ſatis ſuæ obligationi ſatisfacit, negatiuè ſe habendo, & gubernando, ne conſentiat. Et hæc prima, & præcipua obligatio voluntatis eſt, ſe, ſcilicet, taliter gubernare, vt appetitui non conſentiat, reſiſtendo poſitiuè, & magna cura: nec opus eſt, vt antecedenter teneatur remouere omnem cauſam talis pruriginis, & commotionis, ſi hîc, & nunc negatiuè ſe habeat; & ita ſe habendo, iudicat non conſenſuram: nam hæc ſecunda obligatio, remouendi cauſam pruriginis, & commotionis, ſi in ea voluntas deficiat, ſolùm inducit venialem culpam ex exiguitate materiæ, non mortalem; ſicut homo tenetur ſolùm ſub mortali reſiſtere ſimpliciter, & abſolutè, non conſentiendo tentationibus, negatiuè ſe habendo: at reſiſtere magna cura,

Sanchez.

tenetur

tenetur ſolùm ſecundùm quid:&,ſi in hac ſecunda obligatione deficiat, tepidè reſiſtendo, ſolùm peccabit venialiter,vt docet idem Sanchez allegatus.

19. Si tamen voluntas negatiuè ſe habeat,& habeat diſplicentiam actus , & propoſitum formale non conſentiendi in illo , & ſic non reſiſtat actu , & poſitiuè ; & detur aliquod præuiſum periculum pollutionis ; tunc quidem culpa eſſet mortalis negatiuè ſe habere , & poſitiuè non reſiſtere, in quo caſu veriſſima erit prima opinio , vt optimè docet Sanchez *dict. tom.1. Decalogi, c.2. n.14.* & probat doctiſſimè *lib.9. de matr. diſp.45.n.25.* Quia quantùis ſit probabiliſſimum,non eſſe peccatum mortale,ceſſante periculo conſenſus, voluntatem negatiuè ſe habere:at,ſi periculum pollutionis adſit,periculum eſt mortale,cui homo ſe exponit : quare tenetur ſub mortali auferre cauſas proximas notabiliter ad pollutionem concurrentes:& ideò mortale eſt, negatiuè tunc ſe habere : imò mortale eſt, tunc tepidè , & non viriliter reſiſtere , præuiſo eo periculo , vt optimè docet Sanchez allegatus *his duobus locis* ; & Syluester , *verbo ; Delectatio , 1. icto* 4.

Sanchez. Sanchez. Syluester.

20. Ad primum argumentum primæ opinionis, nego aſſumptum : quia ſatis ſuæ obligationi ſatisfacit voluntas , ſi reſiſtat negatiuè, vt dixi , quando probabilem experientiam quis habet non conſentiendi, & ſuæ fortitudinis , vt explicatum eſt. Ad ſecundum nego interpretatiuè illum , qui poſitiuè non reſiſtit , ac reiicit commotionem partis ſenſitiuæ , ſi negatiuè ſe habeat voluntas circa conſenſum talis commotionis , præcedenti propoſito firmo non conſentiendi , & experientia , quam quis habet , quòd non ſit ſolitus conſentire : & conſequenter nego in hoc, moraliter loquendo , ſemper eſſe periculum conſentiendi,niſi detur actualis, & poſitiua reſiſtentia. Tertium argumentum ſolutum manet. Ad quartum nego , hanc delectationem , & conſenſum appetitus ſenſitiui naturaliter tranſmitti , & deriuari in voluntatem , ſicut deriuatur , & tranſmittitur cognitio ſenſus in intellectum : deriuatur enim hæc cognitio naturaliter ; & illa delectatio moraliter : vnde eſt diuerſa omninò ratio.

Argumenta primæ opinionis diſſoluuntur.

CAPVT III.

An deſiderium conditionale, quo quis aliquid voluntate intenſa vult, ſi eſſet licitum, *ſit mortale ; & an delectatio præſens orta ex tali deſiderio ſit licita, vel illicita.*

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus quæſtionis. num.1.

Refertur prima opinio docens , non eſſe mortale expreſſum deſiderium voluntatis conditionale : vt, cùm quis ita deſiderat:Raperem aliena bona;adulterium committerem;copulam cum illa, vel illa haberem,ſi id eſſet licitum,ſi eſſet mea vxor,modò ſine commotione appetitus ſenſitiui habeatur. num.2.

Præfertur ſecunda opinio verior , & probabilior aſſerens, primam opinionem veram eſſe in rebus,quæ iure naturæ non prohibentur,& intrinſecè non ſunt mala ; ſecus in rebus,quæ ex obiecto ſunt mala,& iure naturali prohibitæ. num.3.& 4.

Quid, ſi aliquis, videns ſe fragilem eſſe,deſideret intenſè fornicationem non eſſe illicitam. num.5.

Quid, ſi res illæ,& peccata,quæ ſunt intrinſecè mala, & iure naturæ prohibita , eſſent in aliquo ſtatu licita,& conditio apponeretur pro tempore,quo eſſent licita ; vt ſi quis deſideret accedere ad aliquam, ſi eſſet vxor ſua. num.6.

Quid,ſi hoc deſideret cum aliqua corporis prurigine. num. 14. 15. & 16.

Quid,ſi voto ligatus caſtitatis deſiderium copulæ habeat ſub conditione,ſi adeſſet matrimonium. n.7.

Quid, ſi non eſſet deſiderium efficax , ſed ſignificatio tantùm, & propenſio voluntatis. num.8.

Quid de actu hoc: Niſi meum ſtatum Religioſi ſpectarem, vindictam ſumerem, adulterium committerem, aut libidinem ſatisfacerem. num.9.

Quid de hoc : Si alio tempore hoc mihi contigiſſet, quando eram iunior, ego me vindicaſſem,ego illum occidiſſem. num.10.

Quid de hoc:Si Deus vellet,vt Petrus moreretur,ego gauderem. num.11.

Quid de hoc : Si non timerem Deum, ieiunium frangerem. num.12 & 13.

Cætera quæ notantur numero 14. 15. & 16. iam tacta ſunt num.6.

1. VIDET quis,v. c. hanc,vel illam fœminam, hanc,vel illam gemmam, & intenſum elicit hoc deſiderium : Ego hanc gemmam raperem , ſi furtum eſſet licitum ; copulam cum illa haberem , ſi eſſet mea vxor. quæro , an hoc deſiderium , & voluntas ſit mortale , & de illo agimus *num.13.* non de delectatione orta ex tali deſiderio.

Status quæſtionis.

2. Qua de re eſt duplex opinio. Prima docet, non eſſe mortale deſiderium , & conſenſum intenſum conditionalem,quo quis aliquid vult , ſi id ei eſſet licitum, vt, raperem aliena bona,occiderem,adulterium committerem , ſi eſſet licitum ; modò ſine commotione appetitus ſenſitiui habeatur. Hanc tenet Caietanus *in Summa , verbo, Cogitatio,* & *ibi* Fumus *num.* 1. Saà *verbo , Peccatum, num.2.* Alcocer. *in Summa , cap.6. doctrina* 2. Rodriques *tom.1. Summæ , in ſecunda editione , cap.12.num.2.* Et expreſsè Vaſquez 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *diſp.* 16. *cap.2. num.*4. vbi dicit , non eſſe mortale propoſitum intenſum vindictæ ſumendæ , ſi licuerit. Et Sayr. *in Claui regia , lib.* 8. *cap.7. num.* 28. & 29. Fundamentum illorum eſt : quia , quamuis conditio illa nihil ponat in natura obiecti voliti , & ſemper illud relinquat malum ; ponit tamen in voluntate affectum non admittendi peccata , poſita illa prædicta conditione , non auferente malitiam obiecti. Vnde , cùm ea conditio ſumatur ex parte voluntatis , ea adiecta excludetur tota voluntas peccandi.

1. opinio. Caietanus. Fumus. Saà. Alcocer. Rodriques. Vaſquez. Sayrus.

3. Secunda opinio verior, & probabilior docet, id ſolùm verum eſſe in iis rebus,& obiectis,quæ ſolo iure eccleſiaſtico , vel poſitiuo prohibentur ; non verò in his, quæ ſolo iure naturali ſunt prohibitæ; vt in his actibus , comederem carnes in Quadrageſima, non audirem Sacrum in diebus feſtis , niſi Eccleſia prohibuiſſet : ingrederer hos locos ſacros, niſi id ſub excommunicatione eſſet prohibitum. Ex his coniice alia exempla. Secùs de illis , quæ iure naturali ſunt interdicta,vt,occiderem,furarer, adulterium , & fornicationem committerem , niſi eſſet peccatum. Hanc tenet expreſsè Sáchez *tom.1. Decalogi, cap.2.n.23.* Adrian. *quodlibeto* 10. *art.2. concl.1. in eius corollario,litera L, & R,* Azor. *tom.1.*

2. opinio. Sanchez. Adrian. Azor.

Probatur primò. *inſtit. moral. lib.* 4. *cap.*6. *q.*10. Ratio diſcriminis eſt: quia, cùm res prioris generis, quæ ſolo iure poſitiuo ſunt prohibitæ, non ſint intrinſecè malæ; poteſt ab eis per conditionem adiectam malitia auferri, nec conditio contradictionem implicat: & poteſt quis optare eas res non eſſe malas; quia id aliud non eſt, quàm optare, quòd Eccleſia id non prohibuiſſet: at res poſterioris generis ſunt intrinſecè, & ex natura ſua malæ, ac proinde abſque ſua malitia cognoſci nequeunt: ergo nec amari, nec deſiderari: nihil enim volitum, quin præcognitum. Vnde conditio illa negans eis hanc malitiam, inuoluit contradictionem. Neque obſtat, quòd illa conditio habeatur ex parte voluntatis: quia voluntas non poteſt efficaci deſiderio velle illam rem, niſi vt ab intellectu cognoſci poteſt: nunquam autem cognoſci poteſt abſque ſua mala, & intrinſeca natura: ergo, etiamſi habebat ſe ex parte voluntatis, non excludet ab ea peccatum in volitione efficaci.

4. *Probatur ſecundò.* Secundò, quia, etiamſi detur illa conditio ex parte voluntatis; tamen adhuc ea poſita conditione, id nihil aliud eſt, quàm velle, vt ea, quæ ſunt iure naturæ mala, liceant, & bona ſint; & ſic nihil aliud eſt, quàm velle, vt rerum naturæ inuertantur, vt ſuam libidinem perpetuò expleant: quod eſt in maiori malo complacere, quàm ſit homicidium, aut fornicationem ſemel committere: & ſic eſt maius, ac deterius peccatum: peius enim eſt hæc perpetuò licere, quàm ſemel committi. *Probatur tertiò.* Tertiò, quia nemo dubitabit, hunc actum eſſe culpam mortalem: Si eſſet licitum, deſtruerem Deum. cùm tamen conditio hæc ex parte voluntatis poſita rationem malitiæ auferre videatur.

5. *Doctrina Vaſquez reiicitur.* Nec approbari poteſt doctrina Vaſquez 1. 2. *diſp.*116. *cap.* 2. *in fine*, vbi aſſerit, non eſſe mortale, deſiderare, ne fornicatio, vel alia peccata de ſe mala, iure naturæ licita ſint, ſi finis, qui ad eum affectum, & deſiderium mouet, ſit bonus: vt, ſi vir iuſtus videns ſe fragilem, & in peccatum venereum ſæpiùs labi, voluntate efficaci deſideraret, fornicationem non eſſe peccatum, & eo deſiderio diceret: Optarem hoc eſſe licitum, vt non peccarem. quia immutatio boni naturalis, quæ grauiſſimum malum, & peccatum eſt, non poteſt deſiderari ob particulare bonum alicuius, cùm id deſiderare nihil aliud ſit, quàm deſiderare, Deum authorem naturæ non eſſe authorem illius: maximè quia poteſt homo iuſtus id alia via conſequi; diuina, ſcilicet, ſe gratia, ieiuniis, flagellis, & pœnitentiis contra tentationes muniens.

6. *2. opinio limitatur primò dupliciter.* Limitatur tamen hæc noſtra ſecunda ſententia dupliciter. Primò, niſi res illæ, & peccata, quæ ſunt iure naturæ vetita, & illicita, eſſent in aliquo ſtatu, aut caſu licita, & conditio apponeretur pro tempore illius caſus, aut ſtatus, quo ſunt licita: tunc enim talis conditio excuſaret à culpa: & ſic non peccaret ille, qui deſideraret accedere ad aliquam, ſi adeſſet matrimonium, & eſſet propria vxor: nec ille, qui deſideraret ſuſpendere fures, ſi eſſet Iudex: nec Religioſus, aut coniugatus deſiderans vxorem ducere, ſi ille à voto, & hic à coniugio liber eſſet: quia hæ conditiones totam ſubiecti malitiam deſtruunt, redduntque illud omninò licitum. Et ita fatentur omnes, & præcipuè Caietanus *in Summa*, *verbo*, *Cogitatio*, & Armilla *cap.*2. *n.* 24. & Sayrus *in Claui regia*, *lib.*8. *c.*7. *à n.*28. Vazq. 1. 2. *diſp.* 100. *cap.* 2. *n.*4. Sed hac de re neceſſariò redibit ſermo *num.*13.

Caietan. Armilla. Sayrus. Vaſquez.

Nec obſtat, iam iure naturæ interdictum eſſe coniugium Religioſo ratione voti, & coniugato ratione præſentis matrimonij: quia ſatis eſt, poſſe eos conſiderari ſub eo ſtatu, in quo id eis interdictum non eſſet, & poſſe illos referre ſuam voluntatem ad tempus illius ſtatus, vt optimè animaduertunt Sanchez, & Vaſquez allegati. Nec etiam placet explicatio Armillæ aſſerentis, id non eſſe peccatum, niſi ille Religioſus ſit malè contentus de diuino beneficio: tunc enim ait, eſſe mortale. Sed id non credo, niſi formaliter diuinum beneficium ſui ſtatus contemneret, vel ob id conſtitueretur in proximo frangendi voti periculo: quia extra hos caſus, dolere de voto emiſſo, non eſt mortale, vt latè probat Sanch. *lib.*4. *Decalogi*, *cap.*12. *n.*2. 7. *Occurritur obiectionibus.* Sanchez.

Secundò, limitanda eſt noſtra opinio ſecunda, vt intelligatur, quando eſt deſiderium, & voluntas efficax illius mali iure naturæ vetiti ſub ea conditione, ſi liceret: ſecùs ſi tantùm eſſet ſignificatio quædam propenſionis voluntatis in id obiectum, ſi malum, & illicitum non eſſet, vt ſi huius conditionalis: Vindicarer, ſi eſſet licitum; aut in rem veneream modò incumberem, niſi peccatum eſſet. ſenſus ſit: Voluntatis propenſio me ad vindictam ſumendam, & ad libidinem inclinat: at nolo peccare propter Dei legem. quia is actus bonus omninò eſt, cùm voluntas ex eo ad nihil mali determinetur, nec id velit; ſed propenſionem ſuam in malum reprimat, ne Deum id prohibentem offendat. Et hoc modo ſæpè viri timentes Deum hos actus conditionales eliciunt. 8. *Limitatur ſecundò.*

Ex hac præiacta doctrina hæc inferuntur corollaria. Primò infertur, quid dicendum ſit de hoc actu: Niſi meum ſtatum Religioſi, aut Preſbyteri ſpectarem, vindicarer; adulterio, aut libidini ſatisfacerem. nam, ſi voluntas efficaciter verbis conſonat, non dubium eſt, quin ſit peccatum mortiferum, ac ſi eſſet abſoluta: quia ea conditio, peccati rationem non aufert. Ita Sanchez *lib.*1. *Decalogi*, *cap.*2. *n.*28. & deducitur ex dictis *num.*3. Secùs, ſi eſſet inefficax. 9. *Illatio prima ex præcedenti doctrina.*

Infertur ſecundò, quid ſit ſtatuendum circa hos loquendi modos: Si alio tempore hoc mihi accidiſſet; nempe, quando eram iunior, aut deperditæ vitæ; ego huius rei vindictam ſumpſiſſem; ego expleuiſſem meam libidinem. nam huiuſmodi loquendi modi duplicem ſenſum poſſunt efficere. Primus eſt, vt modò reuerà voluntatem quis habeat ſumendi vindictam, aut libidinem explendi, ſi tempore iuuentutis iniuria, aut tempore deperditæ vitæ occaſio præſens accideret: & hoc eſt ſine dubio lethiferum peccatum. Ratio eſt: quia voluntas nunc ad id malum determinatur, quod nulla ratione, aut conditione licitum reddi, aut cohoneſtari poteſt: & licèt poſſit, ea conditio mali rationem non aufert. Secundus ſenſus eſt enunciatiuus, efficiens hunc ſenſum: Tunc temporis talis eram, vt vindictam ſumpſiſſem, & libidinem expleuiſſem, ſi hæc iniuria mihi facta fuiſſet, aut occaſio accidiſſet. & tunc nullum eſt peccatum, nec veniale quidem: quia nullus eſt volũtatis conſenſus, niſi id dictum coram altero cõtumeliæ verteretur: tunc enim malitiam contumeliæ induceret, vt patet. Ita idem Sanch. allegatus *num.*29. 10. *Illatio ſecunda.* Sanchez.

Infertur tertiò hoc deſiderium: Si Deus vellet, vt Petrus moreretur, ego gauderem, vt illius diuitias, hæreditateſque acciperem. duplicem ſenſum poſſe efficere. Primus eſt, vt diuina voluntas præcedat, & noſtra ſubſequatur: & hoc 11. *Illatio tertia.*

nullum

nullum eſt peccatum; imò eſt actus optimus: quia noſtram voluntatem conformem eſſe diuinæ volumus. Secundus eſt, ita vt noſtra præcedat, & diuina ſubſequatur: quia, ſcilicet, volumus, Deum velle illum emori, ſicut nos volumus: & idem eſt peccatum, ac mortem proximi deſiderare: quia verè deſideratur. Et hic ſecundus modus ſolet ſemper contingere, quando ea verba à perſonis ira commotis proferuntur. Ita docet Sanchez *lib.1. decalogi, cap.2. & 3.* Petrus Nauarra *lib.2. de reſt. cap. 3. p.2. dub.7. in noua editione, n.194.*

Sanchez. Nauarrus.

12. *Illatio quarta.* Infertur quartò, quid dicendum ſit de hoc actu: Si non timerem Deum, ieiunium frangerem. Nam, ſi intelligatur de timore ſeruili, quo Deus timetur, tanquàm animaduerſor malorum; culpa mortalis eſt: idem enim tunc eſſet, ac dicere: Si non eſſet Infernus, hoc efficerem. quæ conditio, culpæ rationem non aufert. Si intelligatur de timore filiali, omni culpa, veniali etiam, vacaret: idem enim eſſet, ac dicere: Niſi Deum amarem, & renererer, hoc efficerem. quæ conditio, peccati rationem aufert. Si autem peccatum eſſet contra ius naturæ, vt ſi diceret: Si non timerem Deum, adulterium, furtum, homicidium, fornicationem committerem. in vtroque caſu, hoc eſt, ſi intelligatur, tam de timore filiali, quàm de ſeruili, ſemper peccatum mortale erit, ſi eſſet voluntas efficax, ac deſiderium id committendi: ſecùs, ſi ſola voluntatis propenſio ſignificaretur, iuxta *ſuperiùs* dicta *n.8.*

13. *An liceat delectatio præſens de obiectis mortalibus, quæ ſub cõditione deſiderare licet.* Veniamus ad ſecundam partem tituli, an, ſcilicet, liceat delectatio præſens de obiectis mortalibus, quæ ſub conditione deſiderare licet, vt de copula cogitata cum fœmina, ſi eſſet vxor, & matrimonium adeſſet. Et antequàm hoc dubium explicemus, animaduerto, nobis hîc ſermonem non eſſe de deſiderio, & voluntate efficaci exequendi rem aliquam, ſi liceret; vt de deſiderio, & voluntate efficaci habendi copulam cum fœmina, ſi eſſet ſua; furandi, ſi eſſet licitum; detrahendi, ſi non eſſet peccatum; citra delectationem in commotione corporis, & prurigine partis inferioris, ſeu appetitus ſenſitiui: hoc enim deſiderium reſpectu fœminæ, ſecluſa hac delectatione huius commotionis, fatentur omnes eſſe licitum: vt ſatis probauimus *in præſenti cap. à num.2.* cùm nihil aliud ſit, quàm ſimplex quidam voluntatis motus, & efficax apprehenſio rei pro ſtatu, quo eſſet licita: quæ ideò dicitur ſimplex, quia datur in homine, cùm eſt de re venerea ſine delectatione in ipſa commotione: ideò efficax, quia efficaciter à voluntate deſideratur: ſed ſermonem eſſe de delectatione moroſa ſuppullulante ex cogitatione, & deſiderio habendi copulam cum hac, vel illa fœmina, ſi eſſet vxor; & ex delectatione, & conſenſu prouenienteex deſiderio, & voluntate furandi, ſi eſſet licitum; aut detrahendi, ſi non eſſet peccatum. Et hoc ipſo animaduerſo,

14. *Sententia Authoris.* Statuo ſic. Is, qui deliberatè in appetitu ſenſitiuo delectatur de copula cogitata ſub conditione, ſi adeſſet matrimonium, & eſſet propria vxor; peccat omninò mortaliter. Idem dicendum eſt de eo, cui placet delectatio in appetitu ſenſitiuo, ſi ibidem datur; orta ex deſiderio, & voluntate furandi, aut detrahendi, ſi eſſet licitum detrahere, aut furari. Eſt communis omnium doctrina. Ita docet Nauarrus *in Summa Latina, cap.16. n.9. verſu 6.* Medina 1.2. *quæſt.74. art.8. dub.4.* & ibi Sumel *poſt 4. diſputationem, dub.1.* Caietanus *in Summa, verbo, Delectatio;* & *in opuſculorum tomo 1. tract.14. de delectatione moroſa, dub.2.* Armilla *verbo, Delectatio, num.4.* Valentia 1.2. *diſp.6. quæſt.4. puncto 4.* Sanchez *lib.9. de matrimonio, diſp.47. n.5.* Graphis 1. *p. deciſ. aur. lib.2. quæſt.78. num.19.* Rodriguez *tom.1. Summæ, in 2. editione, cap.212. num.3.* & idem Sanchez *tom.1. lib.1. Decalogi, cap.2. num.31.* Probant primò: quia, cùm ea conditio, ſeu matrimonium, nondum ſit in re; ſed ſola cogitatione apprehenſum, delectatio illa in copulam futuram, orta in appetitu ſenſitiuo, fertur ſuapte natura in matrimonium præſens, atque adeò in obiectum illicitum, & conditione matrimonij deſtitutum; atque ita in rem, quatenus eſt illicita, & mortalis, cùm tale obiectum præſens non detur: nam voluntas conditionalis nihil ponit in eſſe rei: at delectatio ſtatim ponitur, & datur præſens, abſolutè loquendo, nõ expectata conditione. Secundò: quia, quanuis licita ſit voluntas conditionalis habendi copulam cum illa, vel illa, abſque prurigine, & cõmotione appetitus ſenſitiui, ſi eſſet ſua, vel quando eſſet ſua vxor; & quanuis item licitum ſit ei gaudere de ſpe, quam concipit habendi aliquando illam in vxorem; non tamen ei eſt licitum admittere deliberatè delectationem illam carnalem, quæ inde in appetitu ſenſitiuo prouenit, ac ſuppullulat: quia, quanuis voluntas conditionalis nihil ponat in eſſe rei; illa tamen delectatio, quæ inde naſcitur, non eſt conditionalis, nec futura; ſed eſt præſens, & abſoluta; atque adeò eſt copulæ inchoatio, vt probabimus *cap. ſequenti, num.2.* Quæ ratio adeò conuincit, & intellectum firmat, vt eam ſingulariter concludentem Nauarrus appellet.

Nauarr. Medina. Sumel. Caietanus. Armilla. Valent. Sanchez. Graphis. Rodriguez.

15. *Obiectio.* Sed obiicies: Sicut in deſiderio propoſito, ſeu voluntate efficaci habendi copulã cum illa fœmina, ſi eſſet vxor, ſine prædicta prurigine, & commotione appetitus ſenſitiui, apprehenditur obiectum ſub conditione matrimonij, (deſideratur enim copula, ſub conditione habendi fœminam in matrimonium,) datur complacentia quædam abſoluta: ita cùm delectatur voluntas in copula præſenti; non apprehenditur copula, niſi ſub matrimonij conditione: ergò, ſi illud deſiderium ſub conditione matrimonij futuri eſt licitum; ita etiam delectatio ſenſitiua orta ex illo erit quoque licita. Nec obſtat, quòd illa complacentia abſoluta detur in voluntate ſine commotione corporis, & ſpirituum vitalium generationi inſeruientium; & delectatio præſens, orta ex tali deſiderio, detur in appetitu ſenſitiuo cum prurigine, & commotione talium ſpirituum: quia, licèt in appetitu ſenſitiuo commotio illa detur; tamen illa commotio, & delectatio adhuc in ipſo appetitu erit conditionalis, cùm in obiectum ſub conditione apprehenſum feratur: ergo, ſi illud deſiderium, & complacentia abſoluta ſub ea conditione apprehenſa, eſt licita; licita quoque erit delectatio præſens in appetitu ſenſitiuo orta ex illa.

16. *Solutio.* Reſpondeo, eſſe diuerſam rationem: quia illa complacentia, & delectatio abſoluta, quæ eſt coniuncta cum illo deſiderio, & voluntate efficaci data ſub illa conditione: Si eſſet ſua. nihil aliud eſt, quàm quoddam ſimplex gaudium, ſeu ſimplex voluntatis motus, ortus ex futuri matrimonij ſpe: at illa delectatio, & conſenſus, qui datur in voluntate, ſuppoſita commotione partis ſenſitiuæ, non eſt ſimplex gaudium; ſed eſt propriè, & verè ſenſitiua delectatio, quæ, cùm talis ſit, ex ſimplici apprehenſione tranſit in conſenſum præſentis copulæ, excluſa quacunque cõditione, vt iam diximus. Eſt enim hoc diſcrimen inter vtranque delectationem, nempe, inter illam abſolutam futuram, &

iſtam præſentem, quòd illa prior poſſit haberi de obiecto conditionali, non iſta ſecunda appetitus ſenſitiui. Et ratio huius rei eſt: quia delectatio conſurgit ex præſentia boni cōuenientis, vel in re poſſeſſi, vel in cognitione apprehenſi: illa autem delectatio, & complacentia abſoluta, ſeu illud deſiderium, & voluntas efficax oritur ex præſentia obiecti ſecundùm cognitionem apprehenſi: delectatio verò appetitus ſenſitiui oritur ex præſentia obiecti in re poſſeſſi. Et in priori caſu poteſt intellectus repræſentare voluntati obiectum conditione futuri matrimonij veſtitum, ac à malitia præciſum; & voluntas poteſt ſic illud amplecti, & in illud ferri: at in poſteriori caſu imaginatiua, ſeu æſtimatiua, ex cuius apprehenſione mouetur appetitus ſenſitiuus, nullam conditionem apponere poteſt: quia imaginatiua eſt communis hominibus, & brutis, & repræſentare obiectum veſtitum ſua conditione eſt opus ſolius intellectus: cùm ergo imaginatiua non proponat obiectum appetitui ſenſitiuo ſub conditione; ſed abſolutè, vt à parte rei eſt; appetitus ſenſitiuus, qui ex eius apprehenſione mouetur, in illud ſtatim fertur, omni conditione deſtitutum. Ex quo fit, quòd delectatio abſoluta voluntatis ex obiecto conditionali, quod ſecluſa conditione eſſet peccatum mortale, ſit licita, ſecluſo periculo conſenſus in aliquid illicitum, aut delectationis in parte ſenſitiua, vt gaudium voluntatis de copula, ſi eſſet ſua: at delectatio appetitus ſenſitiui de eodem obiecto, eſt lethalis.

Capvt IV.

Vtrùm ſponſis de futuro liceat delectatio de copula habenda tempore matrimonij. Viduis, & coniugibus abſentibus de copula habita in matrimonio. An mortaliter peccent illi, qui delectantur in actibus de ſe mortalibus, in ebrietate, vel amentia, violentia, aut ſomno commiſſis? Et an omnes delectationes moroſæ ſint eiuſdem generis, licèt obiecta ſint diuerſa.

Svmmarivm.

An liceat ſponſis de futuro delectatio in appetitu ſenſitiuo copula habenda tempore coniugij. Refertur prima opinio, aſſerens, id tantùm eſſe veniale, modò abſit periculum pollutionis, & conſenſus illius. num. 1.

Refertur ſecunda opinio aſſerens eſſe peccatum mortale, etiamſi abſit id periculum. n. 2.

Iudicium Authoris. n. 3.

An coniuges abſentes, & qui loco, & tempore impediti ſunt, poſſint licitè moroſè in appetitu ſenſitiuo delectari de copula cogitata, vt præſenti, ſecluſo pollutionis periculo. Refertur opinio affirmans. n. 4.

Refertur ſecunda negans. n. 5.

Reſpondetur ad fundamenta primæ opinionis. n. 6.

An poſſint viduæ delectari, cum commotione ſpiritus ſenſitiui, in cogitatione copulæ habitæ cum viris ſuis, tempore matrimonij, abſque periculo pollutionis. Refertur prima opinio, aſſerens, non peccare mortaliter; ſed venialiter. num. 7.

Refertur ſecunda aſſerens peccare mortaliter. n. 8.

Soluuntur argumenta primæ opinionis. n. 9. 10. 11. 12.

An liceat delectari in actibus ex ſe mortalibus, & illicitis, in ebrietate, amentia, ſomno, vi, ac violentia commiſſis? Refertur prima ſententia, aſſerens, hoc eſſe licitum ob bonum finem, verbi cauſa, propter vtilitatem ex homicidio in amentia facto reſultantem, propter hæreditatem filij ex adulterio ſuſcepti. n. 13.

Refertur ſecunda docens, delectationem illam ſemper eſſe mortalem, ſi capiatur de rebus ex ſe, & iure naturali vetitis; ſecus, ſi de rebus ſolo iure humano prohibitis. n. 14.

Quid tenendum ſit in hac materia. n. 15.

Licèt opera illa ex accidenti non fuerint mortalia; quia fuerunt commiſſa in ebrietate, in ſomno, in amentia: delectatio tamen eorum in vigilia, & extra amentiam, & ebrietatem habita, eſt peccatum, & voluntaria. n. 16.

Sed quid, ſi ad bonum finem quis de his actibus delectetur. Prima opinio affirmat, tunc eſſe licitum de illis delectari. n. 17. & 18.

Secunda negat. n. 19.

Præfertur prima. n. 20.

An licitum ſit filio gaudere, & delectari de parricidio parentis ab ipſo filio perpetrato propter diuitias, quas inde ipſe filius hæreditauit. n. 21.

Pollutio nocturna, cùm via naturali contingat, poteſt deſiderari antecedenter, vt in ſomnis eueniat; non tamen antecedenter procurari: at fornicatio, adulterium, & homicidium, nec deſiderari, nec procurari antecedenter poteſt: & quare. n. 22.

Sicut licitum eſt, antecedenter deſiderare, vt ipſa pollutio nocturna de nocte in ſomnis contingat, propter ſanitatem corporis, abſque periculo conſenſus illius in ipſo deſiderio: ita etiam licebit poſteà de illa gaudere abſque eodem periculo. num. 23.

An delectationes moroſæ, quæ capiuntur ex diuerſis obiectis ſpecie diuerſis, diſtinguantur ſpecie, ſicut ipſa obiecta. n. 24.

1\. SED adhuc reſtant dubia expedienda. Primum eſt, an liceat ſponſis de futuro delectatio ſenſualis de copula habenda tempore coniugij. Quidam enim nouiores opinantur, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter ſponſos, vel ſponſas de futuro, qui in cogitatione copulæ habendæ tempore matrimonij in appetitu ſenſitiuo delectantur, dummodo abſit periculum pollutionis, & conſenſus in aliquod peccatum mortale. Ita docet Victoria, quem refert, & ſequitur Medina 1. 2. q. 74. art. 8. dub. 3. Sumel. *ibid. diſp.* 4. *dubio* 3. *folio mihi* 333. *col.* 2. vbi citat pro hac parte Caiet. *tomo* 1. *Opuſc. tract.* 14. *dubio* 2. & *in Summa, verbo, Delectatio moroſa.* §. *Secundum, an delectatio.* Probant primò: quia ea delectatio eſt de obiecto licito, nempe, de matrimonio futuro: talis autem eſt delectatio, quale obiectum. Secundò, quia idem eſt iudicium de huiuſmodi delectationibus, atque de delectatione abſoluta, ſeu de deſiderio, & voluntate copulæ cum muliere, ſub conditione, ſi adeſſet matrimonium, & eſſet vxor: atqui hoc licitum eſt, vt probauimus *cap. præcedenti, num.* 6. ergo & illud. Tertiò; quia licita eſt coniugibus delectatio ſenſualis appetitus ſenſitiui conſurgens ex cogitatione copulæ præteritæ, ſi memoria apprehendatur: ergo etiam licebit ea delectatio ſponſis de futuro ex cogitatione copulæ futuræ: nam

An liceat ſponſis de futuro delectatio ſenſualis de copula habenda tempore coniugij.

Victoria. Medina. Sumel. Caietan.

nam actus vt præſens ſolùm in memoria, & vt præteritus in eadem memoria, eandem vim, & rationem obiecti moralis habet: quòd verò per ſe ſint tantùm venialia peccata, huiuſmodi delectationes in ſponſis de futuro, imò & in viduis olim coniugatis, de copula præterita, probantur: quia hi actus carent iuſta neceſſitate, & vtilitate: ergo venialia peccata tantùm ſunt; non enim huiuſmodi delectationes carnales conſequuntur ex copula præterita, vel futura, quatenus illa copula erat actus virtutis temperantiæ, aut iuſtitiæ; ſed quatenus erat actus libidinoſus, & delectabilis. Addunt, eſſe peccata venialia per ſe, & quantùm eſt ex parte ſui obiecti præciſè: quia per accidens ratione periculi pollutionis, vel ratione periculi conſentiendi in fornicationem, poterunt eſſe peccata mortalia. Vnde, ſi probabiliter timeatur hoc periculum, tenentur vitare delectationes huiuſmodi ſub mortali, tanquàm pericula peccandi mortaliter.

2. *2. opinio.*

Secunda opinio docet, ex obiecto peccatum eſſe mortale captare ſponſos, & nondum coniugatos delectationem ſenſualem appetitus ſenſitiui ex copula futura, tempore matrimonij cogitata, etiamſi abſit periculum pollutionis futuræ. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. vlt. quæſt. 47. num. 4.* Nauarrus *in Summa Latina, cap. 16. num. 9.* Hiſpana *num. 10. & cap. Si cui. de pœnit. diſt. 1. n. 1.* Graphis *1. p. deciſ. lib. 2. cap. 78. num. 9.* Lud. Lopes *1. parte Inſtruct. cap. 75. §. Sed maius dubium.* Rodriguez *tomo 1. Summæ, edit. 2. cap. 212. num. 3. caſu 2.* Corduba *lib. 1. quæſtionarij, quæſt. 23. dub. 13.* Vazquez *1. 2. quæſt. 74. art. 8. diſp. 114. num. 3.* Et à fortiori id docent omnes, quos citabimus *num. 5.* aſſerentes etiam in coniugatis, dum copulam habere ex accidenti nequeunt, eſſe mortale delectari de copula cogitata. Probatur primò: quia ille actus appetitus ſenſitiui ſemper fertur ex natura ſua in copulam præſentem, vt præſentem, cum præſenti prurigine, & commotione ſpirituum corporalium, & vitalium inſeruientium generationi, ad illámque natura ſua ordinatur; imò nihil aliud eſt, quàm quædam ipſius copulæ inchoatio: ſed copula præſens, ſolis coniugatis licita eſt: ergo non eſt licita ſponſis de futuro. Et confirmatur: quia, ſicut externa delectatio copulæ, quam contractum matrimonium non cohoneſtat, eſt mortalis; ita & interna, quæ eiuſdem rationis eſt: neque enim eius malitia, aut bonitas æſtimanda eſt ex copula præterita, aut futura; ſed ex præſenti, ad quam natura ſua tendit.

Sanchez. Nauarr. Graphis. L. Lopes. Rodrig. Corduba. Vazquez.

3. *2. opinio eſt probabilior.*

Ita ſe habent huiuſmodi opiniones, vtraque probabilis; ſed iſta ſecunda multò eſt probabilior. Ad fundamenta primæ opinionis reſpondeo. Ad primum dico, delectationem appetitus ſenſitiui talem eſſe, quale eſt obiectum. Vnde, cùm feratur ex ſua natura in obiectum præſens, hoc eſt, in matrimonium præſens, & tale matrimonium non detur, ſequitur euidenter, eſſe copulam mortalem. Ad ſecundum nego, idem eſſe iudicium de delectatione abſoluta, & de deſiderio, & voluntate copulæ cum muliere, ſi adeſſet matrimonium, & eſſet vxor; atque de delectatione appetitus ſenſitiui, cùm illa ſit apprehenſio quædam, ſeu motus voluntatis in tempus futurum ſine commotione ſpirituum, & ſine prurigine corporis, vt diximus *cap. præcedenti, num. 16.* iſta verò delectatio nihil aliud ſit, quàm inchoatio quadam ipſius copulæ, atque adeò copula inchoata. Ad tertium patebit reſponſio ex ſolutione dubij ſequentis, *num. 5.*

Ad fundamenta primæ reſpondetur.

4. *An coniuges abſentes poſſint licitè delectari de copula cogitata.*

Secundum dubium eſt, an coniuges abſentes, & qui loco, & tempore ad habendam copulam impediti ſunt, poſſint licitè, & moroſè in appetitu ſenſitiuo delectari de copula cogitata, vt præſenti, ſecluſo pollutionis periculo: quia etiam de re eſt duplex opinio. Prima affirmat, id non eſſe peccatum mortale; ſed tantùm veniale, iuxta ea, quæ dicit prima opinio reprobata, de ſponſis de futuro *num. 1.* Ratio illorum eſt, primò: quia conſenſus delectationis in copula talis eſt, qualis eſt copula, ex qua delectatio capitur: atqui copula inter coniuges eſt licita: ergo & conſenſus, & delectatio illius habita in appetitu ſenſitiuo cum alteratione ſpirituum, & carnis, ac pruriginis commotione. Secundò, quia, ſicut copula præſens in matrimonio habita excuſat delectationem ſenſitiuam à culpa mortali; ita excuſat etiam commotionem illam ſpirituum vitalium, & carnis pruriginem in appetitu ſenſitiuo conſurgentem ex ipſa copula, vt præſens cogitata: eſt enim hæc prurigo, & delectatio appetitus ſenſitiui copula inchoata, & medium, ac via ad illam; & ad illam ordinatur tanquàm medium ad finem: vnde, ſi finis eſt licitus, omnia etiam media, quæ ad illum ordinantur, licita ſunt. Aliunde tamen poterit eſſe peccatum veniale ex defectu neceſſitatis, & iuſtitiæ: non enim huiuſmodi delectationes carnales tunc temporis à coniugibus habentur, quatenus illa copula erat actus iuſtitiæ propter debiti redditionem, nec quatenus erat actus virtutis temperantiæ coniugalis; ſed præciſè quatenus erat actus libidinoſus, ac venereus, & corporaliter delectabilis. Ita docent omnes citati *num. 1.* & Roſella *verbo, Delectatio, num. 3.* Armilla *n. 3.* Angelus *verbo, Cogitatio, n. 3.* Tabiena *ibi, quæſt. 7. n. 8.* Margarita Confeſſorum *tract. de luxuria, fol. 110.* Pedraca *præcepto 9. §. In todos los mandamientos. in fine* Valentia *1. 2. d. 6. q. 4. puncto 4.* Vaſq. *1. 2. diſp. 113. n. 4.* Paludan. *in 4. diſt. 9. quæſt. 3.*

1. opinio affirmans.

Roſella. Armilla. Angelus. Tabiena. Marg. Conf. Pedraca. Valentia. Vaſquez. Paludanus.

5. *2. opinio negans, & probabilior.*

Secunda opinio probabilior negat; & docet eſſe peccatum mortale de ſe, & ex natura ſua, & obiecto, ſecluſo etiam pollutionis periculo. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 47. n. 5.* Cord. *in ſuo quæſtionario, lib. 1. q. 23.* Vaſquez *1. 2. q. 74. art. 8. diſp. 114. n. 3.* Philiarchus *de officio Sacerdotum, tomo 1. art. 2. lib. 4. cap. 18.* Graphis *1. p. deciſ. lib. 2. cap. 78. n. 9.* Veiga *tomo 1. Summa, 2. edit. cap. 81. caſu 2.* Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 6. quæſt. 8.* Nauarr. *in Summa Lat. cap. 16. num. 10.* Lopes *1. p. inſtruct. cap. 75. §. Hinc perſpicuum.* Rodriguez *tom. 1. Summæ, in 2. edit. cap. 212. n. 3.* Saà *verbo, Luxuria, verſu, Delectatio de peccato.* & alij, qui tamen omnes docent, licitam eſſe delectationem abſolutam ortam ex deſiderio, & voluntate efficaci habendi copulam cum coniuge, dummodo non tranſeat ad partem ſenſitiuam, id eſt, ad delectationem appetitus ſenſitiui cum commotione, & ardore ſpirituum vitalium inſeruientium generationi, quæ hîc datur. Fundamentum huius opinionis eſt, primò: quia delectatio ſenſitiua in appetitu ſenſitiuo cum commotione ſpirituum vitalium, & carnis prurigine, quando non intenditur ad bonum finem, ſemper eſt mortalis, & omnibus interdicitur ſub mortali, quando eſt extra actualem copulam coniugalem: hîc autem eſt extra copulam actualem: ergo eſt peccatum mortale. Secundò, quia, licèt ſint coniuges; tamen eam delectationem capiunt non ex maritali copula, quæ actu habeatur, ac ſubſiſtat; ſed ex ea, quæ tantùm animo cogitatur, & fingitur memoria; ac proinde de copula delectatur extra matrimonium:

Sanchez. Corduba. Vaſquez. Philiarc. Graphis. Veiga. Azor. Nauarr. L. Lopes. Rodrig. Saà.

Fundamenta huius opinionis.

quod

quod ſemper eſt mortale. Tertiò, quia in vidua ea delectatio de copula præterita, etiam vt præſens apprehenſa, eſt mortaliter illicita, vt ſtatim probabimus *in dubio ſequenti:* ergo & in coniuge, vbi non eſt opportunitas, & tempus copulæ habendæ, delectatio de ipſa copula futura apprehenſa, vt præſens, mortalis erit: eadem eſt enim ratio vtrobique, vt conſideranti patebit.

6. *Ad fundamenta primæ opinionis reſpondetur.*

Ad fundamenta, & rationes primæ opinionis reſpondeo, ſic. Ad primum dico, conſenſum, & delectationem ſenſitiuam, & in appetitu ſenſitiuo talem eſſe, qualis eſt copula, cùm ſit inchoatio copulæ; & via, ac medium ad illam: at copula ſolùm eſt licita in coniugibus, quando eſt præſens, & in loco, & in tempore accommodato haberi poteſt; & aliàs eſt illis mortaliter illicita: coniuges autem abſentes copulari non poſſunt. Nec ſufficit, cogitare ipſam copulam tanquàm præſentem: quia cogitatio nihil ponit in re; & ſic reuerà cùm præſentialiter illam exercere nequeant, conſentiunt, & delectantur in copula futura cum præſenti periculo pollutionis, imò cum ipſa pollutione inchoata. Vnde ſemper adeſt periculum pollutionis, quanuis dicatur abeſſe. Ad ſecundum reſpondeo, matrimonium ſolùm excuſare delectationem ſenſualem in appetitu ſenſitiuo, quando illius actus, & copula actu exerceri poteſt, quod inter coniuges abſentes fieri non poteſt.

7. *Vtrùm viduæ delectari poſſint ex cogitatione copulæ licitæ præteritæ.*

Tertium dubium eſt, vtrùm poſſint viduæ, abſque peccato mortali, captare delectationem ſenſualem appetitus ſenſitiui ex cogitatione copulæ licitæ præteritæ tempore coniugij habitæ, dummodo abſit periculum pollutionis, vel conſenſus in copulam præſentem? Partita eſt opinio in hoc dubio, ſicut & in aliis. Prima docet, non peccare mortaliter huiuſmodi viduas hanc delectationem capientes, ſed tantùm venialiter. Hanc tenet Caiet. *in opuſcul. tom.1. tract.14. de delectatione moroſa, dub.2. & in Summa, verbo, Delectatio, §. Secundum, an delectatio.* Palud. *in 4. diſt.9. quæſt.3. concluſ.1.* Angelus *verbo, Cogitatio, num.2.* Armilla *verbo, Delectatio, num.3.* Roſella *verbo, Delectatio, num.3.* Tabiena *ibidem, quæſt. 7. num.8.* Margarita Confeſſ. *de luxuria, folio 110.* Pedraca *in Summa, præcept.9. §. En todos los mandamientos. in fine.* Nieua *in Summa, tit. 105.* Valent. 1.2. *diſp.6. quæſt.4. p.4.* Medina 1.2. *diſp.6. art.8. dub.2.* Sumel *t.2. quæſt.74. art.8. diſp.4. dubio 3.* Saà *verbo, Luxuria, §. Delectatio de peccato.* Limitant tamen Roſella, Angelus, Tabiena, Armilla, Margarita, Medina, Sumel, & Saà, niſi viduus coniux cogitet alterum coniugem quaſi præſentem, & ſub ratione præſentis: quia tunc illud eſt, delectari de copula præſenti, quæ viduis illicita eſt.

1. opinio. Caietanus. Paludan. Angelus. Armilla. Roſella. Tabiena. Marg. Conf. Pedraca. Nieua. Valentia. Medina. Sumel. Saà.

8. *Quatuor fundamenta huius 1. opinionis.*

Probatur hæc opinio ex quatuor fundamentis validiſſimis. Primò, quia obiectum eſt licitũ, nempe, copula tempore coniugij habita, quæ illo tempore fuit licita: ergo licitum erit delectari de re licita; illa enim delectatio appetitus ſenſitiui ſumit ſuam bonitatem, & malitiam ab obiecto, fine, ſeu copula, ad quam tendit. Secundò, quia plùs videtur eſſe approbare illã copulam, quàm de illa delectari: at licitum eſt illam approbare: igitur & de illa delectari. Tertiò, quia nemo damnabit Iudicem, qui delectatur de occiſione iuſta latronis, quem ipſe publica authoritate occidit: ergo etiam nemo damnabit viduam, quæ delectatur de copula licita, quam publica authoritate matrimonij, & Eccleſiæ, licitè tempore coniugij habuit; vtrobique enim eadem eſt ratio. Quartò, quia differentiæ temporum ſpeciem moralem non variant: cùm igitur licitum ſit coniugatis delectari in copula præſenti cogitata, licebit etiam viduis delectari in præterita, cùm vtraque ſit licita, & ſola differentia temporis præteriti, vel præſentis inter illas inueniatur.

9. *2. opinio.*

Secunda opinio docet, peccare mortaliter viduas delectationẽ veneream in appetitu ſenſitiuo capientes, ortam ex cogitatione copulæ præteritæ, habitæ tempore matrimonij præteriti. Hanc tenent illi, qui profundiùs hanc opinionem euiſcerarunt; in primis Sanchez *lib.9. de matrim. diſp.47. num.7.* Nauarrus *in Summa Latina, cap.16. n.1. & cap. Si cui. de pœnit. diſt.1. n.2. & ſequentibus.* Corduba *in ſuo quæſtionario, lib.1. q.23. dub.12. §. Hinc perſpicuum eſt.* Vaſquez 1.2. *q.74. art.8. diſp.114. n.2.* Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom.1. p.2. lib.4. cap.18.* Graphis 1. *p. deciſ. lib.2. cap.78. n.9.* Rodrig. *tom.1. Summa, in 2. edit. cap.212. n.3.* Veiga *tom.1. Summa, in 2. edit. cap.81. caſu 2.* Probatur omnibus rationibus adductis *num.5.* quæ omnes hîc militant, vt conſideranti patebit. Deinde efficaciter probatur ex ſolutionibus argumentorum, quæ pro parte aduerſa adducuntur.

Sanchez. Nauarr. Corduba. Vaſquez. Philiarchus. Graphis. Rodrig. Veiga. Vnde probatur.

10. *Reſpondetur ad primum argumentum primæ opinionis.*

Ad primum enim reſpondeo, illam delectationem fuiſſe de obiecto licito; non tamen eſſe de obiecto actu licito; fuit enim obiectum illud, ſeu copula inter coniuges licita tempore matrimonij: at nunc non eſt licita, & præſens delectatio appetitus ſenſitiui fertur in copulam præſentem, non in præteritam: quia nihil aliud eſt, quàm inchoatio copulæ præſentis, & ſuapte natura ad illam tendit, non ad præteritam, nec futuram, vt ſæpiùs, & ad ſatietatem dictum, ac repetitum manet.

11. *Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum dices, plùs eſſe approbare, quàm delectari, ſi loquamur de delectatione complacentiæ orta ex deſiderio, & voluntate copulæ futuræ, ſi adeſſet matrimonium; & ex deſiderio, & voluntate copulæ præteritæ licitæ: quia hæc complacentia datur in voluntate ſine commotione appetitus ſenſitiui: eſt enim tantùm ſimplex quædam apprehenſio copulæ præteritæ, atque adeò boni, licèt efficax, & vehemens ſine ea commotione, & prurigine; & ideò plus eſt probare, quàm delectari reſpectu huius apprehenſionis, complacentiæque, quam vocamus complacentiam abſolutam, non ita reſpectu illius appetitus ſenſitiui: nam reſpectu illius plùs eſt delectari in illa, quàm approbare illam.

12. *Ad tertium.*

Ad tertium dico, delectationem illam latronis iuſtè occiſi, reſpectu Iudicis, non eſſe initium homicidij, nec per ſe ordinatam ad occiſionem præſentem illicitam: at delectatio præſens in appetitu ſenſitiuo eſt inchoatio quædam copulæ; & ideò in copulam præſentem naturaliter ferri: vnde licitum eſt Iudici, delectari in occiſione latronis à ſe facta; & non eſt licitum coniugi delectari, & conſentire delectationi prouenienti ex appetitu ſenſitiuo.

13. *Ad quartũ.*

Ad quartum reſpondeo, differentias temporis præteriti, & præſentis non variare ſpeciem moralem: at illa delectatio non reſpicit, vt diximus, copulam præteritam, ſed præſentem, imò eſt inchoatio copulæ præſentis; & ideò eſt illicita: quia copula præſens illicita eſt viduis, ſicut eſt etiam illicita coniugibus abſentibus: vnde nulla hîc datur variatio temporis præteriti, & præſentis, vt patet.

14. *Delectatio in actibus ex ſe mortalibus commiſſis an licita.*

Circa quartum autem dubium, an mortaliter peccent illi, qui delectantur in actibus ex ſe mortalibus, in ebrietate, dementia, vi, ac violentia, aut in ſomno à ſe commiſſis; ſunt variæ opiniones.

1. opinio.

Prima docet, eam delectationem ex ſe non eſſe peccatum mortale; imò licere ad bonum finem, verbi gratia, propter vtilitatem ex homicidio, aut fornicatione ſubſecutam; non tamen ſecundùm ſe, quatenus ſunt proximi mala: quia poteſt res per ſe illicita deſiderari, vt fiat: at inculpatè ad bonum aliquem finem, verbi cauſa, vt tyrannus pereat manu furioſi, ne Reſpublica pereat: vt latro ſuſpendatur authoritate Iudicis, ne innocentes ab illo offendantur, & viatores pecuniis ſpolientur: vt matrimonium inualidum inter duos Principes inculpatè contrahatur, & proles ſuſcipiatur, ſi inde pax Regni ſecutura putetur: licet etiam delectari in pollutione in ſomnis habita ob bonum finem, nempe, ob ſalutem corporis; & tamen pollutio, & fornicatio ſunt contra ius naturæ. Ita docet expreſsè Adrian. *in 4. tract. de Euchariſtia 9. incipienti: Quia dictum eſt, quòd ſomnus. verſu, His præmiſſis, reſpondeo.* Leſſius *lib. 4. cap. 4. dub. 14. num. 106.* Vaſquez 1. 2. *quæſt. 74. art. 8. diſp. 115. toto cap. 2. & cap. 3. num. 7.* Et ratio eſt: quia delectatio ſumit ſuam bonitatem, vel malitiam ab obiecto, & fine, de quo talis delectatio habetur. Vnde, cùm & finis, & obiectum ſint bona; bona quoque erit talis delectatio.

Adrianus. Leſſius. Vaſquez.

15. 2. opinio.

Secunda docet, delectationem illam ſemper eſſe mortiferam, ſi capiatur de rebus iure naturali vetitis, vt de homicidio, fornicatione, furto, adulterio, quæ iure naturali prohibentur; quia mala ex ſe ſunt: ſecùs, ſi capiatur de rebus ſolo iure humano prohibitis: quia non eſt mortalis culpa delectari, verbi gratia, de non auditione Sacri, de violatione ieiunij, quando iuſta morbi cauſa ab illis excuſat. Deinde, quia non eſt in humana poteſtate priores actus non eſſe de iure naturali prohibitos: eſt autem in illa poſteriores non eſſe vetitos: poterat enim humana poteſtas præcipere, aut non præcipere ieiunium, & auditionem Sacri: vnde licebit velle, hos non eſſe prohibitos; & conſequenter licebit de illis delectari, ſi non eſſent prohibiti, & quatenus prohibiti non ſunt.

16. Vera reſolutio.

Opinionibus tamen omiſſis, reſolutiuè reſpondent multi, & benè, eſſe peccatum mortiferum delectari in actibus ex ſe mortalibus, à ſe per ebrietatem, ignorantiam, violentiam, ſomnium, aut dementiam perpetratis, ſiue iure naturali, & intrinſecè ſint prohibiti, ſiue iure poſitiuo tantùm extrinſecè: verbi cauſa, in ebrietate, vel dementia hominem occidiſti, ieiunium violaſti, vel in ſomno te polluiſti, vel per ignorantiam malum aliquod feciſti; poſteà eorum recordaris excuſſo ſomno, & ebrietate, dum vigilas, & in pleno es iudicio, & in eis actibus abſque vllo bono fine delectaris; peccas ſine dubio mortiferè. Ita docet Azor *tomo 1. inſtit. moral. lib. 4. cap. 6. quæſt. 9.* Palud. *in 4. diſt. 9. quæſt. 3. art. 1.* Adrian. *quodlibeto 16. art. 2.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 8. col. 6. verſu, Non deſunt.* Sanchez *tom. 1. lib. 1. Decalogi, cap. 2. num. 17.* Ledeſm. *1. p. 4. quæſt. 21. art. 7. dub. 6.* Medina *1. 2. quæſt. 74. art. 6.* Sumel. *eadem q. 9. art. 8. diſp. 4. dub. 4.* Rodriguez *tom. 1. Summa, in 2. edit. cap. 211. num. 3.* & in hanc partem propendet Corduba *in ſuo quæſtionario, lib. 2. quæſt. vlt. dub. 2.* Ratio eſt primò: quia, licèt hæc mala in ſomno, amentia, ebrietate, vel ignorantia, voluntaria non fuerint, & culpa caruerint; tamen, qui poſteà eorum recordatur, dum vigilat, & ad ſanam mentem redit, & dum ignorantia ampliùs non laborat, ſponte ſua delectatur in illis; tunc incipit ea mala ſcienter velle, & approbare, ac proinde incipit peccare. Deinde, ſicut ille mortaliter peccat, qui in vigilia, & perfecto intellectu deſiderat fornicari, alium occidere in ebrietate, aut in ſomno ſe polluere; & id procurat lautiùs bibendo, aut epulando: ita etiam mortaliter peccat ille, qui peracta ebrietate, & excuſſis ſomno, & ignorantia, in malo delectatur; illúdque approbat, & in eo ſibi complacet.

Azor. Palud. Adrian. Sotus. Sanchez. Ledeſma. Medina. Sumel. Rodriquez. Corduba.

17. Obiectio.

Dices: Delectatio talis eſt, quale eſt opus, ſeu obiectum, de quo habetur: ſed opus, & obiectum, de quo iſta delectatio habetur, non fuit mortale; fuit enim tantùm malum materialiter: ergo etiam delectatio talis mali erit ſine culpa. Reſpondeo, opus illud, & obiectum ex accidenti non fuiſſe mortaliter malum; quia ignorantia, violentia, ſomnus, & amentia illud excuſarunt: & ideò culpa caruiſſe: at nunc de præſenti eſt malum; quia delectatio in vigilia extra ſomnum, & ebrietatem, aut violentiam habita, culpà non caret, cùm nulla ignorantia illam excuſet, ac proinde tota illa delectatio eſt voluntaria, & cùm de obiecto mortaliter illicito ſit, mortalis omninò erit. Vrges adhuc: Factum exterius fuit bonum, quia culpa caruit: ergo delectatio, quæ ex illo ſic capitur, culpa omninò, & peccato carebit. Reſpondeo ſimpliciter, illud obiectum non fuiſſe bonum; ſed fuiſſe malum: per accidens tamen caruiſſe peccato. Vnde carentia illa mali accidentalis, quam ex ignorantia, ſomno, aut violentia habuit, non transfertur in præſentem delectationem, quæ ſine tali ignorantia capitur: quemadmodum, ſi Preſbyter ſciens panem, & vinum non eſſe conſecratum, & illud populo exhiberet adorandum, populus quidem non peccaret; quia per ignorantiam adoraret, cogitando eſſe verè conſecratum: peccaret tamen grauiſſimè talis Preſbyter; quia cum certa notitia rei malum pro bono in publico poneret. Sic in noſtro caſu, factum illud ob ignorantiam circa materiam bonam verſatur: at verò voluntas, quæ delectatur in eo, ſciens eſſe malum, non poteſt verſari in materia bona.

Soluitur. Inſtantia. Diluitur.

18. Quid, ſi ob bonum finem quis in actibus malis præteritis delectetur.

Si verò ob bonum finem in huiuſmodi actibus de ſe, & ex natura ſua, vel ex accidenti malis, quia tantùm ſunt prohibita, à ſe per ignorantiam, ebrietatem, ſomnum, aut dementiam factis, in vigilia, & pleno iudicio quis delectetur, eſt duplex opinio. Prima affirmat, eſſe licitum. Eam docet Adrianus *in 4. de Euchariſt. quæſt. 4.* licèt oppoſitum ipſe teneat *quodlibeto 10. art. 2. oppoſitione 2.* Sotus *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 7.* Toledo *lib. 5. Summa, cap. 13. num. 4.* Nauarr. *in Summa, cap. 16. num. 7. 8. 9.* Vaſq. *1. 2. quæſt. 74. art. 8. diſp. 115. cap. 3. num. 7.* Sayrus *in Claui regia, lib. 8. cap. 5. num. 15.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. n. 104. & 105.* Cordub. *lib. 2. quæſt. vlt. dub. 2.* Sanch. *tomo 1. lib. 2. Decalogi, cap. 2. num. 18.* D. Thom. *in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 5. & ibi* Palud. *quæſt. 3. art. 1. num 10. & 12.* Sumel. *1. 2. q. 74. art. 8. diſp. 4. dub. 4.* Sylueſter *verbo, Pollutio, num. vnico,* & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *tom. 1. lib. 1. Decalog. cap. 2. num. 18. allegato.* Probatur primò: quia licitum eſt complacere in morte inimici, vel prædonis, vel tyranni, à Deo, vel Iudice publicè illata ob bonum finem, ſcilicet, vt me, vel alium, vel Eccleſiam non opprimant iniuſtè: quia tunc potiùs eſt hoc proximis bonum appetere, & deſiderare ſub ratione boni, quàm ſub ratione mali; ac proinde talis complacentia, & delectatio potiùs eſt aliquod bonum in illo fine, quàm aliquod malum in illo modo. Licitum eſt etiam complacere in pollutione habita in vigilia propter ſanitatem corporis, & exonerationem naturæ; in homicidio perpetrato

1. opinio. Adrianus. Sotus. Toledo. Nauarr. Vaſquez. Sayro. Leſſius. Corduba. Sanchez. D. Thomas. Palud. Sumel. Sylueſter. Sanchez. Probatur primò.

perpetrato

perpetrato propter ſucceſſionem hæreditatis; in cœna, & violatione ieiunij, propter recuperationem virium: ergo ſimiliter licitum eſt delectari in actibus, ſiue ex ſe, ſiue ex accidenti malis à ſe in ſomno, amentia, & ebrietate commiſſis ad bonos fines: finis enim dat ſpecificationem actibus, & ex bono, vel malo fine boni, vel mali redduntur, vt patet.

19. *Probatur ſecundò.* Secundò probatur: quia poteſt quis deſiderare ſudorem, & fluxum ſanguinis naturalem, ad ſalutem corporis comparandam, & in ea complacere, & delectari, poſtquam euenerit: ergo poterit etiam deſiderare, vt ſibi pollutio in ſomnis, via naturali proueniat ad bonum finem eiuſdem ſanitatis, & exonerationem naturæ, ardorémve libidinis temperandum; & de ea, poſtquàm euenerit, gaudere, in eáque delectari citra pruritum carnis, & commotionem ſpirituum vitalium, & abſque pollutionis periculo; nunquam tamen licebit eam procurare: ergo etiam de aliis quibuſcunque de ſe malis, verbi cauſa, de fornicatione in ſomnis commiſſa, licebit poſteà ob bonum finem abſque eodem periculo, eodem modo delectari.

20. *2. opinio.* Secunda opinio negat omninò licere deſiderare pollutionem in ſomnis, fornicationem, adulterium, aut de illa hîc habita poſteà gaudere, & delectari, etiamſi ad bonum finem, vel ob ſedandas carnis tentationes eam quis deſideret; aut in ea delectetur: & idem de aliis peccatis iure naturæ, aut tantùm humano prohibitis. Eam docet Corduba *in ſuo quæſtionario, lib. 2. quæſt. vlt. dub. 2.* Rodriguez *tomo 1. Summæ, in 2. edit. cap. 211. num. 3.* Ledeſma 14. *quæſt.* 21. *art.* 7. *dub.* 6. Metina 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 6. Sumel. *ibi, art.* 8. *diſp.* 4. Adrian. *quodlib.* 10. *art.* 2. *propoſitione* 2. & alij. Et id probant ex duplici fundamento. Primò: quia defectus libertatis excuſans fornicationem, pollutionem, homicidium, aut quoduis aliud peccatum in ſomnis, ebrietate, vel ignorantia commiſſis, non concurrit in deſiderio, & delectatione illorum extra ſomnum, & in pleno, ac perfecto iudicio: vnde, cùm hæc non liceat anteà, vel poſteà procurare, non licebit etiam illa deſiderare, aut de illis gaudere. Secundò, quia ſequeretur inde, quòd licitum eſſet filio gaudere de parricidio à ſe in ſomnis, vel ebrietate, aut amentia perpetrato, eò quòd in bonis parentis ſuccedat: imò ſequeretur, ſi fœmina inter dormiendum vi, aut violentia oppreſſa inuoluntariè deflorata ſit, ei poſteà licere de ea copula, & defloratione gaudere, complacere, & delectari, verbi cauſa, quia filium habuit ex viro nobili: nam æquè tollit voluntarium, & excuſat à culpa ignorantia, quæ datur in ſomnis, ac violenta, & iniurioſa coactio: ſed illud de coactione videtur abſurdum concedere: ergo & illud de ignorantia. Adde tertium fundamentum, quòd, etiamſi licitum fuit Iacobo, complacere ſibi, & condelectari in eo, quòd non peccauerit, ignoranter Liam cognoſcens, & putans eſſe Rachelem, & de filio ex tali copula ſuſcepto; non tamen ei fuit licitum complacere de ipſo actu.

Corduba. Rodriguez. Ledeſma. Metina. Sumel. Adrian.

Fundamentũ huius 2. opinionis.

21. *Prima opinio probabilior.* Ita ſe habent huiuſmodi opiniones. Prima eſt probabilior, & tenenda. Nec fundamenta huius ſecundæ opinionis multùm roboris habet. Ad primum enim libenter cōcedimus, defectũ libertatis, quæ datur in ſomnis, in ebrietate, in amētia, in violentia, quíque excuſat à peccato, non dari in deſiderio, & delectatione illorum extra ſomnium, ebrietatem, amentiam, & violentiam, perfectóque iudicio; & tamen non ſimpliciter dicimus, licitum eſſe de his rebus, de homicidio, ſcilicet, pollutionē, fornicatione, adulterio, violatione ieiunij in ſomno, & ebrietate, abſque bono fine delectari; id enim peccatum omninò eſſe, iam *num.* 15. probauimus: ſed dicimus, licitum eſſe poſteà ob bonum aliquem finem delectari: quia hoc non eſt delectari in his malis; ſed in bono ex illis promanante. Vnde licitum eſt poſteà delectari, ſeu complacere in pollutione in ſomnis habita propter ſanitatem corporis, & exonerationem naturæ; in fornicatione, & adulterio, in ebrietate, vel violentia commiſſis, propter pulchritudinem, aut hæreditatem filij inde ſuſcepti: quod intelligendum ſemper eſt, dummodo in tali complacentia non detur periculum futuræ pollutionis, aut commotio ſpirituum ſenſualium, & vitalium, & prurigo corporis in appetitu ſenſitiuo: tunc enim conſenſus huiuſmodi, & delectatio ob quencunque etiam bonum finem, eſſet ſine dubio ex ſua natura lethifera, vt optimè animaduertit Sanchez *tomo 1. Decalogi, cap. 2. num. 21.* Sanchez.

Fundamenta ſecundæ deſtruuntur.

Et conſequenter licitum eſt filio, gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias inde ex hæreditate conſecutas; & puellæ de copula per violentiam commiſſa propter aliquem bonum finem, verbi cauſa, propterea quòd ipſa filium exinde ſuſceperit Epiſcopum, aut virtutum poſteà, & miraculorum, ac ſanctitatis ſplendore clarum; ita vt illud gaudium non referatur ad ipſum actum, ſed ad finem bonum inde prouenientem: quo pacto fuit licitum Iacobo complacere de filio ex coïtu Liæ ſuſcepto; non tamen de ipſo actu, & copula etiam per ignorantiam cum Lia de nocte habita: & quo pacto etiam dixit Iob: *Pereat dies, in qua natus ſum.* non enim ibi maledixit diei, quatenus creaturæ Dei; ſed maledixit peccato originali, in quo conceptus fuit, & in eo die mundo natus apparuit infinitis propemodum ſubiectus miſeriis. Vnde ſimili modo eſt licitum filio gaudere de parricidio à ſe per ebrietatem perpetrato: quia id non eſt gaudere abſolutè de peccato parricidij; ſed eſt gaudere de diuitiis, vt patet, quæ ſibi poſt illud parricidium obuenerunt. 22.

Imò illud diſcrimen notandum eſt inter pollutionem nocturnam ex vna parte, & inter fornicationem, homicidium, adulterium, & quodcunque aliud peccatum ex alia, quòd pollutio nocturna via naturali fit, & poteſt efficaciter deſiderari antecedenter, vt eueniat in ſomnis propter ſanitatem corporis, & mitigationem ebullientis incendij; non tamen poteſt procurari antecedenter: at fornicatio, adulterium, aut homicidium, nec deſiderari, nec procurari antecedenter poteſt. Et ratio huius diſcriminis eſt: quia pollutio nocturna, cùm ſit expulſio naturæ, naturaliter euenit, inſtar aliarum euacuationum; ſicut prouenit etiam naturalis humoris, & ſudoris expulſio, quæ ſimiliter eſt euacuatio naturæ: at, licèt hæc naturalis expulſio ſudoris, & humoris non ſolùm poſſit antecedenter deſiderari; ſed etiam procurari, non inde inferas, poſſe etiam nocturnam pollutionem antecedenter à te procurari, ob bonum etiam finem, & corporis ſanitatem; ſicut illam citra periculum pollutionis in vigilia, in ſomno de nocte euenire, deſiderare licet: quia ipſa procuratio iam eſt quædam pollutionis inchoatio; & ſic iam in pleno iudicio incipitur ipſa pollutio: deinde, quia periculum eſt, ne ipſa procurata pollutio contingat in ſomno; ſed extra illum; ac proinde, 23. *Diſcrimē inter pollutionē nocturnam, & inter fornicationē, & eiuſmodi.*

vt

vt detur conſenſus actualis illius, vt patet.

24. Et ſicut licitum eſt, deſiderare ipſam pollutionem nocturnam in ſe propter ſanitatem corporis; ita etiam licebit poſteà de illa gaudere: ſemper tamen ſine periculo actuali pollutionis in ipſo deſiderio,& gaudio à parte ante,& à parte poſt. Itaque non dicimus,licere de ea gaudere,aut eam deſiderare, eò quòd in ſomno contingat, & ob id à culpa liberetur; quia eadem ratio tunc militat in homicidio, & fornicatione, ſi ſic deſiderentur, & in eis poſteà complaceamus; ſed eò quòd naturaliter eueniat, inſtar aliarum naturalium euacuationum, vt diximus. Et ita docet Sanchez *tomo 1. Decalogi, lib.1.cap.2.n.18.* Corduba *lib.2.quæſtionarij,quæſt.3.quæ eſt vltima libri,in fine.* Toletus *lib.5.Summæ,cap.15.num.5.& cap.13.per totum.* Leſſius *lib.4.cap.3.dub.4.n.104.& 105.* Nauarr. *cap.16.n.7.* Angel. *verbo, Pollutio, n.2.* quos omnes citant Sanches,& Leſſius.

Sanchez. Corduba. Toletus. Leſſius. Nauarr. Angelus. Sanchez. Leſſius.

25. *An delectationes moroſæ captæ ex diuerſis ſpecie operibus, & obiectis, ita diſtinguãtur ſpecie, ſicut ipſa obiecta.*

Vltimum dubium eſt,an delectationes moroſæ, quæ capiuntur ex diuerſis ſpecie operibus, ac obiectis externis, ita diſtinguantur ſpecie, quemadmodum diſtinguuntur ipſa obiecta: verbi gratia, adulterium diſtinguitur ſpecie à fornicatione ſimplici; & ab adulterio ſimpliciter, peccatum ſodomiæ, ab his quoque iuramentum; & iuramentum à furto ſpecie diſtinguitur. Quæro, an delectationes de his rebus, & obiectis ita ſpecie diſtinguantur,ac ipſæ diſtinguuntur; ac proinde an teneatur pœnitens, qui plures habuit delectationes de diuerſis ſpecie obiectis, circunſtantiam obiectorum in confeſſione declarare, explicando, videlicet, ſe habuiſſe delectationem de adulterio, de fornicatione ſimplici, de ſodomia; an ſufficiat ſolùm dicere,ſe habuiſſe varias delectationes, aut tot delectationes de re turpi. *Reſolutio.* Reſpondeo breuiſſimè,delectationes moroſas ſumere ſuam ſpecificationem ab obiectis externis;& ita diſtingui ſpecie, quemadmodum diſtinguuntur obiecta; & teneri pœnitentes explicare in confeſſione huiuſmodi circunſtantias; quia mutant ſpeciem peccatorum. Ita communiter Doctores. Azor. *tom.1.lib.4.cap.6.q.3.* Nauarr. *in Summa Latina, cap.16.n.9.& cap.6.n.8.* Sotus *in 4.diſt.18.q.2.art.2.poſt 7.concluſ.* Tabiena *verbo, Cogitatio moroſa, n.1.* Caiet. *2.2.q.154.art.4. ad 2.* Ratio eſt: quia,ſicut delectatio moroſa mortalis eſt,vel venialis,iuxta materiæ grauitatem,vel leuitatem: ſic etiam ſpeciem ſumit ex ſuo obiecto, ita vt obiectum omnem ſuam malitiam, vel bonitatem transfundat,ac tranſmittat in ipſam delectationem:nequit enim aqua purior eſſe, quàm fons, vnde deriuatur,& capitur. Quamobrem, cùm ea delectatio ab illo obiecto deriuetur, & capiatur, ab eo ſuam participabit malitiam, vel bonitatem.

Azor. Nauarr. Sotus. Tabiena. Caietan.

CAPVT V.

Vtrùm delectatio venerea capta ex tactibus,verbis,& aſpectibus inter ſponſos,& inter coniugatos,& ſolutos, ſit mortalis.

SVMMARIVM.

Delectatio venerea ex tactibus, oſculis, & amplexibus inter ſponſos de futuro non eſt mortalis, dummodo huiuſmodi tactus non ſint per partes pudendas,& abſit periculum pollutionis. n.1.

Quid, ſi ſponſi habeant aliquod impedimentum; & ſponſalia contrahant ſub conditione: Si Papa diſpenſauerit. n.2.

Quid, ſi ſponſi intendant ex ipſis tactibus, & amplexibus delectationem ſenſitiuam captare. n.3.

Quid, ſi adſit periculum pollutionis, aut conſenſus illius. n.4.

Quid, ſi ſint tactus per partes pudendas. n.5.

Amplexus, & oſcula inter ſponſos de futuro ad conciliandum, fouendúmque mutuum amorem, in ordine ad matrimonium, non ſolùm à peccato excuſantur, ſed etiam ſunt liciti. n.6.

Quid de mutuis colloquiis. n.7.

Quid, quando ſponſalia fuerunt contracta ſub conditione: Si Papa diſpenſauerit. & impetrata eſt diſpenſatio, nondum tamen matrimonium eſt contractum. n.8.

An poſt impetratam diſpenſationem neceſſarium ſit repetere priorem conſenſum. n.9.

Delectatio moroſa, & ſenſitiua capta ex oſculis, verbis, colloquiis, & amplexibus impudicis, vel in re habitis, vel in conſideratione apprehenſis inter ſolutos, quamuis ſolùm in ea conſiſtere velint, & non detur periculum copulæ, aut pollutionis, eſt peccatum mortale. n.10.

Quid, ſi hæc delectatio ex his rebus capiatur inter duas fœminas. n.11.

SIc ſtatuo primò. Delectatio venerea ex tactibus,verbis,& aſpectibus,ab ipſis ſponſis de futuro cogitatis, & ex illis conſurgens, à mortali excuſatur, dummodo non adſit periculum copulæ, vel pollutionis, aut conſenſus in illam; & dummodo tactus non ſint per partes pudendas. Ita docet Sanch. *lib.9.de matr. diſp.97.n.6.* & *diſp.46.n.48.* Caiet. *in Sum verbo, Sponſalia,* & *2.2.q.154.art.4.poſt dub.1.in reſponſ.ad 2.* Nauarr. *in Sum.c.14.n.18.& c.16.n.12.* Menoch. *de præſumpt. lib.3.præſump.1.n.16.* Veracrux *append. ad art.19. de conditionib.matr.fol.118. §.Hanc opinionem.* Gutierres *lib.1.quæſtion.canon.c.22.n.13.fine.* Graphis *1.p.deciſ.lib.2.c.82.n.3.* Medina *lib.1.Summæ,c.14. §.18.* Valent. *2.2.diſp.9.q.3.puncto 3.ad finem.§.Sentit tamen.* Saà *verbo, Luxuria, §. Oſcula, & tactus.* Lud. Lopes *1.p.Inſtruct.c.54.§.Peccant parentes.& c.75.§ penul.* Philiatch. *de officio Sacerd. tom.1.p.2. lib.4.cap.18.dub.3.* & alij, quos citat, ac ſequitur Sanch. *dicto n.49.* Nam,ſicut matrimonium ipſum cohoneſtat copulam inter cõiugatos;ita ſponſalia, quæ quoddam matrimonij initium ſunt, cohoneſtare debent huiuſmodi tactus, qui inchoatio quædam ſunt copulæ,præſertim quia ſic magis fouetur amor in ordine ad matrimoniũ:ex eo enim, quòd inchoatum ſit matrimonium per ſpõſalia de futuro, datur de præſenti ex natura rei maior facultas ad aliquas actiones,quæ ad copulã ordinantur:atqui delectationes ſumũt ſuam bonitatem,& malitiã ab obiectis;& tales ſunt, qualia obiecta,ex quibus capiuntur: ergo huiuſmodi delectationes inter ſponſos de futuro captæ ex huiuſmodi tactibus,oſculis, & aſpectibus à mortali excuſabuntur. 1. *1. concluſio.*

Sanchez. Caietan. Nauarr. Menoch. Veracrux. Gutierres. Graphis. Medina. Valentia. Saà. Lud.Lopes. Philiatch.

Non licent tamen tactus,& oſcula,& amplexus, ac proinde nec delectationes ſenſitiuæ ex illis captæ, nec à mortali excuſantur inter eos ſponſos, qui contrahunt ſponſalia cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis ſub conditione: Si Papa diſpenſauerit.ſemper autem hæc conditio inter eos datur, etiamſi non exprimatur; ſed inter eos tantùm, qui reuerà contrahunt ſponſalia abſque vlla conditione de futuro: quia dum ea conditio non ponitur in re, reuerà 2. *Limitatio huius primæ concluſionis.*

Sanchez. Sotus. Gutierres.

ſponſalia non ſunt; ſed talia erunt impleta conditione. Ita docet Sanchez *lib.9. de matr. diſp.46. n.48.ad finem*, & Sotus *in 4. diſt.29. q.2.art.1.ad finem,verſu,Hoc tamen addiderim.*& Gutierres *lib. 1.q.9.canon.cap.22.n.17.fine.*

3. *Explicatur magis prima concluſio.* Hæc doctrina probabilis eſt, quamuis ſponſi de futuro intendant eam delectationem ſenſitiuam captare, quæ ex ipſis tactibus, oſculis, & amplexibus habitis, aut cogitatis in appetitu ſenſitiuo oritur, cum commotione ſpirituum; dummodò tamen abſit periculum copulæ, aut pollutionis: quia ſponſalia, vt diximus, quæ matrimonij initium ſunt, excuſant à mortali hanc delectationem, quæ copulæ inchoatio eſt, & in omninò ſolutis eſſet culpa mortalis. Ita docet Sanchez *num.49.* Caietan. *in Summa,verbo, Sponſalia, & 2.2.q.154. art.4 poſt 1.dubium.§.In reſponſione ad 2.*Nauarr.*in Summa Lat.cap.14.n.18.*& *cap.16.n.12.* Lud.Lop. *1.p.Inſtruct.cap.14.§. Peccant parentes.& cap.75.§. penult.* Philiarchus *de officio Sacerd. tomo 1.p.2.lib. 4.cap.18.dub.3.*

Sanchez. Caietan. Nauarr. L.Lopes. Philiarch.

4. Dixi, *dummodo abſit periculum copulæ, vel conſenſus in eam, aut pollutionis:* tunc enim ij tactus peccatum lethale eſſent, & ſimiliter delectatio ex illis cogitatis capta. Et ita docent omnes *num.1.* allegati, & ſpeciatim Sanchez *dicto lib.9. de matrimonio, diſput.46.num.50.* Nauarrus *cap.16.num. 12.* Lud. Lopes *1. p. Inſtruct. cap.75.§.penult.*.Valentia *2.2.diſp.9.quæſt.3. puncto 3.ad finem, §.Sentit tamen.* Graphis *1. p. deciſionum, lib. 2.cap. 82. num. 3.* Philiarchus *de officio Sacerd. tom. 1. p. 2. lib.4. cap.18.folio 119. initio* Saà *verbo, Luxuria,§. Oſcula.* Et ratio eſt: quia & copula, & pollutio ſunt mortalia reſpectu ſponſorum de futuro: ergo & delectatio ſenſitiua ex illis, aut ex illorum cogitationibus capta: quia delectatio talis eſt, qualia ſunt obiecta, ex quibus capitur.

Sanchez. Nauarr. Lud.Lopes. Valentia. Graphis. Philiarch. Saà.

5. Dixi etiam, *dummodo tactus non ſint per partes pudendas:* quia huiuſmodi tactus nullatenus ſunt liciti ſponſis de futuro: quia ſunt diſpoſitiones proximiores copulæ, ac proinde illis ſolis ſunt licitæ, quibus licita eſt, & permiſſa ipſa copula coniugalis. Ita Sanchez *dicto lib.9.de matrimonio,diſp. 46.num.52.* Nauar. *in Summa, cap.16.n.13. & cap. 14.num 18.* Graphis *lib.2.deciſ.aur.p.1.cap.82.n.3.* Lopes *duobus locis, numero præcedenti allegatus.* Caietan.*in Summa, verbo, Sponſalia, & 2.2.q.154. art. 4. poſt 1. dub.* Petrus Ledeſma *de matrimonio, quæſt.43.art.1.dub.vltimo,§.Tertiò, ſecundum Theologos.*& Bartholomæus Ledeſma *dubio 14.de matrimonio,ad finem.* Et ratio eſt: quia materia eſt grauis: quamuis Caietanus *in Summa* latiùs aliquantulùm videatur loqui: dicit enim, hos tactus inter ſponſos de futuro eſſe mortales in caſibus, quibus inter coniuges mortales eſſent.

Sanchez. Nauarr. Graphis. L.Lopes. Caietan. P.Ledeſma. B.Ledeſma.

6. *2.concluſio.* Statuo ſecundò. Amplexus, & oſcula inter ſponſos de futuro in ſignum beneuolentiæ, & ad conciliandum, fouendúmque mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum, non ſolùm excuſantur à peccato mortali; ſed etiam licita ſunt omninò; quia finis eſt honeſtus: ſi verò finis ſit ſola delectatio ſenſitiua, erunt tantùm culpa venialis, ſi citra pollutionis periculum, aut conſenſum copulæ contingant. Et ratio eſt: quia finis eſt licitus, nempe, mutui amoris conſeruatio, & fomentum inter ipſos ſponſos: ergo & media proportionata ad talem finem: huiuſmodi autem actus, media ſunt proportionata ad hunc finem: ergo ad fouendum mutuum amorem in ordine ad contrahendum matrimonium, licita erunt; ſiquidem finis eſt licitus. Secùs, ſi in cogitatione illorum delectentur ob finē tantùm delectationis ſenſitiuæ capiendæ: quia tunc culpa erit venialis, cùm etiam inter coniugatos eadem culpa ſit, quando propter eum finem tantùm habetur. Ita docet expreſsè Sanch. *lib.9.de matrim. diſp.46.n.51.& diſp.44.n.9.*Caiet.*in Summa,verbo, Sponſalia,*& *2.2.q.154.art.4.poſt 1 dub.*Bart.Ledeſ. *dubio de matr.14.ad finem*, & plures alij, quos citat Sanch. Vnde, quando Aretin.*conſil.142.n.8.* Nauar. *in Sum.c.14.n.18. & c.16.n.12.* & Menoch.*de præſump.lib.3.præſump.1.n.16.* Philiar. *tom.1.de officio Sacerd. p.2.lib.4.c.18. dub.3.* Lud.Lop.*1.p.Inſtruct. c.54.§.Peccant parentes.* & *c.75.§.penul.* & alij, dicunt, hos tactus inter ſponſos de futuro ob ſolam ſenſitiuā delectationem ex illis capiēdam eſſe licitos; intelligunt non eſſe mortales, quales eſſent inter omninò ſolutos, & poſſe excuſari à veniali, ſi debitus adſit finis fouendi mutui amoris, in ordine ad contrahendū prędictum matrimoniū, vt optimè explicat Sanch.*lib.9.de matr.diſp.46.n.51.ad finem.*

Sanchez. Caietan. B.Ledeſma. Aretin. Nauar. Menoch. Philiarch. L.Lopes.

7. *Colloquia mutua, aſpectúſque inter ſponſos de futuro ſunt liciti.* Ex dictis colligitur excuſari à mortali, & veniali, colloquia mutua, aſpectúſque inter ſponſos de futuro, ſi adeſt honeſtus finis, qualis eſt, ſi habeantur ad fouendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum: nam, ſi habeantur ad voluptatem tantùm capiendam, ita vt voluptas, ac delectatio ſenſitiua ſit finis tantùm illorum; erunt culpa venialis. Vnde iuxta hos fines frui delectatione ſenſitiua ex illis habitis, aut cogitatis, erit culpa, vel non erit. Ita docet Nauar.*in Sum.cap.16. n.54.* Graphis *1.p.deciſ.aur. lib.2.cap.82.à n.3.* Secluſo ſemper pollutionis periculo, conſenſúſve in copulam: nam, ſi hoc periculum detur, iam id erit peccatum mortale: quod etiam eſt intelligendum, modò aſpectus non ſit valdè impudicus, vt partium verendarum, vt de tactibus diximus *num.5.* propter eandem rationem *ibi* tactam. Et ita docet Sanch.*dicto lib.9.de matr.diſp.46.n.54.fine.*

Nauar. Graphis. Sanchez.

8. *Quid, ſi ſponſalia ſint cōditionalia, vel perſonæ ſint impeditæ.* Quando autem ſponſalia ſunt conditionalia, & nondum impleta eſt conditio, vel perſonæ ſunt impeditæ, & ſub conditione: Si Summus Pontifex diſpenſet. ſponſalia contraxerunt, & impetrata eſt diſpenſatio; iam illa ſponſalia tranſierunt in abſoluta, & de huiuſmodi ſponſis idem eſt dicendum, quod modò de ſponſis, qui ſine vlla conditione, & impedimentis ſponſalia contrahunt, dictum eſt. Dum autem diſpenſatio non impetratur, non licent; ſed ſunt mortalia peccata tactus iſti, oſcula, & aſpectus inter huiuſmodi ſponſos, ſicut ſunt inter ſolutos, qui nulla ſponſalia contraxerunt, vt dicemus *num.10.* At, poſt impetrationem diſpenſationis idem de illis dicendum eſt, quod dictum manet de aliis ſponſis, qui nullum impedimentum habent. Ita docet expreſsè Sanchez *lib.1.de matrimonio, diſp.5. num.38.39.& 40.* Sotus *in 4.diſt. 29.quæſt.2.art.1.ad finem.* Veracrux *append.ad ſpeculum,ſuper art.19.de conditionibus matrimonij, fol. 118.§ Hanc opinionem.*Gutierres *quæſtionibus canonicis lib.2.cap.12.n.17.in fine.*Barth.Ledeſm.*de matrim.dub.25.concluſ.6.in fine.*

Sanchez. Sotus. Veracrux. Gutierres. Bart.Ledeſ.

9. *Quid poſt impletionem cōditionis, vel diſpenſationē obtentam.* An autem poſt impletionem conditionis, vel diſpenſationem obtentam, ſit adhuc neceſſarium repetere priorem conſenſum datum in illis ſponſalibus ab initio ſub tali conditione contractis, eſt dubium, ad quod negatiuè reſpondemus, licèt contrarium ſit ſatis probabile; & hoc probabilius eſt, vt latè probat Sanch. *lib.5. matrimonij,diſputat.5. num.24.*cum multis, quos ibi citat. Et ratio eſt: quia natura conditionis eſt, vt ſuſpendat actum, & eius abſolutam obligationem, dum conditio non ponitur,

Sanchez.

ponitur, & impletur: poſita autem, & impleta conditione ſtatim obligat, & non eſt opus nouus conſenſus.

10. *3. concluſio.* Statuo tertiò. Delectatio moroſa in appetitu ſenſitiuo cum cõmotione, ac prurigine ſpiritnum vitalium, capta ex ipſis tactibus, amplexibus, oſculis, verbis, atque colloquiis impudicis, vel in re habitis, vel in conſideratione apprehenſis inter ſolutos, quamuis nec de fornicatione, nec de pollutione, nec de illarum delectatione cogitetur; ſed ſolùm velint, & intendant in ipſa delectatione ſenſibili ex huiuſmodi tactibus, oſculis, & amplexibus conſurgente conſiſtere; eſt peccatum mortiferum. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp. 46. num. 7.* D. Thomas *de malo, quæſt. 15. art. 2. n. 18.* Palud. *in 4. diſt. 31 quæſt. 3. art. 2. num. 17. & ibi* Supplementum Gabrielis *quæſt. vnica, art. 3. dub. 2.* Caietan *2.2. quæſt. 154. de delectatione moroſa, dub. 3. & in Summa, verbo, Delectatio. §. Secundum, an delectatio. in fine, & verbo, Impudicitia, & verbo, Oſculum, num. vnico, ad medium.* Nauarrus *cap. Si cui. de pœnit. diſt. 1. num. 9. & 15.* Armilla *verbo, Impudicitia, num. 1. & verbo, Oſculum, num. 1.* Sotus *in 4. & quæſt. 190.* Medin. *lib. 1. Summæ, cap. 14. §. 18. folio mihi 118. pagina 2. & 12. quæſt. 74. art. 8. dub. 5. & ibi* Vaſquez *diſp. 109. num. 7.* Valent. *2.2. diſp. 9. q. 3. puncto 3. ad finem. §. Si autem huiuſmodi tactus.* Graphis *1 p. deciſ. lib. 2. cap. 75. num. 10.* & alij plures, quos citat, ac ſequitur Sanchez allegatus. Probatur ex D. Paulo *ad Galatas 5.* vbi enumerans opera carnis, præmittenſque immunditiam, & impudicitiam, ait: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Vbi Lyranus, ſuper verbum, *impudicitia,* ait, nomine impudicitiæ includi aſpectus, & tactus. Secundò, probatur ex D. Ambroſio in illud Pauli ad Theſſalonic. 5. in fine: *Salutate Fratres in oſculo ſancto.* vbi ſic ait: *Sancta oſcula ſunt, in ſalutatione Chriſtiana: cætera carnalia ſunt: quia, quidquid ſine Chriſto fit, carnale eſt, ac per hoc mortale.* Et ex D. Cypriano *lib. 1. epiſtola ad Pompon. de Virginib.* Et refertur *c. Nec aliqua. 27. q. 1.* vbi ſic inquit: *Certè ipſe concubitus, ipſe amplexus, ipſa confabulatio, & oſculatio, quantùm dedecoris, & criminis confitentur?* Vbi huiuſmodi Sancti expreſsè videntur docere, hæc omnia eſſe mortalia. Tertiò, quia amplexus, & oſcula ſunt ex natura ſua proximæ diſpoſitiones ad copulam, & notabiliter excitant vehementem corporis pruriginem, & ſpirituum inſeruientium generationi commotionem: quare talis delectatio nihil aliud eſt, quàm inchoatio copulæ carnalis, quæ omninò eſt mortaliter illicita inter lege matrimonij ſolutos. Vnde, ſi huiuſmodi tactus, & actus ſunt ex ſe mortales, mortalis quoque erit delectatio moroſa ſenſitiua cum eadem ſpirituum commotione, ex illorum cogitatione conſurgens, cùm delectatio talis ſit, quale eſt obiectum, in quod tendit, & à quo reſultat. Quartò, & vltimò, quia prohibita fornicatione per ſextum Decalogi præceptum, cenſentur prohibiti omnes actus, qui ſunt media ad illam: nam interdicta re aliqua, cenſentur interdici omnia, per quæ ad illa deuenitur. *l. Oratio. ff. de ſponſalibus.* & conceſſa re aliqua, cenſentur concedi omnia, ſine quibus illa conſequi non poteſt: atqui per oſcula, tactus, & amplexus cum commotione ſpirituum vitalium, & prurigine appetitus ſenſualis, ac ſenſitiui, peruenitur ad copulam, ac pollutionem: ſunt enim diſpoſitiones conducentes ad illam, adeò vt bruta etiam ſe illis, tanquàm proximis diſpoſitionibus, ad copulam excitent: ergo ſimul, ac eodem modo cum fornicatione huiuſmodi diſpoſitiones prohibentur: quòd ſi prohibentur hæ diſpoſitiones, ſimiliter prohibentur delectationes moroſæ, & ſenſitiuæ, ex illarum conſideratione, & cogitatione conſurgentes: delectationes enim tales ſunt, qualia obiecta, in quæ tendunt, & à quibus conſurgunt.

Sanchez. D.Thomas. Palud. Gabriel. Caietan. Nauarr. Armilla. Sotus. Medina. Vaſquez. Valentia. Graphis. *Probatur 3. concluſio.* Galat. 5. Lyranus. D.Ambroſ. D.Cyprian.

11. *Ampliatur 3. concluſio.* Concluſio procedit, non ſolùm de tactibus, oſculis, amplexibus, & confricationibus turpibus inter virum, & fœminam; ſed etiam inter perſonas eiuſdem ſexus, hoc eſt, inter duos viros, aut duas fœminas: quia inter has perſonas ad longè peiorem coïtum ordinantur. Ita Sanchez *dicto lib. 9. de matrimonio, diſp. 46. num. 8.* Graphis *1. p. deciſ. lib. 2. cap. 75. num. 10.* Gerſon. *2. p. opuſc. tripartito de præceptis Decalogi, cap. 13. Alphabeto 31. fine.* Nieua *in Summa, titulo 87.*

Sanchez. Graphis. Gerſon. Nieua.

SVMMARIVM DE coniugatis.

Delectatio moroſa cum commotione appetitus ſenſitiui, citra pollutionis periculum, capta ex tactibus, oſculis, & amplexibus, in coniugatis eſt licita, ſi habeatur ad præparationem copulæ, ob prolem ſuſcipiendam, aut fouendum mutuum amorem. n. 12.

Si hæc delectatio ex his rebus capiatur; non relata ad matrimonium, neque ad amorem coniugalem, ſed propter ſeipſam; eſt tantùm peccatum veniale in ipſis coniugatis. num. 13.

Si adſit periculum pollutionis, & tempore, & loco conuenienti hæc delectatio ab ipſis coniugibus propter ſe ipſam capiatur, in quo poſſint ſtatim copulari, tantùm erit peccatum veniale in coniuge petente. num. 14.

Quid etiam in reddente. n. 15.

Quid, ſi tam impudici ſint, vt inchoatio quædam futuræ pollutionis cenſeatur. ibid.

Delectatio ſenſitiua, & moroſa inter coniuges ex tactibus, oſculis, & amplexibus capta, propter gaudium, & voluptatem, quæ in illa ſentitur, & abſque animo perueniendi ad copulam, quatenus licita, & illicita. n. 16. & 17.

12. *4. concluſio.* STATVO quartò. In coniugatis delectatio venerea in appetitu ſenſitiuo, quæ capitur ex oſculis, amplexibus, & tactibus per partes etiam impudicas, abſque pollutionis periculo, ſi eam capiant ob copulam habendam, ad fouendum mutuum amorem, aut prolem ſuſcipiendam, & ad ſe præparandos ad prædictam copulam, eſt licita, & vacat omni culpa, etiam veniali. Patet, quia copula hoc modo habita eſt omninò licita; & huiuſmodi tactus, & ſenſitiua delectatio ſunt quædam media ad illam: ergo ſunt etiam liciti. Ita communiter Doctores. Sanch. *lib. 9. de matr. diſp 44. n. 10.* Sylueſt. *verbo, Debitum, n. 7.* Sotus *in 4. diſt. 31. q. vnic art. 4. in fine.* Palud. *in eodem 4 diſt. 31 q 3. art. 2. n. 17.* P. Ledeſma *de matr. q. 49 fine.* D. Anton. *3. p. titulo 1. cap. 20. § 6.* Graph. *1. p. deciſ. lib. 2. c. 82. n. 21.*

Sanchez. Sylueſter. Sotus. Paludanus. P.Ledeſma. D.Anton. Graphis.

13. *5. concluſio.* Statuo quintò. Si delectatio illa ſenſitiua inter præſentes coniugatos, capta ex his tactibus, oſculis, & amplexibus habeatur propter ſe ipſam, & nõ referatur ad copulam, nec aſſumatur, vt medium ad ſe ad illã excitandos, & abſit periculũ pollutionis; eſt tantùm peccatum veniale in petente. Patet: quia ipſa etiam copula inter ipſos cõiugatos habita, non

ad fouendum mutuum amorem, neque ad prolem ſuſcipiendam; ſed ad maiorem voluptatem ſenſitiuam ex ipſa copula captandam, eſt tãtùm peccatum veniale: eſt enim ſuperfluitas quædam actus matrimonij, quæ non excedit culpam venialem: ergo & tactus, & delectatio ex illis capta illam non excedent, cùm hæc ſint ſuapte natura media ad ipſam copulam & effectus ex tali copula: media autem totam ſuam bonitatem & malitiam ſumunt ex cauſa, ad quam ordinantur; & effectus cauſæ moralis non poſſunt maiorem malitiam habere, quàm cauſa, à qua producuntur, habeat: cauſa enim moralis totam ſuam malitiam & bonitatem effundit in illos. Ita Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp.* 44. *n.* 9. & omnes citati *num. præcedenti.* Sed hac de re ſermo redibit iterum *num.* 12.

Sanchez.

14. *Explicatur 5 concluſio.*

Dixi, *modò abſit periculum pollutionis*: quia certum eſt, tactus impudicos cum præuiſione futuræ pollutionis in coniuge petente, vel in ſe, vel in altero coniuge, niſi tempore, & loco habiti ſint, vbi adueniente periculo poſſint facilè ad euitandam prædictam pollutionem copulari, eſſe ſemper culpam lethalem; & conſequenter delectatio ſenſitiua ex illis capta, cùm ſit effectus ex tali cauſa, mortalis quoque erit, cum eodem periculo præuiſo: in loco tamen, & tempore, quo ſtatim poſſunt copulari, ſolùm erit peccatum veniale. Ita Sanchez *lib. 9. de matr. diſp.* 45. *n.* 37. vbi citat Nauarrum *in Summa, cap.* 16. *n.* 42. Graph. 1. *p. deciſ. aur. lib.* 2. *c.* 82. *n.* 21. & *cap.* 74. *fine.* Sotum *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt. vnic. art.* 4. *in fine*, Angelum *verbo, Debitum, q.* 26. Sylueſt. *ibi, q.* 7. Armill. *ibi, n.* 8. *& verbo, Impudicitia, num.* 3. Caiet. *in Summa, verbo, Matrimonium, c. vlt.* §. *vlt.* & *verbo, Interrogationes Confeſſorum in interrogationibus circa ſextum præceptum.* Medin. *lib.* 1. *Summæ, c.* 14. §. 18. *& cap.* 16. §. 13. *verſu, Lo nono.* Viualdum *in candelabro aureo*, 1. *p. de matrim. n.* 260. & multos alios.

Sanchez. Nauarr. Graphis. Sotus. Angelus. Sylueſter. Armilla. Caietan. Medina. Viualdus.

15. In reddente autem, ſi non adſit futuræ pollutionis periculum, & poſſint ſtatim copulari, nullum erit peccatum, neque veniale: ſi tamen adſit huiuſmodi periculum, erunt mortales huiuſmodi tactus in ipſo petente, etiamſi loco, & tẽpore conuenienti ad copulam ſtatim exercendam habeatur: in reddente tamen non ſunt mortales: excipe, niſi tales tactus ſint, vt inchoatio futuræ pollutionis cenſeantur; tunc enim, ſiue in ipſo reddente, ſiue in ipſo petente, mortale peccatum erunt. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp.* 45. *n.* 35. pro ſe tamen nullum profert Authorem: dicit verò, ſe credere, contra ſe nullum, quem ſciat, eſſe. Ratio illius eſt: quia reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur ex iure alterius: nam ſatis videtur cauſa eſſe excuſans ipſa redditio tactuum ab altero coniuge iure exactorum; hoc tamen temperat ipſe, & benè, vt dixi: niſi tactus tales ſint, vt iudicio prudentum ſint quædam pollutio inchoata, vt ſi vir digitos in vxoris vas intromittat, ibique ſiſtat, quaſi copulam exercens, digitis tanquàm inſtrumento vtens; aut, ſi à fœmina petat, vt eius virilia attrectet: tunc enim in reddente etiam erunt hæc mortalia cum periculo futuræ pollutionis: quia huiuſmodi tactus, quando ad propinquam copulam non diſponunt; ſed in eo loco, & tempore habentur, in quo non eſt opportunitas habendæ copulæ, inchoata pollutio dicuntur. Et hoc etiam videtur ſentire Nauarr. *in Summa, cap.* 16. *num.* 42. vbi, poſtquàm dixerat, eſſe mortales huiuſmodi tactus inter coniuges cum periculo pollutionis exercitos, *in fine* ait, ſimiliter peccare mortaliter coniugem non facientem; ſed conſentientem: quod ego interpretor reddentem, non petentem.

Sanchez.

Nauarr.

16. *An tactus inter coniugatos ob ſolam voluptatẽ ſenſitiuã, abſque intẽtione copula, & periculo pollutionis, ſint peccata mortalia.*

Sed adhuc punctum difficultatis in eo ſitum eſt, an tactus, oſcula, & amplexus inter coniugatos ob ſolam voluptatem ſenſitiuam in ipſis captandam, abſque animo perueniendi ad copulam, & abſque periculo futuræ pollutionis præuiſæ habiti, atque adeò an ipſæ ſolæ ſenſitiuæ delectationes ex illis captæ, abſque prædicto animo, & periculo præuiſo pollutionis, ſint peccata mortalia. Qua de re partita eſt opinio. Prima affirmat: quia omnis actus venereus non relatus ad copulam inter ipſos coniuges, eſt mortalis. Secundò, quia pollutio inter coniuges, ſi ſit voluntaria, eſt peccatum mortale: & huiuſmodi tactus per partes impudicas ex intrinſeca ſua natura, quando ad copulam non referuntur, ducunt ad pollutionem, & ſunt quædam diſpoſitiones vltimæ ad illam: quare, quando cauſa illius non habentur, ſemper erunt peccata mortalia: & quamuis videatur abeſſe periculum pollutionis, reverà ſemper adeſt; & qui amat periculum, peribit in illo. Ita docent D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 20. §. 6. Sylueſt. *verbo, Debitum, q.* 9. *n.* 8. Margarita Confeſſ. *in* 6. *præcepto Decalogi, fol.* 88. *caſu* 7. Humada *ſuper legem* 2. *tit.* 1. *partit.* 1. *gloſſ.* 2. *n.* 18. & Syluest. id tribuit Paludano *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 17. Sed immeritò: quia Palud. loquitur de eo caſu, in quo adeſt periculum pollutionis: iam verò ſi huiuſmodi tactus ſint enormes, peccata eſſe mortalia, non dubitat Alexand. *in ſuo Enchiridio, præcepto* 6. vbi de tactibus impudicis, §. *Et vſu, ſi in propria.*

1. opinio affirmat.

D. Anton. Sylueſter. Marg. Conf. Humada. Palud. Alexand.

17. *2. opinio verior negat.*

Secunda opinio verior, & probabilior negat eſſe peccata mortalia; & affirmat eſſe tantùm venialia: & id iam diximus *n.* 18. *concluſ.* 4. At præter Authores ibi allegatos, ita docet expreſsè Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp.* 44. *n.* 12. Roſella *verbo, Debitum, num.* 12. Angelus *ibi, num.* 26. Armilla *ibi, n.* 8. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. *in reſponſione ad* 2. & *in Summa, verbo, Impudicitia, & verb. Matrimonium, cap. vlt.* §. *vlt.* Abulenſis *in cap.* 5. *Matthæi, quæſt.* 197. Victoria *in Summa de matrimonio, num.* 274. Sotus *in* 4. *diſt.* 31. *quæſt. vnica, art.* 4. *in fine.* Graphis 1. *p. deciſ. aur. lib.* 2. *cap.* 82. *num.* 21. Medina *lib.* 5. *de continent. cap.* 77. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *diſp.* 113. *num.* 3. *&* 4. Ledeſma *de matrim. dub.* 28. *in fine.* Viualdus *in Candel. aur.* 1. *p.* vbi *de matrimonio, num.* 260. Rodriguez *tom.* 1. *Summæ, edit.* 2. *cap.* 249. *num.* 9. & idem docent omnes, qui generaliter, & indiſtinctè excuſant tactus impudicos, etiam per partes inhoneſtas, quoties non adeſt pollutionis periculum: & hi ſunt Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 51. *art.* 6. *propoſit.* 8. Ouandus *in* 4. *diſt.* 31. *quæſtione vnica, propoſit.* 3. Saà *in Summa, verbo, Luxuria*, §. *Oſcula, & tactus.* Medina *lib.* 1. *Summæ, cap.* 14. §. 18. Angles *in floribus*, 1. *p. de matrim. quæſt.* 5. *de bonis illius, in fine.*

Sanchez. Roſella. Armilla. Caietan. Abulenſ. Victoria. Sotus. Graphis. Medina. Vaſquez. Ledeſma. Viualdus. Rodriguez. Ledeſma. Ouandus. Saà. Medina. Angles.

Fundamentũ 2. opinionis.

Ratio, ac fundamentum eſt: quia voluptas illa ſenſitiua, ex his tactibus capta inter coniuges, abſque animo perueniendi ad copulam, & abſque præuiſione periculi pollutionis, non quæritur extra matrimonium; ſed in illo, & in actu ſuapte natura ordinato ad vſum illius, ſeu copulam: quare, etiamſi non habeatur animus perueniendi ad ipſam copulam; ſed tantùm ſiſtendi in ipſa delectatione moroſa, quæ ſentitur in tactibus, oſculis, & amplexibus; id non excedit culpam venialem indebiti finis: eſt enim id ſuperfluitas quædam matrimonij, quam ad mortale damnare, durum admodum videtur, quãdo abeſt periculũ pollutionis;

imò,

imò, & quando adeſt, ſed in loco, & tempore, in quo facilè irritata prurigine, copula haberi poteſt, ad fugiendam, & euitandam pollutionem, vt diximus *num.* 19. Quare, ſicut matrimonium excuſat vſum copulæ inter coniuges; ita debet excuſare huiuſmodi tactus, & voluptatem ex illis captam: quia ſunt media ordinaria, & ordinata ab ipſa natura ad illam: intentio autem coniugum ſiſtendi in ipſa delectatione tantùm, quæ ex illis, & in illis ſentitur, eſt ſuperfluitas quædam indebiti finis ab ipſis intenti, quod culpam venialem non excedit: & licèt ſemper timeri poſſit pollutionis periculum, ſi non præuideatur, eſt remotum, cùm proximè huiuſmodi tactus, oſcula, & amplexus ordinentur ad copulam, remotè ad pollutionem.

Quid de verbis turpibus inter coniugatos. Ex dictis infertur, idem quoque dicendum eſſe de verbis turpibus inter coniuges habitis abſque pollutionis periculo: nunquam enim ſunt peccata mortalia, ſed erunt venialia, ſi ad voluptatem tantùm referantur: licita autem, & veniali labe immunia, ſi ad prouocationem ad copulam reducantur: ſicut de tactibus, oſculis, & amplexibus diximus: quia eadem eſt ratio; & matrimonium omnes has delicias excuſat à mortali.

Capvt VI.

An delectatio moroſa liceat coniugibus, quando ob aliquam circunſtantiam extrinſecam voti, valetudinis, affinitatis, aut dubij valoris matrimonij copula non eſt licita.

SVMMARIVM.

- *Explicatur ſtatus quæſtionis.* num. 1.
- *Quoties copula coniugibus ſolùm eſt illicita ob aliquam circunſtantiam extrinſecam, v. c. ob impotentiam coëundi aduenientem matrimonio iam contracto; ob periculum aborſus, valetudinis, &c. licita eſt delectatio moroſa appetitus ſenſitiui, capta ex copula cogitata vt præſenti, & ex tactibus, oſculis, & amplexibus abſque pollutionis periculo.* num. 2. & 3.
- *Quid de circunſtantia affinitatis extrinſeca, adueniente matrimonio contracto.* n. 4.
- *Quid, ſi aliquis coniux ſit dubius de valore matrimonij.* num. 5.
- *An ſaltem liceat coniugi impedito aliqua circunſtantia extrinſeca ad petendum, captare delectationem ſenſitiuam ex redditione copulæ cogitata vt præſenti, & ex redditione tactuum, oſculorum, & amplexuum.* num. 6.
- *Quid, quando vnus coniux, aut vterque impeditus eſt ratione voti caſtitatis.* n. 7. 8. 9.
- *An coniux, qui in actu coniugali delectatur in cogitatione alterius fœminæ, mortaliter peccet.* n. 10.

1. *Copula quotupliciter inter coniuges illicita.* Copvla vel poteſt eſſe illicita inter coniuges ob circunſtantiam extrinſecam voti, aut valetudinis, quando, ſcilicet, nimiùm nocet ſaluti corporali, vel ob circunſtantiam impedimenti matrimonij, affinitatis, conſanguinitatis, vel ob dubium de valore matrimonij, ob periculum aborſus, ob impotentiam coëundi ſupetuenientem matrimonio, vel ob quancunque aliam circunſtantiam

extrinſecam, quæ occurrere poſſit: inquirimus ergo, an delectatio moroſa, & voluptas ſenſitiua liceat coniugibus, quando ratione alicuius circunſtantiæ extrinſecè occurrentis copula non licet, ſiue ea delectatio ex tactibus, ſiue ex verbis, ſiue ex aſpectibus ab ipſis coniugibus capiatur: & his animaduerſis, *An delectatio moroſa liceat coniugibus impeditis à copula habenda.*

Statuo primò. Quoties copula coniugibus non licet, ob aliquam circunſtantiam extrinſecam, 2. *1. concluſio.* quæ per ſe vſum matrimonij non impedit, vt ſi illicita ſit propter notabile periculum valetudinis, propter periculum aborſus, aut propter impotentiam coëundi ſuperuenientem matrimonio iam contracto, vel ob aliquam ſimilem extrinſecam circunſtantiam, licita eſt delectatio moroſa appetitus ſenſitiui inter coniuges, citra futuræ pollutionis periculum de copula cogitata, vt præſenti: liciti etiam ſunt tactus, verba, oſcula, & amplexus, & delectatio capta ex illis, cum commotione, & prurigine in eodem appetitu ſenſitiuo, perinde ac ſi non fuerit talis extrinſeca circunſtantia, & impedimentum. Ita docet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp.* 44. *num.* 21. *Sanchez.* *& 22.* Fundamentum eſt primò: quia tunc vſus *Fundamenta primæ concluſionis.* matrimonij ex ſua natura eſt licitus, & ſolùm ob circunſtantiam extrinſecam prohibetur ratione charitatis, & pietatis erga ſe ipſum, & erga alios; quæ ratio obligat ad vitandum damnum proprium, & damnum coniugis, & prolis: ſed ea delectatio, & tactus non aduerſantur his virtutibus, licèt aduerſetur copula, ad quam tactus, & delectatio ipſa ordinantur, cùm ex delectatione ipſa capta ex tactibus tale damnum non timeatur: ergo licita eſt talis delectatio, & non prohibita, ſi ad fouendum amorem matrimonialem habeatur: ſi verò in ea ſiſtatur, & in ſe, & propter ſe tantùm quæratur, & non referatur ad matrimonium, & captetur ex copula, vt præſenti cogitata, aut ex tactibus impudicis, venialis tantùm culpa erit, vt *ſuprà* diximus *cap. præcedenti, num.* 21. Secundò, quia nefas eſt commiſceri coniuges in loco publico: nemo autem damnabit delectationem ſenſitiuam internam ibi habitam de copula coniugali cogitata: quia ea delectatio ſenſitiua, cùm interna ſit, non aduerſatur honeſtati publicæ, & naturali, ratione cuius copula in eo loco publico habita eſt illicita. Vnde fit, vt ſi talis delectatio, taléſque tactus referantur ad matrimonium, & habeantur ad mutuum amorem illius fouendum, vitandámve incontinentiam, vel in ſe, vel in alio coniuge, ſint liciti: ſi verò habeantur propter ipſam ſolam ſenſitiuam delectationem captandam, citra pollutionis periculum, erunt venialiter tantùm illicita, vt probauimus *in cap. præcedenti, n.* 18. *&* 21.

Ex quo etiam infertur, idem dicendum eſſe, ſi 3. detur naturale impedimentum ad coïtum coniu- *Idem concluditur de naturali impedimento.* galem, vt ſi impotentia coëundi ſuperueniat matrimonio iam contracto, & conſummato, vt diximus: quia eædem rationes *ibi* etiam militant, vt docet Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp.* 44. *num.* 22. *Sanchez.*

Statuo ſecundò. Quoties ſimiliter matrimo- 4. *2. concluſio.* nio iam contracto, & conſummato ſuperuenerit impedimentum aliquod affinitatis, aut cognationis alteri coniugum reſpectu alterius, vt quia vir cognouit ſororem, vel matrem vxoris ſuæ, aut vxor fratrem viri ſui, &c. ratione cuius impedimenti, ei copula cum vxore ſua ſit interdicta, & prohibita; licita etiam eſt ei delectatio moroſa appetitus ſenſitiui de copula cogitata, vt præſenti,

liciti tactus per partes impudicas, verba, oſcula, & amplexus, & delectatio ſenſitiua capta ex illis, eo pacto, quo licita hæc eſſent, ac ſi non eſſet tale impedimentum; modò abſit periculum pollutionis, & periculum copulæ habendæ cum eo impedimento. Vnde fit, vt ſi hæc delectatio moroſa ex his tactibus capta referatur ad matrimonium,& habeatur ad fouendum maritalẽ amorem, & vitandam incontinentiam, vel in ſe, vel in altero coniuge; ſit omninò licita: ſi verò in ea omninò ſiſtatur,& propter ſeipſam ſolam habeatur,non ad fouendum mutuum amorem, vitandámve continentiam, ſit tantùm culpa venialis, modò ſemper abſit periculum pollutionis, vt hactenus probatum eſt. Ita docet idem Sanch. *lib.9.de matrim.diſp.* 44.*n.*23. Fundamentum eſt:quia,abſolutè loquendo,vſus matrimonij,& copula illius eſt licita inter coniuges; & ſolùm tunc prohibetur petitio illius propter impedimentum extrinſecum:at hæc delectatio de copula cogitata vt præſenti,& hi tactus, & delectatio ex illis capta,non aduerſatur tali impedimento, nec per illud immediatè prohibetur; ſolùm enim prohibetur vſus copulæ, & petitio illius. Quare, ſi hæc habeantur in ordine ad matrimonium, ad fouendum mutuum amorem, aut vitandam incontinentiam in ſe,vel in altero coniuge, erunt ſine dubio licita: ſi verò ad matrimonium non referantur, nec ad vitandum incontinentiam; ſed ſolùm hæc copula cogitetur,vt præſens, & tactus impudici habeantur propter ipſam tantùm delectationem ſenſitiuam,quæ in illis ſentitur,& in ea ſiſtatur; erit tantùm culpa venialis, vt dixi.

Sanchez.

Fundamentū ſecundæ concluſionis.

5. *3. concluſio.* Statuo tertiò. Quoties coniugi alicui interdicta eſt debiti petitio,eò quòd ſit dubius de valore matrimonij; peccatum erit mortale delectatio partis ſenſitiuæ de copula cogitata vt præſenti, & capta ex tactibus,oſculis,& amplexibus præſentibus:quia matrimonium eam delectationem cohoneſtans,eſt dubium, ac proinde dubia etiam erit honeſtas illius delectationis; nec aliunde ius poſſeſſionis, & petitionis ipſius copulæ præponderat:quia iam de illo ipſo iure dubitatur, vt patet. Ita docet Sanch. *lib.9.de matrim.diſp.*44.*n.*24.

Sanchez.

6. *Ampliatur 3. concluſio.* Nec licebit etiam prædicta delectatio partis ſenſitiuæ de actu redditionis debiti cogitato ſub conditione,ſi petatur: quia,quanuis liceat reddere debitum alteri coniugi bonæ fidei,& de valore matrimonij non dubitanti,poſita ea conditione,ſi petatur: at ea à parte rei non poſita, ſicut non licet ipſa copula, ita non licet delectatio in appetitu ſenſitiuo de ea vt præſenti cogitata;nec licent tactus, nec oſcula, nec amplexus,nec delectatio moroſa cum ea prurigine ſenſitiua ſimiliter ex illis capta: quia hæc omnia ordinantur ad copulam,& ſunt media proxima, & propinqua ad illam. Licitus tamen erit actus complacentiæ, & gaudij, in voluntate,ſine commotione partis ſenſitiuæ,& appetitus inferioris: ſicut ſoluto fas eſt concipere delectationem,& gaudium in voluntate de acceſſu ad mulierem, ſi eſſet vxor propria; non tamen in appetitu ſenſitiuo:quia delectatio in hoc appetitu conſurgens oritur ex vehementi commotione ſpirituum vitalium ſubſeruientium generationi; ac proinde eſt quaſi inchoatio copulæ præſentis,quæ illicita eſt,cùm à parte rei conditio non adeſt. Deinde, quia actiones in appetitu ſenſitiuo non feruntur in obiecta ſub conditione aliqua;ſed abſolutè: feruntur enim in obiecta,vt proponuntur ab imaginatiua, quæ nequit conditionem apponere, aut præſcindere rationem communem à particulari, atque ita delectatur appetitus ſenſitiuus illo actu independenter à conditione, vt iam ſatis explicauimus *cap.*2.*&* 3. quod benè etiam docet, ac explicat Caiet. *tom.*1.*opuſc. tract.*4. *de delectatione moroſa,dub.*1.& Sanchez *dicto lib.9.de matrim.diſp.* 44.*num.*24.

Caietanus. Sanchez.

Statuo quartò. Quando ratione circunſtantiæ extrinſecæ voti caſtitatis non licet coniugibus,nec petere,nec reddere: quia ad id de communi conſenſu ſe voto obligarunt, non licet eis captare delectationem ſenſitiuam,neque ex tactibus,oſculis, verbis, & amplexibus; neque ex copula cogitata vt præſenti: eſt enim tunc id lethale ſacrilegium aduersùs votum. Ita Sanchez *lib.9.de matrim.diſp.* 44.*n.*25.*&* 26. Probatur: quia, quando coniuges de communi conſenſu voуent caſtitatem, vouent nec petere,nec reddere; & ideò tenentur,in quantum poſſunt, abſtinere ab illis omnibus actibus, qui caſtitati aduerſantur, vt eſt communis doctrina,quam probat Vaſq. 1.2.*q.*74.*art.*8.*diſp.*112.*n.*11. & huiuſmodi actus omnes caſtitati aduerſantur: ergo tenentur abſtinere ab illis. Confirmatur:quia vouens abſolutè caſtitatẽ,tenetur,quantùm poteſt, ab omnibus actibus venereis ipſi caſtitati aduerſantibus abſtinere;ſolúmque illi permittitur id, ad quod lege matrimonij ex iuſtitia tenetur, nẽpe, ad redditionẽ debiti, quando ſolus ipſe vouit,licèt de conſenſu alterius vouerit: nam, quando vterque coniux de communi conſenſu vouit caſtitatem, probabile eſt,nec redditionem,nec petitionem eis permiſſam eſſe lege matrimonij. Quam opinionem tenet Syluest. *verb.Votum*,5.*q.*2. Nauarr. *in Summa, cap.*12.*n.*59.& *cap.*16.*n.*31. Rodrig. *tom.*2.*Summa, cap.*90.*n.*5. Veiga *tom.*2. *Summæ, cap.*129.*caſu* 77. Lopez 1.*p. Inſtruct. cap.*48.*initio*, & *cap.*46.*initio*, ergo tenetur integrè ſeruare caſtitatẽ, & abſtinere ab omnibus actibus venereis, qui illi aduerſantur. 7. *4. concluſio.*

Sanchez. *Vaſquez.* *Syluester. Nauarrus. Rodriguez. Veiga. Lopez.*

Statuo quintò. Si alter coniux, aut vterque ſimul vouiſſet ſolùm non petere, liceret eis captare delectationem moroſam appetitus ſenſitiui cum commotione ſpirituum, & prurigine carnis in eodem appetitu ſenſitiuo; licerent tactus, oſcula, & amplexus,& delectationes ex illis captæ: quia hæc non aduerſantur illi voto, quod ſolùm interdicit debiti petitionem;ſolùm enim vouerunt non petere,& nihil ampliùs vouerunt;& alia ex parte hæc omnia ſunt illis licita ratione matrimonij. Ita Sanchez *lib.9.de matr.diſp.*44.*n.*26. Dices: Illa præſens delectatio,cùm habeatur ex præſenti commotione appetitus ſenſitiui, moraliter loquẽdo,eſt quædam petitio. Reſpondeo,non eſſe,quando quis expreſsè vouit ſolùm non petere:neque enim vota obligant vltra intentionem vouentium. Si dubitat,an ſolùm per huiuſmodi votum ab his etiam actibus voluerit abſtinere, interpretandum eſt votum in fauorem libertatis vouentis, vt magis non obliget, quàm obliget. 8. *5. concluſio.*

Sanchez. Obiectio. *Solutio.*

Statuo ſextò. Quando vnus tantùm coniux habet votum caſtitatis,nõ licet ei petere debitum, ac proinde non licebit etiam captare delectationem ſenſitiuam ex copula à ſe petita cogitata, vt præſenti, cùm eius petitio ei ſit illicita; nec etiam ei licet petitio tactuum, præſertim impudicorũ, cùm hæc ſint media, & diſpoſitiones ad ipſam copulam;nec delectatio ſenſitiua capta ex his tactibus: licebit tamen delectari ſenſitiuè in redditione copulæ, ſi ab eo per alterum coniugem petatur: quia redditio copulæ eſt ei licita: & conſequenter licebit ei reddito tactuum, ſi ab eo ſimiliter 9. *6. concluſio.*

ſimiliter petantur; & delectatio ſenſitiua capta ex redditione illorum in ordine ad redditionem copulæ; quia, quoties actus eſt licitus, licita etiam eſt delectatio ſenſitiua capta ex illo: ſed redditio eſt licita: ergo etiam erit licitum delectari ex tali redditione cogitata vt præſenti. Ita Sanch. *lib. 9. de matr. diſp. 36. num. 10.* & *diſp. 6. num. 3. & 7.* & *diſp. 44. num. 25. & 26.*

Sanchez.

10. *Delectatio in actu coniugali de altero viro, aut fœmina, eſt mortalis.* Sanchez. D. Anton. Syluester. Philiatc.

Illud tamen animaduertendum eſt, culpam eſſe mortalem, ſi coniux in actu coniugali delectetur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione, quos carnaliter diligit: quia hæc eſt delectatio moroſa in obiecto moraliter malo. Ita Sanch. *lib. 9. de matr. diſp. 17. num. 6.* D. Anton. *3. p. tit. 1. cap. 20. §. 1.* Syluest. *verbo, Debitum, q. 2. in fin.* Philiatchus *de officio Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 4. cap. 19. paulò poſt initium.* Meritò tamen aſſerunt, *quos carnaliter diligunt*: quia, ſi illa delectatio ex nulla re turpi haberetur; ſed ex ſola pulchritudine viri, aut fœminæ, ac poſſet quis delectari in cogitatione arboris pulchræ, vt vel ſic ad actum coniugalem excitetur; non id culpæ lethalis damnarem, cùm ea delectatio in nullum turpe obiectum feratur, & ad honeſtum finem dirigatur; nempe, ad copulam coniugalem. Eſt tamen id vehementer reprehendendum, ac diſſuadendum propter periculum.

CAPVT VII.

An actus externi, veluti tactus, & amplexus illiciti, habeant aliquam malitiam ex ſe, an totam accipiant ab actionibus internis.

SVMMARIVM.

Moralitas, & naturalitas, & eſſe morale, & naturale, in actibus humanis, quomodo inter ſe differant. num. 1.

Ratio bonitatis, & malitiæ moralis in quo conſiſtat. num. 2.

An bonitas, ac malitia priùs conueniat actui interno, quàm externo. num. 3.

Refertur opinio Alenſis aſſerentis, primariò conuenire actui interno; addere tamen per ſe actum externum aliquam bonitatem, vel malitiam actui interno. num. 4.

Refertur opinio Medinæ aſſerentis, actus externos potentiarum executiuarum nullam addere malitiam, vel bonitatem per ſe actibus internis: ſecùs de actibus intellectus, & appetitus ſenſitiui. num. 5.

Refertur, & reiicitur opinio Vaſquez. n. 6. & 7.

Præfertur omnibus his ſententiis ea, quæ aſſerit, actus externos nullam formalem bonitatem, vel malitiam habere, quam addant actibus internis. n. 8. & 9.

Proponuntur inſtantiæ Vaſquez, & ſoluuntur. num. 10.

An ratio liberi ſit fundamentum moralitatis actus humani. num. 11.

Actus internus, & externus vnicam tantùm bonitatem, vel malitiam habent. num. 12.

Reſpondetur opinioni Medinæ. num. 13.

Soluuntur inſtantiæ, quas Vaſquez pro ſua opinione attulit. num. 14.

Actus internus, & externus, non efficiunt plura peccata; ſed vnum numero. num. 15.

NOTARI velim primò, actui morali competere bonitatem, & malitiam ex ſe. Eſt autem actus moralis, & humanus ille, qui procedit à voluntate humana, & ratione. Dicitur *moralis*, à more, & conſuetudine, vt optimè notat Durandus *in 2. diſt. 38. q. 1. num 3.* & Gregor. de Valentia *1. 2. diſp. 11. q. 13. punct. 1. verſu, Igitur, quoad primum.* non, quia tendit ad mores bonos, vel malos, vt alij dixerunt; ſed, quia ex frequentatione aſſueſcunt potentiæ voluntatis, & intellectus huiuſmodi actibus eliciendis, quibus inclinantur, facilitantúrque ad illos. 1. *Actus moralis, & humanus, quis.* Durand. Valentia.

Nec obſtat, quòd phantaſia, & aliæ potentiæ hominis carentes ratione, ex frequentatione actuũ aſſueſcant etiam, & facilitentur ad ſuos actus eliciendos, vt inde inferamus, actus etiam illarum dici morales: quia, cùm non procedant à voluntate, & ratione, non ſunt liberi, ac proinde nec morales; ſed phyſici, & naturales: actus autem morales debent procedere à voluntate, & ratione, ac proinde debent eſſe liberi, vt ſint morales: cùm autem tales actus liberi non ſint, morales eſſe non poſſunt. Neque actio ſolùm dici poteſt, ac nominari moralis; ſed quicquid in actione conſideratur; obiectum, ſcilicet, motiuum, circunſtantiæ, &c. poteſt, ac ſolet morale quidpiam nominari, prout habent reſpectum ad voluntatem, & rationem. Quo fit, vt hæc vocula, *moralis*, ſit analogica, quatenus actioni humanæ, & aliis rebus ad actionem pertinentibus accommodatur primariò, & per ſe actioni; ſecundariò, & per accidens aliis pertinentibus ad talem actionem. *Actus phantaſiæ, & aliarum potentiarum carentium ratione, nõ ſunt morales.* *Dictio, moralis, eſt analogica.*

Eſſe autem morale actus; ſeu actionis liberæ tantùm, diſtinguitur per rationem ab eſſe naturali illius: nam eſſe naturale illius eſt ipſa entitas prædictæ actionis liberæ, quatenus conſideratur verſari circa tale, vel tale obiectum, & elicitur à potentia libera voluntatis, & intellectus: eſſe autem morale eſt eadem met actionis entitas, quatenus conſideratur procedere, & elici à voluntate, & ab intellectu: ex quo ſequitur, vt vix etiam ratione diſtinguatur eſſe morale, ab eſſe naturali. Hoc etiam dici poteſt in actionibus à voluntate elicitis, & procedentibus, nempe, in hoc ſaltem differre eſſe naturale à morali illarum, quòd naturales dicantur, vt conſiderantur elici præcisè à voluntate: morales autem, quatenus conſiderantur ſimul etiã à ratione dirigi: & ſimiliter hoc ſolùm differre eſſe morale, & naturale in actionibus ab intellectu elicitis, quòd naturales dicuntur, vt conſiderantur elici præcisè ab intellectu: morales verò, vt conſiderantur ſimul etiam fieri ex quadam motione, & imperio voluntatis, quoad exercitium. Ita docet Valentia 1. 2. *diſp. 11. q. 13. punct. 1. verſu, Porrò.* & *verſ. Sed tamen.* *Eſſe morale quomodo diſtinguatur ab eſſe naturali.*

Notari velim ſecundò, rationem bonitatis moralis in eo conſiſtere, vt nulla perfectio deſit actui morali, quam debeat homo in eo actu habere, quatenus ratione, & voluntate vtitur in agendo circa hanc, vel illam materiam: rationem verò malitiæ moralis in eo conſiſtere, vt deſit actui morali aliqua perfectio debita tali actui: nam bonum nonniſi ex integra cauſa; malum autem ex quocunque defectu. Ita D. Thom. *2. 2. q. 18. art. 1.* & Valentia proximè allegatus *verſu, Quoad ſecundũ.* Cùm hoc autem ſtat, vt poſſit actus moralis eſſe magis, vel minùs perfectus: quia ipſæ perfectiones in ſe, quæ concurrunt, ad bonitatem actus moralis, poſſunt eſſe perfectiores, aut minùs perfectæ; intenſiores, aut minùs intenſæ, vt de ſe patet. 2. *Ratio bonitatis, & malitia moralis in quo conſiſtat.*

3. *Vtrùm bonitas ac malitia priùs cõueniat actui interno, quã externo, & è contra.*

His breuiter notatis, & animaduerſis, (poſtulant enim grandes diſputationes,) quæſtio in articulo propoſita petit, vtrũ bonitas, ac malitia priùs conueniat actui interno, quàm externo; an è contrario priùs actui externo, quàm interno. Et antequàm ad hanc quæſtionem reſpondeamus, animaduerto breuiter, per actus externos, nos hîc intelligere eos actus morales, qui non ſunt eliciti à voluntate, vt optimè notat Caietanus hîc *in* 1. 2. *q.* 18. *art.*1. & Valentia *ibi, diſp.*11. *q.*15. *punct.*1. *initio*; ſed ſunt tantùm ab illa imperati: quo pacto non ſolùm actus potentiarum externarum; ſed etiam potentiarum internarum, vt appetitus ſenſitiui, & intellectus in hac conſideratione externi ſunt. Actus verò voluntatis, quos ipſa ſibi imperat, nec ſunt, nec dici poſſunt externi: quia ita imperantur à voluntate, vt ab illa etiam eliciantur, licèt in alia conſideratione inſtar externorum ſe habeant. Hoc animaduerſo, veniamus ad quæſtionem.

4. *Opinio Alenſis.*

In præſenti igitur quæſtione variæ ſunt ſententiæ. Primò enim Alenſis 4.*p.q.*77. *membro* 3.*art.*5. & Scotus *quodlib.* 18. *art.* 3. licèt tribuant primariò bonitatem, & malitiam actui interno; addunt tamen externum etiam per ſe conſideratum aliquid bonitatis, vel malitiæ continere, eámque addere actui interno. Et id probare intendunt: quia in actu externo ſunt propria bonitatis, & malitiæ principia, & propriæ origines, id eſt, propria obiecta, & circunſtantiæ, per quas conformatur, vel difformatur ratione naturali: ergo ex iis propriam ſumet bonitatem, vel malitiam; ſiquidem, vbi datur propria, ac certa cauſa, proprius ac certus effectus dari debet. Deinde proferunt D. Auguſtinum *lib.*13. *de Trinitate*, *c.*5. ita aſſerentem: *Mala voluntate, vel ſola miſer quiſque efficitur; ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Ex quo loco ita argumentum formant: vel dicitur miſerior; quia, quando actu externo exequitur malam ipſam voluntatem, committit grauiorem culpam; vel, quia ſubiicitur grauiori pœnæ. Si culpa eſt grauior; ergo actus externus ex ſe propriam, & peculiarem habet malitiam, quam addit actui interno. Si pœna eſt grauior, eo ipſo culpa eſt maior: quia pœna, quatenus pœna, non creſcit, niſi ex incremento culpæ. Confirmatur: quia de bonitate, & malitia humanorum actuum iudicandum eſt, ſicut de bonitate, & malitia aliarum rerum: ſed hæc non exiſtit tantùm ex rei eſſentia; ſed etiam ex accidentibus, & circunſtantiis ipſius rei: ergo bonitas quoque, & malitia actus humani ex circunſtantiis exiſtit, quando eæ circunſtantiæ ſunt accidentia talis actus. Et hæc confirmatio patet ex ſacra Scriptura: quia paſſim requirit modum debitum in actionibus; & reprehendit aliqua opera abſolutè bona, ob ſolum defectum alicuius circunſtantiæ, v. c. finis, perſonæ, temporis. Patet ex ſacrificio, quod perperam obtulit Saül 1.*Reg.*13.*&* 15. & in aliis.

D.Auguſt.

5. *Opinio Medinæ.*

Medina verò 1.2. *q.*21.*art.*3. aſſerit, actus externos potentiæ executiuæ nullam bonitatem, vel malitiam intrinſecam ex ſe habere: addit tamen, in actibus intellectus, & appetitus intrinſecam malitiam formalem inueniri: quia huiuſmodi actus modo aliquo interni ſunt. Idque probat in peccato hæreſis, & delectationis moroſæ: nam huiuſmodi actus, ſi præuideantur, & permittantur, praui ſunt, non denominatiuè ab actu voluntatis; quia ſupponimus, nullum elici: ergo à formali malitia, quam in ſe habent, quatenus in intellectu, & appetitu ſenſitiuo conſiſtunt.

Vltimò Gabriel Vaſquez 1. 2. *q.* 20. *diſp.* 73. *à cap.*5. diſtinguit inter bonitatem, & malitiam deriuatam ex obiecto, & ex circunſtantiis; & inter eam bonitatem, & malitiam, quæ ex fine ſumitur. Primò igitur aſſerit, malitiam deſumptam ex obiecto, & circunſtantiis formaliter, primariò, & intrinſecè in actibus externis conſiſtere, indéque deriuati extrinſecè, & denominatiuè ad actus internos, & hoc duplici ratione intendit probare. Primò, quia, quod primariò prohibetur, primariò eſt prauum: ſed actiones externæ primariò prohibentur: ergo primariò ſunt prauæ. Conſequentia eſt bona. Maior probatur: quia illud primariò prohibetur, cui primariò competit ratio prohibitionis, quæ eſt malitia. Minor oſtenditur: quia præcepta humana primò, & per ſe prohibent actiones externas; & internas prohibere nequeunt, niſi indirectè, ratione externarum, quatenus externas vetant, vt ex materia de legibus conſtabit. Secundò, quia præcepta naturalia, & diuina primariò vetant actiones externas: nam primariò, & per ſe in ſeptimo præcepto Decalogi prohibetur furtum externum: quia in ea actione externa conſummatur peccatum furti in ratione damni; ſecundariò verò, & per accidens furtum internum, ſeu voluntas furandi. In octauo primariò, & per ſe prohibetur detractio, & contumelia externa: quia in ea datur perfecta iniuria proximi; ſecundariò verò, & denominatiuè iudicium temerarium, & detractio interna: & ſic de cæteris. 6. *Opinio Vaſquez.*

Confirmatur: quia, ſi nonum, & decimum præceptum Decalogi primò, & per ſe prohibent concupiſcentiam vxoris, & rei alienæ, id non ideò fit, quòd primariò affectus internos, & ſecundariò externa opera prohibeant; ſed lata ſunt ad tollendam falſam opinionem vulgi exiſtimantis, concupiſcere vxorem, & res alienas non eſſe prohibitum; ne, ſcilicet, putaret vulgus imperitum, ſola externa opera prohiberi in præceptis Decalogi; & nullo modo, nec ſecundariò inibi prohiberi actiones internas, cùm tamen apud doctos, & prudentes viros manifeſtum ſit, prohibito externo furto, & externo opere fornicãdi, & furandi per ſextum, & ſeptimum præceptum, eo ipſos internos affectus manere prohibitos. Ad tollendam ergo hanc vulgi opinionem, in nono, & decimo præcepto expreſſiùs actus interni prohibentur: nam ideò velle furari eſt malum; quia furari malum eſt: ergo formalis malitia, quæ ſumitur ex obiecto, & circunſtantiis, priùs eſt in actu externo, quàm in interno, & in illo intrinſecè, in hoc per denominationem extrinſecam: quod enim non licet facere, non licet deſiderare, vt fiat. Quamobrem præcepta, quæ prohibent furta, & fornicationem externam primariò, & per ſe; conſequenter prohibent affectum furandi, & fornicandi. *Confirmatur.*

Aſſerit deinde Vaſquez *cap.* 6. malitiam, quæ ſumitur ex fine, primariò, & intrinſecè inueniri in actione interna, indéque ſecundariò, & extrinſecè ad externam deriuari: circa quam aſſertionem plurima in *dicto cap.* diſtinguit, & ſatis fusè, vt ſuam ornet, & coloret opinionem, quæ ibi videri poſſunt. *Capite* verò 7. de formali bonitate aliter philoſophatur, aítque, formalem bonitatem perpetuò in actu externo intrinſecè, ac primariò reperiri, ex illóque extrinſecè, & ſecũdariò in actum internum refundi. Denique *in cap.* 7. prolixiùs contendit, D. Thomam *hac q.*20. idem planè docuiſſe, quod ipſe ſentit. 7.

Nihilominùs dicendum eſt, formalem bonitatem, 8.

Formalis bonitas, & malitia primariò, intrinſecè, & per ſe in actibus internis reperitur; extrinſecè verò, & ſecundariò in externis.
Richard. Scotus. Durand. Gabriel. Ochamus. D.Thom. D.Anſelm.

tatem, & malitiam primariò, intrinſecè, & per ſe in actibus internis reperiri; extrinſecè verò, & ſecundariò in externis. Hæc ſententia eſt communis Theologorum *in 2. diſt.*42. vt ipſe Vaſq. egregiè fatetur *cap.*2. Richardus *ibi.* Scotus *q. vnica.* Durandus *q.*1. *num.*6.*&* 7.Gabriel *art.*1.*notabili* 2. & *art.*2. *concl.*1. Ochamus *quodlib.*1.*q.*2. & *quodlibet.*3. *q.*14. D.Thom. 1. 2. *q.*20. *art.* 3. nam per bonitatem finis, quam intrinſecè, & primariò ponit in actu interno, formalem bonitatem intelligit,qua homo dicitur benè operans,vt *infrà* oſtendemus. Eodem ſenſu D. Anſelmus *de caſu Diaboli,cap.*8. affirmat,bonitatem, ac malitiam in voluntate tantùm conſiſtere: ait enim: *Si mala voluntas eſt ipſum malum, quo malus aliquis dicitur, bona voluntas eſt ipſum bonum, quo quis dicitur bonus.* ergo loquitur de bonitate, ac malitia formali. Ratio a priori eſt: quia actualis,& formalis bonitas eſt intrinſecè ipſe ductus, ſiue ipſa tendentia actus in honeſtum, propter ipſum honeſtum; vel certè eſt proprietas cum ipſa tendentia identificata: ſed tendentia in honeſtum propter ipſum honeſtum intrinſecè ſolùm eſt in actu voluntatis: ergo bonitas formalis, ſeu actualis, qua ducimur benè, & ſtudioſè operantes, intrinſecè ſolùm in actu voluntatis reperitur, indéque extrinſecè alios actus denominat. Minor probatur, (& ea ſola probatione eget:) quia bonum,præſertim honeſtum, & finis formaliter ſolius voluntatis, eſt obiectum formale illius: ergo ſolus actus voluntatis tendere poteſt in honeſtum propter ipſum honeſtum. Vnde infero, omnem bonitatem actualem neceſſariò ex fine proximo, vel remoto oriri:quapropter formalis bonitas conuertitur cum bonitate ex fine, quem D. Thom. *in hac q.* 20. in tribus prioribus articulis ſæpiſſimè, & conſtantiſſimè docuit primariò, & intrinſecè in actu interno conſiſtere, indéque ad actus externos intrinſecè deriuari. Vnde per bonitatem ex obiecto, & circunſtantiis, excluſa ratione finis, ſolùm poteſt intelligi bonitas obiectiua, quæ in actibus internis intrinſecè inuenitur. Deinde addo, in actibus internis, præter bonitatem actualem, inueniri etiam bonitatem obiectiuam, qua ſunt conformes rationali naturæ, & ob eam honeſtatem amabiles: quocirca in nullo ſenſu eſt verum,actus internos eſſe bonos ſola denominatione extrinſeca ab actibus externis;quia, tam actualis, quàm obiectiua bonitas intrinſecè reperitur in illis. Demum actus internus nullo modo procedit ab actu externo, neque per illum ordinatur in aliquem finem: ergo non poteſt denominari extrinſecè bonus, vel malus ab actu externo, qui poſt illum ſequitur, aut illum comitatur. Probatur: quia actus exterior non eſt bonus ex fine, niſi quatenus per actum bonum interiorem refertur in finem: priùs ergo bonitas, & malitia, quæ ſumitur ex fine, conuenit actui interno, quàm externo: ergo non poteſt actus internus denominari bonus, vel malus, ab actu externo. Tandem, quia actus externus pendet ab interno: quia eſt prior illo: & hæc prioritas attenditur ſecundùm dependentiam vnius ab altero: ergo bonitas, & malitia actus exterioris eo modo pendet ab actu interno, quo actus externus ab ipſo actu interno pendet.

9. Quòd verò de malitia actuali,ſeu formali eodem modo philoſophandum ſit, probatur facilè primò: quia huiuſmodi malitia ſolùm reperiri poteſt in eo genere actus, qui eſt capax formalis bonitatis: cùm ergo conſtet,ſolos actus internos habere poſſe formalem bonitatem; neceſſariò ſequitur, eos tantùm formalis malitiæ poſſe eſſe capaces, alioqui malitia actus non foret carentia bonitatis debitæ actui voluntatis, nec haberet rationem priuationis reſpectu illius, cuius oppoſitum dicendum eſt. Præterea, actus externus intrinſecè inuariatus exuit bonitatem, ac malitiam formalem per ſolam mutationem actus interni;& pari modo fit melior, vel peior, quando à voluntate meliori, vel peiori procedit; ac denique eſt actus humanus per denominationem extrinſecam ab actu interno: ergo ſignum eſt, actum externum nullam malitiam, vel bonitatem intrinſecè, & primariò habere; ſed extrinſecè ab actu interno deriuatam. Patet: quia, ſi conſideretur actus externus in eſſe moris, eſt effectus quidam interioris actus: ergo bonitas actus exterioris eſt poſterior bonitate actus interioris, etiam illius, qui habet exteriorem actum pro obiecto. Patet: quia actus exterior ita conſideratus pendet ab actu interiori, vt à cauſa efficiente, & dirigente; cauſa autem ſemper eſt prior ſuo effectu.

Reſpondet Vaſq. *ſuprà* allegatus, hac re ſolùm probari fundamentum bonitatis,& malitiæ moralis, rationem, videlicet, voluntarij, & liberi eſſe priùs in actu interno, quàm externo, indéque ad externum deriuari; & inde fieri, quòd variato actu interno amittatur bonitas, vel malitia moralis actus externi: quia ablato fundamento, tota bonitas, vel malitia moralis ab illo pendens neceſſariò tollitur, & euertitur: cum hoc tamen ſtare, quòd malitia moralis, ſumpta ex obiecto, & circunſtantiis, priùs, & intrinſecè in actu externo inueniatur: ſiquidem fundamentum moralitatis non eſt ipſa malitia moralis. Confirmat hoc: quia bonitas, vel malitia ſumpta ex obiecto, & circunſtantiis priùs ſine dubio conuenit actui externo, quàm illi actui interno, qui habet pro obiecto ipſum externum actum: nam talis actus internus ideò bonus eſt, quia eſt de tali actu externo bono: ergo bonitas huiuſmodi actus interni poſterior eſt,quàm bonitas actus exterioris: ſiquidem ab hac pendet tanquàm ab obiecto. 10.

Proponuntur inſtātia Vaſquez, & ſoluuntur.

Cæterùm hæc ſolutio, quam Vaſq. affert 1. 2. *diſp.*73. *cap.*9. mihi non placet: quia falsò ſupponit, rationem liberi eſſe fundamentum moralitatis: conſtat enim, rationem liberi non eſſe fundamentum moralitatis; ſed eſſentialiter conſtituere ipſam moralitatem, vt diximus *num.* 4. nam eſſe morale alicuius actionis eſt ipſa entitas naturalis actionis, quatenus procedit, & elicitur à potentia libera; voluntate, ſcilicet, vel intellectu: eſſe autem naturale ipſius actionis eſt eademmet entitas prædictæ actionis, quatenus tendit, & verſatur circa tale, vel tale obiectum. Vnde conſtat, rationem liberi eſſentialiter conſtituere ipſam moralitatem, & non eſſe fundamentum illius. Deinde, ſi fundamentum moralis malitiæ neceſſariò, & extrinſecè competit actioni externæ;quo pacto poterit ipſa malitia moralis intrinſecè conuenire eidem actioni? nam, quotieſcunque fundamentum eſt extrinſecum, à fortiori eſt extrinſeca forma, quæ ab illo reſultat, niſi fingatur ab eo reſultare tranſeunter,& ab externa actione proficiſci,ibíque conquieſcere:quod,quàm dictu indignum ſit,cōſideranti patebit;& ſolùm dici poteſt,moralē malitiā eſſe relationem rationis:ſed cōſtat, actualem bonitatem non eſſe relationem rationis; ſed eſſe actualem conformitatem potentiæ cum obiecto. Quapropter ſolutio Vaſq.non videtur alicuius momēti. 11.

Ratio liberi non eſt fundamentū moralitatis actus humani, contra Vaſquez.

Ex

12. *Solutio argumẽti Scoti.* Ex quibus infero contra Scotum, actum internum, & externum vnicam tantùm bonitatem, vel malitiam habere primariò, & intrinſecè in actu interno conſiſtentem; extrinſecùs verò, & ſecundariò in actu externo per denominationem ab interno. Nec ratio Scoti oppoſitum probat: quia ſolùm conuincit, in externa actione eſſe bonitatem, vel malitiam obiectiuam, quam fatemur primariò, & intrinſecè ibi reperiri. *Solutio D. Auguſt.* Ad authoritatem D. Auguſt. reſpondemus, illum docuiſſe, grauiùs peccaſſe eum, qui conſummat culpam internam per opus externum, quàm ſi in actionem externam non prodiret: quia putauit, quod verum eſt, frequentiſſimè augeri malitiam voluntatis internæ ex ipſo opere externo: quia eo ipſo accreſcit voluntas, vel ſaltem diuturnior eſt, de quo latiùs agemus *cap. ſequenti.*

13. *Solutio argumenti Medinæ.* Infertur ſecundò contra doctrinam Medinæ, illam veram eſſe pro actibus intellectus, & appetitus ſenſitiui. Et ad rationem in contrarium dicendum eſt, actum hæreſis in intellectu, & moroſæ delectationis in appetitu ſenſitiuo, ſi ſeorſim, ac ſigillatim conſiderentur, ſolùm habere malitiam obiectiuam: prauum verò fieri formaliter, & extrinſecè, ex formali, vel interpretatiuo conſenſu voluntatis: ad conſenſum verò interpretatiuum non requiritur actus voluntatis; ſed ſufficit, quòd voluntas negligat cohibere actum potentiæ ſibi ſubordinatæ, cùm poſſit, ac debeat impedire.

14. *Rationes Vaſquez cõtra ipſum retorquentur.* Rationes verò Vaſquez, quas pro ſua opinione confirmanda attulit, egregiè contra illum retorqueri poſſunt: quia pari modo probarent bonitatem actualem, quæ ſumitur ex fine primario, conſiſtere in actu externo, quod ipſe inficiatur: nam etiam actio interna eſt bona; quia externa, quam reſpicit, vt obiectum, bona eſt. Item, primariò imperatur actio externa, & ratione illius interna, vt patet in præceptis humanis, & in multis naturalibus, ac diuinis, v. c. ſoluere debitum, reſtituere ablatum, ſubuenire indigenti: priùs enim in huiuſmodi præceptis imperatur actio externa, quàm interna: nam finis horum præceptorum eſt ipſa reſtitutio, ſeu actio externa reſtituendi, debitíque ſolutio, & ſubleuatio indigentiæ pauperum. Hæ tamen rationes ſolùm probant, dari bonitatem obiectiuam, & radicalem in actionibus externis; non verò actualem, & formalem: quod debebant probare. Item, ſolùm oſtendunt malitiam obiectiuam primariò eſſe in actionibus externis; indéque actus internos formalem bonitatem, vel malitiam ſumere, tanquàm ab obiecto. Præterea, ſi actus externi, v. c. furtum, & mendacium intrinſecam, & formalem habent malitiam, quæro, vbi ſit malitia obiectiua, à qua ea formalis deriuatur: nam in re aliena, vel obiecto mendacij, & furti, nulla eſt malitia; & alioqui certum eſt, nullam dari malitiam formalem, quæ ab aliqua obiectiua non deſumatur: ergo neceſſariò in ipſis actionibus externis, v. c. furti, aut mendacij, malitia obiectiua conſiſtit, ex quibus interni actus formalem malitiam accipiunt, quam conferunt externis. Nec refert, quòd actio externa, vt actio praua ſit, debeat formari, & pendere ab interna: quia etiam, vt talis actio, eſt obiectum internæ actionis.

15. *Actus internus, & externus nõ efficiunt plura peccata; ſed vnum numero.* Poſtremò infero, actum internum, & externum non efficere plura peccata, ſed vnum tantùm, etiamſi Scotus *quodlib.* 18. *art.* 3. oppoſitum dicat, & Gabriel, & Ochamus citati *num.* 11. & Gregor. Ariminenſ. *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *concl.* 5. eodem modo loquuntur cum Scoto: licèt enim totam bonitatem, & malitiam tribuant actui interno; tamen fatentur, actum internum, & externum plura peccata efficere: quia, inquiunt, ad pluralitatem peccatorum non requiritur multiplicatio malitiæ; ſed ſufficit multiplicatio ſubiectorum, ſicut ab vna ſanitate animalis plura animalia ſana denominantur: v. c. ſanitas, vt dicitur de medicina, formaliter ſolùm ſignificat ordinem medicinæ ad ſanitatem animalis, quod primò dicitur ſanum: vnde, cùm hic ordo medicinæ ad plura animalia referatur, inde eſt, quòd ab vna ſanitate plura animalia ſana dicantur, & denominentur. Verùm D. Thom. *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *art.* 1. & alij Theologi actum internum, & externum vnum tantùm peccatum faciunt: & meritò: quia in genere moris actus internus ad externum comparatur, vt vna forma cum materia: ſicut enim ex vna forma, & materia, vnum compoſitum naturale reſultat; ita ex vno actu interno, & externo, reſultat vnus actus moralis: quia habent vnum volũtatium, vnam libertatem, vnam bonitatem, vel malitiam; atque adeò vnum, & idem eſſe morale habere cenſentur, vt docet Vaſq. 1. 2. *tota diſp.* 72. Sed hac de re dicemus *in cap. ſequenti.* D.Thom.

Capvt VIII.

Vtrùm bonitas, vel malitia actus externi addat aliquid ad bonitatem, vel malitiam interioris: & an effectus ex actu externo ſecutus, aliquid addat ad bonitatem, vel malitiam illius. Quæritur, vtrùm idem actus externus poſſit ſimul eſſe bonus, & malus.

Svmmarivm.

Actus externus per ſe nullam formalem malitiam addit actui interno; addit tamen per accidens, & quomodo. num. 1.

Diſcrimen inter circunſtantias aggrauantes, & actum externum. num. 2.

Nullum meritum, vel demeritum augetur per ſe ex actu externo; augetur tamen per accidens. num. 3.

Voluntas prompta ſine opere externo tantum meritum poteſt interdum promereri, quantum ſi operi externo coniungeretur. num. 4.

Noua gratia, quæ requiritur ad opus externum, non requiritur per ſe propter ipſum; ſed per accidens, & quomodo. num. 5.

Gratia Sacramenti ex opere operato ſemper eſt eadem; gratia autem ex opere operantis eſt maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ipſius recipientis Sacramentum. num. 6.

Proponuntur argumenta, quæ probant, opus externum addere bonitatem, vel malitiam formalem actui interno. num. 7.

Soluuntur prædicta argumenta. num. 8.

Actus antecedentes, vel ſubſequentes copulam, vt tactus, oſcula, verba turpia, &c. an ſint de neceſſitate confeſſionis. num. 9. & 10.

An effectus ex actu externo ſecutus illi addat aliquid bonitatis, vel malitiæ. num. 11.

An idem actus exterior poſſit eſſe ſimul bonus, & malus. num. 12.

Actus

Actus interni, & externi quoad moralitatem, & entitatem, an ſint plura entia. *num.* 15.

1\. *Actus externus per ſe an aliquam bonitatem, vel malitiã formalẽ addat actui interno, & quomodo.* D.Thom. Caietanus. Conradus. Medina. Valentia. Vaſquez. Ariminenſ. D.Auguſt. D.Gregor. Hugo Vict.

Actus externus per ſe nullam bonitatem, vel malitiam formalem addit actui interno; per accidens autem poteſt actus externus reddere internum meliorem, vel peiorem. Primò, ſi accedente actu externo repetatur internus. Secundò, ſi vſque ad complementum operis externi continuetur actus internus. Tertiò, ſi propter delectationem, quæ capitur ex actu externo, intendatur actus internus. Ita docet D.Thom. 1. 2. *q.* 20. *art.* 4. Caietanus *ibi.* Conrad. Medina, & alij. Valent. *diſp.* 2. *q.* 15. *punct.* 4. *initio.* Vaſquez *diſp.* 76. *cap.* 2. Ariminenſis *in* 2. *diſt.* 42. *q.* 1. *concluſ.* 7. Ex Patribus D.Auguſt. *de liber. arbitr. cap.* 3. D.Gregor. *homil.* 5. *in Euang.* Hugo Victor. *tom.* 3. *lib.* 2. *de Sacram.* 4. *p. cap.* 6. Probatur *ex cap. præcedenti:* quia bonitas, & malitia actualis, ſeu formalis, non eſt in opere externo, niſi extrinſecùs deriuata ab actu interno: igitur impoſſibile eſt, illam augeri per ſe ex ſola additione operis externi: ſiquidem per illud nihil malitiæ formalis additur. Quod ſignificauit Sanctus Doctor *ſuprà, q.* 20. *art.* 4. *in corpore,* dum docuit, bonitatem actus externi, quam ipſe participat ex bonitate finis, nihil addere ad bonitatem voluntatis. Etenim, vt *ſuperiore capite* probatum eſt, omnis bonitas actualis, & formalis ſumitur à fine honeſto proximo, vel remoto: quapropter per bonitatem finis D. Thomas formalem bonitatem intellexit: cùm verò addidit, actum externum addere actui interno bonitatem, vel malitiam ex obiecto; loquitur de obiectiua, quam addi internis actibus per externos palam eſt. (D.Thom.)

2\. *Inſtantia.* Dices: Circunſtantiæ ſolummodo aggrauantes nullam bonitatem, vel malitiam ex ſe habent; & tamen addere poſſunt bonitatem, vel malitiam, quam ſupponunt in actu, vel obiecto: ergo ſimiliter, quamuis actus externus per ſe omni bonitate, vel malitia formali careat; poterit nihilominùs addere bonitatem, vel malitiam, quam in actu interno ſupponit. Quamobrem illatio pro ſententia propoſita, nullius momenti eſt. *Diluitur.* Reſpondeo negando conſequentiam, ob diſparem rationem inter circunſtantias aggrauantes, & actum externum: illæ enim, vel ſe habent ex parte obiecti; vt multum, vel parum in furto; & tunc neceſſariò efficiunt diuerſos actus internos indiuidualiter: quia actus interni maiorem, vel minorem bonitatem, vel malitiam ſortiuntur pro ratione obiectorum, in quæ cadunt. Si verò circunſtantiæ aggrauantes ſe teneant ex parte actus, vt intenſio, & remiſſio in effectu; non variant quidem indiuiduum actus in ratione indiuiduâ; augent tamen, vel minuunt integritatem intenſiuam ipſius; & ideò augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam formalem actus. Verùm opera externa, cùm nullum ex his modis ſuperueniat internis, vt conſideranti patebit, rectè in illis fit prædicta illatio; nimirum, in ſe nullam habent bonitatem, vel malitiam: ergo per ſe non poſſunt addere bonitatem, vel malitiam aliquam formalem actibus internis.

3\. *Nullum meritũ, vel demeritum augetur per ſe ex actu externo; augetur tamẽ per accidens.* Ex his infertur, nullum meritum, vel demeritum augeri per ſe ex actu externo: quia meritum, & demeritum conſurgit ex bonitate, & malitia formali, & morali: vnde, ſi actus externus per ſe nihil bonitatis, vel malitiæ formalis addit interno, conſequens eſt, vt nullum meritum, vel demeritum ex actu externo per ſe proueniat. Dixi, *per ſe:* quia per accidens frequentiſſimè augetur meritum, vel demeritum actus interni, ſi prodeat in externum: quia, vt dixi *num.* 1. actus internus ex coniunctione cum externo frequentiſſimè intenditur, vel iteratur, aut diutiùs perſeuerat; & ſæpiſſimè ex eadem coniunctione, accedentibus actibus externis, multiplicantur actus interni, ex quibus ſequuntur externi, & illi, ex quibus non ſequuntur, quia priores ſunt efficaces, poſteriores verò inefficaces, & conditionati ſub conditione, ſcilicet, ſi foret poſſibile. Conſtat autem actus efficaces, cæteris paribus, inefficacibus præcellere, tam in bonitate, quàm in malitia; in merito, vel demerito. Ratio à priori eſt: quia obiectum abſolutè poſſibile, quod vt ſic reſpicit actus efficax, perfectius eſt, quàm obiectum conſideratum ſub ratione boni, vel mali, nulla habita ratione ad poſſibilitatem, quam actus inefficax abſolutè reſpicit.

4\. *Voluntas an, & quãdo ſine opere externo tãtùm promereri poſſit, quantùm cũ illa.* Dixi, *ferè ſemper:* quia vnus tantùm eſt caſus, in quo voluntas ſine opere externo tantùm promeretur, quantùm promereretur cum illo; quando, ſcilicet, obiectum eſt poſſibile, & ea animi promptitudine, & reſolutione ex noſtris viribus, & induſtria futurum apprehenditur, vt voluntas illud efficaciter intendens ad executionem illius potentias applicet neceſſarias. Quam executionem prædictæ potentiæ reuerà poſſunt exercere: tunc enim, ſi opus externum ab extrinſeco impediatur; æquale nihilominùs erit meritum, ac ſi reuerà exequeretur, ac fieret opus externum. Exemplum ſit in Abrahamo manum ferro armatam ad occidendum filium extollente, & iam iam filium ſacrificante, à quo ſacrificio per Angelum impeditus fuit, qui ex eo actu promptiſſimæ voluntatis, tantùm ſine dubio meriti accepit, quantùm acciperet, ſi filium ſacrificaret: in nullo enim ob tale impedimentum extenuatum fuit Abrahami meritum; quod eleganter proſequitur D.Chryſoſt. *homil.* 47. *in Geneſim,* vbi docet, Abrahamum hoſtiam mente conſummaſſe; & propterea Deum voluntatem illius iiſdem meritis coronaſſe, ac illam coronaret, ſi re vera filium ſacrificaſſet, ibi ad illud Geneſ. 22. *Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam in puerum tuum, neque facias illi quidquam: non hoc præcepi, vt opus perficiatur; neque volo, vt occidatur puer tuus: ſed, vt obedientia tua manifeſta fiat omnibus. Igitur, ne feceris ei quidquam: contentus ſum voluntate tua, & ex hac te meritis corono, & prædico.* Et paulò infrà: *Redimitus ergo obedientiæ tuæ corona, abi: ego enim voluntatem coronare ſoleo, & propter mentem præmia præſto.* Et addit etiam: *Vidiſti religioſam mentem: ſacrificium conſummatum eſt, & à voluntate coronam reportauit, & Iſaac accepto rediit cum innumeris coronis.* Pari modo cùm aliquis pauperi eleemoſynam confert, & ille accipere non vult; idem meritum reportabit, ac ſi reuerà illam daret: quia impedimentum illud nihil meriti minuit reſpectu eleemoſynam largientis. Loquimur de merito eſſentiali gratiæ, & gloriæ: nam de aureolis eſſe poteſt alia ratio, ſicut etiam de pœnis eccleſiaſticis pro actibus externis impoſitis, vt benè Gregor. Ariminenſis *in* 2. *ſent. diſt.* 42. *q.* 1. *à concluſ.* 7. ponderauit. (D.Chryſoſt. — Ariminenſ.)

5\. *Opinio Scoti proponitur, & refellitur.* Sed verò Scotus *quodlib.* 28. *art.* 3. opinatur, actum externum addere bonitatem, vel malitiam actui interno per ſe. Et probat: quia ad actum externum noua gratia requiritur: ergo in eo noua bonitas inuenitur. Sed debile fundamentum eſt: quia noua gratia requiſita ad actum externum,

non

non eſt requiſita per ſe propter ipſum; ſed per accidens: quia, quando actus externus fit, ſemper interueniunt aliqui actus interni, v. c. electio, & vſus, & propter hos noua gratia exigitur, in quibus nouam dari bonitatem non negamus. Item, ex opere externo per accidens magis intenditur actus internus, vt diximus *num. 1. huius cap.* & in hac maiori intenſione maior bonitas per accidens ab extrinſeco interno actui accreſcit, non quaſi ab externo opere illam internus actus accipiat; ſed quaſi ad illius præſentiam magis ipſe intendatur; ſicut magis intenditur frigus ad præſentiam caloris.

6. *Argumenta duo Arimineſis, & Vaſquez. Primum.* Pro eodem opere externo multa congerunt argumenta Gregor. Ariminenſ. *modò* citatus, & Vaſquez *ſuprà*. Ex illis duo tantùm ſeligam, ex quorum doctrina cætera enodabuntur. Primum eſt. Si quis velit ſuſcipere Sacramentum, & omnia requiſita ad illius ſuſceptionem applicet, ita vt ex ſola malitia miniſtri Sacramentum illi denegetur; nihilominùs minorem gratiam accipit, quàm ſi in effectu Sacramentum ſuſciperet: ergo actus ille externus ſuſceptionis Sacramenti meritum addit actui interno; & per conſequens moralem bonitatem, alioqui per illum non acciperet operans plus gratiæ. *Diſſoluitur.* Reſpondeo, gratiam collatam ex opere operantis æqualem ſemper eſſe in eo caſu, ſiue operans reciperet, ſiue non acciperet Sacramentum; poſito, quòd voluntas æqualis fuerit, ac cætera paria. Ea tamen gratia, quæ ex opere operato ob virtutem Sacramenti confertur, ſolùm daretur accipienti illud in effectu: quia hæc non pendet ex diſpoſitione operantis, & per ſe; ſed ex inſtitutione diuina, ſuppoſita diſpoſitione operantis; & ſemper eſt eadem, & æqualis, & inuariabilis in gradu: neque enim gratia hæc ex opere operato datur propter meritum operantis, vt patet in paruulis, quando Baptiſmum ſuſcipiunt, ideóque non ſequitur ex argumento propoſito, actum externum addere bonitatem formalem, & meritum actui interno.

7. *Secundum.* Secundum eſt. Si actus externus nullam adderet malitiam actui interno, nemo teneretur confiteri peccata externa; ſed ſufficeret internos affectus exprimere in confeſſione: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. *Reſponſiones variæ. Nauarrus.* Nauarrus *in Summa Lat. præludio 7. num. 24.* facilè reſpondet, licèt peccatum internum, & externum ſint vnum in genere moris; tamen in genere naturæ eſſe duo; & ideò neceſſariò eſſe confitenda. Et addit, ſufficere aliquando, quòd quis confiteatur ſolùm externum peccatum: quia, qui illud confitetur, implicitè confitetur internum, cùm ſine illo non ſit peccatum, & totam ſuam malitiam ab interno extrinſecè participatam habet: nunquam tamen ſufficere, vt quis confiteatur ſolum internum: quia, qui illud ſolùm confitetur, nullo modo, nec implicitè confitetur exterius. Reſpondent alij, actiones externas eſſe confitendas, non, quia habent malitiam ex ſe; ſed, quia ita habet Eccleſiæ conſuetudo, quæ iam obtinet vim præcepti eccleſiaſtici. Cæterùm diſplicet reſponſio: quia Eccleſia nequit legem facere, qua inſtituat materiam Sacramenti illam, quæ reuerà ex inſtitutione Chriſti materia nõ eſt. Sicut enim præcipere non poteſt, vt quis cordis motum peccaminoſum in confeſſione non aperiat; ita non poteſt facere materiam Sacramenti illam, quæ reuerà, attenta inſtitutione Chriſti, materia non eſt. Quapropter, ſi ex inſtitutione Chriſti actiones expertes omnis malitiæ non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, planè benè ſequitur, non poſſe prædictas actiones ex lege, & conſuetudine Eccleſiæ fieri materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Et ideò reſpondent alij, actum externum debere in confeſſione explicari: quia, licèt non habeat malitiam per ſe; habet tamen per accidens ab interno deriuatam; & propterea vnum peccatum per ſe efficit cum illo, ſicut potentia cum actu, & materia cum forma: quapropter, cùm actus externus ita ſumptus ſit peccatum, eo ipſo eſt materia Sacramenti. At hoc reiici poteſt: quia tota malitia peccati conſummatur in actu interno; potentia autem non poteſt conſtituere totum ſine ſuo actu.

Hanc ſolutionem Vaſquez *ſuprà, num. 18.* impugnare intendit ex eo fundamento: quia ex ea ſequeretur debere exprimi in confeſſione omnem actionem externam, quæ ab aliquo prauo affectu procedit: omnis enim actio huiuſmodi ab eo affectu malitiam accipit, & cum illo vnum peccatum per ſe efficit: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Patet: quia, ſi quis ex voluntate occidendi, arma præpararet, equum quæreret, iter faceret; non tenetur eas actiones externas confiteri. Quapropter idem Vaſquez reſpondet, ideò opus externum ex ſe malum debere exprimi in confeſſione, quia habet primariam, & intrinſecam malitiam formalem, & in illo peccatū cordis conſummatur, ab eóque, vt à fonte, malitiam accipit; non verò, quia conſtituit vnum, & idem peccatum cum interiori, vt cõſtat ex impugnatione facta. Sed iam ſæpè diximus, malitiam formalem primariò non eſſe in actu externo; ſed obiectiuam, ac veluti radicalem: & propterea hæc ſolutio nobis nõ probatur. Et ideò reſpondent aliqui, ideò opus externum explicandum eſſe in confeſſione: quia aliter nec benè, nec integrè explicatur malitia interni affectus: quia hæc ferè ſemper augetur, & intenditur per actum externum; non quidem per ſe, ſed per accidens, vt explicatum manet. Verùm, neque etiam hæc reſpõſio ſatisfacit. Primò, quia non ſemper augmentum illud eſt ita notabile, vt neceſſariò confiteri debeat. Secundò, quia, quanuis ſit notabile, probabilis opinio tenet, circunſtantias etiam aggrauantes non eſſe neceſſariò in cõfeſſione exprimendas, cùm tamen certum ſit, opera externa mortalia exprimi debere: ergo ſolutio illa omninò non ſatisfacit. 8. *Reſpõſio Vaſquez. Improbatur. Aliorum reſponſio. Non ſatiſfacit.*

9. *Vera reſponſio.* Reſpondeo igitur, actus externos prauos in duplici eſſe differentia: quidam malitiam habent obiectiuam ex ſe, vt furtum, & mendacium; alij non habent ex ſe malitiam obiectiuam, ſed ſolùm formalem extrinſecam, quatenus à voluntate operantis in prauum finem diriguntur, vt arma accipere, & iter facere ad occidendum: priores actus ſunt materia confeſſionis ſufficiens, ſi fuerint peccata venialia; neceſſaria, ſi fuerint peccata mortalia, quia habent malitiam obiectiuam, quæ per ſe vnum peccatum efficit cum actu interno: quia ex voluntate furandi, v. c. & furto, vnum peccatum per ſe conſummatur; & ideò non ſufficit, ſi ſolus affectus furandi exprimatur ſuppreſſo furto; quia tunc ſola vna pars eſſentialis peccati exprimitur, non totum peccatum; ſicut exhibita ſola forma hominis, non exhibetur tota eſſentia illius; quia remanet alia pars eſſentialis, nempe, materia, pro qua conſummatur tota eſſentia hominis. Poſteriores verò actus externi non ſunt de neceſſitate confeſſionis, per ſe loquendo: quia carent malitia obiectiua, & ſunt omnes indifferentes ex obiecto; nec per ſe participant malitiam formalem, ſed per accidens, quatenus ex voluntate operantis

in

in prauum finem diriguntur; & ideò ſufficit aperire in confeſſione affectum internum, ſi externum o pus occidendi ſecutum non fuerit; vel ſi ſecutum fuit, ſatis erit occiſionem exprimere. Dixi, *per ſe loquendo:* quia per accidens explicari interdum debent prædicti actus, ſi aliter numerus peccatorum internorum innoteſcere non poſſit, niſi per explicationem longiſſimi itineris confecti animo interficiendi. Ratio diſcriminis inter vtroſque actus eſt: quia priores habent malitiam obiectiuam, & propriam; poſteriores verò non habent. Deinde, quia voluntas occidendi, vel furandi cum homicidio ipſo, vel furto habet vnionem per ſe; cum aliis verò actibus antecedentibus per accidens; quatenus ipſi per accidens coniunguntur cum homicidio, & furto. Patet autem ea, quæ per accidens ſe habent, non debere per ſe in confeſſione exprimi, & in ſubſtantia hoc coincidit cum reſponſione Nauarri, quam *ſuprà* tradidimus.

10. *Obiectio.* Dices: Prima reſponſionis pars falſa videtur: quia tactus apertè impudici ex ſe habent malitiam obiectiuam, cùm ex ſe ad fornicationem referantur; & tamen in confeſſione ſufficit exprimere actum fornicationis, ſuppreſſis tactibus antecedentibus ipſam copulam, & coitum. *Solutio.* Reſpondeo, expreſſo actu fornicandi, prædictos actus antecedentes ibi ſubintelligi ſufficienter expreſſos; alioqui ſi actus fornicandi non fuerit ſecutus, per ſe exprimi deberent: nam, ſi prædicti tactus haberentur, nec ſequeretur copula, non ſufficeret exprimere affectum fornicandi, vel tangendi impudicè; ſed externi tactus explicandi eſſent: & id, quod dicimus de tactibus antecedētibus ipſam copulam, dicendum eſt etiam de tactibus illam immediatè ſubſequentibus iuxta Nauar. *in Summa Latina, cap.6. num. 18. verſu, Infert ſeptimò.* & *num.17.* & Azor *tom.1. inſtit. moral. lib.4. cap.6.* & Henriq. *lib.2. de pœnit. cap.5. num 9.* Ratio eſt: quia, licèt ſinguli prædictorum actuum in iudicio Dei ſint peccata mortalia; tamen cùm communiter ante, & poſt principalem actum copulæ, multa dicta, & facta inordinata, & impudica ſoleant dici; explicata copula, ſatis conſtat moraliter Confeſſario de ſtatu pœnitentis, vt ipſe non feratur iudicio cæco, & imprudenti; ſed oculato, & prudenti in danda abſolutione; & alioqui ſæpè expediet hos actus antecedentes, & ſubſequentes copulam, veluti tactus, oſcula, verba, & amplexus turpes non fateri propter periculum complacendi, & iterum labendi. Vide, quæ diximus *in 2. Eccleſiæ præcepto, lib.3. cap.4. num.*14. vbi ſatis fusè hanc materiam tractauimus; & ideò illam hîc iterum non repetimus.

(Margin: Nauar. — Azor. — Henriq.)

11. *Vtrùm euētus, ſeu effectus ex actu externo ſecutus, illi addat aliquid bonitatis, vel malitiæ.* Ad ſecundam partem tituli *initio huius capitis* poſiti, in qua quæritur, vtrùm euentus, ſeu effectus ex actu externo ſecutus, illi addat aliquid bonitatis, vel malitiæ; iam manet reſponſum ex dictis: nam, ſi actus externus nullam addit, per ſe loquendo, bonitatem, vel malitiam formalem actui interno, conſequens etiam eſt, vt euentus, ſeu effectus ſecutus ex actu externo, nullam etiam, per ſe loquendo, bonitatem, vel malitiam addat actui externo: per accidens tamen poterit euentus, & effectus ſecutus ex actu externo illi aliquid bonitatis, vel malitiæ addere. Patet: quia ille, qui præuidet, effectum, ſeu euentum malum ex opere ſuo externo ſecuturum; & nihilominùs tale opus exercet, & facit, & ab illo faciendo non ceſſat; eo ipſo vult continuare opus illud ſuum malum; ac proinde ex effectu, & euentu externo, quem exercet, per accidens intenditur, & continuatur opus externum, & conſequenter malitia illius augetur per accidens: hoc enim ipſo, quòd effectus inordinatus præuidetur, & intenditur, magis inordinatum dicitur opus externum, ex quo talis euentus ſequitur: ſicut, ſi aliquis præuideat ex aliquo opere ſuo externo ſecuturum bonum aliquod, ſi illud vult exequi, melius dicetur opus illud externum, quia magis durat, & magis intenditur in ſe, non per additionem aliquam alicuius bonitatis, vel malitiæ, quam accipiat ab euentu ſecuto: ſicut frigus ad præſentiam caloris magis intenditur per accidens, & magis durat, non quòd per ſe recipiat aliquam additionem gradus frigoris ex calore; ſed quòd ad præſentiam contrarij magis in ſe roboretur, & intendatur.

Ad tertiam verò partem tituli, in qua quæritur, an idem actus exterior poſſit ſimul eſſe bonus, & malus. Reſpondet D. Thom. 1. 2. *q.* 20. *art.6.* eundem actum externum in genere moris non poſſe eſſe ſimul bonum, & malum: quoniam bonum, & malum ſunt contraria in genere moris; in genere autem naturæ fieri poſſe, vt idem actus, ſiue eademmet entitas naturalis vnius actus ſit bona, & mala naturaliter: v. c. ſi eodem motu continuo te conferas in domum tuam, primò, vt ores; ſecundò, vt falſum iures; entitas naturalis illius motus continui eſt eadem; quæ, vt refertur ad orationem, & prout procedit à voluntate orandi, eſt bona moraliter; vt verò refertur ad iuramentum falſum, eſt mala: ergo eademmet entitas naturalis poteſt eſſe bona, & mala in genere naturæ; non verò in genere moris. Procedit autem hæc reſolutio non ſolùm de eodem actu ſecundùm eandem rationem; hoc enim modo ſumptus, nemo dubitat, nequaquam poſſe eſſe ſimul bonum moraliter, & ſimul malum; ſed ſecundùm rationes diuerſas: nam neque hoc modo, & ſecundùm has rationes diuerſas ſumptus actus, ſiue internus, ſiue externus, poteſt pro eodem tempore adæquato eſſe ſimul bonus, & ſimul malus; ſeu ſimul peccatum, & ſimul meritum pro diuerſa etiam ratione; id enim implicat contradictionem: nam, ſi eſt malus, aliqua ei rectitudo ad bonitatem neceſſaria deeſt: ſi eſt bonus, nulla ei rectitudo ad bonitatem deeſt: quia malum ex quocunque defectu; bonum autem non niſi ex integra cauſa. Et ita docet D. Thom. 1. 2. *q.20. art.6. & 2. ſent. diſt.*40. *q.1. art.*4. Maior *ibidem, q.7.* Caietan. *ſuper Matth. cap.6.* Nauarr. *in Summa Latina, præludio 7. num.* 22. Gregor. de Valentia 1.2. *diſp.2. q.15. punct.6.* 12.

(Margin: *An idē actus exterior poſſit ſimul eſſe bonus, & malus.* — D.Thom. — D.Thom. Maior. Caietan. Valentia.)

Animaduertendum autem eſt id, quod iam *ſuprà* diximus, actum internum, & externum, quoad entitatem naturalem, ſeu quoad eſſentiam rei naturalis, eſſe plura entia, & plures res: quidquid ſatis leuiter, & inutiliter in contrarium intendat probare Ioannes Maior *in 2. ſentent. diſt.*42. *q.1.* quia, vt optimè oſtendit D. Thom. 1. 2. *q.20. art.3. in corpore, & ad primum*; actus internus, & externus ei reſpondens, licèt ſint duo in genere entis, & naturæ; in genere tamen moris ſunt vnum; ita enim ſe habet actus internus ad externum, ſicut ſe habet forma ad materiam: vnde, ſicut ex forma, & materia vnum compoſitum per ſe reſultat; ita ex actu interno, & externo vnum per ſe in genere moris conſtituitur; licèt in genere naturæ duæ ſint res, & duæ entitates naturales: & hoc *ſuprà* ſæpè docuimus, & docet D.Thom. 13.

(Margin: *Actus internus, & externus ſunt plura entia, & plures res cōtra Ioann. Maior.* — D.Thom.)

D.Thom. Nauarr. 1. 2. q. 20. *art.* 3. *in corpore*, & *ad* 1. & Nauarrus *in Summa Lat. preludio* 7. *n.* 14. 15. & 19.

Caput IX.

Explicantur proprietates, & paſſiones, quæ ex actibus bonis, & malis oriuntur.

SVMMARIVM.

Quot ſint paſſiones, & proprietates actus humani. *num.* 1.
Omnis actus humanus bonus eſt rectus; & rectitudo eſt proprietas illius: & quid ſit rectitudo. *num.* 2.
Eſt etiam laudabilis; & laudabilitas eſt paſſio, & proprietas moralis illius. *num.* 3.
Quid ſit laudabilitas. *ibid.*
Omnis actus humanus bonus eſt meritorius apud homines, & meritum eſt proprietas illius. *num.* 4.
An etiam ſit meritorius apud Deum; & an etiam meritum apud Deum ſit proprietas moralis illius. *num.* 5.
Omnis actus humanus malus quatuor habet proprietates morales. Prima eſt, quòd non ſit rectus; ſeu quòd obliquus, & deuius à ratione æterna: & hæc obliquitas opponitur rectitudini. *num.* 6.
Secunda, quòd ſit illaudabilis, ſeu vituperabilis. *ibid.*
Tertia, quòd ſit demeritorius apud homines. *ibid.*
Quarta, quòd ſit demeritorius apud Deum. *ibid.*
Opponuntur dubia contra hanc doctrinam. *num.* 7.
Soluuntur huiuſmodi dubia contra hanc doctrinam appoſita. *num.* 8.
Datur ratio, ob quam hæc hîc tractentur. *num.* 9.

1. *Quot ſunt paſſiones, & proprietates actus humani.* D.Thom.

QVATVOR veluti proprietates orientes ex humanorum actuum bonitate, & malitia recenſeri ſolent, quas D.Thom. hîc *in* 1. 2. *q.* 21. *art.* 4. enumerat. Ex bonitate actus humani docet reſultare rectitudinem; deinde, laudabilitatem; tertiò, meritum apud homines; quartò, meritum apud Deum. Itaque, ſi actus humanus ſit bonus, affirmat debere eſſe rectum, laudabilem, & meritoriũ apud Deum, & homines. Ex malitia verò humani actus alias quatuor paſſiones, ſeu proprietates reſultare docet: prima eſt reprehenſibilitas; ſecunda, culpabilitas; tertia, demeritum apud Deum; quarta, demeritum apud homines; ſeu, quod idem eſt, peccatum, culpa, demeritum: & has proprietates in hunc modum colligit. Actus humanus moralis ille eſt, qui per ſe eſt homini conueniens, quátenus vtitur ratione in ordine ad beatitudinem: malus verò ille eſt, qui eidẽ homini, quatenus vtitur ratione, repugnat, & nocet: igitur pro diuerſitate conceptuum, qui ex bonitate, & malitia generantur, quatuor illæ quaſi proprietates bonitatem, & malitiam actus conſequentes numerantur.

2. *Omnis bonus actus humanus eſt rectus.*

Primò enim poſſumus concipere, quòd omnis actus bonus hominis ratione vtentis ſit conformis legi æternæ, & naturali rationi: ergo, ſi talis eſt, ſic nos dirigit in vltimum finem, vt ad nullum extremum vitioſum declinet; ſed in rectitudine cõſiſtat. *Quid ſit rectitudo.* Eſt autem rectitudo nihil aliud, quàm conformitas cum ratione, & lege æterna: ergo, ſi bonus eſt; & rationi naturali, legíque æternæ conformis, neceſſariò debet eſſe rectus: eſt enim lex æterna ſuprema ratio in Deo exiſtens, per quam res in tempore gubernantur, vt docet D.Auguſt. *lib.* 1. *de liber. arbitr. cap.* 6. & 22. D.Auguſt. Quare, ſi actus humanus eſt conformis legi æternæ, & ſupremæ rationi in Deo exiſtenti, cùm hæc ſit bona, & recta, neceſſariò debet eſſe bonus, & rectus talis actus. Ita hîc *in* 1. 2. *q.* 21. *art.* 1. *in corpore*, probat D.Thom. bonum actum humanum eſſe rectum. D.Thom.

3. *Eſt etiã laudabilis.*

Probat autem eſſe laudabilem in hunc modum: Actus humanus bonus fuit in libera poteſtate hominis, qui poterat benè, vel malè operari: ergo laudi illi vertendum eſt, quòd benè, & non malè fuerit operatus: ex eo enim dicitur actus laudabilis; quia eſt imputabilis agenti in bonum: laudare enim nihil eſt aliud, quàm benè imputare alicui bonitatem ſuæ actionis: tunc autem actus benè imputatur agenti, quando eſt in poteſtate ipſius; ita quòd habeat agens dominium illius: per voluntatem autem fit homo dominus perfectus ſuorum actuum liberorum: vnde conſtat, quòd bonum, & malum in ſolis actibus voluntatis conſtituat rationem laudis, & culpæ.

4. *Eſt meritorius apud homines.*

Probat autem eſſe meritorium apud homines: quia, quando actus eſt bonus, rectus & laudabilis, cadere poteſt in bonum alterius particularis perſonæ, aut ſaltem in bonum commune, & Communitatis, cuius ipſe, qui benè operatur, eſt pars; & ideò, ſiue actus cadat in bonum alterius, ſiue in bonum commune, dignus eſt merito. Cùm autẽ dicimus, actum bonum, qui cadit in bonum alterius particularis, eſſe hoc ipſo meritorium; non ita intelligendum eſt, quaſi particularis ille, qui commodum percipit, debeat ſemper ex iuſtitia ad æqualitatem id meritum compenſare, determinata quadã mercede: ſed intelligi id debet ita, vt aliqua ratione, ſaltem pro ratione ipſius meriti, compenſare illud debeat, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex alio modo: nam, ſi quis, v. c. fuerit liberalis, vel miſericors erga alterum, non tenetur alter ei ex iuſtitia mercedẽ æqualem reddere; tenebitur tamẽ eſſe aliquo modo gratus pro ratione accepti beneficij. Cùm verò dicimus, actum bonum, qui cedit in bonum commune, ſeu Cõmunitatis eſſe hoc ipſo dignum merito, ſeu meritorium; non intelligimus etiam, quòd debeat ille actus compenſari merito aliquo ad æqualitatẽ ex iuſtitia; ſed, quòd debeat compẽſari illa generali ratione, qua viciſſim ex Communitate redundant aliqua cõmoda in omnes, & ſingulas illius partes: vnde, cùm ipſe benè operans propter Communitatem pars illius ſit, partem ſuam habet in eo commodo, quod ipſe Communitati, benè propter illam operando, confert. Quod tamen ſecùs iudicandum eſt in Medico, & Aduocato ciuitatis: nam hi benè operantur propter Ciuitatem, & Communitatem; & tamen actus illorum meritum de iuſtitia demerentur, & ex iuſtitia compenſari debent ad æqualitatem ex peculiari quadam ratione, quòd ſuam operam, & induſtriam ad id locent, & Communitas illam conducat.

5. *Eſt etiã meritorius apud Deum.*

Probat etiam eſſe meritorium apud Deum: quia actus bonus non ſolùm eſt dignus præmio, ſeu merito abſolutè; ſed eſt dignus, qui à Deo nominatim remuneretur; quatenus Deus curam gerit Communitatis, in cuius commodum actus bonus exercetur, & cedit: itémque, quatenus huiuſmodi actus bonus ad ipſum quoque Deum, vt ad vltimum finem omnis bonæ actionis peculiari ratione pertinet: nam hoc ipſo, quòd actus bonus eſt propter Deum, quatenus eſt vltimus finis bonarum actionum hominum, in laudem, gloriam, & honorem Dei cedit. Hîc tamen animaduertendum eſt, ſi ſermo ſit de merito apud *Notandum.*

Deum

Deum propriè dicto, ſcilicet, vitæ æternæ ex condigno, actum humanum bonum non ex ſe ſolo habere hanc rationem meriti;ſed, ſi concurrat etiã gratia diuina inhærens,& iuſtificans hominem,per quam homo ſit gratus Deo. Itaque habet hanc rationem meriti actus ipſe bonus, quantùm eſt ex bonitate ipſius; gratia tamen accedentẽ. Et quod attinet ad meritum vitæ æternæ, id inſinuat D. Thom. hic *in* 1. 2. *q.* 21. *art.*4. *in vltimis verbis illius articuli*,vt notat Caiet.*ibi*,& Gregor.de Valentia 1. 2. *diſp.*2. *q.*16. *puncto vnico, in fine.* Hæc tamen in materia gratiæ latiùs explicari ſolent ad illam quæſtionem, vtrùm, ſcilicet, omnis actus hominis iuſti ſit, vel demeritorius, ſi eſt malus; vel meritorius vitæ æternæ, ſi eſt bonus.

D.Thom. Caietan. Valentia.

6. *Proprietates humani actus mali.*

Ex his quatuor proprietatibus, ſeu paſſionibus humani actus boni, facilè replicantur, ac colliguntur aliæ quatuor humani actus mali, quæ ex malitia illius dimanant,ac proueniunt: nam, ſicùt bonus actus habet rationem rectitudinis,quæ conſiſtit in conformitate cum lege æterna, & ſuprema ratione in Deo exiſtente; ita malus actus habet rationem peccati, quod eſt priuatio rectitudinis: nam peccatum opponitur rectitudini;& idem valet, quod deformitas, ſeu obliquitas cum regula legis æternæ, & ſupremæ rationis in Deo exiſtentis. Vnde, cùm bonitas opponatur malitiæ, ſi bonus actus eſt laudabilis, vt probatum manet, conſequens eſt, vt malus actus ſit vituperabilis. Sicut enim bonitas actus humani imputatur, ac tribuitur homini, cùm homines ſint domini ſuorum actuum humanorum; & benè, vel malè operari poſſint propter dominium, quod in actus ſuæ voluntatis habent: ita malitia illi etiam imputatur, eò quòd in manu illius erat benè,vel malè operari. Si eſt meritorius, conſequens eſt, vt malus ſit demeritorius; & eo modo eſt demeritorius,quo bonus actus apud Deum, & homines, meritorius eſt: & ſicut merito debitum eſt præmium; ita demerito debita eſt pœna, & ſupplicium. Quando verò D.Thom. *in art.*2. dixit,malum,peccatum, & culpam ordinari inter ſe, ſicut ſuperius, & inferius; non loquitur de malo morali, vt ſic; ſed loquitur de malo in genere: quælibet enim priuatio boni debiti dicitur malum, ſiue in moralibus,ſiue in naturalibus;& idem eſt de bono in genere: peccatum verò,& rectitudo in operationibus,ſiue moralibus, ſiue naturalibus cernuntur, qua ratione D. Thomas monſtrum, peccatum naturæ appellat *art.*1.*ad* 1. culpa tamen ſolùm in morali actione, & libera,quatenus moralis, & libera eſt,inuenitur, vt ex declaratione ipſius patet.

D.Thom. *Malum, peccatũ, & culpa quomodo ordinẽtur inter ſe.*

7. *Vaſquez opponit dubia contra hanc doctrinam.*

Sed Vaſquez *diſp.*77. *cap.*2. *num.*5 hic inſurgit, & opinatur culpam,& peccatum nihil ſignificare, niſi malum in tali ſubiecto; ſicut ſimum ſignificat curuitatem in naſo: cùm enim ſint aliæ curuitates in homine, illa tantùm,quæ in naſo eſt, ſimitas dicitur; ita cùm ſint multæ malitiæ, illa tantùm, quæ eſt in actione,ſiue morali, ſiue naturali,peccatum dicitur. Similiter, cùm plures ſint bonitates, illa tantùm ſola dicitur rectitudo, quæ in actione conſiſtit. Vnde propoſitionem illam D. Thomæ, actus humanus ex eo, quòd eſt bonus, eſt rectus; & ex eo,quòd eſt malus, eſt peccatum,ſic Vaſquez explicat, vt rectitudo, & peccatum non reſultent, velut paſſiones, & proprietates, ex bonitate, vel malitia; ſed,quia per illas,vt ſunt in tali ſubiecto, formaliſſimè denominetur homo bonus, vel malus, rectus, vel peccator; ſicut ſimitas, prout eſt in naſo, formaliter denominat illum curuum, & naſus formaliter per curuitatem ſimus conſtituitur.

At exiſtimo, actus rectitudinem peculiarem differentiam bonitatis moralis ſupponere in actu humano, ex illáque veluti paſſionem, & proprietatem prouenire,& exurgere,atque diſtingui. Probatur:quia rectitudo actus humani ſupponit integritatem ipſius actus in genere moris; nec ſufficit integritas in genere naturæ, vt talis actus dicatur verè, & propriè rectus, vt per ſe patet: integritas autem in genere moris eſt peculiaris ſpecies bonitatis, nimirum,honeſtas. Deinde, ex hac honeſtate conſurgit rectitudo, qua prædictus actus rationi formaliter conformis eſt, quæ rectitudo à formali honeſtate ipſius actus differt. Quod vt meliùs intelligatur, obſeruandum eſt, dupliciter ſumi poſſe rectitudinem: primò fundamentaliter, pro honeſtate, ſeu integritate actus honeſti: ſecundò formaliter,pro commenſuratione, qua actus cum recta ratione conformatur, veluti cum regula vera, ac propria. Rectitudo fundamentalis per locum intrinſecum eſt ipſa formalis bonitas actus: formalis verò eſt paſſio ab ea bonitate conſurgens, ſicut è contraria ratione obliquitas, & peccatum, vel ſignificat effectum, quem actus habet in ſe, in quo malitia formaliter conſtituitur; vel deformitatem cum regula, vel ratione: & vt ſic eſt paſſio malitiæ moralis. Exemplum ſit in tabula, quæ, cùm in ſe recta ſit, ob figuram vniformem cum recta regula applicata conuenit: quæ conuenientia dicitur rectitudo formaliter: ſupponit autem fundamentalem rectitudinem, quam ipſa tabula in ſe habet ex propria figura. Similitérque ſe habet defectus tabulæ: nam, quia in ſe torta eſt, ideò cum regula non conuenit. Quo exemplo ſatis liquet id,quod contra Vaſquez diximus.

8. *Soluuntur.*

Rectitudo duplex, fundamẽtalis, & formalis.

Sed hæc altioris ſpeculationis ſunt, & moralem tractationem effugiunt: illa tamen prælibauimus, fuſiores ſpeculationes hac de re ad Theologos ſpeculatiuos relinquentes, vt aliquantulum feſſam mentem grauitate morali obrutam leuaremus: ita enim voluimus, rebus moralibus inflammare affectum,vt eam obiter his minutiſſimis ſpeculationibus intellectum legentium paſceremus.Si quid tamen abs re viſum fuerit,æqui,boníque conſule:benè enim video,grauitatem moralem minimè haſce ſpeculationes poſtulare:decent illæ magis feruidos iuuenes, quàm prudentes ſenes, qui ſolùm de animarum ſalute curant.

9. *Authoris intentũ in tractatione huius materiæ.*

LIBER DECIMVS.

In decimum Præceptum Decalogi.

Concupiſcere, & inuidere in idem recidunt.

AGGREDIMVR vltimum præceptum totius huius Operis, in quo de praua concupiſcentia rerum alienarum nobis agendum eſt. Et quia communi conſenſu concupiſcentia praua rerum alienarum ordinariè fit, & habetur per inuidentiam, & diminutionem alterius gloriæ, deſiderando, & cupiendo nobis bonum, quod in alio videmus, volendóque illi malum, ſeu carentiam illius boni; ideò hodie in communi hominum acceptione concupiſcere, & inuidere in idem recidunt. Quare neceſſariò de inuidia nobis in hoc præcepto, ratione concupiſcentiæ, agendum eſt; vitio planè peſſimo iuxta illud Geneſeos 37. Fera peſſima deuorauit eum. vbi conqueritur meritiſſimò Iacob, vir ſanctiſſimus, de inuidia filiorum ſuorum, quæ in cauſa fuit, vt filium ſuum amantiſſimum Ioſeph, illorum fratrem, venderent; ideóque illam feram peſſimam appellat, quaſi ferino more omnes aggrediatur, diſcerpat, & laniet, & nullis ferratis clauſtris, nullis ſepimentis, nullis conſanguinitatis, aut neceſſitudinis vinculis teneatur. Quamobrem prouidè olim Deus ſeruum ſuum Moyſem ſplendore oris ex conſortio, & colloquio Domini perfuſum, nube denſa in monte Sina cooperuit, ne ab inuidis diſcerperetur: Operuit (inquit ſacra pagina Exod.24.) nubes montem, & habitauit in gloria Domini ſuper Sinaï, tegens illum nube. In quem locum Oleaſter Luſitanus: Voluit Deus populum videre, quàm familiaris ei eſſet Moyſes, ne alios inuidia permotos in eum prouocaret. Nam, ſi illum ſplendorem in eo viderent, non ſolùm ſimilem concupiſcerent; ſed ex hac concupiſcentia in inuidiam deflecterent, malum Moyſi volendo, & deſiderando, illúmque criminibus inſimulando.

Gen.37. Exod.24. Oleaſt.

Inuidia eſt tygris.

Tygrim ipſam aliqui appellant inuidiam: quia nullis beneficiis, nullis blandimentis hæc beſtia delinitur. Tygribus ferociores ſunt inuidi: quò enim maiora beneficia accipiunt, eò ferociùs illos iaculis inuidiæ impetunt, à quibus accipiunt. Dauid 1.Regum 18. muſicis inuidum Saülem recreabat, cithara ei canebat; & quò maioribus beneficiis illum cumulabat, eò ferociùs illum inuidiæ iaculis impetebat. Vnde Theodoretus in hunc locum: Dauid pſallens furorem leniebat; ſed Saülis minimè ſedauit inuidiam: nam, quando eum maiori afficiebat beneficio, eò magis properabat occidere. Verè fera peſſima inuidia eſt. Quadrat illi illud D.Ignatij epiſtola ad Romanos, de inuidis militibus, immitibus, ac immanſuetis, quibus commiſſus, ac Romam deferendus fuerat: Habito cum leopardis, quibus cùm benefeceris, peiores fiunt.

1.Reg.18. Theodoret. D.Ignat.

D.Thom.

5. vitia ex inuidia oriũtur.

De hac ergo fera peſſima aliquid agemus. De illa agit D.Thomas 2.2.quæſt.36. art.1. & Thomiſtæ ad hunc locum. Vitium capitale eſt, non ſolùm quia ex ſuo genere mortale eſt; ſed etiam, quia ex illo, velut è fonte, pullulant alia quinque vitia, odium, ſuſurratio, detractio, lætitia in aduerſis proximorum, triſtitia in proſperis.

CAPVT

Caput I.

Quid ſit inuidia, quatenus mortale, vel veniale peccatum ſit, rebus alienis inuidere, illáſque concupiſcere.

SVMMARIVM.

Quid ſit inuidia, & de quibus rebus habeatur. n. 1.

Quando inuidemus, & triſtamur de bonis proximi, quia inde nobis aliquod malum euenire poteſt; non eſt effectus inuidiæ, ſed timoris: & hoc poteſt eſſe, & non eſſe peccatum; & quando eſt, & non eſt peccatum. num. 2. & 3.

Quid, quando non certò, ſed probabiliter timemus aliquid nobis mali euẽturum ex alterius bono. n. 4.

Triſtari, & dolere de bono alterius, vt eſt diminutiuum noſtræ gloriæ, eſt peccatum inuidiæ. num. 5.

Ex ſuo genere eſt mortale, & vnum ex ſeptem capitalibus. num. 6.

Inuidia oritur ex inani gloria. num. 7.

Triſtari, & dolere de bono proximi, non ideò quòd proximus illud habeat; ſed quòd illo careamus, eſt Zelus, & æmulatio, non inuidia. num. 8.

Quatenus poſſit hic zelus eſſe licitus, vel illicitus, mortalis, vel venialis, ſi hæc triſtitia ſit de bonis ſpiritualibus proximi. ibid.

Quid, ſi ſit de bonis temporalibus, ibi, verſu, Si autem ſit.

Si ea bona temporalia ſunt nobis proportionata, & non referuntur in malum finem, licitum eſt de illorum carentia triſtari. ibid.

Quid, ſi ſint nobis improportionata, vt cùm plebeius triſtatur, quòd non ſit Rex, an hoc ſit licitum, vel illicitum, & quatenus. num. 9. & 10.

Quid, ſi aliquis doleat, quòd non habeat bona temporalia, quæ in proximo videat; & ob huiuſmodi carentiam non poſſit exequi malum finem, quem intendit. num. 11.

Quid, ſi doleat, quòd bona temporalia data ſint prauis, & indignis hominibus. num. 12. & 13.

Quid, ſi triſtemur de bonis proximorum, ſiue illis digni ſint, ſiue indigni, eò quòd illos odio habeamus. num. 14.

An liceat triſtari, & dolere de valetudine, aut bonis temporalibus proximi, quatenus illi ſunt occaſiones peccandi. num. 15.

1. *Inuidiæ definitio.* D. Thom. D. Damaſc. INVIDIA ſic à D. Thom. 2. 2. *q.* 36. *art.* 1. & 2. deſcribitur: *Inuidia eſt triſtitia de alieno bono, quatenus eſt propriæ gloriæ, & excellentiæ diminutiuum.* Quæ deſcriptio deſumpta eſt ex D. Ioanne Damaſceno *lib.* 2. vbi dicit, inuidiam triſtitiam eſſe de bonis alienis: & ex Ariſtotele 2. *Ethic.* Licèt enim obiectum triſtitiæ ſit malum proprium; & non poſſit eſſe bonum; tamẽ poteſt cõtingere, vt id, quod eſt bonum alienũ, apprehendatur vt malũ proprium, & vt diminutiuum propriæ excellentiæ: & inde eſt, quòd de bonis alienis triſtari poſſimus, quatenus illa apprehendimus, vt diminutiua noſtrorum bonorum; ac proinde, vt malum noſtrum, vt optimè explicat idem D. Thom. *ibi.* Et inde dicimus, inuidere, quaſi non videre: inuidi enim nolunt aliena bona in aliis videre; ſed ſibi illa deſiderant, ac concupiſcunt: & ideò, quia illis carent, & gloriam, quia ob illorum carentiam priuantur, in aliis vident, maximã capiunt triſtitiam de bonis alienis. (Ariſtot.) Vnde, cùm triſtitia ſit vitium, habet pro obiecto bonum, pulchrum, & excellens; non ſub ratione boni, pulchri, & excellentis, abſolutè loquẽdo; ſed, quatenus illud bonum eſt diminutiuum propriæ gloriæ, & excellentiæ; & quatenus proinde illud volumus à proximo auferre, nobiſque appropriare, vt inde excellentiores videamur: quod optimè notauit Horatius, cùm dixit, ſolos potentes, & diuites homines, ac in rebus humanis excellentes, obiectum eſſe inuidiæ, non quatenus homines; ſed quatenus potentes, diuites, excellentes, ac ſumptuoſiſſima palatia habitantes:

> *Auream quiſquis mediocritatem*
> *Diligit, tutus caret obſoleti*
> *Sordibus tecti; caret inuidenda*
> *Sobrius aula.*

Multipliciter autem poteſt contingere, vt quis 2. alienis bonis inuideat. Primò, quia aliquod malum *Inuidia multiplex eſt.* inde ſibi, vel ſuis amicis, vel bonis hominibus timet, & euenturum exiſtimat: v. c. cùm quis dolet de aſſumptione alicuius ad honorificum Magiſtratum, ad electionem beneficij, ad officij dignitatem, eò quòd ſibi inde malum timet. Et hæc triſtitia non eſt inuidia; ſed effectus timoris: ideò enim dolet; quia timet nocumentum aliquod inde ſibi, aut ſuis euenturum; & quia illud præſentit, & præuidet, ideò dolet de bonis alienis. Et hoc poteſt eſſe, & non eſſe peccatum. Poteſt quidem non eſſe peccatum; ſi timeamus malum iniuſtè nobis, vel noſtris inferendum; & de illo malo triſtamur, ac dolemus. Vnde D. Gregorius *lib.* 21. *Moral. cap.* 11. D. Gregor. ſic inquit: *Euenire plerumque ſolet, vt non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſus eius gloria ſine inuidiæ culpa contriſtet; cùm & ruente eo, quoſdam benè erigi credimus; & proficiente illo, pleroſque opprimi formidamus.* Eſt quidem peccatum mortale, vel veniale, iuxta materiæ grauitatem, quando malum, quod timemus, iuſtè nobis, vel alteri eſt inferendum: & de illo triſtamur. Exemplis res clarior euadet. Eligitur ille in Iudicem, *Quando triſtitia de bono alicuius ſit licita.* aut in regium Senatorem, qui ſolet committere multas iniuſtitias: & probabile eſt, in me illas, vel in meos conſanguineos, proximos, & amicos commiſſurum: licitum eſt mihi triſtari de tali poteſtate ei data: quia, ſi ego poſſem illum tali poteſtate, bonóque priuare, ne haſce iniuſtitias in me, vel meos committeret, iuſtè, & licitè illum priuarem: ergo iuſtè, & licitè poſſum triſtari de bonis illius hominis, quibus illum iuſtè, ac licitè poſſem priuare, quatenus ex illis timeo malum aliquod mihi iniuſtè euenturum, vt optimè docet D. Thom. 2. 2. D. Thom. *q.* 36. *art.* 2. Caietan. *ibi.* Azor. *tom.* 3. *inſtit. moral.* Caiet. *lib.* 2. *cap.* 22. *initio.* Azor.

Deinde eligitur in Iudicem, ac Senatorem ho- 3. mo rectus, qui iuſta pœna puniturus eſt malos; & *Quando illicita.* præmiis affecturus eſt bonos: peccatum planè eſt dolere, ac triſtari de illius officio, & bono: quia, quanuis licitum omnibus ſit de malo, & pœna, nobis etiam iuſtè inflicta, timere, dolere, & triſtari; non tamen eſt licitum ob huiuſmodi timorem, & triſtitiam Iudicem priuare publica poteſtate puniendi, aut illum ob id deſpicere, aut vituperare. Ita docet optimè Caiet. allegatus, & Toletus *in Summa*, vbi de ſeptem peccatis mortalibus, *cap.* 64. Caiet. Toletus.

Quando autem non certò, nec probabiliter no- 4. bis, vel aliis iniuſtũ malum inferendum timemus; ſed leui quadam ſuſpicione, & coniectura id colligimus, & ſuſpicamur; tunc triſtari de bono illius non eſt licitum, ſicut etiam non eſſet licitum in tali caſu eum priuare tali bono.

5. Secundò, poteſt quis triſtari, & dolere de bono alterius, vt malum proprium æſtimatur; quatenus, ſcilicet, eſt diminutiuum propriæ gloriæ, & excellentiæ: & hoc modo dolere de bono alterius, ac triſtari, eſt inuidia: & ideò præcipuè de illis aliorum bonis homines inuidere ſolēt, ex quibus aliis gloria accreſcit, & in quibus amant ſe ab aliis honorari, cùm vident ſe illis carere, & in illis ab aliis excedi: & hoc ſemper eſt peccatum: quia dolent de eo, de quo ſibi gaudendum erat, ſcilicet, de bono proximi. Ita docet D. Thom. 2.2.*q.*36.*art.*1. *in corpore*, & *art.*2. *in corpore, ad finem.* Ariſtoteles *lib.*2. *Rhetor. cap.*11. Azor. *tom.*3. *inſtit. moral. lib.*2.*c.*22. *initio*, Nauar. *in Summa Latina*, *cap.*23. *num.*118. Toletus *ſuprà* citatus.

Quando triſtari de bono alicuius ſit inuidia.

D Thom. Ariſtot. Azor. Nauar. Toletus.

6. Non eſt autem dubium, vitium inuidiæ ex ſuo genere eſſe lethiferum, & capitale peccatum: communiter enim inter ſeptem peccata mortalia numeratur. Et ita docet D. Thom. 2. 2. *q.*36. *art.*3. Caiet. *ibi.* Nauar. Azor, & Toletus *modò* allegati, & D. Greg. *lib.*31. *moral. cap.*31. Et patet ex illo Iob 5. *Paruulum occidit inuidia.* nihil autem occidit ſpiritualiter, niſi peccatum mortale. Inuidia igitur peccatum mortale eſt ex genere ſuo. Confirmatur ratione: quia vnunquodque genus peccatorum ex obiecto ſuo conſideratur; inuidia autem ſecundùm rationem ſui obiecti aduerſatur charitati proximi; quidquid verò aduerſatur charitati proximi, neceſſe eſt, vt ex obiecto, & genere ſuo ſit peccatum mortale. Confirmatur adhuc: quia tenemur ex charitate diligere proximos: fructus autem, & terminus huius dilectionis, eſt gaudium, quo gaudere debemus de bonis illius: conſtat autem, triſtitiam de bonis proximi, in qua ſita eſt inuidia, contrariam eſſe gaudio: ergo inuidia eſt contraria charitati proximi: nam charitas gaudet de bonis proximi; inuidia de iiſdem triſtatur: vnde manifeſtum eſt, inuidiam eſſe peccatum mortale.

Inuidia eſt peccatū mortale.

D. Thom. Caiet. D. Greg.

7. At dices, non eſſe capitale: quia ex vitiis capitalibus alia oriūtur; inuidia verò oritur ex inani gloria: tum, quia, vt Philoſophus teſtatur *in lib.*2. *Rhetoricorum, c.*11. amatores honoris, & gloriæ magis inuident: tum, quia, vt docet D. Thom. 1.2.*q.*36. *art.*4. *ad vlt.* prima filia, & ſoboles ſuperbiæ eſt inanis gloria, quæ, dum mentem inuadit, & occupat, mox inuidiam generat: nam, dum quis inanis nominis potentiam appetit, ſi hanc alius aſſequatur, triſtitia tabeſcit, ac rumpitur inuidia. Oritur igitur inuidia ex vana gloria, & vana gloria ex ſuperbia: ergo inuidia non eſt vitium capitale. Reſpondeo, non eſſe contra rationē vitij capitalis, quòd ipſum ex alio oriatur; ſed, quòd præcipua quadam ratione alia peccata ex ipſo oriantur: ex inuidia autem, præcipua quadam ratione, multa alia peccata oriuntur; oritur enim odium, ſuſurratio, detractio, gaudium in aduerſis proximi, afflictio, & triſtitia in proſperis, vt optimè probat D. Thom. 2.2.*q.*36.*art.*2.*&* 3. & Toletus *in Summa*, vbi de ſeptem peccatis mortalibus *cap.*67. & Azor *tom.*3.*lib.*2.*cap.*22.

Obiicitur, quòd non ſit vitium capitale.

Ariſtot. D. Thom.

Soluitur.

8. Tertiò, poteſt quis triſtari de bono alterius, non ideò, quòd alter illud habeat; ſed ideò, quòd ipſe illo careat. Et hoc propriè non dicitur inuidia; ſed zelus, & æmulatio, iuxta Philoſophum *lib.*2. *Rhetoric. cap.*2. *aliàs* 11. *in principio tom.*6. & iuxta D. Thom. 2.2.*q.*36.*art.*2. *in corpore*, & Toletum *in Sūma*, vbi de ſeptem peccatis mortalibus *cap.* 65. Et huiuſmodi zelus, & æmulatio, ſi ſit circa bona ſpiritualia, & ad animi ſalutem à nobis dirigatur, vt cùm quis videt religioſum virum modeſtum, & pœnitentem, & triſtatur, ſe talem nō eſſe, licita eſt, honeſta, & laudabilis hæc triſtitia, & æmulatio: & ſic licitum quoque eſt de carentia talium bonorum dolere, & triſtari prædicto modo, iuxta illud D. Pauli 1. Corinth. 14. *Sectamini charitatem: æmulamini ſpiritualia.* Et 1. Corinth. 12. *Æmulamini chariſmata meliora.* In his tamen bonis ſpiritualibus poteſt eſſe quædam triſtitia, & inuidia illorum, quæ inter grauiſſima peccata mortalia numeratur, cùm, ſcilicet, aliquis dolet de augmento gratiæ Dei, & quòd aliquis huiuſmodi augmentum habeat: quod quidem eſt peccatum contra Spiritum Sanctum: quia per hanc inuidiam homo quodammodo inuidet Spiritui Sancto, qui in ſuis operibus glorificatur, & bona gratiæ iuxta merita diſtribuit: imò quodammodo Spiritum Sanctum arguit, quòd immeritis augmentum gratiæ conferat. Ita D. Thom. 2.2.*q.*36. *art.*4. *ad* 2. Si autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato, iuxta varietatem bonorum, & finis, ad quem ea bona à nobis diriguntur, & ob quem de illorum carentia triſtamur: nam, aut ea bona temporalia, quæ proximus habet, & de quibus dolemus, & triſtamur, ſunt nobis proportionata, aut improportionata: ſi ſunt nobis proportionata, licitum nobis eſt ob illorum carentiam triſtari, & de illis dolere, cùm illa in aliis videmus; non, quia illi ea habeant; ſed, quia illis caremus: v. c. non habes bona, quibus poſſis familiam tuam decenter ad ſuum ſtatum alere; vides alios tibi æquales illa habere, licitum eſt tibi triſtari, quòd illa non habeas: ſicut enim tibi licitum eſt ea procurare, & deſiderare; ita licitum tibi eſt ob illorum carentiam triſtari: non tamen licitum tibi eſt de illis triſtari, quia alter illa habet; quia id aduerſatur charitati, & dilectioni in proximos, vt diximus; nam terminus, & fructus dilectionis proximi eſt gaudium de illorum bonis; & terminus odij, & inuidiæ, eſt triſtitia de illis. Ita Toletus citatus.

Triſtari de bono alterius, quia illo careas, eſt zelus, & æmulatio; non inuidia.

Ariſtot. D. Thom.

Quando licitum, aut illicitum.

1. Cor. 14. 1. Cor. 12.

D. Thom.

De carentia bonorum nobis proportionatorum triſtari licitū.

9. Aut ſunt nobis improportionata: vt, ſi plebeius homo triſtetur, quia non eſt Rex, Dux, Comes, aut Papa: tunc quidem peccatum eſt veniale tantùm, vt docet Toletus *in Summa*, vbi de ſeptem peccatis mortalibus *cap.* 65. Vnde, ſi homo plebeius triſtetur ob carentiam Regni, aut Ducatus; non, quia ea bona Reges, & Duces habeant; ſed, quia ipſe illis careat; eſt peccatum veniale: nam, cùm inuidia ſit de gloria alterius, in quantum eſt diminutio gloriæ, quam quis appetit, conſequens eſt, vt in ordine ad illos tantùm inuidia habeatur, quibus homo plùs, minúſve eſt æqualis: inuidia enim non eſt dolor, & triſtitia de bono alterius hominis abſolutè, ſeu propter ipſum hominē abſolutè conſideratum, vt notauit Caietan. 2.2. *q.*63. *art.*1. *ad* 2. ſed eſt dolor, & triſtitia de bono alterius hominis ſibi plùs, minúſve æqualis: quia eſt dolor de bonis proximi. Hoc autem nomen, *proximus*, ibi non eſt nomen ſubſtantiæ, ſignificans hominem abſolutè; ſed eſt ſubſtantiæ ſimul, & accidentis, ſignificans hominem ſimilem, & æqualem: proximus enim nō ſolùm ſignificat abſolutè hominem; ſed hominem æqualem, & ſimilem. Vnde dicimus propter proximitatem, id eſt, propinquitatem, aut ſimilitudinem, hic illum amat: & ideò conſequens eſt, vt ad illos tantùm inuidia habeatur, quibus inuidus vult ſe æquare, vel præferre in gloria: quod non eſt reſpectu eorum, qui in illa multùm à ſe diſtant: nullus enim, niſi inſanus, ſtudet, vel procurat ſe æquare, aut præferre in gloria iis, qui ſunt multò eo maiores, atque excellentiores, vt, v. c. plebeius homo Regi, aut Rex plebeio, quem multis partibus

Quid de bonis improportionatis.

Toletus.

Caietan.

partibus excedit:& ideò his,qui multùm diſtát,vel loco,vel tempore, vel ſtatu,homo non inuidet;ſed his,qui ſunt propinqui,& quaſi ſimilis conditionis plùs,minúſve, quibus ſe vult æquare,vel præferre.

D.Thom. Caietan. Toletus. Ariſtot. Et ita docet expreſsè D.Thom.2.2.*quæſt.*36.*art.*1. *ad* 2.Caietan.*ibi*,Toletus *in Summa*, vbi de ſeptem peccatis mortalibus *cap.*65. Ariſtoteles *lib.*2.*Rhetor. cap.*11.*tom.*6. *circa principium.* Et quanuis D. Thom. aſſerat, hoc eſſe peccatum ex ſe,& non explicet, an ſit mortale, an veniale; tamen Toletus expreſsè aſſerit, ſolùm eſſe peccatum veniale inuidere bonis temporalibus nobis improportionatis,vt cùm plebeius Regi,aut Rex plebeïo inuidet.

10. *Obiectio.* Dices: Licitum eſt homini plebeïo procurare eſſe Regem, & ad regnum aſpirare, & id deſiderare: ergo licitum eſt illi ob carentiam regni triſtari,cùm regnum videt in Rege; non,quia illud Rex habeat; ſed, quia ipſe illo careat.

Solutio. D.Thomas. Nego antecedens: nullus enim, ait D.Thom. *num. præcedenti* allegatus, plebeius, aut mediocris fortunæ homo, niſi inſanus, procurat ſe æquare, vel præferre in gloria iis,qui multùm ſe excellunt: vnde, ſi id eſt actus inſaniæ,licitus eſſe non poteſt;ſed illicitus.

11. *Triſtari de carentia bonorum proximi, ob finem aliquem malum, quod peccatum.* Si autem ea bona temporalia deſideret quis ob malum finem; & cùm illa videt in proximo, de illorum carentia triſtatur, ac dolet;non quòd proximus illa habeat; ſed, quia ipſe inuidens illis carens non poteſt exequi finem aliquem malum à ſe intentum,ac deſtinatum:tunc equidem, ſiue ea ſint nobis proportionata, ſiue improportionata, de illorum carentia triſtari, dolere, ac inuidere, & ea deſiderare eo fine, mortale peccatum eſt, ſi malus finis malitiam induat mortalem; veniale, ſi venialem, vt de ſe patet: & optimè animaduertit Toletus allegatus.

12. *Triſtari de bonis proximi,praui, & indigni, quod peccatum.* D.Thom. Caiet. Alio rurſus modo poteſt quis dolere, & triſtari de bonis temporalibus alterius proximi,quatenus, ſcilicet,illa ſunt collocata in hominibus prauis,& indignis; & hæc triſtitia non eſt inuidia,ſed indignatio; ſeu potiùs, vt illam appellant D.Thom.& Caietan.2.2.*quæſt.*36.*art.*2. nemeſis, id eſt, iuſtitia diſtributiua: & hæc indignatio prohibita eſt in ſacra pagina; & poteſt eſſe venialis, & mortalis.

Pſal.36. Vnde Dauid Pſal.36.initio: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* & infrà verſu 8. *Noli æmulari,vt maligneris: quoniam, qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum,ipſi hæreditabunt terram*;id eſt,vt explicat

Agelus. Agelus ibi: *Noli inuidia torqueri aduersùs eum,qui felix eſſe præter meritum videtur,ne cum illo paria facere videaris, & illius iniquitatem imiteris.*

Pſal.72. Et alibi Pſal.72. *Penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos,pacem peccatorum videns.*Nam, cùm hæc temporalia bona, quæ iniuſtis, & indignis hominibus dantur ex Dei ordinatione prouenìant,vel ad illorum emendationem, vel condemnationem,qui de illis dolent,eò quòd indignis donentur; conſequenter, & interpretatiuè Dei ordinationem arguunt, & reprehendunt, quod planè peccatum eſt, ſaltem veniale: ſi autem in eam dementiam deueniant, vt Deum expreſsè arguant,eſt manifeſtum peccatum mortale, & grauiſſima blaſphemia: tribuunt enim Deo iniuſtitiam, quæ illi non conuenit; & negant ei iuſtitiam,quæ illi conuenit. Et ideò addit Dauid: *Quoniam, qui malignantur, exterminabuntur.* id eſt, peccabunt mortaliter, & à iuſtis exterminati, atque exciſi, cum iniuſtis ad Inferos detrudentur.

13. *Quæ indignatio licita.* Talis tamen poteſt eſſe indignatio, vt quis indignetur; non, quia Deus malè ſua dona diſtribuat; ſed, quia mali, & indigni homines eis abutantur,vel alio fine bono:& hoc licitum planè eſt, & omni peccato, etiam veniali, caret, vt animaduertit optimè Toletus *in Summa,lib. de ſeptem peccatis mortal.cap.*65. Tolet.

Rurſus poteſt quis dolere, & triſtari de bonis alienis: quia odio illos habet, qui ea poſſident; & ideò malum illis vult: quando enim aliquem odio habemus,conſequenter illius bonum nobis diſplicet, & hoc eſt odium. Grauitas autem huius peccati iudicanda eſt ex ipſo actu odij: nam,ſi malum alicui volumus propter ipſum ſubiectum, & perſonam,quæ inimica eſt nobis; tunc planè, ſi malum eſt graue, & deliberatè illud ei deſideramus, mortale peccatum eſt: ſi autem eſt leue, & odium non ex deliberata voluntate procedit, ſed ex indeliberato deſiderio; tunc planè veniale erit ex accidenti, hoc eſt, ex defectu deſiderij, & materiæ. 14. *Triſtari de bonis proximi, quæ odij, quod, & quàm graue peccatum.*

Dixi, *ex accidenti*: quia hoc ex genere ſuo ſemper eſt mortale, vt docet D.Thom.2.2.*quæſt.*34.*art.*6. *& art.*3. Poteſt verò aliquis malum alicui perexiguum deſiderare; cum intentione tamen deliberata eum deſtruendi:& hic actus odij mortalis eſt; non propter malum, quod illi deſiderat; ſed propter deprauatam intentionem, quam habet nocendi, ſi ampliùs poſſet: odium enim amori, & dilectioni opponitur, qua naturaliter proximum diligimus: vnde tantùm habet odium proximi de ratione mali, quantùm habet amor de ratione boni:quare, cùm mortale ſit non diligere proximum internè, mortale quoque erit, eum odio habere internè:debetur autem amor proximo,& tenemur illum diligere ſecundùm id, quod à Deo habet, id eſt, ſecundùm naturam, & gratiam, quam à Deo habet: at non debetur ei ſecundùm id, quod à ſeipſo,& à Diabolo habet, id eſt, peccatum; & ideò poſſumus odio habere peccatum in proximo, & proximū ipſum amare;quia illius naturam, & gratiam, quam à Deo habet,amamus, & illius peccatum odimus: hoc enim ipſo, quòd in proximo odio habemus peccatum, & defectum boni,ad illius amorem pertinet,vt ait D.Thom.2.2.*quæſt.*34. *art.* 3. *in corpore*: quia eiuſdem rationis eſt velle bonum alicui, & odio habere malum illius: ſic Deus in peccatoribus peccatum odit, & illorum naturam amat;& ex eodem amore procedit odium peccati,& amor creaturæ. Vnde D.Auguſt. *Homo,& peccatum,duæ res ſunt: quod audis,homo, Deus fecit; quod audis peccatum, homo, & Diabolus fecit: tollat ergo peccator id,quod ipſe,& Diabolus fecit,vt Deus amet id,quod fecit.* D.Thom. D.Thom. D.Auguſt.

Ex hoc principio, & ordine charitatis proximi poteſt quis triſtari, & dolere de bono temporali illius: quia illi vult maius bonum, v. c.quia videt bona temporalia illi eſſe occaſionem peccandi: quæ planè triſtitia ex ſe bona eſt, & ex charitate procedit. 15. *Triſtari de bono proximi, quando licitum.* Sic licet triſtari de bona valetudine alterius: quia illi eſt occaſio peccandi mortaliter: & licet illi etiam deſiderare infirmitatem ob maius bonum: licet triſtari,& dolere,quia viuunt Hæreſiarchæ, & bonorum morum corruptores; & licet illis mortem deſiderare, ne alios inficiant: quæ etiam triſtitia,& deſiderium ex charitate procedit, vt patet. Licet etiam triſtari, & dolere, quia res Turcis, & Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus ex animo fluunt, ac ſuccedunt; & quòd res Catholicorum ruant in peius: totum enim hoc opus charitatis eſt,& ad nemeſim, hoc eſt,iuſtitiam diſtributiuam ſpectat,vt patet, & docet Azor *tom.*3.*inſtit.moral. lib.*2.*cap.*20.

Capvt II.

De peccatis, quæ ex inuidia oriuntur, & inuidiæ ſoboles appellantur.

SVMMARIVM.

Inuidia eſt peccatum capitale, & quæ peccata ex illa oriantur. num. 1.
Quid ſit ira. num. 2.
An licitum ſit aliquando iram concipere. Refertur prima opinio negans. n. 3. & 4.
Refertur ſecunda affirmans. n. 5.
Præfertur vera ſententia docens, aliquando eſſe licitum, & meritorium; aliquando non, & quando. n. 6. & 7.
Soluuntur argumenta primæ, & ſecundæ opinionis. num. 8.
Iracundia quando poſſit eſſe venialis. n. 9.
In quibus caſibus ſit peccatum iracundia. n. 10.
An ira ſit grauius peccatum, quàm peccatum odij in proximos. n. 11. & 12.
Vtrùm ira grauius ſit peccatum, quàm ambitio: & qui ſint ineptiores ad regimen politicum, ſiue eccleſiaſticum, ſiue ſæculare, iracundine, an ambitioſi. à n. 13. vſque ad 20.
Quid ſit odium, & vnde oriatur. n. 20.
Ob multas cauſas poſſumus aliquem proximum odio habere, & ob quas. n. 21.
Odium ſemper ex ſuo genere eſt peccatum mortale; per accidens tamen poteſt eſſe veniale. n. 22.
An ſit ex genere ſuo maximum omnium peccatorum, quæ in proximos committi poſſunt. n. 23.
Non eſt vitium capitale, & quare. n. 24.
An Deus poſſit odio haberi. n. 25.
An peccatum odij Dei ſit maximum omnium peccatorum, quæ in Deum committere poſſumus, & maius peccato hæreſis, & deſperationis. n. 26.
In moralibus ſæpè peccata, quæ ex aliis peccatis oriuntur, grauiora ſunt, quam illa, ex quibus oriuntur; & plus malitiæ habet effectus, quàm cauſa. n. 27.
An peccatum odij Dei habeat duplicem malitiam, auerſionis à Deo, & conuerſionis ad creaturam: & qualis ſit prior. n. 28.
An peccatum crudelitatis ex inuidia oriatur: & quid ſit crudelitas, quàm graue peccatum. Quid ſit etiam ſæuitia, & feritas; & quibus virtutibus opponantur. n. 19.

1. *Quæ peccata oriantur ex inuidia.* D.Thom. APPELLATVR, & eſt inuidia peccatum capitale, vt diximus *in cap. præcedenti*, & docet D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 158. *art.* 6. propterea quòd alia peccata ex ea oriantur. Et multa enumerant Authores: primò enim ex illa oritur ira: ſecundò, odium, & crudelitas: tertiò, murmuratio, detractio, contumelia, æmulatio. De murmuratione, detractione, & contumelia diximus *in præcepto* 8. *in capitibus primordialibus*: de æmulatione nonnihil attigimus *cap præcedenti, n.* 8. Solùm ergo ſupereſt, vt aliquid de ira, odio, & crudelitate agamus: & breuiſſimè omnia neceſſaria perſtringemus.

2. *Ira quid ſit.* D.Thom. Ira igitur, iuxta D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 158. *art.* in corpore, *nihil alìud eſt, quàm cupiditas, ſeu appetitus vindictæ: & eſt motus voluntatis, quo quis vult alicui malum pœnæ, ob vindictam alicuius culpæ commiſſæ.* Poteſt autem vindicta & benè, & malè appeti: benè, ſi appetatur in punitionem alicuius delicti publici, & ſcandaloſi; malè, ſi appetatur, & deſideretur ex auerſione perſonæ, contra quam iram concipimus: deinde benè, ſi vindicta non excedat culpam; malè, ſi illam excedat. In eo autem diſtinguitur ira ab odio, quòd per odium volumus alicui malum abſolutè: per iram autem volumus, quòd aliquis in vindictam ſceleris commiſſi puniatur. Nonnulla igitur dubia hîc inſurgunt, quæ neceſſariam poſtulant explicationem ad intelligentiam materiæ. *Diſtinguitur ab odio.*

Primum eſt, vtrùm licitum aliquando ſit iram concipere, ſeu iraſci? Et hac de re partita eſt opinio. Prima docet, nunquam eſſe licitum iraſci. Hanc videtur tenere D.Hieronym. explicans enim illud Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*, ita ait: In quibuſdam codicibus additur, *ſine cauſa*; cæterùm in veris definitiua ſententia eſt, ſcilicet, non eſſe licitum iraſci. Et probatur: quia Chriſtus Dominus ibi Matth. 5. iram cōparat cum homicidio, dicēs: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis. Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Vnde, ſicut peccatum eſt occidere, ita & iraſci. Probatur deinde ratione: quia priuare ſe voluntariè vſu rationis, eſt peccatum mortale: ideò enim ebrietas (vt omnes Theologi fatentur) eſt peccatum mortale; quia per illam ſe quis priuat voluntariè, & antecedenter, vſu rationis: ſed per iram priuat ſe homo voluntariè vſu rationis; tollit enim ira rationem, vt docet D.Dionyſ. Areopag. 9. *de diuin. nomin. cap.* 4. ergo iraſci, peccatum mortale de ſe eſt. Et hanc opinionem videtur etiam tenere D.Greg. *cap.* 5. *moral.* vbi aſſerit, iram tranquillitatem mentis diuerberare, dilaniare, ſcindere, & perturbare. Vnde & Caſſianus dicit *in lib. de inſtitutis Cœnobiorum*, iracundiæ motum qualibet ex cauſa efferueſcentem excæcate oculum cordis, id eſt, intellectum: ergo iraſci ſemper eſt malum; & nunquam poteſt eſſe bonum, & & licitum. Deinde, ira eſt appetitus vindictæ, vt ex illius definitione patet: appetere autem vltionem, & vindictam, non videtur licitum; ait enim Dominus Deuteron. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam eis.* Igitur, nunquam poteſt eſſe licita vltio, & vindicta in hominibus particularibus. Adde, quòd ira eſt vnum ex ſeptem peccatis mortalibus, ſeu capitalibus. Quis ergo audebit dicere, iracundiæ motum eſſe licitum, & iram non eſſe peccatum? Neque obſtat illud Pſalmi: *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* nam ibi loquitur Dauid de motu primò primo iracundiæ, qui ex ſubreptione oritur, in quo peccatum non eſt. 3. *An ira ſit licita.* 1. *opinio affirmans.* D.Hieron. Matth. 5. D.Gregor. Caſſian. Deuter. 32. *Occurritur obiectioni.* Pſal. 4.

4. *Adſtruitur iram eſſe pec. mort.* Et verò quòd non ſolùm peccatum ſit; ſed ex genere ſuo mortale ſit; hæ etiam rationes probant, vltra hactenus traditas: nam in Iobo ita aſſeritur: *Verè ſtultum occidit iracundia.* non naturaliter, ergo ſpiritualiter: ergo eſt peccatum mortale ex genere ſuo iraſci: de morte enim ſpirituali animæ, & peccati, hîc loquitur Iobus, & non de morte corporali: ſiquidem multos videmus iracundos non emori: non poteſt ergo hic locus Iobi intelligi de morte, & occiſione corporali. Deinde in hunc modum formatur ratio. Nihil meretur damnationem æternam, quod non ſit peccatum mortale: ſed ira meretur damnationem æternam, iuxta dictum Chriſti Domini Matth. 5. *ſuprà* allatum: *Ego autem dico vobis, omnis, qui iraſcitur, reus erit iudicio.* vbi Gloſſa ait, iudicium ibi ſignificare gehennam: ergo eſt peccatum mortale. Vltimò, quia, quidquid contrariatur charitati, de ſe eſt peccatum Iob 5. Matth. 5.

peccatum mortale: ſed ira contrariatur charitati: ergo eſt peccatum mortale: ergo ira de ſe non ſolùm ſemper eſt illicita, ſed etiam ex natura,& genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale: & ideò Apoſtolus ad Epheſios 4. ait: *Omnis indignatio,& ira tollatur à vobis.* Epheſ.4.

2. opinio negans. D.Thom. Secunda opinio docet, iram non eſſe peccatum; imò, in ſe conſideratam, eſſe licitam. Primò, quia ira eſt paſſio naturæ, vt docet D. Thom. *in 2. ſentent. diſt.36. ad 2.* & *in 3. diſt.15. q.2. art.2. quæſtiuncula 2. in corpore*: ergo non eſt peccatum: nam per peccatum demeremur; per paſſiones verò naturæ, nec meremur, nec demeremur; ſicut nec laudamur, nec vituperamur. Secundò, quia nemo peccat in eo,quod vitare non poteſt,& in manu ſua non eſt: ſed iram homo vitare non poteſt; motus enim iræ non eſt in manu, aut poteſtate noſtra: ergo non eſt peccatum;neque iraſci illicitum eſſe poteſt. Confirmatur: quia iuxta Philoſophum Ethicorum 7. iratus cum triſtitia operatur: triſtitia autem eſt contratia voluntati: ergo ira non eſt peccatum: nam, vbi non eſt voluntarium, peccatum non eſt: peccatum enim in voluntate conſummatur in ratione peccati. Tandem, quia ira eſt actus potentiæ iraſcibilis; vnde iraſci eſt actus naturalis homini: ergo non poteſt eſſe peccatum. Ariſtot.

6. Vera opinio. Ita ſe habent huiuſmodi opiniones. Dicendum tamen eſt, iram, abſolutè loquendo, quatenus eſt appetitus vindictæ ordinatæ, & ſubeſt rationi, & moderata eſt; & quatenus ſuſcipitur,quomodo,& quando oportet, non eſſe peccatum; ſed potiùs eſſe meritoriam, & laudem habere: & ita docet D.Thom. 2. 2. *q.158. art.1.* dum aſſerit, *iram eſſe appetitum vindictæ, qua homo poteſt benè, & malè vti.* & Caietan. *ibi*, vbi dicit, *iram eſſe laudabilem, quatenus pertinet ad potentiam executiuam; & exequitur id, quod benè electum, iudicatum, conſultúmque eſt.* Docet item Valentia *2.2.diſp.9.q.3.punct.1. columna 2. litera B, verſu,Ira*,& Azor *tom.3.inſtit. moral. lib.2. cap.21.* Si verò ira ſumatur, provt eſt appetitus vindictæ inordinatæ, & non ſubeſt rationi, & immoderata eſt, & ſuſcipitur, quomodo, & quando non oportet; & ob illam quis inordinatè appetit vindictam de aliquo, quomodo, & quando non oportet ſumere;tunc quidem eſt peccatum mortale ex ſuo genere, & vnum ex ſeptem capitalibus, vt docet D.Thom. 2. 2. *dicta q.158. art.3.* Valentia, & Azor allegati. Et ita conciliantur hæ duæ opiniones, vt prima loquatur de ira ſecundò modo ſumpta, quatenus inordinata eſt, & non ſubeſt rectæ rationi: ſecunda verò procedat de ira primo modo ſumpta, quatenus, ſcilicet, eſt appetitus vindictæ ordinatæ, & homo benè vtitur illa ad exequendum id, quod prudenter fuit conſultum, imperatum, & iudicatum. Quamobrem optimè animaduertit D.Thom. hîc *in 2. 2. q.158. art.1. ad 2.* iram in ordine ad rationem duobus modis conſiderari poſſe. Vno antecedenter: & iſto modo eſt irrationabilis, imò rationem à ſua rectitudine deturbat, vnde habet rationem peccati, & mali: quod egregiè probant omnia argumenta primæ opinionis. Altero conſequenter, provt, ſcilicet, appetitus ſenſitiuus mouetur contra vitia, & illorum appetit vindictam ſecundùm ordinem rationis: & hæc ira eſt bona, quæ dicitur zelus, ſeu ira per zelum; & pertinet ad potentiam executiuam iuſtitiæ, & vt inſtrumentum virtutis iuſtitiæ aſſumitur. Quamobrem curandum ſummopere eſt, ne ira, quæ vt inſtrumentum virtutis aſſumitur, menti, & rationi dominetur, illámque ad ſe trahat, & à rectitudine iuſtitiæ deturbet, ne quaſi domina præeat, ſed quaſi ancilla rationem ſubſequatur.

D.Thom. Caietan. Valentia. Azor. D.Thom. Valent. Azor. D.Thom. Ira in ordine ad rationem duobus modis conſideratur.

Benè autem D.Thom. 2. 2. *q.158. art.1. in corpore, & ad 3.* animaduertit, iram eſſe appetitum vindictæ, quo benè, vel malè vti poſſumus: quia appetere vindictam propter malum eius, qui puniendus eſt, illicitum eſt, & eſt actus odij: appetere autem vindictam propter vitiorum correctionem,& bonum iuſtitiæ conſeruandum, laudabile eſt, & ad vtrunque poteſt homo operari, & ira benè, vel malè vti, vt conſideranti patebit. Neque obſtat, quòd omne illud,quod nos à diuina ſimilitudine abducit, ſemper ſit malum; iram autem nos à diuina ſimilitudine abducere: quia Deus ſemper ſedato corde, & cum tranquillitate iudicat, vt dicitur Sapientiæ 12. verſu 18. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.* Nam, vt notat D. Thom. *ad 4.* Deo aſſimilari poſſumus in appetētia boni;in modo autem appetendi bonum, aſſimilari non poſſumus: quia in Deo non eſt appetitus ſenſitiuus, ſicut in nobis, cuius motus debet rationi ſubiici; rationémque ſequi, & illam non præire; & ideò Deus cum ſumma tranquillitate iudicat, & ſine incitatione iræ. Prætereà dici poteſt, iram etiam Deo in ſacris Literis tribui, ſed abſque imperfectione: vnde Ieremiæ 7. verſ. 19. *Me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus.* hoc eſt, vt explicat Lorinus Sapientiæ 12. verſ. 18. *Non iraſcor ego propriè, nec turbor; ſed ipſi ſe dignos efficiunt ira mea propter ſcelera ſua.* Et ideò Lactantius Firmianus librum integrum ſcripſit *de ira Dei*, contra eos, qui negabant,Deum omninò iraſci. 7.

D.Thom. Ira benè, vel malè vti poſſumus. Occurritur obiectioni. Sap.12. Ierem.7. Lorin. Lactant.

Ex dictis ſoluta manent argumenta primæ opinionis aſſerentis, iram ſemper eſſe peccatum; & nunquam eſſe licitum iraſci. Argumenta vero ſecundæ videntur probare iram ſemper eſſe licitam, & nunquam eſſe peccatum; & aliquando, ſi ſumatur pro primo motu naturæ, nec meritum, nec demeritum habere; quod nos non negamus: dicimus tamen verum eſſe, iram eſſe quandam naturæ paſſionem, & appetitus ſenſitiui: aſſerimus verò hanc naturæ paſſionem in tantum eſſe bonam,vel malam,in quantum rationabilis, vel irrationabilis eſt: ſi enim fuerit rationabilis, erit bona; ſi non fuerit rationabilis, erit mala: & ideò, quatenus eſt paſſio naturæ abſolutè conſiderata, & provt abſtrahit à ratione,non eſt bona,nec mala,nec habet rationem meriti,nec demeriti: quatenus verò eſt paſſio naturæ ſubiecta, vel non ſubiecta rationi, poteſt rationem habere meriti, vel demeriti, & eſſe laudabilis, & vituperabilis. Animaduertendum tamen eſt, motus illos ſubitos,qui præueniunt iudicium rationis,non eſſe in poteſtate hominis;& ideò non habere meritum,nec demeritum:quia ſubitò præueniunt rationem:quamuis tamen non ſit in poteſtate hominis,vt nullus eorum inſurgat; poteſt nihilominùs homo per rationem quemlibet illorum impedire,ne inſurgat. Et iuxta hanc rationem dicitur, quòd motus iræ nō ſunt in poteſtate hominis;quatenus,ſcilicet,in manu illius nō eſt,vt nullus eorū inſurgat,quamuis in illius poteſtate ſit aliqualiter hunc, aut illum antecedenter impedire per animaduertentiam ad occaſiones, in quibus poteſt,ac ſolet iracundiā cōcipere,& procurare fugam illarum.Quòd autē Philoſophus dicit, iratum cum triſtitia operari, & triſtitiam tollere voluntarium; 8.

Solutio argumentorum ſecundæ opinionis. Motus ſubiti præuenientes iudicium rationis,nec habēt meritum, nec demeritum.

voluntarium : non eſt ſic intelligendum, vt triſtetur, ac dole[illegible]o, quòd iraſcatur ; ſed, quòd triſtetu[illegible]x eo, quòd iniuria ſibi inferatur; a[illegible]d concipiat ſibi inferri, & ex hac [illegible]t ad appetendam vindictam ; quæ, [illegible]& rationabilis, motus iracundiæ erit [illegible]torius, & laudabilis: ſi fuerit immoderata, erit malus, & demeritorius, & illaudabilis. Non negamus autem, iraſci eſſe potentiæ iraſcibilis, & appetitum iraſcibilem eſſe potentiam naturalem in nobis: dicimus tamen, actus huius potentiæ naturalis eſſe ſubiectos rationi, & per rationem benè, aut malè poſſe dirigi, aut applicari ab homine: & in hoc eſſe rationem meriti, vel demeriti, quatenus benè, vel malè illis per rationem vtitur.

9. *Ira quando poſſit eſſe venialis.*

Quanuis autem iracundia, prout eſt immoderata, & rationi non ſubiicitur, ſit ex genere ſuo mortale peccatum, & vnum ex ſeptem capitalibus; poteſt tamen eſſe veniale, vel ex leuitate materiæ, ob quam concipitur; vel ex defectu plenæ deliberationis; vel ex breuitate temporis, pro quo concipitur; niſi tamen in hoc breui tempore ad effectum pernicioſum, & grauem contra charitatem moueat. Ita docet D.Thom.2.2.*quæſt.*158.*art.*3.*in corpore*. Caiet.*ibi*. Valentia 2.2.*diſp.*9.*q.*3.*puncto* 1. *col.*2.*verſu, Ira, cùm eſt*. Azor. *tom.*3.*inſtit. moral. c.*21.& alij communiter, & Nauar. *in Summa Lat. cap.*23.*à num.*115.

D.Thom. Caietan. Valentia. Azor.

10. *Caſus enumerantur, in quibus ira eſt peccatum.*

Eſt autem ira, peccatum ſemper in his caſibus, qui ſequuntur, vt notat Azor modò allegatus. Primò, quando quis appetit puniri illum, qui nihil malè egit. Secundò, ſi appetat puniri pluſquam meruit. Tertiò, ſi indebito ordine, & ab eo, qui nullam iuriſdictionem habet in illum. Quartò, ſi abſque debito fine, hoc eſt, non ob bonum tuendum, aut ob culpam puniendam; ſed ob malum aliquem finem odij, maleuolentiæ, aut inuidiæ. Quintò, ſi abſque debito modo, vt, ſcilicet, ſi ita immodicè homo iraſcatur, vt in blaſphemias in Deum prorumpat, vel maledicat proximo, aut ei grauiter, & extremè egenti neceſſaria non ſubminiſtret. Ita Azor *tom.*3.*inſtit.moral.cap.*21.& Syluest.*verbo, Ira*, & alij communiter. In his autem caſibus poteſt eſſe peccatum mortale, vel veniale, pro ratione exceſſus à recta ratione, grauitate, vel leuitate materiæ, diuturnitate, aut breuitate temporis, iuxta ea, quæ *num.præcedenti* diximus: nam, ſi vindicta ſit leuis, qualis erit puerum leuiter percutere, per capillos trahere; aut, ſi deliberatio rationis non ſit perfecta, perſpicuum eſt venialem tantùm eſſe huiuſmodi motum iracundiæ.

Azor. Syluest.

11. *An ira ſit grauius peccatum, quàm odium in proximum.*

Secundum dubium eſt, vtrùm ira ſit grauius peccatum odio in proximum? Et ratio dubitandi eſt: quia, quò aliquod peccatum eſt magis nociuum peccatori, eò grauius eſt in ratione peccati: ira autem grauiùs nocet peccatori, quàm odium; quia tollit ab eo rationem, & mentem; odium autem tollit voluntatem: ſed intellectus excellentius eſt bonum reſpectu hominis, quàm voluntas: ergo peccatum iræ grauius peccatum eſt reſpectu peccatoris, quàm peccatum odij. Minor probatur: quia, vt docet D.Thom.2.2.*quæſt.*158.*art.*4.*initio*, ex D.Chryſoſt. quem ibi allegat, inter iram, & inſaniam nihil mediat: eſt enim ira Dæmon voluntarius; inſania autem inuoluntariè toleratur. Quare grauius eſſe videtur peccatum iræ, quàm peccatum odij. Deinde, ira mouet ad homicidia, ad crudelitatem: odium autem, etſi ad id moueat; tamen non tam crebrò, nec tam furioſè, & præcipitanter. Quare videtur non ſolùm reſpectu iraſcentis; ſed etiam reſpectu illorum, erga quos iraſcimur, iram grauius eſſe peccatum?

D.Thom.

12. *Reſolutio dubij.*

Nihilominùs dicendum eſt, grauius peccatum eſſe peccatum odij, quàm iræ, tam reſpectu peccantis, quàm reſpectu eorum, contra quos iram, & odium concipimus. Ita docet D.Thom.2.2.*quæſt.* 158.*art.*4. *in corpore, & per totum articulum*: nam ex ira fit odium; & ira eſt diſpoſitio ad odium: & ſemper grauior in genere mali eſt forma mali, quàm diſpoſitio ad formam. Probatur: quia inordinatio iracundiæ ex duobus attenditur, nempe, ex modo iraſcendi; & vindicta, quam appetimus, & volumus alteri inferri. Quantùm ad hanc vindictam, quam iratus appetit, videtur eſſe ira minimum peccatorum: quia ira appetit malum pœnæ ſub ratione boni, quod eſt vindicta; & ideò ex parte mali, quod per iram appetimus, conuenit peccatum iræ cum illis peccatis, per quæ appetimus malum proximis, v. c. cum odio, & inuidia: ſed cum hac diſtinctione; quòd odium appetit abſolutè malum alicuius ſub ratione mali, & in quantum malum; inuidia appetit malum alteri, in quantum bonum, quod ille habet, eſt diminutiuum noſtræ gloriæ: ira autem appetit malum pœnæ alicui, non in quantum malum abſolutè, neque in quantum bonum, quod habet ille, cui inuidemus, eſt diminutiuum noſtræ gloriæ; ſed in quantum ira habet rationem iuſtæ vindictæ. Ex quo patet, odium grauius eſſe peccatum inuidia, & inuidiam quàm iram: quia peius eſt appetere malum ſub ratione mali, quàm ſub ratione boni; & peius eſt appetere malum ſub ratione boni exterioris, quatenus tollit in eo, cui inuidimus, id, in quo nobis excedit, quàm ſub ratione rectitudinis, vt ira appetit. Quantùm verò ad modum iraſcendi, habet ira rationem minùs mali, quàm modus odio habendi, aut inuidendi propter velocitatem ſui motus; & propter eam velocitatem minùs habet voluntarij, ac proinde minùs culpæ. Vnde ex dictis benè infert D.Thom. allegatus, iracundiæ peccatum minus eſſe peccatum, quàm odium, & quàm inuidiam.

D.Thom.

13. *An ira grauius ſit peccatum, quàm ambitio.*

Tertium dubium eſt, vtrùm ira grauius ſit peccatum, quàm ambitio; & conſequenter, quinam ſint ineptiores ad regimen politicum Reipublicæ, & gubernationem illius, iracundine, an ambitioſi. Reſpondeo, grauius eſſe peccatum ambitionem, quàm iracundiam: nam grauitas peccati deſumenda eſt ex virtute, cui directè opponitur, & quam deſtruit: vnde, quò maior, & excellentior fuerit virtus, cui peccatum opponitur, eò grauius, & deterius erit peccatum: quare, cùm ambitio opponatur charitati, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Charitas non eſt ambitioſa; non quærit, quæ ſua ſunt; non irritatur; non cogitat malum.* & iracundia manſuetudini, ac tranquillitati animi, & charitas manſuetudine ſit excellentior, cùm illa ſit virtus ſupernaturalis, & virtutum omnium Regina, iuxta illud D.Pauli: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* & hæc, hoc eſt, manſuetudo, ſit virtus moralis; conſequens eſt, vt ambitionis peccatum grauius ſit peccatum, quàm peccatum iracundiæ. *Eſt autem ambitio, inordinatus appetitus gloriæ, honoris, & potentiæ humanæ.* Et hæc inordinatio, iuxta D. Thom.2.2.*quæſt.*131.*art.*1. *in corpore*, in hoc ſita eſt: primò in eo, quòd quis ea cupiditate, & appetentia honoris appetat honorem, & gloriam ſupra ſuam proportionem. Secundò, in eo, quòd quis non referat

1.Corint.13.

Ambitio quid, & in quo ſita.

referat illum in Deum, vt in authorem omnium bonorum: tertiò in eo, quòd quis in ipſo honore, & gloria humana conquieſcat, non referens illum in aliorum vtilitatem, cùm tamen honor humanus ſit teſtimonium quoddam excellentiæ in homine exiſtentis, qua dignus eſt, vt ab aliis ei reuerentia exhibeatur. Et in ea excellentia duo attendenda ſunt. Primum eſt, quòd illam non habeat homo à ſeipſo; ſed quaſi diuinum quiddam à Deo; & ideò tenetur homo illam in Deum referre. Secundum eſt, quòd illa datur homini à Deo, vt cum illa aliis proſit. Vnde ex triplici capite poteſt, vt dixi, appetitus honoris eſſe inordinatus: primò, ex eo, quòd homo appetat honorem ſupra ſuam proportionem; & hoc eſt actus inſaniæ, & imprudentiæ: ſecundò, ex eo, quòd illum honorem non referat in Deum: tertiò, ex eo, quòd in ipſo honore conquieſcat, non referens illum in vtilitatem aliorum.

14. *Obiectio.* Sed oppones: Ambitio non eſt peccatum: importat enim cupiditatem, & appetentiam honoris: honor autem de ſe eſt quoddam bonum externum maximum omnium bonorum externorum: honore enim aluntur artes, & diſciplinæ, quæ maximè in Republica ſunt neceſſariæ: honore impelluntur homines, excitantur, mouentur, ac prouocantur ad difficillima quæque bona aggredienda, & mala fugienda. Honore, tanquàm præmio, virtutes honorantur: eſt enim honor præmium virtutis, vt ait Philoſophus *in 1. & 8. Ethicorum:* vnde vituperantur ab omnibus ignaui, vt qui de honore non curant: laudantur, & extolluntur, qui de illo curant, & in eo conſequendo neruos, & induſtriam intendunt: ergo ambitio honoris non eſt peccatum, nec vitium; ſed laus, & virtus ingens: vitium enim ab omnibus vituperatur; laus ab omnibus expetitur, & laudatur. *Ariſtot.*

Solutio. Reſpondeo primò, cupiditatem, & appetentiam honoris, ratione regulatam, eſſe bonum quoddam externum, omnium bonorum externorum maximum. Quòd ſi regulam rationis excedat, non eſt bonum, nec virtus; ſed vitium offendens charitatem in Deum, & proximos; & hoc modo vitioſum eſt honorem appetere, & non ſecundùm ordinem rationis; ſed inordinatè: iam autem diximus *num. præcedenti*, in quo hæc inordinatio conſiſtat, ac ſita ſit: vituperantur autem apud prudentes, & rectos, non illi, qui curant de honore ſecundùm id, quod ratio naturalis dictat; ſed illi qui ſecundùm ſuam inordinatam appetentiam de illo curant. Nec honor eſt præmium operis virtuoſi: nam beatitudo eſt verum præmium, quod homines, iuxta regulam rationis, pro operibus virtuoſis debent expetere: eſt enim beatitudo finis omnis virtutis: dicitur tamen honor impropriè eſſe præmium virtutis, ex parte hominum; quia non habent aliquid maius, quo virtutem, ac virtuoſos homines pro præmio afficiant. Vnde Philoſophus optimè animaduertit *in 3. Ethicorum*, honorem non eſſe ſufficiens præmium virtutis. *Ariſtot.* Et ideò ſicut per appetitum honoris, quando homo debito modo honorem appetit, prouocantur homines ad bonum, & retrahuntur, ac reuocantur à malo; ita ſi inordinatè appetatur, poteſt eſſe homini multorum malorum perpetrandorum occaſio, vt optimè docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 131. *art.* 1. *ad* 3. *D.Thom.* quod optimè etiam animaduertit Salluſtius *in Catilina*, *Salluſt.* dum ait, gloriam, & honorem, & imperium bonos, & ignauos æquè ſibi proponere; ſed illos, ſcilicet, bonos, vera via ad hæc conſequenda vti; hos verò, id eſt, ignauos, quia bonæ artes illis deſint, dolis, & fallaciis. Honor igitur debito modo procuratus, & datus alit artes; indebito autem modo procuratus, & datus in cauſa eſſe poteſt vitiorũ, & fallaciarum; nec artes bonas alit, ſed vitiat. Et ideò illi, qui ſolùm propter honorem abſolutè non debito modo conſiderato, & ſeruato, vel bona faciunt, vel mala vitant; non ſunt abſolutè laudabiles, nec virtuoſi, vt patet ex Philoſopho *Ethicorum* 3. non eſſe verè fortes, qui propter honorem abſolutè fortia faciunt. *Ariſtot.*

15. *Maius malũ affert ambitio, quàm iracundia.* Iam verò, ſi conſideremus malum, quod iracundia iracundis, & ambitio ambitioſis affert; maius eſt ſine dubio malum, quod ambitio affert ambitioſis, quàm quod iracundia affert iracundis: nam vtraque mentem tollit, & cæcat; iracundia, cùm ſit furor breuis per breue; ambitio, cùm ſit vitium magis conſentaneũ, conforme, ac cõnatum naturæ, per tempus diuturnum: peius ergo eſt vitium ambitionis, quàm vitium iracundiæ. Deinde ambitio opponitur etiam magnanimitati: quia reddit hominem timidum, ne ex gratia aliorum cadat, à quibus honorem indebitum ſperat, vt optimè docet D. Thomas 2.2. *quæſt.* 131. *art.* 2. *in corpore*: ira autem reddit hominum audacem, & præcipitatum: ambitio facit, vt ambitioſi metu amittendi beneuolentiam eorum, à quibus pendent, iuſtitiam non ſeruent, ius ſpernant, æquum, bonúmque contemnant, ius infringant, leges attetant, & homines iniuſtos reddit, & per maius temporis ſpatium, quàm ira, quæ eſt furor breuis: quod licèt etiam ira hoc aliquando efficiat, eſt per breuius tempus, vnde eſt minùs mala, quàm ambitio. Tandem, quia ira in ſua ratione formali conſiderata, & prout à D. Thom. 2.2. *diſp.* 158. *D.Thom.* *num.* 2. definitur, eſt virtus: nihil aliud enim eſt, quàm cupiditas, ſeu appetitus vindictæ, quo quis vult alicui malũ pœnæ ob vindictam culpæ commiſſæ; & eſt excitatrix potentiæ executiuæ ad exequendum hunc actum iuſtitiæ. Vnde eſt ex ſuo obiecto virtus, & non vitium: & poteſt homo illâ benè, vel malè vti, vt diximus *num.* 2. Et ſi homo malè vtatur iracundia ad applicandam immoderatam vindictam, id alteri vitio hominis tribuendum eſt, non iræ, quæ ex natura ſua ſolùm mouet, & excitat ad executionem vindictæ ob malum commiſſum. At ambitio in ſua ratione formali conſiderata, ſemper eſt vitium: quia eſt appetitus, & cupiditas gloriæ, & honoris immoderati; non gloriæ, & honoris, abſolutè loquendo; ſed gloriæ, & honoris immoderati, & ſibi non debiti, nec proportionati. Quare ſine dubio peior eſt ambitio, quàm ira; & maius malum affert ambitio ambitioſis, quàm ira iraſcendis, ſi vtraque abſolutè, & in ſua natura formali conſideretur.

16. *Minùs apti ſunt ad gubernandum ambitioſi, quàm iracundi.* Ex dictis *num. præcedenti* patet, minùs aptos eſſe ad gubernandum ambitioſos, quàm iracundos: quia niſi in adminiſtratione Reipublicæ leges executioni dentur, quæ præmia iuſtis, & pœnam debitam ſtatuunt iniuſtis, omnia in peius ruent, & citò Reſpublica, tam ſæcularis, quàm eccleſiaſtica euertetur. Deinde ambitioſi, cùm omnibus fiant, propter imprudentem, & immodicam ſubiectionem, ac humilem morigerationem contemptibiles, ipſi ſe omninò ineptos ad gubernandum faciunt, cùm illorum iuſſa faciliùs ſpernantur.

17. Imò addo, iracundiam, etiamſi non in ſua ratione formali, & natura ſumatur; ſed, quatenus eſt

eſt

Minus vitiũ eſt iracũdia, quàm ambitio. eſt vitium, & quatenus deflectit à recta ratione, & illa malè vtitur homo ad puniendum; adhuc minus vitium eſſe, quàm ambitionem, & aptiores eſſe iracundos ad regimen Reipublicæ, ſiue ſæcularis, ſiue eccleſiaſticæ, quàm ambitioſos; idque ſiue ſpectemus eos, qui gubernandi ſunt, ſiue illos, qui his vitiis laborant: nam, ſi ſpectemus illos, qui his vitiis laborant, iam oſtendimus *num.5.* maius malum, ac damnum afferre ambitionem ambientibus, quàm iracundiam iraſcentibus, cùm vtraque iudicium tollat, ac mentem; iracundia per breue; ambitio per tempus diuturnius. Et licèt iracundia ſua præcipitatione magis mentem tollat, quàm ambitio, iuxta aliquos Doctores; attamen hoc ſatis compenſatur per diuturnitatem temporis, quo magis durat ipſa ambitio. Deinde id conſtanter negamus: nam ambitio ex eo mentem tollit, & leges iuſtitiæ abrogat; quia, ſi hoc non facit, timet ambitioſus, ſe ſpoliandum fore, priuandúmque officio, & honore, quem poſſidet, & quem putat ſe poſſe aſſequi ab illis, è quorum ſuffragiis pendet, & quorum contemplatione hoc facit. Iracundia verò ex eo mentem tollit, quòd nimio zelo, iuſtitia, & vindicta culpæ commiſſæ procuratur. Vnde ex hoc etiam principio faciliùs tollitur cæcitas mentis, orta ex iracundia, quàm ex ambitione.

Obiectio. Dices, ſumptam ambitionem relatiuè ad ambitioſos, & iracundiam relatiuè ad iracundos, verum eſſe maius malum afferre ambitionem ambientibus, quàm iracundiam iraſcentibus: at, ſi ſumantur relatiuè ad eos, qui gubernandi ſunt, deterius vitium eſſe iracundiam, quàm ambitionem: ſuperior enim impetu iracundiæ ductus, ſi iraſcatur in ſubditum, & ſubditus ei reſpondeat, facilè eodem impetu iracundiæ ipſum ſubditum, aut interficiet, aut ita conuitiis lacerabit, vt ad occiſionem ſui facilè ſubditum iracundum prouocet: quod non facit ambitioſus, qui omnibus placere ſtudet, & omnium gratiam promereri. *Solutio.* Reſpondeo primò, minus malum eſſe vnum occidere, quàm totum ius iuſtitiæ propter vnam ambitionem peruertere. Reſpondeo ſecundò, promptiores eſſe ambitioſos ad homicidia, & fœdiora etiam vitia perpetranda, metu amittendi honorem, & præturam, quam habent, aut non conſequendi, quam deſiderant, quàm iracundos: quod egregiè probatur in Pilato, qui metu amittendi Iudææ præturam, quam gerebat, Chriſtum, quem innocentem iudicabat, turpiſſimè, & per ſummam iniquitatem damnauit: & in Herode, qui tot millia Innocentium puerorum, ne ipſe regno priuaretur, occidit. Vnde ſerior eſt ſine dubio ambitio, & ad plura, & maiora homicidia committenda promptior, quàm ira. Reſpondeo tertiò, experimentum docere, iracundos, tranſacto igneo impetu iracundiæ, ſedato poſteà corde facti pœnitere, & ſatisfactionem offenſis dare: quod non ita faciunt ambitioſi, ne officiis, & præturis priuentur ab illis, quorum cauſa iniuſtitias commiſerunt.

18. *Minùs apti ſunt ad regimen, tam eccleſiaſticum, quàm ſæculare, ambitioſi, quàm iracundi.* Ex quibus euidenter patet, minùs aptos eſſe ad regimen politicum, ſiue eccleſiaſticum, ſiue ſæculare ambitioſos, quàm iracundos. De eccleſiaſtico, & religioſo regimine, patet: nam, ſi Religioſi ambitioni dediti fuerint, obſequium diuinum deſerent; frequentabunt Curias; viſitabunt Optimates; concurrent ad domos potentum, à quibus pendent; relaxabunt diſciplinam religioſam; approbabunt mala, improbabunt bona, ne diſpliceant; omnibus fœdiſſimè morigerabuntur, vt ab omnibus putentur idonei, vt optimè docent Archidiaconus *in cap. 3. diſt.47. num.2.* Gammarus *in repetitione Extrauagantis Iulij II. de ſimonia, ſub numerum* 102. Quare Paulus V. in Conſtit. quadam edita anno 1613. ſeueriſſimis pœnis Religioſorum quorundam in Italia ambitum repri- mit: incipit: *Aliàs per nos accepto.* Et Clemens VIII. in alia Conſtitutione incipiente: *Quoniam nemo.* edita anno 1604. prohibet, ne Religioſi quidam extra ſuum Ordinem fauores perquirant, ad obtinenda Ordinis officia, gradus, prælaturas, & ne illicitis viis ad illa adſpirent; & contrauenientes, eorúmque complices, & fautores inhabiles ad munera Religionis obtinenda declarat; obtentíſque, & voce actiua, & paſſiua priuat; admittentes prædictos ambitioſos ad officia excommunicatione latæ ſententiæ ferit; electiones irritat; preces ſolùm ore tenus factas pro valida probatione ambitus ſufficere decernit, vt ibidem latiùs videre poteris. Et Paulus IV. in quadam alia Conſtitutione incipiente: *Cùm ſecundùm Apoſtolum.* edita anno Domini 1558. deteſtabile crimen ambitus, tam ante, quam poſt Chriſti aduentum, multis legibus, necnon iure diuino prohibitum, & à Conciliis punitum oſtendit: quæ autem leges humanæ hæ fuerint, quæ ante Chriſti aduentum contra hoc crimen latæ ſunt, oneroſum planè eſſet eas nunc omnes recenſere: legat illas, qui voluerit apud Tiberium Decianum *lib.8. ſui tractatus, cap.22. & 25.* Archidiac. Gammarus.

Et verò, qui hoc ſedato animo, & minimè iracundia commoto, aut ambitionis tenebris obcæcato expenderit, ac penſitauerit, inueniet præiactam doctrinam locum etiam habere in Principibus abſolutis: nam, ſi ambitio illorum animos inceſſerit, & ipſi putauerint, illorum ſubditos, ac vaſſallos eos velle regno priuare, aut ſibi minimè fidos eſſe, Deus bone! quas non ſtrages edent? quas mortes non intentabunt? quæ iura non violabunt? quæ crimina non committent? Tam delectabile ergo vitium velis, remíſque, vt aiunt, fugiendum eſt. Hæc in gratiam curioſorum tractauimus. 19. *Principũ ambitio quàm nociua.*

Alterum vitium, quod ex inuidia oritur, eſt odium in eos, quibus inuidemus. Eſt autem odium in proximos, vt docet D.Thom. 2.2. *quæſt.* 34. *art.3. & 4. quæſt.*154. *art.4.* & Caietanus 2.2. *quæſt.*29. *art.* 1. *appetitus quidam, quo quis malum alteri abſolutè vult abſque vlla cauſa: ſolùm, quia ei alterius perſona diſplicet.* Fit autem odium ex ira: ira enim, cùm in pectore decoquitur, in odium vertitur. Vnde Apoſtolus ad Epheſios 4. *Nolite locum dare Diabolo. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Nam, ſi ira concipiatur in aliquem, & non citò expellatur, poſteà exſufflante Dæmone creſcit in odium, & de feſtuca trabem efficit, de flamma incendium; & ita vltionis cupidum reddit hominem, vt illum per odium homicidam conſtituat. *Omnis enim, qui fratrem odit, homicida eſt.* 1.Ioan.3. 20. *Odium, quid.* D.Thom. Caietan. Epheſ.4. 1.Ioan.3.

Notandum verò, ſicut poſſumus proximum amare ob multas cauſas; ita etiam eum poſſumus odio habere ex multis. Poſſumus enim amare proximum, & benè ei, & abſolutè velle; & hic eſt verus actus amoris. Deinde, poſſumus illum amare, quatenus noſter benefactor; & eſt actus gratitudinis: quatenus nobis eſt vtilis; & eſt actus amoris concupiſcentiæ: & quatenus eſt nobis carne coniunctus; & eſt actus pietatis: quatenus amicus; 21.

amicus; & eſt actus amicitiæ. Ita etiam poſſumus illi abſolutè, & abſque vlla cauſa malum velle: & hic eſt actus odij. Et poſſumus etiam odio proſequi, quatenus nobis eſt ingratus, & eſt actus iræ: quatenus eſt iniurioſus, & eſt actus vindictæ; & quatenus eſt iniuſtus, & eſt actus iuſtitiæ. Ita docet Azor *tom.3.inſt.moral.lib.2.cap.20.* Azor.

22. *Odium, quod peccatum.* Notandum etiam, odium ſemper eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, per accidens verò veniale eſſe poteſt: primò, ob actus imperfectionem, quando non eſt ex perfecta animi deliberatione: ſecundò, ob paruitatem materiæ, v. c. quando quis vult proximo ſuo malum aliquod ſatis modicum, & perexiguum. Ita Suarez *de charitate tract.3.diſp.6.ſect.1.num.3.* Azor *tom.3.inſtit.moral.lib.2.cap.20.* Syluest. *verb. Odium, initio.* Suarez. Azor. Sylueſt.

23. Imò eſt ex genere ſuo maximum omnium peccatorum, quæ in proximos committere poſſumus. Ita D. Thom. 2.2.*quæſt.*34. *art.*4. & Suarez *de charitate, tract.3.diſp.6.ſect.num.1.* nam, quanuis, quoad nocumentum externum, quod homini infertur, peiora ſint exteriora alia peccata, quàm odium internum, quo proximis abſolutè malum volumus; tamen quoad interiorem voluntatis deordinationem, odium proximi cæteris omnibus peccatis grauius eſt. Et ratio eſt: quia auertit omninò, & directè voluntatem à proximo, ſicut odium Dei auertit etiam omninò voluntatem à Deo. Vnde ita ſe habet ad cætera peccata in proximum, ſicut odium Dei ad cætera peccata in Deum. Notabis verò omnia peccata, quæ committuntur in proximos, habere rationem mali, ex duobus principiis: primò quidem ex deordinatione voluntatis illius, qui peccat: ſecundò, ex nocumento, quod infertur ei, contra quem committitur peccatum. Primo modo odium internum eſt maximum peccatum omnium peccatorum, quæ contra proximum committuntur, & quàm omnia alia externa peccata, quæ afferunt proximis nocumentum: quia, ſcilicet, per odium deordinatur magis voluntas noſtra in proximum, quæ eſt radix malitiæ peccati: nam, ſi exteriores actus hominis inordinati eſſent, abſque inordinatione voluntatis non eſſent peccata; quia non eſſent voluntaria: quod patet cùm quis in ebrietate, aut ignoranter hominem occidit, putans eſſe feram: quanuis enim huiuſmodi actus ſint inordinati, cùm tamen ex voluntate non fiant, carent malitia peccati. Vnde, quidquid culpæ, & malitiæ eſt in exterioribus actibus hominis, totum eſt ex interiori voluntate: quare, cùm odium totam voluntatem auertat à proximo, quantùm ad hanc internam voluntatis deordinationem odium eſt maximum omnium peccatorum, quæ contra proximos committuntur; quantum verò ad exteriora damna, quæ per peccata externa hominibus inferuntur, maiora erunt alia peccata externa, vt optimè animaduertit D.Thom.2.2 *quæſt.*34.*art.*4.*in corpore.*

D.Thom. Suarez. *Peccata in proximũ mala ſunt ex duobus principiis.*

24. *Cur odium in proximos, non ſit vitiũ capitale.* S.Thom. Et nihilominùs odium in proximos non ponitur inter vitia capitalia, vt *ibidem* reſoluit D. Thom. *art.*5. Ratio eſt, quia capitale vitium dicitur illud, ex quo frequenter alia oriuntur: non eſt autem huiuſmodi odium, ſed eſt potiùs quaſi extremum, ſummum, & maximum malum, & peccatum, quod ex aliis peccatis oriri poteſt: ſed illo iam generato, multa ex eo procedunt. Oritur autem hoc maximum, & ſummum vitium odij interdum ex ira, vt diximus: quia odium eſt ira cocta: ſed præcipuè, & frequentiùs oritur ex inuidia, vt docet D.Thom.2.2.*quæſt.*34 *art.*6. quæ eſt valdè affinis odio: eſt enim inuidia, vt *cap. præcedenti* diximus, triſtitia de bono proximi: velle autem malum proximo abſolutè, & triſtari de bono proximi, quia proximus eſt, ſunt valdè coniuncta. Ita Suarez *de charitate tract.3. diſp.6. ſect. 2. num.1.* Dices, potiùs ex odio oriri inuidiam, quàm ex inuidia odium: nam triſtitia de bono alieno ſupponit odium. Reſpondeo, inuidiam, ſeu triſtitiam illam oriri ex odio illius mali, quo quis iudicat ſe minui ex excellentia boni, quod videt in proximo; non oriri autem ex odio ipſius proximi, vt *ſupra cap.*1. diximus, cum de inuidia egimus.

Odium vnde oriatur. Suarez. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed dubium eſt, an Deus poſſit odio haberi, & an peccatum odij Dei ſit omnium peccatorum maximum, quæ contra Deum committuntur. Videtur enim, quòd nullus homo Deum odio habere poſſit. Primò, quia Deus eſt ſummum, & primum bonum, & pulchrum, à quo omnis bonitas, & pulchritudo deriuatur: bonum autem, & pulchrum in ſummo gradu omnibus amabile, & diligibile eſt. Secundò, quia omnia inuocant veritatem, & veritas de ſe ita eſt tam bona, & pulchra, vt omnibus neceſſariò placeat: ſed Deus eſt ipſiſſima veritas, iuxta illud Ioannis 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* ergo Deus omnibus neceſſariò debet eſſe amabilis, & nullo modo poteſt eſſe odibilis. Reſpondeo breuiter, & reſolutiuè, licèt Deus, quoad eſſentiam ſuam, à nemine poſſit odio proſequi; quoad aliquos tamen iuſtitiæ illius effectus, poteſt ab aliquibus odio haberi: nam, cùm odium ſit appetitus quidam, quo quis malum alteri abſolutè vult, & appetitus non moueatur, niſi ab aliquo apprehenſo; poteſt aliquis Deum quoad aliquos effectus ſuos, vt ſibi infenſum apprehendere, & cum odio proſequi: Deus enim per eſſentiam ſuam eſt bonitas, quam nullus hominum odire poteſt: quia de ratione intrinſeca boni eſt, vt ſemper ametur; & ideò impoſſibile eſt, quòd aliquis videns Deum, ac illo fruens, illum odio habeat: in hac autem vita, cùm Deum videre non poſſimus, niſi per ſuos effectus, iuxta illud D. Pauli: *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Rom.1. & effectus illius aliqui ſint ex natura ſua tales, vt nullo modo poſſint eſſe contrarij voluntati hominum; ideò odio haberi Deus propter illos non poterit: nam, eſſe, videre, & intelligere, conferre hominibus eſſe, viuere, & intelligere, effectus ſunt Dei; & tam appetibiles, & amabiles ſunt hominibus, vt nullo modo homines Deum odio proſequi propter illos poſſint. Similiter, honorem, ſalutem, panem, ac victum quotidianum effectus eſſe Dei conſtat, & tam conformes naturæ humanæ, & hominibus naturaliter appetibiles, vt impoſſibile ſit, poſſe Deum odio haberi, quatenus vt author horum effectuum apprehenditur. Vnde D. Thom. *ſuper primam ad Corinth.* 2. explicans *ibidem* illud D. Pauli. *Si enim cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* aſſerit, tam naturalem eſſe appetitum vitæ, honoris, & gloriæ hominibus, vt non poſſit cadere in intellectum, & voluntatem humanam, quòd illum occidere, & inhonorare homines poſſint, à quo vitam, & honorem ſperarent. Sunt tamen aliqui effectus Dei, qui voluntati hominum repugnant per peccatum, vt prohibitio deprauatæ voluptatis, in-

25. *An Deus poſſit odio haberi, & quòd illud ſit peccatum.*

flictio pœnæ pro peccatis, interdictio ipſorum peccatorum, & quoad iſtos effectus poteſt Deus ab hominibus odio haberi, quatenus propter odium apprehenditur, vt voluptatum interdictor, pœnarum inflictor, & peccatorum prohibitor; & ideò, cùm omnes Beati Deum videant, illiúſque eſſentia perfruantur, impoſſibile eſt, quòd illum odio proſequantur: ſiquidem illum per eam viſionem & vident, & apprehendunt vt ſummum bonum, iuſtum, & pulchrum, & amabile, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. verſu 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* hoc eſt, videmus nunc per effectus creaturarum; tunc autem videbimus eum, ſicuti eſt, tam pulchrum, tam bonum, tam iuſtum, vt eſt; & ideò illum tunc ſemper amabimus. Similiter, cùm veritas omnibus hominibus placeat, & omnia inuocent veritatem, niſi voluntas, & natura humana tam deprauata ſit, vt malum pro bono apprehendat, impoſſibile eſt, quòd Deus odio ab hominibus habeatur quoad illos effectus, qui naturaliter ab omnibus hominibus, tam bonis, quàm malis, in Deo deamantur, inter quos ſunt opera veritatis. Ita docet D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 34. *art.* 1. cuius tota hæc doctrina eſt. D.Thom.

26. *Dei odium vtrùm grauius ſit omnibus aliis peccatis.* Secundum dubium eſt, vtrùm odium Dei grauius ſit omnibus aliis peccatis, quæ contra Deum committi poſſunt, etiam ſi ſit peccatum hæreſis, & deſperationis. Reſpondeo primò, grauius eſſe peccato hæreſis. Et ratio eſt: quia fides myſteriorum ſupernaturalium, quæ à Deo Eccleſiæ ſuæ reuelata ſunt, fundatur in veracitate Dei: quare ille, qui negat aliquod myſterium fidei eſſe verum, imò & omnia eſſe vera, conſequenter negat veracitatem in Deo. Vnde, cùm hæreticus myſteria fidei negat, tollit à Deo per hanc negationem attributum veracitatis, & veritatis: at ille, qui odio Deum habet, & illi malum abſolutè vult, totam illius eſſentiam negat, totúmque Deum deſtruere conatur. Quare ſine dubio grauius peccatum eſt, peccatum odij in Deum, quàm peccatum hæreſis, ex obiecto ſuo. Reſpondeo ſecundò, grauius etiam ex obiecto, & genere ſuo eſſe peccatum odij Dei, quàm peccatum deſperationis: quia ille, qui odium in Deum habet, ex toto Deum omninò negat directè, & formaliter, & conſequenter in eo non ſperat, imò nec aliquid ſperabile in eo conſiderat ille, qui de Deo deſperat, ſolùm directè, & formaliter de illius bonitate, & miſericordia erga ſe ipſum deſperat; cùm tamen adhuc ex obiecto, & ratione formali peccati deſperationis erga ſe ipſum Deum eſſe ſupponat, & bonum, & miſericordem, & ſperabilem ab aliis. Quare plus eſt Deum per odium ex toto velle deſtruere, quàm deſtruere in Deo ſolam rationem bonitatis, & miſericordiæ erga ſe ipſum, non erga alios, imò & erga ſe ipſum, & alios: ergo ex obiecto, & formali ſua ratione maius, ac grauius peccatum eſt peccatum odij Dei, quàm peccatum deſperationis Dei. Dixi, *ex obiecto, & formalitate ſua.* quia interpretatiuè, & virtualiter, tam hæreticus, qui veracitatem tantùm in Deo negat, quàm ille, qui per deſperationem Dei bonitatem, & miſericordiam erga ſe ipſum negat, Deum deſtruunt etiam, & illius eſſentiam, quantum in ipſis eſt, tollunt, cùm eſſentia diuina in Deo ſit vna, & ſimpliciſſima; & ſit eademmet miſericordia, eademmet bonitas, & veritas: & ideò optimè concludit Suarez *de charitate, tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *n.* 3. & 4. odium Dei eſſe grauiſſimum omnium peccatorum, quæ in Deum committi ab hominibus poſſunt. Et id ipſum ſtatuit etiam, ac concludit D. Thom. 2. 2. *q.* 34. *art.* 2. & id probat egregiè in hunc modum: quia per Dei odium homo totus totaliter, à Deo toto formaliter, & directè auertitur; ergo odium Dei grauiſſimum eſt omnium peccatorum: ſicut enim voluntas per ſe tota inhæret ei, quod amat; ita ſecundùm ſe totum id refugit, quod odit. Vnde, quando aliquis Deum odit, ſecundùm ſe voluntas illius à Deo toto auertitur, totúmque Deum deſtruere conatur: nam in aliis peccatis, vel in fornicatione, in furto, in homicidio, & in reliquis omnibus non auertitur homo à Deo ſecundùm ſe, ſed ſecundùm aliud; in quantum, ſcilicet, appetit inordinatam delectationem, & voluptatem; imò in quantum explet voluntatem ſuam, quæ habet adnexam auerſionem à Deo: ſemper autem id, quod eſt per ſe, eſt maius, & potius eo, quod eſt ſecundùm aliud. Quare, cùm per odium Dei homo per ſe à Deo auertatur, ſequitur, vt peccatum odij Dei ſit inter omnia alia peccata grauiſſimum peccatum. Suarez. D.Thom.

Dices: Odium Dei oritur ex amore ſui, ergò maius peccatum erit ille amor ſui, cùm ſit radix peccati odij Dei: nam, propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale. Reſpondet Suarez citatus *num.* 4. non valere conſequentiam: quia in moralibus poteſt effectus eſſe grauius peccatum, quàm cauſa, ex qua talis effectus oritur, vt cùm quis interficit, vt furetur, grauius peccatum eſt homicidium, quàm furtum, cùm tamen furtum ſit cauſa homicidij, & ex illo oriatur: ſic ergo in propoſito caſu ille amor ſui, ex quo naſcitur odium Dei, per ſe non eſt tam malum, quàm malum eſt ipſum odium Dei, etiamſi ex libertate voluntatis inducat ad peſſimum effectum, cuius malitiam modo aliquo ſaltem indirectè participat. Quare pronunciatum illud: *Propter quod vnunquodque tale, & illud magis tale.* ſolùm locum habere poteſt in naturalibus, non in moralibus. 27. *Obiectio.* *Solutio Suarez.*

Oppones: Peccatum odij Dei vnam tantùm habet malitiam, nempe, malitiam auerſionis à Deo, quo illi malum abſolutè volumus, ſolùm quia Deus eſt: at alia peccata duplicem habent malitiam; primam auerſionis à Deo, ſecundam conuerſionis ad creaturam, tanquam ad bonum commutabile, propter quam Deum deſerimus, ac relinquimus, & ad creaturam conuertimur. Reſpondet Suarez *de charitate, dicto tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *num.* 4. *in fine*, primò, hanc malitiam directæ auerſionis per ſe à Deo ſuperare duas alias malitias ſimul ſumptas: nam, licèt omnia alia peccata ex duabus aliis malitiis conſummentur, nempe, ex malitia conuerſionis ad creaturas, & ex malitia auerſionis à Deo; tamen hoc peccatum odij Dei in ſola prima malitia auerſionis à Deo per ſe, & directè conſummatur; ſicut peccatum furti conſummatur per actum externum, quo quis aliquid actu furatur; & peccatum hæreſis ſolo actu interno conſummatur ſine actu externo; & tamen grauius peccatum eſt peccatum hæreſis, quàm peccatum furti. Reſpondet ſecundò, ſicut in aliis peccatis eſt directè, & per ſe malitia conuerſionis ad creaturas, & indirectè auerſionis à Deo; ita è contrario in hoc peccato odij Dei eſt directè malitia auerſionis à Deo; indirectè 28. *Inſtantia.* *Diluitur ab eodē Suarez.*

directè verò conuerſionis ad creaturam, tanquam ad bonum commutabile, ex quo tale odium naſcitur; & ideò peccatum odij Dei eſt maximum omnium peccatorum, quæ in Deum committi poſſunt ex genere ſuo.

29. *Crudelitas ex inuidia oritur.* D.Thom. Aliud peccatum, quod ex inuidia oritur, eſt peccatum crudelitatis. Notandum ergo eſt ex D.Thom. 2.2.*quæſt.* 199. iram opponi manſuetudini; crudelitatem verò clementiæ. *Clementia, quid.* Eſt autem clementia, *virtus quadam, qua moderatur humanum affectum in pœnis infligendis*, ne quis puniatur pluſquam par eſt: manſuetudo verò moderatur effectum iræ, & appetitum vindictæ. Vnde *Crudelis, quis.* crudelis ille eſt, ac dicitur, qui ex animi aſperitate plus punit, quàm ratio dictat: *Saeuus, quis.* ſæuus verò, & ferus homo non ſolùm ille eſt, qui plus punit, quàm ratio dictat, & par eſt; ſed etiam, qui in punitionibus immoderatis delectatur, vt docet D.Thom. 2.2.*quæſt.*101.*art.*2. & ideò ſæuitia, & feritas magis eſt belluarum, quàm hominum: D.Thom. crudelitas verò reperitur in hominibus, qui ob delicta puniunt; ſed pluſquam oportet punire: at belluæ ſolùm ob delectabilitatem puniunt, & dilacerant. Quamobrem ob hanc delectabilitatem in pœnis immoderatis infligendis, quam ſentiunt ſæui homines, belluis potius, quàm hominibus comparantur. Notandum verò, crudelitatem ex ſuo genere eſſe peccatum mortale, & ſolùm ex accidenti poterit eſſe veniale, primò quando exceſſus pœnæ infligendæ ad mortalem culpam non attingit: ſecundò, quando ex imperfecta animi deliberatione huiuſmodi exceſſus infligitur, quod rarò accidit. Ita Azor.*tom.*3.*inſtit.moral.* Azor. *lib.*2.*cap.*24.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM, QVÆ HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

Litera L, librum; C, caput; F, folium; N, numerum in margine deſignat.

A

Aborſus.

PEccat lethaliter, qui cum periculo aborſus ad grauidam accedit.lib.6.cap.3. fol.21.à num.30
Et quæ vel medicamento, vel venæ inciſione aborſum procurat. ibid.n.31
An prægnans aborſum procurare poſſit fœtu non animato cauſa valetudinis. ibid.n.32
Quid ſi iam fœtus animatus ſit. ibid. f.22.n.33. & 34

Abſolutio, Abſoluere.

An poſſit reus à Confeſſario abſolui, quin priùs ſe rettactet, cùm ob metum mortis, veritatem criminis ſui coram iudice, iuſtè, & iuridicè interrogante negauit. l.8.c.34. f.399.n.15
An, & quatenus abſoluendus, vel non abſoluendus ſit debitor, quando poteſt ſoluere totum debitum, & non vult ſoluere niſi paulatim, & quid quando promiſit Confeſſario ſoluere, & non impleuit.l.7.c.24. f.199.n.15.& ſeqq.

Actor, Actio.

Actor debet ſequi forum rei.l.8.c.43. f.445.n.22
Regulariter loquendo actio delicti, & ius accuſationis extinguitur morte rei delinquentis. l.8. c.48. f.471.n.16
In quibus caſibus non extinguatur, & quid in hæreſi, & in crimine læſæ maieſtatis. ibid. num.17
Intra quod tempus proponenda ſit hæc accuſatio hæreſis, & criminis læſæ maieſtatis poſt mortem delinquentis, & an tempore aliquo præſcribat.ibid. f.472.n.18
An actio iniuriæ, quam aliquis habet contra alium, extinguatur illo extincto, & an ad illius hæredes tranſeat.ibid. f.473.n.24

Actus humanus, Actus externus.

Quot ſint proprietates, & paſſiones actus humani.l.9.c.9. f.542.n.1
Omnis actus humanus bonus, eſt rectus, & rectitudo eſt proprietas illius. ibid.n.2
Eſt etiam laudabilis, & laudabilitas eſt proprietas illius. ibid.n.3
Eſt meritorius apud homines, & meritum apud homines eſt proprietas illius. ibid.n.4
An apud Deum ſit etiam meritorius, & meritum apud Deum ſit etiam proprietas illius. ibid. num.5
Omnis actus moralis has habet proprietates, eſt illaudabilis, eſt deuians à ratione, non eſt meritorius. ibid.à n.6
Actus inhoneſti de quibus perſonæ ſolicitatæ in confeſſione, ſuos ſolicitatores tenentur denunciare, quid ſint, & quid nomine illorum intelligatur.l.6.c.12. f.77.n.15
Actus externus peccati non ſolùm nobis lege naturali, & diuina eſt prohibitus, ſed etiam conſenſus internus illius.l.9.c.2. f.517.n.1
Quid ſit conſenſus formalis, & expreſſus actus externi peccaminoſi. ibid.
Actus externi illiciti, veluti tactus, & amplexus, an habeant aliquam malitiam ex ſe, an totam accipiant ab internis. l.9.c.7. f.535.per totum.
Actus humani moralitas, & naturalitas, ſeu eſſe morale, & naturale, quatenus differant inter ſe. l.9.c.7. f.535.n.1
An ratio liberi fundamentum ſit moralitatis actus humani.l.9.c.7. f.537.n.11
Actus internus, & externus vnicam tantùm malitiam, & bonitatem habent.ibid. f.538.n.12
An efficiant plura peccata. ibid.n.15
Actus externi non habent formalem bonitatem, vel malitiam, quam addant per ſe internis. l.9. c.7. f.530.n.8.l.9.& c.8. f.539.n.1
addunt tamen per accidens. ibid
Ex actu externo nullum meritum, aut demeritum augetur per ſe, augetur tamen per accidens.ibid. vide num.5.
Actus antecedentes, vel ſubſequentes copulam, veluti tactus, amplexus, & verba turpia, an ſint de neceſſitate confeſſionis.ibid. f.540.n.9.& 10
An effectus actus externi illi addant bonitatem, vel malitiam. ibid.n.11
An item actus exterior poſſit ſimul eſſe bonus, & malus. ibid.n.12
An actus externi, & interni quoad moralitatem, vel bonitatem ſint plura entia. ibid.

Accipio.

An electores ad cathedram,ad capellam,ad officia, vel beneficia, & illi, qui ex teſtamento tenentur diuidere aliquas elemoſynas, & eligere locum, ad ædificandam aliquam capellam,& qui tenentur nominare, vel renouare aliquam emphyteuſim, poſſint aliquid accipere pro præferentia,& electione talium pauperum, talis loci, perſonatum.l.8.c.26. f.371.n.39

Accipiens aliquid in communibus viſitationibus, aut inquiſitionibus ne accuſet,an teneatur illud reſtituere.l.8.c.4. f.278.n.17

Accuſatio, Accuſare, Accuſator.

Quid ſit accuſatio, quas conditiones requirat, & an ſit de ſe bona. l.8. c.47. f.461.à n.1.& c.49. f.476.n.1

Quid ius per illam intendebat. ibid.n.2

Recipiens aliquid in communibus viſitationibus ne accuſet, an teneatur illud reſtituere. l.8.c.9. f.278.n.17

Accuſare an poſſint clerici crimina digna mortis ſub ſecreto ſibi commiſſa ſine periculo irregularitatis.l.8.c.5. f.280.n.5

An reus definitiua ſententia de vno crimine abſolutus, poſſit iterum de eodem crimine accuſari.l.8.c.36. f.405.n.1

Quid ſi nouus accuſator probet colluſionem teſtium, tabellionis, accuſatoris, aut iudicis. ibid.

Quid ſi ſecundus, & nouus accuſator ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequatur. l.8.c.36.f.405. num.2.

Quid ſi in prima accuſatione omiſſa fuit qualitas aliqua, aut circunſtantia aggrauans delictum. ibid.n.4.

Quid ſi ea circunſtantia mutet ſpeciem delicti. ibid. f.406.n.6

Quid ſit qualitas, vel circunſtantia delicti aggrauans, vel mutuans ſpeciem illius, afferatur poſt latam ſententiam, antequam executioni mandetur.l.8.c.6. f.283.n.5

An reus in criminibus mixti fori accuſatus, & damnatus per vnum iudicem, poſſit accuſari coram alio, & ab illo iterum damnari. l.8.c.36. f.407.n.7.

An illum, qui alium accuſauit de vero crimine, quod non poteſt probare, ſi ob id pœnam talionis patiatur, teneamur liberare teſtificando veritatem à iudice nõ requiſito. l.8.c.42.f.254.n.7

Accuſatio an requiratur de iure naturali ad puniendum aliquem, an de iure poſitiuo. l.8.c.46. f.454.n.11

Ad accuſandum aliquem requiritur verus accuſator,vel fiſcalis.ibid. f.459.n.29

An accuſatio ſit actus iudicij verè,& propriè, formaliter loquendo.ibid.

An accuſator teneatur exprimere diem, & horam, in quo commiſſum fuit delictum id reo accuſato petente.l.8.c.47. f.462.n.8

Quid ſi accuſator in libello accuſationis poſuit diem, & horam, in quo commiſſum fuit delictum,& id probare non poſſit. ibid.n.9

Quid ſi qualitas aliqua, aut circunſtantia ponatur in libello accuſatorio tanquam aggrauans delictum, quam accuſator probare non poſſit. ibid.n.10

An pendente lite poſſit in libello accuſatorio noua qualitas, & circunſtantia delictum agrauans apponi.ibid.

Accuſatio,vt ſit iuſta,debet carere præuaricatione, tergiuerſatione & calumnia.ibid. f.463.n.11

An peccet ille, qui alium falsò accuſat iurans illum commiſiſſe delictum, & ad reſtitutionem teneatur. ibid.n.12

An accuſator poſſit ab excuſatore deſiſtere. ibid. f.464.n.14.

& an in conſcientia ad id teneatur. ibid.

An ante accuſationem ſemper præmittenda ſit fraterna correctio.ibid. f.465.n.15

An accuſator, qui ob publicam tantum vindictam accuſat, debeat eſſe ciuis populi in quo delictum commiſſum fuit.l.8.c.48. f.466.n.1

An licitè poſſit quis accuſare reum ob publicam vindictam,quando nec ſuam, nec ſuorum iniuriam proſequitur.ibid. f.467.n.2

An Princeps poſſit præcipere, vt ceſſet accuſatio iam cœpta,& in quibus caſibus.l.8.c.47. f.465. num.15

Quæ perſonæ de iure accuſare non poſſint. l.8.c. 48. f.468.n.8

Vſque ad quem gradum poſſit quis ſuam iniuriam accuſando proſequi.ibid. f.469.n.10

Regulariter loquendo actio delicti,& accuſationis extinguitur morte delinquentis. ibid. f.471. num.16

In quibus caſibus non extinguatur,an in hæreſi,& crimine læſæ maieſtatis. ibid.n.17

Intra quantum tempus proponenda ſit accuſatio aduerſus hæreticos & reos læſæ maieſtatis poſt mortem illorum.ibid. f.472.n.18

Defuncto accuſatore, qui publicum, vel priuatum delictum, ob publicam vindictam accuſabat,an poſſit alius accuſationem proſequi,ibid. f.474. num.25

Quatenus teneatur quis ex charitate,& officio accuſare,& an poſſit pretium accipere,ne accuſet. l.8.c.49. per totum.

Accuſare non tenetur quis niſi id, quod poteſt in iudicio probare.ibid. f.476.n.4

An quando crimen iam commiſſum eſt, teneatur quilibet particularis homo illud accuſare. ibid. f.477.n.5

An quando delictum impendet,& ſoli authori nocet, ſemper præmittenda ſit fraterna correctio. ibid.n.6

Omittentes accuſare,& denunciare ſolum peccant contra charitatem. ibid.n.7

Quid ſi ad id ex officio teneantur, vt ſi ſint cuſtodes,vel officiales iuſtitiæ. ibid.n.8

An teneantur huiuſmodi officiales iuſtitiæ ad reſtitutionem damni ſi non accuſent. ibid.n.9

An quando plures accuſatores concurrunt ad accuſandum reum, omnes poſſint à iudice admitti.l.8.c.50. f.479.n.1

Quis illorum tunc poſſit veniam reo concedere, & iniuriam remittere & intra quem dierum terminum. ibid. n.2

An ſi accuſator poſt accuſationem in iudicio inchoatam moriatur, vel impeditus ſit, poſſit alius accuſator à iudice admitti. ibid.n.3

An ſi alius accuſator mortuo primo ad accuſandum ſuperueniat, qui eandem accuſationem proſequatur, poſſit adhuc iudex ex officio accuſationem proſequi. ibid. f.480.n.4

An facta concordia, & data venia Deo poſſit adhuc iudex ex officio accuſationem proſequi, etiamſi veniam ob pecuniam detur. ibid.n.5

An teſtes primæ accuſationis fidem faciant in ſecunda,quin de nouo interrogentur. ibid.n.6

Aduertentia

Aduertentia, Aduertere.

Si intellectus aduertat ad obiectum quatenus ſibi vtile, & delectabile eſt, non animaduertens ad malitiam illius, neque an ſit licitum, an illicitum, ſi tunc in illo delectetur, & illud amplectatur, nullum tunc datur peccatum. l.9. c.1. f.514.n.5

Ad rationem peccati deſideratur aduertentia malitiæ moralis obiecti noliti. ibid.n.6

Vt detur peccatum in malitia vnius generis non ſufficit attendere ad malitiam alterius generis. ibid.n.7

In aduertentia ad moralem malitiam obiecti datur tam magna latitudo, vt quædam ſufficiat ad mortale, quædam ad veniale peccatum. ibid. à n.8

An ad peccatum mortiferum neceſſe ſit ſolum aduertere obiectum volitum eſſe non ſolùm abſolutè moraliter malum, & illicitum, ſed etiam mortaliter. ibid. f.515.à n.11

Adulter, Adulterium.

In adulterio magis peccat fœmina, quàm vir. l.6. c.1 f.5.n.7

Adulterium grauius eſt peccatum peccato detractionis, & contumeliæ. l.8.c.1. f.263.n.11

Per adulterium impeditur via ordinaria ad generationem. ibid.n.11

Quid ſit adulterium, quatenus eſt ſpecies luxuriæ. l.6.c.7. f.51.n.1.2.& 3

Eſt deſtinctum ſpecie peccatum à ſimplici fornicatione. ibid.

An detur peccatum adulterij, quando vnus coniux conſentit in peccato alterius. ibid.n.4

An quando duo coniuges committunt peccatum adulterij, teneantur confiteri circunſtantiam vtriuſque coniugij. ibid. f.52.n.5.& 6

Grauius eſt peccatum ſi adultera cum ſoluto, quàm ſi adulter cum ſoluta miſceatur. ibid.n.7.

An ſit verum adulterium ſi aliquis miſceatur cum coniugata matrimonio rato, non conſummato, & quid ſi cum ſponſa de futuro. ibid.n.9.& 10

Quatenus adulter per adulterium amittat ius petendi debitum. ibid.n.11

An ſi coniux innocens, qui à principio iure ſuo vtens negauit debitum, poſtea ſimile adulterium committat, poſſit illud negare. ibid. f. 53. n.12

An adulterium ſit grauius peccatum ſtupro. ibid. n.13

An grauius inceſtu. ibid.n.14

Adulterij crimen quas pœnas habeat in iure ciuili. ibid.n.16

An pœnas adulterij euadat vxor, quæ illud committit ob ſæuitiam mariti, vel ob paupertatem, aut famis neceſſitatem. ibid. f.54.n.17

Quid ſi matrimonium ſit nullum, verum tamen putetur. ibid.n.18

Adulteri præter pœnam mortis infames de iure ſunt. ibid.n.19

Punitio, & vindicta adulterij ad quem iudicem ſpectet, ad Eccleſiaſticum ne, an ad ſæcularem. ibid.n.20

Quid ſi agatur de receſſu illius, & emendatione in futurum. ibid.

Ob adulterium, qua pœna puniantur clerici. ibid.

Aduocatus, Aduocare.

Quis dicatur aduocatus, an ex officio ſit nobilis, ob quas cauſas nonnullæ perſonæ ab officio aduocandi à iure arceantur. l.8.c.38. f.412.n.1

Quæ ſint perſonæ, quæ ab officio aduocandi repelluntur. ibid.n.2

An prædictæ perſonæ in neceſſitate poſſint aduocare, & quæ talis ſit neceſſitas. ibid.n.3

Aduocatus, qui vel ob propriam ignorantiam, vel negligentiam cauſam ſui clientis perdit, tenetur ei ad reſtitutionem. ibid. f.413.n.7

An etiam ad reſtitutionem teneatur aduerſario ſui clientis, ſi iniuſtam cauſam ſui clientis defendat, & quid ſi à principio putauit iuſtam, at poſtea inuenit iniuſtam. ibid.n.8.& 9

An ſi reum fraudibus defendat contra fiſcum, ita vt fiſcus illius bona non rapiat, aliàs rapturus niſi illum fraudibus defenderet, tenetur ad reſtitutionem fiſco. ibid. f.414.n.10

An ſi aduocatus fiſci negligenter ſe gerit in defendenda illius cauſa, ad reſtitutionem teneatur fiſco. ibid.n.11

Quid ſi clienti ſuo intentetur actio criminalis, & illum ita defendat, vt accuſator non poſſit veritatem obtinere, an tunc teneatur ad reſtitutionem accuſatori. ibid.n.12

An aduocatus poſſit cauſam dubiam ſui clientis defendere. ibid.n.13

An ad reſtitutionem teneatur ſi cauſa ſui clientis alicuius criminis rei ſit minus probabilis. ibid. n.14

Quid ſi cauſa actoris ſit minus probabilis, abſolutè tamen probabilis. ibid.n.15

Quid ſi aduocatus ignoret cauſam eſſe omninò iniuſtam, magis tamen credit iniuſtam, an tunc ad reſtitutionem teneatur. ibid.n.16

An aduocatus ad reſtitutionem teneatur ſi ſecreta ſui clientis magni momenti aduerſæ parti reuelet. ibid. f.415.n.17

Quid ſi falſitatibus faciat, vt aduerſarius ſui clientis cauſam iuſtam perdat. ibid.n.18

An poſſit in cauſa iuſta, quam defendit, decipere procuratorem aduerſum, & occultare ea, quæ partis aduerſæ ius impedire poſſunt. ibid. n.19

An aduocatus teneatur alicui reo in graui neceſſitate conſtituto gratis patrocinari, & quatenus. ibid.n.20

Aduocatum tenetur iudex dare omnibus miſerabilibus, quando nullus eis patrocinari vult propter potentiam. ibid.n.21

Non poſſunt aduocati aliquid accipere vltra pretium iuſtum quod lege, aut conſuetudine eis taxatum fuerit. ibid. f.416.n.22

Vbi nihil eſt taxatum, poſſunt recipere pretium naturale, dummodo rigoroſum non ſit. ibid. n.23

Poteſt aduocatus conuenire cum cliente ſuo de certa quantitate pecuniæ ſiue vincat, ſiue non vincat. ibid.n.24

Non tamen ei licet pactum facere cum cliente de parte intereſſe litis ſibi danda, ſi vincat. ibid. & n.25

Poſſunt aduocati conuenire cum ſuis clientibus de certo aliquo palmario in præmium victoriæ præter iuſtum ſtipendium ſibi dando. ibid.n.26

An aduocato ſoluendum ſit integrum ſtipendium promiſſum pro aduocatione cauſæ, ſi partes litigantes inter ſe conueniant. ibid.n.27

Quid ſi cliens cauſam deſerat pro ſua mera voluntate promiſſo aliquo ſtipendio pro aduocatione cauſæ, an tunc teneatur illud ſoluere aduocato. ibid.n.28

An aduocato in cauſa propria, in qua ſemper expenſas poſtulauit, ſoluendum ſit pretium aduocationis. ibid.n.29
Quæ conditiones in aduocato requirantur. ibid. f.417.n.34
An aduocatus poſſit pro vtraque parte in vna, & eadem inſtantia aduocare,& an in diuerſa. ibid. n.35.& 36
An poſſit aduocare contra eum à quo beneficium aliquod accepit. ibid. f.418.n.38
Quomodo ſe debeat habere aduocatus cum ſuo cliente, qui vult teſtamentum conditum in fauorem alterius annullare. ibid.n.39.

Affinitas.

An affinitas in aliquo gradu iure naturæ irritet matrimonium. Refertur prima opinio aſſerens illud irritare ſolùm in primo gradu,vt inter nouercam, & priuignum in linea recta. l.6.c.6. f.38.n.10
Aſtruitur opinio aſſerens non dirimere.ibid. f.39. num.11.& 12
Vide *Inceſtus*,& *Gradus*.

Agricola.

An teneatur agricola vendere boues, quibus arat, vt reſtitutionẽ alicui faciat.l.7.c.27. f.217.n.16

Ambarum.

Ambarum in littore inuentum an ad primum inuentorem pertineat, an ad fiſcum regium. l.7. c.22. f.184.n.2
Quid de ambaro inuento in viſceribus balænæ ad littus alliſæ.ibid. f.185.n.5.6

Ambitio, Ambitioſi.

Qui ſint ineptiores ad regimen politicum Eccleſiaſticum,& ſæculare, ambitioſi ne,an iracundi. l.10.c.2. f.550.à num.13.vſque ad 20

Audire.

Qui audit illum, qui grauiter de alio detrahit, ita vt illum ſua auditione ad detrahendum animet, grauius peccat, quàm ipſe detractor. l.8.c.2. f.266.n.8.& 9
Quid ſi quis audiat ex odio,& lætetur dũ audit,nõ tamen animat,mouet, & excitat.ibid.n.10.&11
Quid ſi ei peccatum detractionis non placet, audit tamen,& non reſiſtit cum poſſit.ibid.f.267. n.12.& 13
An qui audit notabilem defectum alicuius ſiue naturalem,ſiue moralem,& procurat ſcire veritatem illius,peccet lethaliter,& quando.l.8.c.3. f.171.n.5
Vide *Detractio, Detrahere*.

Aulicus.

Dicere de aulico eſſe amoribus deditum,an peccatum mortale ſit. l.8.c.2. f.266.n.5

Aſtrologus.

Aſtrologi an peccent mortaliter, ſi falſa vitia hominibus imponant.l.8.c.2. f.270.n.26

Aſpectus.

Aſpectus turpes in Eccleſia,an ſint ſacrilegia,ita vt circunſtantia loci confitẽda ſit.l.8.c.3.f.273.n.13

B

Baptiſmus.

VNicus teſtis probat puerum eſſe baptizatum. l.8.c.39. f.419.n.6

Bellum.

Capti in bello iuſto iure gentium ſerui fiunt. l.7. c.12. f.131.n.15
Chriſtianus in bello iuſto à Chriſtiano captus de conſuetudine non ſit ſeruus.ibid. f.134.n.28

Beneficium.

An licitum ſit inhabilitatem alicuius,qua eſt de iure inhabilis ad obtinendum beneficium, aliquando detegere. l.8.c.4. f.276.n.8
Inſtitutus in beneficio per Prælatum, qui non habet legitimum titulum, ſed putatiuum tantùm, an ſit intruſus.l.8.c.19. f.333.n.11
Iuriſdictio beneficiis parochialibus adnexa non communicatur parochis per præſentationem beneficij factam ab Epiſcopo, vel præſentante, ſed communicatur per inſtitutionem, ſeu collationem prædicti beneficij. ibid.
Beneficia quatenus poſſint à Papa dari vni, & auferri alteri cum recompenſatione,& abſque recompenſatione cum cauſa, & ſine cauſa, & per legem aliquam, quæ illa extinguat,& quatenus dari, vel non dari poſſint dignis, vel indignis, Vide *Papa*.
Elector ad beneficium, aut capellam, an poſſit aliquid accipere pro electione perſonæ, quando plures æquè dignæ concurrunt.l.8.c.26. f.371. n.40.& 41

Beſtialitas.

Beſtialitatis peccatum quid ſit, quanta eius grauitas,& quæ eius pœnæ.l.6.c.9. f.59.n.23.& 24

Bimeſtre.

Iudex Eccleſiaſticus inferior poteſt cauſa cognita ex cauſa iuſta prorogare, vel arctare bimeſtre ſponſis de præſenti ad ingrediẽdam religionem à iure conceſſum. l.8.c.20. fol.338.n.13

Bilinguis.

Quis dicatur bilinguis. l.8.c.12. f.306.n.1

Bonitas.

Ratio bonitatis & malitiæ in actibus humanis in quo conſiſtat.l.9.c.7. f.535.n.2
An bonitas, & malitia prius conueniat actui interno,quàm externo. ibid. f.536.n.3
Actus externi nullam formalem bonitatem, aut malitiam habent ex ſe, quam addant internis. ibid.n.8.& 9

Bona.

Bona caſtrenſia,quæ ſint. lib.7.c.4. f.96.n.1
Quæ bona quaſi caſtrenſia. ibid.n.2
An ſint illa, quæ filiifamilias acquirunt ex officio publico Magiſtri aut tabellionis. ibid.
An bona, quæ filiifamilias acquirunt ex arte ſutoria, ſi ex ea habeant aliquod certum ſtipendium publicum,ſint quaſi caſtrenſia. ibid.
Bona quaſi caſtrenſia ſunt etiam illa, quæ filius familias clericus acquirit ex officio clericali,aut ex beneficio. l.7.c.4. ibid.n.3
Quid ſi ſit primæ tonſuræ,& ſit affixus per Epiſcopum ſeruitio alicuius Eccleſiæ. ibid.
Omnia bona, quæ cum bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus acquiruntur, caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia ſunt. ibid.n.4
De bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus poſſunt filij familias ad libitum diſponere, dando, vendendo, teſtando, ac ſi eſſent patresfamilias, modò tamen pubertatem non habeant. ibid. n.5.6
Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia ſunt illa, quæ à patre filio dantur cauſa militiæ,aut vitæ aulicæ, & de iure Luſitano adducenda ſunt ad collationem pro ea parte, quæ in tali vita, & militia conſumpta non ſunt.ibid. f.97.n.8
Bona incerta,quæ ſint.l.7.c.21. f.177.n.1

Bona furto ablata ab vno oppido,vel vrbe tempore belli iniuſti, quorum domini ignorantur, quomodo,& cui ſint reſtituenda. ibid.n.2
Quo iure bona incerta pauperibus reſtitui debeãt. ibid. f.178.n.11
Bonorum incertorum poſſeſſor,qui nulla præmiſſa diligentia ea pauperibus diſtribuit, an teneatur poſtea ea domino comparenti reſtituere. ibid. f.177.n.5.
Quid ſi diligentiam fecit.ibid. f.181.n.21
Quam diligentiam teneatur efficere.ibid.f.178.n.6
Cuius expenſis facienda ſit. ibid.n.7
Bona peregrinorum, qui in hoſpitalibus moriuntur,cui reſtituenda ſint. ibid.8
An bona incerta,& inuenta retineri poſſint ab inuentoribus, ſi ſint pauperes, quando facta diligentia domini non apparent. ibid. f.180.n.16. & ſeqq.
Quid ſi iam reſtituta ſunt pauperibus, domino poſt factam diligentiam non comparente, & poſtea compareat. ibid.f.181.n.21
Quid nomine pauperum intelligatur ad hoc,vt eis fiat reſtitutio. ibid.n.22
An requiratur authoritas Epiſcopi, ad hoc, vt fiat reſtitutio bonorum dominorum incendiorum. ibid. f.182.n.28.& 29
Vide *Reſtitutio*, *Bona caſtrenſia*.

Bona profectitia.

Bona profectitia,quæ ſint. l.7.c.4. f.97.n.9
Bona profectitia tota ſunt patrum,& quoad vſum, & quoad dominium. ibid.
Bona profectitia in quo diſtinguantur ab aliis bonis patris,quæ non ſunt profectitia. ibid.n.10

Bona vacantia.

An bona vacãtia ad Regem in ſolidum pertineant. l.7.c.22. f.191.n.38

C

Capitulum.

CApitula religionum in quibus fiunt acclamationes contra fratres non præmiſſa monitione fraterna contra fratres,ſolum fieri poſſunt de rebus leuibus. l.8.c.7. f.286.à n.8

Captiuus.

An ille,qui captiuus erat apud Turcas, vel infideles, ſi ad ſuos redeat, præſtitò iuramento de redeundo ad captiuitatem, teneatur redire. l.8. c.27. f.287.n.15

Cauſa.

Cauſæ iuſtæ referendi delictum antiquum alicuius, quæ eſſe poſſint. l.7.c.17. f.153.à n.1
Cauſæ iuſtæ excuſantes à reſtitutione,quæ,& quales ſint. l.7.c.25. f.205.à n.1

Carcer.

In quo carcere ſeruandus ſit Clericus comprehenſus à iudice ſæculari,quando dubitatur, an ordinatus ſit, an habitum, & tonſuram geſtet, an veſtes illius ſint Clericales. l.8.c.18. f.327.n.17
An reis in carcere vinctis licitum ſit auxilium ad fugam dare, radere catenam, claues adulterinas præbere,carcerem effringere,corrumpere cuſtodes adfugiendum, & an illi poſſint fugere,quatenus,& quomodo. l.8.c.33.per totum. f.391
An rei effractores carcerum teneantur ad damnum effracturæ. l.8.c.33. f.394.n.11
An teneatur de damno cuſtodi, ſi alij vincti effugiant. ibid.n.12
An iurans redire ad carcerem,ad iuramẽtum teneatur,quatenus,& quomodo.l.8.c.37.per tot.f.409
Vide *Reus*.

Caſus.

In quibus caſibus poteſt iudex inquirere de aliquo ad punitionem delicti, nulla præcedente infamia. l.8.c.21. f.342.n.7

Cathedra.

An retinens cathedram ab alio cathedratico iniuſtè ſe authore ablatam,teneatur illam reſtituere. l.8.c.32.per totum. f.389
Quid ſi retinens ſciat ab alio fuiſſe iniuſtè ablatã, & non ſit author talis ablationis.ibid.f.390.n.7

Cenſus.

An cenſus, qui imponitur ſuper rem aliquam, ſoluendus ſit in loco, quo res eſt,an in loco in quo creditor reſidet. l.7.c.24. f.202.n.28
Quid ſi cenſus ſit perſonalis tantùm. ibid.n.29

Ceſſio.

An ceſſio bonorum excuſet à reſtitutione, quatenus,quando,& quomodo.l.7.c.28. f.222.n.10
Eſt remedium miſerabilium. ibid.

Clamatio.

Clamationes factæ in capitulis Religionum de venialibus tantùm defectibus eſſe poſſunt. l.8.c.7. f.286.n.10

Clauſula.

Clauſula communis poſita in diſpenſationibus ſi preces veritate nitantur quomodo intelligenda ſit. l.8.c.18.per totum. f.323
Quid importet ea clauſula in prouiſionibus regalibus poſita,*ad Noſtrum beneplacitum*. l 8. c.2. f.268.n.15.& c.24. f.358.n.9.& 10
Quid importet clauſula in diſpenſationibus poſita, vt ea vxore mortua careat diſpenſatus ſpe ducendi aliam. l.6.c.6. f.41.n.20

Clericus, Clericatus.

Clerici an poſſint denunciare, & accuſare crimina mortis digna ſibi etiam ſub ſecreto commiſſa ſine irregularitate. l.8. c.5. f.280.n.5. & c.48. f.469.n.11
Clerici apud quem iudicem debent probare Ordines ſacros, & minores, habitum, & tonſuram. l.8.c.18. f.327.n.16
An iudices ſæculares peccent vſurpatione iudicij ſi clericos ad ſua tribunalia trahãt.ib.f.326.n.15
Clericalis habitus quis ſit iudex legitimus quando dubitatur,an veſtis ſit clericalis,an ſæcularis.ib. f.327.à n.17
In quo carcere interim ſeruandus ſit clericus quãdo dubitatur an ſit ordinatus nunc. ibid.
Clericus filiusfamilias primæ etiam tonſuræ quicquid acquirit ad peculium quaſi caſtrenſe ſpectat. l.7.c.4. f.96.n.7
An clerici etiam in minoribus gaudeant priuilegio fori in rebus merè ciuilibus.l.8.c.18.f.327.n.20
An eo gaudeant in recõuentionibus.ib. f.329.n.22
A quo iudice damnandi ſunt in amiſſione armorũ, ſi de nocte armati inueniantur. ibid.n.23
An poſſint tunc à miſtris iuſtitiæ ſæcularis comprehẽdi ſine excommunicatione. ib.f.330.n.24
Clerici beneficiati, & Sacerdotes an poſſint aduocare,& in quibus caſibus.l.8.c.38.f.412.n.3.& 5
Clericus falsò iurans in iudicio,quam pœnam habeat.l.8.c.43. f.442.n.9
A quo iudice poſſit puniri, an ab illo, coram quo falsò iurauit,quomodo,& quatenus. ibid.
An clericus falsò iurans coram iudice ſæculari poſſit ab eo puniri.ibid f.443.n.14
Clericorum exemptio an conſuetudine poſſit tolli,aut minui. ibid.n.19

An

An ſit de iure diuino. ibid.n.17.& 18
An clericus læſus in bonis patrimonialibus poſſit petere reſtitutionem coram iudice Eccleſiaſtico.ibid. f.445.n.23
An patrimonium clericorum,ad cuius titulũ ordinati ſunt,gaudeat priuilegio bonorũ Eccleſię.ib.
An clericus coram Eccleſiaſtico iudice falſum teſtimonium dicens poſſit ab eo puniri,licèt ſubditus talis iudicis non ſit. ibid.n.24.& 25
An clericus in cauſa criminali abſque periculo irregularitatis poſſit accuſare illum, qui ſibi fecit iniuriam. l.8.c.48. f.469.n.11
Et an facta,vel non facta proteſtatione. ibid.
An poſſit ſuorum iniuriam proſequi in criminalibus facta proteſtatione.ibid. f.470.n.12.& 13
An clerici poſſint eſſe teſtes in cauſa ſanguinis,aut denunciatores criminum.ibid. f.471.n.14
Quando clerici (& idem de laïcis) iure naturali tenentur denunciare in cauſa ſanguinis, non peccant, nec vllam irregularitatem incurrunt etiamſi proteſtationem non præmittant. ib.n.15
An clerici concubinarij ſint ipſo facto,& iure ſuſpenſi. l.6.c.2. f.10.n.9
An ſint ipſo facto excommunicati.ibid. f.12.n.17
Clerici qua pœna puniătur ob adulterium.l.6.c.7. f.50.n.20
Clericus Sodomita poſt degradationem morti, & flammis traditur.l.6.c.9. f.57.n.16
Clericus ſodomita occultus ante ſententiam an ſit ipſo iure ſuſpenſus, itavt fiat irregularis ſacros Ordines exercens. ibid.n.17,18.& 19
An vnicus ſodomiæ actus ſufficiat,vt clericus pœnas ſodomiæ incurrat.ibid. f.58.n.20.& ſeqq.
Clericatus, & ſacri Ordines, Sacerdotales etiam non eximunt filium à patria poteſtate. l.7.c.4. f.96.n.7. Vide *Accuſatio.*

Chriſtianus.

Chriſtianus tenetur animum habere præparatum ad præferendas iniurias, contumelias, & detractiones. l.8.c.2. f.264.n.1

Circunſtantia.

Quando delictum habet extraordinarias circunſtantias, poteſt à iudice ſeuerius puniri, quàm à iure. l.8.c.25. f.359.n.3
Circunſtantiæ confeſſionis quoad affinitatem, & conſanguinitatem. Vide *Gradus,Inceſtus.*
An is,qui peccat contra caſtitatem ſi Sacerdos ſit, & religioſus, aut religioſus habens ſacros tantum Ordines, teneatur vtranque circunſtantiam in confeſſione explicare.l.6.c.8. f.52.à n.8
Quid ſi peccans cõtra caſtitatem ſimul habeat votum caſtitatis ſimplex, aut ſolenne.ib.f.53.n.14
Quibus modis contingat peccatum,& circunſtantia ſacrilegij circa perſonas ſacras, & locum ſacrum in confeſſione explicanda. ibid.f.51.à n.5
Circunſtantia fornicationis cum geſtatione reliquiarum,an ſit in confeſſione explicanda. ibid. f.53.n.15
Quid ſi reliquiæ dentur pro pretio fornicationis. ibid.n.16
Diſcrimen inter circunſtantias, & actum externum. l.9.c.8. f.539.n.2
Circunſtantia ſodomiæ an ſit neceſſariò explicanda etiam à coniugatis ſi ſodomiticè coeant. l.6. c.7. f.50.n.15
An coniux,qui ſodomiticè cum mare, vel fœmina miſcetur, teneantur in confeſſione aperire circunſtantiam ſtatus coniugij.ibid. f.48.n.3
Circunſtantia ſponſalitatis in confeſſione an ſit confitenda. l.6.c.1. f.6.n.15

Codicillus.

Codicillus quot numero teſtes requirat,vt validus ſit. l.8.c.39. f.419.n.9

Collatio beneficij.

An valeat collatio beneficij impetrata ab Epiſcopo excommunicato nõ tolerato per eum,qui optimè ſciebat illum eſſe excommunicatum non toleratum, licet communiter toleratus putaretur. l.8.c.19. f.335.n.19
Collatio officiorum, quæ à Rege ſuis vaſallis donantur in ſatisfactione obſequiorum ſibi, & regno impenſorum, habet ſpeciem contractus. l.8.c.24. f.356.n.1.& 2

Compenſatio.

An poſſit fieri compenſatio damni famæ cum bonis temporalibus.l.8.c.14. f.315.n.11
Compenſatio occulta, quas conditiones requirat, vt iuſtè fiat.l.7.c.1.f.85.n.3.& l.7.c.30.f.229.n.1
De liquido ad non liquidum non poteſt fieri compenſatio ignorante creditore. ibid.
In quibus rebus fieri poſſit compenſatio. ibid.n.3.
An ex debito reali cum delicto ex promiſſione fieri poſſit compenſatio. ibid.à n.4.vſque ad 13
An debita realia ignorante creditore compenſari poſſint debitis gratuitis miſſiuis.ib. f.231.n.14
An Prælati Eccleſiaſtici poſſint efficere compenſationem cum ſuis famulis, dando eis pro ſalario ſeruitiorum officia,aut beneficia Eccleſiaſtica habentia, & non habentia iuriſdictionem. ibid.à n.15.
Et quid ſi officium, aut dignitas fuerit temporalis, vel forus in domo regia.ibid. f.232.n.17
Vide *Recompenſatio.*

Complices criminis.

Complices criminum an teſtes eſſe poſſint contrà cõplices,& an in crimine hæreſis,ſodomiæ,læſæ maieſtatis,& monetæ falſæ.l.8.c.40. f.425.n.24

Commodatarius.

Commodatarius non tenetur de caſu fortuito ordinariè loquendo, niſi ipſe ei occaſionem dederit. l.7.c.18. f.158.n.3
Ad quid teneatur commodatarius,& commodans, quando contractus cedit in vtilitatem vtriuſque. ibid. f.159.n.5
In quibus caſibus teneatur commodatarius de caſu fortuito. ibid. f.160.n.12.& 13
An quando commodatarius non poteſt ſaluare res ſuas, & commodatas,quas tunc teneatur ſaluare,ſuas ne,an commodatas,ſiue pretioſiores ſint, ſiue æquè bonæ. ibid. f.161.à n.15.vſque ad 17
Cui pereat res ſi commodatarius illam remittat domino ſuo per nuntium fidelem. ibid.n.18
Quid ſi nuntius non ſit fidelis. ibid.
Et quid ſi pro fideli habeatur,& talis non ſit. ibid.
Cõmodatarius tenetur in conſcientia reſtituere id, quod pro reddendo commodato accipit.l.8.c.4. f.279.n.19

Concilium.

Concilium Tridentinum quid ſtatuat contra laïcos concubinarios. l.6.c.2. f.9.n.6
Non ſolum prohibet clericis habere concubinas, ſed etiam mulieres ſuſpectas. ibid.

Concubina, Concubinarius, Concubinatus.

Quid ſit concubinatus de iure ciuili,l.6.c.2.f.8.n.1
Quid de iure canonico. ibid. f.9.n.2
Eſt graue, & periculoſum peccatum. ibid.n.3
An ſint abſoluendi concubinarij, & quatenus, & quid in articulò mortis, ſi non poſſint eiicere concubinas. ibid.& n.4

Contra

Contra laïcos concubinarios nullæ ſunt pœnæ in iure canonico ſtatutæ. ibid.n.5
Poſſunt Epiſcopi eos punire arbitrariè. ibid.
Quid Concilium Trident.contra eos ſtatuat.ibid.
Qui dicendi ſint publici concubinarij ſiue clerici, ſiue laïci. ibid.n.7
Concilium Tridentinum non excommunicat ipſo facto concubinarios. ibid.n.6
Non ſolum interdicit clericis habere concubinas, ſed etiam mulieres ſuſpectas. ibid.8
An publici concubinarij ſint ipſo facto, & iure ſuſpenſi.ibid. f.10.n.9.10.& ſeqq.
An Miſſas audire,& ſacramenta recipere poſſimus à clericis publicè concubinariis.ibid. f.11.n.14
An à publicis fornicatoribus. ibid.n.11
An clerici publici concubinarij ſint ipſo facto excommunicati. ibid. f.12.n.17
Concubinæ apud Hebræos olim quæ, & an fuerint licitæ. ibid.n.18.& 25
An crimen concubinatus puniri poſſit ex officio à iudicibus ſæcularibus,& ſit merè ſæculare.ibid. n.20
Quoad culpam præteritam, & punitionem illius eſt merè ſæculare.ibid. f.13.n.21
Quoad emendationem in futurum eſt merè Eccleſiaſticum. ibid.
Concubinarius quid ſit de iure Luſitano. ib.n.22
Concubinæ Eccleſiaſticorum an puniri poſſint à iudicibus ſæcularibus. ibid.n.23
Quid ſi ſint occultæ. ibid.n.24
Concubinatus eſt iure naturæ illicitus, olim fuit apud Romanos permiſſus,& quare. ibid.n.25

Conceſſio.

An dicatur noua cōceſſio officij quando quis illud ob culpam ſuam amiſit, & iterum ex gratia Regis ei donatur. l.8.c.40. f.421.n.1

Conditio.

Quot conditiones requirantur, vt duo teſtes plenè probent. l.8.c.40. f.421.n.1
Quas conditiones requirat occulta compenſatio, vt iuſtè fiat. l.7.c.1. f.85.n.3.& 4

Confeſſio, Confeſſio criminis, Confeſſionarium, Confeſſarius.

Confeſſiones auditæ à Sacerdote,qui communiter putatur approbatus, & non eſt, & qui fuit approbatus,& poſtea ei occultè ablata eſt iuriſdictio,an ſint validæ. Vide *Parochus.*
Confeſſiones Religioſorum, quos Epiſcopus approbauit,valent quanuis occultè à ſuis Superioribus priuentur poteſtate abſoluendi. l.8.c.19. f.334.n.15
Quibus modis per iniuriam confeſſio criminis per iudicem à reo extorqueatur. l.8.c.2. f.265.n.4
An Confeſſarius non obligans pœnitentem ad reſtitutionem debiti,cum ex iuſtitia ad illud teneatur,teneatur illud reſtituere.l.8.c.27.f.376.n.18
Confeſſarius publicè excommunicatus, toleratus tamen,ſi ſe ingerat confeſſionibus, an illæ ſint validæ. l 8.c.28. f.377.à n.5
Quid intelligatur per confeſſionarium,aut locum electum ad confeſſionem in ordine ad denunciationem ſolicitantium.l.6.c.12. f.78.n.19

Conſenſus.

Non ſolùm nobis lege naturali, & diuina prohibitus eſt actus externus peccati,ſed etiam conſenſus illius. l.9.c.2. f.517.n.1
Quid ſit conſenſus formalis,ſeu expreſſus,quid tacitus.ibid. f.518.n.3.4.& ſeqq.
Quando mortalis,& quando venialis. ibid.n.6
In rebus iure naturæ malis verſatur conſenſus, & delectatio circa ſubſtantiam illarum, in rebus verò malis, quia prohibitis, verſatur circa circunſtantiam,& prohibitionem tantùm illarum. ibid. fol.519.n.11.
Quæ ſit differentia inter delectationem, & conſenſum voluntatis circa commotionem corporis, & appetitus ſenſitiui, ſi hæc, aut illa eſſet coniux, & inter delectationem appetitus ſenſitiui cum prædicta commotione. ibid.n.12
Conſenſus conditionatus, vt ſi illa, vel illa eſſet mea vxor, ſi non eſſem Sacerdos, libidini ſatisfacerem,ſi ieiunium non eſſet prohibitum,cœnarem, quatenus ſit, vel non ſit peccatum mortale. l.9.c.3. f.522.n.6
Vide *Deſiderium.*

Conſanguinitas.

Vide *Inceſtus, Gradus.*

Conuitium.

Conuitium conuitio licet aliquando repellere. l.8. c.2. f.264.n.1

Contumelia, Contumelioſus.

Contumelioſus quis dicatur. l.8.c.1. f.262.n.4
Contumelioſus dupliciter poteſt auferre honorem ab aliquo. ibid.n.5
Contumelia quid ſit,in quo conſiſtat, an in verbis, an in factis. ibid.n.3
In quo differat à detractione. ibid.
Vnde deriuetur. ibid.
Contumelia ex ſuo genere eſt peccatum mortiferum.ibid. f.263.n.8
Eſt grauius peccatum detractione. ibid.
& quàm furtum. ibid.n.9
Eſt minus graue,quam homicidium. ibid.n.10
Contumelia diuidit homines in charitate vnitos. ibid.n.11
Licitum eſt aliquando contumelia contumeliam repellere. l.8.c.2. f.264.n.1
Ad quid attendendum ſit in cōtumelia ad iudicandum an aliquid ſit mortale.l.8.c.1. f.263.n.7

Coniux, Coniugatus.

Inter coniuges quatenus ſit peccatū petitio debiti ob ſolam veneream voluptatem. l.6. c.3. f.15. n.4.& 5
Non tenetur cōiux coniugi petenti reddere,quando datur periculum effuſionis extra vas naturale.ibid. f.20.n.27
An liceat coniugibus ſe irritare ad copulam cibis prædictis,quatenus,& quomodo.ibid.f.24.n.46
An tactibus. ibid. f.22.n.37
Quæ cauſa ſit iuſta negandi debitum coniugi, & ſeparandi ſe à toro.ibid. f.24.n.47
An coniugi amenti teneatur coniux ſanus reddere debitum. ibid.n 48
An ſæpiſſimè,& moleſtiſſimè petenti negari poſſit debitum. ibid.n.50
An liceat coniugi accedere ad Euchariſtiam poſt copulam eodem die habitam. ibid.n.51
An peccet coniux, qui ſtatim poſt copulam ſemen eiicit. ibid.n.50
Grauius eſt peccatum ſi coniugata cum ſoluto,quā ſi coniugatus cū ſoluta miſceatur.l.6.c.7.f.48 n.7
An coniux qui ſodomiticè, vel contra naturā cum mare,vel fœmina miſcetur,teneatur in cōfeſſione aperire circunſtantiam coniugij. ibid.f.50.n.15
In quo conſiſtat ius,& poteſtas quam vnus coniux habet in corpus alterius.ibid. f.48.n.3
An coniuges abſentes poſſint licitè,moroſe in appetitu ſenſitiuo delectari de copula cogitata vt præſenti. l.9.c.4. f.523.à n.4
Vide *Copula, Tactus, Vxor, Debitum.*

Copula.

Copula.

Copula habita poſt expeditionem diſpenſationis factam ab Ordinario, vel à confeſſario, ſi pro foro conſcientiæ fuerit expedita, non vitiat diſpenſationem, ſed talis diſpenſatio adhuc valida eſt. l.8.c.10. f.296.n.1.& 2

Quid ſi in diſpenſatione dicatur, modo copula non interueniat poſt conceſſionem huius diſpenſationis. ibid.n.3

Quid quando copula eſt occulta, & habita fuit antequam diſpenſatio concederetur à Papa, vel poſt conceſſionem illius antequam ab Ordinario expediretur. ibid.n.4

An in petitione diſpẽſationis gradus affinitatis, vel conſanguinitatis neceſſario copula explicanda ſit, ſi fortè habeatur. ibid.n.5.6.& 13

& quid ſi ſit publica. ibid.

Copula nunquã eſt explicanda in petitione diſpenſationis, ſi non fuerit conſũmata, itavt vir ſeminet intra vas fœminæ, & non ſufficit ſeminare fœminam, non ſeminante viro.ibid. f.299.n.19

Quid ſi Papa dicat, diſpenſo ſi copulam non habuerunt.ibid. f.297.n.18.& 19

An explicanda ſit copula publica, vel ſecreta, quando vterque, vel alter tantũ coniux ignorauit cõſanguinitatẽ, vel affinitatẽ alterius.ib.f.299.n.20

Quid ſi copula habita fuit animo obtinẽdi facilius diſpenſationẽ, an tunc ſaltẽ explicanda ſit.ib.n.21

Copula habita à Chriſtiano cum fœmina infideli reducitur ad fornicationem ſimplicem. l.6.c.1. f.6.n.14

Copula habita cum ſponſa alterius an ſit fornicario ſimplex, & an ea circunſtantia neceſſariò ſit confitenda. ibid.n.15

An liceat accedere ad Euchariſtiam poſt copulam eodẽ die habitam cum coniuge.l.6.c.3.f.24.n.51

Copula cum conſanguineis, vel affinibus quatenus ſit neceſſariò confitenda. Vide *Gradus.*

Copula cum filia confeſſionis non eſt inceſtus, ſed ſacrilegium, & neceſſario eſt confitenda.l.6.c.6. f.45.n.30.

Copula inter tutorem, & pupillam non eſt inceſtus, propriè loquendo, eſt tamen circunſtantia neceſſario confitenda.ibid. f.44.n.29

Delectatio moroſa copulæ habitæ, vel habendæ quatenus liceat coniugibus. Vide *Delectatio.*

Correctio fraterna.

Si malum alicui impendens per correctionem fraternam poſſit impediri, non licet denunciare volentem illud patrare. l.8.c.6. f.282.n.3

Correctio fraterna quando obliget, vel non obliget.ibid. f.283.n.4

An peccet quis mortaliter, & contra iuſtitiã, & ad reſtitutionẽ obligetur, quãdo correctio fraterna prætermittitur, ſi putatur profutura. ib.n.5.& 6

Creditor.

An creditor, & qui rem oppignoratã habet, ſi pro pretio illam elocet, comparet dominium ipſius pretij; an cedat domino ipſius rei.l.7.c.16.f.152. n.22.23.& 24

Creditores hypothecarij qui ſint.l.7.c.35.f.257.n.4

An inter creditores reales, & hypothecarios detur ordo præferentiæ. ibid.n.9

An creditor ille, qui pecuniam ſuam habet depoſitam, præferendus ſit aliis creditoribus hypothecariis.ibid. f.259.n.16.

Vide *Debitor*, *Debitum.*

Crimen.

Vtrùm crimen proximi, quod eſt publicum in vna parte, in alia vbi ignoratur diuulgari poſſit. l.6. c.4. per totum. f.25

Manifeſtare crimen alicuius quocunque modo publicum in vno loco, in alio, vbi nõ eſt publicum, animo nocẽdi ſẽper eſt mortale.l.8.c.4.f.276.n.3

Ob crimen in vno loco, de quo quis damnatus fuit iuridicè infamatus, an liceat in alio infamare ſi nondum bonam famam recuperauit. ibid.n.9

Quid ſi crimina publica ſint ex rumore tantùm ſparſo. ibid. f.277.n.10

An ad vitanda tormenta, & torturam poſſimus crimen falſum alicui imponere.l.6.c.4.per tot.f.25

Clerici an poſſint ſine periculo irregularitatis denunciare iudicibus proditiones patriæ, crimina, & homicidia, ſibi etiam ſub ſecreto extra confeſſionem commiſſa. l.8.c.5. f.280.n.3

An reus damnatus per vnum iudicem poſſit damnari per alium in criminibus mixti fori. l.8. c.36. f.406.à n.7

An liceat ad vitandum graue tormentum noſtrum, v.c.torturã, vel aliud proximi temporale, vel ſpirituale damnũ, detegere crimẽ alterius occultum, nobis ſub ſecreto reuelatum.l.8.c.6.per tot.f.282

Si crimen ſit occultum, & nondum patratũ, ſed patrandum, & vergat in damnum aliorum, licitè illud poſſumus manifeſtare ad impediendum malum. ibid.

An ad vitandam mortem poſſit quis à mortali excuſari, imponendo ſibi falſum crimen hæreſis, de quo eſt iam in iudicio conuictus, & ſi illud ſibi imponat, & fateatur, vita ei donabitur. l.8.c.8. f.391.n.7

An ſit peccatum mortale ad vitanda tormẽta grauia imponere ſibi crimen falſum, ob quod vita priuetur in iudicio, modo non redundet in ſuorum infamiam.l.8.c.9. f.293.n.2

Quid ad vitanda tormenta leuia.ibid. f.295.n.11

Secluſo periculo mortis, mutilationis, aut grauis damni, vt exilij diuturni, ſola fama periclitante, reuelare de ſe crimen occultum verum, aut imponere ſibi falſum, ad vitanda tormenta non eſt peccatum mortale abſque iuramento ſibi crimen falſum imponere. ibid.n.15

An aliquis ob crimẽ læſæ maieſtatis accuſari poſſit poſt mortem, & intra quantum tempus, & quid ob crimen hæreſis. l.8.c.47. f.465.n.17

Vide *Delictum.*

Crudelitas.

An peccatum crudelitatis ex inuidia oriatur, & quid ſit crudelitas, & quàm graue peccatum. l.6.c.1. f.6.n.15

Culpa.

Quid ſit culpa leuis, lata, & leuiſſima. l.7. c. 18. f.158.n.1.& 2

D

Damnum.

Damnum temporale, cuius quis in cauſa fuit dum alium infamauit, ei tenetur reſtituere, quanuis infamia iam ſit obliuione ſepulta. l.8. c.14. f.314.n.5

Damnum graue, quod patitur debitor, quatenus illum à reſtitutione excuſet.l.7.c.28.per tot.f.220

Damnatus, Damnare.

An reus damnatus per vnum iudicem poſſit per alium damnari in delictis mixti fori. l.8. c.36. f.406.à n.7

Vide *Reus.*

Damnatus ad pœnam pecuniariam, an teneatur illam ad domum iudicis deferre. l.7.c.24. f.203. n.34

Debitum coniugale.

Petitio debiti ob ſolam voluptatem veneream quatenus ſit peccatum inter coniuges. l.6. c.3. f.15.n.4.5

& quid de redditione. ibid.

Petitio, & redditio ob ſolam corporis ſanitatem an ſit licita. ibid.

An licita ſit in diebus feſtis, & in diebus hebdomadæ ſanctæ, & in quibus Euchariſtia eſt ſumenda. ibid. f.16.n.6.7

An ſit licita in Eccleſia, & quatenus. ibid. à n.9

Quid ſi fiat ob cauſam iuſtam, & quæ ſit, vel non ſit cauſa iuſta petendi debitum in loco ſacro. ibid. f.17 n.12

Nulla culpa eſt petere, & reddere eum continuo fluxu quem vxor patitur. ibid. f.21.n.28

Si fluxus ſit menſtruus veniale tantùm eſt petere; reddere autem licitum ſi vxor maritum priùs amicè monuit, ne peteret. ibid n.29

Vide *Coniux, Tactus.*

Debitor, Debitum.

Debitum ex contractu in quo præfixus eſt terminus ad ſolutionem ſtatim in conſcientia eſt ſoluendum finito termino ante petitionem. l.7. c.24. f.197.n.1

Si nullus præfixus eſt terminus, & creditor debitum ſcit, tunc requiritur petitio, nec debitor tenetur in vtroque foro illud ſoluere ante petitionem. ibid.n.2

Si debitum citetur, & ad iudicium trahatur ante petitionem debiti, damnandus eſt creditor in expenſis citationis. ibid n.3

Si creditor debitũ ſcit, non audet tamen ex timore etiam reuerentiali illud petere, tenetur debitor in foro conſcientiæ illud ante petitionem. ibid.

Quando mora eſt breuis, & creditor eſt certus de ſolutione debiti, non teneatur debitor ſtatim poſt petitionem ſub mortali debitum reſtituere. ibid.n.4

An ille debitor, qui ſtatim non reſtituit, cum poteſt, plura peccata committat. ibid. f.198.n.7.8

An quo mora fuerit longior, eo maior ſit obligatio reſtituendi. ibid. f.199.n.14

An abſoluendus ſit debitor, cum poteſt integrum debitum ſoluere, & non vult ſoluere niſi paulatim, & quatenus debitor abſolui, vel non abſolui poſſit. ibid.à n.15

Si debitum oriatur ex re accepta bona fide, tenetur debitor eam reſtituere in loco vbi illam accepit. ibid. f.201 n.22

An ſi creditor mutet locum, expenſis debitoris mittenda res ſit ad eum locum. ibid.& n.23

An poſſit debitor in debitis pecuniariis ſe obligare ad carcerem publicum ſi non ſoluat intra certum diem, renunciata omni citatione, & defenſione ſua. l.8.c.35. f.403.n.16

An debitor ſatisfaciat tradendo ſolutionem debiti perſonæ fideli, veluti confeſſario, vel alteri cui creditor debet. l.7.c 23. per totum. f.192

Refertur prima ſententia affirmans ſatisfacere debitorem, vel furem ſi reſtituat confeſſario, vel perſonæ fideli, vt tradat domino, & manere in conſcientia poſtea deobligatum, etiamſi iſti non reſtituant. ibid.n.1

Refertur ſecunda. ibid. f.193.n.3

Quid in hac re tenendum ſit. ibid n.4

Fur, & debitor non tenentur per ſe ipſos reſtitutionem facere, tenentur tamen cum effectu reſtituere, ſicut cum effectu damnum intulerunt. ibid.n.5

An debitor, qui ſoluit creditori ſui creditoris maneat omnino liber in foro conſcientiæ. ib.f.195.n.12

Quid de foro externo. ibid. f.196.n.13 14

Quando creditor ante tempus aſſignatum ſolutioni, diſcedit à loco vbi debitor tenetur ſoluere, non tenetur debitor mittere ſolutionem ſuis expenſis ad eum locum, in quem diſcedit creditor. l.7.c 24. f.203.n.30

Quid ſi creditor dedit mutuum, vel aliquid vendidit dilata ſolutione, & poſtea in longiorem locum diſcedit. ibid n.31.32

An quando debitor ex contractu fuit in mora ſoluendi tempore præfixo, teneatur ſolutionem mittere ſuis expenſis in locum ad quem creditor diſceſſit. ibid.n.35

An debita certa prius ſoluenda ſint, quam incerta, quamuis debita incerta ſint antiquiora. l.7.c.33. f.246.n 1

Quando debitor habet debita incerta, & certa, prius ſoluenda ſunt certa, quamuis nihil ſuperſit ad ſoluenda debita incerta. ibid n.2.3.& 4

An debita ex delicto veluti ex furto prius ſoluenda ſint, quàm debita ex contractu. ibid. f.247. à n.5 vſque ad 18

An in aliquibus caſibus debitum ex contractu præferendum ſit debito ex delicto. ibid f.248. à n.9. vſque ad 13

An debita ex contractu vtrinque oneroſo præcedant legatis, quæ teſtator relinquit certis etiam, & determinatis perſonis. ibid. f.249.n.16

Legatum à debitore relictum creditori ſub ea conditione, vt creditor eò ſit contentus pro debito, eo ipſo, quod acceptatur à creditore, nihil ei amplius debetur, etiamſi debitum ſit maius. ibid. f.250.n.19

An quando debitor relinquit creditori ſuo aliquod legatum ſine declaratione, quod illud ei pro debito relinquat, computandum ſit tale legatum cum debito, quando nihil conſtat de voluntate teſtatoris. ibid.n.20.21

An debitor cæteris paribus teneatur ſemper prius ſoluere debita antiquiora, & an ratione antiquitatis detur ſemper præferentia. l.7. c.34. f.251.n.2.3

Contractus, & promiſſiones per quos, vel quas debitor contrahens aut promittens, non ſit magis impotens ad ſoluenda priora debita, quam antea erat, ſunt validi. ibid.n.1

An debitum creditoris pauperis prius ſoluendum ſit, quando omnibus creditoribus ſua debita ſolui non poſſunt. ibid. f.252.n.4

An quando debitor omnibus creditoribus ſoluere non poteſt, poſſit in conſcientia præferre illum, qui prius ſuum debitum petit ſiue in iudicio, ſiue extra illud, vel alium ratione amicitiæ, conſanguinitatis, aut gratitudinis quamuis alij ſint antiquiores. ibid.n.6.7.9

An ex vi petitionis prioris creditoris teneatur debitor creditori prius petenti ſoluere, quamuis alia debita ſint priora. ibid.n.8.& 10

An ille creditor cui debitum prius ſatisfactum eſt prætermiſſis aliis creditoribus antiquioribus, quin ipſe ſuum debitum petiuerit, poſſit illud tuta conſcientia retinere. l.7.c.34. f.253.à n.11. vſque ad 15

Hæres debitoris ſi vnum creditorem aliis præferat, an creditor iſte poſſit tuta conſcientia retinere id in quo præfertur. ibid. f.254.n.16

Si ad manus creditoris veniant aliqua bona debitoris,

bitoris, quæ alteri non ſint hypothecata, an poſſit illa retinere, quamuis alij debitores ſint antiquiores, & quid ſi non ſint hypothecata. ibid.

Quæ perſonæ habeant in ſolutione debitorum priuilegium perſonale præferentiæ. ibid. f.255. n 17

An illi, qui habent priuilegium perſonale, præferendi ſint illis, qui non habent. ibid. n. 18

An inter debitores priuilegiatos detur aliqua præferentia. ibid. n. 19

An graue damnum debitoris ſit cauſa ſufficiens ob quam debitor poſſit differre ſolutionem. l. 7. c. 30. f. 235 n. 32

Tenentur debitores minuere ſtatum, & reiicere ſuperflua, vt reſtituant. l. 7. c. 27. f. 218. n. 17

Quatenus, & quomodo teneantur ſtatum minuere. ibid. f. 217. n. 15

Vtrum teneatur debitor præter principale reſtituere lucra ceſſantia, & damna emergentia quando creditor patitur maius diſpendium ex eo quod debitum ſuum ſibi non reſtituat. ibid. f. 218. n. 18

An quando creditor, & debitor ſimul exiſtunt in graui neceſſitate, excuſetur pro tunc debitor à reſtitutione. ibid. f. 215. n 6. 7

An quando creditor non exiſtit in graui neceſſitate, & debitor in illa exiſtit, teneatur debitor cum graui detrimento perſonæ, & rei familiaris rem reſtituere creditori. ibid. f. 216. n. 8. 9. 10

An debitor teneatur cadere à ſtatu ſuo, vt reſtituat. l. 7. c. 22. per totum. f. 183

Debita an ſint impedimenta ad ingreſſum religionis, & quatenus. l. 7. c. 28. f. 223. à n. 14. & toto c. 29

Debitor etiamſi ſit excommunicatus vitandus, non poteſt ob id differre debitum. l. 7. c. 30. f. 234. n. 26

An debitor poſſit differre debitum, quando creditor eſt excommunicatus vitandus. ibid n. 27 Vide *Reſtitutio*.

Dedecus.

Quid ſit dedecus. l. 8. c. 1. f. 263. n. 7

Defenſio.

Defenſioni naturali quatenus reus poſſit renunciare. Vide *Reus*.

Delinquens, Delicta, Defectus.

Qui refert delicta aliena à ſe audita abſque affirmatione apud illos, quos non putat ea credituros, quatenus mortaliter, vel venialiter peccet. l. 8 c. 2. f. 268. n. 16

Quid ſi delictum auditum ſiue verum, ſiue falſum, ſit valde atrox, vt proditionis patriæ, hæreſis, ſodomiæ. ibid. n. 17

Quid ſi referat apud illos, quos ex mera leuitate putat credituros. ibid n. 18. 19

Quid ſi referat delicta aliena affirmando ea eſſe vera apud illos, quos putat ea credituros. ibid. f. 269. n. 10

Quid ſi apud illos, quos non ex natura ſua, ſed ex natura rei exiſtimat credituros ea eſſe vera. ibid. n. 21

Quid de eo, qui delicta apud illos refert, qui ea ſciebant, ſed apud illos iam erant in obliuione. ibid. n. 22

An delinquens priuilegiatus debeat iudicari à iudice priuilegij, an à iudice ſoli in quo delicta commiſit. l. 8. c. 18. f. 325. n 10. 11

Si delictum habeat extraordinarias circunſtantias poteſt grauiùs à iudice, quàm à iure puniri. l. 8. c. 25. f. 359. n. 3

An iudex probato ſufficienti delicto poſſit totam pœnam legis delinquenti imponere, ſi ætas illius ſit ſenilis, vel iuuenilis. ibid. f. 360. n. 10

An delicta mixti fori damnata per vnum iudicem poſſint iterum damnari per alium. l. 8. c. 36. f. 406. à n. 7

An delicta, quæ vergunt in damnum tertij, & hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis, & monetæ falſæ, requirant infamiam delinquentium vt manifeſtentur in generalibus perquiſitionibus. l. 8. c. 46. f. 455. n. 15

Quis ſit legitimus iudex delicti, an domicilij iudex, & originis delinquentis, an iudex loci in quo commiſſum eſt delictum. l. 8. c. 48. f. 476. à n. 26

An quando plures ſocij committunt idem delictum, omnes teneantur ad pœnam illius, & an ſententia abſolutoria vnius proſit alteri ſocio. ibid. n. 29

In delictis quæ natura ſua requirunt ſocium, vt ſtuprum, adulterium, ſodomiam, ſententia abſolutoria vnius proſit alteri. ibid. f. 475. n. 31

Quid ſi ex natura ſua complicem non requirant. ibid. d. n. 29

An quando delictum inuenitur punitum diuerſis legibus, & diuerſis pœnis, qua pœna puniendum ſit. l. 8. c. 50. f. 480. n 8

An is, qui per monitorium excommunicationis de delicto alterius interrogatur, teneatur illud fateri quando ſolum datur ſuſpicio contra reum. l. 8. c. 52. f. 495. n. 27

Defectus etiam naturales ex quadam loquacitate detegere cum intentione, & ſine intentione nocendi, quatenus ſit peccatum mortale. l. 8. c. 2. f. 265. n. 3. 4

Delectatio moroſa.

Quid ſit delectatio moroſa. l. 9. c. 1. f. 513. n. 1

In infantibus, & hominibus ratione carentibus non eſt peccatum. ibid.

Quare moroſa dicatur. ibid. n. 2. 6

Quomodo, & qua ratione fiat. ibid. n. 3. 4

Delectatio moroſa vel poteſt eſſe de opere malo, vel de modo ingenioſo operandi ipſum malum, & an vtraque ſit mortalis. ibid. f. 516. n. 14.

Item poteſt eſſe de opere cogitato, vel de ipſa cogitatione, & ſpeculatiua cognitione, & quando mortalis, & venialis ſit. ibid. à n. 15

Delectatio moroſa, vt ſit peccatum, non requirit moram temporis. ibid. f. 513. n. 2

Non ſolum nobis eſt prohibitus lege naturali, & diuina actus externus peccati, ſed etiam actus internus conſenſus, & delectatio moroſa illius. l. 9. c. 2. f. 517. n. 1

Delectatio moroſa vel poteſt eſſe de actu, & peccato externo, vel de cogitatione ſpeculatiua illius. ibid. f. 518. n. 2

Quid conſenſus, & delectatio expreſſa, & formalis, quid tacita & virtualis. ibid. à n. 3

In rebus iure naturali, & ex natura ſua malis delectatio moroſa & conſenſus verſatur circa ſubſtantiam illarum, in rebus verò tantùm malis, quia ſunt prohibita, verſatur circa circunſtantiam prohibitionis. ibid. f. 519. n. 11

Quæ differentia ſit inter delectationem, & conſenſum voluntatis ſine commotione corporis, & appetitus ſenſitiui, ſi hæc, aut illa eſſet

vxor,& inter delectationem appetitus ſenſitiui cum prædicta commotione. ibid.n.12
Non in ſola re venerea, ſed etiam aliis rebus iure naturali,& humano prohibitis delectatio appetitus ſenſitiui ſi forte detur, eſt peccatum mortiferum. ibid.n.13
Interpretatiuus conſenſus,& delectatio cum commotione ſpiritus ſenſitiui, ſufficit ad peccatum mortale, ſiue res ſit ex natura ſua mortaliter illicita, ſiue quia tantùm prohibita. ibid. n.14
An quando præcedenti plena aduertentia homo nec reprimit, nec acceptat delectationem rei mortalis, ſed merè negatiuè ſe habet, peccet mortaliter, modo abſit, vel adſit periculum conſenſus. ibid.à n.15.vſque ad 20
An liceat ſponſis de futuro delectatio moroſa in appetitu ſenſitiuo copulæ habendæ tempore coniugij. l.9.c.4. f.524.à n.1.
An coniuges, qui loco, & tempore ad habendam copulam impediti ſunt, poſſint licitè moroſè in appetitu ſenſitiuo delectari de copula cogitata vt præſenti. ibid.f.525.à n 4
An poſſint licitè viduæ delectari cum commotione ſpiritus ſenſitiui de copula præterita habita cum viris ſuis abſque periculo pollutionis. ibid. f.526.n.7
An liceat moroſè delectari in actibus de ſe mortalibus, in ebrietate, amentia, ſomno, vi, aut violentia commiſſis ob bonum aliquem finem. v.c.an liceat delectari de adulterio commiſſo propter ſuſceptionem filij ſancti, aut Epiſcopi; aut de homicidio propter diuitias & hæreditatem ex illo adeptam. ibid.à n.13.vſque 15
An licitum ſit filio gaudere, & delectari de parricidio parentis ab ipſo filio perpetrato, propter diuitias, quas inde hæreditauit. ibid. f.528. n.21
An delectationes moroſæ, quæ capiuntur ex diuerſis obiectis ſpecie, ſpecie diſtinguantur. ibid. f.529.n.24
Delectatio moroſa venerea ex tactibus, oſculis,& amplexibus inter ſponſos de futuro an ſit mortalis, dummodo abſit periculum pollutionis. l.9.c.5. ibid.n.1
Delectatio moroſa, & ſenſitiua capta ex oſculis, verbis, & amplexibus impudicis, vel in re habitis, vel in conſideratione apprehenſis inter ſolutos,& quamuis ſolum in ea ſiſtere velint, & non detur periculum copulæ, aut pollutionis, eſt mortalis. ibid. f.531.n.10
Quid ſi hæc delectatio ex his rebus capiatur inter duos viros, aut inter duas fœminas. ibid.n.11
Delectatio moroſa cùm commotione appetitus ſenſitiui ſine periculo pollutionis capta ex tactibus, oſculis, & amplexibus in coniugatis eſt licita, ſi habeatur vt præparatio ad copulam ob prolem ſuſcipiendam. ibid.n.12
Si hæc delectatio ex his rebus capiatur non relata ad matrimonium, ſed propter ſe ipſam inter coniugatos eſt tantum venialis. ibid.n.13
Si adſit periculum pollutionis, & tempore, & loco conuenienti in quo poſſint copulari hæc delectatio habeatur, an ſit peccatum, & quatenus. ibid. f.532.n.14
Delectatio moroſa inter coniuges ex tactibus, oſculis,& amplexibus propter voluptatem, quæ in illis ſentitur, & abſque animo perueniendi ad copulam, quatenus ſit licita, vel illicita. ibid. n.16.17
Quoties copula ſolum eſt illicita coniugibus ob aliquam circumſtantiam extrinſecam, v.c. ob impotentiam coëundi aduenientem matrimonio contracto ob periculum aborſus, licita eſt delectatio moroſa appetitus ſenſitiui capta ex copula cogitata, vt præſenti,& ex tactibus, oſculis,& amplexibus, modo abſit pollutionis periculum. l.9.c.6. f.533.n.2.3
Quid de circunſtantia affinitatis extrinſeca adueniente matrimonio iam contracto. ibid. n.4
An liceat coniugi impedito ad petendum debitum captare delectationem ex redditione copulæ cogitatæ, vt præſentis. ibid. f.534. n.6
Quid quando vnus coniux, aut vterque impeditus eſt ratione voti caſtitatis. ibid.à n.7
An coniux, qui in actu coniugali delectatur in cogitatione alterius fœminæ, vel viri mortaliter peccet. ibid. f.535.n.10
Vide *Conſenſus, Deſiderium.*

Dæmon.

Congreſſus.& copula cum dæmone, eſt omnium ſceleſtiſſima ſpecies luxuriæ, & pertinet ad fidei Inquiſitores. l.6.c.9. f.59.n.25.26

Denunciator, Denunciatio, Denunciare.

Clerici an poſſint denunciare iudicibus ſæcularibus crimina mortis digna ſine periculo irregularitatis. l.8.c.5. f.280 n.5
An in aliquibus caſibus poſſint teſtes denunciare de aliquo in inquiſitionibus generalibus, quin ille ſit infamatus de crimine de quo denunciant. l.8.c.46. f.460.n.31
Qui ſint huiuſmodi caſus. ibid.
In foro iudiciali quando aliquis ſcit crimen contra Principem eſſe, & Rempublicam committendum, ſi illud non denunciat, punitur eadem pœna, qua author criminis. l.8.c.9. f.294. n.3
Omittentes denunciare ſolum peccant contra charitatem. l.8.c.49. f.477.n.7
Obligatio denunciandi ſacerdotes ſolicitatores in confeſſione. Vide *Solicitatio.*
Quid ſit denunciatio. l.8.c.45. f.449.n.1
Quid intendat ius per denunciationes. ibid. n.2
Quatenus quis teneatur, vel non teneatur in communibus viſitationibus denunciare proximorum delicta. ibid. f.451.à n.8
An etiam occulta. ibid.
An in denunciationibus ſemper præcedere debeat fraterna correctio. ibid.n.10
Quid ſi crimina vergant in damnum tertij, an tunc fraterna correctio præmittenda ſit. ibid.
An teneantur ſuperiores declarare in monitoriis ſuis, vt non denuncientur niſi crimina de quibus quis eſt indiciatus, aut infamatus. ibid. n.8.
An poſſit denunciator reuelare inhabilitatem ſecretam de qua quis non eſt infamatus, quando informatio, ſeu inquiſitio fit ad officium, vel beneficium obtinendum. l.8. c.46. f.459. n.29
Denunciatio eſt actus iudicij extraordinarij, ſeu præambuli. ibid.

Depoſitum, Depoſitarius.

Si depoſitarius prædium emat pecunia apud ſe depoſita fructus prædij ad ipſum ſpectant, & ſolum

ſolum tenetur pecuniam domino reſtituere & lucrum ceſſans, & damnum emergens. l.7. c.16. f.151.n.18
Quid ſi torquem aureum, aut catenam apud ſe depoſitam pro pretio elocet, an pretium elocationis domino catenæ reſtituendum ſit. ibid. n.20.22.24
Depoſitarius, qui aliquid accipit pro reddendo depoſito, tenetur illud reſtituere. l.8.c.4. f.279. num.19
Quando contractus depoſiti cedit in vtilitatem ſolius deponentis, tenetur depoſitarius de culpa tantùm lata, leui, & leuiſſima. l.8.c.18.f.324. num.4
Quando cedit in vtilitatem vtriuſque depoſitarij, & deponentis, tenetur depoſitarius de culpa lata, & leui, non leuiſſima. ibid n.5

Deſiderium, Deſiderare.

Voto ligatus deſiderium habens habendi copulam cum aliqua ſi eſſet vxor ipſius, aut ſi adeſſet matimonium quatenus peccet, vel non peccet mortaliter, ſi illud habeat cum commotione & ſine commotione carnis. l.9.c.3. f.522. n.6. & 7
Quid ſi non eſſet deſiderium efficax, ſed ſignificatio tantum voluntatis. ibid.n.8
Quid de hoc actu niſi meum ſtatum religioſi ſpectarem vindictam ſumerem, adulterium committerem, aut libidini ſatisfacerem. ibid.n.9.
Quid de hoc, ſi alio tempore mihi contingeret hoc, quando eram iunior, ego me vindicarem, & illum occiderem. ibid.n.10
Quid de hoc deſiderio, ſi Deus vellet, vt Petrus moreretur, ego gauderem. ibid.n.11
Quid de hoc ſi Deum non timerem, ego ieiunium frangerem. ibid. f.523.n12
An expreſſum deſiderium conditionale voluntaris, vt cum quis ira deſiderat, raperem aliena, copulam cum illa, vel illa committerem, ſi id mihi liceret, ſi ſine prurigine appetitus ſenſitiui habeatur, ſit peccatum mortale, ſiue deſiderium habeatur de rebus iure naturæ illicitis, ſiue de rebus ideo illicitis, quia ſunt prohibitæ. ibid. f.521.n.2
Quid ſi aliquis videns ſe fragilem eſſe, deſideret fornicationem eſſe illicitam. ibid.f.522.n.5
Quid ſi res illæ, quæ ſunt intrinſecè malæ, & iure naturæ prohibitæ eſſent in aliquo tempore, & ſtatu licito, & conditio apponeretur pro tempore, & ſtatu, quo eſſent licitæ. ibid.6
Quid ſi hoc deſideret cum aliqua corporis prurigine. ibid. f.523.à n.14

Detractio, Detrahere, Detractor.

Quid ſit detractio. l.8.c.1. f.262.n.2
In quo differat detractio à contumelia. ibid. n.3
Detractio ex ſuo genere eſt peccatum mortiferum. ibid. f.263.n.8
Eſt grauius peccatum, quàm furtum. ibid.n.9
Eſt minus graue quam homicidium. ibid.n.10
Detractio diuidit homines in charitate vnitos. ibid. n.11
Licitum eſt aliquando detractionem detractione repellere. l.8.c.2. f.264.n 1
Qui directa intentione de alio detrahit, peccat mortaliter, quid ſi ex loquacitate detrahat ſine intentione nocendi. ibid. f.265.n.2.3
An poſſit dari detractio venialis, cum formali intentione nocendi. ibid.n.3
In detractione ad quid attendendum ſit, ad iudicandum an peccatum mortiferum ſit. ibid. f.266.n.7
Qui audit de alio detrahentem, itavt illum ad detrahendum animet, grauius peccat, quam detractor. ibid n.8 9
An peccet mortaliter, qui audit aliquem detrahentem de alio, & non impedit cum poſſit. ibid. f.267.n.12. & 13.
Quid ſi ſit ſuperior. ibid.
Non eſt peccatum detractionis ſi quis ſeruato ordine correctionis fraternæ patefaciat crimen occultum ſuperiori de ſubdito ſuo. ibid. n.14
Referens detractiones quatenus peccet, vel non peccet mortaliter. ibid. f.268.n.15
An detrahere de fama mortui ſit peccatum contra iuſtitiam, & cui facienda ſit reſtitutio. l. 8. c.3. f.272.n.11.& 12
Quatenus peccent contra iuſtitiam detractores Religionum. ibid. f.273.n.15
Si delictum habet extraordinarias circumſtantias, poteſt grauius per iudicem, quam per leges, & ius puniri. l.8.c.25. f.359.n.3
Qui audit grauiter de alio detrahentem, itaut illum ad detrahendum animet, grauius peccat, quam detractor. l.8.c.2. f.266.n.8 & 9
Detractor tenetur in conſcientia reſtituere id, quod pro non detrahendo accipit. l.8.c.4.f.279. n. 20

Detego, Detegere.

An ſit peccatum mortiferum detegere, & referre peccatum occultum vnius vni viro prudenti, & cordato, qui celabit illud perinde ac ſi illi non fuerit dictum. l.8.c.2. f.269.n.24
An licitum ſit detegere inhabilitatem alicuius de iure ad accipienda beneficia. l.8. c.4. f.276. n. 8
Quatenus liceat, vel non liceat detegere ſecretum alterius nobis commiſſum ad vitandum proprium damnum, aut noſtrorum. l.8.c.6. f.283. à n.7
Quid ſi ſit ſecretum Principis, exercitus, aut Regis. ibid. f.284.n.12. & 13
Vide *Diuulgo.*

Deus.

An Deus poſſit odio haberi. l.10 c.2. f.553.n.25
An peccatum odij Dei ſit maximum omnium peccatorum. ibid. f.554.n.26
An habeat duplicem malitiam auerſionis à Deo, & conuerſionis ad creaturam. n.28

Dignitas.

Dignitas, vel indignitas ad beneficium in quo conſiſtat. l.8.c.22. f.349.n.96
Dignitas non moritur. l.6.c.12. f.83.n.35

Diſpenſatio.

An in diſpenſationibus, quæ petuntur à Summo Pontifice ad contrahendum matrimonium, teneatur quis copulam occultam habitam cum conſanguinea, vel affine manifeſtare. l.8.c.10. per tot. f.296
Quid importet in diſpenſationibus inceſtus ea clauſula vt ea vxore mortua careat inceſtuoſus ſpe ducendi aliam vxorem. l. 6. c. 6. f. 41. n. 20
Iacob ex diuina diſpenſatione duas vxores habuit ſimul viuentes, & ſorores. ibid. n.17
An quando Papa concedit alicui diſpenſationem in irregularitate aliqua contracta ex aliquo homicidio,

micidio, vel delicto cum clauſula ſatisfacta parte ſufficiat, veniam petere abſque alia ſatisfactione. l.7.c.23. f.195.n.11

Diuiſio lucri.

Qualiter fieri debeat diuiſio lucri acquiſiti à filiofamiliàs, cum negotiatur cum pecuniis paternis non ſuſtentatus à patre. l. 7. c. 4. f. 98. num.15

Quid ſi ſuſtentetur à patre. ibid.n.16

Quid de filiis ſolutis, qui non ſunt familiàs. ibid.

Quid de iure Luſitano. ibid.& n.17

Quid ſi filius ſolutus, vel coniugatus cum pecuniis ab altero, vel ab vtroque parente accommodatis negotietur. ibid.n.18

Quid ſi parentes dediſſent filio eam pecuniam mutuam in fraudem aliorum fratrum. ibid.

Diuulgo.

Vtrum crimen, quod eſt publicum in vna parte, in alia vbi ignoratur diuulgari poſſit. l.8. c.4. per totum. f.275

Diuulgare crimen alicuius quocumque modo publicum in vno loco, vbi non eſt publicum, animo nocendi, ſemper eſt mortale contra charitatem. ibid. f.276.n.3

An peccet mortaliter ille, qui alibi diuulgauit crimen illius, quem ſciuit condemnatum fuiſſe iniuſtè à iudice per falſos teſtes, & teſtimonia. ibid. f.279.n.21

Vide *Manifeſtare.*

Dolor, Dolere.

Vide *Triſtitia*, & *Triſtari.*

Doctor.

Doctor an teneatur vendere libros, vt reſtitutionem alieni faciat. l.7.c.27. f.217.n.16

Dominus.

An dominus cenſeatur incertus, aut ignotus quando de illo conſtat, ratione tamen abſentiæ, & diſtantiæ ei moraliter reſtitutio fieri non poteſt. l.7.c.21 f.178.n.9

Donatio, Donare.

An id, quod datur pro iniuſta ſententia, & teſtimonio ferendo, & pro iniuſto inſtrumento conficiendo, valeat ſaltem vt gratuita donatio. l.8. c.4. f.278.n.13.14

Dubium, Dubitatio, Dubitare.

Dubitatio temeraria ex leuibus indiciis an ſit ex ſuo genere mortiferum peccatum. l.8.c.11. f.301.n.12

An teneamur ſemper dubia in meliorem partem interpretari. ibid. f.305.n.32

Quid ſi dubia ſint de perſonis an illæ bonæ, vel malæ ſint, an commiſerint, vel non commiſerint tale, vel tale delictum. ibid.n.33

Si dubia ſint de rebus, non tenetur iudex in iudicio contentioſo in malam partem rem interpretari. ibid.32

Vtrum in dubio an talis perſona commiſerit, vel non commiſerit tale, vel tale crimen, teneamur iudicio poſitiuo iudicare illud non commiſiſſe. ibid. n.34

Si agatur de vitando aliquo damno, vel de remedio procurando, ſemper dubia ſunt in deteriorem partem interpretanda. ibid. f.306.n.36

Quid de ſuperioribus erga ſubditos. ibid.n.37

In dubio an in criminalibus iudex iuridicè procedat, fauendum eſt reo. l.8.c.31. f.387.n.7

Dubitatum fuit tempore Clementis VIII. an iuriſdictio Dominis Inquiſitoribus conceſſa ſuper ſacerdotes ſolicitantes in confeſſione illis fuerit priuatiuè conceſſa reſpectu Epiſcoporum, an cumulatiuè cum illis, & quid reſponſum fuerit à Papa circa illos, & religioſos. l.6. c.12. f.74.n.3

E.

Eccleſia.

Eccleſiam eſſe conſecratam probat vnicus teſtis. l.8.c.39. f.419.n.6

Exiſtens in Eccleſia non committit ſacrilegium ſi extra illam fornicari deſiderat. l.6. c.3. f.18. num.14

Quid ſi extra illam exiſtat, & in illa cupiat fornicari. ibid.

Quid nomine Eccleſiæ intelligatur, quomodo purificatur, & à quo polluitur. ibid.n.16

Quæ loca ipſius Eccleſiæ ad Eccleſiam pertineant. ibid.

Edictum.

Edicta monitoria quomodo obligent, an à die publicationis, an à die notitiæ. l.8. c.52. per tot. f.490

Educatio.

Extra matrimonium non datur conueniens educatio filiorum. l.6.c.1. f.5.n.8

Elector, Eligere.

An electores ad maioratum, ad cathedram, ad capellam, ad emphyteuſim, & ad officia ſæcularia poſſint aliquid accipere pro electione & pro deſtinatione loci in quo capella ædificanda eſt. l.8 c.26. f.371.n.39

Quid de electoribus ad officia, & beneficia. ibid. n.40.41

An elector teſtamentarius poſſit aliquid accipere pro eligendo loco, & Eccleſia in qua capella ædificetur. ibid.n.39

Eleemoſyna.

Quid pro eligendis pauperibus inter quos aliqua eleemoſyna diuidenda ſit. l.7.c.7. f.119. num.11

An religioſus petens eleemoſynam alicui pauperi, poſſit ſibi retinere, & quid ſi illam petat ad aliquem pauperem ſpecialem, & quid ſi de licentia Epiſcopi. ibid.& deinceps.

Emphyteuſis.

An ille, qui tenetur aliquem nominare ad emphyteuſim, poſſit pro ea nominatione aliquid accipere. l.8.c.26. f.371.n.39

Epiikeia.

Quid ſi Epikeia. l.7.c.5. f.107.n.20

Quatenus religioſus ex epiikeia excuſetur circa danda, & accipienda. ibid.

An ex epiikeia poſſit religioſus Diui Franciſci cuius pater eget, accipere ad illi dandum. ibid.

An religioſus, qui ex epiikeia aliquid dat, vel accipit, teneatur poſtea id manifeſtare ſuperiori. ibid.n.22

Epiſcopus.

Epiſcopo non creditur vt teſti, niſi iurato. l.8.c.4. f.276.n.2.8

Religioſus factus Epiſcopus cui acquirat poſt Epiſcopatum, religioni ne, an Eccleſiæ, & quid ſi talis religioſus ex ordine minorum ad Epiſcopatum aſſumptus fuerit. l.7.c.6. verſ. inquiri etiam poteſt. f.114.n.5

Epiſcopi authoritas an requiratur, vt bona incerta pauperibus diſtribuantur. l. 7. c. 21. f. 182. n 28.29

Epiſtola.

Quatenus ſit licitum, vel illicitum alienas epiſtolas aperire. l.8.c.5. f.281.à n.9

Emens, Emere, Emptor.

An emens rem à fure, aut à poſſeſſore malæ fidei, teneatur illam reſtituere furi vendenti, amiſſo etiam pretio. l.8.c.19. f.330.n.1.2.3

Quid de fructibus interim perceptis. ibid. à n.3

An quandò eam reſtituit domino, debeat amittere pretium illius. ibid.n.4

Si quis ſciens rem eſſe alienam, & eam paruo pretio emit, non animo retinendi illam ſibi, ſed animo reddendi illam vero domino cum apparuerit, an teneatur dominus ei pretium reſtituere. l.7.c.19. f.163.n.5

Quid ſi magno pretio emit. ibid. f.164.n.6.7

An teneatur ad reſtitutionem aliquam ille, qui emit à latrone oleum, vinum, aut frumentum, quando latro illud cum ſuo permiſcuit. ibid. f.165.n.12

An continuò peccet latro dum non reſtituit. ibid.

An licitum ſit Chriſtianis emere à Mauris, & ab hæreticis res catholicis furatas. ibid. fol.164. num.10

Quid ſi ſint res ſacræ, & diuino cultui dicatæ. ibid. f.165. n.11

Quæ diſtinctio detur inter emptorem bonæ, & malæ fidei. l.7.c.20. f.166.n.4

Euchariſtia.

An liceat coniugibus accedere ad Euchariſtiam poſt copulam eo die, vel nocte antecedenti habita. l.6.c.3. f.24.n.51

Excommunicatio.

Excommunicatio requirit ſui notitiam vt incurratur. l.8.c.25. f.362 n.20

An terminus præfixus in excommunicatione ad denuntiandum de furto, aut crimine, obliget à die publicationis, an à die notitiæ. l.8.c.52. f.491.num.5

Si excommunicatio ſit occulta, non peccant iudices excommunicati vſurpatione iudicij iudicando, ſed acta illorum ſunt valida. l.8. c.28. f.376.n.1.2

Olim ante Extrauagantem Martini V. peccabant, & illorum acta erant inualida. ibid.à n.3

Nullus fidelium tenetur hodie admittere iudicem excommunicatum non denunciatum pro ſuo iudice, ſed poteſt illum excipere ſi noluerit. ibid. f.378.n.9

Publici excommunicati tolerati nec licitè, nec validè poſſunt exercere actus iuſtitiæ, ſe ingerendo iiſdem actibus; poſſunt tamen id efficere fidelibus illos ab illis poſtulantibus. l.8. c.29. f.382.n.10

Quid de confeſſario reſpectu pœnitentium. l.8. c.28. f.381.à n.5.vſque ad 8

Quid ſi publicus excommunicatus non ſit toleratus in vno loco, & in alium ſe conferat, vbi ignoratur fuiſſe nominatim excommunicatus, & denunciatus, an tunc in illo loco poſſit exercere validè actus iudiciales, & audire confeſſiones, ſi ſit confeſſarius. l.8.c.28. f.174 n.12

Quid ſi in eodem loco vbi fuit publicè denunciatus, id ignoretur. ibid.

An tunc peccet exercendo actus iuriſdictionis. ibid.n.13

Iudices non tolerati, & nominatim denunciati peccant vſurpatione iudicij iudicando, & tenentur ad reſtitutionem, & illorum acta ſunt nulla. ibid.n.14

Excommunicatio in quo diſtinguatur ab irregularitate. l.8.c.19. f.331.n.4

An pars, ad cuius inſtantiam excommunicatio fertur, poſſit prorogare terminum ſolutionis. l.8. c.52. f.594.n.10

Excommunicatio Concilij Tridentini pro raptu poſita eſt ipſo facto, ſed nulli eſt reſeruata. l.6. c.10. f.66.n.15

An excommunicatio lata in eos, qui aliquid furati ſunt, comprehendat eos, qui in ſuam recompenſationem acceperunt. l.7. c.11. f.129. num.6

Quid ſi via iuridica ſuum debitum poſſunt recuperare. ibid.

An teneamur manifeſtare illos, quos ſcimus in ſuam recompenſationem aliquid accepiſſe. ibid.

Quid quando de eo dubitamus. ibid n.7

An quando aliquis excommunicatur ob retentionem debiti ſi illud tradat confeſſario, & abſoluatur, reincidat in eandem excommunicationem, ſi confeſſarius illud non tradat creditori. l.7.c.23. f.194 n.8

Vide *Monitorium.*

Exemptio.

Exemptio clericorum an ſit de iure diuino, an ſolum de iure humano Eccleſiaſtico. lib.8. c.43. f.443.à n.17

Examinator teſtium.

An teſtium examinator, vulgo Inquiſitor, Luſitanè *Enqueredor*, poſſit cum tabellione in cauſa digna morte teſtes ſine iudice examinare. lib.8. c.44. f.446.n.3

Expenſæ.

Expenſæ factæ à latrone in conſeruanda, & alenda re furata, an illi reſtituendæ ſint, & quatenus. l.7.c.15. f.143.à n.7

Expenſæ in melioratione rei alienæ factæ an ſint deducendæ. l.7.c.20. f.175.n.30

Cuius expenſis res reſtituendæ ſint, quando creditor cui debentur mutat locum. l.7. c.24. f.201.n.22.

Expulſi.

Religioſi expulſi an ſibi acquirant poſt expulſionem, & an habeant vſum, & commoditatem de rebus, quas poſt expulſionem acquirunt, & quatenus de illis poſſint dare, & diſponere etiamſi ſint beneficia, vide *Religioſus.*

F

Fama.

Fama quomodo reſtituenda ſit, vide *Infamia, Infamator.*

Quid ſit fama, & infamia apud Iuriſtas, & Theologos. l.8.c.1. f.261.n.1

Fama conſiſtit formaliter in bona hominum æſtimatione. ibid.

Lædere famam alterius per detractionem, vel contumeliam, ex genere ſuo eſt peccatum mortiferum grauius furto, leuius homicidio, & adulterio. ibid. f.263.n.12

An detrahere de fama mortui ſit mortale contra iuſtitiam, & cui facienda ſit reſtitutio illius. l.8. c.3. f.272.n.11.12

Fama

Fama publica non ſufficit ad damnandum aliquem in iudicio.l.8.c.4. verſ. Secundo. f.275. num.1
An ſufficiat ad torturam. ibid.
Fama non eſt cum periculo vitæ reſtituenda. l.8. c.13. f.312.n.1.& 2
An ſit reſtituenda cum periculo famæ. ibid. & ſeqq.
An quando fama alteri reſtitui non poteſt, teneatur infamator eam pecunia compenſare. ibid. f.313.n.5.6.& 8
Poſt ſententiam iudicis tenetur infamator famam alterius pecunia compenſare. ibid.n.7
An pecuniæ reſtitutio aliquando facienda ſit cum iactura famæ. ibid.n.10.& 8. in med.
An infamator teneatur reſtituere famam infamato, quando ille eam ſuis virtutibus iam recuperauit.l.8.c.14. f.314.n.1.& 2
An pro illo medio tempore in quo infamator famam ſuis virtutibus non recuperauit, teneatur illi aliquid reſtituere. ibid.n.3
Quid ſi læſio famæ ſit iam obliuione ſepulta, & reſtitutio nondum ſit facta, an tunc reſtitutio illius facienda ſit. ibid.n.4
Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ.l.8.c.17. f.321.à n.1
Vide *Reſtitutio*, *Compenſatio*.

Facta.

Facta habent vim ſignificandi ſecundariam. l. 8. c.1. f.262.n.3

Famulus.

Quando inter famulum, & dominum non eſt conuentum de pretio ſtipendij, quomodo tunc ſoluendum ſit ſalarium.l.7.c.1. f.85.n.6
Famuli Dynaſtarum quatenus peccent mortaliter aliquid à dominis furto auferendo. l. 7. c. 11. f.128.n.1.& 2.
Quæ quantitas reſpectu illorum ſit mortalis. ibid.
Rarò huiuſmodi famuli peccant mortaliter, cum furantur cibaria ad comedendum. ibid. n.3
Famuli quando tenentur ad reſtitutionem, & quid ſi domini eos cogant ſeruire vltra pactum conuentum. ibid.n.4
An teneantur famuli reſtituere dominis ſi quid illis ſuperfuerit quando eis ad victum, aut veſtitum aliquid certum deſtinatum eſt. ibid n.5
Quæ quantitas requiratur in furto in honorabilioribus famulis Dynaſtarum, & magnatum, v.c.in œconomis, & equorum præfectis. ibid. f.129.n.7
Vide *Furtum.*

Faſcinoroſi.

Faſcinoroſi homines repelluntur de iure canonico à teſtificando.l.8.c.40. f.424.n.17

Fœmina.

Fœmina repellitur iure canonico à teſtificando in criminalibus. ibid.
Quid de iure ciuili.ibid. f.425.n.18
Fœmina, quæ vi comprehenditur, ſi in copula non conſentiat, non peccat. ibid.

Feritas.

Feritas quid ſit, & cui virtuti opponatur. l. 10. c. 2. f.554.n.29

Filiifamilias, Filij ſoluti.

Filiusfamilias tenetur in conſcientia reſtituere id quod furto abſtulit de bonis profectitiis patris. l.7.c.4. f.97.n.10
Tenetur etiam reſtituere, & in partitionem adducere ea, quæ de his bonis in ludis contra rationabilem voluntatem patris inſumpſit.ibid.n.11
Ob quas cauſas ab hac reſtitutione poſſit excuſari. ibid.n.12
In quibus caſibus valeant donationes factæ à parentibus filiifamilias. ibid.n.13.& 14
Qualiter filiusfamilias debeat facere diuiſionem lucri acquiſiti cùm negotiatur pecuniis paternis, vel maternis, non ſuſtentatus à patre, vel matre.ibid. f.98.n.15
Quid ſi à patre, vel matre ſuſtentetur. ibid.n.16
Quid de filiis ſolutis, qui non ſunt familias. ibid.
Quid de iure Luſitano. ibid.& n.17
Quid ſi filius ſolutus, vel coniugatus cum pecunia ab altero, vel ab vtroque parente commodata negotiatur. ibid n.18
Quid ſi illi patres dediſſent eam pecuniam mutuam in fraudem aliorum filiorum. ibid.n.19
Filij Clericorum cur malè morati ſint.l.6.c.7.f.118. num.7
An liceat filio delectari de patricidio parentis à ſe perpetrato propter diuitias, quas inde hæreditauit.l.9.c.4. f.528.n.20
Filiifamilias quatenus mortaliter peccent furando à parentibus.l.7.c.3. f.92.à n.5
Quomodo à reſtitutione excuſentur ibid n.6
An filiifamilias, qui habent aliquam quotam à parentibus aſſignatam pro ſtudiis, aut ſumptibus aulæ regiæ ad reſtitutionem aliis fratribus teneantur, ſi inde aliquid in illicitos vſus contra voluntatem patris expendant. ibid. f.93. n. 7. & 10
An filiusfamilias ſeruiens patri poſſit clàm accipere tantum, quantum pro eo ſeruitio daretur extraneo.ibid. f.94.n.11
Quæ conditiones requirantur ad iuſtificandam hanc acceptionem. ibid.n.12
An vſus fructus pecuniæ, quam filiusfamilias ſeruiendo acquirit, pertineat ad parentem illius. ibid.& n.13
Quid ſi de illis emant boues, vel oues, quos pro certa penſione elocent. ibid.n.14
Filiusfamilias non tenetur ſeruire patri cæteris fratribus otiantibus.ibid. f.95.n.15
Si filiusfamilias, qui non alitur à patre, vel matre, pecunia ex ſuo ſalario acquiſita emat prædiolum, proprietas talis prædioli ad filium ſpectat, vſus autem fructus ad patrem, vel matrem ſub cuius poteſtate eſt, etiamſi tutorem habeat. l.7. c.4. f.100.n.26
Quomodo intelligatur illud dictum vulgare, Filiusfamilias quicquid acquirit, patri acquirit. l.7.c.3. f.95.n.16
Filiusfamilias in bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus habet vſumfructum, & proprietatem.l.7.c.4. f.96.n.1
Quidquid Clericus primæ etiam tonſuræ filiusfamilias acquirit ad peculium quaſi caſtrenſe ſpectat. ibid.n.7

Forus contentioſus.

Quid ſit forus, vnde dictus.l.8.c.18. f.324.n.1

Fornicatio.

Quid ſit fornicatio ſimplex.l.6.c.1. f.4.n.3
Eſt ſpecies luxuriæ, & peccatum mortiferum. ibidem.
Eſt iure naturali, & humano prohibitum. ibid. num.5
Prohibita fornicatione ſimplici, illius etiam conſenſus, atque deſiderium prohibetur. ibid.n 4

Ex fornicatione ſimplici oritur luxuria, ex luxuria oriuntur multa peccata, & quæ.ibid. f.5.n.6
In fornicatione ſimplici magis peccat vir, quàm fœmina. ibid.n.7
Fornicatio ſimplex in mari, & fœmina ſenibus non coniugatis eſt peccatum mortiferum, quamuis generare poſſint. ibid.n.9
Fornicatio ſimplex ob nullum vitæ caſum eſt licita etiamſi de conſilio medicorum fiat. ibid. f.6.n.12
An detur ignorantia inuincibilis illius. ibid.
Inter ebrios, & amentes non eſt peccatum. ibid. n. 13
Ad fornicationem ſimplicem reducitur copula habita à Chriſtiano cum fœmina infideli, & vice verſa. ibid.n.14
An ſit fornicatio ſimplex ea copula, quæ cum ſponſo alterius habetur. ibid.n.15
Fornicatio ſimplex an ſit peccatum grauiſſimum omnium peccatorum,& an grauius homicidio. ibid. f.7.n.21
Quis dicatur publicus fornicator. & an Miſſas audire,& ſacramenta ſuſcipere poſſimus à Clericis publicis fornicatoribus.l.6.c 2. f.11 n.15
Exiſtens in Eccleſia non committit ſacrilegium ſi extra illam fornicari deſiderat. l.6. c.3. f.18. n. 14
Quid ſi in illa fornicari cupiat exiſtens extram illam. ibid.
An ſit ſacrilegium fornicatio cum geſtatione reliquiarum.l.8.c.8. f.53.à n.15
Quid ſi res ſacra detur in pretium pro fornicatione. ibid n.16
Quot delicta committat ille, qui cum Moniali fornicatur ibid. f.54.n.18
An ob id crimen priuetur bonis omnibus. ibid. n. 19

Fructus.

Fructus induſtriales, qui ſint, & quales. l.7.c.16. f.147.n.1
Fructus merè reales, & naturales qui ſint, & dicantur in iure. ibid.n.2
Induſtriales, naturales,& ciuiles qui ſint.l.7.c.20. f.170.n.15
Fructus mixti partium reales, & partium induſtriales,qui.l.7.c.16. f.147.n.3.& 4
Quid nomine fructuum intelligatur, & an ſoli fructus ſint, & dicantur illi, qui remanent deductis expenſis ibid.n.5
An fur, & malæ fidei poſſeſſor teneatur teſtituere omnes fructus à ſe perceptos, quos dominus non percepiſſet,& an omnes, qui percipi poterant, ſiue percepti à ſe fuerint,ſiue percipiendi eſſent à domino, ſiue non eſſent. ibid. f. 148. n.6 & 7.& c.20. f.174 à n.25
Quid ſi fur nullos fructus percepit, & dubitatur, an dominus aliquos percepturus eſſet. ibid. f.128.n.8
An in foro ſoli,& de iure Luſitano teneatur latro, & malæ fidei poſſeſſor reſtituere omnes fructus,quos dominus percepiſſet, ipſe ramen latro,aut malæ fidei poſſeſſor non percepit ibid. n. 9
An ſolum teneatur reſtituere eos fructus, quos ipſe percepit, ſiue dominus rei illos eſſet percepturus, ſiue non eſſet. ibid.
Quid de fructibus perceptis ex re fructifera ex iure Luſitano quando res ſunt vendita infra dimidium iuſti pretij ibid. f.149 n.11
An ſi fur, vel vſurarius agrum ſterilem fructiferum ſuis expenſis reddat, teneatur illud reſtituere cum omnibus fructibus perceptis. ibid. n.12.vſque ad 14
Quid ſi fructus iam non extent,ſed mala fide conſumpti ſint.ibid. f.150.n.15. & 16
Si fur, aut malæ fidei poſſeſſor negotietur cum rebus furtiuis vſu conſumptibilibus, vt cum pecunia, vino, oleo, &c. comparat dominium lucri acquiſiti,& ſolum tenetur reſtituere rem, & omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis. ibid.n.17
Si depoſitarius prædium emat pecunia depoſita fructus prædij ad ipſum ſpectat,& non tenetur illud domino reſtituere,tenetur tamen reſtituere damnum emergens, & lucrum ceſſans. ibid. f.151.n.18
An emens aliquid mala fide teneatur illud domino reſtituere cum omnibus fructibus interim perceptis. l.7. c.16. f.147.n.3.22.& 25. vſque ad 29
Qui ſint fructus naturales, ſeu reales, qui induſtriales.& ciuiles.l.7.c.20. f.170.n.15
Quid in dubio an naturales, an reales ſint. ibid.
Prouentus animalium, vt hœdi, agni, lana, caſeus, an ſint fructus naturales, an induſtriales. ibid. n. 16

Fundamentum.

Fundamentum iudicis, & iudicij eſt iuriſdictio, hæc ſi deficiat deficit iudicium. l.8.c.18.f.324. n.4

Furtum, Furari.

Quid ſit furtum.l.7.c.1. f.84.n.1
Furtum dupliciter fieri poteſt, vel clàm, vel palam, & cum violentia; primo modo eſt rapina, ſecundo modo eſt furtum. l.8.c.1.f.261. n. 2
Fur tenetur in conſcientia reſtituere id quod accipit pro reddendo furto.l.8.c.4. f.279.n.20
An ille, qui ſolus furtum vidit cum altero, teneatur illud reuelare quando ſuper illud fertur excommunicatio,ſi alter abſens eſt. l. 8. c. 52. f.494.n.22
Furti nomine venit etiam iniuſta retentio,& damnificatio rei alienæ.l.7.c.1. f.85.n.2
An detur verum furtum quando quis furatur perſonam liberam.ibid. f.86.n.7
Furtum an olim Hebræi in Ægyptios commiſerint. ibid.n.9
Furtum verum non committit, qui gladium furatur ab amente ne alteri noceat. ibid.n.10
An furtum committat ille, qui in extrema, aut quaſi extrema neceſſitate furatur. ibid.n.11.& remiſſiuè ad c.26.per tot.
Furtum ex genere ſuo eſt minimum peccatum, quod contra proximos committi poteſt. l. 7. c.26. f.212.n.12
An furtum magnum, & paruum ſpecie differant. l.7.c.1. f.87.n.13
Furtum differt ſpecie à rapina. ibid.n.14
An furtum vnius denarij,ſeu,vt cum Luſitanis loquar, binarum vingenarum peccatum mortale ſit reſpectu etiam hominis diuitis. ibid.n.15
Ad aſſignandum quantitatem in furto ad quid attendendum ſit. ibid.n.17
Quæ ſit quantitas mortalis in furto reſpectu Regum, & quid reſpectu Prælatorum, & hominum ditiſſimorum. ibid.n.18
Quæ reſpectu hominum mediocriter pecunioſorum

rum abſtrahendo etiam à loco. ibid.n.15
Quæ ſit quantitas mortalis Olyſipone, Hiſpali, & in Braſilia, & alibi. ibid. f.88.n.20
Quid, ſi, ex quantitate ad peccatum mortale aſſignata, aliquid minus deficiat. ibid.n.22
Res parua ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poteſt eſſe mortalis in furto.l.7.c.2.f.89. n.2
Si feratur tunc excommunicatio pro furto, furans rei paruæ non comprehenditur in illa, ſecus ſi feratur pro furto, & pro damno ſimul, aut pro damno tantum. ibid.n.3
Furans rem minimam peccat mortaliter contra charitatem, ſi credat dominum illius exinde in periuriam, aut blaſphemias proruptur(um). ibid. n.4
An furans rem modicam teneatur ad reſtitutionem, quando præuidet dominum illius aliquem occiſurum, putans illum eam à ſe furto abſtuliſſe. ibid n.5.6. & 7
An peccet lethaliter, qui rem paruam ab aliquo furto aufert quam ſcit ab eo magni æſtimari, & exinde ingenti triſtitia fore afficiendum. ibid. f.90.n.8
An peccet mortaliter ille, qui furto rei paruæ ſacrilegium committit, v.c. qui furto aufert modicam ceram Agni benedicti, aut modicum olei ſacri chariſmatis ad ſe illuminandum. ibid.n.9
An furari in Eccleſia rem non ſacram ſit ſacrilegium, & quid ſi Eccleſia de illa te tenebatur, & quid ſi non tenebatur.ibid. f.91.n.10
Quid requiratur de iure ciuili, vt furtum ſit ſacrilegium. ibid.n.11
Furtum minimum reſpectu perſonæ miſerabilis an ſit mortiferum. ibid.n.12
Ex qua circumſtantia furtum rei magnæ non ſit mortale. ibid.n.13
Quando præſumendum eſt filios peccare mortaliter à parentibus furto aliquid auferendo, & quando non. l.7.c.3.per tot. f.92
Paruitas materiæ quoad filios, & vxores in furtis non debet conſiderari ex natura rei, ſed ex rationabili voluntate parentum. ibid.n.1
Quæ quantitas ſit mortalis in filiis reſpectu parentum ditiſſimorum. ibid.n.2
Quæ in filiis hominum mediocriter pecunioſiorum, & in filiis pauperum. ibid.n.3
Licet filij non peccent mortaliter in furtis, quæ in parentes committunt, poſſunt tamen mortaliter peccare ſi illam quantitatem, illicitè expendant. ibid.n 4
Quando quantitas in furto, ſpectata rationabili voluntate patris eſt magna, tenetur filius ad reſtitutionem aliis fratribus. ibid.n.5
Quomodo poſſint ab hac reſtitutione excuſari. ibid.
Quæ quantitas reſpectu religioſorum ſit mortalis in furtis reſpectu bonorum religionis. l. 7. c.5. f.102.n.2
Quomodo, & quatenus peccent religioſi contra furtum, & votum paupertatis, accipiendo minima ab externis, vel à Monaſterio vt donent externis.ibid. f.103.n.3
Quid ſi illa minima ſint ex comeſtibilibus Monaſterij, & ad proprium vſum accipiantur.ibid. n.6
Quid ſi ad donandum externis. ibid. f.104 n.7
Quid ſi ad proprium vſum accipiantur, & accipientes habeant animum continuandi furta. ibid. n.9
Quid ſi hæc minima ſint precioſa. ibid.n.10
Quomodo poſſint religioſi à furto excuſari. ibid. f.105.n.11.12.16.& 17
Quæ quantitas requiratur in furtis vxorum, vt ſit mortalis reſpectu maritorum.l.7.c.8. f.121.n.2
De furtis vxorum in maritos, vide totum c.8.ibid.
De furtis maritorum in vxores, & quæ quantitas requiratur in genere furti, vide totum cap.9. f.124
De furtis vaſallorum in Reges, vide cap.10.f.127
De furtis famulorum in dominos, vide cap. 11. f.128
De furtis ſeruorum, & mancipiorum erga dominos, & an ſi ſe à dominis furto auferunt, fugiendo ad ſuos, teneantur ſe dominis reſtituere, ſi ſint Mauri, aut Turcæ, vide cap.12. f.129
An qui minima ab vno, eodémque furatur paulatim, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur, & quid ſi ea furetur à diuerſis.l.7.c.13. f.134.n.1.& 2
Qui à principio habet animum furandi notabilem quantitatem ab vno, eodémque, minima furando an peccet mortaliter in ea deliberatione, & an in ſingulis furtiolis, quæ poſtea, ab illo rapit.ibid. f.135.n.3
Quid ſi à pluribus eadem furtiola auferat eademmet deliberatione. ibid.n.4.5.6.& 7
An committantur diuerſa numero peccata mortalia in ſingulis furtiolis, an vnum, idémque continuetur. ibid.n.8
Furta minima, quomodo reſtituenda ſint. ibid. n.9
Quid ſi quis in ſingulis furtiolis non habeat animum perueniendi ad notabilem quantitatem, & quid ſi immemor vnius aliud committat. ibid. f.136.n.11
An quando aliquis memor præteritorum furtorum, quæ vel ab vno, vel à multis abſtulit, animaduertit in vltimo compleri quantitatem mortalem, peccet mortaliter tam in accipiendo, quam in retinendo. ibid.vſque ad n.13
Qui poſt vltimum furtiolum complens quantitatem mortalem aliud furtiolum facit, an peccet mortaliter.ibid. f.137.n.15
An quando vltimum furtiolum cum præcedentibus coniunctum peruenit ad mortalem quantitatem, deuitetur obligatio reſtituendi ſub mortali, ſi illud reſtituatur dumtaxat, an neceſſe ſit totam reſtituere quantitatem.ibid.à n.16.vſque ad 18
Quando furta minima ſunt valdè interpellata an maior quantitas in illis ad mortale requiratur, quam in aliis.ibid. f.138.n.19
Et quid ſi contra multos hæc minima furta committantur. ibid.n.20
Quid ſi hæc minima à multis auferantur animo diteſcendi, & quid ſi ex occaſione oblata. ibid. n.21
Si plures ab vno eodémque communicato conſilio ſinguli minima furto auferant, omnes peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem ſui minimi ſub mortali culpa. l.7.c.14. f.139. n.1.& 2
Quid ſi ſeorſim concurrant, & nullus eorum de aliis ſciat. ibid.n.3
Quid ſi non communicato conſilio, ſed alij alios ſcientes minima ab vno, eodémque auferant. ibid. à n.4. vſque ad 7.& præcipuè n.9
Vtrum fur, & poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere

tuere rem furtiuam ſecundum pretium tantùm, quod habebat, quando furto ablata fuit, an ſecundum maius, quod poſtea habuit. l. 7. c.15. per tot. f.142
Quando res furtiuæ habent incrementum ab extrinſeco, valor iſtius incrementi eſt domini, non furis in foro conſcientiæ, deducta æſtimatione laboris & induſtriæ furis in procurando iſto incremento. ibid.n.3
An idem etiam procedat in foro externo. ibid. n. 4
Tenetur fur ad omne lucrum ceſſans, & damnum emergens domino rei furatæ.ibid. f.143 n.5
Tenetur inſuper vltra hanc reſtitutionem lucri ceſſantis, & damni emergentis dominum rei ponere in ſtatu in quo antea erat. ibid.n.6
An expenſæ factæ à latrone in conſeruanda re furata, illi reſtituendæ ſint. ibid. n.7.& 8
Quando res, quæ incrementum ab extrinſeco habent, non extant, tenetur fur illas reſtituere ſecundum meliorem ſtatum ad quem in manu illius peruenerunt, licèt poſtea manu ipſius furis ad peiorem ſtatum peruenerint. ibid.n.9
Quid ſi fur rem domino abſtulit tempore melioris ſtatus in loco habili ad illam accipiendam, & noluit accipere.ibid. f 144 n.10
Quid ſi fur eam rem ad locum vbi plus valebat, tranſtulit, & in eo vendidit, & à domino ibi non erat vendenda. ibid.n.11
Quid ſi ſegetes herbeſcentes, aut ligna cædua adhuc creſcentia deuaſtauit, quomodo ea tunc reſtituere teneatur. ibid.n 12
Furans vinum, triticum, oleum, vel merces aliquas, tenetur illas reſtituere ſecundum æſtimationem temporis, loci, & modi in quo erant à domino vendendæ deductis expenſis, etiamſi non extent.ibid. f.145 n.13
Quid ſi eo tempore, quo erant diſtrahendæ à domino, valuerunt minus, quàm tempore, quo fuerunt furto ablatæ. ibid.n.14
Quid ſi non conſtet, quo tempore, aut quo loco erant à domino vendendæ, aut diſtrahendæ. ibid.n.15.& 16
Quid ſi equus furto ablatus ad valorem ducentorum aureorum peruenit in manu furantis, & poſtea ad valorem centum, & adhuc extet. ibid, f.146.n.18
An fur, & malæ fidei poſſeſſor teneantur reſtituere omnes fructus à ſe perceptos, quos dominus non percepiſſet, & an omnes, qui percipi poterant ſiue percepti à ſe fuerint, & percipiendi eſſent à domino, ſiue non. l.7.c.16. f.148.n.6. & 7
Quid ſi fur nullos fructus percepit, & dubitatur, an dominus aliquos percepturus eſſet. ibid. n. 8
An in foro externo, & de iure Luſitano reſtituere teneatur fur, & malæ fidei poſſeſſor omnes fructus, quos dominus percepiſſet, ipſe tamen latro percepit, ſiue dominus illos eſſet percepturus, ſiue non. ibid.n.9
An ſi fur, & vſurarius agrum ſterilem furtiuum frugiferum ſuis expenſis reddant, teneantur illum reſtituere cum omnibus fructibus perceptis.ibid. f.149.n.12.13.& 14
Quid ſi fructus iam non extent, ſed mala fide conſumpti ſint.ibid. f.150.n.15& 16
An ſi fur, & malæ fidei poſſeſſor negotientur cum rebus furtiuis vſu conſumptibilibus, vt cum pecunia, vino, & oleo comparent dominium lucri, & quid teneantur reſtituere domino pecuniæ, vini, & olei. ibid.n.17
Quid de fure, qui pecunia furtiua negotiatur. ibid. f.151.n.19
Quid de fure, qui equum furtiuum, torquem aureum vel catenam non ſolitam à domino pro pretio elocari ſi illam elocet. ibid n.20
An fur, qui equum furtiuum vendidit, comparet dominium illius pretij. ibid.n.21
An ad reſtitutionem teneatur fur, ſi res furtiua in eius manu pereat eodem, vel diuerſo modo, quo peritura erat apud dominum. l.7.c.17.per tot. f.153
In foro externo tenetur fur ad reſtitutionem rei, quæ in manu eius periit, etiamſi in manu domini eodem modo pereat. ibid.n.1
In foro conſcientiæ ſi res furto ablata, vel mala fide poſſeſſa caſu fortuito pereat apud furem, quando non erat peritura apud dominum, tenetur fur ad illius reſtitutionem. ibid.n.2.& 3
Quid ſi eodem modo apud dominum eſſet caſu peritura. ibid.n.4
Quæ ſit obligatio ex delicto furti, & ex contractu, explicatur lex Rhodia.ibid. f.154.n.6
Quid quando dubitatur, an res apud dominum periret, ſi & antea reſtitueretur. ibid. f. 155. n. 7
Quid ſi res apud dominum peritura erat iniuſta incurſione, & apud furem eadem iniuſta incurſione periit, vel caſu aliquo fortuito ſine culpa ipſius furis. ibid.n.8
An ſi homo diues in domo ſua, vel alio in loco res ſuas ſeruare ſolebat, rem aliquam habeat, quam ſine dubio ſineret perire, ad reſtitutionem teneatur ille, qui eam rem in ſuos vſus conuerteret. ibid.n.9
Quid ſi res de facto perit apud furem, & ſine dubio periret apud dominum abſque vlla illius vtilitate, ſed non eodem modo, at diuerſo. ibid.n.10
Quid ſi res furto ablata pereat apud furem, aut poſſeſſorem malæ fidei ex dolo, & culpa illorum, cum tamen eodem, aut diuerſo modo ſine culpa illius eſſet peritura.ibid. f.156.n.11.12. & 13
Quid ſi res Petri erat cras cum domo illius peritura, & de facto domus periit, & aliquis die antecedenti rem ſaluauit. ibid. f. 157. n. 14. & 15
Quid ſi ea res iam non extet apud illum, qui eam ſaluauit, nec caſu fortuito periit, ſed ante incendium domus illam vendidit, aut diſtraxit. ibid. n. 16
Quid ſi bona fide rem ſaluaſti, & tibi accepiſti, & poſtea peracto incendio eadem bona fide illam alienaſti. ibid.n.17
An fur teneatur ſuis expenſis reſtituere furtum, quando creditor in alium locum profectus eſt. l.7.c.24. f.204.n.36
An teneatur fur eas expenſas facere ſi ſint maiores, aut æquales furto. ibid.n.37
Olim in lege vetere, vt reſtitutio fieret, præcipiebatur, vt fur venderetur. l.7. c. 28. f.222. n.8

G

Gradus conſanguinitatis, & affinitatis.

QVi ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis ita iure naturæ, & Eccleſiaſtico prohibiti, vt

vt matrimonium irritent. l.6.c.6. f.37.n.2
An ſecundus gradus conſanguinitatis aſcendentium, & deſcendentium in recta linea irritet matrimonium iure naturæ inter auum, & nepotem. Refertur prima opinio affirmatiua. ibid. num.3
Præfertur opinio aſſerens ſolum primum gradum conſanguinitatis inter matrem, & filium, & inter patrem, & filium iure naturæ matrimonium irritare. ibid.n.4
Qui gradus de iure Eccleſiaſtico affinitatis, & conſanguinitatis matrimonium irritent. ibid. f.38. n.5. & 6
Solus primus gradus lineæ tranſuerſæ de iure naturæ, hoc eſt, inter fratrem, & ſororem matrimonium irritat. ibid.
Quid de ſecundo gradu lineæ tranuerſæ, vt inter patruum, & filiam fratris, aut auunculum, & filiam ſororis, & inter materteram, & filium fratris, & inter amitam, & filium ſororis. ibid. n. 7
An primus gradus affinitatis lineæ rectæ, vt inter nouercam & priuignum iure naturæ irritet matrimonium. ibid.à n.10
Quid de primo gradu affinitatis lineæ tranuerſæ. ibid. f.40.n.14.& 15
Iure naturæ ſpectato non poteſt homo duas ſorores habere in vxores ſimul viuentes. ibid.f.41. n. 16
Iacob duas habuit ex diſpenſatione diuina. ibid. n. 17
Primus gradus conſanguinitatis vtriuſque lineæ rectæ, & tranſuerſæ, ſi comparentur inter ſe, non diſtinguuntur ſpecie; ſi vero comparentur cum omnibus aliis gradibus tam conſanguinitatis, quam affinitatis, ſpecie diſtinguuntur. ibid. f.43.n.23
Quomodo diſtinguantur ſpecie gradus affinitatis inter ſe, & cum aliis comparatis. ibid.n.24
Committentes inceſtum in primo gradu conſanguinitatis tenentur id declarare in confeſſione, imo tenentur dicere ſe commiſiſſe illum in linea recta, vel tranſuerſa. ibid. f.44.n.25

Gratia.

An vitietur gratia tacita veritate, quam tamen ſi Princeps ſciret, nihilominus eam gratiam concederet, ſed difficilius. l.8.c.10. f.299.n.17
Noua gratia, quæ requiritur ad opus, ſed per accidens, & quomodo. l.9.c.8. f.539.n.5
Gratia ſacramenti ex opere operato ſemper eſt eadem, gratia autem ex opere operantis maior, vel minor eſt iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti recipientis. ibid. f. 540. n. 6

Gemma.

Gemmæ in littore maris inuentæ an pertineant ad primum inuentorem, an ad fiſcum regium. l.7.c.22. f.177.n.2

H

Hæres.

AN hæres teneatur ſoluere rem legatam, aut valorem illius quando conditor teſtamenti adhuc viuens illam alienauit ex donatione gratuita. l.7.c.33. f.250.n.17
Quid ſi illam vendidit, aut alio contractu oneroſo alienauit. ibid.n.18
Si hæres debitoris præferat vnum creditorem aliis, an poſſit ille tuta conſcientia retinere id, quod ab eo accepit. l.7.c.34. f.254.n.16

Hæreticus, Hæreſis.

An hæreticus poſt mortem accuſari poſſit, & damnari de crimine hæreſis. l.8. c.48. f.471.n.17 & an illius bona confiſcari. ibid.
Intra quantum tempus proponenda ſit hæc hæretici accuſatio poſt mortem illius, & an præſcribat actio hæc accuſandi. ibid. f.472.n.18.& 19
An ille, qui de hæreſi eſt conuictus in iudicio per teſtes falſos, poſſit dicere ſe illud crimen commiſiſſe, & ſibi illud imponere ad vitandam mortem, quando ei vita donatur, ſi illud fateatur. l.8.c.8. f.291. n.7.in fin.
Hæreſis an probetur per teſtes ſingulares. l.8.c.40. f.423.n. 10
In fauorem fidei an admittantur teſtes ſe de hæreſi retractantes, vt ſi prius negauerint ſe eſſe hæreticos, & poſtea de ſe, & de aliis hæreſim affirment. l.8.c.41. f.429.n.15
Quid è contrario. ibid.n.16
Quid ſi aliquis hæreticus de hæreſi in tribunali Sanctæ Inquiſitionis iuridicè fuerit conuictus, & poſtea confeſſario in confeſſione affirmet ſe non fuiſſe hæreticum, & complices falsò à ſe fuiſſe accuſatos. ibid.n.17
An iudex poſſit inquirere de aliquo ſpeciali in crimine hæreſis, nulla præcedenti infamia illius, nulliſque indiciis antecedentibus. l.8.c.46. f.260.n.32.& 33

Hebræi.

An Hebræi olim commiſerint furtum in Ægyptios cum eos ſpoliauerunt. l.7.c.1. f.86.n.9
Vide *Inhabilitas.*

Hypotheca, Hypothecarius.

Res hypothecatæ ad quencumque tranſeunt, ſemper tranſeunt cum onere reali hypothecæ. l.7.c.35. f.256.n.1
Vſus hypothecæ, & pignoris ad quid fuerit inuentus. ibid.n.2
Diſcrimen inter pignus, & hypothecam. ibid. f.257.n.3
Hypothecarij creditores qui ſint. ibid.n.4
Hypotheca prior ſemper præfertur poſteriori. ibid. f.258.n.10
In quibus caſibus hypotheca poſterior præferatur priori. ibid.n.11
An quando res, quæ erat hypothecata, cum iure prælationis tradita fuit à debitore alteri creditori hypothecario poſteriori, & minus principali poſſit ille tuta conſcientia eam retinere, & quid ſi modo aliquo ad eius manus deueniat. ibid.n.12.& 13
Quid ſi creditor hypothecarius poſterior bona fide rem prius alteri in hypothecam traditam accepit, eadémque bona fide illam conſumpſit. ibid.n. 14
Quid ſi tunc res ad fiſcum pertinebat. ibid.f.259. n. 15
An creditor ille, qui pecuniam ſuam habet depoſitam apud debitorem, præferendus ſit aliis creditoribus hypothecariis. ibid.n.16

Hiſtoriographus.

Hiſtoriographi an peccent mortaliter ſcribendo in temporum hiſtoriis aliorum vitia. l. 8. c.2. f.269.n.25

Homo.

Homo eſt dominus propriæ famæ. l.8.c.8.f.289.n.2

Si

Si ſe ipſum infamet ad nullam reſtitutionem tenetur. ibid.n.3
Non peccat mortaliter ſe ipſum infamando ex obiecto,& ſecluſo damnoſi,quod alteri ſequatur. ibid.n.2

Homicida, Homicidium.

Homicida tenetur in conſcientia reſtituere id, quod pro homicidio accepit. l.8. c.4. f.279. n.26
Homicidium eſt grauius peccatum adulterio. l.8. c.1. f.263.n.11
Homicidium patratum à minore quomodo, & qualiter puniri poſſit. Vide *Minor.*

Honor.

Honor quid ſit.l.8.c.1. f.262 n 5
Ob quam cauſam alicui exhibeatur. ibid.
Honor quomodo ſit reſtituendus.l.8 c.17. f.321, à n. 1
An qui honorem alterius omiſſione lædit, illum non honorando, teneatur ei ad reſtitutionem. ibid. f.322.n.8
Quid ſi illum lædat per commiſſionem. ibid. n. 9
Honorem quomodo ſuperiores debeant ſubditis reſtituere. ibid n.11
Quomodo reſtituendus eſt æqualibus ibid.f.323. n.13

I

Iacob.

IAcob duas ſorores habuit in vxores ex diſpenſatione diuina ſimul viuentes. l.6.c.6. f.41. n. 17

Iactantia.

An ille, qui adoleſcens ſe iactauit de ſtupro puellæ, teneatur ſenex ſe retractare apud illos coram quibus dum erat adoleſcens ſe iactauit.l.8. c. 2. f.269.n.22

Ignorantia.

Ignorantia, quæ excuſat factum ne peccatum ſit, in vtroque foro excuſat à pœna.l.8.c.25.f.351. n. 15
Quid ſi factum duplici lege prohibeatur diuina, & humana, & altera ignoretur. ibid. n.16. 17. & 18
Quid ſi quis ſciat aliquid eſſe lege humana prohibitum, & ignoret pœnam legis ſub qua eſt prohibitum ibid. f.362.n.19
Ignorantia iuris excuſat à pœna. ibid. f.361.n 16
An detur ignorantia inuincibilis fornicationis ſimplicis.l.6.c.1. f.6.n.12
Quid ſit ignorantia inuincibilis,& an ea excuſet à ſolutione debiti.l.7.c.25. f.205.n.2
Quid de ignorantia inuincibili facti. ibid.n.3

Imponere.

Quatenus ſit licitum.vel illicitum ad vitanda tormenta grauia & leuia imponere ſibi aliquod crimen cum periculo, & ſine periculo mortis ex tali impoſitione ſecuto. l.8. c.9. per totum. f. 292

Impedimentum.

An qui ſolus nouit impedimentum matrimonij, teneatur illud manifeſtare. l.8.c.6.& 52.f.283. n.8.& f.485.n.23
Quid ſi tale impedimentum ei ſub ſecreto commiſſum ei fuit.l.8.c.52. f 495.n.24
Quid ſi is, qui nouit impedimentum occultum ſciat contrahentes eſſe in illo diſpenſatos pro foro tantùm conſcientiæ. ibid.n.25

Impotentia.

Impotentia reſtituendi quomodo,& quatenus excuſet à reſtitutione.l.7.c.25. f.206.n.7.& 8

Inceſtus.

Quid ſit inceſtus, quæ eius Etymologia, vnde dictus.l.6.c.6. f.36.n.1. & 21
Quid importet in diſpenſatione inceſtus ea clauſula appoſita, vt ea mortua careat ſpe ducendi aliam.ibid. f.41.n.20
Grauius peccatum eſt inceſtus cum conſanguineis,quam cum affinibus.ibid. f 42.n.22
Qui committunt inceſtum in primo gradu conſanguinitatis, tenentur dicere ſe commiſiſſe illum in linea recta, vel tranſuerſa. ibid. f. 44. n. 25
Opus declarare inceſtum fuiſſe commiſſum cum affinibus,vel conſanguineis,& in quo gradu,& linea. ibid.n.26.& 27
An copula cum conſanguinea vxoris in matrimonio rapto., & non conſummato ſit inceſtus neceſſariò in confeſſione explicandus. ibid. n. 28
Talis inceſtuoſus non poteſt poſtea conſummare matrimonium petendo, poteſt autem reddendo. ibid.
Inter tutorem, & pupillam non datur propriè inceſtus. datur autem ſpecialis circumſtantia neceſſariò confitenda. ibid.n.29
Inter confeſſarium, & filiam ſpiritualem non datur inceſtus, ſed ſacrilegium ibid. f.45.n.30
In pollutionibus, & peccatis contra naturam inter conſanguineos, vel affines non datur propriè inceſtus. ibid.n 31
Inceſtus cum affinibus habet effectus, quos non habet inceſtus cum conſanguineis, primus eſt quod impediat petitionem debiti non redditionem. ibid.n.32
Secundus quod non poſſit coniux coniuge mortua aliam vxorem ducere, &, ſi aliam ducat, non poteſt petere, poteſt tamen reddere, hic tamen effectus non eſt in vſu in Luſitania, & Hiſpania. ibid.n.33
Inceſtus commiſſus cum conſanguinea non habet talem effectum. ibid.n.34
Inceſtus eſt crimen mixti fori.ibid. f.46.n.36
Quando pertineat ad iudicem Eccleſiaſticum. ibid.
Iure Canonico excommunicantur inceſtuoſi ſi ſcienter nuptias contraxerunt abſque diſpenſatione in gradibus prohibitis,& quis poſſit ab ea abſoluere. ibid.n.37
Quæ pœnæ ſint inceſtuoſis de iure ciuili communi impoſitæ,quæ de iure Luſitano. ibid. f.47, n. 42

Indi Orientales, & Occidentales.

An poſſint Indi priuari ſuis aureis,& argenteis fodinis eo quod Gentiles ſint,& an poſt fidem acceptam.l.7.c.22. f.189.n.25

Indicium.

Quæ indicia ſufficiant ad torturam. l.8.c.4. verſ. *Nec etiam.* f.275.n.1
Quæ ad capturam ibid.verſ. *Sufficit tamen.*
Quæ dicantur leuia indicia, quæ grauia ad proferendum iudicium.l.8.c.11. f.30.n.4.& 5
Maiora indicia requiruntur ad ſuſpicandum, quam ad dubitandum, & maiora ad opinandum.

dum, quam ad ſuſpicandum, & adhuc multo maiora ad iudicandum, quam ad opinandum. ibid.n.6

Quæ indicia poſſint ſuſpicionem à mortali culpa excuſare.ibid. f.301.n.8

Quot ſint genera indiciorum, & quæ indicia ſufficiant ad inquirendum de aliquo in particulari, quæ ad capturam, quæ ad torturam, quæ ad damnationem, & quid quando captura eſt tam aſperta, vt æquipolleat torturæ. l.8.c.21. f.344.n.12.& 13

Quæ indicia ſufficiant ad infamandum aliquem, vt contra illum inquiratur in particulari. l. 8. c.46. f.457.n.28

Infamia, Infamare, Infamator.

Quid ſit infamia apud Iuriſtas, & Theologos.l.8. c.1. f.261.n.1

Infamia conſiſtit formaliter in mala æſtimatione hominum habita de aliquo.ibid.& c.46.f.458. n. 25

An peccet mortiferè, qui generalibus nominibus aliquem infamat, appellando illum ſuperbum, auarum, iracundum.l.8.c.2. f.266.n.6

Maius peccatum eſt infamare aliquem apud virum grauem, à quo quis pendet, quam apud multos à quibus non pendet. ibid.n.8

An liceat aliquando alterum infamare falſum crimen imponendo.l.8.c.3.f.270.n.2.& c.5.f.280. num. 3

An liceat illum infamare manifeſtando illius delicta, qui falſis modis, & fictis virtutibus famam comparauit.ibid. f.271.n.4

An illum, qui iam de vno crimine publicè infamatus eſt, liceat de aliis infamare ſi ſint eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei.ibid. f.272.n.8

An peccet contra iuſtitiam, qui infamat illum, qui falſis virtutibus famam acquiſiuit. l. 8. c. 2. f.266.n.7

An infamans congregationem, vel Religionem, aut Monaſterium, vel aliquem religioſum in particulari per libellos famoſos, peccet mortaliter contra iuſtitiam. l. 8. c. 3. f. 273. n. 13

An incurrat excommunicationem ipſo facto. ibid.n.14

An infamatus in vno loco per crimen publicum de quo iuridicè damnatus fuit licitè poſſit infamari in alio, vbi crimen non eſt ſcitum. l.8. c.4. f.276.n.9

Quid ſi crimina ſint ex rumore ſparſæ famæ.ibid. f.277.n.10

Quid ſi infamatum iuridicè, vel per factum publicum in alio loco infamemus, ad quem fama illius delicti non erat peruentura, vel non niſi poſt longum tempus. ibid.n 11

Quid ſi breui tempore illuc peruentura erat.ibid. n.9

Quid ſi cum illo de quo crimen publicum narratur, tertia alia perſona innocens narrando factum infametur.l.8.c.4. f.278.n.13

Quid ſi ipſe infamatus aliquod aliud detrimentum præter infamiam patiatur. ibid.n.14

An ſit peccatum mortiferum ſe ipſum infamare, & an grauius quam alium infamare. l. 8. c. 8. f.289.à n.1

An ſi id ex cauſa iuſta fiat, licitum ſit.ibid. f.291. num.8

An aliquando ratione alicuius circumſtantiæ extrinſecæ, & damni alicuius tertij ſit peccatum mortiferum ſe ipſum infamare. vt ſi aliquis ſibi affingat crimen hæreſis, ſodomiæ, aut proditionis, & ſimilia, quæ de iure infamiam adnexam habent.ibid. f.290.n.5

Quid ſi hæc crimina vera ſint, ſed occulta, & ſe ipſum infamet illa manifeſtando. ibid.

An licitum ſit ſe ipſum infamare, crimen falſum ſibi imponendo, vel verum, ſed occultum manifeſtando, vt proximum à morte liberet. ibid. f.292.n.9

Non eſt peccatum mortiferum ad vitanda tormenta grauia imponere ſibi crimen falſum ob quod morte quis afficiatur, modo non redundet in ſuorum infamiam. l. 8. c. 9. f. 293. num. 2

An liceat ſe infamare in diſpenſationibus, quæ à Summo Pontifice in matrimonio petuntur manifeſtando copulam occultam cum conſanguinea, vel affine.l.8.c.10. per tot. f.296

An ad reſtitutionem famæ teneatur ille, qui alium infamauit non imponendo ei crimen falſum, ſed reuelando verum, at occultum. l. 8. c.14. f.315.n.7.& 8

An infamator teneatur ad reſtitutionem famæ infamato, ſi ille ſuis virtutibus illam recuperauit. ibid. f.316 n.12.& 13

An ille, qui infamatus eſt ab aliquo, poſſit ſibi recompenſare de bonis temporalibus illius. ibid. n 11 & 12

Fama eſt reſtituenda cum iactura etiam famæ. l.8. c.15. f.316.n.1.& 2

An teneatur infamator dicere ſe fuiſſe mentitum, quando alterum infamauit de crimine vero, ſed occulto, & an id poſſit iurare. ibid. f. 317. n.3 & 7

Quid ſi detur inæqualitas inter famam, & famam. ibid.n 4 & 5

An quando datur æqualitas inter infamantem, & infamatum teneatur infamans iurare ſe fuiſſe mentitum ſi aliter ei non datur. ibid. num 6

An teneatur adhibere teſtes, quando illius iuramento non creditur. ibid.n.8

An teneatur infamator ſe retractare apud illos, quibus ipſe non dixit, dixerunt tamen alij, qui ab illo audierunt. ibid. f.318.n.9

An abſolui poſſit infamator ſi famam reſtituere nequeat quando ad id tenetur. ibid.n.10

Quatenus teneatur ad reſtitutionem famæ ille, qui bona fide alium infamauit putans id, quod dixit eſſe verum.l 8.c 16. ibid.n.1.& 2

Quid ſi interim aliquod damnum temporale patiatur, vel impediatur ab officio, vel beneficio. ibid. f.319.n.3

Quid ſi te narrante peccatum vnius, quo ille infamatur, auditores de alio intellexerunt. ibid. num.4

An hæredes infamatoris teneantur ad reſtitutionem famæ, quam ipſe iniuſtè læſit, & quid quando in bonis temporalibus læſit. ibid. num. 5

An infamia poſſit à Prælatis, & iudicibus publicis condonari. ibid.n 6

Quid quando infamia redundat in filios, aut familiam. ibid.

An qui ſe mutuò infamant à reſtitutione excuſentur.ibid. f.320.n.12.& 13

Quid ſi vnus grauius alterum infamauit, quis tunc debeat prius veniam petere.ibid.n.14.15. & 16

An quando aliquis te vult iniuſtè infamare, licitè poſſis eam infamiam auertere dicendo illum eſſe mendacem, & defectum illius aperiendo, & quatenus.ibid. f.361.n.17.
An iuſtè infamatus per reuelationem ſui criminis occulti, ſed veri, teneatur ad aliquam reſtitutionem ſi iutet alium fuiſſe mentitum. ibid. n.18
Quam ſatisfactionem poſſint iudices infamatoribus imponere, & quæ de facto impoſita fuerit per Senatum Pariſienſem infamatoribus Societatis IESV in Gallia. l.8.c.17. f.322.n.12
Quanta debeat eſſe infamia, vt iudex ex illa procedat ad inquirendum de alio ad illum puniendum.l.8.c.21. f.341.n.5.& 6
Quid ſit infamia,& clamoroſa inſinuatio.l.8.c.46. f.458.n.25
Quinam hominum numerus delictum ſcientium ſufficiat, vt quis infamatus dicatur. ibid. n.26
Quæ indicia ſufficiant ad infamandum aliquem. ibid.n.28

Ingreſſus Religionis.

Ingreſſus Religionis an excuſet à reſtitutione quomodo, & quatenus. l.7.c.28. f.223. n.14

Inhabilitas, Inhabiles.

Quatenus ſit licitum,vel illicitum reuelare inhabilitatem alicuius ad officia, vel beneficia publica.l.8.c.4. f.276.n.8
Inhabilitas ad ferenda ſuffragia in cathedris an requirat ſententiam iudicis,& an ipſo facto abſque vlla ſententia reddat inhabilem ita vt obliget in conſcientia illum, qui illam habet. l.8. c.29. f 381.n.5.6.& 7
Quid de inhabilitate ex ſanguine Hebræorum ad promerenda ſtipendia deſtinata illis, qui ex eo non ſunt ad ſtudendum medicinæ. ibid. num.7
Leges humanæ iuſtæ poſſunt ſuos ſubditos antecedenter inhabilitare ad faciendos contractus.l.8.c.42. f.439.n.27
Vide *Pœna*.

Inimici.

Inimici an admittantur in teſtes in cauſis criminalibus.l 8.c.40. f.425.n.20

Iniuria.

An petita venia iniuriatum omnes cenſeantur remiſſæ.l.8.c.17. f.323.n.13 14.& 15
An iniuriam paſſus teneatur eam remittere, & quatenus. ibid.n.16
Vſque ad quem gradum conſanguinitatis poſſit quis ſuorum iniuriam accuſando proſequi. l.8. c.48. f.326.n. 10

Inquiſitio, Inquirere, Inquiſitores fidei.

An de ſe ſit mortale perſonam particularem de vita aliorum inquirere.l.8.c.3. f.271.n.6
Quid ſit inquiſitio iudicialis. l. 8. c. 46. f.452. num.1
Inquiſitio omnino generalis, vel poteſt eſſe ex parte criminum,vel ex parte perſonarum.ibid. num.2
Inquiſitio ſpecialis quæ ſit. ibid.n.5
Inquiſitio mixta, id eſt, partim generalis, partim ſpecialis quæ,& qualis ſit. ibid.n.16
Inquiſitio generalis tam ex parte criminum,quam ex parte perſonarum fieri poteſt à ſuperiore abſque indiciis, & infamia ſubditorum. ibid. n.7. & 8
In inquiſitione generali non poteſt iudex inquirere de Petro, vel Paulo an tale, vel tale crimen commiſerit.ibid. f.453.n 9
An ſi iudex, & ſuperior tam ſæcularis, quam Eccleſiaſticus ſciat delictum ſubditi de quo nulla infamia cum duobus,aut tribus teſtibus poſſit iuſtè inquirere in particulari de illo ſubdito. ibid. f.454.n.10
Nemo tenetur in inquiſitione generali cum à iudice interrogatur ſuum crimen iudici reuelare, quamuis ſit valdè publicum. ibid.n.12
An inquiſitio mixta partim generalis, partim ſpecialis requirat infamiam, vt quis teneatur perſonam reuelare. ibid.n.13
An delicta,quæ vergunt in damnum tertij,& hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis,& monetæ falſæ in inquiſitionibus generalibus requirant indicia, & infamiam delinquentium, vt manifeſtentur.ibid. f.455.n.15
An licitum ſit contra perſonam particularem inquirere cuius delictum eſt publicum, perſona vero illud committens occulta. ibid. f. 456. n. 18
An ſi vnus tantùm ſciat crimen alicuius, & iudex generaliter inquirat,teneatur illum manifeſtare.ibid. f.457.n.20
An quando aliquis eſt infamatus de vno crimine, poſſit in particulari iudex circa illum de alio inquirere. ibid.n.21
An poſſint prouinciales,& generales Religionum inquirere de defectibus ſuorum ſubditorum de quibus non ſunt infamati, cum eos ad Prælaturas promouent.ibid. f.458.n.24
Inquiſitores fidei, & Ordinarij an poſſint procedere ſimul,vel ſeparatim contra ſolicitantes in confeſſione vſque ad ſententiam definitiuam abſolutoriam, aut condemnatoriam. l.6.c.12. f.81.n.29
Inquiſitores fidei in hoc Regno Luſitaniæ poſſunt ex priuilegio omnes,& quaſcumque cauſas aduerſus ſolicitantes coram ordinariis cœptas aduocare.ibid. f.82.n.34
Inquiſitores fidei quibus pœnis punire poſſint ſolicitantes.ibid. f.83.n.36
Probatio criminis ſolicitationis ad arbitrium Inquiſitorum ſpectat, & poteſt fieri per teſtes ſingulares. ibid.n.37

Inſuſurratio.

Quid ſit inſuſurratio.l.8.c.12. f.306.n.1
In quo diſtinguatur à contumelia, & detractione. ibid. f.307.n.2
Inſuſurratio formalis an ſit ex ſuo genere peccatum mortale. ibid.n.3
An grauius detractione,& contumelia. ibid.
Inſuſurratio an ſit contra iuſtitiam, ibid.n.4
An inſuſurratio materialis ſit peccatum mortale ex ſuo genere. ibid.n.5
An mortale ſit per inſuſurrationem alium ab amicitia Regis, vel Prælati,vel Principis excludere, & ſe in illius locum introducere. ibid. num.9
An hæc introductio ſit contra iuſtitiam,an ſolum contra charitatem. ibid. f.308.n.7.& 8
Quid ſi ea introductio fiat intuitu maioris boni communis, vel ipſius excluſi. ibid.n.9

Inſinuatio.

Clamoroſa inſinuatio quid ſit. l. 8. c.46. f. 458. n. 25

Inſtitutus in beneficio.

Inſtitutus in beneficio per Prælatum,qui non habet legitimum titulum,an ſit verè inſtitutus,an intruſus.l.8.c.19. f.333.n.11

Intentio.

Legiſlatoris intentio præferenda eſt verbis legis. l.8.c.25. f.359.n.5

Intellectus.

Si intellectus animaduertat ad obiectum quatenus ſibi vtile, & delectabile, non animaduertens an ſit licitum, vel illicitum, ſi tunc illud amplectatur, nullum eſt peccatum mortale in amplexu illius, & delectatione moroſa.l.9.c.1. f.514.n.5

Ad rationem peccati deſideratur in intellectu aduertentia, & conſideratio malitiæ moralis obiecti voliti. ibid.n.6.

Vt detur peccatum in malitia vnius generis, non ſufficit vt intellectus attendat ad malitiam alterius generis. ibid.n.7

In aduertentia intellectus ad moralem malitiam obiecti datur tanta latitudo, vt quædam ſufficiat ad mortale, quædam ad veniale, & quando ad vtrumque ſufficiat. ibid. à n.8

Inuentum.

Res inuentæ,vt gemmæ,& ambarum, quæ inueniuntur in littore, & nunquam habuerunt dominum, & theſauri, quorum domini ignorantur,& boues, & oues. & alia animalia,quorum domini neſciri poſſunt, ad quem pertineant. l.7.c.22. f.183.n 1.& 7

An ad primum inuentorem, an ad fiſcum. ibid.

Quid de ambaro inuento in viſceribus balenæ ad littus alliſæ.ibid. f 185.n 5

Quid de aliis inuentis ordinariis. ibid.n.8

Inuenta ordinaria rerum inanimatarum, an ſint primi inuentoris, etiamſi ſit diues quando illorum domini ignorantur, an ſint reſtituenda pauperibus.ibid. f.186.n 9.& 10

An inuentor pauper illa poſſit ſibi retinere. ibid. n. 11

Quid ſi res inuentæ ſint bona Eccleſiæ, an bona naufragantium. ibid.n.12

Quid ſi ſint theſauri. ibid.n.13.& 14
Vide *Theſaurus.*

Inuentor.

Inuentor tenetur reſtituere id, quod pro reddendo inuento accepit.l.8.c.4. f.279 n.19

Inuidia, Inuidere.

Quid ſit inuidia, & de quibus rebus habeatur. l.10.c.1. f.545.n.1

Quando inuidemus, & triſtamur de bonis proximi,quia inde nobis aliquid malum euenire poteſt, non eſt effectus vindictæ, ſed timoris, & quando inuidia eſt, & non eſt peccatum. ibid. n.2.& 3

An ſit inuidia quando non certò,ſed probabiliter timemus nobis aliquid malum euenturum ex alterius bono. ibid.n.4

Dolere de bono alterius,vt eſt diminutiuum noſtræ gloriæ, eſt peccatum inuidiæ. ibid. f.546. num.5.

Inuidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale, & eſt vnum ex ſeptem capitalibus. ibid n 6. & c. 2. f.548.n.1

Inuidia oritur ex inani gloria.ibid. f.546.n.7

Dolere de bono proximi, non ideo quod proximus illud habeat, ſed quod illo careamus, eſt zelus, & æmulatio, non inuidia. ibid.n.8

Ira, Iracundia.

Quid ſit ira l.10.c.2. f.548.n.2

An liceat aliquando iram habere. ibid.n.3

Quando poſſit eſſe venialis.ibid. f.550.n 9

In quibus caſibus poſſit eſſe mortalis. ibid n.10

An ira grauius peccatum,quam peccatum odij in proximos. ibid.n.11.& 12

Vtrum ira grauius ſit peccatum, quàm ambitio. l.10.c.2. f.552.n.20

Qui ſint ineptiores ad regimen politicum Eccleſiaſticum,& ſæculare,iracundi ne,an ambitioſi. ibid. f.550.à n.12.vſque ad 20

Irregularitas.

An poſſint Clerici ſine periculo irregularitatis denunciare iudicibus,& accuſare crimina mortis digna ſibi extra confeſſionem ſub ſecreto etiam commiſſa.l 8.c.5. f.280.n 5

Irregularitatis pœna ipſo facto incurritur nulla expectata ſententia declaratoria criminis.l 8.c.29. f.380.n.3

In quo diſtinguatur à pœna excommunicationis. ibid, f.381.n.4

Irriſio.

Quid ſit irriſio.l.8.c.12. f 308.n.10

An ex ſuo genere ſit peccatum mortale. ibid n.11

An ex circumſtantiis poſſit eſſe peccatum mortale, & ex quibus.ibid. f 309 n.12.& 13

Irriſio Dei ſemper eſt peccatum. ibid.n.14

Quid de irriſione parentum. ibid n.15

Quid de irriſione iuſtorum, & Sanctorum. ibid. & n.16.& 17

Iubilæum.

In Iubilæis ſi quis mittat per famulum eleemoſynam, & ipſe eam furetur, an adhuc comparet Iubilæum.l.7.c.23. f.193.n.2

Iudex.

Quid ſit iudex l.8.c.18. f.324.n.1

Quas qualitates debeat iudex habere. ibid.n.5

Iudex tenetur in conſcientia reſtituere id, quod accepit.vt iuſtam ſententiam ferret,non tamen id,quod accepit pro iniuſta ſententia ferenda. l.8.c 4.f.278.n.18.& c.26.f.365.n.13.& latiùs c.27.f.374.n.14.& c.42.f.436.n.19

An ſicut peccant miniſtri iuſtitiæ contra iuſtitiam accipiendo munera, peccent etiam ea illis dantes.l 8 c.26. f.366.n.16

Quid ſi ad redimendam ſuam vexationem donent, & quando cenſetur vexatio redimi.ibid. n.17

Iudex tam Eccleſiaſticus, quam ſæcularis in aliis partibus à Romana Curia, non tenetur iudicare ſecundum ſtylum Curiæ Romanæ. l 8.c.10. f 298 n.10

Quam ſatisfactionem poſſint iudices infamatoribus imponere, & quæ impoſita fuerit per Senatum Pariſienſem in Regno Galliæ infamatoribus Societatis IESV. l. 8. c. 17. f.322. n. 12

Peccat lethaliter iudex vſurpatione iudicij, & tenetur ad reſtitutionem, qui iudicat non ſibi ſubditum. l.8.c.18. f 326.n.13.& 14

An iudices ſæculares peccent vſurpatione iudicij ſi Clericos ad ſua iudicia trahãt in cauſis crimi-

nalibus,& quid de Clericis affixis,vel non affixis alicui Eccleſiæ. ibid.n.15
Coram quo iudice debeant Clerici probare Ordines, habitum, & cenſuram. ibid. f. 327. n. 16
Quis ſit legitimus iudex,an habitus ſit Eccleſiaſticus,an ſæcularis. ibid.n.17
A quo iudice condemnandi ſunt Clerici in amiſſione armorum.ibid. f.329.n.23
An peccent iudices ſæculares vſurpatione iudicij extrahentes vi & armis delinquentes ab Eccleſiis, quando illis gaudent. ibid. f. 330. n. 25
An acta iudicis putatiui tam ordinatij, quàm delegati, non habentes verum titulum,ſed coloratum tantùm, & putatiuum, ſint valida. l. 8. c.19. ibid.à n.1
An geſta à iudice putatiuo habente titulum putatiuum,& coloratum,ſint valida,reſpectu etiam eorum, qui ſciebant, illum non habere verum titulum,& veram iuriſdictionem quando communiter credebatur illum habere. ibid. f.333 n. 12
Quid quando iuriſdictio alicui iudici occultè eſt ablata, ille tamen publicè ſe gerit pro iudice, aut pro confeſſario.ibid. f.334.n.14
An non ſolum communis error,ſed etiam probabilis opinio, qua quis putetur iudex,vel parochus, ſufficiat, vt confeſſiones, & acta iudicis ſint valida.ibid. f.335.n.18
Per iudicem incompetentem ſententia lata, non ſolum eſt nulla, ſed etiam quæcumque alia illius acta nulla ſunt,de iure tamen Luſitano ſuſtinentur, niſi pars reclamet. ibid.20
An iudices inferiores peccent iudicando, ſecundum leges conditas à Tyrannis Principibus. l.8.c.20. f 337.n.6
Iudex inferior neminem poteſt non citatum, & non auditum damnare, aliter ad reſtitutionem tenetur ibid. f 338 n.12
Non poteſt diſpenſare in iure poſitiuo iudex inferior. ibid.
In quibus rebus poſſit diſpenſare. ibid n.13
Iudex inferior Principe cauſa cognita, poteſt ex iuſta cauſa prorogare,vel arctare bimeſtre ſponſis de præſenti ad ingrediendam religionem. ibid.
Iudex condemnans non ſubditum etiamſi morte ſit dignus ei ad reſtitutionem tenetur. l.8.c.21. f 34 .n.1
An ab hac reſtitutione excuſetur ſi proprius iudex rei damnati id ratum habeat. ibid.n.2
Iudex proprius condemnans aliquem non ſeruata iuris forma, aut ſine ſufficientibus indiciis, tenetur ad reſtitutionem. ibid.n.3
Quid ſi condemnet ex confeſſione per iniuriam extorta. ibid.n.4
Quanta debeat eſſe infamia,vt iudex ex illa procedat ad inquirendum de alio ad illum puniendum. ibid.n.58
In quibus caſibus poſſit iudex inquirere de aliquo ad punitionem,nulla præcedenti infamia requiſita ibid. f.342.n.7
Poſſe iudicem inquirere de aliquo ad puniendum illius crimen,non eſt de iure naturali,ſed de iure poſitiuo. ibid.n.8
Iudex ex ſe non poteſt procedere ad inquiſitionem particularem de aliquo, ſed ſemper debent præcedere indicia,vel infamia.ibid f 343. n.9.& 10
Iudex condemnans reum ex confeſſione illius per iniuriam, & fraudem extorta tenetur ad reſtitutionem,& talis confeſſio eſt nulla,& quando cenſeatur per iniuriam extorta. ibid.n.11
An iudices teneantur ad reſtitutionem damnorum torquentes perſonas,quæ de iure torqueri non poſſunt, & quæ ſint hæ perſonæ. ibid. n. 14
An iudex ex confeſſione harum perſonarum poſſit formare particularem inquiſitionem contra confitentem. ibid.n.15
Quid quando iudex dolo,& fraude induxit reum ad confitendum. ibid.n.16.& 17
An iudex inferior teneatur obedire Principi iubenti reum damnari ob confeſſionem per iniuriam extortam.ibid. f.345.n.18
An iudex poſſit licitè ius ſcriptum non ſequi. l.8. c.21.per tot. f.358
Quando leges ſcriptæ continent ius naturale,aut illi conformes ſunt,non licet iudici ab illis diſcedere, ſed ſemper iuxta illas tenetur iudicare.ibid. f.359.n.2
Si leges ſcriptæ ius poſitiuum contineant, & non repugnent iuri naturali, iuxta illas tenetur iudex inferior ordinariè iudicare. ibid.n.3
Si delictum habeat extraordinarias circumſtantias, poteſt grauiùs quam per legem à iudice puniri. ibid.
In pœnis ordinariis probato ſufficienter delicto non poteſt iudex pœnam minuere, aut augere. ibid. f.360 n.7
Iudex tenetur de iuſtitia quando pœna legis in dicta lege fiſco, vel alteri tertio in totum, vel in partem applicatur, eam non minuere, & ad reſtitutionem tenetur ſi aliter faciat. ibid. n. 8
Quid ſi pœna ſit corporalis, & merè vindicatiua exilij,aut triremium. ibid.n.9
Quid ſi ætas delinquentis ſit ſenilis,ant iuuenilis. ibid.n.10
Differentia inter ſupremum, & iudicem inferiorem. ibid.n.12
Iudices tenentur de iuſtitia reſtituere damnum, quod iniuſtè iudicando dederunt. l.8. c.26. f.367.n.23
Quid ſi per negligentiam culpabilem illum dederunt. ibid n.24
An iudex,qui ſe ſentit illiteratum, & inſufficientem ad iudicandum, peccet contra iuſtitiam acceptando officium. ibid. f. 368. n. 25. & 26
An liceat iudicis concubinam adire, & munera ei mittere vt iudicem oret pro litigantibus. ibid. n.27.28.& 29
Iudex delegatus,an oporteat,vt ſit litteratus.ibid. n. 26
An quando aliquid offertur iudici non ab ipſis litigantibus, ſed ab aliquo tertio pro fauore vnius præſtando ex ipſis litigantibus poſſit licitè id accipere.ibid. f.369.n.30 31.& 32
An quando dantur opiniones æquè probabiles pro vtraque parte,ſecluſo iure poſitiuo id prohibente, ſtando in ſolo iure naturali, poſſit iudex aliquid accipere pro electione vnius partis pro qua ferat ſententiam. ibid. f 370.n.33. & 34
An teneatur iudex concurrentibus duabus opinionibus æquè probabilibus rem æqualiter diuidere inter partes,& quid ſi concurrant probationes æquales. ibid.& n.35

An

An poſſit tunc iudex nunc iuxta vnam, nunc iuxta alteram partem iudicare. ibid. n. 36. & 37
Quid in cauſis criminalibus. ibid.
Iudex elector ad maioratum, ad cathedram, ad capellam, aut loci in quo conſtruenda eſt capella, an poſſit aliquid accipere pro electione loci, aut perſonæ ad talem maioratum. ibid. f. 371. n. 39
Quid de electoribus ad beneficia. ibid. n. 40
Iudices tam ordinarij quam delegati tam ſæculares, quam Eccleſiaſtici præter xenia eis à iure conceſſa nihil poſſunt vltra pretium iuſtè à lege, vel conſuetudine taxatum pro functione ſui muneris accipere. l. 8. c. 27. f. 372. n. 1
An iudices, & miniſtri iuſtitiæ teneantur in conſcientia ante ſententiam reſtituere id, quod contra leges prohibentes munerum acceptiones pro functione ſui muneris acceperunt, ſi gratis & liberaliter eis donarunt. ibid. n. 2
An ſtando in ſolo iure naturali ſecluſa lege poſitiua prohibente munerum acceptiones comparent dominium earum rerum, quæ ſibi gratis, & liberaliter donantur. ibid. n. 3. & 4
De iure Luſitano munerum donationes, & acceptiones tam ex parte dantis, quam accipientis iudicibus prohibentur. ibid. f. 373. n. 6
Sententia, quæ aſſirmat iudices, & miniſtros iuſtitiæ, teneri ante vllam ſententiam ad reſtitutionem earum rerum, quæ ſibi gratis, & liberaliter donantur eſt valdè probabilis. ibid. n. 7
Sententia litiganti habet meliora fundamenta. ibid. n. 8
Parti neganti, quæ aliquid iudici dedit, ad rediinendam vexationem, tenetur iudex reſtituere id, quod ab ea accepit. ibid. f. 374. n. 12
Iudices excommunicati an peccent vſurpatione iudicij l. 8. c. 28. per tot. f. 376
Si excommunicatio ſit occulta, non peccat iudex vſurpatione iudicij iudicando, & acta illius hodie ſunt valida. ibid. n. 1. & 2
Olim ante extrauagantem Martini V. erant inualida. ibid. n. 3. & 4
Nullus fidelium tenetur admittere hodie iudicem publicè excommunicatum toleratum, & nondum denunciatum, ſed poteſt illum excipere, ſi voluerit. ibid. f. 378. n. 9
Iudices publicè excommunicati tolerati nec licitè, nec validè poſſunt exercere actus iuſtitiæ ſe illis ingerendo, poſſunt tamen licitè, & validè id efficere ad petitionem fidelium. ibid. n. 10
Quid ſi iudex ſit publicè excommunicatus, non toleratus in vno, loco, & ad alium ſe conferat, vbi ignoratur fuiſſe nominatim denunciatus. ibid. n. 11
Quid ſi in eodem loco fuit publicè denunciatus, ſed id iam ignoratur. ibid. f. 379. n. 13. & 14
Non peccant iudices vſurpatione iudicij, nec ad reſtitutionem tenentur, quando propter crimen aliquod ipſo facto officio priuantur, niſi prius præcedat ſententia declaratoria criminis illorum. l. 8. c. 29. f. 384. n. 23. & 24
Tenetur iudex aperire reo, & teſtibus ſtatum cauſæ in criminalibus, vt ſciant an legitimè procedat. l. 8. c. 31. f. 387. n. 6
In dubio an iudex legitimè procedat, fauendum eſt reo. ibid. n. 7
In cauſa fidei non tenetur iudex aperire reo ſtatum cauſæ. ibid. n. 8
Iudex habet ius exequendi iniuſtam ſententiam, in foro tamen externo iuſtam. l. 8. c. 32. f. 390. n. 14
Quæ requirantur, vt iudex aduerſus reum iuſtè, & iuridicè procedat. l. 8. c. 34. f. 399. n. 16
An iudex poſſit interrogare teſtem de alio crimine de quo reus non eſt infamatus. ibid. f. 397. n. 6. & 7
An peccent iudices, qui acceptant renunciationem defenſionis naturalis reorum. l. 8. c. 35. f. 402. n. 8. & 9
Quid quando dubium eſt an prædicta defenſio reis competat. ibid.
An liceat aliquando iudicibus vti ſimulationibus, & fictis promiſſionibus ad extorquendam veritatem à reis. l. 8. c. 35. f. 403. à n. 17
Quid ſi iudex aliquem ab Eccleſia extrahat cum promiſſione reſtitutionis. ibid. f. 404. n. 21
Iudex tenetur dare aduocatum omnibus miſerabilibus, quando nullus eis patrocinari vult propter partis potentiam. l. 8. c. 38. f. 415. n. 21
Iudex non poteſt damnare aliquem ciuiliter, vel criminaliter, niſi per teſtes conuincatur. l. 8. c. 39. f. 418. n. 1
Iudex an teneatur reſtituere in conſcientia ante vllam ſententiam id, quod pro ferenda iniuſta ſententia accepit. l. 8. c. 42. f. 436. n. 19
An id retinere poſſit, ſi ei liberaliter donetur. ibid. f. 439. n. 29
Quatenus iudex poſſit punire illum teſtem, qui apud ſe teſtimonium falſum dixit, etiamſi teſtis non ſit ſuus ſubditus. l. 8. c. 43. f. 442. n. 11. & 12
Quatenus iudices ſiue Eccleſiaſtici, ſiue ſæculares teneantur ex officio generaliter inquirere de delictis. l. 8. c. 45. f. 449. n. 2. & 3
Quo tempore teneantur inquiſitionem facere. ibid. f. 450. n. 6
An iudices Eccleſiaſtici poſſint obligare iudices ſæculares, & iudices ſæculares Eccleſiaſticos ad inquirendum de delictis, ſi adinuicem negligentes ſint in faciendis publicis inquiſitionibus. ibid. f. 449. n. 4
An iudices poſſint inquirere de aliquo in inquiſitionibus ſpecialibus, & teſtes de illo denunciare, nulla præcedente infamia in crimine hæreſis, aut læſæ maieſtatis. l. 8. c. 46. f. 460. n. 32. & 33
Iudex an poſſet ad vindictam delicti procedere ſine accuſatore. l. 8. c. 48. f. 467. n. 3
In quibus caſibus poſſit iudex via inquiſitionis contra reos procedere ſine accuſatore, & accuſatione. ibid. n. 4
Quid ſit legitimus iudex debiti, an iudex originis, & domicilij delinquentis, an iudex loci in quo delictum commiſſum eſt. l. 8. c. 46. f. 458. n. 26
Iudices ſæculares an poſſint ex officio & vi iuris communis de concubinatu inquirere. l. 6. c. 2. f. 13. n. 21
Vide *Reus*, *Miniſter iuſtitiæ*.

Iudæi.

An Iudæus de hæreſi conuictus in iudicio per teſtes falſos poſſit id crimen ſibi imponere ad vitandam mortem, quando vita ei donatur, ſi illud fateatur, & mortem patietur ſi neget. l. 8. c. 8. f. 291. à n. 7. vſque ad fin.

An ille, qui eſt ex ſanguine Iudæorum, teneatur reſtituere ſtipendium, quod deputatum erat pro Chriſtianis veteribus ad ſtudendum medicinæ in aliqua vniuerſitate.l.8.c.29. f.381.n.7
Quid ſi Iudæus in tribunali Sanctæ Inquiſitionis fuit de Iudaiſmo conuictus, & poſtea in confeſſione confeſſario dicat, ſe nunquam fuiſſe Iudæum,& falsò complices accuſaſſe.l.8.c.41. f.429.n.17
Vide *Hæreticus*.

Iudicare, Iudicium temerarium, Iudicium contentioſum.

Quid ſit iudicium contentioſum.l.8.c.11. f.300. n.1.& c.18.f.324.n.1
Quid ſit iudicium temerarium. f.300.n.2
Suſpicio, dubitatio,& opinio ſemper antecedunt temerarium. ibid.n.3
Quæ principia habere poſſimus ad iudicandum de indiciis.l.8.c.18. f.315.n.7
Iudicium temerarium, quo iudex ex leuibus indiciis,& non ſufficientibus probationibus ſententiam aduerſus aliquem profert, ſemper eſt peccatum mortiferum contra iuſtitiam. l. 8. c.11. f.301.n.9.& 10
Iudicium temerarium, quo aliquem ex leuibus indiciis improbum iudicamus, ex natura ſua eſt peccatum mortale contra iuſtitiam. ibid.n.11
An ex illo ſequatur obligatio aliqua reſtitutionis. ibid.n.12
Poteſt non eſſe peccatum mortale ex defectu aduertentiæ ad indicia ibid. f.302.n.13
Iudicium temerarium de re leui non eſt peccatum mortale. ibid.n.14
An ſit peccatum mortiferum ſi indicia non ſint ſufficientia ad proferendum certum iudicium, habeant tamen aliquam veriſimilitudinem. ibid.n.15
An omnia iudicia temeraria ſint eiuſdem ſpeciei. ibid.n.16
Iudicium temerarium de re graui reſpectu alicuius poteſt eſſe peccatum veniale, & quando. ibid. n. 14.
Quando cenſendus ſit quis iudicio interno peccaſſe mortaliter, quando venialiter.ibid. f.304 n. 27
Traditur regula ad ſciendum, an iudicium temerarium fuerit certum, an opinatiuum. ibid. f.305.n.28
Fundamentum iudicij eſt iuriſdictio. l. 8. c. 18. f.324.n.4
An delinquens priuilegiatus debeat iudicari à iudice priuilegij, an à iudice ſoli in quo delictum commiſit.ibid. f.315 n.10.& 11
Iudicium extraordinarium, ſeu præambulum incipit ab inquiſitione ſpeciali, quæ ſit à iudice de aliqua perſona ſpeciali.l.8.c.46. f.459.n.30

Iuriſdictio.

Iuriſdictio eſt fundamentum iudicij. l. 8. c. 18. f.324.n.4
Iuriſdictio parochorum illis confertur non cum præſentantur in beneficiis, ſed cum ab Epiſcopis inſtituuntur.l.8.c.19. f.333.n.11

Ius.

Quid ſit ius naturale, quid poſitiuum. l.8. c.25. f.359 n.1
An liceat iudici à iure diſcedere. ibid.n.2

Iurans, Iurare, Iuramentum.

Iuramentum calumniæ quid ſit. l.8. c.31. f.387. num.5
An iurans redire ad carcerem, ad iuramentum teneatur ſiue carcer ſit iuſtus, ſiue iniuſtus, ſiue ſententia mortis iuſtæ, ſiue iniuſtæ timeatur. l.8,c.37. pertot. f.409
Quid ſi iuramentum redeundi ad carcerem fiat cuſtodi illius. ibid. f.411.n.14
An ille, qui captiuus erat inter infideles, ſi ad ſuos redeat præſtito iuramento de redeundo iterum ad captiuitatem, teneatur redire. ibid. f. 412. n.15
An vna pars poſſit alteri in querelis iuramentum calumniæ remittere.l.8.c.40. f.422.n.4

L

Laicus.

Contra laicos concubinarios nullæ ſunt pœnæ in iure Canonico ſtatutæ.l.6.c.2. f.9. num.5
Puniri poſſunt arbitrio Epiſcopi. ibid.
Quid Concilium Tridentinum contra eos ſtatuat. ibid.
Laicis concubinariis de iure ciuili nullæ ſunt pœnæ decretæ.ibid. f.12.n.19.26
Nec etiam de iure Luſitano, aut Caſtellano. ibid.

Legatum.

An ſi vnus teſtis omni exceptione maior affirmet alicui hæredi inſtitutorem ſuum reliquiſſe certæ perſonæ legatum, teneatur ei credere,& legatum ſoluere.l.7.c.25. f.205.n.4
Legatum à debitore relictum creditori ſub conditione, vt creditor eo ſit contentus pro ſuo debito, eo ipſo quod acceptatur à creditore, nihil ei amplius debetur, quamuis debitum ſit maius.l.7.c.33. f.250.n.19
An quando debitor relinquit creditori ſuo legatum ſine declaratione, quod illud ei pro debito relinquat, computandum ſit tale legatum cum debito. ibid.n.20.& 21

Lex.

Leges pœnales, quæ priuant ipſo facto bono iam obtento, vt Collegio, officio, vel beneficio, probabilius eſt requirere ſententiam, vt obligent in conſcientia.l.8.c.29. f.382.n.8.9.& 10
Poſt declaratoriam ſententiam retrotrahitur pœna ad diem commiſſi criminis. ibid.n.11
Quid ſi legiſlator verbis manifeſtis oſtendat mentem ſuam eſſe, vt ſtatim in conſcientia obligent, nulla expectata declaratoria ſententia. ibid. f.383.n.13
Quæ hæc verba ſint. ibid.à n.14.vſque ad 21
Eſt probabilis opinio, quæ aſſerit adhuc requiri ſententiam, ibid. f.384.n.22
Quid de conſuetudine. ibid.
Non poteſt dari iuſta lex, vt reus ad pœnam mortis, mutilationis, aut infamiæ damnatus è carcere non fugiat.l.8.c.33. f.392.n.4
Non poteſt dari iuſta lex, quæ iubeat, vt reus ad mortem, mutilationem, aut infamiam iuſtè damnatus è carcere non fugiat. ibid.
Iuſtè leges humanæ poſſunt ſuos ſubditos inhabiles reddere ad celebrandos contractus. l. 8. c.42. f.439.n.27
Iuſtæ ſunt leges, quæ certis anni temporibus piſcationem,& venationem prohibent, pœna tamen illarum non debetur, niſi poſt latam ſententiam. l.8.c.49 f.478.n.14

Lex Rhodia quomodo explicanda ſit. l.7.c.17. f.154.n.6

An leges humanæ quæ præſcribunt ordinem reſtituendi; obligent in conſcientia. l.7.c.35. f.259.n.17.18

Vide *Statutum, Præceptum.*

Libellus famoſus, Libellus accuſatorius.

An confitentes libellos famoſos peccent mortaliter. l.8.c.3. f.273.n.16

Quid de infamantibus Religioſos, aut Religionem per libellos famoſos. ibid.n.13

An excommunicationem incurrant. ibid.n.14

Qua pœna afficiantur illi, qui conficiunt, vel euulgant libellos famoſos contra aliquem. l.8.c.3. f.275.n.23

An conficientes libellos famoſos, ſi occulti ſint, teneantur ſe prodere, ſi ſub excommunicatione præcipiantur, vt id faciant. l. 8. c. 46. f.455.n.16.17

An lite iam cœpta poſſit de nouo apponi aliqua circunſtantia delictum aggrauans in libello accuſatorio, & quid ſi mutet ſpeciem delicti. l.8.c.47. f.462.n.10

Liberum, Libertas.

An ratio liberi fundamentum ſit mortalitatis actus humani. l.9.c.7. f.537.n.11

Locus.

Locus in quo res eſt ſoluenda, & reſtituenda, vide *Debitor, Reſtitutio.*

Loquacitas.

An peccet mortaliter ille, qui ex quadam loquacitate ſine animo nocendi peccata, vel defectus alterius detegit. l.8.c.2. f.265.n.3

Lucrum.

An filiusfamilias teneatur diuidere lucrum à ſe acquiſitum quando negotiatur cum bonis paternis non ſuſtentatus à patre. l.7.c.4. f.98.n.15

Quid ſi ſuſtentetur. ibid n.16

Quid de filiis ſolutis qui non ſunt familias. ibid. & n.17

Quid de lucro, quòd filius ſolutus, vel coniugatus acquiſiuit cum pecunia ab altero, vel ab vtroque parente accommodata. ibid.n.18

Quid ſi parentes dediſſent eam pecuniam filio mutuam in fraudem aliorum fratrum. ibid. n.19

Ludus.

Quæ in ludo prohibito per leges pœnales ſine fraude, & dolo comparantur, non tenetur quis reſtituere in conſcientia, niſi poſt latam ſententiam. l.8 c.27. f.374.n.11

Quatenus maritus immoderatè ludens cum conſenſu, & ſine conſenſu vxoris, ei ad reſtitutionem teneatur. l.7.c.9. f.125.n.4

Luxuria.

Vide *Fornicatio ſimplex.*

M

Malitia.

SI intellectus animaduertat ad obiectum quatenus ſibi eſt delectabile, & vtile, non animaduertens ad malitiam illius, nullum eſt peccatum, ſi tunc in illo delectetur, & illud amplectatur. l.9.c.1. f.514.n.5

Ad rationem peccati deſideratur aduertentia malitiæ moralis obiecti voliti. ibid.n.6

Vt detur peccatum in malitia vnius generis, non ſufficit attendere ad malitiam alterius generis. ibid.n.7

Inaduertentia ad moralem malitiam obiecti voliti tanta datur latitudo, vt quædam ſufficiat ad mortale, quædam ad veniale. ibid.n.8

Vtrùm ad peccatum mortiferum neceſſe ſit, non ſolùm aduertere obiectum volitum, eſſe non ſolùm abſolutè malum, ſed mortaliter malum. ibid. f.515.n.11

An actus externi per ſe addant aliquam bonitatem, vel malitiam actibus internis. l.9. c.8. f.539 n.1.& 11

In moralibus maiorem malitiam poteſt habere effectus, quàm cauſa, & ſæpe grauiora ſunt peccata illa, quæ oriuntur ex aliis, quam illa ex quibus oriuntur. l.10.c.2. f.554.n.27

Maledicere, Maledictio.

Quid ſit maledicere, & maledictio. l.8. c.16. f.321.n.18

An ex ſuo genere ſit peccatum mortale contra charitatem. ibid.n.19

Quando poſſit eſſe veniale. ibid.n.20

An aliquando liceat malum alteri imprecari ſub ratione boni, vt ægritudinem, & mortem, vt quis ceſſet à malo. ibid.n.21.22

An liceat maledicere creaturis irrationabilibus, quatenus ſunt creaturæ Dei. l.8 c 11 f.310.n.23

An quatenus ſunt creatæ propter hominem. n.24

Quid ſi abſolutè, & ſecundùm ſe, non quatenus ſunt creaturæ Dei, nec quatenus ſunt creatæ propter hominem maledicantur. ibid.n.25

Maledicere hominem, & eum diabolo tradere, an ſit mortale. ibid.n.25

An omnes maledictiones ſint eiuſdem ſpeciei. ibid. f.311.n.27

An maledictio ſit grauius peccatum, quàm detractio. ibid. à n.28. vſque ad 31

Mancipium.

Mancipium quidquid acquirit, domino acquirit, vnde ſi quid ei donatione, vel teſtamento datum, vel relictum fuerit, dominorum eſt, non illorum. l.7.c.12. f.129.n.1.4

In multis caſibus habent dominium, & vſum rei acquiſitæ, & in quibus. ibid.n.2

Quid quando pactum faciunt cum dominis de illis, hoc eſt, de acquiſitis aliquid dandum ad diem, vel ad menſem, an tunc quod ſuperfluum eſt ſibi acquirant. ibid.

An domini teneantur in aliquo caſu ſatisfacere pecunia iniuriam à ſe illatam ſuis mancipiis, & an tunc ea pecunia mancipium ſit. ibid. n.3

Quid ſi aliquid mancipiis datum, aut teſtamento relictum fuerit ea expreſſa conditione, vt ſit illorum, non dominorum. ibid. f.130.n.4

Quinam ſint incapaciores ad acquirendum ſibi, ſerui ne, an religioſi. ibid.n.5

An ſit ipſorum mancipiorum, & non dominorum id, quod ſibi ſuo peculio mancipia acquirunt. ibid.n.6.

Quid de iis, quæ ludo acquirunt. ibid.

An mancipia, & ancillæ ſibi acquirant dominium eius rei, quam lucrantur tempore ſuperſtite à ſeruitio dominorum. ibid.n.7

Quid quando domini aliquid donant mancipiis, vt totum id mancipiorum ſit. ibid.n.10

An mancipia teneantur dominis reſtituere id, quod ab illis furto abſtulerunt, quando res extat, aut non extat. ibid. f.131.n.11

Quatenus peccent, vel non peccent mancipia furto auferendo à dominis ordinarios cibos. ibid. n.12
An mancipia Angolæ, & Guineæ licitè inde extrahi poſſint, & emi, & vendi ad ſeruitutem. ibid.n.13
An licita ſit emptio, & venditio mancipiorum in Luſitania, & Caſtella. ibid.n.14
Quid quando in Angola, & Guinea emuntur bona, vel mala fide. ibid.n.15. & 16

Manifeſtatio, Manifeſtare.

An liceat manifeſtate crimen publicum alicuius de quo iuridicè damnatus fuit alicubi, & quatenus. l.8 c.4. f.276.n.9
Quid ſi crimen eſt publicum ex rumore ſparſæ infamiæ. ibid. f.277.n.10
Quid ſi crimen illud publicum non erat peruenturum ad locum in quo ignorabatur, aut difficile, & poſt longum tempus illuc erat peruenturum. ibid.n.11
An in diſpenſationibus, quæ petuntur à Summo Pontifice ad contrahendum matrimonium, teneatur quis copulam occultam cum conſanguinea, vel affine habitam manifeſtare. l.8.c.10. per totum. f.296
Vide *Diuulgo.*

Maritus.

Maritus, qui vxorem extra vas naturale polluit, peccat mortaliter. l.6.c.3. f.19.n.17
Maritus inchoans copulam ſodomiticè cum vxore, vt ſe excitet ad legitimam copulam peccat mortaliter. ibid.n.18.19
Eſt peccatum mortiferum ſemen effundere extra vas naturale vxoris voluntariè. ibid.n.20
An peccet mortaliter maritus, qui poſt copulam, & ſeminatoriam, vxoris pudenda adlambit. l.6.c.3. f.38.n.38
Si maritus bona communia ſibi & vxori diſſipet, tenetur ſoluto matrimonio in ea ſuam partem referre. l.7.c.9. f.124.n.1
Quid de marito immoderatè ludente cum conſenſu, & ſine conſenſu vxoris. ibid. f.125.n.4
Maritus de iure Luſitano poteſt alienate bona mobilia ſine conſenſu vxoris, tenetur tamen poſtea ſoluto matrimonio pretium in ſuam partem ſuſcipere. ſi male illud expendat, & non in vtilitatem filiorum, & vxoris. ibid.n.5
Quid de iis, quæ à maritis donantur concubinis, an teneantur ea in ſuam partem referre. ibid.n.6

Matrimonium.

Quot teſtes requirantur ad valorem matrimonij, & an debeant eſſe omni exceptione maiores. l.8.c.39. f.421.n.16
An quando agitur de diſſoluendo matrimonio alicui credatur vt teſti ſine iuramento ſi pars aduerſa iuramentum ei remittat. l.8.c.40. f.422. n.3
Matrimonium inter raptorem, & raptam dum eſt ſub illius poteſtate non valet. l.6.c.10. f.66. n.16
Vide *Raptus.*
Vſus matrimonij, vide *Vſus.*

Mendacium.

Omne mendacium eſt intrinſecè malum, non tamen omne eſt intrinſecè mortale. l.8.c.5. f.280. n.3.

Meretrices.

Meretrices non admittuntur in teſtes in cauſis criminalibus.

Meritum.

Nullum meritum, vel demeritum augetur per ſe ex actu externo, augetur tamen per accidens. l.9.c.8. f.539.n.3

Miles, Militia.

Dicere de milite eſſe amoribus deditum, aut puellam decepiſſe, an ſit peccatum mortale. l.8.c.2. f.266.n.5
An miles Chriſtianus fugiens è bello Maurorum, teneatur ad reſtitutionem aureæ catenæ, quam à milite Chriſtiano mortuo extraxit. l.7. c.19. f.164.n.8
Quid ſi alij milites Chriſtiani illam iterum ab eo extraxerint. ibid.

Miniſtri iuſtitiæ.

An ſicut peccant miniſtri iuſtitiæ contra iuſtitiam accipiendo munera, Luſitanè *Peitas*, peccent etiam ea illis dantes. l.8. c.26. f.366. n.16
An miniſtri iuſtitiæ teneantur in conſcientia ante vllam ſententiam reſtituere id, quod contra leges prohibentes munerum receptiones, accipiunt, ſi gratis, & liberaliter eis donentur. l.8. c.27. f.372.n.2
Quatenus xenia recipere poſſint, vel non poſſint, ibid.n.1
Miniſtros publicos iuſtitiæ ſecluſa lege poſitiua eis acceptiones munerum prohibente, ſtando in ſolo iure naturali, comparare dominium earum rerum, quæ ſibi gratis, & liberaliter donantur à partibus, eſt ſententia probabilis. l.8.c.27. f.373.n.7
Sententia negans habet meliora fundamenta. ibid. n.8
An liceat miniſtris iuſtitiæ dare reis vinctis inſtrumenta, vt effugiant. l.8.c 33. f.396.n.21.22
Miniſtri iuſtitiæ publici an teneantur reſtituere id quod pro iniuſtitia facienda acceperunt, & cui facienda eſt ea reſtitutio. l.8. c.42. f.439. à n.29
Miniſtri iuſtitiæ quatenus poſſint accipere ea munera, quæ Luſitanè vocantur *proes*, & *percalcos.* l.8.c.26. f.364.n.7
Quatenus maius aliquid accipere, & retinere poſſint, quam ſibi à iuſta lege ſit taxatum pro maiori labore, & induſtria quam ponunt. l.8.c.26. f.365.n.12
An & quatenus teneantur reſtituere maius ſtipendium, quam quod eis lege, aut conſuetudine taxatum eſt. l.8.c.26. f.363. à n.1
Miniſtris iuſtitiæ quatenus prohibita, vel licita ſint xenia & munerum acceptiones. l.8.c.27. f.373. n.6
Vide *Iudex*, & *Officiales.*

Minor.

De iure communi in cauſis criminalibus an admittantur in teſtes minores viginti quinque annis. l.8.c.40. f.425.n.19
Minor an poſſit eſſe iudex, an tabellio, an Doctor, an decurio populi, an validè matrimonium contrahat. l.7.c.50. f.482.n.12
Minor ſi tempore infantiæ, hoc eſt vſque ad ſeptennium completum aliquem occidat, an poſſit aliqua pœna puniri. ibid.n.13
Quid ſi ſit proximus infantiæ, & habeat decem annos ſupra dimidium, & fœmina nouem & dimidium. ibid.n.14.15
Quid ſi minor ſit proximus pubertati, & in iudicio confeſſus fuerit delictum; an tunc admittendus ſit ad aliquam reſtitutionem, ita vt confeſſio

feſſio

feſſio nihil ei noceat. ibid. f.483.n.17

Minor pubertati proximus pro quibus delictis non poſſit puniri. ibid.à n.18.vſque ad 21.

Quid ſi virginem deflorauerit. ibid. f.484.n.22

Si minor damnatus ſit ad exilium,& illud non impleuerit, an poſſit reſtitui in integrum. ibid. n.24

Minor pubertati proximus qua pœna puniendus ſit propter homicidium. ibid. n.25. & 26. vſque ad 28

An quando minor delinquit in ea ætate in qua pœna ordinaria puniri non poteſt, an poſtea in maiori ætate puniri illa poſſit. ibid. f.485.n.29

Miſſa.

An religioſus Societatis poſſit ita paciſci cum aliquo, faciam tibi tot Miſſas, ſi illarum eleemoſynas dederis tali, vel tali pauperi. l.7.c.7. f.118. n.7

Quid poſſint, vel non poſſint iſti religioſi circa Miſſas pro aliis dandis, vel offerendis, vide *Societas.*

Modus.

Modi infamandi aliquem quot ſint.l.8.c.1. f.261. n.1.& c.3. f.270.n.1

Mollities.

Mollities quid ſit. l.6.c.9. f.60.n.27

Moyſes.

Moyſes an fuerit legatus Dei in Ægypto.l.8.c.18. f.325.n.7

An iuſte inibi occiderit Ægyptium illum, qui opprimebat Hebræum. l.8.c.20. f.337.n.10

Monachus.

Monachi an poſſint aduocare, & in quibus caſibus, & pro quibus perſonis. l.8.c.38. f.413. n.4

Monialis.

Quot delicta committat ille, qui cum moniali rem habet. l.6.c.8. f.54.n.18

Quas pœnas habeat. ibid.n.19 20

Moniales quantum poſſint retinere de licentia Abbatiſſarum tacita. l.7.c.5. f.106 n.18.19

Moniales an poſſint habere cenſus, & annuos redditus abſque vitio proprietatis. l.7.c.6. f.115. n.6

An poſſint habere legata, quæ illis teſtamento relinquuntur. ibid.n.5

Monitorium.

Monitoria edicta obligant intra tempus præfixum. l.8 c.52. f.490.n.1.2

Quid ſi ſint edicta Inquiſitorum. ibid.

Quid de monitoriis edictis, quæ promulgantur in viſitationibus diœceſum. ibid. f.491.n.3.4

Quid de illis, quæ promulgantur in viſitationibus religioſorum. ibid.

An terminus dierum in monitoriis ad denunciandum de furto, aut de crimine præfixus intelligendus ſit à die publicationis, an à die notitiæ. ibid. n.5

Quando monitoria obligent ad denunciandum, quando ad teſtificandum, vnde hoc cognoſcatur. ibid. f.491.n.13

Mora, Moralitas.

Mora ſemper nocet ei per quem fit.l.7.c.17.f.153. n.15

Moralitas,& naturalitas actus, ſeu eſſe morale,& naturale quatenus differant inter ſe. l.9. c.7. f.535 n.1

An ratio liberi fundamentum ſit moralitatis actus humani. ibid. f.537.n.11

Mors.

An ad vitandam mortem poſſit quis ſibi falſum crimen hæreſis de quo iam eſt conuictus in iudicio imponere, quod ſi fateatur, vita donabitur, ſi neget mortem patietur. l.8. c.8. f.291. n.7

Munera.

Munerum receptiones quatenus prohibeantur iure naturali, ex poſitiuo iudicibus. l.8. c.27. per totum. f.372.
Vide *Iudex*,& *Miniſtri iuſtitiæ.*

Mutatio.

Mutatio ſitus quatenus liceat, vel non liceat inter coniuges. l.6.c.3. f.20.n.23.24.25

Mutatio ſitus inter coniuges ex iuſta cauſa non eſt peccatum. ibid.n.26

N.

Neceſſitas extrema,& grauis.

NEceſſitas extrema quatenus excuſet à reſtitutione. l.7.c.25.per totum. f.205

In quibus caſibus accepta in extrema neceſſitate reſtituenda ſint redeunte meliori perſona.ibid. à n.1

An vltra illos accepta in ea extrema neceſſitate reſtituenda ſint. ibid. f.206.à n.5.vſque ad 27

In extrema neceſſitate proximi non tenetur dominus rei illi eam rem dare,ſed tenetur tantum eam illi accommodare. l.7.c.26. f.211.n.10

An acceptata iuſtè, vel iniuſtè ante extremam neceſſitatem, & inea poſtea conſumpta,ſint poſtea redeunte meliori fortuna reſtituenda. ibid. n.11.12.13

An quando extrema neceſſitas fuit ficta, & mentita, reſtituenda ſit res in ea data. ibid. f.212. n.14

An qui non poteſt ex ſuo ſuccurrere extremè indigenti, poſſit licitè ad id alienum rapere, & an tunc teneatur ad reſtitutionem. ibid. f.213. n.17.18.19

An neceſſitas grauis quandiu durat excuſet à reſtitutione. l.7.c.27. f.214.n.1.2

An liceat in graui neceſſitate rapere aliena abſque furto. ibid.& n.3.4.5

An quando creditor, & debitor exiſtunt in graui neceſſitate ſimul, excuſetur pro tunc debitor à reſtitutione. ibid. f.215.n.6.7

An quando creditor non eſt in graui neceſſitate, & debitor in illa exiſtit, teneatur debitor cum graui neceſſitate perſonæ & rei familiaris rem reſtituere creditori. ibid. f.216.n.8.9.10
Vide *Reſtitutio.*

Nobiles.

Nobiles quomodo teneantur reſtituere famam plebeis. l.8.c.14. f.316.n.13

Nobiles an teneantur vendere ſupellectilem neceſſariam ad decentiam ſtatus vt reſtituant id, quod debent. l.7.c.27. f.217.n.16

Nouitius.

Vtrum teneatur nouitius quando religionem egreditur reſtituere expenſas religioni victus, & veſtitus, & an religio ei teneatur aliquid reſtituere ratione laboris. l. 7. c. 31. f.240. n.18

Obligatio.

O.

Obligatio.

OBligatio teſtificandi ex iuſtitia verum vnde oriatur. l.8.c.42. f.435.c.14

Obſequium.

Obſequia, & ſeruitia Regi, & Regno impenſa cenſentur probata, ſi ea Reges fateantur. l.8. c.24. f.356.n.3

Odium.

Quid ſit odium,& vnde oriatur. l.10.c.2. f.552. n.20

An poſſimus ob aliquam cauſam proximum odio habere. l.10.c.2. f.552.n.21

Odium ſemper ex ſuo genere eſt peccatum mortale,per accidens tamen poteſt eſſe veniale.ibid. f.553.n.22

An ſit ex genere ſuo maximum omnium peccatorum, quæ in proximos committi poſſunt. ibid.n.23

Non eſt peccatum capitale,& quare. ibid.n.24

An Deus poſſit odio haberi. ibid.n.25

An peccatum odij ſit maximum omnium peccatorum, quæ in Deum committi poſſunt, & maius peccato hæreſis, & deſperationis. l.10. c.2. f.554.n.26

An habeat duplicem malitiam auerſionis à Deo, & conuerſionis ad creaturam,& qualis ſit prior. ibid.n.28

Officiales, Officia.

Officiales regij regiarum apothecarum, & tributorum Luſitanè *das alfandegas*,an teneantur ad reſtitutionem in eo caſu, quo ſciant aliquos mercatores ſecretò ſuas merces abſque tributorum ſolutione in domos ſuas aſportare. l.8.c.5. f.281.n.6.7

Quid de iis officialibus, qui ſunt cuſtodes lignorum,& defenſarum regiarum,Luſitanè *das coutadas.* ibid.n.8

AnReges,& principes pro ſuo arbitrio abſque vlla cauſa,& recompenſatione officia publica auferre poſſint iis officialibus,qui ea poſſident ſine recompenſatione. l.8.c.23. per totum.f.351

Quid de officiis,quæ Reges ex ſuis gazis,& regio patrimonio creant. ibid. f.353.n.4.5

Quare officia vendi non poſſint, niſi de licentia Regis. ibid.6

An poſsint Reges licitè auferre officia poſsidentibus quando ipſi illa eis pro pecunia vendiderunt. ibid. f.353.n.9

Quid de officiis, quæ à Regibus ſuis vaſallis in meritorum ſatisfactionem donantur. ibid.n.10

An ob culpas cauſa cognita officia auferri poſſint abſque ſatisfactione. ibid.n.11

Quid ſi per legem aliquam,aut pragmaticam extinguantur. ibid.n.12

Quid de illis,quæ Reges merè gratis,& liberaliter dare ſolent. ibid.n.13

Quid operatur hæc clauſula in prouiſionibus officiorum inſerta ad noſtrum beneplacitum.ibid. f.355.n.14

An officia eam clauſulam habentia expirent morte concedentis. ibid.n.16

Quid de officiis pertinentibus ad regium fiſcum. ibid.

An dicatur noua conceſſio officij cum quis ob culpam illud amiſit, & iterum ex Regis gratia ei donatur. ibid.n.17

Quid quando quis obtinet à Rege facultatem ad vendendum ſuum officium. ibid. f.356.n.18

Collatio officiorum, quæ à Rege ſuis vaſallis donantur in ſatisfactionem obſequiorum habent ſpeciem contractus. ibid.n.1.2

Non poteſt dubitari de valore talium obſequiorum, ſi ea Reges in prouiſionibus talium officiorum fateantur. ibid.n.3

Quomodo ſtare poſſit mera,& pura venditio officiorum facta à Rege cum ea clauſula, quod Reges ea donent ex gratia donec fuerit voluntas illorum. ibid. f.357.n.5

In hoc regno Luſitaniæ ſolum propter culpas in iudicio probatas,& errores officij poſſunt officiales illis priuari. ibid.n.6

Non ſolùm non poſſunt principes officia in totum auferre abſque culpis officialium, ſed nec etiam ea illis minuere. ibid. f.358.n.11

An retinens officium ab altero iniuſtè ſe authore ablatum teneatur ad reſtitutionem illius. l.8. c.32.per totum. f.389

Quid ſi id ſciat, & non ſit author prædictæ iniuſtæ ablationis. ibid. f.396.à n.7.

An id quod officialibus iuſtitiæ datur pro iniuſtitiis committendis reſtituendum ſit, & cui. l.8. c 42. f.439.à n.29

An Prælati Eccleſiaſtici poſsint licitè dare officia, aut beneficia ſuis famulis habentia, & non habentia iuriſdictionem pro debitis ſalariorum. l.7.c.30. f.231.n.15

Vide *Princeps.*

Opera.

Opera iniuſta, & contra iuſtitiam facta ſunt inuendibilia. l.8.c.42. f.439.n.26

Poſſunt tamen vendi quatenus ſunt laborioſa illa facientibus. ibid. f.440.n.36

Opinio.

An opinio temeraria ex leuibus indiciis ex natura ſua ſit mortalis,vel venialis.l.8.c.11.f.304.n.23

An quando concurrunt duæ opiniones æquè probabiles pro vtraque parte ſtando in ſolo iure naturali,ſecluſa lege id prohibente poſsit index aliquid accipere pro electione vnius partis ex litigantibus pro qua ferat ſententiam.l.8.c.26. f.369.n.32

An concurrentibus duabus opinionibus probabilibus poſsit iudex rem æqualiter diuidere inter vtramque partem litigantem.ibid. f.370.n.35 & quid ſi probationes ſint æquales. ibid.

An tunc concurrentibus iiſdem duabus opinionibus probabilibus poſsit iudex nunc iuxta vnam opinionem & partem, nunc iuxta aliam iudicare. ibid.n.36

Quid ſi tunc detur ſcandalum. ibid.n.37

Quid in cauſis criminalibus. ibid. f.371.n.38

Ordo reſtitutionis, Ordines ſacri.

Ordo reſtitutionis quando eſt neceſſarius, & quando non. l.7.c.35. f.259.n.19

Ordines ſacri coram quo iudice probandi ſunt, ſi de perſona quæ fuit comprehenſa à miniſtris iuſtitiæ ſæcularis, dubitetur an ſit ordinata. l.8. c.18. 327.n.17

P.

Papa.

AN quando Papa concedit alicui diſpenſationem aliquam in irregularitate ex homicidio,

cidio, vel alio delicto contracta cum hac clauſula ſatisfacta parte ſufficiat veniam petere ſine alia ſatisfactione. l.7.c.23. f.195.n.11
An Papa poſsit dare beneficia,& Epiſcopatus,illaque auferre pro libito l.8.c.22. f.345.à n.1
An peccet quando prætermiſsis dignis ea confert indignis. ibid. f.347.n.4
Et an tunc peccet mortaliter, & contra iuſtitiam, & quid ſi prætermiſsis dignioribus ea conferat dignis. ibid. f.348 n.5
Non poteſt Papa de plenitudine poteſtatis beneficia auferre pro libito, & abſque cauſa iis, qui actu ea poſsident, abſque bona ſatisfactione. ibid. f.349. n.7
Quid ſi ex cauſa per legem aliquam extinguant beneficia. ibid. f.350 n.8
Si Papa conferat beneficia indignis relictis dignis, aut dignis relictis dignioribus peccat, valet tamen collatio. ibid. f.346.n.2

Parochus.

Ab ſolutiones datæ à Parocho,vel confeſſario non habente verum titulum,ſed putatiuum tantum, veræ, & validæ ſunt, & quomodo id intelligatur. l.8.c.19. f.331.n.8
Quid ſi aliquis communiter putetur ſacerdos, & habeat titulum putatiuum, & tamen reuera ordinem ſacerdotalem non habeat. ibid.n.9
Quid quando parocho, vel ſacerdoti approbato iuriſdictio ad audiendas confeſsiones occultè eſt ablata,ille tamen audit confeſsiones, & publicè ſe gerit pro confeſſario. ibid. f.334.n.14
Quid ſi poteſtas erat delegata ad confeſsiones audiendas,& occultè illi fuit ablata. ibid.n.13
An non ſolus communis error, ſed etiam probabilis opinio, qua quis putatur parochus ſufficiat, vt confeſsiones ſint validæ ibid. f.335. n.18
Quid ſi parochus ficté ſacerdoti alicui conferat licentiam ad aſsiſtendum matrimonio carens intentione donandi talem licentiam. ibid n.19
Quid ſi Epiſcopus fictè approbet aliquem ad audiendas confeſsiones carens intentione approbandi,& conferendi illi iuriſdictionem,an tunc confeſsiones ſint validæ. ibid.
Iuriſdictio parochorum non illis confertur cum præſentantur ab Epiſcopis in beneficiis, ſed in illis inſtituuntur. ibid. f.333.n.11
An parochus confeſſarius non obligans pœnitentem ad reſtitutionem, quando ad illam tenebatur, teneatur ipſe reſtituere. l.8.c.27. f.376. n.18

Paſsio.

Paſſiones actus humani,quæ ſint,vide *Actus.*

Pars.

Parti litiganti, quæ aliquid iudicibus ad redimendam vexationem dedit, tenentur iudices datum reſtituere. l.8.c.27. f.374 n.12
An vna pars litigans,poſſit alteri in querelis iuramentum calumniæ remittere. l.8. c.40. f.422. n.4
Pars referens teſtes abſentes tenetur ipſis teſtibus expenſas facere,eundo,ſtando, & redeundo,& intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis. l.8.c.42. f.436.n.17
An pars ad cuius inſtantiam excommunicatio fertur poſſit prorogare terminum ſolutionis. l.8. c.52. f.494.n.20

Patibulum.

An reus teneatur in patibulo crimen ſuum fateri. l.8.c.34. f.400.n.20

Pater, Patres.

An patres teneantur computare in partem de qua libere diſponere poſſunt eas donationes, & eleemoſynas, quas minutatim facere poſſunt in vita ſua ob damnum inde filiis ex ea donatione vno cumulo facta reſultans.l.7.c.9.f.126. n.11
Quid de donationibus remuneratoriis.ibid.f.127. n.15
An patres licitè poſſint vendere filios in neceſſitatibus. l.7.c.12. f.132.n.18

Patrimonium.

Patrimonium clericorum ad cuius titulum ordinantur, an gaudeat priuilegio bonorum Eccleſiæ. l.8.c.43. f.445.n.13
An vendi poſſit. ibid.

Pauperes.

Quid nomine pauperum intelligatur, ad hoc, vt eis fieri poſſit reſtitutio, rerum dominis non comparentibus. l.7.c.21. f.181.n.22
An pauperes qui fingunt paupertatem teneantur ad reſtitutionem. l.7 c.26. f.212.n.14

Peccatum.

Peccatum contumeliæ eſt grauius peccato detractionis. l.8.c.1. f.263.n.8
An ſit peccatum mortiferum referre peccatum vnius occultum vni viro prudenti, qui celabit illud perinde ac ſi illi dictum non fuerit. l.8. c.2. f.269 n.24
An liceat manifeſtare ſuis ſuperioribus peccata religioſorum publica ad punitionem prætermiſſa correctione fraterna. l.8.c.7. f.285 n.5
Quid ſi vergant in detrimentum aliorum, & periculum eſt moræ in præmittenda fraterna correctione. ibid.n.6
Quid ſi ſolum vergant in damnum eorum, qui illa committunt. ibid.n.7
Quid ſit peccatum contra naturam, traditur illius definitio. l.6.c.9. f.55.n.1.2
Quas ſpecies habeat. ibid n.3.& 4
An omnes illius ſpecies ſint mortales. ibid.n.5
An omnes inter ſe ſpecie diſtinguantur. ibid.n 6
Vtrùm ad peccatum mortale neceſſe ſit non ſolum aduertere obiectum volitum eſſe abſoluè malum, ſed lethaliter malum. l.9. c.1. f.515.à n.11
In moralibus ſæpe peccata, quæ ex aliis peccatis oriuntur grauiora ſunt, quam illa ex quibus oriuntur, & plus malitiæ habet effectus,quam cauſa. l.10.c.2. f.554.n.27
Vide *Odium, Ira, Inuidia, Ambitio.*

Penſio.

An penſio,quæ imponitur ſuper rem aliquam ſoluenda ſit in loco in quo res ex qua ſoluitur eſt, an in loco vbi creditor exiſtit. l.7.c.24. f.202. n.28
Quid ſi penſio ſit perſonalis tantùm. ibid n.29

Pœna.

Qua pœna afficiantur illi in iure, qui conficiunt, vel euulgant libellos famoſos in aliquem. l.8. c.3. f.275.n.23
Pœnæ, quæ propter commiſſionem alicuius delicti incurruntur,requirunt delictum perfectum, & conſummatum. l.8.c.10. f.299.n.20
De ratione pœnæ eſt, vt non debeatur niſi poſt ſententiam latam. l.8 c.27. f.347.n.10
Pœna irregularitatis quocumque modo imponatur talis conditionis eſt, vt ſemper ipſo facto incurratur

incurratur nulla expectata ſententia. l.8. c.29. f.380.n.3
Pœnæ mere priuatiuæ,ſeu inhabilitates, quæ ipſo facto inhabilitant aliquem ad aliquid, an obligent in conſcientia ante vllam ſententiam. ibid.
Quid de pœna inhabilitatis ad ferenda ſuffragia in cathedris. ibid.n.6.7
Pœna inhabilitatis prouenientis ex ſanguine Hebræorum ad merenda ſtipendia deputata pro iis,qui ex eo ſanguine non ſunt ad ſtudendum in vniuerſitatibus, an obliget ad reſtitutionem prædicti ſtipendij ante ſententiam latam. ibid. n.7
In quo diſtinguatur pœna excommunicationis à pœna irregularitatis. ibid.n.4
An reus, qui ad pœnam bonorum fortunæ condemnandus erat ſe falſis teſtibus defendens teneatur ad illam reſtituendam in conſcientia. l.8.c.30. f.385.à n.1
An quando per legem, vel conſuetudinem alicuius regni impoſita eſt certa pœna alicui delicto, & repetitur maior, minorve pœna eidem delicto in iure communi impoſita, puniendus ſit iuxta maiorem,vel minorem pœnam iuris communis, an iuxta pœnam iuris regni,vel conſuetudinis. l.8.c.36. f.406.n.7
Quas pœnas habeant in iure teſtes falſi. l.8. c.43. f.441.à n.1.vſque ad 7.
Quam pœnam habeant in iure miniſtri iuſtitiæ, vt iudices, & tabelliones quando in officiis præuaricationem committunt. l.8.c.44. f.448. n.12
Qua pœna puniatur ſtuprum in virginem, & viduam renitentes & conſenſum dantes, vide *Stuprum*.
Pœnæ inceſtuoſis impoſitæ,vide *Inceſtus*.
Pœnæ adulterij,vide *Adulterium*.
Pœna conuentionalis non debetur in conſcientia antequam petatur. l.6.c.7. f.49.n.11. fin.
Pœnæ ſacrilegij commiſſi cum moniali, & cum perſona habente votum caſtitatis quæ ſint in iure ſtatutæ. l.6.c.8. f.54.n.17.20
Quæ pœna ſit mollibus de iure Luſitano impoſita, vide *Molles*.
Quæ pœna ſodomitis ſint decretæ, vide *Sodomia*.
Pœnæ ſtatutæ in diplomatibus pontificiis circa ſollicitantes in confeſſione non extenduntur ad lapſus commiſſos ante expeditionem illorum. l.6.c.12. f.76.n.20
Ad pœnam pecuniariam damnatus an teneatur illam ad domum iudicis deferre.l.7.c.24.f.203. n.34
Pœnæ ſacrilegij quæ. l.6.c.8. f.54.n.17.20

Pollutio.

In pollutionibus voluntariis,& peccatis contra naturam inter conſanguineos,& affines, non datur propriè inceſtus. l.6.c.6. f.37.n.3
Pollutio quid ſit,& quatenus peccatum in ſomno & in vigilia. l.6.c.9. f.60 n.27.28
Qui in vigilia deſiderat, vt ſibi in ſomno pollutio contingat ob delectationem venereorum peccat lethaliter. ibid.n.30
An licitum ſit deſiderare in vigilia,vt ſibi,vel amico pollutio contingat in ſomno ob ſanitatem corporis. ibid. f.61.n.31
An licitum ſit illam procurare ob eundem finem. ibid.n.32.33
An peccent lethaliter illi,qui non remouent cauſam futuræ pollutionis præuiſæ, & quomodo, & quatenus peccent. ibid. n.34
An confeſſarius teneatur relinquere confeſſiones, magiſter lectiones, & chirurgus officium ob periculum pollutionis præuiſæ, quando non datur periculum conſentiendi. ibid. f.62.n.35
An qui delectatur, & complacet in pollutione tranſacta ob voluptatem veneream,quam ſentit peccet mortaliter, & quid ſi complaceat ob ſanitatem corporis. ibid.n.36.37
Quatenus, & quale peccatum ſit pollutio voluntaria, quæ contingit in vigilia. ibid.n.38
Quid de pollutione, quæ committitur cum complice. ibid.n.39
Quæ pœna ſit mollibus de iure Luſitano impoſita. ibid.n.40
Pollutio nocturna ſi via naturali contingat, poteſt deſiderari anteeedenter, vt in ſomno eueniat, non tamen poteſt antecedenter procurari. l.9.c.4. f.528.n.22
Vide *Vſu matrimonij*.

Poſſeſſor bonæ,vel malæ fidei.

An malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere omnes fructus à ſe perceptos, quos dominus non percepiſſet, & an omnes qui ſub quocumque poſſeſſore percipi poſſent, ſi ab eo non fuerint percepti. l.7. c.16. f.148. n.6. & c.20. f.174. à n.25
An de iure Luſitano teneatur malæ fidei poſſeſſor omnes fructus reſtituere, quos dominus percepturus erat, ipſe tamen fur, aut malæ fidei poſſeſſor non percepit, an ſolum illos, quos ipſe percepit, ſiue dominus illos percepturus eſſet,ſiue non. l.7. c.16. f.149.n.9
Quid ſit poſſeſſor malæ fidei violentus, & non violentus,habens,& non habens titulum. ibid. f.149.n.10
Si malæ fidei poſſeſſor negotietur cum rebus furtiuis vſu conſumptibilibus,vt cum pecunia,vino, & oleo,compareat dominium lucri, & ſolum tenetur reſtituere rem, & lucrum ceſſans & damnum emergens domino rei. ibid. f.150. n.17
In quo diſtinguatur poſſeſſor bonæ fidei à malæ fidei poſſeſſore quoad fructuum poſſeſſionem rei furto ablatæ,vel iniuſtè retentæ.ibid. f.152. n.25
Tenetur malæ fidei poſſeſſor ad reſtitutionem rei, quæ in manu eius perit, etiamſi in manu domini eodem modo pereat.ibid. f.147.n.1
Quid ſi diuerſo modo pereat. ibid. f.149. n.11. 12.13
Poſſeſſor bonæ fidei ſi res apud illum extet, tenetur eam domino reſtituere ſimul ac cognouerit eſſe alienam, ſi vero iam conſumpta fuerit, ſolum tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior. l.7.c.20. f.169 n.12
Poſſeſſor, & emptor bonæ fidei ſiue titulum habeat, ſiue non habeat,efficit fructus ſuos induſtriales durante eadem bona fide, itavt ſolum teneatur extantes reſtituere cum cognouerit rem eſſe alienam, ex non extantibus verò id in quo factus eſt ditior. ibid. f.170.n.17.18
Poſſeſſor bonæ fidei naturales fructus ſuos tantum efficit, itavt ſolum teneatur reſtituere extantes, ex conſumptis autem id in quo factus eſt ditior,ſi titulum ſaltem putatiuum, & coloratum habeat,ſecus ſi titulum non habeat.ibid. f.171.n.19

Aliud

Aliud eſt dari bonam fidem abſque titulo, aliud præſcribi abſque titulo. ibid. f.172.n.20.21
An poſſeſſor malæ fidei in foro externo ſiue titulum habeat, ſiue non habeat, teneatur reſtituere omnes fructus, quos dominus percepturus erat, ſi rem haberet, & ipſe non percepiſſet. ibid. n.22.23
Quid de foro externo, & de fructibus ex melioratione facta à poſſeſſore malæ fidei. ibid. f.174. n.27
Vide *Fur, Fructus.*

Poteſtas.

Poteſtas abſoluta quid ſit. l. 8. c. 20. f.338. n.14

Præceptum.

Præceptum eleemoſynæ obligat ad dandum aliquid exiguum arbitrio prudentis reſpectu dantis, non ad dandum aliquid magnum, ſed tantum ad accommodandum. l. 7. c. 26. f.211. n.9

Præferentia in debitis.

Vide *Debitum.*

Prælati Eccleſiaſtici, & Religionis.

An Prælati Eccleſiaſtici ſatisfaciant ſalario debito ſuis famulis dando eis officia aliqua, aut beneficia Eccleſiaſtica habentia, & non habentia iuriſdictionem. l.7.c.30. f.231.n.15
An Prælatus Religionis poſſit ſuum ſubditum interrogare de complice in delictis, quomodo, & quatenus. l.8.c.34. f.396.n.15
Prouinciales, & generales religionum an teneantur de iure naturali ſuos ſubditos viſitare. l.8. c.45. f.450.n.6
An per ſe, vel per alios. ibid.
Prælati Religionum, an poſſint ſecreto corrigere ſuos ſubditos, qui non ſunt infamati, eſt tamen delictum illorum ſolis ſuperioribus, & tribus aliis notum. l.8.c.46. f.455.n.14
An poſſint Prouinciales, & generales inquirere de defectibus occultis ſuorum ſubditorum, de quibus non ſunt infamati cum eos ad prælaturas promouent. ibid. f.458.n.24
Prælati religionum in delictis leuibus, quæ non attingunt peccatum mortiferum, poſſunt procedere ad vindictam publicam ex ſola denunciatione abſque accuſatore. l.8. c.48. f.468. n.6
Quid ſi delicta ſint grauiora, & mortalia. ibid. n.7

Prætextus.

Prætextus quid ſit. l.6.c.12. f.77.n.18

Præuaricatio.

Quid ſit præuaricatio. l.8.c.47. f.463.n.13

Preces.

Preces importunæ, quæ æquipolleant violentiæ, quæ, & quales ſint. l.6.c.5. f.33.n.11

Pretium.

Vide *Stipendium.*

Princeps.

Supremus Princeps an poſſit contra aliquem ſubditum legitimam ferre ſententiam, tam in ciuilibus, quam in criminalibus eo non audito. l.8. c.20. f.338.n.14.15
Princeps ſupremus poteſt in iudiciis diſpenſare in iis, quæ ſunt de iure poſitiuo, non in iis, quæ ſunt de iure naturali. ibid. f.339.n.16
Supremi principes an poſſint aliquem abſoluere ex certa ſcientia eo non audito. ibid.n.27
Quid ſi non agatur de puniendo crimine, ſed de auertendo malo, an ſaltem tunc poſſit ſupremus princeps aliquem non auditum ad mortem damnare. ibid. f.340.n.19
Quid ſi crimen ſit valde atrox, & non expediat euulgari, an tunc poſſit ſupremus princeps aliquem non auditum damnare. ibid.n.18
Quanta fides ſit habenda teſtimonio principis abſoluti. ibid. f.339.n.15
Principes abſoluti id poſſunt tantummodo, quod iure poſſunt. ibid.n.16
In duobus caſibus poſſunt principes abſoluti damnare reos non auditos, & qui illi ſint. ibid. f.340.n.17
An principes abſoluti poſſint pro ſuo arbitrio abſque vlla cauſa, & recompenſatione officia publica auferre ab iis, qui ea actu poſſident. l.8. c.23 f.351.à n.1
Quid ſi Reges ea officia ex ſuo patrimonio, & gazis crearunt. ibid. f.352.n.4.5
Quid de principibus, quæ à principibus in meritorum ſatisfactionem donata fuerunt. ibid. f.354.n.11
Quid de illis, quæ pro pecunia à principibus fuerunt empta. ibid n.9
Quid ſi per legem aliquam, aut pragmaticam extinguuntur. ibid.n.12
Quid de officiis pertinentibus ad fiſcum regium. ibid. f.355.n.16
Quid de officiis, quæ de licentia Principis fuerunt ab alio empta ibid. f.355.n.18
Principes an poſſint auferre vaſallis ſua prædia, vt pro præmio militiæ aliis donent. ibid. f.353.n.7
Quo ſenſu non ſint principes abſoluti domini bonorum ſuorum vaſallorum. ibid.n.8
Princeps ſupremus, an poſſit licitè, & validè, nulla ſubſiſtente cauſa, remittere pœnam pecuniariam legis ſiue alteri applicetur, ſiue non. l.8. c.25. f.360.n.11.12
Principes tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares habent poteſtatem ad inhabilitandos antecedenter, & per leges ſuos ſubditos ad dandum, vel accipiendum aliquid iudicibus, & ex iudicibus. l.8.c.27. f.374. n.9. & c.41. f.459.n.27
An princeps poſſit præcipere, vt ceſſet accuſatio iam cœpta contra aliquem, & in quibus caſibus. l.8.c.47. f.465.n.15

Priuilegium, Priuilegiatus.

De priuilegiis præferentiæ debitorum, vide *Debitum.*
An delinquens priuilegiatus debeat iudicari à iudice ſui priuilegij, an à iudice ſoli in quo delictum commiſſum fuit. l.8.c.18. f.325.n.10.11
Priuilegium conceſſum officio, & dignitati, non expirat morte perſonæ tale officium, & dignitatem habentis. l.6.c.12. f.38.n.35
Quæ perſonæ habeant priuilegium præferentiæ in ſolutione ſuorum debitorum. l.7.c.34. f.255. n.17.
An inter iſtos priuilegiatos detur aliqua præferentia. ibid. à n.19. ad 23
An illi, qui habent priuilegium perſonale, præferendi ſint illis, qui non habent. ibid.n.18
Priuilegium perſonale cauſæ funeris præfertur priuilegio reali hypothecæ. l.7.c.35. f.257.n.8

Probatio, Probare.

Coram quo iudice debent clerici probare ordines etiam minores, habitum, & tonſuram, Eccleſiaſtico ne, an ſæculari. l.8.c.18. f.325.n.16

An quando dantur probationes æquales, poſſit iudex rem litigioſam æqualiter diuidere inter partes litigantes. l.8.c.26. f.370.n.34.& 35

Probatio hæreſis an fieri poſſit per teſtes ſingulares. l.8.c.40. f.413.n.10

Probatio criminis contra ſolicitantes eſt ad arbitrium Inquiſitorum, & fit etiam per teſtes ſingulares. l.6.c.12. f.83.n.37

An poſt ſemiplenam probationem teneatur reus fateri in iudicio crimen aduerſus ſe ipſum. l.8. c.31. f.387.n.9.n.10

Vide *Reus*.

Procurator.

Vide *Aduocatus*.

Prodigalitas.

Prodigalitas, quæ verſatur circa bona externa ex obiecto ſuo non eſt peccatum mortiferum contra charitatem, ſed ſolum veniale ſeclusis aliis circunſtantiis. l.8.c.8. f.290.n.4

Profeſſio, Profeſſus.

An profitente religioſo cum magnis debitis, iis non ſolutis profeſſio ſit valida. l.7.c.29. per totum. f.225

An profeſſus religioſus teneatur manibus laborare, vt reſtitutionem faciat, & an prælatus ei ad id teneatur licentiam dare, vt ſic ſoluat debita, quæ in ſæculo ante profeſſionem contraxit. ibid. f.227.n.14.15

An quando non poteſt laborare intra monaſterium, poteſt autem extra habitu demiſſo, teneatur prælatus ei licentiam ad id donare. ibid. f.228.n.16.17

An ſi in monaſterio laboret, poſſit monaſterium deducere expenſas, quas facit religioſus. ibid. n.18

An qui extrahit profeſſum è religione, tam per vim, & fraudem, quàm ſine vi, & fraude teneatur aliquid reſtituere religioni, & quantum. l.7. c.32. per totum. f.241

Vide *Religioſus*.

Promiſſio, Promittens.

Promiſſio ob turpem cauſam, v.c. ob homicidium, vel fornicationem, an ſit valida, & quouſque obliget, vel non obliget in vtroque foro ante vel poſt promiſſi operis patrationem. l.8. c.27. f.374.à n.14. vſque ad 17

An poſſit iudex promiſſionibus fictis extorquere à reis veritatem, & an ad eas promiſſiones illis teneatur. l.8.c.35. f.403.n.17.18

Quid ſi illis aliquis extrahatur ab Eccleſia. ibid. f.404.n.21

Promittens nuptias puellæ dicenti ſe eſſe virginem; ſi in copula non inueniat eſſe talem, vel id poſtea ſciat, non tenetur eam ducere, etiamſi ſeriò promittat. l.6.c.5. f.55.n.16.& 18

An tunc ſaltem ad aliquid ei pro copula teneatur. ibid. n.17

In omnibus caſibus in quibus fictè, vel non fictè promittens nuptias puellæ, non tenetur illam ducere, poteſt tutè iurare ſe nihil ei promiſiſſe. ibid. n.19

Quid ſi quis fictè ei nuptias promiſit, & illa fictè dixerit ſe eſſe virginem, cum talis non fuerit. ibid. n.17

An ille, qui promiſit nuptias puellæ, quam ſciebat eſſe corruptam, vt illius copula aſſequeretur, illa ſecuta, teneatur eam ducere. ibid. n.20. & 21

Quid ſi ſit vidua bonæ famæ. ibid.

An fictè promittens nuptias teneatur ex iuſtitia ad illas quando non eſt aſſecuta copula, nec damnum aliquod puellæ reſultauit. ibid. f.56. n.22

Promiſſio ſimplex, & gratuita acceptata an obliget ex iuſtitia. l.7.c.30. f.231.n.31

Promotor.

Promotor iuſtitiæ in delictis grauioribus ſubit vicem accuſatoris. l.8 c.48. f.468.n.5

Punitio, Punire.

Quatenus & quomodo poteſt puniri minor ob homicidium, vide *Minor*.

Proprietas, Proprietarius.

Quæ quantitas efficiat religioſum proprietarium. l.7.c.5. f.105.n.14.15

Quæ pœnæ imponantur in iure religioſis proprietariis. ibid.

Prorogatio, Prorogare.

An pars ad cuius inſtantiam excommunicatio fertur poſſit prorogare terminum ſolutionis. l.8. c.48. f.468.n.5

Q.

Quantitas.

QVantitas furti mortalis, vide *Furtum*.

Quæ quantitas in comeſtibilibus ſit mortalis reſpectu religioſorum, vide *Religioſus*.

Quæ quantitas neceſſaria ſit vt religioſus dicatur proprietarius, vide etiam *Religioſus*.

R.

Raptus.

QVid ſit raptus, & quæ ad illum requirantur. l.6.c.10. f.9.n.2

An raptus dici poſſit iniurioſus ſi fiat precibus importunis. ibid. n.3

Vt pœnæ iuris canonici, & ciuilis incurrantur opus eſt, vt raptus fiat cauſa ineundi matrimonij, non cauſa libidinis. ibid. n.4

Quid ſi ex vtraque cauſa fiat. ibid.

Cuius fœminæ debeat eſſe raptus ad incurrendas pœnas impoſitas raptoribus in Concilio Tridentino, & iure ciuili, an coniugatæ, an meretricis, an monialis. l.6.c.10. f.64.n.5

Raptus meretricis coniugatæ renitentis ſi maritus reſiſtat qua pœna puniatur. f.65.n.6

Qua pœna puniendus ſit raptus in iure ciuili quando mulier mulierem, aut vir virum rapit. ibid. n.7.8

Qua pœna puniendi ſint raptores maſculorum cauſa libidinis. ibid. n 9

Qua pœna puniatur raptus in iure ciuili. ibid. n.10

Qua de iure canonico. ibid. f.66.n.11

Qua de iure Tridentini. ibid. n.13

Qua de iure Luſitano. ibid. n.12

Concilium Tridentinum corrigit pœnas iuris communis canonici. ibid. n.14

Excommunicatio pro raptu poſita à Concilio Tridentino ipſo facto, non eſt reſeruata. ibid. n.15.

Matrimonium inter raptorem & raptam, dum eſt ſub illius poteſtate, eſt irritum. ibid. n.16

Pœna, qua tenetur raptor raptum dotare, non incurritur niſi poſt latam ſententiam raptus. ibid. n.17

Idem

Idem de pœna infamiæ. ibid.n.18

Quid de pœna irregularitatis. ibid. fol.67.n.19. 20

Concilium Tridentinum non punit raptum cauſa libidinis factum,nec quatenus eſt ſpecies luxuriæ. ibid.n.21

Non eſt raptus pœnis Concilij obnoxius,quo aliquis rapit aliquam, vt nubat alteri illo inſciente. ibid.n.22

An detur raptus pœnis Concilij obnoxius,quando fœmina ſui iuris conſentit, quamuis aliis impedientibus talem raptum, vis inferatur. l. 6. c.11. f.68.n.1

An tunc ea circunſtantia confitenda ſit. ibid.

An detur ſi parentes conſentiunt, & filia diſſentiat. ibid.n.2

An è contrario ſi filia conſentiat, parentes verò diſſentiant. ibid.n.3

Quid ſi puella conſentiat ignorantibus parentibus illius. ibid.n.4

An pœnæ Concilij Tridentini locum habeant in quo fœmina conſentit, parentes vero diſſentiunt. ibid. f.69.n.5

Quid ſi parentes raptum ignorent. ibid.

Quid ſi parentes actualiter reſiſtant, fœmina vero conſentiat. ibid.n.6

Quid ſi fœmina reſiſtat, & parentes conſentiant. ibid.n.7

An pœnæ Concilij Tridentini locum habeant in raptoribus puerorum. ibid.n.8

An in raptu meretricis coniugatæ. ibid. f. 70. n 9.10

An in raptu Monialis. ibid.

An in raptu alterius fœminæ habentis impedimentum dirimens. ibid.

An locum habeant in raptu propriæ ſponſæ de futuro. ibid n.11

An in raptu propriæ ſponſæ per verba de præſenti ducta. ibid n 12

An quando fœmina à principio voluit, & poſtea noluit. ibid n.13

An ad incurrendas pœnas Concilij Tridentini ſi fœmina virum nolentem rapiat, vt ſecum contrahat. ibid. f.71.n.17.18 19

An ſicut raptus irritat matrimonium inter raptorem, & raptam, irritet etiam ſponſalia. ibid. f.72.n.20

Ratio.

Ratio liberi an ſit fundamentum moralitatis actus humani. l.9.c.7. f.537.n.11

Recompenſatio.

An vaſallus à Rege ſuo vel Principe læſus poſſit ex vectigalibus illius,aliis etiam locatis ſibi occultè recompenſare, quando aliter non poſſunt. l.7.c.10. f.117.n.5 6

An agricolæ idem poſſint efficere de decimis ſui Abbatis, vel paſtoris publicanis etiam locatis. ibid n.7

Vide *Compenſatio.*

Rectitudo.

Rectitudo quid ſit. l.9.c.9. f.542.n.2

Referens, Referre.

Referens detractiones quatenus peccet, vel non peccet mortaliter. l.8 c.2. f.268.n 15

Qui refert delicta aliena à ſe audita abſque affirmatione apud illos, quos non putat ea credituros quatenus peccet. ibid.n.16

Quid ſi crimen auditum ſiue verum, ſiue falſum ſit valde atrox, vt hæreſis, Sodomiæ, vel proditionis. ibid n.17

Quid ſi referat apud aliquos, quos ex mera leuitate putat credituros. ibid.n 18.& 19

Quid ſi referat delicta aliena affirmando ea eſſe vera apud illos, quod putat ea credere. ibid. f.269 n.20

Quid ſi apud illos, quos non ex natura ſua, ſed ex natura rei exiſtimat ea vera eſſe credituros. ibid n.21

Quid de eo, qui delicta apud illos refert, qui ea ſciebant, ſed de illis iam erant omnino obliti. ibid. n.22

An ſit peccatum mortiferum referre peccatum vnius occultum vni viro prudenti, qui celabit illud perinde ac ſi illi non fuerit dictum. ibid.n.24

Regina.

Quæ ſit vera quantitas furti in Regina reſpectu Regis. l.7.c.10. f.127.n.4

Regimen.

Qui ſint ineptiores ad regimen politicum ſiue Eccleſiaſticum ſiue politicum, iracundi ne, an ambitioſi. l.10 c.2. f.550.n.13

Regula.

Quomodo intelligatur regula,Semel malus,ſemper præſumitur malus. lib. 8. cap.3. fol. 272. num.10

Religio.

Quæ cauſæ poſſint eſſe licitæ ad ſuadendum alteri ne religionem ingrediatur, aut ne in ea poſt ingreſſum profiteatur. lib.7. cap. 31. fol.236. num.2

An qui malitioſè, & per fraudem ſuadet alteri, ne in religione profiteatur, aut ne illam ingrediatur, teneatur ei, & religioni ad reſtitutionem. ibid.n.3

An teneatur religio reſtituere aliquid nouitio, ſi illum dimittat, & an nouitius teneatur reſtituere religioni expenſas alimentorum.ibid. f.241. n.17

An qui extrahit profeſſum à Religione teneatur aliquid ei reſtituere, & quantum. l.7.c.31.per totum. f.241

& quid ſi per vim, & fraudem extrahat. ibid. f.245.n.12 & 13

An infamans Religionem, aut Monaſterium, vel aliquem Religioſum per libellos famoſos peccet contra iuſtitiam. lib. 8. cap. 2. fol. 267. num.13

Quatenus peccent contra iuſtitiam detractores Religionum, vel religioſorum. ibid.n.15

Proclamationes Religionum quouſque ſint licitæ. l.8 c.7. f.286 n.10

Religiones ſunt ſupra præcepta Dei, non contra. ibid. f.287 n.13

Quouſque poſſint procedere ſuperiores Religionum ex iis, quæ ſibi deferuntur tamquam patribus. ibid. f.288.n.19

Quouſque poſſint peccata ſubditorum reuelari ſuperioribus Religionum. l.8. c.7. per totum, & ſpeciatim. ibid.n.22

Religionum ſtatuta, quæ habent, vt alter alterius delicta occulta extra confeſſionem nota ſuperiori manifeſtet abſque præmiſſione correctionis

nis fraternæ laudabilia ſunt. ibid. f. 287. n.13

An debita ſint impedimentum ad ingreſſum religionis quomodo,& quatenus.l.7.c.28. f.127. à n.14.& toto c.29. f.225

An profitente debitore cum magnis debitis, iis non ſolutis, profeſſio religionis ſit valida. ibid.

Religioſus.

An licitè poſſint religioſi Societatis IESV renunciare iuri naturali ſuæ famæ. l.8. c.7. f.287. n.14

Religioſi an poſſint aduocare, & in quibus cauſis, & pro quibus perſonis. l.8. c.38. f.413. n.4

Religioſus habens pro ſtudiis, aut negotiis in curia aſſignata aliqua quantitate, an ad reſtitutionem teneatur, ſi inde aliquid expendat in illicitos vſus. l.7.c.3. f.93.n.8.& 9

Religioſi inter filios computantur.l.7.c.5. f.502. n.1

Quæ quantitas reſpectu religioſorum quoad bona religionis in furto ſit mortalis. ibid. n.2

Quomodo, & quatenus peccent religioſi contra furtum, & votum paupertatis, accipiendo minima ab externis, vel dando illa ex monaſterio abſque licentia tacita, vel expreſſa ſuperiorum. l.7.c 5. f.103.n.3 4.5

Quid ſi illa minima ſint comeſtibilia, & ad proprium vſum, illa ex monaſterio accipiat. ibid. n.6

Quid ſi ad dandum externis accipiant. ibid.f.104. n.7

Quid ſi accipiendo ad proprium vſum habeant animum continuandi illa minima comeſtibilia. ibid.n.8

Quæ quantitas in comeſtibilibus mortalis ſit, & quid ſi ea comeſtibilia ſint pretioſa, aut dulcearia. ibid.n.9

Quid ſi hæc minima pretioſa accipiant ab exteris dono data abſque facultate ſuperioris, vel ab illis ea furto auferant. ibid. n.10

Religioſi excuſari poſſint à furto, & violatione voti paupertatis per vſum communem, ſi detur in monaſterio, aut religione accipiendi aliquid ab externis, vel donandi de bonis monaſterij ibid. f.105.n.11.12

Quid de vſu, & conſuetudine retinendi, vel appropriandi ſibi aliquid. ibid.n.13

Quæ quantitas retenta efficiat religioſum proprietarium. ibid.n.14.& 15

Religioſus excuſatur à furto ſi aliquid donet ex bonis religionis, vel accipiat ab externis ex tacita voluntate ſuperioris, & qualis illa ſit. ibid. f.106.n.16.& 17

Quatenus religioſus excuſetur circa danda, & accipienda ex epikeia. ibid. f.107.n.20

An religioſus Diui Franciſci cuius pater eget, ex epikeia poſſit aliquid ab externis accipere ad dandam parentibus egentibus. ibid.

Quid ſi religioſus cuius pater eget petat hanc facultatem à ſuperiore, & ei negetur. ibid. n.21

An religioſus, qui ex epikeia aliquid accipit ab externis ad dandum parentibus egentibus, teneatur id poſtea ſuperiori manifeſtare. ibid. n.22

An religioſi iter agentes poſſint ad ſuos vſus retinere, vel donare libere quicquid ſibi de viatico ſuperfuerit. ibid. f.108.n.23

Quid de religioſis, qui aſſignata certa quantitate ad victum, & veſtitum de licentia ſuperiorum in ſtudiis verſantur. ibid n.24

Quid de iis, qui aſſignata eadem quantitate negotia extra religionem, vt in curia tractant. ibid. n.25

Quid de illis, qui beneficia religionis curant aſſignata, & data certa quantitate pro congrua portione. ibid n.26

Quid de religioſis, qui ſtipendia cathedrarum in vniuerſitatibus demerentur. ibid n.27

An religioſus iter agens poſſit pecunias ſibi ablatas de licentia ſuperioris tacita acceptare pro expenſis. ibid n.28

Quatenus religioſus iter agens poſſit ſuperioris voluntatem interpretari ad aliquid ſibi oblatum accipiendum. ibid.n.29

Quid poſſint religioſi dare vel accipere ſibi ad inuicem in ſignum amicitiæ abſque licentia ſuperioris. ibid. f 109 n.30

Quid ſi in aliqua religione ſit aliquid ſtatutum. ibid.

Quid ſi religioſi ſint eiuſdem Ordinis, ſed diuerſi monaſterij. ibid.n 31

Quid ſi ſint diuerſi Ordinis, & familiæ. ibid. n.32

Quid ſi religioſus petat licentiam à ſuperiore ad expendendum aliquid in vſus licitos, & expendat in illicitos. ibid.n.33.34.& 35

An quæ aliquid à religioſis accipiunt ob vſus meretricios, teneantur illud reſtituere monaſterio. ibid.d.n.33

Quid ſi Religioſus poſtulauit licentiam ad vnum vſum licitum, & expendat in alium licitum. ibid.f.110.n.37

Quid ſi res ſint deputatæ ad vſum communem Religioſorum & egenti religioſo poſt petitionem illi à ſuperiore fuerint negatæ. ibid. n.38

Tenentur Religioſi ſeruare ſtatuta ſuæ religionis eis prohibentia habere vſus, & annuos redditus, & idem de Monialibus. l.7.c.6. f.111. n.1

Religioſi expulſi profeſſi nihil tanquam proprium ſibi acquirunt in ſæculo poſt expulſionem. ibid. f 112.n.5.verſ. *Religioſi expulſi.*

Cui acquirant. ibid. verſ. *Cui ergo acquirunt.*

Religioſi expulſi habent vſum, & commoditatem earum rerum, quas in ſæculo poſt eiectionem acquirunt. ibid. verſ. *At licet Religioſus.*

Religioſus expulſus ratione vſus, quem habet rerum poſt eiectionem acquiſitarum, poteſt licitè, & validè donare quicquid voluerit, & quibuſcumque perſonis voluerit abſque vlla licentia ad pia opera, v. c. ad dotem puellarum, & poteſt etiam capellam ſibi ad ſuam ſepulturam cum centis Miſſis inſtituere. ibid. verſ. *Ratione huius.*

Religioni expulſi non poſſunt teſtari. ibid. verſ. *Non tamen poſſunt.*

An ſi religioſi eiecti expendant aliquid in illicitos vſus de iis, quæ in ſæculo acquirunt, teneantur illi cum quibus id expenſum fuit, religioni reſtituere. ibid. verſ. *Manet dubium.*

An Religiones teneantur alimenta præſtare expulſis. ibid. verſ. *Dubium tamen eſt*, & verſ. *Dicendum tamen.*

Acquiſita à Religioſo facta Epiſcopo ad quem pertineant,

pertineant, & cui talis religioſus acquirat. ibid. verſ. *Inquiri etiam.*

Cui acquirat religioſus minor factus Epiſcopus poſt adeptionem Epiſcopatus. ibid. verſ. *Tota dubitatio,*& verſ. *Hoc ſuppoſito.*

An religioſus profeſſus in religione incapace bonorum, ſi dimittatur cum obligatione ingrediendi aliam religionem capacem,& in ea profiteatur,acquirat ipſi religioni capaci.ibid. verſ. *Breuiter dubitabis.*

An religioſi poſſint habere cenſas, & annuos reditus abſque vitio proprietatis. ibid. f.115. n.6.

An poſſint habere legata, quæ illis teſtamento relinquuntur. ibid. f.116.n.15

An peccet contra furtum, & votum paupertatis religioſus ille,qui volentem ſibi donare aliquid conſiderabile, orat, vt alteri ſui cauſa donet. l.7.c.7. f.117.n.1.2.3.4

An peccet religioſus mortaliter, quando abſque vlla cauſa non acceptat id quod ſibi ab externis datur. ibid. f.118.n.5

An religioſus Societatis poſſit ita paciſci cum aliquo,faciam tibi tot Miſſas,ſi illarum eleemoſynas dederis tali pauperi. ibid.n.7

Religioſi Societatis profeſſi, & coadiutores formati, ſunt incapes acquirendi dominium alicuius rei, & in alios transferendi. ibid.

Quid ſi aliquis donet gratis religioſo Societatis I e s v centum aureos, & ille gratis etiam centum ſacra ei promittat. ibid. f.119.n.8

Votum ſolenne paupertatis reddit religioſum vouentem inhabilem ad acceptandum, & ad dandum dominium alteri licitè, & validè. ibid.

An ille religioſus peccet contra votum paupertatis,& furtum faciat,qui petit eleemoſynas pauperi, vel pauperibus, & illas ſibi retinet, ſi ſit pauper. ibid.n.11

Quid quando petit certo pauperi ſecundum ſuam intentionem determinato. ibid.n.12

Quid ſi nomen pauperi expreſſit. ibid. f.120. n.13

Quid ſi non expreſſit nomen pauperis, ſed expreſſit neceſſitatem. ibid.

Quid ſi eleemoſyna fuit petita de licentia Epiſcopi. ibid. f.119.n.12.13.14

An religioſus Societatis I e s v poſſit promittere, & dicere tot Miſſas propinquo ſuo obligato ex teſtamento ad illas ibid. f.120 n.15

Religioſorum profeſſio cum magnis debitis facta quatenus valeat, vel non valeat. l.7. c.29. per totum. f.225

Quid quando debita ſunt publica, & ciuitatis. ibid. f.227.n.9

An monaſteria teneantur ſoluere debita religioſorum,qui in eo profeſſi ſunt. ibid.n.10

Religioſi eo ipſo, quod in monaſterio profitentur capace hæreditationis ſi de bonis ſuis ante profeſſionem iuxta formam Concilij Tridentini non depoſuerunt, manent bona ipſius monaſterij. ibid.n.11

Quid ſi ante profeſſionem diſpoſuerunt per vltimam voluntatem. ibid.n.12

An prædictus religioſus poſſit poſt profeſſionem teſtamentum illud reuocare. ibid.n.13

An religioſus profeſſus teneatur manibus laborare, vt debita ſua in ſæculo contracta ſoluat, & an Prælatus teneatur ei ad id facultatem dare. ibid.n.14.& 15

An quando non poteſt laborare in monaſterio, poteſt autem extra monaſterium habitu demiſſo, teneatur Prælatus ei hanc licentiam dare. ibid. f.228.n.16

An ſi in monaſterio laboret, poſſit monaſterium expenſas alimentorum deducere. ibid.n.18

Remiſſio.

Remiſſio ex parte creditoris excuſat à debito, & quas conditiones requirat,vt ſit valida.l.7.c.30. f.232.n.18

An ad valorem remiſſionis requiratur oblatio pecuniæ debitæ. ibid. f.233. à n.23. vſque ad 25

Reſtitutio.

Quomodo facienda ſit reſtitutio quando aliquis infamauit religionem, monaſterium, aut religioſum per libellos famoſos infamauit. l.8. c.2. f.267.n.14

Reſtitutio non eſt facienda fiſco ante ſententiam latam. l.8.c.27. f.374.n.13

An retinens officium, vel cathedram ab altero ſe auctore iniuſtè ablatam teneatur ad reſtitutionem. l.8 c.32 per totum. f.389

An ad reſtitutionem teneatur ille, qui ſcripturam rumpit ex qua iuſtitia alterius pendet. l.8.c.42. f.434.n.8

An officiales iuſtitiæ teneantur reſtituere id, quod acceperunt pro iniuſtitia facienda, & cui. ibid. f.439 à n.29

An ad reſtitutionem teneatur ille, qui alium falsò accuſauit iurans illum commiſiſſe delictum. l.8.c.47. f.463.n.12

An qui aliquid à religioſis ob vſus meretricios, & illicitos accipiunt, teneantur illud reſtituere monaſterio ipſius religioſi.l. 7.c. 5. f.33.n.33

An ex aliquo principio poſſimus excuſare à reſtitutione illas perſonas quæ ob vſus illicitos, & meretricios aliquid accipiunt à religioſis. ibid. f.110.n.36

An ſi religioſi eiecti expendant aliqua in illicitos vſus de iis, quæ in ſæculo poſt expulſionem acquiſierunt,teneantur illi,qui ab illis acceperunt, illud religioni reſtituere. l.7.c.6.f.113.n.5.verſ. *Marius dubium.*

Reſtitutio furti quomodo facienda, quo tempore, & loco, & an deductis expenſis in conſeruanda re furto ablata, & in quo ſtatu, vide *Furtum.*

An emens à fure, & malæ fidei poſſeſſore, teneatur rem domino reſtituere, amiſſo etiam illius pretio. l.7.c.19. f.162.à n.1

Quid de fructibus interim perceptis. ibid. f.163. n.3.& c.16. f.152.n.22.25

An quando aliquis ſciens rem eſſe alienam, eam paruo pretio emit animo reddendi illam domino,teneatur dominus tunc ei pretium reddere. l.7.c.19. f.163.n.5

Quid ſi magno pretio emat. ibid. f.164.n.6

An miles Chriſtianus fugiens è bello Maurorum, inueniens alium militem Chriſtianum à Mauris occiſum, teneatur ad reſtitutionem aureæ catenæ,quam à mortuo milite extraxit. ibid.

Quid ſi alij milites Chriſtiani illam iterum ab eo extraxerint. ibid.

An teneatur ad reſtitutionem aliquam ille, qui emit à latrone oleum, vinum, aut frumentum, quando latro illud furto abſtulit, & cum ſuo proprio immiſcuit. l.7. c.7. f.119. n.12

An continuò peccet, qui non reſtituit, cum poſſit. ibid. f. 120. n. 13
An qui gratis rem à latrone accipit, teneatur illam domino rei reſtituere, ſciens illam eſſe alienam. l. 7. c. 2. f. 89. n. 1
& qui ſi bona fide eam à latrone emit, aut cum eo pro alia permutat. ibid. n. 2. 3
Ex re aliena conſumpta bona fide, ſolum tenetur quis reſtituere in quo factus eſt ditior. l. 7. c. 20. f. 168. n. 6. 7
Quid teneatur reſtituere, quando quis factus eſt ditior partim ex re aliena, partim ex ſua induſtria. ibid. n. 8
An qui inuitatur ad eſum rei furtiuæ ignorans eſſe furtiuam, teneatur poſtea ad reſtitutionem illius ſciens eſſe furtiuam. ibid. f. 169. n. 10. 11
Poſſeſſor bonæ fidei ſi res apud illum extet, tenetur illam domino reſtituere, ſimul ac cognouerit eſſe alienam. Si verò iam conſumpta fuerit, ſolum tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior. ibid n. 12
Poſſeſſor, & emptor bonæ fidei ſiue titulum habeat, ſiue non habeat ita efficit fructus ſuos induſtriales durante eadem bona fide, vt ſolum teneatur extantes reſtituere cum cognouerit rem eſſe alienam ex non extantibus vero, & conſumptis id tantum in quo factus eſt ditior. ibid. f. 170. n. 17. 18. 19
Quid de foro externo, & de fructibus perceptis à poſſeſſore malæ fidei. ibid. f. 174. n. 25. vſque ad 29. & n. 30. & ſeqq.
Reſtitutio cui facienda eſt, quando ſcimus rem ad vnum ex tribus, quatuorve pertinere, ignoramus tamen quis illorum dominus ſit. l. 7. c. 21. f. 177. n. 3
Quomodo, & cui facienda eſt reſtitutio, quando aliquis immiſcet aquam vino, & quando vtitur falſis ponderibus, & menſuris decurtatis. ibid. n. 4
Poſſeſſor bonorum incertorum, qui vlla præmiſſa diligentia ad inquirendum dominum eam alicui pauperi reſtituit, tenetur poſtea eam reſtituere domino ſi compareat. ibid. n. 5
Quid ſi fecit diligentiam, & non inuento domino eam pauperibus dedit, & poſtea dominus compareat. ibid. f. 181. n. 21
Quam diligentiam debeat efficere. ibid. f. 178. n. 6
Cuius expenſis. ibid. 7
Cui reſtituenda ſint bona peregrinorum, qui in hoſpitalibus moriuntur. ibid.
An reſtitutio facienda ſit communitati alicui, an populo quando communitas iubet per aliquos triticum populo vendere minoris, & vendentes illud vendunt pluris. ibid. n. 10
Quo iure bona incerta pauperibus reſtituenda ſint, naturali ne an poſitiuo. ibid. n. 11
An dominus cenſeatur ignotus quando eſt tam diſtans, vt difficile ei facienda ſit reſtitutio, & an tunc fieri debeat pauperibus. ibid. n. 9
Reſtitutio bonorum, quorum domini ignorantur cui facienda ſit, quibus pauperibus, quomodo, qua diligentia præmiſſa, & an poſſeſſores illorum ſi ſint pauperes illa ſibi retinere poſſint, & an ſi comparuerint, poſtquam facta diligentia diſtributa fuerint, domini ſint reſtituenda. l. 7. c. 21. per totum. f. 176
Obligatio reſtituendi orta ex contractu in quo præfixus eſt terminus ad ſolutionem, ſtatim elapſo termino ſoluenda ſunt ante illorum petitionem. l. 7. c. 24. f. 197. n. 1
Si obligatio reſtituendi oriatur ex furto, quod adhuc extat in manu furis, tenetur fur ſtatim illud reſtituere, niſi ex iuſta cauſa excuſetur, & quæ iſta iuſta cauſa ſit. ibid. n. 5. & 6
An ille, qui ſtatim non reſtituit, cum poteſt plura peccata committat quoties poteſt, & non vult reſtituere. ibid. f. 197. n. 24
An retentio alieni quoties aliquis poteſt reſtituere, & non vult ſit peccatum actuale, an habituale. ibid. n. 8. & 9.
An quando retentio diu durat ſit vnum peccatum, an plura. n 10. & 11
An qui ſemel, & iterum reſtitutionem confeſſario promiſit, & non reſtituit cum poſſit abſoluendus ſit. ibid. f. 200. n. 17. 18
An abſolui poſſit ille, qui non vult reſtituere in vita, vult tamen poſt mortem relinquere id onus ſuis hæredibus. ibid. n. 19
Vtrum pœnitens in materia reſtitutionis teneatur ſemper obedire confeſſario. ibid. f. 201. n. 20
Ordinariè loquendo res eſt reſtituenda in loco in quo accipitur. ibid. n. 21
Quando res debetur ex contractu, & pacto; & in eo exprimitur locus in quo eſt reſtituenda in eo reſtituenda erit. ibid. n. 24
Quando res debetur ex contractu, & contractus fuit factus in vtilitatem vnius partis, reſtituenda eſt in loco, vbi fuit tradita expenſis illius in cuius vtilitatem contractu fuit celebratus. ibid. & n. 25
Si commodator rem commodauit in hoc loco, & poſtea diſcedat in alium diſtantiorem, an teneatur commodatarius ſuis expenſis rem illuc mittere. ibid. f. 202. n. 26
Quo loco reſtituenda ſit res quando in contractu non exprimitur locus in quo reſtituenda ſit. ibid. n. 27
Quæ cauſæ à reſtitutione excuſent. l. 7. c. 25. f. 205. n. 1
An excuſet, & quatenus impotentia reſtituendi. ibid. n. 2
An quis à reſtitutione excuſetur, ſi non poteſt reſtituere, niſi cum propria infamia, & ſcandalo aliorum. ibid. f. 206. n. 9
An extrema neceſſitas excuſet à reſtitutione quando creditor eſt in eadem neceſſitate. ibid. à n. 10
Quid ſi extrema neceſſitas non ſit debitoris, ſed ſit patris illius, aut fratris. ibid. f. 208. n. 16
An in extrema neceſſitate non ſolum poſſit debitor licitè, ſed etiam teneatur eadem re ſuccurrere potius Patri, & fratribus & amicis, quam creditori ſuo. ibid. n. 18. 19. & 20
In quibus caſibus accepta in extrema neceſſitate reſtituenda ſint redeunte fortuna meliori. l. 7. c. 26. f. 209. à n. 1
An ſecluſis his caſibus accepta in eadem extrema neceſſitate ſint reſtituenda meliori fortuna redeunte. ibid. f. 210 n. 5
Dominus rei non tenetur in extrema neceſſitate proximi illi rem grandem dare, ſed tenetur vſum illius illi tantùm accommodare quo ab ea neceſſitate ſubleuetur. ibid. f. 211. n. 10
An accepta iuſtè, vel iniuſtè ante extremam neceſſitatem & in ea poſtea conſumpta reſtituenda ſint redeunte meliori fortuna. ibid. n. 11. 12. 13

An

An quando extrema neceſſitas fuit ementita, reſtituenda ſit poſtea res in ea data,& an pauperes], qui fingunt paupertatem, teneantur ad reſtitutionem.ibid. f.212.n.14

An quando aliquis non habet alia bona niſi illa, quæ reſtituere tenetur, & ex illis ſubuenit extremè indigenti, poſſit ad id alienum rapere, & an tunc teneatur ad reſtitutionem. ibid. f.213.n.15.& 16

An qui non poteſt ex ſuo ſuccurrere, poſſit ad id alienum rapere,& ea tunc ad reſtitutionem teneatur. ibid.n.17

An neceſſitas grauis quandiu durat,excuſet à reſtitutione.l.7.c.27. f.214.n.1

An quando creditor non eſt in graui neceſſitate, & debitor in illa eſt, teneatur debitor, cum graui neceſſitate propriæ perſonæ, & rei familiaris rem reſtituere creditori.ibid. f.216.à n.8. vſque ad 10

An cum iactura ſtatus teneatur aliquis reſtituere ſiue ſtatus ſit iuſtè, ſiue iniuſtè acquiſitus.ibid. n.11.& 12

Doctor non tenetur libros vendere, nec miles arma,nec agricola boues,quibus arat, vt reſtituat. ibid. f.217.n.15

Nec Comes tenetur vendere comitatum, nec nobiles ſeruire, aut vendere ſupellectilem neceſſariam ad decentiam ſtatus. ibid.n.16

An ille,qui bona fide à patre ſuo, vel amico bona accepit, quibus per aliquod tempus conſeruauit ſtatum ſuum,teneatur poſtea reſtituere cum iactura talis ſtatus ſciens bona illa eſſe iniuſtè acquiſita,ab illis,quibus accepit.ibid. f.218.à n.21.vſque ad 26

An debitor teneatur cadere ab ſtatu ſuo,vt reſtituat.l.7.c.27.per tot. f.214

Detrimentum graue,quod patitur debitor quatenus illum à reſtitutione excuſet. l.7. c.28. per tot. f.220

An teneatur quis reſtituere bona aliena cum periculo famæ, & libertatis. ibid. f. 221. n.6. & 7

Olim in lege vetere præcipiebatur, vt latro ad reſtituendum venderetur ibid. f.222.n.8

An ceſſio bonorum excuſet à reſtitutione,& quomodo, & quatenus. ibid.n.10

Ingreſſus religionis an excuſet à reſtitutione, & quatenus. ibid. f.223.n.14

An graue damnum ipſius creditoris ſit cauſa ſufficiens differendi reſtitutionem.l.7.c.30. f.335. n.32

An differri poſſit reſtitutio eo quod creditor ſit excommunicatus vitandus. ibid. f. 234. n.27

An qui impedit,vel extrahit aliquem à religionis ingreſſu per vim,& fraudem, & ſine vi teneatur aliquid ei, & religioni reſtituere. l.7. c.31. per tot. f.236.

Ordo reſtitutionis quando eſt neceſſarius, & quando non eſt l.7.c.35. f.259.n.19

Quæ bona prius, quæ poſterius reſtituenda, & ſoluenda ſint.ibid. f.260.à n.10

Vide *Furtum*, *Emens*, & *Emptor*, *Reſtitutio famæ*, *Infamia*, & *Infamator*.

Res inuentæ.

Vide *Inuentum*.

Retractatio, Retractare.

An ille,qui adoleſcens ſe iactauit de ſtupro puellæ, teneatur ſenex ſe retractare apud illos, coram quibus ſe adoleſcens iactauit. l. 8. c. 21. f.265.n.22

An ille,qui in tormentis ſibi falſum crimen impoſuit, ob quod mortem patitur ſi alteri tertio, non eſt nociuum, teneatur in loco ſupplicij ſe retractare.l.8.c.9. f.294.n.6.& 7

Quid quando crimen eſt nociuum tertio. ibid. n.8.& 9

Reuelare.

Quatenus liceat,vel non liceat peccata religioſorum publica, vel occulta ſuis ſuperioribus reuelare.l.8.c.7.per totum, & præcipuè f.288. n.22.

Religionum ſtatuta,quæ habent, vt vnus religioſus alterius delicta occulta extra confeſſionem nota ſuperiori manifeſtet abſque correctione fraterna, laudabilia ſunt. ibid. f.287. n.13

Vide *Detegere*, *Diuulgo*.

Reus.

In duobus tantùm caſibus poſſunt ſupremi Principes damnare reos non auditos,& qui ſint.l.8. c.20. f.340.n.18

An ſi reus crimen fateatur coram ſolo iudice, & notario poſſit ob eam confeſſionem damnari. l.8.c.21. f.342.n.7

Qui nam rei torqueri de iure non poſſint. ibid. f.344. n.14

An quando reus contra multas leges peccat,quarum quælibet ſuam pœnam habet,damnandus ſit ad omnes.ibid. f.36[illegible].n.14

An reus, qui ob aliquod crimen ad pœnam boni fortunæ damnandus erat falsò ſe defendit, teneatur ad illam in conſcientia.l.8.c.30. f.385. à n.1

Quid quando reus fuit à iudice inferiori damnatus ad prædictam pœnam, & appellauit, & in appellatione ita ſe falſis teſtibus defendit, vt abſolutus ſit, an ſaltem tunc prædictam pœnam in conſcientia reſtituere teneatur. ibid. num.4

In vtroque caſu tam in prima inſtantia, quam in appellatione tenetur huiuſmodi reus parti ad reſtitutionem damnorum. ibid.n.5

Si reo alius modus non ſit, quo ſe iuſtè defendat, & crimen de quo accuſatur, ſit falſum, aut verum, ſed occultum, poteſt occulta teſtium delicta manifeſtare ad infirmanda illorum dicta.l.8.c.31. f.386.n.1

In quibus caſibus non poſſit reus id efficere. ibid. num.2

Quid ſi alia via poſſit ſe defendere. ibid.n.3

Reus non tenetur veritatem fateri quando iudex non interrogat iuridicè,ſiue de proprio,ſiue de alieno crimine interroget.ibid. f.387.n.4

Nec tenetur iurare de calumnia. ibid.n.5

Si reus, & teſtis dubitant, an in criminalibus iudex iuridicè procedat, non tenetur veritatem fateri, & poteſt amphibologicè eam tegere. ibid.n.6

Tenetur iudex in criminalibus aperire reo ſtatum cauſæ, vt ſciat quomodo ſe poſſit defendere. ibid.& n.7

Quid in cauſa fidei. ibid.n.8

An reus poſt ſemiplenam probationem teneatur fateri crimen aduerſus ſe ipſum. ibid. n. 9. & 10

Quid ſi de crimine alieno interrogetur. ibid.

 Quan

Quandò reus de falſo crimine accuſatur, aut de vero, ſed occultum, non peccat contra iuſtitiam, dicendo accuſatorem fuiſſe mentitum. ibid. f.389 n.19
An liceat reo, & aduocato impingere crimen mendacij accuſatori. ibid.n.17
An reus innocens, condemnatus tamen ſecundùm allegata, & probata teneatur obedire ſententiæ, & poſſit ſe vi defendere. l.8.c.32. f.390.à n 1 & præſertim n.5.& 6
Reus per iniuſtam ſententiam damnatus ad mulctam aliquam pecuniæ poteſt illam abſcondere. ibid.n.3
An quando reus innocens priuatur officio, cathedra, aut beneficio ex falſa præſumptione, & alteri id ſcienti datur, poſſit tuta conſcientia retinere. ibid. à n.7
An reis vinctis in carcere, poſſimus licitè auxilium ad fugam dare, radere catenam claues adulterinas præbere, vt fugiant, & an illi poſſint fugere, & corrumpere cuſtodes, & quomodo, & quatenus.l 8.c.33 per tot. f 391
Non poteſt dari iuſta lex quæ iubeat, vt reus ad mortem, mutilationem, aut infamiam iuſtè damnatus, è carcere non fugiat. l. 8. c. 33. f.392.num 4
Reus, qui poſt iuſtam mortis ſententiam poteſt iuſtè è carcere fugere, poſt iniuſtam non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur. ibid.n.5
Reus damnatus per iuſtam ſententiam ad ſolam pœnam temporalem carceris, an poſſit licitè ab eo fugere ibid. f.393.n.6
Quid de reo damnato ad ſeruitutem, aut exilium. ibid.n.7
An omnes rei, qui poſſunt licitè fugere, poſſint licitè vincula, & carceres rumpere. ibid. à num 8
Rei vincti an poſſint licitè corrumpere cuſtodes, vt fugiant ibid. f.394.n.13.& 14
An eos decipere.ibid. f.395.n.15
An reis vinctis licitum ſit claues adulterinas, malleum, & limam, conſilium, & auxilium dare, vt effugiant. ibid n.17.& 18
An liceat illos exterius iuuare rumpendo carcerem.& crates radendo. ibid.n.19 & 20
An licitum ſit miniſtris iuſtitiæ inſtrumenta reis vinctis dare, vt effugiant. ibid. f. 396. n. 21
An reus infamatus, & conuictus de vno crimine in iudicio poſſit à iudice interrogari de aliis criminibus de quibus non eſt infamatus & an ille teneatur reſpondere. l. 8. c. 34. ibid. n.1. & 2
Quid ſi crimen de quibus non eſt infamatus coniunctum ſit cum illo de quo eſt infamatus ibid. f.397.n 3
Quid quando vnum crimen non poteſt plenè cognoſci ſine alio. ibid n.4
An hoc procedat etiam in Prælatis religionum erga ſuos ſubditos. ibid.n.5
An teſtis poſſit interrogari à iudice de alio crimine de quo reus non eſt infamatus. ibid. num.6
An Deus conuictus de crimine in iudicio poſſit interrogari de ſociis occultis, & nondum indiciatis. ibid n.7
Quid quando crimina redundant in bonum commune, vt crimen hæreſis, læſæ maieſtatis, & ſodomiæ.ibid. f.398 n.8
Quid ſi multi vnum occidant, & vnus illorum capiatur, an tunc hic interrogari poſſit de ſociis occultis. ibid.n.9
Quid ſi crimina ſint talia, quæ natura ſua complicem habeant, an tunc de complicibus reus poſſit interrogari. ibid.n.10
Quid ſi natura ſua ſocium non habeant. ibid. n. 12
Quid ſi alicubi in aliqua prouincia conſuetudo ſit interrogare de ſociis in criminibus, quæ natura ſua ſocium non habent. ibid.n.13
An teneatur reus veritatem fateri quando innocens eſt, & iudex contra illum ex falſa præſumptione procedit. ibid. f.399.n.14
An ſi reus metu mortis coram iudice iuſtè, & iuridicè interrogante negauerit veritatem poſſit à confeſſario abſolui. ibid.n.15
Quæ requirantur, vt iudex aduerſum reum iuſtè procedat. ibid.n.16
An reus, qui veritatem negauit coram iudice, teneatur coram illo ſe retractare, cum timore incurſionis nouæ pœnæ. ibid.n.17
Quid ſi reus iam euaſit vincula ex eo quod interrogatus à iudice veritatem non ſit confeſſus, an tunc obligandus ſit ad ſe retractandum.ibid. n. 19
An reus teneatur in patibulo crimen ſuum fateri. ibid f.400.n.20
An reus negans crimen ſuum in iudicio, teneatur famam reſtituere accuſatori. ibid.n.21
Reus non poteſt renunciare defenſionibus ſuis in cauſis criminalibus grauioribus.l.8.c.35.ibid. n 2.& 3
An poſſit renunciare termino probationum. ibid.
An quando agitur de ſola iactura famæ rei, aut bonorum externorum illius, poſſit reus renunciare termino probationum. ibid. f. 401. num.4
An quando pœna temporalis leuis illi infligenda eſt. ibid.n.5
Quid ſi pœna infligenda ſit grauis. ibid.n.6
An ſaltem tunc poſſit habere teſtes pro reproductis. ibid.
An reus poſſit renunciare defenſioni ſuæ quando eſt dubium an illa ſibi competat. ibid. n. 7. & 8
An reus, qui legitimè in iudicio confeſſus eſt crimen ſuum poſſit defenſionibus ſuis naturalibus, poſt talem confeſſionem renunciare. ibid. f.402.n.10
An quando reus in primo termino probatorio, & dilatione ſibi ad ſuam defenſionem conceſſam, nihil probauit, poſſit cæteris terminis, & dilationibus renunciare. ibid.n.12
An poſſit cum iuramento defenſionibus ſuis renunciare in cauſis criminalibus grauioribus. ibid.n.13
An poſſint rei renunciare appellationibus, & acquieſcere primæ ſententiæ ibid. f.403.n.14
An poſſit alius conſanguineus, vel extraneus appellare pro eis. ibid.n.15
An reus, qui fuit definitiua ſententia abſolutus, poſſit iterum de eo delicto accuſari, & damnari l.8.c.36. f.405.n.1
Quid ſi nouus accuſator probet colluſionem teſtium, vel tabellionis, vel accuſatoris, vel iudicis. ibid.
Quid ſi iſte nouus, & ſecundus accuſator, ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequatur. ibid. num.2
An quando reus accuſatus non fuit abſolutus.

ſed fuit definitiua ſententia damnatus, poſſit iterum damnari de eodem crimine. ibid. num.3
Quid ſi in prima accuſatione omiſſa fuit qualitas aliqua, vel circumſtantia aggrauans. ibid. num 4
Quid ſi proponatur poſt latam ſententiam in prima accuſatione ante, vel poſtquam ſententia executioni mandetur.ibid. f.406.n.5
Quid ſi circumſtantiæ, & qualitas in prima accuſatione omiſſa, & in ſecunda propoſita non aggrauet, ſed mutet ſpeciem delicti. ibid. num.6
Reus punitus per iudicem Eccleſiaſticum, an poſſit iterum puniri per ſæcularem in criminibus mixti fori.ibid. f.407.n.10.& 13
An quando per legem, vel conſuetudinem alicuius regni impoſita eſt pœna alicui delicto, ſi inueniatur alia pœna maior, vel minor impoſita in iure communi, illa puniendus ſit reus. ibid. f.408.n.14
An reus iurans redire ad carcerem, ad iuramentum teneatur, ſiue carcer ſit iuſtus, ſiue iniuſtus, & ſiue pœna iuſtæ, vel iniuſtæ mortis teneatur l.8.c.37.per tot. f.409
Quid ſi iuramentum redeundi ad carcerem factum fuit carcerario.ibid. f.411.n.14
Rei criminis hæreſis, & læſæ maieſtatis an poſſint accuſari poſt mortem, & intra quantum tempus.l.8.c 48. f.471.n.16
Si reus poſt latam definitiuam ſententiam criminis moriatur tranſacto quinquennio poſſunt bona in quibus fuit damnatus ab hæredibus illius auferri, hæc enim actio non præſcribit. ibid. f.472.à n.20
Si reus moriatur ante accuſationem, & delictum mereatur pœnam pecuniariam, extinguitur morte rei delinquentis, & quid ſi ſit iam propoſita accuſatio, & ante vel poſt litis conteſtationem moriatur.ibid. f.473.n.23
An is, qui per monitorium edictum de delicto interrogatur teneatur veritatem fateri contra reum.l.8.c.52. f.495.n.20

Rex, Reges.

An Reges poſſint pro ſuo arbitrio abſque vlla cauſa. & recompenſatione officia publica auferre ab iis, qui ea poſſident. l.8.c.23. per tot. f. 351
Quid de officiis, quæ Reges ex ſuis gazis, & patrimonio creant.ibid f.353.n.4 & 5
Abſque Regis licentia officia vendi non poſſunt, & quare. ibid.n.6
Reges non auferre vaſallis ſua prædia, vt in præmium militiæ aliis donent, niſi ſatisfacto pretio. ibid.n.7
Quo ſenſu non ſint domini abſoluti ſuorum vaſallorum. ibid.n.8
An poſſint Reges auferre officia iis vaſallis, qui illa ab ipſis Regibus pecunia emerunt. ibid. f.354.n.9
Quid de officiis, quæ à Regibus in meritorum ſatisfactionem donantur. ibid.n.12
Quid de illis, quæ Reges merè gratis, & liberaliter dare ſolent. ibid.n.13
Quid ſi per legem aliquam, aut pragmaticam officia extinguantur. ibid.n.12
An ob culpam, & cauſa cognita officia auferri poſſint ab officialibus. ibid n.11
Quid de officiis pertinentibus ad Regium fiſcum. ibid. n. 16
An dicatur noua Regis conceſſio ſi quis ob culpam officium amiſit, & gratia Regis ei iterum donatur.ibid. f.355.n.17
Quid quando quis obtinet à Rege facultatem ad vendendum officium.ibid. f.356.n.18
Vide *Principes.*

S

Sacrilegium.

QVid ſit ſacrilegium quatenus eſt ſpecies luxuriæ.l.6.c.8. f.51.n.1.& 2
Quibus modis contingat ſacrilegium ratione perſonæ ſacræ habentis votum caſtitatis ſimplex, vel ſolemne, ratione loci ſacri. ibid. à n. 3. vſque ad 7
An is, qui peccat contra caſtitatem ſi ſit Sacerdos ſimul, & religioſus, vel ſit religioſus, & Ordines ſacros habeat, teneatur vtramque circumſtantiam in confeſſione explicare. ibid. f. 52. num.8
An ſi perſona peccans contra caſtitatem votum habeat ſolemne, & ſimplex ſimul caſtitatis, teneatur explicare in confeſſione vtramque circumſtantiam.ibid. f.53.n.14
An ſit ſacrilegium fornicatio, cum geſtatione reliquiarum, & hæc circumſtantia neceſſario ſit confitenda. ibid.n.15
An ſit ſacrilegium ſi res ſacra detur in pretium pro fornicatione. n.16
Pœnæ ſacrilegij quæ.ibid. f.54.n.17.& 20
Quot delicta committat ille, qui cum Moniali ſacrilegium fornicationis committit. ibid.n.18
An ob crimen priuetur bonis omnibus. ibid.n.19

Salarium.

Salarium famulorum, quando domini nihil cum illis conuenerunt quomodo ſoluendum ſit. l.7.c.1. f.58.n.6
An Epiſcopi, & Principes Eccleſiaſtici ſatisfaciant ſalario debito famulis, dando eis officium, aut beneficium habens iuriſdictionem. l. 7. c. 30. f.331.n.15
& quid ſi non habeat. ibid.

Sara.

Sara an fuerit ſoror Abraham.l.6.c.6. f.38.n.8

Secretum.

An ad vitanda tormenta poſſimus crimen alterius nobis ſub ſecreto commiſſum propalare. l. 8. c.5. f.208.n.4
Secretum Principis, vel exercitus an liceat nobis reuelare ad vitandam mortem, vel graue damnum.l.8.c.6. f.284.n.11
Secretum alterius per vim, & fraudem à nobis ab illo extortum, an poſſimus detegere ad vitandum noſtrum damnum. ibid n.12.& 13
An poſſimus arguere de mendacio eos, qui reuelant ſecreta quæ eis committimus, & quatenus.l.8.c.31. f.389.n.18

Sæuitia.

Sæuitia quid ſit quale peccatum, cui virtuti opponatur.l.10.c.25. f.555.n.29

Semen.

Eſt peccatum mortiferum ſemen effundere extra vas naturale.l.6.c.3. f.19.n.20

Sententia.

Sententia lata à iudice incompetenti an ſit valida.l.8.c.19. f.335.n.20

Sententia eſt nulla ſi pro illa ferenda aliquid iudicidoneetur.l.8.c.27. f.374.n.13

Sententia abſolutoria vnius complicis in eodem delicto an proſit alteri complici, & an condemnatoria ſententia vnius alteri obſit. l. 8. c.48. f.474. à n.29

Serui.

Vide *Mancipia.*

Seruitia, Seruitus.

Seruitia Regi,& regno impenſa cenſentur probata ſi ea Reges fateantur.l.8 c.24. f.356.n.3

Serui de iure canonico non admittuntur ad teſtificandum in criminalibus. l. 8. c.40. f. 424. n.17

An admittantur ſerui mercenarij, & domeſtici. ibid. f.415.n.22

Vtrum poſſint ſerui captiui, v.c. Mauri, & Turcæ ſe ipſos furari, & in patriam ſuam fugere.l 7. c.12. f.132.n.2

An Mauri ſerui ſub quocumque captore poſſint fugere.ibid. f 133.n.24

An poſſint iuſtè domini ſeruos ſuos Mauros, vel Turcas punire quando illis conſtat eos ad ſuos velle fugere. ibid.n.25

Seruitus an præſcribat.ibid. f.134.n.26

Chriſtiani ſerui an poſſint licitè fugere ad ſuos, quomodo, & quatenus. ibid.n.27

Socij, Societas IESV.

An ſocij criminis poſſint eſſe teſtes contra ſuos ſocios,& quid in hæreſi, ſodomia, moneta falſa, & in crimine læſæ maieſtatis.l.8.c.40.f.425. n.24

Laudabile eſt ſtatutum Societatis Iesv, quod habet,vt vnus Religioſus alterius delicta occulta extra confeſſionem nota ſuis ſuperioribus abſque correctione fraterna manifeſtet. l. 8. c.7. f.287.n.13

An licitè poſſint Religioſi Societatis Iesv renunciare iuri naturali ſuæ famæ. ibid.n.14

Quid ſi ſint pueri. ibid n.15.& 16

Delicta occulta,ſiue grauia non tenentur Religioſi Societatis Iesv manifeſtare ſuperioribus tanquam iudicibus ad punitionem, ſed tanquam patribus ad correctionem. ibid. f.288. n. 17. & 18

Ad quid poſſint procedere ſuperiores Societatis Iesv ad emendationem ſubditorum ex iis, quæ ſibi tanquam Patribus reuelantur. ibid. n.19

An procedere poſſint ad dimiſſionem. ibid.n.20

An ſuperiores Societatis Iesv poſſint manifeſtare ea delicta & defectus, quos illorum ſubditi in reddenda ratione conſcientiæ illis de ſe ipſis manifeſtant. ibid.n.21

An Religioſus Societatis poſſit ita cum aliquo paciſci,faciam tibi tot ſacra, ſi illorum eleemoſynas dederis tali,vel tali pauperi.l.7.c.7. f.118. n.7

An Religioſus Societatis danti ſibi gratis centum argenteos poſſit promittere gratis etiam centum ſacra.ibid. f.119.n.8

Religioſi Societatis profeſſi, & Coadiutores formati ſunt incapaces acquirendi dominium, & transferendi illud in alium.ibid. f.118.n.7

Quid de aliis religioſis poſt vota biennij. ibid.

An Religioſus Societatis poſſit promittere, & dicere propinquo ſuo tot Miſſas ex teſtamento ad eas dicendas obligato.ibid, f.120.n.15

Vide *Superiores.*

Sodomia, Sodomitæ.

Sodomia quid, & an cenſeatur ſodomia cum vir coit præpoſtere cum vxore l.6.c.9. f.56.n.7

An omnes ſpecies ſodomiæ ſint peccata mortalia, ibid. f.55.n.5

An omnes inter ſe comparatæ diſtinguantur ſpecie. ibid.n 6

An omnis coitus inuerſus ſiue maſculi cum fœmina, ſiue fœminæ cum fœmina, ſit ſodomia. ibid. f.56 n.8

Quæ pœnæ de iure imponantur ſodomiæ. ibid. n.9

Quæ pœnæ imponendæ ſint illis, qui inter manus, vel crura complicis ſe polluunt. ibid. n. 10

An pœna mortis imponenda ſit illi,qui vaſe præpoſtero penetrato membrum extrahit, & extra illud ſeminat. ibid n.11

Sodomitæ poſt mortem cremantur. ibid. f. 57. n. 12

Illorum bona de iure communi,& Luſitano fiſco applicantur. ibid n.13

Sunt inteſtabiles poſt mortis ſententiam. ibid. n. 14

Crimen ſodomiæ eſt mixti fori. ibid.n.15

Clericus ſodomita degradatur,& poſt degradationem morti & flammis traditur. ibid.n.16

Clericus ſodomita occultus an ſit ipſo iure ſuſpenſus. ibid. n.17

Quid de iure nouo Pij V. ibid.n.18.& 19

An vnicus ſodomiæ actus ſufficiat,vt Clericus ſodomita dicatur.ibid. f.58.n.20

Omnium ſceleratiſſima ſpecies peccati contra naturam eſt coitus cum dæmone.ibid. f.59.n.25

Pertinet hoc peccatum ad Inquiſitores. ibid.n.26

Solicitatio in confeſſione.

Sacerdotes ſolicitantes non ſolum fœminas, ſed etiam pueros,ſiue in ipſo actu confeſſionis,ſiue ante, ſiue poſt immediatè denunciandi ſunt. l.6.c.12. f.76.n.9

Obligatio denunciandi ſolicitatores pertinent ad perſonas ſolicitatas vtriuſque ſexus, non ad ipſos ſolicitatores. ibid n.10

Sufficit ſi perſonæ ſolicitatæ denuncient ſacerdotes ſæculares ſe ſolicitantes vel ſuis Epiſcopis, vel Inquiſitoribus. ibid.n.11

Quid ſi ſolicitatores ſint confeſſarij regulares. ibid.

Ex vi breuis, & conſtitutionis Pij IV. & Pauli V. & declarationis Clementis VIII ſoli ſolicitatores fœminarum denunciandi erant,at ex vi vltimæ conſtitutionis Gregorij XV.etiam denunciandi ſolicitatores puerorum,& quarumcumque perſonarum. ibid.n.12

Non ſolum confeſſarij in confeſſione ſolicitantes denunciandi ſunt,ſed etiam poſt confeſſionem, vel ante, ſiue ſolicitent in ipſo confeſſionario,ſiue in quocumque alio loco ad titulum confeſſionis electo, confeſſione etiam non ſecuta.ibid. f 77.n.13

Quid ſi confeſſarius ſolicitet ad actus inhoneſtos, & illicitos cum alio habendos. ibid.n.14

Quid nomine actuum inhoneſtorum intelligatur. ibid n.15

Quando mulieres accedunt ad actum confeſſionis, & ad confeſſarios cauſa confeſſionis, & à confeſſariis præueniuntur, vt confeſſionem in aliud tempus differant, vt illas tunc ſolicitent, denunciandi ſunt prædicti confeſſarij.ibid.n.16

Quid

Quid ſit ſolicitare occaſione confeſſionis. ibid. n.17
Quid prætextu confeſſionis. n.18
Quid intelligatur per confeſſionem, aut locum electum ad confeſſionem.ibid f.78.n.19
Pœnæ circa ſolicitantes non extenduntur ad lapſus commiſſos ante expeditionem breuium, in quo illæ continentur. ibid.n.20
Breue nouum Gregorij XV.ſicut & alia antiquiora comprehendit confeſſarios tantum,non alios ſacerdotes non confeſſarios. ibid.n.21
Non comprehenduntur in illo, nec in aliis antiquioribus laici qui habitu ſacerdotali confeſſarios ſe ſimulant ad ſolicitandum. ibid.n.22
Aliunde poſſunt domini Inquiſitores eos punire, ſicut etiam poſſunt punire eos, qui Miſſas celebrant ſine ordine ſacerdotali. ibid.
Non comprehenduntur etiam in hoc vltimo breui Presbyteri ſacramentalis confeſſionis interpretes, ſi pœnitentes ſolicitent. ibid. f. 79. n.23
Nec comprehenduntur ſacerdotes carentes iuriſdictione ad confeſſiones audiendas ſi ſe confeſſarios approbatos fingant, vt in confeſſione ſolicitent,aliunde tamen poſſunt à dominis Inquiſitoribus puniri. ibid.n.24
Solicitantes pueros in confeſſione, vel occaſione confeſſionis ſunt ſuſpecti de fide. ibid.n.25
Conuicti abiurant. ibid.
An ſoli denunciandi ſint ſolicitantes, qui de hoc crimine ſunt iam infamati, an etiam illi, qui non ſunt quomodolibet infamati. ibid. f. 80. n.26.27.& 28
Inquiſitores,& Ordinarij an poſſint procedere ſimul, an ſeparatim contra ſolicitantes vſque ad definitiuam ſententiam condemnatoriam, & abſolutoriam.ibid. f.81.à n.29
In hoc regno Luſitaniæ poſſunt Inquiſitores ex priuilegio,omnes,& quaſcumque cauſas aduerſus ſolicitantes coram Ordinariis iam cœptas ad ſe aduocare.ibid. f 82.n.34
Quibus pœnis debeant puniri ſolicitantes. ibid. f.83.n 36
Probatio huius delicti ſpectat ad arbitrium Inquiſitorum,& poteſt probari per teſtes ſingulares, & alia adminicula. ibid n.37
An ante denunciationem ſolicitationis præmittenda ſit fraterna correctio,ſi firmiter credatur ſolicitator fore emendandus.ibid. f.81.n.28

Species.

Species infamandi aliquem quot ſint. l. 8. c. 2. f.261.n.1

Sponſus.

An liceat ſponſis de futuro delectatio in appetitu ſenſitiuo copulæ habendæ tempore coniugij abſque periculo pollutionis, aut conſenſus in illa.l.9.c.4. f.524.n.1
Delectatio venerea ex tactibus,oſculis, & amplexibus quatenus ſit licita, vel illicita inter ſponſos de futuro.l.9.c.5. f.529.n.1
Quid ſi ſponſi habeant aliquod impedimentum vt contrahant ſponſalia ſub conditione ſi Papa diſpenſauerit. ibid.n.2
Quid ſi ſponſi intendant ex ipſis actibus, & amplexibus delectationem captare ſenſitiuam.l.6. c.9. f.55.n.3
Quid ſi adſit periculum pollutionis, aut conſenſus illius.l.9.c.5. f.530.n.4
Quid ſi ſint actus per partes pudendas. ibid.n.5
Amplexus,& oſcula inter ſponſos de futuro quatenus excuſentur à peccato. ibid.n.6
Quid de mutuis colloquiis. ibid.n.7
Quid quando ſponſalia contracta fuerunt ſub conditione ſi Papa diſpenſauerit, & impetrata eſt diſpenſatio, nondum tamen matrimonium eſt contractum. ibid.n.8
An ſponſi de futuro habentes aliquod impedimentum dirimens, poſt impetratam diſpenſationem, teneantur repetere conſenſum. ibid. n. 9

Statutum.

Statuta Religionum quæ habent, vt vnus Religioſus alterius delicta occulta extra confeſſionem nota ſuperiori abſque monitione fraterna manifeſtet laudabilia ſunt. l. 8. c. 7. f. 287. n.15

Stylus.

Stylus Curiæ Romanæ an faciat legem. l.8.c.10. f.297.n.9

Stipendium.

Vbi iuſtum ſtipendium lege, aut conſuetudine taxatum eſt aduocatis pro aduocatione cauſæ, non poſſunt aduocati vltra aliquid accipere. l.8.c.38. f.416.n.21
Idem de miniſtris iuſtitiæ. ibid.
Vbi nihil taxatum eſt, recipere poſſunt pretium naturale, dummodo rigoroſum non ſit. ibid. n. 23
An partes teneantur ſoluere ſuis aduocatis ſtipendium promiſſum pro aduocatione cauſæ,quando inter ſe conueniunt. ibid n.27
An quando cliens pro mera voluntate ſua, cauſam deſerit,teneatur ſoluere aduocato promiſſum ſtipendium integrum. ibid.n.28
Aduocato in cauſa propria in qua ſemper pretium, & ſtipendium aduocationis poſtulauit, an ei ſit adiudicandum.l.8.c.38. f.416.à n.29

Stultitia.

Explicatur locus Prouerbiorum 26. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam ne ſibi ſapiens videatur.l.8.c.2. f.264.n.1
Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam ne ſimilis ei videaris. ibid.

Stuprum, Stuprator.

Quid ſit ſtuprum,& quot modis committi poſſit. l.6.c.4. f.25.n.1.& 2
Quid ſit propriiſſimè loquendo. ibid.n.3
An erga viduam detur propriè ſtuprum, & an emiſſo ſemine intra vas virginis eo minimè penetrato.l.6.c.4. f.26.n.4
An committatur ſtuprum in virginem ſponte conſentientem. ibid.n.5
Et an tunc circumſtantia virginitatis ſit neceſſario confitenda. ibid.n.5.& 7
Quid ſi virgo ſub patria poteſtate ſit. ibid n.6
An ſtuprator virginis conſentientis ſi virgo poſtea nubat, teneatur aliquid reſtituere ſponſo illius.ibid. f.27.n.8
An teneatur aliquid reſtituere patri virginis. ibid. n. 9
Quomodo intelligendi ſunt authores,qui dicunt ſtuprum committi in viduam etiam ſponte conſentientem. ibid n.13.& 14
Ad ſtuprum committendum neceſſariò debet violari caro mulieris ac corrumpi. ibid. f.26. num.4
Stuprum ſi virgo conſentiat non differt à fornicatione ſimplici. ibid.n.7

Crimen

Crimen ſtupri de iure eſt mixti fori. ibid. f. 28. n. 18
De conſuetudine punitio illius ad iudicem ſæcularem ſpectat, & quando ſpectet ad iudicem Eccleſiaſticum. ibid. f. 29. n. 19
Ad quem forum ſpectet ſi perſona illud committens ſit Eccleſiaſtica. ibid. f. 28. d. n. 18
Stupri pœna in vtroque iudicio eſt hodie arbitraria ibid. f. 29. n. 20
De iure canonico tenetur ſtuprator virginem dotare, & ſimul ducere, &, ſi non vult ducere, tenetur eam dotare iuxta qualitatem illius, & poſtea virgis ipſe publicè cæditur per plateas. ibid. n. 21. & 22
& hæc pœna eſt hodie in vſu etiam in iudicio ſæculari. ibid. n. 27
Si ſtuprator velit ſtupratam ducere, & ipſe, vel pater illius velit potius dotem, optio eſt penes illam. ibid. n. 23
Si ſtuprator fuerit vxoratus, cogitur eam dotare, & verberum pœnam, aut exilij ſuſtinere. ibid. n. 24
Quid ſi ipſe ſtuprator vxoratus eſt inops. ibid. n. 25
Quid ſi fuerit Eccleſiaſticus. ibid. n. 26
Stuprum commiſſum per vim, & violentiam renitente virgine punitur pœna mortis in iure ciuili. ibid. f. 30. n. 28
Si ſine vi, & violentia committatur, ſi ſtuprator ſit nobilis, & ſtuprata ignobilis, punitur amiſſione dimidietatis bonorum, ſi ſit humilis fuſtigatione, ſed hæc pœna penè iam non eſt in vſu, ſed pœna iuris canonici. ibid. n. 29
Nomine violentiæ intelliguntur etiam preces importunæ. ibid. n. 30
Qua pœna puniatur ſtuprum commiſſum in viduam ea renitente. ibid. n. 31
Stuprator virginis ſponte conſentientis ad nihil ei tenetur in foro conſcientiæ, neque parentibus illius, ſi nihil ei promiſit. l. 6. c. 5. f. 31. n. 1
Nec honorem læſum tenetur reſtituere parentibus. ibid. n. 2
Nec augmentum dotis, quo indiget, vt competens ineat matrimonium. ibid. f. 31. n. 3
Ad quid teneatur ſtuprator in foro conſcientiæ quando virginem inſcitam, aut per preces importunas deflorauit ſi nihil ei promiſit. ibid. n. 4. & 5
An ille, qui adoleſcens ſe iactauit de ſtupro puellæ, teneatur ſenex ſe retractare apud illos coram quibus ſe adoleſcens iactauit. l. 8. c. 2. f. 269. n. 22. & 23
In foro conſcientiæ non tenetur puella defloratorem ſuum in matrimonium accipere paratum illam ducere, optio enim penès illam eſt. l. 6. c. 5. f. 32. n. 6
An deflorator vi & fraude, ad aliquid teneatur, quando virgo ſtuprata æquè commodas nuptias inuenit. ibid. n. 8
Quid ſi maritus poſtea vxorem eo quod eam ſtupratam inueniat, deferat, aut ſaltem tunc ad aliquid ei teneatur. ibid. f. 33. n. 9
Ad quid teneatur ille, qui accedit ad eam, quæ iam eſt ab alio corrupta, putatur tamen virgo incorrupta, ſi illa ſponte conſentiat, & quid ſi vi, aut dolo illa potiatur. n. 10
Qui virginem deflorauit ſub promiſſione matrimonij, tenetur eam ducere, ſi ſint æquales. ibid. f. 34. n. 12
Quid ſi ſint diſpares nobilitate, aut diuitiis. ibid. n. 13
Quid ſi illa eius diſparitatem ignorabat. ibid. f. 35. n. 14
Si poſt promiſſionem coniugij, & deflorationem, illa cum alio fornicata fuit, ad nihil ei tenetur. ibid. n. 15

Subditus, Subiectus.

Quibus modis poſſit quis dici, & eſſe ſubditus alterius. l. 8. c. 18. f. 325. n. 6
An ſolo conſenſu poſſit quis fieri ſubditus alicuius iudicis. ibid n. 8
An ratione delicti commiſſi in alieno ſolo poſſit quis fieri ſubditus iudicis illius. ibid. n. 9
Quomodo quis ratione iniuriæ, quam intulit ſubdito alterius Principis, illi maneat ſubditus. ibid. f. 326. n. 12
Peccat lethaliter iudex, & tenetur ad reſtitutionem damnorum, qui iudicat, non ſibi ſubditum. ibid n. 13. & 14

Superior.

Superior, qui audit aliquem detrahentem de ſuo ſubdito an peccet mortaliter, ſi non impediat cum poſſit. l. 8. c. 2. f. 267. n. 12. & 13
Quatenus peccata occulta religioſorum publica, vel ſecreta reuelari poſſint Superioribus religionum, non præmiſſa correctione fraterna. l. 8. c. 7. per tot. f. 284
Quando ſuperiores, & Prælati Religionum præcipiunt, ſub excommunicatione, vt ſcientes crimina ſuorum ſubditorum, ea ſibi reuelent, ſemper id intelligendum eſt præmiſſa correctione fraterna, ſi ſperatur profutura. l. 8. c. 7. f. 286. n. 12
Delicta occulta ſiue leuia, ſiue grauia non tenentur Religioſi manifeſtare ſuis Superioribus tanquam iudicibus ad punitionem, ſed tanquam patribus ad emendationem. l. 8. c. 7. f. 288. n. 17. & 18
Ad quid poſſint procedere ſuperiores ad emendationem ſubditorum ex iis, quæ ſibi tanquam patribus reuelantur. ibid. n. 19
An ad dimiſſionem poſſint in ſocietate procedere. ibid. n. 20
An ſuperiores ſocietatis poſſint manifeſtare ea delicta & defectus, quos ſubditi in reddenda ratione ſuæ conſcientiæ de aliis ſubditis, illis manifeſtant. ibid. n. 21
Quouſque teneantur religioſi delicta grauia occulta aliorum, ſine monitione fraterna ſuperioribus reuelare. ibid. n. 22
An ſuperior regularis poſſit ſecreto corrigere ſubditum, cuius defectus nulla eſt infamia, eſt tamen delictum illius cognitum ipſi ſuperiori, & duobus aliis notum. l. 8. c. 46. f. 455. n. 14
Superiores locales, & Prouinciales Religioſorum, quid poſſint & quantum donare pro eleemoſynis de bonis religionis, quando nihil circa hoc prouiſum eſt in regula religionis. l. 7. c. 6. f. 111. n. 2. & 3
An interueniente conſuetudine poſſint ſuperiores Religionum aliquid donare de bonis religionis ad vſus illicitos. ibid. f. 112. n. 5

Suſpicio.

Suſpicio temeraria, an ex ſuo genere ſit peccatum mortiferum. l. 8. c. 11. f. 302. n. 17
Quæ ſit in hac re opinio D. Thomæ, ibid. f. 303. n. 19

T

Tabellio.

TAbellio tenetur in conſcientia reſtituere damnum,quod iniuſtè,& contra iuſtitiam partibus dederunt. l.8.c.26. f.367.n.24
An tabellionis inſtrumentum,ſcripturave præualeat contra dictum duorum teſtium omni exceptione maiorum.l.8.c.41. f.431.n.26
Quid ſi tabellio vnum ſcribat,& teſtis deponat,ſe aliud dixiſſe in ſuo teſtimonio. ibid.n.25
Tabellio an teneatur in conſcientia ante vllam ſententiam reſtituere id, quod pro ferendo iniuſto, & falſo teſtimonio accepit. l.8.c.42. f.436.n.19
An retinere id poſſit in conſcientia, ſi ei gratis, & liberaliter donetur. ibid. f.439.n.29
An tabellioni potius, quàm teſti per eum examinato credendum ſit cum de veritate teſtimonij dati controuertitur. l.8.c.44. f.446.n.1
Quid in cauſis criminalibus. ibid n.2
Tabelliones an poſſint examinare teſtes. ibid. n.3
Quot teſtibus improbari poſſit inſtrumentum factum à tabellione. ibid.n.4.5
An, & quatenus teneantur tabelliones reſtituere id quod acceperunt, pro faciendo falſo inſtrumento. l.8.c.44. f.448.n.6.remiſſiuè ad cap.39. f.418.n.19
An, & quatenus teneantur reſtituere maius ſtipendium,quam ſibi à lege taxatum ſit.l.8.c.26. f.363.à n.1
Quatenus aliquid accipere, & retinere poſſint, quam ſibi à iuſta lege taxatum ſit, pro maiori induſtria,& labore,quem ponunt.ibid. f.365. n.12
Quid de muneribus acceptis, quæ Luſitanè vocantur *Proes,& Percalſos.* ibid. f.364 n.7
Quatenus tabellionibus, & miniſtris iuſtitiæ lege poſitiua ſint xenia prohibita. l.8.c.27. f.373. n.6
Quid requiratur in tabellionibus, & notariis ad obeundum munus ſuum. l.8.c.44. f.447.n.10
Quatenus teneantur ex iuramento eſſe fideles in officio ſuo. ibid. f.448.n.11
Quam pœnam habeant tabelliones de iure Luſitano, ſi proceſſus, aut ſcripturas falſas conficiant. ibid.n.12
Quam pœnam habeant illi,quorum ordine,fauore,& auxilio, aut mandato tabelliones illas fecerunt. ibid.n.13.& 14
Tabelliones quatenus poſſint,vel non poſſint ſine iudice depoſitiones teſtium accipere. ibid. n.15
An in caſu mortis poſſit examinator teſtium ſimul cum tabellione ſine iudice teſtes examinare. ibid. f.446.n.3

Tactus.

Tactus, aſpectus, & confabulationes turpes in Eccleſia ſiue inter coniuges, ſiue inter ſolutos an ſint ſacrilegia, & loci circunſtantia an ſit confitenda. l.6.c.3. f.17.n.13
Tactus in ordine ad copulam per partes inhoneſtas inter coniuges ſunt liciti. ibid. f.22.n 37. 38
An hi tactus inter ſolutos ſint mortaliter illiciti. ibid.
Quid ſi coniuges velint tantùm ſiſtere in delectatione,quæ in tactibus ſentitur. ibid.n.39
An tactus ſint liciti inter coniuges impotentes. ibid. f.23.n.43
Quid ſi impotentia ſuperueniat matrimonio rato, non conſummato. ibid.44
Quid ſi ſit probabilis ſpes ſeminandi. ibid.n.45

Tergiuerſatio.

Tergiuerſatio quid ſit. l.8.c.47. f.464.n.14

Terminus.

An terminus ad denunciandum de furto in monitoriis appoſitus intelligendus ſit à die publicationis,an à die notitiæ. l.8.c.52. f.491.n.5
An pars ad cuius inſtantiam excommunicatio fertur, poſſit prorogare terminum ſolutionis. ibid. f.494.n.20

Teſtamentum, Teſtamentarius.

An teſtamentarius poſſit aliquid accipere pro electione loci in quo ædificanda eſt capella ex præſcripto teſtatoris, & pro electione pauperum inter quos eleemoſynæ diuidendæ ſunt. l.8.c.26. f.371.n.39
Quot teſtes requirantur de iure communi in teſtamentis clauſis,& codicillis. l.8.c.39. f.419. n 9
An debeant eſſe viri. ibid.
Quot de iure Luſitano eſſe debeant.ibid. f.420. n.10
Teſtamentum nuncupatiuum in hoc regno Luſitaniæ, an effici poſſit ſine tabellionis approbatione, ſua propria, vel aliena manu firmato. ibid n.11
An voce tantùm. ibid n.12
De iure canonico inualidum eſt teſtamentum factum coram parocho, & duobus teſtibus ad pia,& non pia. ibid.n.13
Teſtes,vt probent teſtamentum an opus ſit,vt videant illud fieri, & inſcribi. l.8.c.40. f.424. n.15

Teſtimonium, Teſtis, Teſtificari.

Nunquam eſt licitum teſtimonium falſum alicui affingere. l.8.c.2. f.265.n.2
An ad vitanda tormenta grauia in tortura, vel diuturnum carcerem,peccatum mortiferum ſit ſe ipſum infamare, ſibi falſum crimen imponendo,vel verum, ſed occultum prodendo ex quo quis certò ſciat ſe ad mortem eſſe damnandum. l.8.c.9. f.293.n.1.2
Quid ſi tormenta ſint leuia. ibid. f.295.n.11
Quanta fides habenda ſit teſtimonio principis. l.8.c.20. f.339.n.15.fin.
Non valet, regulariter loquendo, teſtimonium ſi quis dictum ſuum ſcribat, & dicat ſe ſub iuramento id affirmare. l.8.c.40. f.422.n.5
An in aliqua circunſtantia poſſit valere teſtimonium manu propria ſcriptum, & ſignatum. ibid.n.6
An illum, qui alium accuſauit de vero crimine, quòd non poteſt probare, ſi pœnam talionis patiatur, teneamur liberare teſtificando veritatem à iudice non requiſito. l.8. c.42. f.434. n.7
Vnde oriatur obligatio teſtificandi verum ex iuſtitia. ibid. f.435.n.14
Teſtis tenetur in conſcientia reſtituere id quod accepit,vt iuſtum teſtimonium proferat, non tamen id, quod accepit pro iniuſto teſtimonio ferendo.l.8.c.4.f.278.n.18.& c.26.f.365.n.13. & c.27. f.374.n.14. & latiùs c.42. f.496. à n.19

Teſtis tenetur in conſcientia reſtituere damnum quod dedit teſtimonium falſum ferendo. l.8. c.26. f.367.n.23
An teſtis poſſit interrogari de alio crimine à iudice de quo reus non eſt infamatus. l.8.c.34. f.397.n.6
Duo teſtes omni exceptione maiores ſufficiunt iure gentium ad damnandum aliquem ad mortem. l.8.c.39. f.418.n.2
& idem in cauſis ciuilibus magni momenti. ib.
Quot teſtes ſufficiant de iure naturali. ibid.f.419. n.4
Parentes, & conſanguinei poſſunt eſſe teſtes in cauſa matrimoniali, ſi agatur de diſſoluendo matrimonio cauſa conſanguinitatis. ibid.n.3
In cauſis leuioribus vnus teſtis ſufficit ad damnandum Religioſum ad leuem pœnam. ibid.n.6
Vnicus teſtis probat Eccleſiam eſſe conſecratam, & paruulum eſſe baptizatum. ibid.
Quot teſtes requirantur ad damnandos Cardinales, Epiſcopos, & Preſbyteros. ibid.n.7.8
Quot teſtes requirantur de iure communi in teſtamentis clauſis, & codicillis, & an debeant eſſe viri. ibid.n.9
Quot de iure Luſitano. ibid. f.420.n.10
De iure ciuili præter accuſatorem ad damnandum aliquem requiruntur duo teſtes. ibid.n.14
An teſtis poſſit ſimul eſſe denunciator. ibid. f.421.n.15
Quot teſtes requirantur ad valorem matrimonij. ibid.n.16
Quales eſſe debeant, an omni exceptione maiores. ibid.
Quot requirantur in denunciationibus quando proceditur ad emendationem fratris. ibid. n.15
Quæ conditiones requirantur, vt duo teſtes plenè probent. l.8.c.40. ibid.n.1
Nulli teſti, nec etiam Epiſcopo in præiudicium alterius creditur, niſi ſub iuramento deponat. ibid.n.2
An alicui vt teſti credatur ſine iuramento, ſi pars aduerſa iuramentum ei remittat. ibid.f.421.n.3
Quid ſi agatur de diſſoluendo matrimonio. ibid.
Teſtes, vt valeant, opus eſt, vt deponant de eodem facto. ibid. f.422.n.7
Teſtes ſingulares qui. ibid.
Teſtes conteſtes in quibus rebus debeant conuenire. ibid. f.423 n.8
An ſint teſtes conteſtes quando delictum poſtulat continuationem temporis, & vnus teſtis poſt alium illud videat. ibid.n.9
An ſufficiant teſtes ſingulares ad probandum aliquem eſſe hæreticum. ibid n.10.11
Teſtes ſingulares efficiunt ſemiplenam probationem. ibid. f.424.n.12
Quid ſi duo teſtes deponant de eadem propoſitione hæretica, vel de eadem hæreſi, & in ſolo tempore diſſentiant. ibid.n.13
Teſtes vt valeant, opus eſt, vt ſenſu aliquo externo rem percipiant. ibid n 14
Teſtes in teſtamentis, vt probent teſtamentum, opus eſt, vt videant illud fieri. ibid.n.15
Qui teſtes ſint idonei, & omni exceptione maiores. ibid n.16
Qui teſtes in cauſis criminalibus iure canonico, & ciuili à teſtificando repellantur. ibid.à n.17
An ſocij criminum, ſeu complices admittantur in teſtes. ibid. f.425.n.24
Quid in crimine hæreſis, ſodomiæ, læſæ maieſtatis, & monetæ falſæ. ibid.
An perſonæ viles & pauperes. ibid.n.25
An admittantur in teſtes illi, qui in alio teſtimonio pecunia corrupti fuerunt. ibid.n.26
Qui poſſint, vel non poſſint eſſe teſtes de iure Luſitano. ibid.à n.27
In iure communi, & Luſitano admittuntur in teſtes perſonæ minus idoneæ, ſi delictum per alios probari non poteſt. ibid. f.426.n.37
Quid ſi vnus teſtis ſit valde dignus, & alius minus idoneus. ibid.n.38
Teſtis minus idoneus facit iudicium. ibid.n.3
Non valent teſtes ſe ingerentes ad teſtificandum. ibid.n.40.
An credatur dicto teſtis, quando in iudicio deponit contrarium eius rei, quam extra iudicium dixerat. l.8.c.41. f.427.n.1
An quando in articulo mortis dixit contrarium eius rei, quam in iudicio iurauit. ibid.n.2
Quid ſi vulneratus in articulo mortis dicat ſe non fuiſſe vulneratum à Titio. ibid.n.3
An teſtes qui in iudicio vnum, & extra iudicium aliud dicunt, puniendi ſint tamquam falſi. ibid. n.4
Quid ſi ex coniecturis conſtet teſtimonium in iudicio fuiſſe falſum, & dictum extra iudicium verum. ibid n.5
Quid ſi teſtis iuratus, in iudicio vnum deponat, & extra iudicium aliud iuret. ibid.n.6.& 7
Quid è contrario. ibid.
Quid ſi aliunde appareat iuramentum iudiciale verius eſſe. ibid. f.428.n.8
Quid quando teſtis in tortura vnum dicit, & extra torturam aliud, aut è contrario. ibid.n.9.10
An quando teſtis vnum in iudicio ſub iuramento affirmat, & aliud ſub eodem iuramento dicit, puniendus ſit tamquam falſus. ibid.n.11
Quomodo, & quatenus credendum ſit teſtibus, quando iurant in iudicio diuerſa animo corrigendi ſe. ibid.n.12
Quid ſi ſe corrigant incontinenti. ibid n.13
Quid ſi ex interuallo. ibid.n.14
In fauorem fidei teſtes ſe retractantes ex interuallo an admittantur, vt ſi prius negauerint ſe eſſe hæreticos, & poſtea tam de ſe, quàm de aliis affirment. ibid. f.429.n.15
Quid è contrario ſi priùs hæreſim faſſi ſunt, & poſtea negauerint. ibid.n.16
Quid ſi aliquis hæreticus de hæreſi conuictus in tribunali ſanctæ Inquiſitionis, poſtea in confeſſione Confeſſario affirmet, ſe nunquam fuiſſe hæreticum, & falsò complices accuſaſſe. ibid. n.17
Quid agendum ſit iudici quando teſtes vnius partis inter ſe varij, & diſcordes ſunt. ibid. f.430.n.18
Quid ſi diſcordes ſint in circunſtantiis criminum tantum. ibid.n.19
Quid quando teſtes actoris, & rei ſunt inter ſe varij, & diſcordes & ſunt æquales numero, & conditione. ibid.n.20
Quid ſi non ſint æquales numero. ibid.n.21
Teſtibus diuitibus, & dignioribus credendum potius eſt cæteris paribus. ibid. f.431.n.22
Quid ſi vnus teſtis contradicat pluribus. ibid. n.23
Quid ſi multi, ſed paucioribus contradicant pluribus. ibid.n.24
Quid ſi tabellio vnum ſcribat, & teſtis iuret ſe aliud depoſuiſſe. ibid.n.25

Duo

Duo teſtes omni exceptione maiores, an præualeant contra inſtrumentum, aut ſcripturam tabellionis. ibid.n.26

Teſtis ſibi in eodem, vel diuerſo crimine varius, an concordandus ſit. ibid. f.432.n.27

Quid ſi teſtis in primo examine de loco, & tempore affirmatiuè deponat,& in ſecundo dicat ſe de loco, & tempore non recordari. ibid. n.30

Quid è contrario ſi in primo non recordetur de loco, & tempore, & in ſecundo recordetur. ibid.n.31

Quid ſi in primo examine ſub dubio deponat, & in ſecundo affirmatiuè. ibid.n.32

Quid è contrario. ibid.n.33

Teſtis qui ſciens,& prudens, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, quo alterum læſit, tenetur ad reſtitutionem damni illati cauſa prædicti teſtimonij. l.8.c.42. f.433.n.1.2

Quid ſi reus iam erat per alios teſtes conuictus, & accedat teſtimonium falſum alicuius, ob quod ei maior pœna imponitur, an tunc teneatur prædictus teſtis falſus ad aliquam reſtitutionem. ibid.n.3

Teſtis, qui teſtimonium falſum aduerſus aliquem profert, ratione cuius damnum aliquod iniuſtè patitur, tenetur ad reſtitutionem. ibid. n.4

Quid ſi ex inaduertentia,ignorantia, aut obliuione inculpabili illud proferat. ibid. f.434.n.5

Teſtis, qui poteſt aliquem ſuo teſtimonio liberare,& antequam requiratur à iudice ad teſtimonium proferendum,non vult teſtimonium ferre,an peccet contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem teneatur. ibid.n.7

Quid ſi à iudice requiratur, & adhuc non vult teſtimonium ferre,& ſe excuſat. ibid.

An illum, qui alium accuſauit de vero crimine, quod non poteſt in iudicio probare,ſi pœnam talionis ob id patiatur, teneamur liberare,teſtificando à iudice non requiſito alium reuera tali crimen commiſiſſe. ibid.

An teſtis vocatus, & requiſitus à iudice ad teſtificandum ſe iniuſtè excuſans à ferendo teſtimonio, ſciens iuſtitiam partis ex ſuo teſtimonio pendere,teneatur ad reſtitutionem,& quid ſi in ipſo actu teſtificandi veritatem taceat,ibid. n.8

Teſtibus expenſæ faciendæ ſunt à parte, eundo, ſtando,& redeundo, & inſuper intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis. ibid. f.436. n.17

Teſtis pro ferendo teſtimonio nihil poteſt accipere,& tenetur in conſcientia ante vllam ſententiam id reſtituere. ibid.n.18

An teſtis vltra damnum quod dedit, teneatur reſtituere in conſcientia ante vllam ſententiam, id, quod pro ferendo teſtimonio iuſto accepit. ibid.n.19

An id retinere poſſit, ſi illud ei liberaliter remittatur,aut donetur, ibid. f.439.n.29

Teſtis falſus Deum,iudices, & homines offendit. l.8.c.43. f.441.n.1

Quam pœnam habuerint olim teſtes falſi apud Romanos. ibid n.2

Quam habeant hodie ex iure communi. ibid. n.3

Quam ex iure Luſitano. ibid.n.4

Quam ex iure canonico. ibid.n.5

Quid ſi ſint clerici. ibid. f.442.n.9

Teſtis laicus ſi falſum teſtimonium dicat coram iudice Eccleſiaſtico, poteſt ab eo puniri. ibid. n.10

Teſtis in ſuo teſtimonio verum tacens,poteſt puniri de faſo. ibid. f.445.n.26

Teſtium examinator Luſitanè *Enqueredor*,an poſſit ſimul cum tabellione in cauſis mortis teſtes examinare. l.8.c.44. f.446.n.3

An teſtes primæ accuſationis fidem faciant in ſecunda ſuper eodem delicto, quin de nouo interrogentur. l.8.c.50. f.480.n.6

Quando quis præcipitur ſub excommunicatione reuelare delictum tamquam teſtis, tenetur illud reuelare,etiamſi illud probare non poſſit in iudicio. l.8.c.52. f.495.n.26

Teſtes ſingulares admittuntur ad ſolicitationem in confeſſione. l.6.c.12. f.80.n.27

An ſi vnus teſtis omni exceptione maior affirmet alicui hæredi inſtitutorem ſuum reliquiſſe certæ perſonæ certum legatum, teneatur hæres ei credere,& legatum ſoluere. l.7.c.25.f.205. n.4

An vnus teſtis fide dignus affirmans coniugem eſſe mutuum, ſufficiat vt alter coniux ad ſecundas nuptias tranſeat. ibid.& n.5

Theſaurus.

Theſauri inuenti ad quem pertineant. l.7.c.22. f.185.n.5.6.13.14

Quid ſit theſaurus. ibid. f.186.n.13

Si quis theſaurum inueniat in agro ſuo,de iure communi eſt totus inuentoris, ſi interueniat realis apprehenſio. ibid.&n.14

Quid ſi inueniatur ab emphyteuta, aut feudatario,in agro emphyteutico, aut feudali. ibid. f.187.n.15.16

Quid ſi ibidem inueniatur data opera ab emphyteutico,aut feudatario. ibid.n.17

Qui data opera, & ex conſulto theſaurum quærit in alieno agro ſine licentia domini, ſi inueniatur totus eſt domini agri. ibid.

Si caſu fortuito inueniatur, diuidendus eſt ex vi iuris communis inter inuentorem,& dominum agri. ibid.

Ad quem pertineat theſaurus inuentus arte magica.ibid. f.190 n.32

Si extraneus theſaurum inueniat in agro alieno habente duos dominos alterum directum, alterum vtilem,dimidium eſt inuentoris, alterum dimidium diuidendum eſt inter dominum directum,& vtilem. l.7.c.22. f.180.n.18.19

Quid ſi dominus directus theſaurum inueniat in agro emphyteutico. ibid. f.181.n.20

Theſauri inuenti in agro libero, & immuni ab emphyteuſi, & feudo,de iure communi dimidia pars ad inuentorem, altera dimidia ad dominum agri ſpectat, quando caſu, & fortuitò inuenitur. ibid.n.21

Si dedita opera inueniatur abſque domini conſenſu,totus eſt domini agri. ibid.n.22

Si de conſenſu domini, & dominus ſciebat conſenſum ſuum eò tendere, vt theſaurus quæreretur,totus eſt inuentoris. ibid.n.23

Quid ſi quando conſenſus petitus fuit à domino agri, ille id habuit pro deriſu. l.8.c.22. f.189. n.24

Quid ſi theſaurus inueniatur in loco publico, veluti in via,aut in area publica,in vrbium ruinis,aut mœnibus. ibid.n.25

An poſſint Indi Orientales, & Occidentales

ſolùm quia gentiles ſunt priuari ſuis theſauris. & aureis, argenteiſque fodinis, & quid poſtquam fidem ſuſceperunt. ibid.
Ad quem pertineat theſaurus quando inuenitur in loco ſacro, aut in capellis alicuius, aut in monaſterio, quæ iure dominij ad aliquem dominum, vel religionem ſpectent. ibid.n.26
Quid ſi inueniatur in paſſalibus Eccleſiæ. ibid. f.190.n.27
Quid ſi in prædio dotali inuentus fuerit. ibid. n.28
Quid ſi in prædio locato, aut conducto. ibid. n.29
In regno Luſitaniæ cum nihil ſtatutum ſit circa inuentionem theſaurorum, ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis. ibid.n.31
Quid ſtatutum ſit de iure regni Caſtellæ circa inuentionem theſaurorum. ibid.n.33.& 34
An de conſuetudine theſauri inuenri ad Principes pertineanr. ibid. f.191.n.35.36
An iuſta ſit lex, quæ ſtatueret totos theſauros inuentos ad Reges pertinere. ibid.n.37
An licitum ſit emere agrum in quo ſcimus eſſe aliquem theſaurum, non indicato eo domino agri. ibid.n.39.& 40

Tyrannus.

An tyrannus peccet vſurpatione iudicij, & eius ſententiæ ſint validæ. l.8. c. 20. per totum. f.335
Quis ſit, & dicatur tyrannus. ibid. f. 336. n.1
An tyrannus poſſit iuſtas, & validas leges ferre in regno, quod per tyrannidem occupat. ibid. n 2.3.4.& 11
An peccet illas ferendo. ibid. f.337.n.5
An tyrannis in conſcientia tributa debeantur. ibid.
An indices inferiores peccenr iudicando ſecundùm leges latas à tyrannis. ibid.n.6
An peccent tyranni ſi nocentes, & criminoſos vaſallos regni iniuſtè occupati, ſeruato iuris ordine puniant, & occidant. ibid. n.7.8. & 9

Tormentum, Tortura, Torquere.

An ad vitanda tormenta in tortura poſſimus alicui crimen falſum imponere. l.8.c.5.per totum. f.279
aut verum, ſed occultum manifeſtare. ibid.
An nobis metipſis ea imponerepoſſimus. l.8.c.9. f.296.n 1.2
Cum graui cauſa qualem habet ille qui vult vitare tormenta, licitum eſt cuique crimen verum, ſed occultum ſub ſecreto ſibi commiſſum propalare. ibid.n.4
An ille, qui in tormentis; & tortura ſibi falſum crimen affinxt, ob quod mortem patitur, ſi alteri non eſt ſocium teneatur ſe retractare in loco ſupplicij. ibid. f.297.n.6
Quid ſi alteri ſit ſocium. ibid.n.8
Quæ perſonæ torqueri iure non poſſint, & quæ poſſint. l.8.c.2. f.344.n.14

Tributum.

Tributa an tyranno in conſcientia debeantur. l.8.c.20. f.337.n.5
An qui in confiniis regnorum mercedes prohibitas aduehunt, & inuehunt, teneantur ad tributa, quæ furto auferunt. l.8.c.49. f.478. n.12
Vide *Reges, Principes.*

Triſtitia, Triſtari.

Triſtari, & dolere de bono proximi, non ideo, quod proximus illud habeat, ſed quod illo caremus, eſt æmulatio, & zelus non eſt inuidia.l.10.c.1. f.546.n.8
An hoc peccatum ſit, quando nobis ea bona ſunt proportionata, aut improportionata. ibid.
Quid ſi ſint nobis valde improportionata, vt cum plebeius triſtatur, quod non ſit Rex. ibid.n.9. & 10
Quid ſi aliquis triſtetur quod bona temporalia data ſint prauis, & indignis. ibid. f.547.n.12. & 13
Quid ſi triſtemur de bonis proximi, ſiue illis dignus ſit, ſiue indignus, eo quòd proximum odio habeamus. ibid.n.14
An liceat triſtari de valetudine & bonis temporalibus proximi, quatenus illi ſunt occaſiones peccandi. ibid.n.15

V

Vaſallus.

QVæ quantitas requiratur in furtis vaſallorum reſpectu dominorum.l.2.c.10.f.137. n.1.2 3
Vtrùm vaſallus à Rege ſuo, vel Principe læſus poſſit ex vectigalibus illius, publicanis etiam locatis, ſibi occultè recompenſare, quando aliter non poteſt debita ſua recuperare. ibid. n.5.6
Quæ quantitas in furto ſit mortalis reſpectu filiorum Regis & Principum. ibid. f.128.n.8

Venia.

An petita venia iniuriarum, & obtenta, omnes iniuriæ cenſeantur remiſſæ. l.8. c.17. f.323. n.13.14.15
An quando Summus Pontifex concedit alicui diſpenſationem in irregularitate contracta ex homicidio, vel ex alio delicto, cum hac clauſula, ſatiſfacta parte, ſufficiat veniam petere abſque alia ſatiſfactione. l.7.c.23. f.195.n.11

Verba.

Verba inter homines habent primam vim ſignificandi. l.8.c.1. f.162.n.3

Veritas.

An is, qui per monitorium edictum de crimine alterius interrogatur, teneatur veritatem in iudicio fateri, quando ſolùm datur ſuſpicio contra reum.l.8.c.52. f.495.n.27

Veſtes clericales.

Si dubitetur an veſtes ſint clericales quis ſit legitimus iudex dubij ſæcularis, an Eccleſiaſticus. l.8.c.18. f.327.n.27
Vide *Reus.*

Vidua.

An poſſint viduæ delectari cum commotione ſpiritus ſenſitiui de copula præterita, habita cum viris ſuis abſque periculo pollutionis, aut conſenſu illius. l.9.c.4. f.526.n.7

Virgo, Virginitas.

Quid ſit virginitas. l.6.c.1. f.7.n.19
An per copulam vi extortam abſque conſenſu amittatur. ibid.
Puella virgo eſt domina ſui ſignaculi virginalis, & ſi ſponte conſentiat, nihil ei in conſcientia debetur

debetur pro defloratione. l.6.c.9. f.56.n.10
Vide *Stuprum*.

Vir.

Dicere de viro graui eſſe mendacem, eſt peccatum mortiferum. l.8.c.2.verſ.*ſic ſtatuo*. f.265.n.3

Vitium.

Hiſtoriographi an peccent mortaliter ſcribendo in hiſtoriis temporum vitia aliorum. l.8.c.2. f.269.n.25
Quid de Aſtrologis, ſi falſa vitia hominibus imponant. ibid. f.270.n.26

Vito, Vitare.

An ad vitanda tormenta in tortura, poſſimus alicui crimen falſum imponere. l.8.c.5. f.179.n.1.2.3
An nobiſmetipſis. ibid.
Vide *Tormentum*.

Viſitatio, Viſitare.

Quis finis viſitationum. l.8.c.45. f.451.n.7
An Prouinciales, & Generales, & Epiſcopi teneantur de iure naturali ſuos ſubditos viſitare, & an per ſe, vel per alios. ibid. f.450.n.6
An ſingulis annis. f.451.d.n.7
In his viſitationibus ſolùm tenentur ſubditi denunciare ea delicta, de quibus quis eſt infamatus. ibid.n.8
Si crimina ſint emendata, aut illorum emendatio de proximo ſperetur, non tenentur illa denunciare. ibid.n.9.& c.51. f.487.n.5
An priuſquam in viſitationibus fiat denunciatio, præcedere debeat fraterna correctio. l.8.c.45. f.451.n.10
An quando crimina vergunt in damnum tertij, quod adhuc pendet, ſit fraterna monitio præmittenda. ibid.
An teneantur ſuperiores in viſitationibus declarare in ſuis monitoriis, vt non denuncientur, niſi ea peccata, de quibus quis eſt infamatus, & indiciatus. ibid.n.11
Quanto tempore durent præcepta viſitationum, & an edicta illius incipiant obligare à die publicationis, an à die notitiæ. l.8.c.51.per totum.

Voluntas.

Voluntas prompta ſine opere externo tantum poteſt interdum promereri, quantum ſi operi externo coniungeretur. l.9.c.8. f.539 n.4

Votum.

Votum ſolemne paupertatis, reddit vouentem inhabilem ad acceptandum, & transferendum dominium in alium. l.7.c.7. f.119.n 9
Aſſignatur differentia voti ſimplicis, & ſolennis paupertatis. ibid.n.10

Vſurarius.

An teneatur vſurarius ſuis expenſis reſtitutionem facere, quando creditor in alium locum diſceſſit. l 7.c.24. f.204 n.36
An teneatur ſi expenſæ ſint maiores, aut æquales intereſſe vſurarum. ibid.n.37

Vſus matrimonij.

Vſus matrimonij debitè exerciti confert gratiam. l.6.c.3. f.15.n.1
Si aliquis coniux in eo vſu intendat finem aliquem mortalem, peccat mortaliter. ibid.n.2
Vſus matrimonij ob ſolius incontinentiæ periculum vitandum, vel in ſe, vel in altero coniuge eſt licitus. ibid.n.3
Vſus matrimonij petendo, & reddendo ob ſolam corporis ſanitatem eſt licitus. ibid.n.4.& 5
An licitus ſit vſus matrimonij in diebus magni feſti. ibid. f.16.n.6.7
An ante ſumptionem Euchariſtiæ. ibid.remiſſiuè.
Quid in hebdomada ſancta. ibid.
Vſus matrimonij in Eccleſia an ſit peccatum ſacrilegij. ibid.n.9
Vſus rerum conſumptibilium, vt panis, vini, olei non eſt fructiferus, ſi tamen fructificat, id quidem eſt ex induſtria hominum, non ex natura illarum rerum. l.7.c.20. f.169.n.13

Vxor.

Peccant mortaliter vxores, quæ maritis rationabiliter inuitis notabilem quantitatem donant. l.7.c.8. f.121.n.1
Vxor marito furans, & mœcho donans, an teneatur ad reſtitutionem, & quam pœnam mereatur ſi cum mœcho fugiat. ibid.
Quæ quantitas ſit mortalis in vxoribus reſpectu maritorum in furtis. ibid.n.2
Poteſt vxor facere inuito, & prohibente marito eas eleemoſynas, & donationes, quas aliæ ſuæ conditionis, & qualitatis faciunt. ibid.n.3.4
Quid ſi id faciat expreſsè id prohibente marito. ibid. f.122.n.5.6
Vxores habent ius per conſuetudinem acquiſitum ad donandum contradicentibus etiam maritis, quantum aliæ ſuæ conditionis donant. ibid.
An vxores de iure communi habeant plenum dominium, & adminiſtrationem earum rerum, quas acu, vel labore ſuo, vel induſtria acquirunt. ibid.n.7
& quid de iure Luſitano. ibid.
An poſſint eas eleemoſynas moderatas, quas minutatim facere poſſunt, cumulatim dare conſanguineo pauperi. ibid.n.8
An etiam eidem conſanguineo facere poſſint donationes remuneratorias, quas poſſunt efficere perſonis benemeritis. ibid. f.123.n.9
An vxor illa, quæ ampliſſimam dotem ſecum detulit, poſſit donare nutrici ſuæ ad dotem filiæ ſimul quinquaginta aureos abſque licentia mariti. ibid.n.10.& 11
Conſtituente marito abſente aliquid vxori ſuæ pro victu, & veſtitu quidquid illa inde detraxerit, totum poterit inde donare in vſus pios. ibid.n.12
Dare poſſunt vxores contradicentibus maritis aliquid, vt auertant malum imminens maritis. ibid.n.13
Poſſunt vxores à maritis prodigis, ebriis, luſoribus pecunias ſecretò auferre, vt in vſum familiæ conuertant. n.14
Poſſunt à maritis etiam prudentibus inuitis auferre, quæ fuerint neceſſaria ad regimen familiæ, victum, & veſtitum famulorum. ibid.
Quid ſi mariti ſint amentes. ibid.n.16
Quid poſſint vxores maritis abſentibus quando eis nihil ad victum, & veſtitum conſtituunt. ibid.n.17
Quid poſſint vxores inuitis maritis, & mariti inuitis vxoribus donare pauperibus. ibid. f.124.n.18.19
Quid fratribus egentibus, an teneantur ſic data in ſuam partem computare. ibid.à num.18.vſque ad 20
Vxores an poſſint via iuridica recuperare à maritorum concubinis ea, quæ illis mariti donarunt. l.7.c.9. f.126.n.7.10

An ſeminante viro licitum ſit vxori non ſeminanti ſe ad ſeminationem tactibus excitare.l.6.c.3. f.19.n.21
An vxor teneatur calidiſſimum viri ſemen cum labore retinere. ibid. f.20.n.24
An peccet ſi ſemen virile potu eneruet aquæ frigidæ. ibid.
Iure naturali prohibente, non poteſt homo habere duas vxores ſimul viuentes in vxores. l,6.c.6. f.41.n.16
Magis eſt contra naturam vnam habere plures maritos, quàm vnum plures vxores. ibid. n.19
Vxor, quæ furatur pecunias à marito, vt illas in vſum familiæ conuertat, an furtum committat. l.7.c.1. f.91.n.10

X

Xenia.

Xenia quid, & an illa licitè poſſint iudices tam ſæculares, quàm Eccleſiaſtici, tam ordinarij, quàm delegati vltra pretium iuſtum ſibi à lege, vel conſuetudine taxatum accipere. l.8.c.17. f.372.n.1.6
Quatenus miniſtris iuſtitiæ xenia ſint prohibita. ibid.

INDICIS FINIS.

6-2-1

Digitized by Google